

21
41

arms not identified





19 August 1920







ROMA SUBTERRANEA







LUTETIÆ PARISIORUM.
Apud FREDERICUM LEONARD ſub ſcuto Veneto Viâ Iacobeâ
M D C L VIIII.

ROMA
SUBTERRANEA
NOVISSIMA

IN QVA

POST ANTONIVM BOSIVM ANTESIGNANVM,
JO: SEVERANUM CONGREG. ORATORII PRESBYTERUM,

Et celebres alios Scriptores

ANTIQUA CHRISTIANORUM

Et præcipue Martyrum Cœmeteria,

TITULI, MONIMENTA, EPITAPHIA, INSCRIPTIONES,
AC NOBILIORA SANCTORUM SEPULCHRA

SEX LIBRIS DISTINCTA ILLUSTRANTUR

ET QUAMPLURIMÆ RES ECCLESIASTICÆ ICONIBUS GRAPHICE describuntur, ac multiplici tum sacra, tum profana eruditione declarantur.

OPERA ET STUDIO

PAULI ARINGHI ROMANI CONGREG. EJUSDEM PRESBYTERI

Cum duplici Indice, Capitum & Rerum locupletissimo.

TOMUS PRIMUS.





Coloniæ & veneunt

LVTETIÆ PARISIORVM,

M D C LIX.



SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO PATRI
ET DOMINO NOSTRO
INNOCENTIO X.
PONT. OPT. MAX.
PAULUS ARINGHUS CONGREG. ORATORII PRESBYTER SEMPITERNAM F.

Subterraneę Romæ gloriam, quæ irriguo adhuc martyrum cruore rubet, palmis viget, innumerisque venerandorum pignorum thesaurus ditescit, cui tu (PATER BEATISSIME) divino nutu præes, atque in Petri solio, velut Petri dignissimus, tum fidei, tum regni heres feliciter sedes, tota jam fere Urbs admirabunda suspexit: hanc vero vix ullus, aut certe pauci ex his, qui exteras, dissitasque incolunt oras, oculis necdum assecuti, vel procul (si quo modo fas est) de facie nosse percupiunt. Siquidem etsi cunctæ orbis terrarum nationes, Romæ, quæ mundi olim principatum tenuit, nomen, potentiam, divitias, splendorem, ac triumphos ex antiquis historicorum paginis probe norint: Subterraneæ tamen hujus facies, paucis quidem (quod noverimus) hucusque innotuit; Urbis videlicet, quæ Christianorum quondam castris referta, & coloniarum instar exculta, vivifico Crucis vexillo idololatriam pessundedit, inaniumque Deorum monstra fidei jugo subegit. Romanorum quippe civitas quondam *cum pene omnibus* (ut magnus ait Leo) *dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Verum ut illa frequenti olim victimarum sanguine fœda, inter Averni tenebras, impuris dæmonum superstitionibus vincta detinebatur, ita hæc postmodum martyrum exuviis, ac cruore consecrata, ampliores cœlo, quam antiqua Capitolio triumphos invexit, quod ipsismet triumphales lapidibus insculptæ palmæ, ac ferro incisæ adhuc notæ per se loquuntur. Cum omnes ubique terrarum, Subterraneæ, quam præferimus, Romæ vel notitia thesauros assequi exoptent, ut singulis iidem innotescant, hanc multiplicium divitiarum varietate novam conspicuamque Latino, qui longe, lateque patet, sermone loquentem audire malunt.

S. Leo Papa ser. 1. in Natali App. Petr. & Pauli.

At cum innumeros venerandæ Christianorum antiquitatis thesauros intra Subterraneæ Romæ sinum, jugi perscrutantium labore adinventos, uno eodemque sub Opere, in lucem prodire contingat, haud alteri profecto, quam Romano Pontifici, ejusque nomini, qui ter maximus sacrorum Antistes est, hi præcipuo jure debentur. Quippe cum isthæc Iubilæi quinquagesimo supra millesimum sexcentesimum recurrente anno Typis evulgentur, quo potissimum tempore singulas ad primævos redire dominos possessiones ex divinæ legis præscripto cautum erat, latentes quoque pretiosas militantis Ecclesiæ gazas, ipsoque auro pretiosiores, inter jacentis Romæ rudera, thesauros ad Pont. Opt. Max. utpote ejus ditioni unice addictos, reverti par est. Et certe summo jure Subterranea Roma Sanctitati tuæ est ascribenda, quæ Romanos Pontifices prædecessores tuos, sacrorum præcipue Cœmeteriorum cultores, ac inquilinos habuit, eosdemque in exhibendo Martyribus sepulturæ ministerio impense officiosos

Levit. cap. 25. n. 1.

dignissime repræsentat. Prætereo quod in celebri Callisti Cœmeterio præter centum & quatuor septuaginta millenos, quos ibidem tumulatos novimus, martyres, sex insuper & quadraginta Pontifices Maximos illatos fuisse sacris in actibus describatur, nec non Vaticani præsertim Cœmeterii omnium nobilissimi, ac Basilicæ augustissimæ gloria sacris Beati Petri Apostolorum Principis, aliorumque ejusdem Petri successorum pignoribus apprime illustretur, quorum insuper nobiles, ac triumphales imagines (ut in præsens videre est) affabre trophæorum instar exsculptas, ipsimet laterales hinc inde parietes, Te jubente, exhibent contemplandas.

Inscript. Cœmet. Callist. recensit. in Rom. Subter. to. 1. pag. 459.

Excipe itaque, BEATISSIME PATER, quo facis cætera, hilari vultu, ad te nunc venientem, ipsisque emergentem è tenebris, ac tuis humillime provolutam pedibus Romam, & paterna insuper, totum antequam orbem excurrat, benedictione contra adversariorum, qui multi suppetunt, incursus præmunire non dedigneris: *Ostium quippe nobis* (ut loquar cum Paulo) *apertum est magnum, & adversarii multi*; multi, inquam, qui novitatis dumtaxat umbra, haud veritatis luce gaudentes, perantiquos Ecclesiæ ritus, illibatosque Christianorum mores canino plus quam dente rodere non verentur, neque vero media cœcutientes in luce divinum illud Sapientis oraculum didicere: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui*; & quod antiquissimus item præ cæteris pro sacra retinenda, quasi pro aris, & focis, adversus insanos Novatores, antiquitate Tertullianus inculcat: *Omnino res Christiana sancta antiquitate stat, nec ruinosa certius reparabitur, quam si ad originem censeatur*. Antiquam enim atque originariam publicæ Christianorum rei, suis apte coloribus adumbratam, si quis lynceis oculis faciem rimari exoptat, festino ad Subterraneam Romam pede recurrat, quæ recolendum primævæ adhuc Christianitatis prototypum ad vivum exhibet, & Te unum ac verum Christi in terris Vicarium, Petrique successorem vel silens compellare videtur, dum Columbæ Noëticæ, viridem rostro Olivæ ramusculum prætendentis (quæ gentilitium Familiæ tuæ stemma, pacisque symbolum est) in suis passim tum cubiculis, tum sepulchris contemplandam imaginem offert. Denique cum multis (ut uno verbo complectar omnia) nominibus tota Oratorii nostri Congregatio Sanctitati tuæ devincta sit, devotionis antiquæ vel hoc uno Opere tributum debitum quoquo modo persolvimus. Aequi igitur, bonique consulat, singulari Sanctitas Tua, qua solet animi benignitate, hoc qualecumque nostræ tenuitatis Opus, & te suæ Deus Ecclesiæ salvum, ac sospitem diutissime servet.

1. ad Corinth. cap. 16. n. 28.

Proverb. cap. 22. n. 28.

Tertull lib. 1. contra Marcionem. c. 13.

PIO

PIO, AC STUDIOSO LECTORI.



Ubterranea Roma, quam perlustraturus nunc es, tot quidem, & tantis sacræ antiquitatis, ac rerum memorandarum thesauris apprime illustratur, quos diu tamen Urbi, atque Orbi invisos, intra sua clausit viscera, ut maximum Ecclesiæ militanti splendorem, & non exiguum studiosis quibusque oblectamentum conferre queant, si rediviva è tenebris in lucem veniant, & ut par est, ubique terrarum innotescant. Ipsamet quippe vehementer aliquando Vrbs (*edisserente Baronio*) obstupuit, cum abditas in suis suburbiis se novit habere civitates, Christianorum tempore persecutionis colonias, modo autem sepulchris tantum refertas, & quod legebat in chartis, suis ipsis oculis intuens admirabunda spectavit. *Quamobrem jure quidem merito curiosus quispiam rerum abditarum perscrutator, serio isthæc aliquando recolens, majori inter contemplandum admirationi Subterraneam, ac delitescentem in tenebris Romam, quam ipsammet conspicuam, patentemque oculis recolenti, sibi extitisse pronuntiavit. Vt pauca enim ex multis in ipsomet Operis vestibulo attingamus: Quæ, & quanta venerandæ inter rudera etiamnum antiquitatis monimenta supersunt? Quot præclara quantumvis inculta Christianæ religionis insignia perscrutantibus passim contemplanda se offerunt? Qualia demum inde Christi trophæa ex hostibus debellatis in lucem provehuntur? Profecto qui publicæ hæc luci reddunt non lutum, non rudera, sed aurum, immo gemmas, ac lapides pretiosos è terræ visceribus*, quasi effodientes (*ut Iob ait*) thesaurum; *merito de suscepto tum opere, tum labore gaudendum sibi, gratulandumque dignoscant.*

Baron. to. 2 Ann. Christi 130. n. 2.

Iob cap. 3. n. 21.

Verum, ut probe omnimodam in ipsomet limine Lector instituti rationem assequatur, nobis quidem præmittendum videtur, in sex hisce Subterraneæ Romæ libris diserte, ac copiose de Situ, Forma, & perantiquo sacrorum Cæmeteriorum Cultu, de Cubiculis insuper, Oratoriis, Imaginibus, Hieroglyphicis, Sepulchris, Inscriptionibus, Epitaphiis, ac Titulis agi. Et quoniam in his plane locis sub ipsa ingruentium persecutionum procella, pia Christianorum manu Martyres tumulo inferebantur, opportunus item de ritibus funeralibus, de Beatorum eorundem Martyrum sepulchris, ac de antiquis pariter, tum sacris, tum profanis viarum monimentis, juxta quas præcipua olim Vrbis Cæmeteria sita fuere, & ex quibus veneranda nunc Martyrum Sepulchra certo requirentibus innotescunt: opportunus, inquam, sermo incurrit. Præterea de his potissimum, quæ ad primævos nascentis Ecclesiæ mores, ad pios Christianorum cœtus, & consuetas eorundem cœmeterialibus in locis synaxes spectare quoquo modo videntur; diserte à nobis agitur: ac demum, ut uno verbo singula complectamur, de recolendis Vrbis Romæ thesauris nulli unquam pretio æquiparandis, prolixior pro rerum opportunitate enarratio subtexitur. Vides igitur, amice Lector, quæ & quanta, legenda, inspicenda, perscrutanda, contemplanda bipartitum hoc tibi Subterraneæ Romæ volumen exhibeat, quod præcipuarum rerum additamentis, ac delineamentis locupletatum piis, ac studiosis, qui avide in ipsa antiquitate pietatem rimantur, haud minus gratum, acceptumque futurum existimamus. Iure enim de sacris, ac perantiquis Romæ Cæmeteriis, quod olim de Cæmeterio, ubi sanctissimi illius Reginæ Candacis Eunuchi corpus religiose conditum fuerat, Dorotheus enunciat, nobis quoque asserendum pronunciandumque videtur: Cœmeterium ipsius (*inquit*) munimentum insuperabile est fidelibus, barbaros scelestos fugans, morbos pellens, & sanationes operans usque in præsentem diem. *Ita plane Romana (dixerim ego) Beatorum Martyrum Cæmeteria insuperabile Vrbi, immo Ecclesiæ, adversus nominis Christi hostes, qui Christianam funditus perdere fidem adnituntur, munimentum existunt, cum inde tanquam ex ex nobili armamentario, validissima cujusvis generis tela contra eos, qui sacrarum Imaginum, ac Reliquiarum cultum, Sacramentorum ritus, & venerandam denique novis, subdolisque dogmatum deliramentis antiquitatem labefactare, subvertere, atque abolere conantur, nobis passim suppeditari contingat, ita ut veritatis orthodoxæ, quam ipsimet impugnant*, inimici nostri (*ut sacræ loquuntur paginæ*) sint judices: *eorum quippe nonnulli oculis dumtaxat Subterraneæ, quam præferimus, Romæ paginas, haud pede semitas excurrendo, nec prototypa, & imagines quibus illustratur, sed vel lippis oculis eorumdem exemplaria perlustrando. Cæmeteriales inter tenebras lumen, sanamque insuper mentem recepere, dum etsi adhuc inter vivos mortui, ad mortis tamen imaginem reviviscentes, ad orthodoxam Deo aspirante fidem feliciter traducti sunt.*

Dorotheus in synopsi apud Baron. to. 1. An. 36. n. 28.

Deutron. cap. 32.

Verum enimvero, in ipso Cæmeteriorum ingressu apolegeticus nobis sermo inscribendus, vel certe ut video, præmittendus esset; sed studii susceptique rationem operis candide ac sincere paucis exposuisse, pro ampla nobis excusatione futurum est. Excipe igitur tu quisquis es, gratis rem auribus, & velut æqui bonique arbiter, justam amabo te sententiam feras. Subterraneæ quidem (ut titulus præ se fert) Romæ opus, veluti quid posthumum, haud primum, nisi auctore præmortuo in lucem venit, ipsis tenebris lares intra domesticos addicendum, ni prompta, ac liberalis virorum principum, & amicorum manus, rem studiosis gratam factura, illud obstetricantium more in lucem provexisset. Siquidem Antonius Bosius, fama sat orbi notus, & de sacra vir antiquitate optime meritus, primus omnium Ecclesiasticam Cæmeterioum historiam, ingenti studio, ac labore, per annos multos, nec absque magnis impensis curiose perquisitam, congesserat in fascem potius, quam in volumen digesserat, cum re prorsus infecta fatis concessit. Quapropter tenebris, ac sepulchro, una cum suo pariter auctore, opus illatum, addictumque fuisset, nisi benigna Eminentissimi Francisci Cardinalis Barberini, S. R. E. Vicecancellarii, recolendæ antiquitatis, ac rei litterariæ, eruditorumque omnium patroni manus adfuisset. Ejus quippe jussu Ioannes Severanus Congregationis nostræ Presbyter, attritæ jam inter studia ætatis provinciam subire coactus, temporis angustia, ac rerum, quas in unum coacervatas, haud probe tamen digestas reperit, copia absterritus lento sibi pede, ne passim aberrare contingeret, procedendum indixerat: verum Cardinalis ejusdem auctoritas, calcarium instar stimulos quotidie admovens, instare, ac reluctantem torpentemque in opus perurgere non destitit, ut qui subterraneam post auctoris obitum in lucem quantocyus prodire Romam, ut sacram quodammodo, vel unico isto opere ab interitu antiquitatem vindicaret, & Romam redderet, impensius cupiebat. Quamobrem opus haud mature elaboratum, expensum, ac suis numeris absolutum (quod erat illi in votis) quamprimum compilando, brevi, ut ita dicam, manu, librum, quem severa judicii trutina librandum proposuerat, haud congruam temporis moram nactus, intempestive edidit potius, quam diu, ut par erat, lucubrando elaboravit. Nam ut de cæteris taceamus, quartum præcipue librum, qui multiplici recolendæ antiquitatis eruditione scatet, dum ipsæ jam sub prælo paginæ laborarent, percurrendo exscripsit. Quod si Italico primum idiomate volumen in lucem prodiit, id eo potissimum consilio, ut multorum petitioni, qui Romanis res primum

mum

mum urbanas, ac domesticas intra Vrbem degentibus divitias innotescere cupiebant, importunisque amicorum votis fieret satis, à Severano præstitum est. Verum ubi præoptatam liber lucem aspexit, utpote innumeris rei antiquariæ thesauris refertus, locupletatusque, cunctorum ultro, prompte, libenterque manibus exceptus est; quin immò cum idem omnium utilitati, atque oblectamento inserviit, omnium enixe votis exquiri cœpit (uno enim idiomate conscriptus exterarum gentium usui, gustuique servire nequaquam poterat.) Quapropter ipsemet, qui vernacula librum lingua ediderat, Latino quoque à se conscribendum sermone putavit: at dum in rem totus incumbit, morte præventus voti compos effici nequivit. Verum subinde eruditorum preces, ac studia, ut Subterranea Roma Latinitati redderetur, optatamque, uti præconcepta spes inerat, lucem tandem aspiceret, vehementius instare cœperunt. Quocirca fratrum ego minimus, licet invitus, eorum, quorum imperio reluctari piaculum fuerat, hanc provinciam subire, & Romæ Subterraneæ, cui quondam perlustrandæ pedem admoveram, manum quoque illustrandæ admovere coactus sum. Dum rem vero aggredior, multiplices difficultatum ambages, quod non putaram, incurrens, haud ipsammet omnino Subterraneam, editam hactenus à Bosio Romam, sed quamplura, & nova quidem, Bosio, Baronio, Severano, Henrico Spondano, aliisque sacris, probatisque Antiquariis facem præferentibus, cœmeterialium rerum monimenta, quæ ad instituti propositum faciunt, & quæ in jam edito opere desiderari videbantur, simul coacervando excultiorem, aliamque propemodum de facie Romam Vrbi, atque Orbi contemplandam exhibere pro viribus conati sumus. Novum igitur, ac non perexiguum (ut quod verum est fatear) & minus à me expectatum mihi laborem imposui: meo quippe, etsi plano, ac facili, grande, & laboriosum opus stylo describere aggressus, ipsiusque auctoris mentem assecutus, eum veluti fidum itineris ducem mihi præscribens, operis quidem præcipue textum, ordinem tamen ipsiusque historiæ contextum haud ex integro servandum, sed novis insuper quampluribus, è probatorum promptuario scriptorum studiose collectis, præsens hoc opus concinnandum proposui. Atque ut totius rationem operis edisseramus, rem totam cœmeterialem, sex hisce libris distinctam, illustratamque in duos tomos compilavimus, & primum quidem librum in studiosi gratiam Lectoris, tam sacræ, quam profanæ antiquitatis eruditionibus, etsi temporis angustiæ præpedirent, pro nostri tenuitate ingenii, novo plane labore contexere atque uberrime excolere studuimus, quod & in cæteris passim libris, ubi opportuna se præbuit occasio, & in sexto præcipue, ubi de Cœmeterialibus symbolis atque imaginibus disseritur, consulto à nobis præstitum est: in secundo autem libro antiquæ faciem Romæ, levi penicillo delineavimus, atque æneæ incisam tabulæ contemplandam lectori subjecimus, vastamque Cœmeteriorum Vrbis amplitudinem, ac numerum pariter adumbravimus, ut tu ipsemet judex aderis, si Subterraneam hactenus à Bosio Romam in volumen congestam, & à Severano subinde cum additamentis editam, quæ jam secundam sortita est editionem, cum hac nostra novissima componas, quæ merito faciem, una cum idiomate cum in modum immutasse censebitur, ut novum jam (quemadmodum nobis arbitrari fas est) pro veteri legentibus præferre opus videatur.

Cæterum novis Cœmeteriorum Iconibus, Descriptionibus, Epitaphiis, Inscriptionibus, Sepulchralibus item Titulis, Antiquis Numismatis, ac rerum insuper memorandarum appendicibus, præcipuisque Sanctorum Sepulchris, quæ hactenus in veteri jam edito desiderabantur, Opus istud Novum abundat, ac aliis item quampluribus, quæ tum antiquos Sacramentorum, & Ecclesiæ ritus luculenter evincunt, veritatem edocent, & sinceram Novatoribus, quam canino dente corrodunt, Antiquitatem objiciunt. Plura insuper sacrarum rerum historicarum monimenta, Orthodoxorum Patrum sententias, ubi opus fuit, seque nobis occasio obtulit, ad priscos Christianorum mores ad vivum repræsentandos, comprobandosque, & ad illibatæ fidei tum ritus, tum dogmata, quod ad rem Cœmeterialem pertinet, obfirmanda suggessimus, ut Lector in antiquis Romæ Cœmeteriis haud novitatem, sed antiquitatem, vel inter mortuos in dies redivivam ediscat. Restat nunc, ut si quid operi, si quid latinitati, si quid decori deest, si quid apte minus, concinne, eleganterque nostris hisce elucubrationibus exprimi contigit, hoc nobis lectoris benignitate condonetur, cui post dimissa, jam multis abhinc annis, humaniorum litterarum studia, stylum, ut plerique consueverunt, scribendo excolere, dum sacris jugiter in nostra Vallicellana Ecclesia muniis vacandum est, haud ita integrum fuit, hoc insuper brevitati temporis, quæ cunctantem, reluctantemque in opus compulit; hoc demum animo ejuscemodi oneri se longe imparem agnoscenti indulgendum est, quamvis facilem potius, quam comptam nimis, fucatam, & elegantem Latini sermonis rationem (quod rem sacram minus decet) nos data quasi opera æmulatos fuisse fateamur, vel hoc uno dumtaxat contenti, Subterranea Roma si minus eleganter, at saltem non omnino barbare loqueretur.

Illud vero hic Lectorem caute præmonemus, in quibusdam titulis, atque inscriptionibus ad rei propositum suggerendis recensendisque, haud nos ea de re (ut mos aliorum est) sententiam statuere, ac prædefinire velle, sed vel obiter interdum, ut sacræ antiquitati, & acceptæ per manus traditioni nihil demi contingat, in medium protulisse, antiqua enim, & lapidibus præsertim insculpta, Subterraneæ Romæ tabulis monimenta inseruimus, quod vero obiter, ut dictum est, retulimus, non ut quidam solent, mordicus defendere, ac pervicaciter pro viribus tueri, sed sapienti lectoris, à quo edoceri malumus, arbitrio examinandum, probandumque remittimus. Verum quoniam paginis hisce nostris mendum quandoque obrepsit, & nonnulla alicubi inter legendum desiderari contingit, quæ nunc supplenda Lectori viderentur; singula isthæc ad Operis calcem haud expurgatoriis (uti mos est) notis expungere, sed adnotatis erratis præcipuis, cætera notæ Lectoris benignitati, prudentique ejusdem judicio, ne doctos, vel dum menda corrigimus, inter legendum edocere videamur, expurganda relinquere visum est. Interim vero si quid commodi, si quid emolumenti has elucubrationum nostrarum paginas pervolvendo quis hauserit, haud ullam nobis pro labore, quem suscepimus, gratiam, sed totum Deo Optimo Maximo, supremo bonorum omnium elargitori referat, ejusque nomini nobiscum adscribat, cui Soli, Vni, Trinoque honor, & gloria. Ipsi enim hoc qualecunque est, Sacrorum Romæ Cæmeteriorum, elucubrationum laborumque nostrorum Opus sacrum perpetuo, dicatumque esto.

1. Ad Tim. c. 1. v. 17.

Tran-

TRansmissum mihi per Reverendiss. Sac. Pal. Apostolici Magistrum Opus ingens, cui apposite præfixus est titulus, ideam Operis, & operæ à plerisque doctis viris exhibitæ præmonstrans: *Roma Subterranea Novissima, in qua post Antonium Bosium Antesignanum, Io. Severanum Congregationis Oratorii Presbyterum, & celebres alios scriptores, antiqua Christianorum, & præcipue Martyrum Cœmeteria, Tituli, Monimenta, Epitaphia, Inscriptiones, ac nobiliora sanctorum Sepulchra sex libris distincta illustrantur, & quamplurimæ res Ecclesiasticæ iconibus graphice describuntur, ac multiplici, tum sacra, tum profana eruditione declarantur, opera, & studio Pauli Aringhi Romani, Congregationis ejusdem Presbyteri;* dignissimum quidem reputo quod in omnium prodeat conspectum, in quo scilicet cuncti videant quantum adhuc Christianæ pietatis in suis visceribus retineat Urbs omnium Regina, in suis civibus cædi solita, sed tyrannorum tormentis cedere nescia, sciant insuper universi, quot, & quales habuerit fides Christi Agonothetas; quam gloriosos præmiserit magistros, per quos etiamnum ubique resplendet, & in Vrbe Orbis capite semper inconcussa permansit. Mihi profecto pulchrior apparet Roma Subterranea, quam quæ nunc oculis objicitur; meoque judicio major est illius gloria in tenebris, quàm istius in lumine: apud me non censentur magis speciosa Romana palatia, quàm sint preciosæ sacræ cavernæ; neque pulchriora videntur novella Divorum Templa, quam dicantur veneranda prisca Martyrum Oratoria. Porrò quod summum, & præcipuum est, in hoc Opere eximia pietas elucet, varia delectat doctrina, veneranda placet antiquitas, neque quidquam conspicitur, quod offendat, aut fidei veritati, vel bonis moribus judicari possit adversum. Quapropter Opus per se satis probatum, ut latentes Urbis divitiæ ubique terrarum innotescant, typis censui evulgandum. Dedi in Collegio Romano S. Isidori Fratrum Minor. Hibernorum 4. Non. Octob. 1647.

Fr. Lucas Waddingus.

Imprimatur, si videbitur Reverendiss. Patri Magist. Sacri Palatii Apostolici.

A. Victricius Episc. Alatr. Vicesg.

Imprimatur

Fr. Vincentius Candidus Sacri Palatii Apostolici Magister Ord. Prædicatorum.

In

In Subterraneam Romam Novissimam.

Anonymi

IMpia Roma suis scrutata est molibus astra:
Scrutata est terræ viscera Roma pia.

Concidit illa: hæc perstat adhuc; stabitque perennis,
Obscuras inter non peritura specus.

Fallor? an ipsa suas jam dedignata latebras,
Exserit è tenebris irradiata caput.

Scilicet invenit, qui det sibi lumina, solem:
Et trahat ad claram nigra spelæa diem.

O latebræ! jam non latebræ; neque enim esse latentes
Iste novus PAVLI vos sinit esse labor.

Ite coruscantes, mundo vos prodite; vestra
Humanis lucem mentibus antra ferent.

Nam priscæ fidei, & tot Relligionis avitæ
Argumenta dabunt, quot Monumenta tenent.

Aliud.

ERgo non satis una Roma Romæ?
Vnam nec satis occupasse colles,
Si non altera surgat in spelæis?
Surgit? num potius sub ima sidit,
Et declivia repit inter antra?
At surgit tamen; & suos alumnos,
Dum cælo inserit, eminentiore
Stellas vertice transilit micantes.
Id quondam: viduata jam colonis,
Præbet se vacuam, haud sed otiosam.
Olim Martyribus dedit penates:
Fit nunc æmula Martyrum sacratis
Se testem fidei probans cavernis.

In Subterraneam Romam à Paulo Aringho publica luce & Latina lingua donatam.

Fr. Io. Alexander Durdez Ord. Minim. S. Francisci de Paula.

ROMA sub obscuris terræ latitaverat antris
Hactenus, atque suas clauserat intus opes.

Has reserans toti communes efficit Orbi,
Quando suum promit PAVLVS ARINGHVS Opus.

Nec contemnit Opus, sed summo ducit honori
Roma; & ut Auctori gratificetur, ait:

Tu me de terra super Orbis tolle Theatrum,
Mox ego de terra te super Astra feram.

De Roma Subterranea novissime in lucem edita.

EPIGRAMMA.

QVæ toties Sancto sanctè lustrata PHILIPPO
Roma fuit, cunctis sanctior ipsa locis.

Ante latens subtus Terram, nunc cognita Terris
Omnibus, ex tanti prole Parentis erit.

Quæ tot habet, fecique manens abscondita Sanctos,
O quales faciet nunc manifesta viros!

Pangebat Romæ Fr. Guil. Duplantè Gallus Ord. Minim. S. Francisci de Paula.

Ad SS. Martyrum Sepulchra in Latino Romæ Subterraneæ opere exhibita.

FRANCISCI BENETTI

Epigramma.

SIquis avet sacra pia funera visere Romæ
Lector inocciduæ perlegat artis opus.

Extollunt Vrbem, Moles, Capitolia, Templa,
Quæ cecidere, vigent qui periere viri.

Corpora adhuc spirant sub fornice condita; semper.
Vivere pro Christo est, sic voluisse mori.

In Romam Subterraneam Novissimam, è tenebris redivivam, & Latino idiomate evulgatam.

ROMA antiqua jacet mediis tumulata triumphis;
Ruderaque, attrito è marmore, sola manent.

Nam quæ conspicua olim, nunc addicta tenebris
Vrbs, heu quanta fuit, crebra ruina docet.

Aspice nunc palmam fert Subterranea Roma,
Dum caput è tenebris exserit illa suum.

Altera, nimirum, Roma est (mihi credite) Phœnix
Dum venit è tumulis sic rediviva suis.

ROMA

ROMA SUBTERRANEA

SIVE

DE SACRIS ROMÆ COEMETERIIS

LIBER PRIMUS.

DE Sacris recolendisque Urbis Romæ Cœmeteriis toto terrarum Orbe celeberrimis, divino aspirante Numine, generatim prius, ac postea singillatim acturi, operæ pretium duximus, nonnulla hic ad plenam rerum notitiam, de quibus sermo instituendus est, præmittere: ac primum de variis eorundem Cœmeteriorum nominibus, situ, forma, usu pariter ac religioso cultu pauca disserere, quò facilè Lector deinde assequi valeat, quæ de singulis specialiter erimus suo loco dicturi.

CAPUT I.

De antiquis Christianorum Cœmeteriis, eorum nomine, situ, & forma.

Cœmeteriorum descriptio.

COEMETERIA igitur, ut ab ipsius etymologia nominis, oratio derivetur, loca quædam subterranea sunt, Christianorum sepulturæ speciatim addicta, quæ ob multiplicem, quam interdum præ se ferunt, significationem, varia itidem apud antiquos nomina sortita sunt. In antiquis enim Martyrologiis, & sacris Martyrum actis modò cryptæ, specus nempe subterranei, cryptæque arenariæ, ab arenarum fodinis ibidem existentibus, nuncupantur: modo Catacumbæ; à Græca voce κατὰ & κύμβος, hoc est, ut Hesychius Græcorum Grammaticorum doctissimus explicat, κοῖλος μυχὸς, βυθὸς, cavus recessus, sive locus in imo positus ac profundus. Areæ quoque, sepulchrorum scilicet loca, interdum appellabantur, ut apud Tertullianum, & in Actis beati Martyris Cypriani videre est: in quibus hæc recitantur: *Ejus corpus propter gentilium curiositatem in proximo positum est cum cereis, & scholaribus, in Areis Macrobii Candidi procuratoris, cum voto & triumpho magno.* Potissima autem hujus appellationis ratio inde manasse videtur, quia nimirum antiquis temporibus ipsa defunctorum sepulchra, tamquam loca, quæ religiosum cultum redolerent, ædificiis occupare, aut colere nulli omnino fas erat: quinimmo certis hæc terminis ac limitibus à reliquo agri totius ambitu distinguebantur. Hinc est quod in perantiquis frequenter inscriptionibus, sepulchrorum termini his plane verbis indicantur: IN FRONTE PEDES ...... IN AGRO PEDES .... locus autem eo ambitu circumscriptus, ac interclusus Area propriè dicebatur, quæ prout familiarum aut certe personarum dignitas ac splendor exigeret, ad quas eadem sepulchra pertinebant, major interdum, vel minor esse consueverat; & ubi primum quandoque area satis angusta, deinde ab hæredibus ampliori circuitu protendebatur. Id plane ex pervetusto quodam sepulchrali lapide, qui ad porticum S. Cæciliæ trans Tiberim extat, liquidò comprobatur: hæc enim titulus legenda præ se fert:

Baron. tom. 2. Ann. 226. n. 8.

Hesychius Grammaticus.

Tertull. ad Scapulam. Acta S. Cyp. Mart.

Funus, & sepultura S.C. Prian. Mart.

Sepulchra inter sacra ac religiosa loca recensebantur.

Sepulchrorum termini.

Area quid sit.

DIS MANIBUS.
Mario L. lib. Hermeti
Docetiæ Phasidi
Marius L. lib. Felix Patro ...
Suis benemerentibus de suo fecit & sibi,
Libertis, libertabusque suis, posterisque
... ta ne unquam de nomine familiæ nostræ hic
Monument ... Hered. non sequet ..
In fronte lat. ped. xx. & digit. 11.
In agro 11.
IN AGRO ....
QUEMEMIT DOCETIAPHASIS. P. C.
AREÆ P. CCV.

Idem etiam in altero sepulchrali lapide videre est, qui non multis abhinc annis juxta Viam Appiam in villa D. Joannis Baptistæ Casalii Romani, viri rei antiquariæ apprime eruditi, erutus, ab eodem in libro, quem de antiquis Romanorum ritibus edidit, studioso lectori exhibitus fuit, & in præsens in ejus nobili Musæo inter cætera monumenta curiosis oculis digna, & multiplici rerum varietate conspicua asservatur: hujusmodi autem notis exculptus est:

Io. Baptista Casalius lib. de profanis & sacris veterum ritibus c. 26. de funeribus Romanorum.

DIS MANIB.
Quationis
Decumi, Aug. lib.
Eufemiani
à manu Fidelis conlib. rtis
Fratri B. M.
In Fronte pedes duo,
in agro pedes duo.

1. At vero quoniam rurales in villis, ác prædiis areæ strictè sumpto vocabulo, ipsoque teste Varrone, dictæ sunt, ubi frumenta jam falce resecta teruntur, solaribusque subjecta radiis arefiunt, opportune quidem hoc suis veteres Christiani sepul-

Diversa Cœmeteriorum nomina.

Varr. de L. lat. verb. area.

Cur Cœmeteria Areæ nuncupantur.

ſepulchris nomen impoſuere, quod piorum ſcilicet hominum corpora inevitabili jam mortis falce è vivis inſtar frumenti reſecta, ſepulchrales inter cineres areſacta conſiſterent, ad diem tandem noviſſimum Angelorum manu intra beatitudinis horreum congerenda. Cujus plane cœmeterialis ſimilitudinem areæ adumbraſſe viſus eſt Ezechiel propheta, qui digito Dei præmonſtrante loca Iſraëlitici populi referta cadaveribus vidit, & futuræ poſtmodum reſurrectionis myſteria eodem revelante vaticinatus eſt, ſed ut ipſius hic verba inferamus: *Facta eſt*, inquit, *ſuper me manus Domini, & eduxit me in ſpiritu Domini: & dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus, & circumduxit me per ea in gyrum. Erant autem multa valde ſuper faciem campi, ſiccaque vehementer, & dixit ad me: Fili hominis putaſne vivent oſſa iſta? & dixi, Domine Deus tu noſti, & dixit ad me: Vaticinare de oſſibus iſtis: & dices eis: Oſſa arida audite verbum Domini.* Ab aridis igitur defunctorum oſſibus, quibus campus redundabat, à Chriſtianis olim, ut vides, area dicebatur.

Ezechielis prof. c.37.

Viſio Ezechielis prophetæ.

Et huc commode ſpectare videntur illa Tertulliani verba, dum Scapulam ſæviſſimum Africæ Præſidem in Chriſtianos graſſantem præmonet, ut divinæ in perſecutores ultionis exhibitæ memor, exempla, quæ jam præceſſerant, recolendo ſæviendi modum faciat, ubi iſthæc de Cœmeteriis, quæ & areæ pariter dicebantur, apte ad rem noſtrum habet: *Sub Hilariano præſide cum de areis ſepulturarum noſtrarum acclamaſſent, Areæ non ſint: areæ ipſæ non fuerunt; meſſes enim ſuas non egerunt.* Hæc venerandæ antiquitatis aſſertor Tertullianus, qui priori quidem loco arearum nomine, Chriſtianorum Cœmeteria exprimere voluit; qua item ratione ſub finem geſtorum B. Cypriani Epiſcopi Pontius hæc eadem vocat: deinde verò areas, ut præmiſimus, Tertullianus intelligit loca ferendis, exſiccandis, terendiſque frumenti granis deſtinata: utrumque autem ab ipſa loci natura puri, & quibuſvis ædificiis vacui parem denominationem ſortitur. Et congrue quidem terræ Africanæ regionibus in ultionem perpetrati criminis Deus ſterilitatem intulit, quæ contra fas & pietatis humanæ jura, ſuis inhumaniter ſepulturam denegaret.

Tertullian ad Scapulam.

Quid ſint areæ.

Cœmeteria dicta etiam Concilia Martyrum.

2 Quandoque inſuper & Concilia Martyrum, Cœmeteria dici contigit, eam nimirum ob cauſam, quod ſacra multorum ibi Martyrum corpora condita quieſcerent, ut ex Molano Baronius noſter in ſuis ad Romanum Martyrologium notis diſerte probat. Quamvis eodem nomine, ut idem auctor aſſerit, quæcunque loca intelligi commode, ac recenſeri queant, ubi Chriſti fideles ad ſacra obeunda munia de more conveniunt. Quo plane utitur vocabulo Ambroſius, dum adverſus Symmachum agens, ſanctarum virginum Collegium, Concilium virginitatis appellat. Plerumque tamen, & frequentiori quidem uſu, hujus derivationem nominis Cœmeteria ſortita ſunt à Græca voce κοιμάω, id eſt, dormio, quod illuc dormientes (vita nimirum functi) tandem humandi deferrentur. Verum enimvero mortuos ſimiles dormientibus eſſe, atque ipſammet ſomno mortem æquiparari, non ſacræ dumtaxat utriuſque Teſtamenti Paginæ, & plerique ſacrarum rerum ſcriptores, ſed antiqui etiam ethnicorum Philoſophi ſatis ſuperque, Divo Auguſtino teſte, profitentur. Sub uno tamen eodemque nomine, ipſius rei diſcrimen hic paucis adnotare licet, quod apud ſcriptores ethnicos mors

Baron. in no. ad Rom. Mart. die 23. Iunii.

S. Ambroſius contra Symmachum.

Mors æquiparat à ſomno.

S. Aug. ep. 123. ad Hon.

Mors apud ethnicos

haud temporaneus, ſed perpetuus utique ſomnus appellatur. Ita enim apud Lesbiam Catullus appellat.

ſomnus perpetuus.

Catull.

Soles occidere, & redire poſſunt;
Nobis cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Et Horatius idem prorſus de Quinctilii morte canit.

Horatius l. 1. ode 24.

Ergo Quinctilium perpetuus ſopor
Urget?

Et alibi:

Idem lib. 3 ode 11.

Surge, ne longus tibi ſomnus, unde
Non times, detur.

Quò item ſpectant Virgiliana illa carmina, quibus id plane, quod aſſerebamus, comprobatur. ait enim:

Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Virgilius Æneidi.

Neque interim celebris illa Anaxagoræ ſententia ſilentio obvolenda eſt, quippe qui duabus è rebus in unum conflatis poſſe nos recte deducere affirmat, quid ſit potiſſimum mors, ex ſomno videlicet, & ex tempore; alter enim brevis, alter verò longus ac perpetuus eſt.

Anaxagoras Phil.

3 Verum apud Chriſtianæ fidei cultores mors, ſomnus neutiquam perpetuus, at brevis & temporaria quædam quieſcendi mora nuncupatur. Quibus eandem verbis ſuo eleganter more adumbrat, ac deſcribit Chryſoſtomus: *Mors*, inquiens, *non eſt mors, ſed temporaria dormitio.* Sed quod ad inſtituti noſtri propoſitum facit, de Cœmeteriis, eorumdemque appellatione ſatis quidem luculenter ſanctiſſimus doctor ediſſerit peculiari Homilia, quam de Cœmeterii nomine & vivifica Chriſti Cruce inter cæteras habuit, & ab Antonio Agellio è Græco idiomate in Latinum tranſlatam, Thomas Gallettus ſeorſim ab aliis edidit, ubi inter cætera, iſthæc proloquitur: *Quæ cauſa majores noſtros impulit, ut in hunc potiſſimum locum nos convenire vellent* (in Cœmeterium ſcilicet extra Urbem, in quo Sabbato ſancto convenire fideles illi conſueverant) *nimirum hoc loco mortuorum corporum jacet multitudo. Itaque cum hodierno die Ieſus ad mortuos deſcenderit, huc ob eam cauſam convenimus: quamobrem etiam locus ipſe Cœmeterium appellatus, ut diſcas vita functos, & hic jacentes non eſſe illos extinctos, ſed dormientes cubare: cum ante Chriſti adventum vitæ hujus finis mors vocabatur. Quacumque, inquit, die de ligno comederis, morte morieris: & mors peccatorum peſſima: & pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus, &c.* Et infra optime ad rei noſtræ propoſitum ſubdit: *At ubi Chriſtus advenit, non ultra mors vocatur, ſed ſomnus atque dormitio. Chriſtus certe dicebat: Lazarus amicus noſter dormit, non dixit: Mortuus eſt quamvis eſſet ille mortuus. Atque ut intelligas ad eam rem inſuetum fuiſſe dormitionis nomen: audientes, inquit, diſcipuli, turbati ſunt, & dixerunt: Si dormit, ſalvus eſt: adeo quid ejus dicto ſignificaretur, parum intelligebant. Paulus item: Ergo qui dormierunt in Chriſto, mortui ſunt. Itemque alibi eundem in modum loquitur. Vides ubique mortem ſomni appellatione vocari? Quapropter etiam hic locus eſt Cœmeterium appellatus.* Cœmeterium igitur Chriſtianorum haud omnino mortuos, ſed dulci correptos ſomno, ac momentaneo in Chriſto dormientes excipit, ac ſinu ſuo complectitur. His adde, quæ idem Homil. 7. ad populum ſtatim poſt principium pari ſententiarum pondere affert: *Nihil aliud, inquit, eſt mors, quam ſomnus, quam migratio, quam tranſla-*

Mors apud Chriſtianos ſomnus temporaneus.

Chryſ. Hom. 2. ad pop.

Idem hom. de Cœmet. & vivifica cruce.

Mors cur ſomnus appelletur.

Quid ſint mortui apud Chriſtianos.

Chryſ. hom. 7. ad populum.

Idem hom. 5. ad pop.

translatio. Quod item altera ad populum Homilia de morte hunc in modum breviter exponit: *Somnus est consueto longior.* Plura autem sunt, & studioso quidem lectore digna, quæ ad rem nostram Homilia in Actor. Apostolorum inculcat ac repetit, & post ipsum Clemens Alexandrinus. Quibus demum egregiè congruunt, quæ Hieronymus ad Theodoram scribens, de morte in hæc plane verba edisserit: *Neque enim mors*, inquit, *sed dormitio, & somnus appellatur.* Quapropter haud horreat quisquis ille sit, dum Christianus, dum probus, dum pius, audito Cœmeterii nomine, immo lætetur, & gaudeat. Mortem enim, & sepulchrum ibi inter præscrutandum etsi offendat, somnum tamen ac tutum quietis locum, se una pariter cum morte, ac sepulchro adinvenisse meminerit.

Idem hom 26. in Act. Apost. Clem. Alex. 2. Pædag. c. 9. Hieron. to. 1. ep. ad Theod.

Fidelium sepulchra dicuntur deposita.

4 Jure igitur merito fidelium sepulchra defunctorum haud domus, ac mansiones æternæ, sed consono potius ipsimet rei vocabulo, deposita nuncupari consueverunt; uti sua ab ethnicis appellata fuisse, sepulchrales; qui adhuc extant, tituli legentibus passim testantur. Cum igitur in spem certam futuræ resurrectionis obdormire mortui dicantur, ut idem probat Augustinus in illa Psalmistæ verba: *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris*, ubi isthæc; *Ideo namque mortuos consuevit scriptura dicere dormientes, quia evigilaturos, id est, resurrecturos vult intelligi.* Huc item ipsemet Augustinus allusisse visus est, dum hæc recitat: *Ipsa mors sæpe in scripturis dormientium dicitur propter futuram resurrectionem, velut evigilationem. Hinc Apostolus dicit: De dormientibus autem nolo vos ignorare fratres.* Et alio loco: *Ex quibus plures manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Et alia innumerabilia in hoc testimonia aperte utriusque Testamenti reperiuntur. Unde & ille ait: Consanguineus lethi sopor. Et si advertas, multa invenies etiam in secularibus etiam litteris, ubi mors somno comparatur.* Hactenus ad rem nostram Augustinus.

S. August. in Ps. 87.

Idem ep. 120. ad Honor. c. 32.

Cœmeterium quid sit.

5 Quapropter congrue loca illa, in quibus olim fidelium corpora sepulturæ tradebantur, Cœmeteria frequentiori quidem titulo appellata fuisse novimus. Ut enim assertionis nostræ proposito insistamus, Cœmeterium idem plane est, ac dormitorium, ut satis erudite exponit Strabo lib. 1. de rebus Ecclesiasticis, quem pariter Stephanus Durant. refert lib. 1. de Catholicæ Ecclesiæ ritibus, ubi isthæc recitat: *Cœmeterium est domus, in qua hospites dormire solent* Quo etiam Prudentius Christianus poëta haud obscure carminibus illis alludere voluit, dum Christianorum sepulturas describit:

Strabo l. 1. de rebus ecclesiast. c. 6. Steph. Durant. lib. 1. de ritibus. eccles. Cathol. c. 23.

Prudentius.

Quidnam sibi saxa cavata,
Quid pulchra volunt monumenta;
Nisi quod res creditur illis
Non mortua, sed data somno?
Hoc provida Christicolarum
Pietas studet, utpote credens
Fore protinus omnia viva,
Quæ nunc gelidus sopor urget.

Hinc loca illa ubi defunctorum corpora humantur, haud alio ab Hebræis nomine appellata fuere, quam ביתחיים *Beth haym*, hoc est, *domus viventium*: à Græcis verò Christianis hæc eadem Κοιμητήρια, hoc est, *dormitoria*, ut *discamus*, inquit Chrysostomus, *eos qui illic siti sunt, non mortuos, sed somno consopitos esse & dormire à verbo videlicet* κοιμᾶσθαι, *quod significat dormire.* seù, ut Eustathius egregie ad rem nostram exponit, *discubare ad capiendum somnum.* Qua plane ratione à Cretensibus olim, ut Athenæus asserit, ipsa cœnacula, in quibus peregrini & hospites dormiebant, κοιμητήρια nuncupabantur. In sacris verò Paginis frequens admodum est phrasis illa, qua justorum mors his plane verbis describitur: *Dormivit cum patribus suis.* His quamplurimæ accedunt tam Græcorum quam Latinorum sententiæ, quæ apud Poëtas, enarratis hucusque optime quadrant, & in antiquis præcipue sepulchralibus titulis leguntur. Hinc apud Lycophrontem sepulchrum dicitur εὐνατήριον, hoc est, dormitorium. ut enim ajebat Cyrus apud Xenophontem: *Nil morti tam simile quam somnus*: & Cicero *mortem simillimam* dixit *somni imaginem.* Ovidius item imaginem mortis somnum appellavit.

Chrysost. hom. 32. de Cœmeter. appelat. Athen. l. 4. c. 9.

In I. Regum.

Grater. in Ind. cap. 16. Xenoph. l. 8. Cicero 1. Tuscul. Ovidius.

Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago.

Hac item adhibita voce consanguineum lethi soporem Virgilius dixit. Homerus item mortem, ac somnum gemellos concinne vocat. Et Pausanias singularem in hoc Lacedæmoniorum prudentiam celebrat, quod mortis ac somni, velut duorum simulachra fratrum, eodem contemplanda loco constituissent.

Æneid. 6. Pausanias.

Mors cur somni frater appelletur?

6 Ad rem quoque præsentem facit, quod Athenagoras, Christianus ille philosophus, refert tractatu, quem de mortuorum resurrectione inscripsit, in hæc plane verba: *Existimo nonnullos somnum fratrem mortis appellare, non tanquam iisdem majoribus ac parentibus natos, sed quod eodem modo affecti sint mortui & dormientes, quantum quidem ad quietem spectat, ut nihil intelligant de rebus, quæ fiunt, immò nec seipsos esse aut vivere sentiant.* Hæc ille. Quibus Tertulliani item verba, apte eleganterque respondent, dum somnum, speculum mortis appellare non dubitat, atque ex eodem somno optimum ac validissimum ad comprobandam mortuorum resurrectionem argumentum nactus: *Cum evigilaverit*, inquit, *corpus redditum officiis suis, resurrectionem mortuorum tibi affirmat. Hæc erit somni & ratio naturalis, & natura rationalis: etiam per imaginem mortis, fidem initiaris, spem meditaris, discis mori & vivere, discis vigilare dum dormis.* Hæc luculenter Tertullianus ad excitandos in spem resurrectionis dormientes, immo dormitantes inter vitæ hujus otia, vel consopitos inter mortis metum Christianos intonuit.

Athenagoras tract. de mortuor. resur.

Tertull. de anima c. 42. 43. 58.

Sepulchrum idem est ac quies & dormitio.

7 Cum in sepulchris ergo defunctorum corpora obdormiant, ut in sacris interdum Paginis videre est, sepulchri nomen idem cum quiete ac dormitione fidelium auribus resonat. Quapropter cum futuram ibi resurrectionem corpora exspectent, non absque peculiari mysterio quod Isaias Propheta *somnum*, & *dormitionem* appellavit, Hieronymus non tam vocem, quam ipsius significationem vocis attendens, paucis immutato vocabulo *sepulchrum* vertit. Sepulchrum quippe locus est quietis: *In sepulturis enim Christianorum*, ut Ambrosius ait, *requies defunctorum est.* A quibus propterea defuncti *Quiescentes* etiam & *Pausantes* dicti sunt, quod consueta Christianorum formula defunctis bene precantium testatur frequens admodum usu in sepulchralibus inscriptionibus: *Hic requiescit N.* vel *hic quiescit in pace* N. Item: *Hic requiescit in somno pacis.* Item illa: *Qui vixit annis p. m. L. requievit.* Itemque ea qua mortuis quietem apprecantur his plane verbis: *Requiescant in pace.* Et: *Requiem æternam, &c.* Et Job vir sanctissimus haud alio quam dormitionis titulo mortem descripsit, dum ait: *Dormiens silerem, & somno meo requiescerem.* Denique in ipsismet gentilium inscriptionibus sepulchrum

Apud Grut. 410. 5. 820. 2. 883. 4. 954. 1. Vid. Ind. cap. 16. Hier. in c. 11. Ambr. lib. 2. de off. c. 28. Cassianus 2. collat. 5. in fine.

Job. c. 13. n. 13.

 pulchrum

pulchrum *Ager somni*, & *quietorium*, ac *requietorium* sæpissime: apud Tertullianum vero *requies* appellatur: & apud ipsos Jurisconsultos *inquietari* corpora dicuntur, cum à sepulchro ubi posita sunt, aliò transferenda dimoventur.

L. Diu. fratr. 39. de relig.

Sarcophagi etiam Cœmeteria dicta.

8 Insuper, ut apud antiquos videre est, non cryptas tantum, sive Arenaria, vel integras quoque Areas Cœmeteria nuncupari contigit, verum etiam ipsas quandoque marmoreas arcas, ac singulares sarcophagos, ut ex arca quadam lapidea ejusdemque inscriptione apparet, quæ fonti ad montem à Jordano Ursino nuncupatum, supposita cernitur hisce verbis prænotata.

ΚΟΙΜΗΤΗΡΙΟΝ ΤΟΥΤΟ
ΩΚΤΑΒΙΛΛΗ ΤΗ ΙΔΙΑ ΓΥΝΑΙΚΙ
ΛΑΥΔΙΚΙΟ

Hoc est:

Cœmeterium Hoc
Octavillæ propriæ conjugi
Laudicis.

Cœmeteriorum Urbis descriptio.

9. Porro Urbis Cœmeteria, ut rei ac nominis originem altius repetamus, loca quædam subterranea sunt extra mœnia per circuitum sita, proximis sub collibus, variis cuniculis, multiplicibusque anfractibus in parte inferiori effossa, quæ antra, aut cavernas, vel speluncas, vel certe etiam cryptas proprio, aptoque vocabulo appelles: hæc tamen parum introrsum, aut nil fere lucis admittunt, & à viis, quæ frequenti perambulantium pede teri consueverunt, ipsomet loci ambitu distinguuntur. Hæc rursum in varios, ac multiformes vicos & angiportus subdividuntur, ita ut intuentibus labyrinthi cujusdam faciem præ se ferant. In parietibus autem ferro hinc inde excavata sepulchra cernuntur, humanis excipiendis, recondendisque cadaveribus destinata. Porrò ejusmodi Cœmeteria talis ac tantæ amplitudinis sunt, ut unumquodque eorum curiosis percurrentium ac perscrutantium oculis civitatem haud exiguam vel ipso repræsentare aspectu videatur. Statis enim quibusdam locis, ut in civitatibus potissimum, quas incolunt homines, ampliora quædam & longe lateque protensa spatia, ad sacros nimirum peragendos fidelium conventus, videre est: & (quod majorem infert admirationem) ejusmodi Cœmeteria duplicato interdum, ac triplicato etiam ordine constant, & unum subter aliud in imis terræ visceribus altius defossum atque depressum reperitur, ita ut vastorum instar ædificiorum distega aut tristega apte ad habitandum disposita queant merito computari.

10 Hanc plane Cœmeteriorum formam diligentissimus explorator, atque oculatus rerum testis Hieronymus accurate hisce verbis descripsit: *Dum essem*, inquit, *Romæ puer*, *& liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis & propositi diebus dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi; quæ in terrarum profundo defossæ, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum: & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud Propheticum compleatur: Descendant in infernum viventes, & raro desuper lumen admissum, horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes: rursumque pedetentim acceditur, & cava noctis circumdatis illud Virgilianum proponitur:*

S. Hieròny. in Ezech. c. 40. Hieronymus urbis Cœmeteria perlustrat.

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Cœmeterium S. Hippolyti Mart.

Prudentius quoque de antiquo recolendi Martyris Hippolyti Cœmeterio loquens, quod ipse pariter iterum, atque iterum perlustraverat, eandem Cæmeteriorum formam graphice carminibus hisce repræsentat:

Prud. Perist. hymn. 11.

Haud procul extremis culta ad pomeria vallo
Mersa latebrosis crypta patet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primus namque fores summo tenus intrat hiatu,
Illustratque dies limina vestibuli.
Inde ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura loci, per specus ambiguum.
Occurrunt cæsis immissa foramina tectis,
Quæ jaciunt claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus,
Arcta sub umbrosis atria porticibus.
Attamen excisi subter cava viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
Cernere fulgorem, luminibusque frui.

11 In hanc igitur formam sacra, omnique veneratione digna veteres illi, ac pii Christianæ fidei cultores Cœmeteria circa Urbis ambitum, ingenti studio ac labore construxere; in arenariis videlicet cryptis, arenarumque fodinis, quæ ipsismet gentilibus, ut testatur Cicero, usui olim fuerunt ad immanes illas ædificiorum moles exædificandas, quarum vestigia inter ipsas projectæ antiquitatis ruinas ad nostra hæc usque tempora non sine admiratione suspicimus. Inibi enim religionis causa Christiani postmodum miserandæ servitutis notam subire coacti, in arenam damnati (quorum infinitus prope numerus extitit, ut ex Martyrum Actis frequenter colligitur) loca sibi, effossa altius humo, aptarunt, quæ inter vivos adhuc degentibus mansiones ac domicilia, cum autem è vivis abscedere contigisset, cadaveribus inferendis deposita, ac sepulchra forent. At vero non imus inficias ejuscemodi loca in agris quoque piorum hominum, in quibus fodinæ existerent, eorumdem impensis elaborata interdum fuisse, atque in usum, quem jam enarravimus, destinata, ut satis quidem per se notum est ex his, quæ de Verano præsertim Cyriacæ pari pietate ac nobilitate inter Romanas conspicuæ matronæ agro, & de aliis infra suo loco dicemus. Illud postremo loco addimus, Christianos, qui Cœmeteriis extruendis operam dabant, haud fortuito quascumque arenarias ad id munus occupasse, nam effodiendis subterraneis hisce Cœmeteriorum cavernis humum paulo solidiorem inquisiere, ut facile ex ipsomet aspectu, Cœmeteria perlustrando dignoscitur, quæ ferme loca in tophum molliorem depressa videmus, cum arenariæ, quæ solo constant solutiori, facili negotio callabantur: quapropter ubi terra mollior, ac solutior quæ cavernis ejuscemodi subjacet, ne ruinam traheret, substructionibus quoque Christianos nonnunquam usos fuisse apparet. Sed jam ad altiora Sacrorum Cœmeteriorum indaganda principia progrediamur.

Cicero orat. pro Cluentio.

Cœmeteria effossa Christianis in arenam damnatis.

Baron. in not. ad mart. 16. Feb.

Ubi sua effoderint Christiani Cœmeteria.

CAP. II.

Cœmeteriorum origo & usus apud Antiquos.

1 Antequam de Cœmeteriorum usu sermonem instituamus, nonnulla hic à nobis, ut

Antiquus sepeliendi ritus.

ut rem ad sua principia reducamus, de antiquo defunctorum corpora humandi ritu præmittenda sunt: & quidem hujuscemodi usum apud mortales sub ipsamet orbis initia ortum habuisse satis exploratum est. In ipso enim susceptæ enarrationis limine, piam hanc religiosamque curam impense cadaveribus exhibitam fuisse, antiquissima legis naturæ tempora contestantur. Exinde enim æmulandum ad posteros exemplum dimanavit, quo videlicet studio, qua solicitudine, qua demum pietate defunctorum funera instruenda, ac justa iisdem persolvenda sint. Ut autem enarrationem quandam nostris hisce paginis ex antiquitate petitam inferamus, quæ an historia, an fabula sit, prudentis judicio lectoris discutienda remittitur; quidquid tamen sit, certe piis curiosisque non indignum auribus visum est, utpote quod mortalium animis insitam erga defunctos pietatem exacte adumbret. Noëmus ille toti terrarum orbi notissimus, qui ab universali interitu & eluvione fluctuantem inter diluvii undas orbem servavit, primus Cœmeteriorum figuram expressit, eorumdemque formam, usum, ac ministerium mortalibus salubri consilio propinavit, dum arcam ipsam, quæ futuræ typum Ecclesiæ gerebat, & in quam divino se imperio receperat, Cœmeterialem in usum defunctorumque obsequium dedicavit. Ut enim auctor gravissimus, & Syros inter scriptores apprime nobilis, Jacobus videlicet Orrhoaita, sive Edessenus, magni Ephrem viri laudatissimi præceptor, refert; Noëmus, inquam, vir piissimus pari cum vivos, tum mortuos pietate complexus, omnium Protoplasti ossa, magna secum religione in arcam devexit; & postquam terrarum orbis diluvii aquis redivivus emersit, ossa quoque illa, quæ apud se deposita fuerant, ex arca, tanquam ex illustri quodam sarcophago educens, cum ipso pariter terrarum orbe suos inter filios partitus est, & quidem Semo, qui primus inter filios genitus fuerat, cæterisque naturæ ordine præferendus, calvariam donavit, regionemque illam ei in habitationem attribuit, quæ postea Judæa appellata est. Ne quis verò miretur, si in Moysis hæc libris silentio obvolvantur, cum præter orbis totius creationem, hominis lapsum, ac propagatum generis humani semen, quantum ad Christi genealogiam quoquo modo insinuandam sufficit, nil plane de primæva mundi ætate à divino scriptore paginis consignatum sit. Sed assertæ nuper sententiæ auctor quæ dicta sunt, ab antiquioribus Syris quasi per manus accepit: nec quid omnino fabulosum in his portenditur, quod aliquam lectoris fidem non mereatur, nisi temere hæc quis, ideo fabulosa, quia nova, ideo incredibilia, quia ignota, pronuntiet. Hæc autem de totius orbis inter Noëmi filios divisione opinio præcipue adstipulatorem Epiphanium habet: is enim Palæstinam in Semi sortem obtigisse affirmat: etsi à Chami deinde posteris eamdem vi occupari contigit. Verum quod ad hanc orbis terrarum divisionem spectat, quamvis non omnium sit una eademque sententia, Adami tamen primi humanæ totius prosapiæ parentis ossa in Palæstinorum regione sepulturæ locum sortita fuisse, constans Patrum omnium, qui de ejusdem sepulchro egerunt, opinio est, quorum ingens est numerus; licet de peculiari sepulchri loco aliqua interim dissensio oriatur. Id vero post universale diluvium, non autem secus accidisse, ea certe ratio suadere videtur, quod ob immensam aquarum vim, quibus altissima quæque montium cacumina cooperta fuêre, non omnia dumtaxat cadaverum ossa huc atque illuc communi naufragio dispersa, sed ipsa quoque nobiliora sepulchra, cum cæteris, quæ ubique locorum suspiciebantur, ædificiorum molibus eum in modum destructa, ac vastata sint, ut nullum prorsus vestigium inter ipsas fluctuantis orbis ruinas extaret.

Arca Noemi in Cœmeterialem usum dedicata.

Apud nos Bariceph. lib. de paradiso par 1. c. 14. qui extat 1. Bibl. Patr.

Noemus ossa Adami in Arcam contulisse fertur.

Ea inter filios partitur.

Semo Calvaria donata.

Epiphanius in Anton. ad fin.

Adami ossa in Palæstinam delata.

Torniell. Annal. sac. n. 930. Salian. eod. an.

Universale diluvium orbem devastat.

2 Pie igitur ac sapienter Noemus in Protoplasti obsequium, solicitam exhibendæ sepulturæ curam egisse dicitur, ne ejus videlicet ossa, uti aliorum, certo ac communi naufragio exposita, oblivionis injuriam subirent, & condigni dispendium obsequii paterentur. Nec vero ab re interim pronuntiandum videtur, si quis Adamum futuram hanc cladem longe ante prophetico spiritu præsagientem, de suis præservandis, honestoque loco reponendis ossibus caute posteris testamento indixisse pronunciaverit: ut tantus videlicet homo, qui pie, constanterque de corporum resurrectione cogitabat, ejusdem resurrectionis fidem, dum suo religiose funeri longe ante prospicit, posterorum quoque animis ingereret, commendaretque silentio. Porrò sepulturæ famam primævi omnium parentis, Noëmi studio percrebuisse Basilius diserte asserit; cui Theophylactus consonat. Et quidem concors gentium omnium, loco quantumvis, & moribus dissitarum, ut infra dicemus, in sepulturæ cultu, quæ cunctorum animis inest, cura & solicitudo, id potissimum ab uno eodemque omnium hominum capite, ab Adamo videlicet primum, & à Noëmo deinde, ejusque posteris originem traxisse, & apud singulos illibatæ postmodum vim legis obtinuisse demonstrat. Neque vero assertio, quam de patriarcharum ossibus lectori nuper præmisimus, utcumque speciosum habeat auctorem, præponenda est constanti antiquorum Judæorum traditioni, de Adami videlicet ossibus in Hebron sepultis, quam Hieronymus haud semel inculcat, atque amplectitur, vel de Calvariæ loco, ut plurimi, & probatissimi quidem Sanctorum Patrum sentiunt, quos affert Malveda de Paradiso cap. 54. & 55.

Ossa Adami ne diluvio pereant, Noëmus in arcam infert.

Basil. in Isai. cap. 5. Theophyl. in Io. c. 19.

Cura & cultus funerum in omnes gentes ab Adamo, & Noëmo profectus.

3 Certe in perantiquis Sacrarum Paginarum monimentis, frequens admodum ac repetita mortis & sepulturæ mentio incurrit, cujus prima vocis nuncupatio atque origo ab ipso Dei oraculo ad homines derivasse videtur, cum post admissum culpæ piaculum, mortis sententiæ Deus Adamum addicens: *In sudore*, inquit, *vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es & in pulverem reverteris.* Et inter præclara magni Abrahæ gesta sepulturæ potissimum mentio Deo ipso revelante recolitur; adde quod Patriarcha, utpote omnium nobilissimus, qui primus fidei assertor extitit, Cœmeteriorum quoque præcipuus merito cultor extitisse celebratur. Ubi enim amantissima conjuge Sara orbatus est, vir alioqui præ cæteris dives, quadringentis argenti siclis agrum Ephron ad inferendum amissæ conjugis cadaver emit: & tunc primum profanam rem pio ac sacro Cœmeteriorum usui dedicavit; nec quidquam antea possedisse legitur, quam hoc sibi pretio sepulchrum acquisivisset, ut Chrysostomus ait his plane verbis: *Hoc primum principium possessionis fecit Patriarcha post Saræ mortem. Vides igitur Abrahamum incepisse à fine, & primam possessionem in ultima habuisse, sepulturam scilicet, ut cætera quæ deinceps haberet, hoc condimento sciret possidenda, & nullatenus illi obessent acquisita, eaque mente, & nihil certius haberet,*

Nomen mortis à Deo primum in orbe pronunciatum.

Gen. cap. 3.

Abrahamus Cœmeteriorum eximius cultor.

Gen. c. 23.

Idem agrum emit pro inferendo Saræ cadavere.

Chrys. hom. 23.

Sepulchrum mortis memoriam eidem inculcat.

beret, nihil primum, nihil magis præ oculis quam sepulchrum. Hactenus ad rei propositum Chrysostomus pro sepulchro sibi ac suis comparando, Abrahami studium dignis laudibus commendasse visus est.

Ejusdem planctus & pietas in curando funere Saræ.

4 Idem verò insignis pietate vir Saræ, quam unice diligebat, funus adeo impense curasse legitur, ut demortuam planxerit, ejusdemque jacturam uberrime lamentatus sit, quod Moyses expressis asserit verbis, & cum ab officio funeris surrexisset, enixe *Gen. c. 23.* Hethæos, ut sepulchri sibi jus dârent, exoraverit; nam luctus & planctus haud solas designat lacrymas, quas intimus animi dolor in amoris ac benevolentiæ signum ab oculis elicit, sed cuncta quæ funebrem ad cultum, & ad ipsam funeris pompam pertinent, ut idem aperte Moyses insinuare videtur, dum de Jacobo quoque Abrahami nepote, ac ejus funere meminit; tam enim Joseph, quam totam simul Ægyptum eundem Jacobus exstinctum deflevisse describit. *hæres. c. 10.* Quorsum vero productæ tot dierum numero lacrymæ? quæ ipsi quoque lacrymabundo jugiter Heraclito defuissent? Porro uberrimus iste planctus funeris, ac funeralium pompam atque apparatum exprimit: ut liquido Apostolorum Acta de Protomartyre Stephano testantur, ubi dicitur: *Et fecerunt planctum magnum super eum.* Magni quippe semper fecerat sepulturam recolendus hic Patriarcha; qui cum sibi subdole à filiis Josephi, quem diligebat, mors renuntiata fuisset, magis sepulturæ jacturam, utpote quem devoratum à belluis jactabant, quam acerbam, miserandamque nati mortem deflevit. Sed Philonem ipsum, si libet, antiquitate pariter ac eruditione Judæos inter scriptores præstantem, & isthæc fusius enarrantem audiamus: *Ubi perlatum est*, inquit, *ad Iacob commentum illud de absumpto à bestiis filio, dolore turbatus obmutuit per longum tempus, tandem repente effusus in lacrymas, velut è fonte uberrimo prorumpentes, plangebat, pectus & faciem percutiens, & scissis vestibus lamentabundus talia loquebatur: Non tam mortem tuam, fili mi, doleo, quam sepulchri jacturam. Nam si tibi sepulchrum contigisset in terra propria, nec mihi defuisset solatium. Assedissem officiose ægrotanti ante mortem, impendissem morienti extrema oscula, clausissem oculos, mortuum lavissem lacrymis, extulissem magnifice, nihilque de justis funebribus omisissem. Atque etiam si peregere defunctus esses, dixissem ipsemet mihi: Persolutum est naturæ debitum; noli tristari: vivi habent suas patrias: mortuorum omnis terra sepulchrum est; brevis ævi sunt omnes homines. Nam qui maxime longævus fuit, quantillum temporis vixit, si ad æternitatem conferas? Vel si omnino moriturus eras per viam & insidias, levius fuisset exstingui manibus hominum, qui mortuum saltem miserati obruissent terra, & cadaver tumulassent: aut ut essent crudelissimi, quid amplius potuissent, quam insepultum projicere? quem tamen mox viator aliquis præteriens memor naturæ communis miseratione tactus humasset.* Et infra ad sepulturæ beneficium mortalibus magis exaggerandum, nec non mortis & subtracti filio sepulchri memoriam acrius sibi exacerbandam hæc subdit: *Quis luctus potest esse major aut miserabilior? vestis pueri ad patrem perlata est: ex ipso non membrum, non frustum, non vel minimæ reliquiæ, totum devorarunt bestiæ; nihil superest, quod sepulchro inferatur. Sic ille sortem suam ac nati miserandam deplorabat.* Hæc Philo; ex quibus sane, quanti optatum, exhibendumque sibi sepulturæ obsequium antiqui patres æstimarent, & quam molefte ejus jacturam ferrent, satis manifeste apparet.

Solemnis pompa in Jacobi Patriarchæ funere & luctus.

Act. Apost. cap.

Jacob non tam mortem filii, quam jacturam sepulchri deflet.

Philo de Ioseph.

Pietatis officia morientibus exhiberi consueta.

Opportuna consideratio ad lamandum dolorem in suorum funere.

Idem loc. sup. citato.

5 Quis verò nesciat conspicuum hunc sanctitate *Gen. c. 35.* virum Rachele conjuge, ipsius Josephi matre è vivis sublata, ut divina scriptura edocet, titulum super ejusdem sepulchrum erexisse; nempe, ut Brochardus tradit in descriptione Terræ sanctæ, pyramidem elegantissimi operis, in cujus basi duodecim prægrandes lapides, juxta numerum filiorum Jacobi dispositi essent; tum ut præclaram ejusdem memoriam hoc monimento posteris commendaret, tum etiam ut, quod Lyranus asserit, omnibus palam *resurrectionis fidem protestaretur.*

Brocardus in descript. Terræ sanct.

Sepulchrum Rachelis.

Lyranus de Iacob

6 Quis insuper non probe meminerit Jacobi *Gen. c. 50.* ejusdem, qui in Ægypto defunctus est, cadaver regio plane cultu, ac funebri pompa exceptum fuisse, ac sepulchro subinde illatum: quo item honore ipse Joseph, ut par erat, postmodum elatus describitur. Et quidem ex intenso ac solicito parandi sepulchri studio, quod unicuique mortalium naturæ ipsius impulsu inest, animarum utique immortalitatem jure merito argui Cicero affirmavit: *Itaque,* inquit, *unum illud erat insitum priscis illis, quos Cos. os appellat Ennius, non sic excessu è vita deleri hominem, ut funditus interiret: idque cum è multis aliis rebus, tum è Pontificio jure, & cæremoniis sepulchrorum intelligi licet, quas maximis ingeniis præditi nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem, commutationemque vitæ, &c.* Hæc verba Christiano philosopho plane digna, Philosophus gentilis pro animæ immortalitate contra Atheos, ne dicam adversus Epicuri sectatores expressit, qui paulo post hæc subjicit: *Maximum vero argumentum est naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam indicare, quod omnibus curæ sunt, & maxime quidem quæ post mortem futura sunt.* Quibus demum isthæc addens, assertam de animarum immortalitate sententiam egregie ad rem nostram confirmat: & animales prorsus homines, qui aliter sentiunt, suggillat: *Quid sepulchrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare?* Hæc Cicero.

Jacobi patriarchæ cadaver regio cultu effertur.

Cicero Tusc. 1.

Ex sepulchris immortalitas animæ innotescit.

Idem Cicero loc. cit.

7 Et certe ut propositæ seriem enarrationis prosequamur, cultum singularem cadaveribus, tanquam animarum domiciliis Ægyptii deferebant, *quas nimirum*, ut Herodotus ait, *esse immortales credebant*: quamobrem hæc maxima solicitudine saliebant, variisque aromatum ac unguentorum generibus imbuta condiebant, ut à putredine reservarentur, gratumque iisdem odorem conciliarent, quadraginta diebus ejusmodi officio, vel septuaginta, ubi opus erat, impensis, ut ex scriptura constat; & Diodorus Siculus adstipulatur. Cur *Genesis.* autem tam profuse exanimatorum hominum cadavera ab Ægyptiis condirentur (ut quod veritati consonat, fateamur) regionis ipsius conditio id præstandum, Cassiono teste, indixit. Cum enim *Cass. coll. cap. 3.* universa terræ ejusdem facies haud exiguo anni tempore emergentibus Nili aquis obruatur, mortuorum corpora redolentibus condita pigmentis, in editioribus cellulis recondebantur; ab inundantium quippe aquarum copia humandi officium interdicebatur, nec terræ viscera ad infodienda cadavera perscrutandi facultas suppetebat. Exiccabant itidem Ægyptii defunctorum corpora, ut hac arte ænea quodammodo redderentur, ipso

Cadavera ab antiquis cur adeo colerentur.

Herod. l. 2

Diod. l. 1 c. 2.

Cura cadaveribus exhibita.

Aug. ser. 120. de div. c. 12.

ipso Augustino teste, eaque patria lingua *Gabbaras* appellabant, unde & Glossæ Isidori, *Gabbares*, mortuorum condita corpora. Sed quæso lector, his

Ægyptii magnificentia sepulchrorum cæteras nationes superarunt.

hucusque ad plenam rerum Cœmeterialium notitiam enarratis, ab ipsorum cadaverum cultura, quam inspeximus, ad contemplandam sepulchrorum magnificentiam transeamus; qua cæteris quidem omnibus Ægyptii nationibus excelluere. Hi namque cum in privatis ædificiorum constructionibus parcissimi essent, ambitiosissimi in erigendis

Herod. lib. 3. Diod. lib. 1. Strab. lib. 17. Plin. lib. 16. c. 12. & alii.

sepulchrorum molibus, quibus (si fides scriptoribus adhibenda est) palmam sibi in toto orbe terrarum jure merito vindicarunt. Immanissimæ enim hæ substructionum moles potius quam sepulchra, tantæ olim magnitudinis extitere, ut quæ constructæ à Regibus sunt, inter orbis miracula adscriberentur, jugiterque suspicerentur; præter pyramides enim vastis item Colossis, Sphingibus, obeliscis, labyrinthis, palatiis, ac cæteris ejusmodi superbissimis ædificiis decorabantur, quorum descriptio ab historicis posteritati consignata, vix digna creditu, ac fabulosa prorsus videretur, nisi quæ adhuc extant patentque oculis, ruinarum vestigia haud du-

Bellon. sing. obser. l. 2. & de admiran oper. antiq. præstan. Plin. lib. 36. c. 12. Pier Hierogl. lib. 60.

biam rei fidem conciliarent. Quas quidem præ nimio magnificentiæ luxu suspiciendas omnium plausu sepulchrales moles multis ex causis Ægyptiorum Reges excitarunt; quas nosse qui cupit, Plinium & Pierium consulat, ad quos curiosum ultrò lectorem remittimus. Cum enim ingenia illa omni disciplinarum genere apprime exculta, nil sine mysterio agere consuevissent, ad animarum potissimum immortalitatem, corporumque resurrectionem mortalium mentibus ingerendam, incul-

Plato in Phadone.

Ex incorruptis cadaveribus à Platone immortalitas animæ infertur.

candamque id præstitere. Nam ipse divinus Plato ex Ægyptiorum cadaveribus, quæ longa post secula solida atque incorrupta perstant, validissimum utique argumentum ad comprobandam hominis immortalitatem deduxit. Hic quoque (ut brevitati consulam) prætereo splendidiores illas, tam artis, quam operis elegantia spectabiles excitatas à

Splendida sepulchra Regum Juda.

Regibus Juda sepulchrorum constructiones. Nonne celebris sacris in Paginis recurrit memoria sepulchri quondam David Regi à Salomone filio sumptuosissime erecti: quod in summa à Judæis jugi-

Dio. lib. 6. 69. in Adriano. Hieron. ep. 87.

ter religione habitum, demum sub Hadriano Imperatore sponte, ut Dio refert; in futuræ cladis prodigium corruisse dicitur; ad quod item, ut Hieronymus asserit, suo adhuc tempore Christiani miro pietatis ardore succensi orare consueverant. Non-

Epiphan. in Isaiam ac vit. omnium prophetarum.

Salomon sepulchra regum extruit.

ne aliorum quoque Regum condignis passim præconiis monimenta celebrantur; quæ quandoque etiam ad exprimendum excellentissimi operis splendorem Mausolea, extranei derivatione vocabuli nuncupantur? Ut enim Epiphanius adnotavit, Salomon Hierosolymis splendida Regum Mausolea excitavit, prout David erigenda, construendaque descripserat, ibidemque ipsamet sacerdotum, juxta Principum sepulchra, sita olim fuisse affirmat.

Polyandria peregrinorum apud Hebræos sepulchra. *Ierem. c. 2. 19. Catullus.*

8 Fuere autem apud Hebræos peregrinis, quorum ingens erat numerus, erecta publice sepulchra, vel ut septuaginta appellant *Polyandria*; quo item nomine à gentilibus, & Christianis scriptoribus passim nuncupantur, quæ Catullus sepulchreta vocat, hoc est, ubi multitudo hominum plerumque peregrinorum tumulatur: hæc verò à nobis apto

Sepulchra vulgi & peregrinorum quæ essent.

magis ac significanti vocabulo Cœmeteria dicuntur, ubi permixtim omnes nulla discreti ratione conderentur. Siquidem sepulchrorum vulgi ignobilis diserta occurrit mentio in lib. Reg. & ipsius Jeremiæ Prophetæ: in Euangelica vero historia celebris sepulturæ peregrinorum memoria est, in cujus obsequium Ager figuli ex eodem pretio, quo Redemptorem triginta argenteis impius ille proditor Judas vendiderat, emptus est.

4 Reg. c. 23. Ier. c. 26.

9 Cæterum cum olim antiquos apud Romanos lege XII. Tabularum cautum esset, ne quis intra Urbem sepulchro inferretur, multiplici item, ut ex scriptoribus videre est, sepulchra circa Urbem continebantur; cujusmodi fuere ad Portam Capenam Via Appia, & juxta Nomentanam viam. At in Campo Martio, qui extra Urbis ambitum situs erat, nobilissima antiquis temporibus sepulchra extitere, ut Appianus affirmat, dum de Syllæ corpore ibidem sepulto sermonem habens, ut ejusdem augeat gloriam, *solos ibi Reges, & Imperatores humari consuevisse* scribit. Quem locum Romani (ut testatur Strabo) maxime sacrum, ac venerabilem rati, illustrium virorum, ac fœminarum monumentis conspicuum reddidere. Inter quæ omnium plane augustissimum quondam fuit Mausoleum illud, quod sibi suisque Augustus & se plane dignum extruxerat, cujus ingentes adhuc reliquiæ conspiciendæ supersunt.

Intra Urbem sepeliri quemquam Romæ olim vetitum.

App. de Bell. Civ. lib. 1.

Campus Martius sepulchris olim præcipuè destinatus.

10 Porro Mausolea quæ à Græcis Romani accepisse videntur, ut Pausanias ait, splendidiora quæque sepulchra appellata sunt, nominis nimirum derivatione à celeberrimo illo sepulchro desumpta, quod inter septem orbis miracula merito adscriptum Mausolo Regi Cariæ defuncto Artemisia conjux ad perennem viri memoriam, præcipuorum manu artificum immani plane sumptu extruendum curavit. Verum cum deinde Augusti Cæsaris Mausoleum satis superque cadaveribus, monumentisque redundaret, ac præterea singuli familiæ suæ peculiaria haberent sepulchra, eidem plane usui ab Ælio Antonino Pio destinata est, ut quidam asserunt, superba illa Hadriani Moles, quæ vulgo nunc Castrum Sancti Angeli dicitur, & ad pontem Ælium conspicitur. Præcipuas hic urbes sileo, quæ sepulchralem in usum conditæ atque extructæ fuerunt, Antinoen videlicet ab Hadriano, Bucephaliam ab Alexandro, Taphosyrim ab Ægyptiis, & alias complures variis orbis terrarum locis in amplissimam formam, ac magnis impendiis exædificatas.

Pausanias in Arcad.

Mausoleum quid sit.

Plin. l. 36. c. 5. Agell. lib. 12. c. 18.

Civitates in sepulchra mortuorum dedicatæ sunt.

11 His igitur nunc præmissis, ut de ipso Cœmeteriorum usu, quod sub hujus enarrationis exordium titulus præ se ferebat, agere incipiamus. Cœmeteriorum loca ad fidelium præcipue humanda, diligenterque condenda defunctorum corpora Christianis quondam usui fuere: hæc quippe sepulturæ potissimum, ac quieti eorum, qui in somno pacis obdormierunt, ex primæva sui institutione, ut diximus, destinata sunt. Et quidem, ut singulis hæc nostra perlecturis evidenter pateant, quæ de Cœmeteriorum usu apud Christianos, ac de eorumdem origine exponenda à nobis erunt, rem altius, ut ita dixerim, & ab ipsomet institutionis initio repetere opus est. Cum enim singulis fere hominibus, cujusvis generis ac nationis, barbaris quantumvis atque inhumanis imbutæ moribus, id humanitatis à natura insitum sit, ut parentes, amicos domesticos, familiares, ac cæteros, quos unusquisque vivos dilexit, mortuos quoque peculiari amoris, & benevolentiæ, nedum humanitatis affectu prosequatur; hinc

Cœmeteriorum usus.

Erga mortuos naturæ ductu quivis unus afficitur.

hinc pariter naturæ ipſius magiſterio cujuſvis menti ineſſe vel ipſo experimento comprobatur, ut honorem atque obſequium mortuis deferant, eorundem funera ſolicite curent, ſtudioſamque erga defunctorum corpora operam exhibeant, tum ut debito pietatis munere, natura præmonente, fungantur, tum ne hominum more pecudum inhumata cadavera triſte atque horrendum oculis ſpectaculum exhibere contingeret.

Duplex curandorum cadaverum olim modus.

12 Duplex vero in curandis defunctorum corporibus modus ſub ipſamet orbis initia apud homines invaluiſſe legitur, Comburendi ſcilicet, vel Sepeliendi, illo Brachmanes, cæterique Indiarum incolæ, Thraſes atque Æthiopes: hoc Chaldæi, Ægyptii, Hebræi, & Chriſtiani quoque Hebræos in hoc potiſſimum imitati utebantur. Certe apud Græcos, itemque Romanos utraque interdum funeris forma ac funeralium ratio ad libitum uſurpata fuit, quod vel ſolæ, ſi cætera nobis ad id probandum argumenta deeſſent, antiquiſſimæ XII. Tabularum leges à Græcis petitæ ſatis apertè teſtantur, hiſce verbis: *In Urbe ne ſepelito, neve urito.* Verum jam fere apud omnes antiquum ſepeliendi ritum, uſuque receptam humandi conſuetudinem, humanitatis ac benevolentiæ, ne dicam pietatis majorem præ ſe ferre ſignificationem ipſemet quodammodo humanitatis ſenſus, quamvis naturæ jura ſileant, dictare videtur. Quid enim dignius, quid aptius præſtari poteſt, quam ut homo qui primum è terræ ſinu, divino opificio formatus eſt, qui terreno pabulo victitat, qui terram calcat, atque inhabitat, ubi demum mori contingit, ipſius terræ viſceribus, nativi cujuſdam ac pretioſi inſtar depoſiti commendetur? Quapropter Deus ſub ipſa mundi naſcentis initia, homini jam propter vetitæ arboris fructum, quem temere decerpſerat, obteſtatæ edicto mortis obnoxio, hanc utique illi ſepeliendi formam, ac legem præſcripſit: *In ſudore*, inquit, *vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* En tibi pœnalis, atque amaritudinibus plena humanæ vitæ conditio, en cunctorum viventium ſors jugiter deploranda, quæ laboribus ac doloribus innumeris ſubjacet: en indicta mortis ſententia, quam ſubterfugere mortalium nemo poteſt: en demum inferendorum terræ cadaverum ſingulis hominibus forma ipſius ore Dei præſcripta, & nullo unquam tempore abolenda; paucis verbis grande negotium peractum eſt.

Quid de mortuis Romanorum leges ſtatuerent.

Mortui terræ, unde ſumpti, ſunt mandantur.

Gen. c. 3.

Deus homini terræ ſepulturam præſcribit.

13 Quapropter ſapientiſſimis quidem verbis divinum illud patientiæ exemplar Job enuntiavit: *Nudus*, inquit, *egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Quibus item reſpondent illa Eccleſiaſtici verba: *Iugum grave ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Ut enim alio loco Eccleſiaſtes dixit: *De terra omnia facta ſunt, & in terram pariter revertuntur:* omnia quippe naturali quodam ordine ad ſuum redire principium neceſſe eſt. Et inde mos olim ille apud Romanos fortaſſe inoleverat, ut infantes, qui recens nati fuiſſent, humi primum ipſa obſtetricum manu deponerentur, à qua ſubinde à patre levabantur, atque inde apud gentiles Levana Dea dicta eſt. Inde quoque Ariſtoteles merito inter elementa rerum naturalium terram adnumerat. Inde etiam ex gentilibus nonnulli Terram rerum principium dixere. Quibus egregie conſonat Plinius de ſepulchro, quod terra nobis exhibet, elocutus: *Et uni*, inquit, *rerum naturæ partium eximia propter merita cognomen indidimus maximæ venerationis. Nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſemper ſuſtinet, noviſſime complexa gremio, jam ab reliqua natura abdicatos, tum maxime, ut mater operiens, nullo magis ſacramento, quam quo nos ſacros facit.* Ad hoc ſepulturæ genus quod homini deſtinatum eſt, Philo alluſiſſe videtur, dum ait: *Hominibus, & omnibus terreſtribus animalibus natura magis propriam regionem tribuit, non ſolum viventibus, verum etiam morientibus, ut ipſa & primum ſuſciperet, & à vita ultimam reſolutionem.* His inſuper rationibus potiſſima accedit, certa nimirum reſurrectionis ſpes, qua corpus in pulverem jam reſolutum, altiora præferendo myſteria ipſo è limo in melioris vitæ ſortem reſtaurandum omnes jugiter conſtanterque fideles crediderе. Chriſtiani autem inter omnes præcipui à comburendis mortuorum cadaveribus, quod rem ejuſcemodi abhorrebant, perpetuo manum abſtinuere, tum quia funebris iſte ritus abolitionem quandam prætenderet, tum etiam quia acerbiſſimi inter homines ſupplicii ſpeciem id contemplantibus præ ſe ferret. Quamobrem hoc ipſum inter alia ridere, ac noſtris frequenter objicere cæca & ſuperſtitioſa olim gentilitas conſuevit, ut Minutius Felix his verbis teſtatur: *Inde videlicet & execrantur rogos, & damnant ignium ſepulturas, quaſi non omne corpus, etſi flammis ſubtrahatur, annis tamen & ætatibus in terram reſolvatur, &c.* Siquidem contra veterem & meliorem, ut mox idem Minutius reſpondet, humandi conſuetudinem amplexi, Chriſtiani ſcilicet, mortuorum cadavera non profano gentilium more comburebant, cineresque intra urnas reponebant, ſed integra illa unguentis delibuta & pollincta, ut infra dicemus, in ſpeluncis & cryptis reſervanda condebant, veteres imitati Patriarchas, Abraham, Iſaac, Jacob, & reliquos gentis ejuſdem primates ac principes viros, qui intra ſpeluncas, & in ipſiſmet ſubterraneis locis ſibi, ſuiſque ſepulturam elegerunt, immo & ipſius Chriſti Domini funus in Euangelio deſcriptum quoquo modo ſectari cupientes, quem in eadem ſpelunca, in qua monumentum in petra exciſum fuerat, Sacrarum oraculo Paginarum conditum fuiſſe novimus. At de antiquis Judæorum monumentis, & de ſubterraneis præſertim Regum Judæ ſepulchris infra nobis agendum erit: ubi prolixius de Judæorum Cœmeterio, quod Portuenſi Via ſitum eſt, differemus. Verum quod ad rem præſentem attinet, ſepulchra olim extra Urbem, vel certe in agro, vel in hortis veteres apud Hebræos extitiſſe, compluribus ſacrarum ſcripturarum teſtimoniis confirmari poteſt, eundemque plane morem apud cæteras quoque orbis terrarum nationes uſu receptum fuiſſe, celeberrimæ illæ quondam Ægyptiorum pyramides, ac nobiliſſima id genus alia à ſcriptoribus paſſim recenſita monumenta teſtantur. Illud ſane apud rerum hiſtoricarum peritos exploratum eſt, Athenis ſacram extra portam defunctos efferri conſueviſſe: apud Sicyonios vero hæc eadem lex vim ſuam apprime obtinuit, ipſo Plutarcho teſte in Arato. Porro apud Delios non modo extra oppidi ambitum, ſed ipſamet extra inſulam mortui deferebantur. Quod item olim apud Romanos XII. Tabularum legibus ſancitum fuiſſe didicimus. Hoc utique tam crebræ monumentorum, ſepulchrorumque ruinæ, quæ ſeſe intuentium oculis offerunt, & ipſamet demolitorum

Iob c. 1.

Eccl. c. 40. nu. 1.

Omnia de terra facta in terram redeunt.

Eccleſiaſtes 3.

Aug. lib. 4. de Civ. Dei 11.

Levana Dea apud Ethnicos quæ fuerit.

Ariſt. lib. 1. Metaph.

Plin. l. 2. c. 63.

Terra quot & quanta beneficia homini præſtet.

Philo.

Cur Chriſtiani à comburendis cadaveribus abſtinuerint.

Minutius Felix.

Patriarchæ veteres in ſpeluncis ſibi ſuiſque ſepulturam eligebant.

Hebræorum, & aliarum nationum ſepulchra in agris exiſtebant.

Antiquus mos extra urbem efferendi cadavera.

Plutarchus in Arato.

rum vestigia ædificiorum, quæ passim ad vias publicas, vel privatis quandoque in agris dispersa cernuntur, plenam contemplantibus fidem astruunt.

Cœmeteria non sepeliendis tantum mortuis, sed & sacris ritibus peragendis olim erant.

14 Verum enim vero apud antiquos Christianæ fidei cultores non cadaveribus dumtaxat fidelium inferendis recondendisque, sed aliis itidem sacris piisque ritibus de more, ut diximus, peragendis Cœmeteria destinata fuere. In his enim locis insontes Christiani diris gentilium persecutionibus exagitati, clam ad Synaxim frequenti cœtu convenire, vigilias peragere, inibi divini semen verbi aviditate maxima à Sacerdotibus excipere, precibus instare, sacro baptismate ablui, in his demum erectis coram populo aris presbyteri divina sacramenta conficere, eademque fidelibus impertiri consuevere. Quam laudatissimam Christianorum consuetudinem Clemens vetustissimus Pontifex in Apostolicis constitutionibus exacte expressit; de Cœmeteriis enim ibidem agens hæc recitat: *Convenite in Cœmeteriis ad legendum sacros libros, & psallendos hymnos pro Martyribus mortuis* (scilicet Deo gratias agendo pro impensa Martyribus gloria) *& sanctis omnibus, qui sunt à seculo defuncti, ac pro fratribus vestris, qui in Domino mortui sunt, & Eucharistiam Deo acceptam, antitypon, id est, Sacramentum regalis corporis vestri, offerte in Ecclesiis vestris, & in Cœmeteriis, atque etiam cum excedunt è vita, prosequimini cantu psalmorum, si fuerint fideles.* Hæc Clemens Romanus Pontifex sacros Romanorum Cœmeteriorum ritus describens. Athanasius quoque in Apologiis ad Constantium Imperatorem, Alexandriæ Catholicum populum expletis jam jejuniis hebdomada post sacram Pentecosten, ad evitandam pseudoepiscopi communionem, *ad orandum in Cœmeterium* abiisse tradit; quod quidem S. Petri Episcopi, & Martyris Cœmeterium fuisse ex ejusdem Athanasii gestis ostenditur. Constat insuper ex Divi Chrysostomi verbis Constantinopolitanæ olim Ecclesiæ morem fuisse, ut ipso sacrosancto Parasceves die in Cœmeterium extra Urbem in concionem devotissime convenirent.

Munia quæ à Christianis intra Cœmeteria obiri consueverunt.

Clem. lib. 7. C. ult. Ap. Const.

Athanas. in apolog. contra Imp. Constantium.

Cœmeterium S. Petri Episc. & Mart.

Chrysost. orat. 32. de Parasc. Cœmet. apol. & de cruce Domini.

Cœmeteria Christianorum olim habitatio.

15 Cœmeteria igitur sacris olim functionibus destinata erant, & convenientibus frequenter Christianis debitus ibidem Deo ac religioni cultus impendebatur; atque ut uno verbo omnia complectar, recensita Christianorum Cœmeteria, quorum mentio nunc agitur, latibula profecto erant, in quibus ab omni prorsus delicto immunes, apud barbaros tamen judices, tanquam patriæ religionis perduelles, infensique Deorum, Reipublicæ, Imperatorumque ipsorum hostes delati ad insectantium rabiem ac sævitiam ad tempus declinandam, sese occultabant: cum alii interim, qui Christi fidem nondum palam confessi erant, nec in medium pro religione dimicaturi prodierant, intra abditos terræ sinus ferarum more latitantibus solicite alimenta ministrarent.

Christianis Cœmeteria à gentilibus interdicta.

16 Hinc autem obtigit, ut cum Imperatores nonnulli de instauranda in Christianos acrius persecutione cogitarent, primum quidem eosdem sacris è Cœmeteriis, quò illi studiose conveniebant, arcendos omnimodo curarent, ne ulla videlicet, edictorum vi exagitatis in unum coeundi (quod illi summopere optabant) facultas suppeteret. Quam certe ob causam quoddam promulgatum fuisse legimus à Valeriano Imperatore edictum, quo Christiani gravissimis quidem pœnis addicti, propriam sectari ac colere religionem vetabantur, Cœmeteria adire, & sacros ibidem conventus peragere. Hæc autem omnia in Proconsularibus Actis, his quidem verbis enuntiantur: *Proconsul dixit: Iustum est, ut nulla conciliabula faciant, neque Cœmeteria ingrediantur, quod qui facere comprehensus fuerit, capite plectatur.* Porro hæc eadem Baronius recitat in Annal. ubi hæc addit: *Quod enim ex conventibus Christianorum, qui edebantur in Cœmeteriis, magna fieret ex gentilibus ad Christianam religionem accessio, quorum occasione Romæ persecutio cœpta est, permotus fuisse videtur Valerianus, ut primus omnium suo edicto conventus fieri, & Cœmeteria adire prohiberet.* Hæc Baronius.

Pont. Act. Proc.

Baron. to. 2. an. 260.

17 Hæc sacra igitur loca Christiani, adire legibus Imperatorum interdictum est. Inde enim apud Tertullianum illæ gentilium Africanorum acclamationes de sepulchralibus Christianorum Areis recensentur: *Areæ non sint*, hoc est, *Cœmeteria claudantur, destruantur.* Quod satis quidem comprobari videtur ex sepulchrali quodam titulo Alexandri Martyris, quod apud Callisti Cœmeterium repertum, ut lib. 3. enarrabimus, lugubrem illam, ac miserandam temporum faciem, duramque Christianorum conditionem haud obscuris notis exprimit, atque ipsos ob oculos ponit. hæc enim ibi leguntur:

Acclamationes gentilium de destruendis Cœmeteriis.

Tertull. ad Scap. c. 3.

O TEMPORA INFAUSTA,
Quibus inter sacra & vota,
Ne in cavernis quidem salvari possumus!
Quid miserius vita? sed quid miserius in morte,
Cum ab amicis & parentibus
Sepeliri nequeant?

Idem plane Cornelius Romanus Pontifex de Volusiani seu Valeriani persecutione ad Lupicinum Viennensem scribens testatur: *Publice neque in cryptis notioribus missas agere Christianis licuisse.* Et in recensitis beati Martyris Cypriani actis Pontius ejusdem diaconus edictum à Valeriano promulgatum fuisse refert, ut nulla Christiani conciliabula facerent, neque Cœmeteria ingrederentur, qui vero secus faceret, comprehensus, capite plecteretur. Quod quidem hanc ob causam Xysto Pontifici Romæ in eodem Cœmeterio contigisse constat, in quo contra Imperatoris edictum, à satellitibus fuerat interceptus, ut Cyprianus asserit: quod item Cypriano in Africa contigit, qui inde ad Proconsulem plectendus capite, & martyrio coronandus sistitur.

Corn. PP. ep. 82. ad Lupicin.

Acerba in Christianos persequuto.

Acta Cypriani Mart.

18 Porro de eodem Imperatoris edicto, quo Cœmeteria Christianis interdicebantur, apud Eusebium Dionysius Alexandrinus, qui ejusdem vi acriter exagitatus exulavit, hæc sibi ab Ægypti præfecto objecta fuisse scribit: *In hac civitate videlicet Alexandria, non liberum erit vobis versari, sed eritis in partes Libyæ relegati: neque usquam omnino vel vobis, vel aliis quibusque potestas erit, aut celebrandi conventus, aut in ea, quæ Cœmeteria appellantur, ingrediendi.* hæc in actis. At his vestigiis Maximinus quoque dum in oriente persecutionem instauraret, mordicus institit; in primis enim consuetos in Cœmeteriis conventus prohibuit. Gallienus vero cum pacem Ecclesiæ reddidisset, jussit, ut qui religiosa loca, quæ ad ipsos Christianos spectabant, possiderent, ab illis confestim recederent, *& ut Episcopi loca illa, quæ Cœmeteria nominabantur, integram adeundi occupandique haberent potestatem.* Hæc item à gentilibus per summam injuriam

Imperatorum edictis Cœmeteria adire interdicitur.

Eusеb. l. 7. c. 10.

Apud Eus. 9. Hist. c. 2.

Cœmeteria Christianis restituuntur.

Eusеb. l. 7. c. 12.

Constantini edictum. *Iacob l. 2. de c. 40.*

occupata magnus ille Imperator Constantinus Christianis restitui præcepit hoc promulgato edicto: *Loca illa*, inquit, *quæ Martyrum corporibus honorata sunt, & monumenta gloriosæ illorum è vita discessionis, quis dubitet, quin ad Ecclesias spectent?* Hæc ibi de sacris Christianorum Cœmeteriis Christianissimus princeps optime meritus sancivit, suamque eorumdem cultui operam inter ipsa susceptæ religionis primordia dedicavit, ut non tam urbem Romam à tyrannide, quam sacra Cœmeteriorum subterraneæ Romæ loca ab impietate, ab injuriis, à sacrilega impiorum hominum manu vindicasse videretur.

Gallienus Imp. Cœmeteria adeundi facultatem concedit.

19 Quamvis igitur Gallienus Valeriani filius miserrima patris clade perterritus, persecutionem adversus Dei Ecclesiam acrius debacchantem represserit, ac pro Christianis rescribens, eisdem Cœmeteria ultro adeundi facultatem concesserit: alii tamen deinde Imperatores impiis atque execrandis prædecessorum conatibus inhærentes, eadem Christianis rursus interdicere aggressi sunt.

Alii Impp. iterum interdicunt. *Acta SS. Chrysanthi & Dariæ Mart.*

Quapropter in beatorum Martyrum Chrysanthi & Dariæ actis legimus, Christianos, qui ad natalitium eorundem diem celebrandum in specu convenerant, obstructo à gentilibus aditu, ac monte, qui cryptæ imminebat, supra eosdem per vim dejecto, eodem plane loco nobilissimi martyrii palmam sub Numeriano Imperatore anno Christi 284. consecutos fuisse.

Variæ gentilium in Christianis detegendis technæ.

20 Dum igitur intestina Gentilium Imperatorum in Christianos rabies eum in modum desæviret, ut ad eosdem studiose perquirendos, insectandosque, ac penitus ex orbe delendos nullum lapidem non moverent, variisque hac de causa technis uterentur. Ad id, quod totis viribus contendebant, facile, & ex animi sententia præstandum, edicto protinus sanxere, ne ad victum necessaria cuiquam suppeditandi aut vendendi libera facultas daretur, nisi prius emptor idolo, quod in singulis plane officinis hujus rei gratia adservabatur, gentilium more thus obtulisset, quo execrando inauditæ crudelitatis, atque impietatis adinvento, è duobus unum Christiani eligere cogebantur, aut temporalem videlicet mortem atrocissimis tormentis subire, si veræ illibatæque religionis cultum profiteri vellent, aut certe æternam omni malorum genere refertam amplecti, si insectantium minis, ac tormentorum vi deterriti adversa pro Christo pati detrectarent, ac ejus abnegando fidem, sacrum religionis cultum idolis, ac dæmoni exhiberent.

Cur tempore persecutionum ad cœmeteria Christiani confugerent.

Has igitur inter angustias deprehensi constantissimi illi athletæ, cum utramque tam corporis quam animæ vitam sub uno eodemque temporis momento in aperto versari discrimine intelligerent, sibi caute, sapienterque prospicere cupientes, ad sacras quantocyus Cœmeteriorum latebras confugiebant, veteres potissimum in hoc Judæos imitati, qui, ut inquit Dio, *arma & cædes Hadriani Imperatoris metuentes, auxilia sumebant in cavernis subterraneis, specus fodientes, atque cuniculis omnia munientes, ut quoties violarentur, liberos haberent ad fugam exitus: invicem quoque subter terram clanculum commeare, specus & subterraneas vias superne quibusdam in locis hiantes, ad ventos & lucem excipiendam perforantes.* Hæc Dio in Hadriano

Dio in Hadr. Imp.

21 Porro in illis, tanquam tuto recepti loco una cum summis Pontificibus conventus, ut jam diximus, frequenter agebant. Plerosque enim ex his, dum acerba persecutionum vis recrudesceret, in abditis Cœmeteriorum finibus unà cum cæteris fidelibus latitasse sat nobis ex Martyrum actis exploratum est, & ut cæteros prætereamus, quis præstitisse hoc nesciat sanctissimos utique Pontifices, Callistum, Urbanum, Pontianum, Antherum, Fabianum, Cornelium, Stephanum, & Sixtum hujus nominis secundum, quorum ambo postremi nobilissimo illic martyrio coronati sunt. His jure merito adjiciendus est Cajus, qui sacrorum cultor ac inquilinus Cœmeteriorum octo annorum spatio ibidem delituisse legitur; & complures item alios adnumerare licet, ut expresse in libro de Romanis Pontificibus, & in eorundem actis enarratur: qui quidem in Cœmeteriis concilia cogere, baptizare, verbum Dei exponere, plebem instruere & confirmare, Episcopos designare, consuetisque Ecclesiæ ritibus instituere, & alia id genus munia pontificialia exercere consueverant.

Summi Pontifices in Cœmeteriis delitescunt. *Pontif. Acta SS. MM. Callisti, Vrbani, Pontiani, Antheri, Fabiani, Cornelii, Stephani, & Sixti II. Acta Caii Papæ. In lib. de Rom. Pontif.*

Et munia Pontificalia obeunt.

22 Verum cum ab hæreticis deinde Imperatoribus, aut factionis eorum ministris, Ecclesia iterum impeteretur, intra sacrum eorundem Cœmeteriorum ambitum summos sese recepisse Pontifices ex ipsismet scriptorum antiquorum monimentis aperte novimus. De Sanctissimo enim Pontifice Liberio hæc Bibliothecarius scribit: *Habitabat Liberius Papa ab Urbe Roma milliario tertio in Cœmeterio Novellæ, juxta Cœmeterium Ostrianum, ubi Petrus baptizabat.* Et hæc infra: *Eodem tempore Paschæ baptizavit Liberius Papa in eodem Cœmeterio promiscui sexus numero quatuor millia & duodecim, &c.* Et de Bonifacio, qui primus inter Pontifices hoc nomen prætulit, isthæc idem Bibliothecarius recitat: *Habitavit Bonifacius in Cœmeterio Sanctæ Felicitatis Martyris Via Salaria.* De Joanne item Tertio Bibliothecarius idem plane affirmat: *Tunc venerabilis Papa retinuit se in Cœmeterio sanctorum Tiburtii & Valeriani, & habitavit illic multo tempore, ut etiam Episcopos ibidem consecraret.*

Sub Imperatoribus hæreticis Pontifices in Cœmeteria iterum concedunt. *Biblioth. in Liberio Papa.*

Biblioth. de Bonif. PP. Idem de Io. Papa III.

23 Quamobrem cum tot & hi quidem sanctitatis gloria præstantes Ecclesiæ duces longas interdum moras in Cœmeteriis delitescendo trahere cogerentur, suumque munus, prout tempus dictabat, studiose illorum quisque obiret, extabant ipsis in Cœmeteriis oratoria haud pauca sacrorum usui mysteriorum pio Christianorum labore ac studio dicata, quod quidem non modo post redditam Ecclesiæ pacem præstari contigit, cum templa nobilissima super ipsamet Cœmeteria constructa, erectaque fuere, sed tunc potissimum, cum funestissimæ adhuc vigerent persecutionum procellæ; & ut rem altius repetamus, sub ipsamet beatissimorum Apostolorum tempora, sacra hæc oratoria extitisse Petrus cognomento Venerabilis, qui Romæ præsens affuit anno Christi 1145. & 1150. ut ipse testatur Baronius, apertissimis utique verbis demonstrat: *Nunquid*, ait ille, *per viginti quinque annos, quibus Romæ Petrus Apostolus sedit, absque templo, vel Ecclesia, id est, orationis domo, vel parvo saltem oratorio fuit? Nonne ut gestorum veracium series narrat, si tamen præter divinum canonem gestis aliquibus assensum datis, primus ipse princeps Apostolorum Petrus in Urbe orbis capite Templum Christo inter innumera gentilium templa construxit. Et juxta quod beatus, & magnus Papa Leo nobili sermone pronunciat, Trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inve-*

Complura in Cœmeteriis Oratoria extructa.

Templa super Cœmeteria à Christianis constructa.

Baron. annal. to. 12. Pet. Ven. l. 1. ep. 1. con. Petr. resp. ad cap. 2.

Petrus Apost. in Urbe Christo Templum extruxit.

invexit? Nonne & nos ipsi Romæ positi frequenter vidimus in cryptis antiquissima oratoria, & altaria, qualia eo tempore fieri poterant, quæ ab eodem Apostolo constructa & sanctificata, sicuti per successionem fama consentiens, ac celeberrima protestatur, in monumentum tantæ sanctitatis fidelibus ostenduntur, & ab eisdem fidelibus dulcissime & devotissime deosculantur. Hæc omnia Petrus Venerabilis rerum ipsarum testis oculatus, venerandorum Urbis Cœmeteriorum, eorumdemque antiquæ religionis assertor nobilissimus.

Et Cœmeteria in Dei cultum ab ipso dicata.

24. Porro de sacris ejusmodi ædificiis intra Cœmeteriorum ambitum, cum persecutionum tempora ingruerent, extructis, Bibliothecarius meminit, dum Fabiani Papæ sub Decio Imperatore martyrio coronati gesta recenset, his quidem verbis: *Hic multas fabricas per Cœmeteria fieri præcepit.* Cœmeteria insuper priscis illis fidelibus, quorum animis cælestium jugiter meditatio insederat, sacrarum ædium loco fuere, quo certis statisque temporibus, divinis intensius rebus vacaturi convenirent. Religionis vero causa in Cœmeteriis demorari ac pernoctare Christianis olim solemne erat, nec ullis ducti vanæ superstitionis erroribus, uti quondam Nasamones Libyæ populi, qui tantam sepulturis reverentiam exhibebant, ut cum de re aliqua dubia jurandum esset, id eorundem sepulchra pertingendo præstarent; & cum divinandum esset, ad majorum monumenta propius accedebant, ubi vero preces de more effudissent, obdormientes quodcunque per quietem insomnium vidissent, eo tanquam divino quodam oraculo utebantur. Celtæ itidem apud virorum fortium busta hac de causa pernoctabant. Augilæ pariter, qui circa Cyrenem degebant, cum nullos præter defunctorum manes agnoscerent, per eos dejerare consueverunt; eosdemque ut oracula, cum sibi opus esset, consulebant, & precati interim, quæ cupiebant, tumulis eorundem incumbentes, pro responsis somnia ferebant. Quod & impius Julianus Apostata Christianis aliquando tanquam crimen objecit: cum enim eosdem videret tam assidue, studioseque Martyrum sepulchris advolvi, id ipsos perditissimus homo, Judæorum exemplo, superstitionis gratia præstare asseruit, de quibus profecto illud Isaias pronunciaverat: *In sepulchris, & speluncis dormiunt propter insomnia;* quem egregie Cyrillus deinde confutavit, *dignissimum hoc plane Apostata viro, ac penitus delirante somnium fuisse pronuncians.* Neque enim Christiani sepulchra Martyrum frequentare & colere ad assequendam rerum futurarum per insomnia notitiam consuevere, sed orationis gratia, & ut eadem Martyrum corpora veluti Christi membra venerarentur: & Judæi ipsi captandis ex mortuorum tumulo vanis hujuscemodi somniis haud studuere, nisi postquam à vero Deo, ac religionis cultu aberrantes, ipsis gentilium erroribus involvi, ac prophanis itidem superstitionibus deservire cœperunt.

Biblioth.

Cœmeteria tanquam Templa adire olim Christiani, in iisque pernoctare soliti.

Herod. l. 4. Nasamonum in colendis sepulchris superstitio.

Tertull. de anima c. 57.

Item Celtarum, & Augilarum.

Julianus Apostata Christianos superstitionis arguit ob cultum sepulchrorum Martyrum.

Isai. c. 65. ver. 4. edit. Septuag.

Cyrill. l. 10. cit. in Julian.

Cur sepulchris Martyrum cultus exhibendus?

25 Ab iisdem pariter Cœmeteria veluti tutissima quædam Asyla habita, excultaque sunt, ad quæ ob pericula, quibus plerumque ad necem quæsiti premebantur, declinanda studiose transfugerent, tutoque suorum corpora defunctorum, ac Martyrum præsertim, sepelienda deferrent, cum ab inhumanis hæc carnificibus, qui pietatem omnem abjecerant, insepulta relinquerentur, & ultimi supplicii pœna proposita eadem humari omnino vetitum esset; Christiani qui, cum erga omnes, tum potiori ipsos erga defunctos pietate præstabant, clanculum colligere, & ad propinquiora, quæ præsto essent, Cœmeteria sub ipsa noctis silentia deferre consueverant: quorum admirandam prorsus pietatem, curam ac studium nullo unquam tempore intermissum sacris hisce pignoribus perquirendis, recondendisque, adversus barbaram gentilium impietatem, ac sævissimam id omnimodo prohibere conantium, nec satis unquam prædicandam divinæ providentiæ vim in beatorum reliquiis Martyrum ab omni injuria è Cælo vindicandis servandisque prolixius infra, Deo adjuvante, prolatis quamplurimis in medium exemplis exponere, atque enarrare & ratio exigit, & nostri instituti propositum ultrò suadet. A Cœmeteriis igitur ad Christianorum, & Martyrum præcipue cadavera, hoc est ad pretiosa pignora, quibus subterranea Urbis loca illustrantur, stylum convertamus.

In Cœmeteria veluti asyla Christiani perfugiebant.

Cura, & pietas Christianorum in perquirendis ac humandis Martyrum corporibus.

CAP. III.

Gentiles in Christianorum Cadavera sæviunt.

1 NOvum plane sæviendi genus efferata hominum crudelitas adinvenit: quippe quæ in mortuos desævire, ipsisque cadaveribus palam insultare nullatenus erubuit, quod immane facinus natura adeo exhorret: *Crudelitas enim*, ut ait Seneca, *minime humanum malum est, indignum tam miti animo.* Quid enim crudelius, quam ut nec vivis interdum homines parcerent, nec defunctis, & ubi exquisitissimis actum esset tormentis, ludibrio ac contumeliis insepulta eorumdem cadavera paterent. Quod in Hierosolymitana illa clade haud satis unquam deplorata obtigisse Josephus ingemuit; dum ipsosmet Pontifices obtruncatos ait, *nudos atque insepultos projectos fuisse, prædam canibus & feris.* Quam sane barbariem multi detestati, ad sepulchra se prius receperunt, quam moriendi necessitas incumberet. Quare Nigrum Peraiten virum strenuissimum à Zelotis captum, ab hac sibi calamitate timentem, cum se extra urbem duci videret, non jam pro vita, sed pro sepultura tantum cœpisse rogare in sua scribit historia. Hæc, inquam, Josephus conceptis, ut par est, verbis, tanquam maximum malorum omnium cumulum, ac facinus intolerabile prorsus exaggerans cadaveribus sepulturam denegari, ac ea bestiis proculcanda, vorandaque derelinqui.

Insignis gentilium crudelitas in Christianorum cadavera.

Seneca lib. de Clementia.

Josephus l. 4. cap. 14.

Niger Peraites non pro vita, sed pro sepultura occisores sui rogat.

2 Hinc jure merito Lactantius Christianus utique Philosophus, & Orator egregie de Pietate ac Justitia disputans, in eos invehitur, qui sepulturam supervacaneam asserunt, & nullam de cadaveribus curam gerendam esse pronuntiant. Sed ipsius verba excipiamus: *Non defuerunt*, inquit, *qui supervacaneam facerent sepulturam, nihilque dicerent esse mali, jacere inhumatum, atque abjectum: quorum impiam sapientiam cum omne humanum genus respuit, tum divinæ voces, quæ id fieri jubent.* Et infra crudelitatem erga defunctorum cadavera perstringens, hæc addit: *Non ergo patiemur figuram & figmentum Dei, feris & volucribus in prædam jacere, sed reddemus id terræ unde ortum est. Et quamvis in homine ignoto necessariorum sepulturam nulli negandum munus implebimus; in quorum locum quia desunt, succedit humanitas, & ubicunque homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum putabimus. In quo autem magis justitiæ ratio consistit, quam in eo, ut quod præstamus nostris*

Grave facinus mortuis sepulturam denegare.

Lact. lib. 6. de Instit.

Unusquisque sepulturam exhibere tenetur.

per affectum, præstemus alienis per humanitatem? Hæc ille. *Pietatis autem officium hoc exhibetur*, ut ait Cicero, *naturæ & humanitati*, id est, naturæ humanæ, cujus quisque vel fidelis, vel ethnicus, quantumvis barbarus, particeps est.

Cicero Philip. 2.

3 Quamquam & jure quidem merito Quinctilianus, ex affectu, quo quisque se ac corpus suum prosequitur, ac ex timore pariter, quo quivis adhuc vivens afficitur, ne quid triste ac contumeliosum corpori jam examini post mortem accidat, cadaveribus aliorum pietatem exhibet: *Inde enim est*, inquit, *ut etiam ignotis cadaveribus humus congeratur, & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrat, ut non quantulocunque veneretur aggestu.* Ad cujus rei propositum faciunt, quæ luculenter Origenes contra Celsum Epicureum de resurrectione disputans, haud cadaveribus insultandum, sed debitum iisdem honorem impertiendum asserit; sic igitur ait: *Certe humana corpora propter animam, quæ inhabitavit in eis, præsertim si bona sit, non sunt abjicienda: nam & civiliores leges jubent illa convenienti honore funerari, ne si projiciantur tanquam jumenta, injuria fiat animæ egressæ ex eo domicilio.* Et infra hæc subdit: *Rationales animas honorare novimus, & earum organa solemni sepulturæ honore dignamur. Meretur enim rationalis animæ domicilium, non projici temere sicut brutorum cadavera, & præsertim quod fuit animæ bonæ, ac sanctæ organo suo in certaminibus usæ receptaculum.* Hæc Origenes. Sepulchri quippe honor non soli corpori, verum & animæ benemerenti impenditur. Et ut optime S. Thomas argumentatur, cum adhuc anima in memoria viventium vigeat, apud illos infamiam quandam sempiternam subire cogitur, si corpus, cui unita extitit, hac communi & naturali gratia privetur: *quocirca*, ut idem bene infert, *non levis pœna judicatur, cum quis à judice sepultura privatur, & esse jubetur avium esca.* Magna enim ex hoc anima ipsa, una cum corpore injuria videtur affici, cum naturaliter corporis, cui associata aliquando fuit, honorem ac cultum summopere ambiat. Quapropter recte ad rem nostram Augustinus hæc infert: *Ex illo humani cordis affectu, quo nemo unquam carnem suam odio habuit, si cognoscant homines aliquid post mortem corporibus suis defuturum, quod in sua quisque gente, vel patria poscit solemnitas sepulturæ, contristantur ut homines, & quod ad eos post mortem non pertinet, ante mortem suis corporibus timent.* Ex quibus satis clare conficitur quam gravis sit, quæ cadaveribus etsi nil mali sentientibus, in vindictam tamen anteactæ vitæ ab hominibus contumelia infligitur.

Cur honor cadaveribus habeatur?

Quintil. Declamat. 5.

Origen. contr. Cels.

D. Th. 1. 2. q. 32. ar. 2. ad 1.

Cadaveris infamia redundat in animam inde egressam.

Quæ pœna sit sepulchro privari.

Aug. de cura pro mort. c. 7. & 9.

4 Sed ut ad instituti propositum deveniamus: tam acerbo gentilitiis quondam superstitionibus dediti, Christianos odio prosequebantur, & veluti in publicæ rei, Deorumque hostes eò usque immanis eorundem furor in viros alioqui innoxios grassabatur, ut nil omnino intentatum relinquerent, quo funditus illi cum religione pariter ex orbe delerentur. Neque vero cruore Martyrum, qui ubique terrarum uberrime effundebatur, eorum exstingui sitis, nec ullis insatiabilis animorum crudelitas tormentis, quibus passim insontes addicebantur, expleri potuit. Inhumani enim homines ubi diris, atque inusitatis Christianos modis excruciatos ad extremum mortis supplicio affecissent, novo crudelitatis genere in eorum cadavera debacchantes, hæc in frusta aliquando concidere, cremare, interdum quoque discerpere, dissipare, & in profluentem quandoque projicere, ac varios, & inauditos plerumque modos, ingeniosæ crudelitatis viri excogitare consueverant, quibus eadem inhumata, vel à feris, vel ab avibus discerperentur: quinimmò, ut sibi res ex voto procederet, adhibitis quoque custodibus in id potissimum toto animi studio contendebant, ne à Christianis Athletarum Christi cadavera, post consummata eorumdem martyria condigno, ut par erat, sepulchro inferenda colligerentur. Quo quidem detestando facinore, ac barbaræ impietatis adinvento, illud Prophetæ vaticinium longe ante prolatum merito adimpleri videretur: *Posuerunt mortalia servorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinem ipsorum in circuitu Hierusalem, & non erat, qui sepeliret.*

Gentiles cadavera Martyrum cum memoria illorum penitus delere satagunt.

Quæ crudelitatis genera.

Psal. 88.

5 Quod autem à nobis hactenus enarratum est, dæmonis potissimum arte ac impulsu obtigit, qui cum futura Christiani nominis incrementa prænosceret, suique cultum, abolita Idolorum superstitione, abolendum pariter præsentiret, si quando erga invictos Christi Martyres venerationis obsequium in orbe invalesceret, sacras eorundem reliquias ab oculis fidelium proripere, conculcare, disperdere, omnemque penitus cultum, ac memoriam è medio tollere nitebatur. Sed ut validius nostræ vis assertionis scriptorum quoque auctoritate comprobetur, id satis aperte testatur Jonas Aurelianensis Episcopus, qui ista ad rem loquitur: *An nescis Paganis moris fuisse, ossa Martyrum, quos diversissimis mortium generibus necabant, ne à Christianis honorabiliter sepelirentur, diversissimis modis occuluisse, aut igne concremasse, aut certe feris avibusque exposuisse. Hoc videlicet per eos, quantum eis possibile fuit, caventibus immundis spiritibus, ne per cineres sanctorum, augerentur beneficia mortalium, confunderetur pertinacia infidelium, & detegeretur dolositas ipsorum, &c.*

Dæmonum impulsu Gentiles Martyrum reliquias disperdere nituntur.

Ioan. ep. Aurel.

Reliquiæ Sanctorum beneficia præstat.

6 Quam verò crudeliter, qui gentilium erroribus tenebantur, dæmonis impulsu in sacra Martyrum cadavera insilirent, ex literis præcipue Viennensis Ecclesiæ, ac Lugdunensis, quæ ab Eusebio recitantur, liquidò potest quivis unus conjicere: in his enim post enarrata beatorum Martyrum sub Marco Antonino, & Lucio Vero Imperatoribus certamina pariter & cruciatus, isthæc leguntur: *Verum eorum rabies & crudelitas in sanctos non ita exaturata fuit. Nam ab immani & furiosa bellua diabolo, immanes illæ & barbaræ gentes exagitatæ, vix aut ne vix quidem à furore suo aliquando acquieverunt: immò verò in corporibus Martyrum suam de integro contumeliam cœperunt & malevolentiam exercere.* Et infra: *Quæ autem ad nos, videbantur sanè magnum mærorem in se complecti, quod Martyrum corpora humo tegendi nulla dabatur facultas: neque enim nos ad hanc rem aliquid afferre præsidii, neque magna pecuniæ vis eorum animos flectere, neque preces ulla ex parte placare poterant, sed nulla non ratione, & via corpora illa erant assidue ab illis observata, & id quasi in magno lucro deputatum, si penitus inhumata jacerent.* Hæc præmemoratæ nobis epistolæ legenda exhibent; quibus paulo post isthæc adduntur: *Martyrum corpora sex dies continuos sub dio jacentia, & maxima ignominia affecta, post autem ab impiis illis, & facinorosis carnificibus exusta, inque cineres redacta, in Rhodani fluvium, qui illic in proximo defluit, spargebantur, quò nullæ quidem illorum reliquiæ amplius super terram restarent.*

Crudelitas gentilium in Martyrum cadavera.

Litt. ecclesiar. Lugd. ac Vienn. apud Euseb.

7 Præ-

Martyrum cineres in Rhodanum projectæ.

7 Præstat autem hic in studiosi lectoris gratiam adjicere, quæ S. Augustinus de eorumdem Martyrum cineribus in Rhodanum projectis in hæc verba describit: *Legimus*, inquit, *in Ecclesiastica historia, quam Græcè scripsit Eusebius, & in Latinam linguam vertit Ruffinus, Martyrum corpora in Gallia canibus exposita, eorumque reliquias, atque ossa mortuorum, usque ad extremam consumptionem ignibus concremata, eosdemque cineres fluvio Rhodano, ne quid ad memoriam qualemcunque relinqueretur, inspersos. Quod non ob aliud credendum est divinitus fuisse permissum, nisi ut discerent Christiani in confitendo Christum, dum contemnunt hanc vitam, multo magis contemnere sepulturam. Hoc enim quod ingenti sævitia de corporibus Martyrum factum est, si eis quicquam noceret, quominus beate requiescerent eorum victoriosissimi spiritus, non utique fieri sineretur. Reipsa ergo declaratum est, non ideo dixisse Dominum: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & postea non habent quid faciant, quod non esset permissurus aliquid eos facere de suorum corporibus mortuorum, sed quoniam quidquid facere permissi essent, nihil quo diminueretur Christiana defunctorum felicitas, fieret, nihil inde ad sensum post mortem viventium perveniret, nihil ad detrimentum saltem ipsorum corporum, quò minus integra resurgerent, pertineret.* Hæc Augustinus.

S. Aug. Euseb. l. 5. c. 1.

In Christianorum cadavera sævienti Ethnicis divinitus permissa potestas.

Cadavera Martyrum objecta feris custodia apposita ne à Christianis sepeliantur.

8 Sed ut ad instituti propositum redeamus. Idem quoque Eusebius detestandam gentilium feritatem, & Tribuni cujusdam Firmiliani Maxis nomine nequissimi quondam sub Maximiano & Maxentio Imperatoribus, immanitatem his verbis enarrat: *Iste igitur, Tribunus scilicet, immanitate longius progrediens, & rabiem proprie belluinam contra pios indies adaugens, adeo extra naturæ leges egressus est, ut inanimis sanctorum virorum corporibus sepulturam impudens invideret; & propterea cadavera sub dio, ut à bestiis dilaniarentur, noctu assiduè & interdiu servari præcepit. Itaque non exiguum hominum numerum multorum dierum spatio huic immani, & barbaro mandato inservientium cernere licebat: quin etiam alii ex specula & loco edito, tanquam operæ pretium facturi, ne cadavera surriperentur, sedulo observabant. Itaque agrestes bestiæ, canes & aves carnivoræ membra discerpserunt humana, eaque huc illuc dispserserunt, & tota civitas undique visceribus, ossibusque hominum constrata fuit, adeo ut illis ipsis, qui antea fuissent infenso animo in nos affecti, nihil unquam crudelius, nihil aspectu horribilius videretur, neque tam eorum calamitatem, in quos hæc admissa erant, quam tum suam ipsius, tam communis parentis naturæ ignominiam deplorabant. Spectaculum enim humanarum carnium non uno loco devoratarum, sed ubique misere disjectarum (quod omnem dicendi facultatem, omnemque tragœdiæ speciem longe superat) prope civitatis portas cujusque oculis subjecta fuit. Nonnulli autem membra, cadavera integra, & viscerum partes etiam intra portas se vidisse dixerunt.*

Euseb. Hist. c. 19.

Gentiles desæviunt in mortuos.

Hanc in mortuos sævitiam ut communis naturæ ignominia ipsimet gentiles commiserantur.

9 His merito attexenda sunt, quæ idemmet Eusebius recitat de inaudita prorsus gentilium in Christianos rabie, qui omnem sæviendi modum prætergressi, nec sepulchro jam conditis beatorum Martyrum corporibus damna, contumeliasque infligere destiterunt. Porro rem totam hisce verbis enarrantem audiamus: *Reliqua autem Christianorum multitudo vinculis colligata, & à lictoribus scaphis imposita, in vastum maris gurgitem, fluctusque præceps projecta fuit. Famulos illos Regis (erant hi ex Diocletiani familia) post mortem decore & celebri funere terræ mandatos, Imperatores, qui eorum domini putabantur, rursus de integro effodiendos, inque mare præcipitandos sententiis decreverunt, ne, ut eorum ferebat opinio, Deos esse reputantes, divina veneratione prosequerentur.* Hactenus Eusebius.

Cadavera post sepulturam effossa, & in mare projecta.

Euseb. l. 8. c. 6.

10 Neque hic interim omittenda sunt, quæ de insana hujuscemodi gentilium barbarie Lactantius Firmianus, his plane, quæ supra ab Eusebio enarrata sunt, consentientia hunc in modum refert: *Quis Caucasus*, ait ille, *quæ India, quæ Hyrcania tam immanes, tam sanguinarias bestias unquam aluit: quoniam ferarum omnium rabies usque ad ventris satietatem furit, fameque sedata protinus conquiescit: illa est vera bestia, cujus una jussione funditur ater ubique sanguis, crudelis ubique luctus, & plurima mortis imago. Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis sævit; & non tantum artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres fundit, ne quis extet sepulchro locus.* Hucusque Lactantius.

Ossa Martyrum in cineres redacta, & in ventum sparsa.

Lact. l. 5. cap. 2.

11 Sed quæ de barbaris gentilium moribus in sacra Martyrum corpora sævientium hucusque disseruimus, eadem nunc præstat exemplis ex eorundem Martyrum Actis confirmare. Sequenti igitur capite sermo à nobis instituetur de eorundem Martyrum corporibus, quæ feris, ignibus, & aquis quandoque tradita sunt, & per varia interim loca omni pietate posthabita miserandum in modum dispersa, facinorosorumque hominum, & ipsismet bestiarum cadaveribus contumeliose permixta, cum illud potissimum ingeniosa hominum impietas crudelitati adjuncta omni studio caveret, ne horum quæ post mortem extant, reliquiæ, & quod ipsamet suadet humanitas, sepulturæ traderentur: nonnulla autem ad id comprobandum ex recolendis martyrum actis exempla subjiciemus.

CAP. IV.

Sepultura Martyribus interdicitur.

APud dissitas ubique terrarum orbis nationes quantumvis barbaras, haud umquam mortuorum cadaveribus ex legum præscripto sepultura denegata est: *Sunt enim*, inquit Chrysostomus, *apud mortales omnes hæ leges communes, ut qui vita functus est, terra condatur, sepulturæ tradatur. Atque has non Græcus, non Scytha, nec si quis illis immanior reperiatur, umquam leges convulsit; sed reverentur & observant omnes: adeoque sacræ, & apud omnes veneratione sunt dignæ.* Hæc Chrysostomus. *Quæ autem illa feritas*, ut Lactantius inquit, *quæ rabies, quæ insania est, lucem vivis, terram mortuis denegasse?* Quæ detestabilior, inquam, gentilium omnium adversus Christianos furentium insania, *quàm*, ut scribit Ambrosius, *ipsos vitales anhelitus invidisse, & nullis usquam negatam defunctis inhibuisse supremæ commercia sepulturæ?*

Nulla umquam natio sepulturam mortuis denegavit.

Chrysost. hom. 10. de S. Babila.

Lactantius Firminus l. 5. cap. 1.

D. Ambros. ep. ad Valent. Imp. cont. Symmus.

2 Hinc varias humandi rationes, quæ easdem apud gentes usu receptæ fuere, Lucianus exactè describens hæc ait: *Sepulturæ rationem in varios dividunt modos: nam Græcus exurit, Persa defodit, Indus adipe suillo oblinit, Scytha devorat, Ægyptius muria condit, & plures alios modos, corporibus sepulturam impertiendi Sextus Philosophus in unum congessit.* Quapropter mos obtinuit, ut nec ipsismet scelestissimis aliisque hominibus, quibus supplicia vi legum illata fuere, sepultura tamen haud umquam

Varia sepeliendi apud varias gentes ratio.

Lucian. de luctu.

quam sublata sit. Inde, ut Quinctilianus habet: *In honorem pietatis etiam damnati sepeliuntur, cruces succiduntur, percussos sepeliri carnifex non vetat.* Quod pietatis officium vel ipsa divina lex inculcat. De sontibus enim plectendis hæc sanxit: *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti, appensus fuerit in patibulo: non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur.* Ipsis igitur, quibus jure adimitur vita, ut divina lex jubet, haud jure sepultura adimitur. Quod Josue vel hostibus præstitisse legitur, quippe qui reges bello captos, actosque in patibulum, ad vesperum deponi, & sepulturæ tradi præcepit. Moyses autem ipsa legis verba id præcipientis describens, rationem addidit. Quia maledictus videlicet esset, qui pendebat in ligno, & ne contaminaretur terra, hoc est, quia cum suppliciorum omnium maxime execrandum crux olim haberetur, satis superque opprobrii, & contumeliæ illatum reo existimabatur, si ejusmodi supplicio ob patrata facinora addictus fuisset, neque humani corporis dignitatem decebat, quæ Dei imaginem repræsentat, ut diuturnior in hominum oculis permaneret infamia, cumque insepultum quempiam in patibulo relinqui, maximum quoddam præ se ferret supplicii genus, & immensæ crudelitatis argumentum, magnam inde dedecoris notam Hebræorum gens consequeretur, si more gentium barbararum sub omnium oculis destituta in cruce corpora computrescerent.

Quintil. Decl. 6.

Facinorosos supplicio affectos sepeliri divina lex mandat.

Deut. 21.

Cur Hebræis eadem die reos deponere, ac sepelire lex præceperit?

3 Et certe Josephus in Antiquitatibus Judaicis, ipsius Moysis mentem exponens, non solum legis ejusdem verba ad cæteros omnes extendit, qui legibus obnoxii cuivis mortis supplicio subjicerentur, & vel lapidibus, vel gladio, vel alio instrumenti genere plecterentur, ut nimirum postquam per totum diem, funestum sui spectaculum exhibuissent, ad vesperam demum humo inferrentur: sed ad ipsosmet hostes ejuscemodi beneficium quodam humanitatis impulsu devolvi asserit: *Ne*, ut ipse ait, *mortuus quisquam expers terræ jacens, ultra quam justum est, pœnas exolueret.*

Joseph. l. 4. c. 8. Antiq. Jud.

Et ipsis hostibus sepulturæ jus tribuendum Moyses censuit.

4 Et quidem gentiles ipsi hoc pietatis officium haud umquam hostibus naturæ magisterio edocti denegarunt. Cum enim inter Græcos olim & Persas acriter decertatum esset, & è Græcorum parte victoriæ palma stetisset, & Pausaniæ Lacedæmonio Græcorum militum Imperatori nescio quis suaderet, ut Mardonio Persarum duci talionem rependens, sicut ille Leonidæ patrui Pausaniæ interempti reciso capite truncum in crucem egisset, ita Pausanias Mardonii necati corpus cruci affigeret, magnanimus Pausanias, magnanimus, inquam, se facturum negavit, quod barbaros deceret potius, quam Græcos. Sic pariter Philippus Magni Alexandri pater devictis ad Chæroneam Græcis, his, qui in bello ceciderant, justa funebria exoluit, ac eorundem ossa Athenas transferenda curavit. Ipse verò Magnus Alexander post hostiles copias profligatas, cum suis humandis militibus, qui in prælio occubuerant, operam daret, Persarum quoque nobilissimis eundem sepulchri honorem detulit, ac matri ipsius Darii permisit, ut quos vellet, patrio ritu sepeliret. Idem quoque Darii ejusdem conjugi, quæ in captivitate decesserat, Persarum more præstandum censuit: quinimmò Darium à suis interemptum, dempta sibi chlamyde, regio plane cultu ornatum officiosa manu tumulo intulit. Innumera plane id genus exempla suppetunt.

Nec id officium gentiles etiam hostibus denegarunt.

Herod. l. 9.

Q. Curtius l. 3. 4. & 5.

Pietas erga defunctos.

Sic Turnus apud Virgilium Pallantis à se occisi corpus ad ejus patrem transmittens ait:

Quisquis honor tumuli, quidquid solamen humandi
Largior, &c. (est,

Æneid. l. 10.

Æneas insuper eodem certamine cum Laurum Messentii filium transfodisset, hæc protulit:

—— Teque parentum
Manibus ac cineri, si qua est ea cura remitto.

Quippe, ut egregie ad eum locum Servius adnotavit, ibi Æneas Latinis suorum corpora interemptorum ad humandi officium donavit; *quia sepulturæ beneficium*, inquit ille, *debetur universis*: quocirca consona quidem voce ille apud Tacitum miles ad rem nostram clamabat: *Nec hostes quidem sepulturam invidere.*

Servius in lib. 10. Æneid.

5 Et certe jura Romana, quæ ritus universo orbi præscribunt, punitorum cadavera quibuslibet ad sepulturam impertiendam exposcentibus, haud neganda esse sanxerunt. Quamobrem vehementer olim de Flacco Ægypti præside, ac merito quidem conquestus est Philo, quod cum instantibus ipsorum Augustorum natalitiis, aliisque solemnioribus diebus mos esset, ut corpora de cruce deponerentur, & ad inferendum sepulchro cognatis ultro traderentur, non modo id pertinaciter Flaccus Judæis denegaret, verum etiam illis ipsis diebus vivos in crucem agi juberet. Philo item eundem Flaccum vel ex eo acri orationis stylo perstringit, quod Judæos à seditioso vulgo corripi, atque occidi permiserit, eorundemque corpora tota urbe miserandum in modum raptari, ut nullum quidem ad sepulturam membrum superesset: hisque sceleribus in eos longe crudelius sævitum esse pronuntiat in pace, quam si in bello cæsi fuissent, cum sepeliendi ipsos apud hostes facultas utique suppeteret. Josephus item Hebræus Idumæos & Zelotas eo crudelitatis progressos fuisse ait, ut *etiam Pontifices obtruncatos, nudos, insepultosque abjicerent prædam canibus & feris.* Quanta vero Tiberii Imperatoris crudelitas in ipsosmet Urbis Senatores quondam extiterit, & quo immanis ejusdem furor Deo scelerum vindice progressus fuerit, satis superque expressit Orosius, dum ait tot numero trucidatos fuisse, *ut jam qui magistratum gererent, magno labore reperirentur*, & quidem in ultionem contempti Christi numinis hæc illis obvenisse idem aperte asserit. Sed illud fato, & crudelitate acerbius visum est, quod præ cæteris præclarissimi quique viri in Urbe passim insepulti ad aliorum terrorem jacerent; sed rem totam ex Tacito si libet repetamus: *Iacuit immensa strages omnis sexus, omnis ætas, illustres, ignobiles, dispersi, aut aggregati, neque propinquis, neque amicis adsistere, illacrymare, nec visere quidem diutius dabatur. Sed circumjecti custodes & in mœrorem cujusque intenti, corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur, ubi fluitantia, aut ripis appulsa, non cremare quispiam, non contingere. Interciderat sortis humanæ commercium vi metus, quantumque sævitia glisceret, miseratio arcebatur.* Hæc Tacitus conceptis utique verbis miserandam tunc Urbis faciem, deplorandamque prorsus hominum conditionem describens, quibus sævam post mortem & ipsum quod naturæ beneficio terra omnibus exhibet, sepulchrum denegaretur.

Jura Romana punitorum cadavera ad sepulturam deposcentibus concedunt.

L. 1. c. ult. de Cadav. punit. l. obnox. 11. C. de relig.

Philo Judæus in Flaccum.

Crudelitas erga cadavera.

Joseph. l. 4. de bell.

Orosius l. 7. cap. 4.

Baron. t. 1. an. 35. n. 29.

Præclarissimi quique viri in Urbe insepulti jacent.

6 Porro quam ingens sit pœna sepulchro, quod quisque ambit, ubi mors vitam ademit, carere, Hegesippus Junior, vel alius quis, qui floruit Magni Constantini tempore, scriptor edocuit, dum truculentam

Pœna atrox sepultura interdici.

[Hegesippus de Iudæorum clade.] lentam illam Hierosolymitanorum cladem eleganti oratione describens, sepulturam in illa obsidione interdictam, morte ipsa graviorem Judæis extitisse [Idem antiq. c. 21.] affirmat. Ait enim: *Tunc superstites seipsos ingemuere, quod duriore pœna perirent, seque servatos esse, ut viderent cum patria simul solvi etiam leges naturæ, negari jus viventibus, pacem civibus, sepulturam defunctis, criminosam esse misericordiam, religionis loco haberi crudelitatem: volebat aliquis defunctum humari, ipse exstinguebatur, & qui defunctum occiderat, in sepultorem transferebat iracundiam, ut illi sepulturam negaret, hunc exstinguebat: rursus qui sepultorem occiderat, majorem crudelitatem circa defunctum exercebat, ut jam nihil debentem odio, non sentientem supplicia spoliaret supremo naturæ debito.* [Judæi in obsidione Hierosolymæ ne mortui sepultura carerent vivi sepulchra intrant.] Judæos denique eo adactos fuisse refert, ut vivos se inferrent sepulchro: *Plerique*, inquit, *sibi ipsis loculos parabant manibus suis, ne deficeret hujusmodi ministerium, atque in iis se sponte condebant, ne mors præveniret, & sepultor deesset.* Ut igitur ad nostra redeamus. Innumeri prorsus fuere, invicti constantisque animi inter certamina Martyres, quorum post necem corpora projicientes immanes carnifices inhumata in publicis foris, ac viis reliquere, cum tamen, ut Tacitus ait: [Tac. ann. 1.] *Nec hostes ipsi sepulturam invideant.* Ad quod plane Gregorius Nazianzenus alludens gravissimis quidem verbis expostulare aliquando non [Gregor. Naz. orat. 3.] destitit, quod dignissimus quidam Christi martyr sepulturæ obsequio caruerit, *quæ*, ut ipse ait, *impiis etiam, & sacrilegis hominibus debetur.* Verum ad dignoscendam Tyrannorum, qui per summum nefas id jubebant, impietatem satis nunquam execrandam, hæc, quæ infra subjicientur, exempla lectori indicasse satis erit.

7 In primis autem, ut ab ipso Martyrum principe enarrationis hujus desumatur exordium, sacrum [Stephani Protomart. corpus inhumatum projicitur.] beati Stephani Protomartyris corpus Principum jussu inhumatum præ cæteris perstitisse Lucianus presbyter verbis hisce testatur: *Exportatus est*, inquit, *ad Aquilonem foras portam, quæ ducit ad Cedar, ubi die, & nocte jacuit projectus, ut sepulturæ non daretur, secundum mandatum impiorum Principum, ut à feris consumeretur corpus ejus.* [Lucian in ... ad M.S.S. ...]

8 Aliorum item Martyrum corpora pari contumelia fuisse affecta, eorundem Acta, quæ à probatissimis recitantur scriptoribus, indubitatam legentibus fidem faciunt: & ut nonnulla interim exempla recenseamus; Sententiam hanc recepere corpora sanctorum Processi & Martiniani sub Nerone. Quirini Tribuni sub Hadriano. Priscæ & Cyrillæ Decii filiæ sub Claudio. Gorgonii & Morothei, Primi & Feliciani, Cypriani & Justinæ, Crispini & Crispiniani, & Quatuor itidem Coronatorum, quorum corpora sub Diocletiano canibus projecta fuisse, eorundem Acta contestantur. Beatarum quoque Ruffinæ & Secundæ virginum corpora Arcesilaus scelestissimus Valeriani minister post inflictam eis tormentorum vi necem, humari, ut mos est, vetuit, & quodam in nemore juxta Corneliam viam decimo ab Urbe milliario, quod vulgo Buxo appellabatur, ut noctu nimirum luporum dentibus dilaniarentur, exponi jussit. [Ruffinæ & Secundæ corpora in ... lupis ... projecta.] Luciani item, qui beato Urbano Papæ diaconus ministraverat, sub Alexandro Severo corpus dilacerandum canibus exhibitum fuisse, ut omni penitus sepultura careret, in actis ejusdem legimus; in quibus etiam ratio, cur ejusmodi gentiles insania adversus Christianos furerent, satis aperte his verbis exponitur: [Luciani corpus canibus ... Acta B. Luciani mart. ... Sur.] *Et ecce ministri diaboli jactaverunt corpus B. Luciani de Tribunali, quod erat juxta currum, jam mortuum. Sancti quoque penitus non audebant contingere eum, quoniam terror paganorum talis erat, ut quicunque à Christianis per apertum martyrium obiisset, nullus ausus esset neque gentilis, neque Christianus eum tradere sepulturæ, sed canibus relinquebatur: ob hoc scilicet, ut videntes cæteri metum haberent, maxime pro causa, qua æmulantes dicebant: Ne sibi Christiani propter enucleatum, quod perpessus est triumphum, in adjutorium sui erroris dicant Martyrem extitisse.* [Cur sepeliri martyres à gentilibus prohibitum] Idem plane contigit Martinæ præclaræ virgini, quæ sub Alexandro Severo, martyrio coronata est: idem Olympiadi, & Maximo sub Decio: Polychronio item sub eodem: Pamphilo quoque & sociis: Marcellino Papæ, ejusque sociis: Victori ac Mauro sub Maximino; de quo præsertim hæc in Actis leguntur: *Vetuit Imperator, ne quis corpus ejus humaret, sed bestiis vorantibus relinqueretur.* [Cod. 8. M. ad Mart. Sur. l. 4. 10. Aug. Idib. lib. 3. 1. Ian. Anast. in Marcell. Sur. l. 3. 13. Mart. Cod. Later.]

9 Porro de sacro Vincentii Levitæ corpore hæc in ejusdem apud Surium Actis recitantur: [Sur. to. 1. 22. Ian.] *Projiciatur igitur in campum ejus cadaver, neque arborum foliis, aut alia re contegatur, sed feris & volucribus in escam propositum sit. Quicquid enim contra mortuum istum efficere potero, non omittam, ut careat funere ac sepultura. Itaque pretiosissimæ Martyris reliquiæ nefario Tyranni edicto projectæ sunt, illis assidente, easque custodiente carnifice, pessimique illius Daciani amicis quibusdam, &c.* [S. Vincentius Levita.] De venerando item Martyris invicti Dulæ cadavere sub eodem Daciano isthæc apud Surium descripta habentur: *Projicite*, inquit Maximus Præses, *illum in vallem aliquam, ut sepultura careat, &c.* [Sur. to. 3. 15. Iun.] De Pelagia item, quæ sub Diocletiano floruit, idem prorsus in ejusdem apud Surium actis in hæc verba reperies: [Idem 4. 4. Mai.] *Jussit Sancta Pelagiæ reliquias nulla sepultura honorari. Itaque projectæ sunt in montem, &c.*

10 Aliis demum prætermissis, hac contumelia Romæ sub Italiano Principe, Bibianæ Virginis Christi fide, ac nobilitate conspicuæ corpus affectum est, quod canibus objectum in foro Tauri, illæsum tamen divinitusque servatum biduo jacuit: [S. Bibianæ corpus canibus objectum divinitus servatur.] sed inhumani prorsus homines, qui ejuscemodi Martyrum carnificinæ studebant, & jugi insontium laniena ac sanguine pascebantur, non Christianorum tantum cadaveribus à ferarum dentibus, immo nec quidem ab avium rostris parcendum esse decreverunt. Quod Bibianæ Virginis Acta, cujus supra meminimus, hisce verbis confirmant: *Nec aves impastas esse voluerunt impii tyranni. Crucibus enim suffixa Martyrum corpora, avibus reliquerunt laceranda.* [Cod. S. Mart. & Cod. Vall.] Id quoque testantur sanctæ Eulaliæ Barcinonensis Acta, & sanctorum Claudii, Asterii, & Neonis fratrum: de quorum præcipue martyrio, quod Diocletiano contigit, hæc leguntur: [Sur. l. 4. 23. August.] *Jussit Lysias præses: Foris ante atrium hi tres fratres, ut digni sunt, cruci affigantur, & eorum corpora avibus lacerandа relinquantur.*

11 Qua igitur ratione non impietatis, non crudelitatis redargui possunt impii ac detestandi homines? Quibusnam verbis suam excusare crudelitatem ausi sunt, qui hujuscemodi rem erga insontes frequenter admisere? Quorsum enim hi non injuste Christianos occidisse dicendi sunt, qui postquam occidissent, iisdem sepulturam contra jus omne denegabant? [Injuste se occidisse fateretur qui occiso sepulturam denegat.] Quo plane titulo Ambrosius Maximum Imperii invasorem, intercepto ejusdem insidiis Gratiano Imperatore piissimo, atque occiso,

[Left margin references beside n. 8: r. to. 4. 2. ... lib. 3. 3. ... Cod. ... ter. l. 4. Aug. ... Vall. ... lib. 4. Aug. ... Lat. ... lib. 5. ... 25. Sept. ... Cod. ... to. 4. 10. ... S. Cod. ...]

ſo, cum poſtea ille à ſe occiſum haud fateretur, licet eidem ſepulturam denegaret, atrociſſimis verbis hunc in modum perſtringit: *Allegas quod eum non mandaveris occidi, quem prohibes ſepeliri. Poterit igitur credi, quod ei non invideris vitam, cui ſepulturam invides?* Hæc Ambroſius; quibus item verbis deteſtanda tyrannorum impietas, qui Martyres Chriſti haud humari patiebantur, ad amuſſim retundi ac perſtringi videtur. Et ſane poſt-quam fratrem Abelem ſceleſtus ille parricida Cain interfecit, *ejuſdem cadaver*, ut Joſephus ait, *ſtudioſe abdidit, rem clam fore putans, & hac quoque ratione in demortuum iterum ſæviens, cadaveri ſcilicet ſepulturam denegando*: qua poſt mortem carere, dignum quidem homine impio ſupplicium divino judicio definitum eſt. Nam ut Eliphaz Themanites amicus Jobi optime in ejuſdem verba proſequitur: *Hominem impium*, ut Septuaginta interpretes locum illum elucidant, *decretum*, ait, *eſſe à Deo in manus ferri, & ordinatum in eſcas vulturum.* Quod pariter Olympiodorus ita exponit: *Divino eſt*, inquit, *ſancitum imperio, ferro illi vitam eripiendam eſſe, & à vulturibus conſumptum cadaver jacere debere inſepultum. Quod quidem certe illius ætatis hominibus grave judicatum eſt genus animadverſionis.* Qua pœna omnium acerbiſſima Hebræi olim ab Ægyptiis mulctabantur, ut ipſe teſtis eſt Philo in Moyſis vita. Cum enim ſervitutis ac tyrannidis jugo preſſos miſere vitam finire contingeret, *eos*, inquit, *inſepultos projiciebant, nec pulverem ſinentes injicere corporibus, nec lacrymis mortuos proſequi.* Perditorum quoque hominum cadavera velut quid abortivum, cunctiſque odioſum pariter ac oneroſum viventibus, ipſe Deus immani hoc ſupplicii genere affecit, ſepulturam iiſdem denegando, quod impiis Core, Dathan, & Abiron ac cæteris contigiſſe ſacrarum oraculo paginarum narratur, quos humus uſque ad ima dehiſcens viventes adhuc abſorbuit, & aperto infernus ore deglutiit, dirupta enim terra ſub eorum pedibus, vivi in infernum deſcenderunt: quod ſatis eleganter expreſſit Ambroſius: *Abſumpti enim ita ſunt*, ait ille, *ut ab omnibus mundi hujus elementis ablegarentur, ut nec aërem hauſtu, nec cælum viſu, nec mare tactu, nec terram contaminarent ſepulchro*: etſi eorundem poſtea animabus in infernum devolutis, corpora intra terræ viſcera ſubſiderint: ſicut & illi, quos ignis à Deo immiſſus eadem ratione abſumpſit: *ita enim*, ut Joſephus & Philo aſſerunt, *abſumpti ſunt, ut ne minimum quidem membrum reliquum eſſet, quod ſepulchris poſſet inferri.* Vides igitur, quam deploranda ſit eorum conditio, quibus in patratorum ſcelerum pœnam cælum inhibet, & terra denegat defunctis ſepulturam.

[S. Amb. ex 16. ad Val. Imp.] [Ioſeph. 1. ant. c. 3.] [Cain occiſi Abelis cadaver abſcondit.] [Iob c. 15. v. 22.] [Olympiodor. in Iob. 15.] [Hebræi ab Ægyptiis inſepulti projiciuntur.] [Philo in vita Moyſ.] [Deus impios quandoque in ſcelerum vindictam ſepultura privari voluit.] [Num. c. 16. 34.] [Sic Core, Dathan, & Abiron infernus vivos deglutiit.] [Amb. ep. 25. ad Eccleſiam Vercellenſ.] [Phil. l. 3. de vit. Moyſ. nu. 16.] [Ioſeph. 4. Antiq. 4.]

12 Gentiles igitur Chriſtianos tanquam perditum hominum genus, deorumque hoſtes, nec vivos, nec mortuos loco conſiſtere ac conquieſcere patiebantur; quippe eoſdem, dum viverent, tormentis quibuſvis addicebant; demortuos vero feris exponebant, & ut deinde Martyrum corpora feræ ſic derelicta libere paſcerentur, nec eſſet ullus, qui eaſdem ad prædam advolantes aut fugaret, aut prohiberet, & ne à Chriſtianis interim ſepeliendi gratia cadavera ſurriperentur, ſtudioſa dum furit ipſas inter feras, ac ſanguinem crudelitas cuſtodes plerumque vel pretio conductos adhibuit, qui in id potiſſimum toto conatu diu noctuque incumberent, quo Chriſtianis ſociorum, qui pro Chriſto interempti fuerant, non tantum alio corpora aſportare, ſed & ad illa propius accedere, immò vel etiam contingere facultas nulla ſuppeteret. Quod quidem in pleriſque Martyrum actis præſtitum legimus, ſed in his præſertim, quæ infra adnotabimus, ſanctorum videlicet Parmenii, Elimenæ, Chryſiteli, Lucæ, & Mutii ſub Decio; de quibus in recolendis Beati Laurentii actis hæc conſcribuntur: *Cæſis autem capitibus corpora projecta ſunt in publicam viam, adhibita cuſtodia, ne quis ea ſepeliret.* Idem fere in geſtis SS. Pauli, & Julianæ ſub Valeriano Imperatore in hæc plane verba legitur: *Erant illorum corpora extra Urbem jacentia, cum è loco illo ea tollere Chriſtiani prohiberentur: milites enim ita uti juſſerat Aurelianus, obſervabant, ne quis reliquias eorum auferret.*

[Cuſtodes adhibiti ne Chriſtiani corpora Martyrum ſepulturæ traderent.] [Cuſtodes adhibiti ne Chriſtiani Martyres ſepelliant.] [Sur. to. 4. 10. Aug.] [Id. to. 5. Aug.]

13 Porro inter deſcripta martyrum Cypriani, & Juſtinæ acta ſub Imperatore Diocletiano, quod modo lectori ſubjicimus, refertur: *Iacentibus ergo ſic corporibus, nemo audebat ea tollere propter magnam gentilium feritatem, & ad ſupplicia ſumenda proclivitatem, &c.* Iiſdem quoque in actis nobile Theoctiſti martyrium enarratur, qui cum beatos viros confeſtim ad ſupplicium rapi vidiſſet, hujuſmodi crudelitatem ſummopere deteſtatus cum hæc tantummodo verba protuliſſet: *Quam injuſte morti traditi fuerunt ſancti*, impiorum hominum manu mox diriſſime trucidatus fuit.

[Sur. to. 5. 26. Sept.]

14 Verum de cuſtodia Martyrum cadaveribus frequenter, ne à Chriſtianis tumularentur, adhibita, pluribus quidem locis Euſebius meminit, ſed præmemorata potiſſimum Eccleſiarum Lugdunenſis & Viennenſis epiſtola ab ipſo relata legentibus fidem facit, ubi hæc: *Etenim corpora eorum, quos carceris peſtifer odor, & cruciatus ſuffocaverat, canibus lacerganda objiciunt, ſtudioſeque nocte dieque obſervant, ne quiſpiam è noſtris illa ſepeliat. Tandem vero Martyrum in Amphitheatro interfectorum membra, quæ nec beſtiæ adhuc vorarant, nec ignis abſumpſerat, partim minutatim dilaniata, partim inſtar carbonum combuſta: quin etiam ſecuri percuſſorum capita una cum corporis truncis collecta dies complures ſimiliter militum excubiis inſepulta cuſtodiunt.* Quod verò in memorata epiſtola dicitur per dies quamplures militum excubiis ad cuſtodiendum Martyrum corpora exhibita fuiſſe, etſi plurimis id comprobari queat exemplis, attamen ex multis pauca ſufficiant, quæ à nobis hic infra apponentur. In primis enim de projecto, inſepultoque Bibianæ corpore ita legitur: *Cujus corpus jacuit in foro Tauri duobus diebus, jubente Iuliano tyranno, ut terrorem incuteret Chriſtianis.* Porro ſanctorum Pamphili, ſociorumque Martyrum corpora ſub Galerio Maximo dies quatuor jacuiſſe inhumata eorumdem ex actis comperimus. Necnon quinque dies Sanctorum Olympiadis & Maximi ſub Decio, ut in S. Laurentii actis perhibetur. Totidem etiam dies inhumata SS. Quatuor Coronatorum corpora ſubſtitere, qui conſtanter pro fide Diocletiano martyrium conſummarunt. Et ſacra quidem Cypriani & Juſtinæ pignora ſub eodem ad ſex dies projecta ſunt. Venerandæ autem Marcellini Papæ, & ſociorum exuviæ ad trigeſimum ſextum diem conſueto ſepulturæ honore caruerunt, ut in ſociorum martyrio ſub Maximiano perhibetur.

[Corpora SS. Martyrum Lug. & Vienn. gentiles obſervant ne ſepeliantur.] [Euſeb. ep. Ecc. Lug. & Vien.] [Cod. Val.] [Sur. to. 3. Iun.] [Id. lib. 4. Aug.] [Id. lib. 6. Nov.] [Id. lib. 5. Sept.] [Anaſtaſ. Marcell.]

15 Quoniam vero etſi cuſtodiis hujuſcemodi adhibitis nefandum impiæ mentis propoſitum aſſequi haud commode poterant execrandi homines, aliud inuſitatæ crudelitatis adinventum excogitarunt:

[Irrito cuſtodium conatu, inventio bus Martyrum cor...]

ra sepulchris arcere satagunt.

runt: beatorum namque Martyrum corpora, vel membratim concisa per varia dispergere loca, vel aliis facinorosorum hominum, infideliumque, quin immo & ipsarummet aliquando belluarum cadaveribus commiscere, aliisque modis dedita opera occultare, & à Christianorum oculis surripere, ne condigno afficerentur honore, studuerunt.

Crescente gentilium impietate in Martyrum corpora pietas Christianorum erga eadem crescit. Rom. Breviar. die 14. Sept.

16 Sed quò magis impietas recrudescebat, eo amplius erga Martyrum corpora devota Christianorum pietas exarsit. Nonne Romæ Abdon, & Sennen Persarum nobilissimi, quod Christianorum corpora, quæ passim inhumata projiciebantur, sepultura donarent, Imperatoris jussu comprehensi crudeliter necati sunt? Nonne Irenæus, atque Abundius ob eam præcipue causam, quia nimirum Beatæ Concordiæ corpus, quod in cloacam projectum fuerat, ad humandum quo par erat, obsequio levaverant, in eandem ipsimet cloacam ob exhibiti præmium ministerii demersi sunt? Nonne Justinus presbyter, qui humandis consimili devotione Martyrum reliquiis indefessam jugiter operam navabat, ab impiis ideo detentus, & Claudio præfecto oblatus, hæc ultrò oblatrantem sibi, ut fertur in actis, audiit: *An putas nos sacrilegia tua ignorare, quæ cum similibus tuis profanis per longa tempora commisisti? Nonne tu ausus es temeritate nefaria agere contra Deos, & contra præcepta invictissimorum Imperatorum; quia sacrilegum illum Laurentium sepelisse diceris, & Romanum militem perditissimum absconse tulisse deprehenderis, & quamplurimos hujus nefariæ sectæ tecum pariter absconsos habuisse inclamaris?* Hæc in Beati Laurentii actis de Justino, qui martyribus exhibitæ servitutis mercedem, martyrii coronam accepit. Sed nonnulla hic præstat ad rem exempla subtexere, quibus detestanda tyrannorum sævitia comprobatur.

Rom. Mart. Beda. Adon. Usuardus 26. Aug.

Acta S. Laur. mart.

Sur. lib. 3. 3. Maji.

Tyranni minantur Christianis privationem sepulturæ.

17 In actis igitur Alexandri Martyris sub Maximiano coronati, quæ apud Surium leguntur, has illi à Tyberiano Judice intentatas præ cæteris minas fuisse constat, & quidem his verbis: *Illud velim scias, carnes tuas & ossa per singulas regiones, per quas ego transiturus sum, dissipatum iri: & ne mulieres ipsæ aliquid è carnibus tuis & ossibus inveniant, quod postea unguentis odoratissimis perfundant, & ut sanctas aliquas reliquias venerentur, judebo cineres tuos in fluvium projici, sicque ne vestigium quidem aliquod memoriæ tuæ supererit.* Hæc apud Surium. De celeberrimo autem Martyre Stanislao sacræ actorum ejusdem paginæ isthæc legenti exhibent: *Certatim in illud sacrum corpus gladiis, & pugionibus sæviunt, creberrimis ictibus conficiunt, dexteram amputant, caput truncant, deinde reliquum corpus in sexcentas dissecant partes.* Et paulo infra hunc in modum: *Atque hac totius corporis beati viri dissipatione crudeli non contentus impius Rex* (Boleslaus scilicet) *jubet membra secta in varias dispergi partes, ut à bestiis & avibus devorarentur.*

Id. lib. 3. 7. Maji.

18 At sacris Martyris Hippolyti reliquiis post consummatum martyrii agonem quid sub Valeriano contigerit, erudite in suo Peristephano canit Prudentius, dicens:

Prudentius.

Scissa minutatim labefactaque corpore frusta
Carpit spinigeris stirpibus hirtus ager.
Pars summis pendet scopulis, pars sentibus hæret,
Parte rubent frondes, parte madescit humus.

Et infra hæc subdit:

Id. hymn. cit.

Mærore attoniti, atque oculis humentibus ibant,
Implebantque sinus visceribus laceris.
Ille caput niveum complectitur, ac reverendam
Canitiem molli confovet in gremio.
Hinc humeros, truncasq; manus & brachia & ulnas,
Et genua, & crurum fragmina nuda legit.

19 Porro Provinciarum Præsides, quippe qui sacris Martyrum corporibus toto animi studio insultabant, vel occultando, vel certe humari eadem prohibendo, ex una in aliam interdum provinciam sibi invicem eosdem Martyres, ac si res joco perageretur, transmittere consueverant, eo nimirum loci, ubi nulli prorsus Christianorum de facie ac nomine hi, qui transmittebantur, noti essent, eoque potissimum consilio id præstabant, ut nemo postquam pro fidei confessione sanguine laureati Christi pugiles decessissent, nemo, inquam, gloriosi funeris curam gereret. Quod quidem sub Diocletiano sævissimo Christianorum persecutore à Lysia, & Agricolao Præsidibus præstitum, Eustratii & sociorum acta fidem faciunt his præcipue verbis: *Dum ergo Lysias versans in Sataleon, si hujus regionis inveniebat aliquos sanctos viros, & sanctas fœminas, post multas interrogationes & tormenta, sub tutissima custodia transmittebat ad Agricolaum in metropolim Sebastenorum, ut ab illo de medio tollerentur, & non sinerentur in sua regione, & nec eorum cognati, & necessarii ullam eorum curam gererent, ne justa ferent eorum corporibus. Provinciæ quoque Præside transmittente eos, qui apud Sebastenos orti erant, Saraleon, hoc improbo inter se inito consilio, &c.* En lector quousque in Christianorum gentem dæmone persecutorum animos inflammante, desævitum est, ut fidem, vitam, aërem ipsum quo vivimus, terram, quæ sepulturam exhibet mortuis, & ut uno verbo dicam, bona pariter omnia inviderent.

Præsides [...] martyres transmittunt, ne ab aliquo funeris honore afficiantur.

Cod. Vatis. & S. Mart. ad Mart.

20 Haud verò satis visum est superstitionis gentilitiæ cultoribus, tot modis in Martyrum corpora sævire, nisi & hoc ad iniquitatis cumulum adderent, quo spem omnem Christianis præcluderent perquirendi eorum corpora, qui pro Christo ad sanguinem usque decertaverant (quod constanti imperterritoque animo aggredi sæpius vel morte ipsa contempta consueverant;) ut innocentium scilicet hominum post mortem exuvias ipsis facinorosorum cadaveribus aggregarent, & (quod ipse horret animus) brutorum quoque animalium ossibus, veneranda piorum ossa inserere, ac invicem permiscere nullatenus dubitarent. Sed detestandi hujusce facinoris ex approbatis selectisque historiarum paginis quamplura hic ad rem nostram exempla suppetunt. Ut enim videre est in gestis sanctorum Vitalis & Agricolæ, qui sub Diocletiano consummati sunt; pretiosa eorumdem corpora, ne à Christianis dignoscerentur, inter fœtida Judeorum cadavera projecta, & in eorumdem sepulchra, quo penitus negligerentur, illata fuere: ubi postmodum à se reperta, honorificeque tumulata fuisse D. Ambrosius testatur his verbis rem totam prosecutus: *Inter Iudæorum sepulchra reconditi fuerant, ne à fidelibus reperirentur. Christum igitur confitentes, & pro ejus gloria morientes, inter eos, qui eum negaverunt, indecore sepulti sunt. Locum autem qui omnes latebat, Christus Dominus noster mihi revelare dignatus est, ubi jejuniis, & orationibus plures habentes excubias invenimus tandem pignora martyrum, prout mihi Dominus revelaverat, tanquam inter spinas rosam legentes.* Huc item pertinere videtur, quod de quamplurimis Christi Martyribus, qui Cæsaraugustæ sub eodem Imperatore Diocletiano martyrio coronati sunt,

Ossa Martyrum facinorosorum, & brutorum ossibus ne dignoscantur, permiscent.

S. Ambr. in exhort. ad Virg. & ep. 55.

Corpora SS. Vitalis, & Agricolæ inventa.

Brev. Cæsaraug. lect. 6.

ſunt, in ejuſdem Eccleſiæ Breviario his verbis adnotatur: *Et ut tanquam criminoſos, hoc eſt, diverſorum criminum reos, qui in carcerum ergaſtulis tenebantur, interfici juſſit, Dacianus ſcilicet, & illorum corpora Chriſtianorum corporibus congeſta aggregari, & omnia ſimul ignibus cremari.*

Sur. lib. 1 9. Ian.

SS. Julianus, & Celſus interfacinoroſos decollantur.

21 De martyribus Juliano & Celſo, qui ſub eodem martyrium perpeſſi ſunt, idipſum in eorundem apud Surium actis, & quidem his verbis expreſſum reperies: *Hæc videns Præſes, convocans omnes magiſtratus civitatis, jubet omnes cuſtodias perſcrutari, & perſonas jam morte dignas in Amphitheatrum intromitti, atque ſanctos Dei inter diverſorum criminum reos & ſacrilegos decollari præcepit.* Nec verò ſilentio id prætereundum videtur, quod de Taraco, Probo & Andronico, qui ſub Diocletiano in agone pro Chriſti fide ad ſanguinem uſque invicto animo perſtitere, conſcripta eorum geſta perpetuæ memoriæ commendarunt, poſteriſque legenda exhibent, ubi iſthæc: *Sed invidus quidam & ſceleratus judex nobis invidens ſanctorum reliquias, jubet corpora Martyrum profanis admiſceri corporibus, quæ fuerant interfecta à gladiatoribus, decem militibus mandans, ut ea ſervarent.*

Sur. to. 5. 2. Octob.

SS. Euſebii, Neſtorii & Zenonis reliquiæ jumentorum oſſibus permiſcentur.

22 Illud autem execrandum omnino eſt, quod apud Sozomenum de Martyrum Euſebii, Neſtorii & Zenonis reliquiis enarratur, quæ profanis jumentorum oſſibus permixtæ fuere, ut idem refert auctor: *Reliqua autem oſſa*, inquit ipſe, *quæ ignis neutiquam abſumpſerat, oſsibus camelorum & aſinorum, quæ ibi projecta erant, admiſcent, adeo ut perdifficile eſſet ea inter oſſa reperire.* Nec quiſquam interim admirari debet, dum iſthæc ſub Juliano Apoſtata contigiſſe legit, cujus juſſu iidem Martyres interfecti ſunt. Impius enim ille Imperator, ut hiſtoriæ perhibent, longe amplius quam ipſimet gentiles Chriſtianæ religionis cultui, Chriſtique, ac Martyrum gloriæ invidens, eo furore in Chriſtianos exarſit, ut eos de medio tollere, eorum penitus abolere nomen ac memoriam ſecum ipſe cogitaverit, totoque id conatu præſtiterit. Quapropter ad absterrendos à ſincero religionis cultu Chriſtianorum animos, impius homo, non modo eorum corpora humari haud umquam permiſit, ſed ubi jam humata fuiſſent, quantocyus perfodi ſepulchra, indeque cadavera extrahi, ignibus injici, ac beſtiis tradi, aliiſque modis venerandas jugiter diſpergi reliquias, & fere ad nihilum redigi, omnem movendo lapidem quo nil prorſus intentatum relinqueret, iniquiſſimis toto orbe promulgatis edictis præcepit, Gregorio Nazianzeno hujus rei teſte, qui in Oratione, quam adverſus eumdem Julianum ſcripſit, hæc utique non abſque intimo animi dolore ac lacrymis exprimit: *Non jam ſanctorum inciſorum præcordiis impuros porcos immittent, ut ſimul & pabulo & præcordiis expleantur. Non jam Martyrum ſepulturis ignem admovebunt, ut per eorum ignominiam alios à certamine deterreant. Non jam ſanctorum reliquias cum oſsibus contemptiſsimis per contemptum permixtas flammis abſument, aut in ventos mittent, ut eos honore talibus hominibus debito ſpolient.* Alludit nimirum Gregorius, dum hæc lamentabundus recitat, ad ea, quæ Palæſtinis ſub Juliano Martyribus contigiſſe Theodoretus tradit his verbis: *Aſcalone & Gazæ, quæ ſunt Urbes Palæſtinæ, primum virorum ſacerdotali dignitate ornatorum, & mulierum perpetuam virginitatem profeſſarum ventres diſcindunt, deinde farciunt hordeo, ad extremum eos porcis devorandos objiciunt. Sebaſtæ in Palæſtina Ioannis Baptiſtæ tumulum aperiunt, oſſa tradunt igni abſumenda, & cineres paſsim diſpergunt.* Porro id ipſum de venerandis ſanctiſſimi Joannis Baptiſtæ Præcurſoris oſſibus, quæ gravem ſub immani principe contumeliam perpeſſa ſunt, Rufinus narrat: *Iuliani*, inquit, *temporibus veluti relaxatis frænis efferbuit in omnem ſævitiam feritas paganorum: ex quo accidit, ut apud Sebaſten Palæſtinæ urbem ſepulchrum Ioannis Baptiſtæ mente rabida, & funeſtis manibus invaderent, oſſa diſpergerent, atque ea rurſus collecta igne cremarent, ſanctos cineres pulveri intermixtos per agros & rura diſpergerent.*

Sozom. hiſt. l. 5. c. 8.

Julianus Apoſtata Reliquias Martyrum promulgatis toto orbe edictis abolere nititur.

Gregor. Naz. Orat. contr. Iul.

Contumeliæ illatæ SS. reliquiis.

Theodoretus.

Crudelitas in Sacerdotum & virginum cadavera.

Rufin. lib. 2. cap. 28.

Sepulchrum S. Joannis Baptiſtæ à gentilibus evertitur, oſſa cremantur, & cineres diſperguntur.

23 Quod verò de ſacris Præcurſoris Chriſti pignoribus à Juliano mortalium nequiſſimo ſuo è loco exturbatis jam ſupra diximus, eadem prorſus injuria ac probro affecta fuiſſe celeberrimi quondam Prophetæ Eliſæi oſſa, Nicephori auctoritate didicimus: acta inſuper Artemii à Surio prolixiori ſermone relata, hæc habent: *In civitate quidem, quæ olim vocabatur Samaria; poſtea verò & condita fuerat ab Herode, & appellata erat Sebaſte, oſſa Prophetæ Eliſæi, & Baptiſtæ Ioannis, ut putabant, è loculis educentes, & cum immundis brutorum oſsibus commiſcentes exuſſerunt, & cinerem in aërem cribrarunt ac ventilarunt.* Immania autem ſacrilegia, hæc impia nefandorum hominum manu perpetrata fuiſſe, non Juliani dumtaxat temporibus, ſed ipſo inſuper velut impietatis architecto jubente ac inſtigante, haud obſcure ex iis colligitur, quæ ipſemet in ſuo Miſopogone narrat, cum dicit: *Deorum templa*, ethnici nimirum Syri, *reſtituerunt, ſepulchrum verò Atheorum*, (ſic nominat ſepulchra Martyrum) *ſigno à me nuper dato everterunt, ita elati & erecti animis, ut ſcelera eorum, qui Deos violarent, acrius etiam, quam mea ferebat voluntas, vindicarent.* Audiſti ex Apoſtatæ ipſiuſmet ore, quam acerbam martyrum oſſibus, & Chriſtianorum ſepulchris, hic hæreticorum, qui ſacras adhuc impugnant reliquias, Anteſignanus cladem indixerit; ad revocandos nimirum ab inferis redivivos abolitos gentilitiæ ſuperſtitionis errores, & orthodoxæ fidei religionem extirpandam. Sed ſanctorum oſſa dum petulanter conculcat, contra impium hominem è Cælo dimicatum eſt, & ab his, quibus inſultaverat vivus, idem moriens tandem funeſtam in Perſide plagam accepit, & qui martyribus ſepulchri gloriam inviderat, infelix è bello rediens, atque inglorius vix ad ſepulchri gratiam receptus eſt. Sed hic præſtat Gregorium Nazianzenum impii Juliani funus è Perſide, ubi occiſus fuerat, Tarſum Ciliciæ, ubi ſe condi juſſerat, proſequentem attentis auribus excipere: *Exagitabatur à populis*, inquit, *& urbibus publiciſque & ſcurrilibus vocibus. Mimi & hiſtriones eum ducebant, probriſque à ſcena petitis, ac ludibriis inceſſebant, eique fidei abjurationem, & cladem, vitæque finem exprobrantes, nihil denique ex eis non facientes, ac dicentes, quæ hujuſmodi homines, qui petulantiam pro arte habent, perpetrare conſueverunt: quoad tandem Tarſenſis civitas eum excipit, haud ſcio quomodo & quam ob cauſam hac contumelia mulctata. Hic illi templum infame, tumuluſque impurus & execrandus, ac ne piorum quidem oculis ſpectabilis.* Hæc Nazianzenus in execrandum, ac impium hominem quot verba, tot jacula intorquet, neque hæc una calamitas in patratorum illi ſcelerum pœnam obtigit, ſed & alia inſuper gravior, eodem teſte Gregorio, nam qui Chriſtianos cum viventes,

Item oſſa Eliſæi Prophetæ.

Niceph. in Act.

Sur. l. 5. 20. Octob.

Iul. in Miſop.

Funus Juliani Apoſtatæ, qui honori ſepulchrali martyrum inviderat, populi probris ac ludibriis inceſſunt.

Gregor. Naz. orat. 2. in Iulianum.

Ejus cadaver post [illegible] excutitur.

ventes, tum mortuos insectatus jugiter, nec loco consistere passus fuerat, ejusdem deinde ossa licet tumulo illata haud unquam quiescere permissa sunt, sed terra ipsa insolito tremore ac fragore concussa, infame illud cadaver sua intra viscera retinere non sustinens, abjicere ac evomere quid velut prophanum, atque abortivum conata est; sed portentum ejusmodi condigno orationis stylo Nazianzenus in hæc verba perstrinxit: *Non multum temporis intercesserat, cum impium illum & sacrilegum* (nempe Julianum) *ad Persas vis numinis ultrix ablegat; illicque causam disceptat: & quem magnificum, & honoris cupiditate flagrantem transmiserat, eundem mortuum reducit, ne miseratione quidem quemquam permoventem, immo ut mihi quispiam narravit, nec ad sepulturam assumptum; sed à terra, quæ propter ipsius scelus tremore affecta fuerat, excussum æstuque vehementi projectum in sequentis, ut opinor, supplicii præludium.* Hæc in cadaverum effossorem, & sacrarum contemptorem reliquiarum Nazianzenus, sed ad rem nostram si libet redeamus.

[illegible] orat 21. in laud. Athan.

Festis Bacchanalibus Christianorum cadavera effodere, iisque insultare gentiles assolent. Tertull. in apolog.

24 Neque omittendum hic est, quod Tertullianus in Apolog. adnotavit, ejusmodi videlicet cadaverum effossionem à gentilibus perpetrari in eorum potissimum feriis, vel potius furiis, ut idem Tertullianus ibidem nominat, consuevisse, nempe: *Ipsis Bacchanalibus furiis, nec mortuis*, inquit, *parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturæ, & asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos avellant, dissipent, distrahant.*

Ipsæmet feræ humanitate erga cadavera superant gentiles.

25 Vides ex jam enarratis, amice Lector, quousque insana barbarorum hominum impietas prosilierit, ut suprema humanitatis officia, quæ hominibus ipsæmet aliquando feræ præstiterunt, contra fas omne subtraxerint. Ut enim luculenter insignem Tobiæ pietatem in cadaveribus humandis Ambrosius celebrans ait: *Feræ hanc humanitatem corporibus detulisse produntur, homines denegabunt? Nihil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi jam non possit reddere: vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ.* Quam immane igitur scelus, homines humanitatem ipsam exuere, quam silvestres ultro belluæ humanis præstare cadaveribus naturæ ipsius magisterio didicere.

S. Amb. l. de Tob. c. 1.

Idolum Apollinis S. Babylæ mart. reliquias è Daphne exturbari jubet.

26 Et Dæmone quidem instigante, qui Christi, sectatorumque ejus virtutem, ac gloriam ferre non poterat, beatorum Martyrum corpora post tormentorum superata certamina à carnificibus ejuscemodi supplicio addicta fuere. Ut enim acri orationis stylo invehitur Chrysostomus in quoddam simulacri Apollinis, quod in Daphne olim colebatur, exhibitum Juliano Imperatori responsum, ut inde videlicet celeberrimi Martyris Babylæ reliquias quantocyus exturbaret, quarum vi dæmon obmutescere coactus, inglorius inter idola remanserat, ejusdemque oracula à confluentibus solicite requisita præpediebantur: hæc autem sunt verba Chrysostomus: *Quid scelestius his mandatis fieri possit? insolitas dæmon sepulchrorum expoliationis leges invehit. Quis unquam mortuos ejectos audivit? Quis anima destituta corpora sedibus pelli jussa vidit, quemadmodum hic imperavit, & communes naturæ leges funditus evertit? Sunt enim apud mortales omnes hæ leges communes, ut qui vita functus est, terra condatur, sepulturæ tradatur, ac sinu magnæ omnium matris obvolvatur: dæmon autem sublata persona, communia naturæ dogmata palam repugnat.* Hucusque Chrysostomus detestandam Iuliani impietatem, irritosque ipsorum dæmonum conatus disertissimis verbis perstringens: ex quibus palam fit lectori, dæmonis plane impulsu beatis Athletarum Christi cadaveribus ab Apostata nequissimo, licet res illi haud ex voto contigerit, ut jam diximus, bellum fuisse indictum: sed ad ultiora progrediamur.

Chrysost. hom. 10. de S. Bab.

Dæmon communium naturæ legum oppugnator.

CAP. V.

Martyrum corpora igni traduntur.

1 Apud gentiles, qui infensi jugiter Christianorum nomini extitere, in more illud positum fuit, ut Christi Martyres, eorumque corpora igni absumenda traderent; quod in pluribus, quæ passim leguntur, eorumdem actis, tum ipsorum jussu persecutorum, tum prompta ministrorum manu præstitum fuisse novimus. Cum enim illi Christianos omnes magos esse arbitrarentur, magicisque incantationibus, ac dæmonum præstigiis dementatos mira quæque ac portentosa eosdem patrare affirmarent, pœna alioqui magiæ sectatoribus, legum tenore inflicta, ignis videlicet, in eos animadvertere consueverant. Hac vero olim pœna Deo æquissimo scelerum vindice Josias Rex ille Judæorum pietate, ac religionis zelo præcipuus sacerdotes sacrilegos nec non idololatras æmulando ad posteros transmisso exemplo affecit. Tulit enim, juxta id quod longe ante prænuntiatum fuerat, eorundem è sepulchris ossa, & ut Scriptura testatur, *super altare combussit*, & super excelsum, quod Jeroboam feceratin Bethel, & polluit illud, cum tamen intactum prorsus Prophetæ illius tumulum subsistere voluisset, cujus voce, vel ut melius dixerim, divinitatis oraculo, quod Josias tum demum præstitit, ipsemet Deus multa ante secula prædixerat. *Venit*, Scriptura loquitur, *ut vir Dei de Iuda in sermone Domini in Bethel, Ieroboam stante super altare, & thus jaciente; & exclamavit contra altare in sermone Domini, & ait: Altare, altare hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui David Iosias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet.* En ultrix pœna, cui sacrilegi homines, & qui idololatriam sectantur, divino impellente numine subjiciuntur; zelus Dei pium Regem inflammat contra idololatriæ impietatem, & dum sacro igne super altare prophanorum hominum ossa incendit, gratum, acceptumque Deo sacrificium offert in odorem suavitatis.

Christiani tanquam venefici pœna ignis ab Ethnicis afficiuntur. Paul. l. C. l. 5. sent. tit. 23.

Josias Rex Judææ sacerdotum idololatrarum ossa in altari combussit.

4. Reg. 23.

Sacrilegi homines igni adducuntur.

Reg. 4. c. 23.

2 Hoc tamen in Christi Martyres animadvertendi genus, eam præsertim ob causam adhibitum est, ne venerandas eorundem reliquias, quas avide requirebant Christiani, sepulchro recondere, religiosoque, ut par erat, cultu prosequi valerent, quod iidem summopere præoptabant. Martyrum enim memoriam ac cultum omnem, eorundem absumptis igne corporibus, se abolituros perperam rati gentiles, in id totis viribus contendebant: hac una enim permoti causa, ut Eusebius ait, *se Christianorum cadavera vastare, comburere, demergere nequissimi homines profitebantur*, eo nimirum consilio, ne ulla resurrectionis spes illis reliqua fieret: & ut viam omnem fidelibus præcluderent, religiosum, promeritumque athletarum Christi reliquiis obsequium deferendi. Quanto verò animi studio in id Christiani jugiter incumberent, & quo doloris sensu afficerentur, cum Martyrum corpora absumi viderent, nec vindicare ab igne,

Cur Martyres à gentilibus ad ignem condemnarentur.

Euseb. lib. 5. c. 1. in fine.

Christiani graviter dolent corpora martyrum ignibus absumi.

nec

nec debitum eis cultum ulla ratione impendere liceret, disertis utique verbis Augustinus testatur, dum ait: *Tamen apud fratres luctus ingens erat, quod nulla dabatur potestas Sanctorum funeribus justa persolvendi, nec occulte subtrahere aliquid crudelium custodum vigiliæ permittebant. Atque ita cum illos, qui occisi fuerant, in dilaceratione membrorum suorum, in conflagratione ossium, in dispersione cinerum, miseria nulla contingeret, istos tamen, qui nihil eorum sepelire poterant, magna miseria cruciabat; quia nullo modo illis sentientibus, ipsi quodammodo sentiebant, & ubi jam illorum nulla erat passio, erat istorum misera compassio.* Hæc Augustinus, dum illatas martyrum cadaveribus contumelias amarissimis verbis deplorat.

D. Aug. de cura post mort. c. 8.

Antiochenorum studium in humandis corporibus SS. Juventini, & Maximi.

3 Insignem verò Christianorum erga beatos Martyres pietatem luculenter Chrysostomus describit, piaque Antiochenorum studia commemorat, qui ut corpora Romanorum militum Juventini & Maximi in eadem civitate sub Juliano Apostata coronatorum, officiose è carnificum manibus abrepta, condigno honore colerent, quævis subire pericula non dubitarunt: *Post beatam*, inquit, *illam cædem, quidam etiam cum salutis periculo, athletas illos optimos rapuerunt, etiam ipsi vivi Martyres, ut eorum reliquias curarent decenter. Nam quamvis non occidebantur, optassent tamen mori potius, quam ut corpora illa relinquerent inhumata.* Verum quoniam non est consilium contra Dominum, haud destitit quandoque Deus miris utique modis aberrantes à recto rationis tramite mortalium cogitationes, & consilia gentium eludere, & Martyrum reliquias ab omni injuria vindicare, ut ex apponendis infra exemplis constabit.

D. Chrys. orat. in SS. Juvent. & Max. mart.

Deus vana gentium consilia dissipat.

4 Acturi igitur de Martyribus incendio absumptis, ab iis potissimum enarrationis exordium faciamus, qui jure merito innumerabilium Romanæ Ecclesiæ Martyrum duces, & primitiæ fuere; hi quippe apud Neronem de Urbis incendio per calumniam delati, vario mortis genere, sed flammarum præsertim supplicio, eodem jubente affecti sunt. Quorum illustre martyrium ex Cornelio Tacito, licet infenso Christiani nominis hoste, in Martyrologio Romano ejuscemodi notis exprimitur, & quot verbis, tot pariter victoriæ palmis ac trophæis decoratur: *Romæ commemoratio Sanctorum plurimorum Martyrum, qui sub Nerone Imperatore de Urbis incendio per calumniam accusati, diverso mortis genere ab eodem jussi sunt sævissime interfici: quorum alii ferarum tergis contecti, laniatibus canum expositi sunt: alii crucibus affixi: alii incendio traditi, ut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis deservirent. Erant hi omnes Apostolorum discipuli, & primitiæ Martyrum, quas Romana Ecclesia fertilis ager Martyrum ante Apostolorum necem transmisit ad Dominum.* En primus militum Christi in Urbe flammis interemptorum triumphus, ut vere possent exultabundi iisdem verbis Proverbiorum sibi ob partam victoriam gratulari & concinnere: *Transivimus per ignem, & eduxit nos in refrigerium.*

Christiani sub Nerone de Urbis incendio falsò accusati variis suppliciis afficiuntur.

Tac. Annal. lib. 15.

Mart. Rom. 24. Iul.

5 Post invictos autem Christi athletas, quos hactenus memoravimus, igni quoque traditus fuisse legitur præclarus ille Polycarpus Smyrnensis Episcopus, & beati Joannis Apostoli discipulus; qui cum in Amphitheatro sub M. Aurelio, & L. Commodo conjectus in ignem fuisset, & ab eodem nil prorsus læderetur, gladio tandem confossus, gloriose Martyr pro Christo occubuit. Ejus tamen corpus, Judæis postulantibus, iterum igni traditum est, ut penitus absumeretur, nec pignus optatissimum Christianorum venerationi pateret. Insigne vero, ac satis nunquam celebrandum beati ejusdem Martyris certamen à Smyrnensi Ecclesia luculento sermone descriptum his plane verbis Eusebius recitat: *Nam certi homines Nicetem patrem Herodis, Daliæ fratrem submonebant, ut Præsidem exoraret, ne corpus ejus cuiquam daret, ne Christiani, inquiunt, Crucifixo illo derelicto, hunc venerari incipiant. Atque hæc Iudæis submonentibus, obnixeque instantibus aggressi sunt. Iudæi autem nos, quibus in animo erat illum ex igne eximere, accurate observabant. Censor autem cum videret Iudæos instare contentius, corpus Martyris in medio poni, & ut gentium mos fert, igne comburi jubet.*

S. Polycarpus ab igne divinitus servatus gladio confoditur.

Mart. Rom. 7. Kal. Febr.

Judæis instantibus ejus corpus igne consumitur.

Euseb. hist. l. 4. cap. 15.

6 Martyres insuper quamplurimi sub Severo Imperatore in Africa palis alligati suum inter flammarum globos consummavere martyrium, ut videre est apud Martyrologium Romanum. Ex quo factum est, ut tunc temporis Christianos Sarmentitios, & Semaxarios ignominiæ causa appellarent; quia ad semiaxis stipitem revincti sarmentorum ambitu crudeliter exurebantur, Tertulliano hujus rei teste in suo Apologetico. Ex quorum numero Martyrum fuere Jucundus & Saturninus una cum Artaxio, ut acta SS. Perpetuæ & Felicitatis nuperrime in lucem edita legenti fidem faciunt.

Christiani Sarmentitii, & Semaxarii per contumeliam appellantur.

Tertull. in apolog. c. 50.

7 Potamidenam verò una cum matre post exquisita quæque, ac inaudita tormentorum genera, quibus ejus fides tentata est, igne comburi sub eodem Severo jussam Eusebius refert, eodemque ex Martyrologio comprobatur. Porro Julianus una cum Euno famulo, Macarius, Neron & Isidorus, Decio imperante ob fidei confessionem exusti fuere. Inter hos Nemesius eodem sub Decio Imper. una cum latronibus igni addictus martyrium complevit; & ne ejusdem cineres seligi possent, facinorosorum hominum cineribus permixti sunt. Plurimos item Martyres sub Valeriano flammis injectos fuisse Cyprianus in suis epistolis narrat. Quod mortis genus tres illos invicti animi Martyres, Fructuosum scilicet Episcopum, Augurium, & Eulogium diaconum sub Imperatore Gallieno, & alios sexaginta duos, vel, ut in Martyrologio legitur duos & septuaginta, ad comprobandam fidei veritatem magna alacritate & constantia perpessos fuisse, compertum satis est ex actis nobilium Persarum Martyrum Marii & filiorum prolixius à Surio recitatis. Iidem verò Marius & filii eodem sub Claudio igne cremari jussi sunt, ne sepulturam videlicet post martyrii agonem consequerentur. Eandem mortis in Ægypto sententiam excepere Claudianus & Dioscorus sub Numeriano Imperatore. At sub Diocletiano innumeri pene recensentur Martyres, qui flammis consumpti in cœlum evolarunt, inter quos Anastasia virgo Romana præcipue eluxit, Irene pariter virgo, Peleus, Nilus & Elias Episcopi Ægyptii una cum pluribus clericis, Artemon presbyter, Menna Ægyptius, de quo Martyrologium & Surius. Præmemoratis verò Martyribus nobilis instar coronæ accedit copiosa Nicomediensium Christianorum multitudo, qui tunc ad celebrandum Natalitium Domini diem in Ecclesia convenerant: quorum triumphus inter flammarum globos luce ipsa clarior redditus his plane verbis à Martyrologio Romano contemplandus proponitur: *Nicomediæ passio multorum millium Martyrum* (in

Series multorum Martyrum qui per ignem coronati sunt.

Martyr. 4. Kal. Iun. 3. Kal. Mart. 8. Id. Sept. 19. Kal. Ian. 14. Kal. Ian.

Cypr. ep. 35.

Martyr. 5. id. Aug. 12. Kal. Febr. 5. Kal. Martyr.

Sur. 14. Feb.

Martyr. 5. Kal. Mart.

8. Kal. Ian. Non. April. 13. Kal. Octob. 8. Id. Octob. Martyr. 8. Kal. Ian.

Sur. to. 6. 9. Nov.

Mart. Rom.

(in Menologio Græco legitur viginti millium) *qui cum in Christi Natali ad Dominicum convenissent, Diocletianus Imperator januas ecclesiæ claudi jussit, & ignem circumcirca parari, tripodemque cum thure præ foribus poni, ac præconem magna voce clamare, ut qui incendium vellent effugere, foras exirent, & Iovi thus adolerent; cumque omnes una voce respondissent, pro Christo se libenter mori, incenso igne consumpti, eo die nasci meruerunt in cælis, quo Christus in terris pro salute mundi nasci dignatus est.* Hæc ex Martyrologio.

Viginti millia Martyrum Nicomediæ cum Templo conburuntur.

8 Quoniam vero ipso Diocletiano, cui par & in Imperio consors, haud morum tamen crudelitate impar Maximianus extitit, permulti quidem Christianorum sub eodem flammis item exagitati leguntur; uti in Phrygia Adaucus & cum eo omnes urbis unius ejusdemque cives, de quibus Martyrologium Romanum his verbis meminit: *In Phrygia sanctorum plurimorum Martyrum urbis unius Civium, quorum dux erat idem Adaucus, qui cum omnes Christiani essent, & constanter in fidei confessione persisterent, à Maximiano Imperatore igne consumpti sunt.* Quorum nobilissimum certamen describunt Eusebius, & Nicephorus. Eorumdem Lactantius quoque memoriam repetit, laudibusque celebrat, dum suam ipsorum gentilibus exprobrans sævitiam, ait: *Unus in Phrygia universum populum cum ipso pariter conventiculo concremavit.* Idem supplicium Cyriaca virgo passa est, de qua Romanum pariter Martyrologium 10. Maii. Eodem supplicio affecti sunt Alexander miles, & Antonina virgo, de quibus hæc apud Surium habes lectu quidem dignissima: *Furore percitus Festus, accendite, inquit, in fovea pyram vehementissime, & isti celeriter in illam conjiciantur. Fecerunt milites, quod jussi fuerant, & Festo id factum retulerunt. Tum ille immisericors Præses jussit militibus. Martyres ipsos pice illinire, & in pyram conjicere. Fecerunt ipsi quod Præses jusserat, & Alexandrum & Antoninam illuc conjecerunt. Iussit autem Præses & aridam picem supra pyram imponi, ut illi omnino comburerentur; atque ut ipsorum ossa in cinerem redigi possent. Iussit deinde foveam ipsam obrui, dicens: Ne mulierculæ istorum ossa colligere possint, sicut mos est Christianis hominibus facere, &c.*

Integra civitas in Phrygia propter fidem à Maximiano Imp. incenditur. 7. Id. Febr.
Euseb. lib. 8. cap 23. Lactantius lib. 6. c. 11. Nicephorus lib. 5. c. 10.
14. Kal. Iun.
Sur. to. 3. 3. Maii.
S. Alexander, & Antonina pice illiti combusti sunt.

9 Hadrianus quidem etsi una cum viginti tribus martyrium crurifragio consummavit, ejus tamen sociorumque corpora flammis addicta sunt, quo illustrior eorumdem memoria fieret, vel ipsos inter cineres rediviva, de quibus isthæc in Actis: *Maximianus autem jussit corpora eorum flammis exuri, dicens: Ne forte veniant Galilæi (sic enim appellabat Christianos) & tollant ea, &c.* Theodorus denique miles, & Ennata virgo sub eodem Maximiano Imperatore ad optatam martyrii palmam, medios per ignes nobili adaucti triumpho victores in Cælum advolarunt, quibus Adibus diaconus sub Licinio adnumerandus est. Sub impio autem Juliano ac nequissimo Christianæ fidei desertore, flammis crudeliter absorpti sunt præ cæteris Manuel, Sabel, & Ismael, in quos barbaram hanc prolatam ab illo fuisse sententiam legimus, ut nimirum post multiplicia, horrendaque tormenta transverberati gladio vitam finirent, & statim deinde rogus quam maximus accenderetur, in quem eorum corpora projicerentur, ut ne pulverem quidem Christianis extrahere liceret, etsi tentare id ultro voluissent. Sub Juliano item Apostata, qui contumeliosæ sacrorum pignorum dispersioni, summa, qua præditus erat, animi feritate enixe operam dedit, haud imparem crudelitatis modum in Eusebium, Nestalium, & Zenonem martyres adhibitum fuisse Sozomenus refert, qui isthæc in facinoris ejusmodi detestationem habet: *Ut vero eos discerpserant, & corpora ita confregerant, ut cerebrum in terram efflueret, extra Urbem deducunt ad locum, in quo animalia expertia rationis mortua projici solent, atque accenso rogo, eorum corpora comburunt.* Postremo enarrationis loco subtexendi, & condignis laudibus excipiendi sunt Elpidius ordinis Senatorii, Philippus Episcopus, Severus presbyter, Eusebius, Hermes, & cæteri, qui sub eodem Juliano, aliisque sævissimis Imperatoribus per ignem transeuntes in refrigerii locum mirabiliter educti martyrium consummarunt.

Sur. to. 5. 8. Sept.
Hadrianus cum sociis post crurifragium cremantur.
Id. Non. Sept. Id. Novemb.
Kal. ...
Kal. Iul. ... l. 3. 17.
Corpora Manuel. Sabel, & Ismael à Juliano post. igni addicantur.
Sozomen. hist. l. 5. c. 8.
Martyr. 16. Kal. Dec. 11. Kal. Nov.

10 Quis interim, vel obiter saltem amice lector, quoniam flammarum, quibus martyres excruciati sunt, mentio incurrit, quis, inquam, totus ingemiscens non meminerit, crudelitatis dicam, an impietatis, qua contra Dei Ecclesiam furens impurus æque ac impius Henricus Octavus Anglorum Rex, Catholicæque fidei ac religioni acrius moribus, manibusque bellum indicens, sanctissimum Archiepiscopum Thomam Cantuariensem, qui quadringentis ante annis sub Henrico item ejus nominis Secundo pari nequitia prædito, ob jurium Ecclesiasticorum defensionem gloriose martyrium consummaverat, carnificis manu ipso è monumento extractum, & in judicium ad regium tribunal evocatum, damnatumque publice concremari, ac cineres in ventum protinus dispergi jussit. Auditin paucis perstrictam verbis, ò Lector, inauditam hominis omnium nequissimi immanitatem? His adde quæ Græcorum Schismatici, cum adversus Catholicos Constantinopolitana in Urbe demorantes grassarentur, sub impio Andronico Comneno eorumdem Imperatore, crudeliter præstitere. Ut enim Guillelmus Tyrius ex Latinis, & ex Græcis Nicetas Chroniata conscribunt: *Nec mortuis*, inquit Tyrius, *quibus omnibus parcere consuevit impietas, tuta erat quies; quos de monumentis extractos, per vicos & plateas, quasi illatas sentirent injurias, distrahebant.* Sacro item in bello contra Albigenses cum nobilis quidam Catholicus interemptus fuisset, & Catholicorum ritu humatus, ab hæreticis deinde extractus de tumulo & per plateas distractus, bestiis & avibus expositus est. En præclara hæreticorum gesta, quibus cum fide pietatem pariter ac humanitatem se exuisse testati sunt.

Sur. in hist. ann. 1537.
Henr. VIII. Rex. Angl. S Thomæ Cantuarien. corpus è monumento extrahi, damnari, ac concremari jubet.
Sander. de schis. Angelic. Bulla Pauli Papæ III. de Henrici condemnat.
Græci Schismatici cadavera Catholicorum effodiunt & per plateas raptant.
Tyrius l. 22. c. 12. 13.
Nicet. in Andron. l. 2. in fin.
Hist. Albigen. c. 63.
Albigenses hæretici eadem contumelia viri nobilis Catholici corpus afficiunt.

11 Sed quorsum hic haud hominum memoria dignam Dunaan Homeritarum Regis barbariem orationis stylo perstringere, atque enarrare prætermittimus? Qui cum Justini Senioris temporibus Christianos in sua ditione constitutos acrius infectaretur, Naagran civitate per dolum intercepta, rogare protinus ab incolis cœpit, ubinam eorum Episcopus degeret, qui nomine Paulus, eximiæ vir sanctitatis extiterat; cumque duobus ante annis obiisse eumdem didicisset, *non habens*, inquit auctor, *in quem iram immitteret, contendit ad pulverem, & jussit sepulchrum effodere, & illius corpus comburentes in aërem ventilare.* Verum ut illud quoque merito Prophetæ vaticinium adimpleretur dicentis: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Per aquam pariter Beatorum Martyrum quamplurimi pro Christianæ fidei confessione ad

Dunaan Rex corpus Pauli Episcopi effodit, comburit, & cineres dispergit.
Metaphrastes Surius 24. Octob.
Psal. 65. 12.

regnum transire compulsi sunt: de quibus nobis infra dicendum superest, quo post recensitas tot illustrium certaminum coronas insano gentilium furori, qui Martyres ad triumphum provexit, coronidem potius quam silentium imponere videamur.

CAP. VI.

Martyres aquis merguntur & in puteos atque cloacas projiciuntur.

Acerbum mortis genus antiquis visum submergi aquis, & quare? *Arist. Ethic. 3.*

1 Horrendum supplicii genus ab antiquis habitum est, si aquis quispiam immersus occumberet, quia nimirum consuetos sepulturæ honore ac beneficio careret, quod singulis hominibus nativo quodam jure terra exhibet. Quapropter ipsemet Aristoteles ait, *viros alioqui fortes, qui in mari moriuntur, ejusmodi mortis genus molestissime ferre.* Quod & Vegetius affirmat, dicens, *nullum militibus quondam, cum tot ac tanta sint mortis genera, acerbiorem quidem casum contingere potuisse, quam si ipsis inter pelagi undas demortuis, absumenda eorumdem corpora piscibus insepulta projicerentur.* Quod quidem acerbissimæ mortis genus heroëm illum celeberrimum Achillem summopere detestatum fuisse apud Homerum legimus, cum se à fluvio Xantho absorbendum expavesceret: quem Scipio deinde apud Silium æmulatus fuisse videtur, qui cum à Trebia imminens sibi vitæ discrimen præsentiret, sublatis ad Cælum palmis ita perorasse inducitur:

Veget. l. 4. c. 44. in fin.

Achilles in periculo submergendi talem mortem deprecatur. *Iliad. 8.* Item Scipio.

Sil. Ital. l. b. 4

Dii patrii, quorum auxiliis stat Dardana Roma,
Taline me letho, tanta inter prælia nuper
Servastis? fortunæ animam hanc exscindere dextra,
Indignum est visum?

Et Hippodemon.

Qua plane ratione Hippomedontem, dum inter undas Theumesii amnis periclitaretur, his vocibus exclamantem poëta describit:

Stat. Thebaid lib. 9.

—— fluvio ne (pudet) Mars inclyte, merges
Hanc animam? segnesque lacus & stagna subibo,
Ceu pecorum custos, subiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? adeone occumbere ferro
Non merui?

Aeneas Pallantis corpus piscibus escam fore metuens casum illius deflet. *Apud Virgil. Æneid. l. 10.*

2 Et ut pauca ex multis in medium proferantur. Nonne Æneas apud Virgilium ob Pallantem à Turno occisum, furore in Latinos correptus, isthæc fulmina potius quam verba valide intorquet:

Isthic nunc metuende jace: non te optima mater
Condet humi, patrioque onerabit membra sepulchro;
Alitibus linquere feris: aut gurgite mœstum
Unda feret piscesque impasti vulnera lambent.

Achilles Lycaoni in flumen projecto tanquam de malo gravissimo insultat. *Apud Homer. Iliad 8.*

Quibus etiam illa Achillis Homeriani carmina respondent, dum Lycaoni Priami filio à se occiso, & in flumen projecto, hunc in modũ furibundus insultat:

Isthic nunc jace cum piscibus qui tibi vulneris
Sanguinem lambent securi: neque te mater
Impositum lectis deflebit: sed Scamander
Feret verticosus in maris latum sinum:
Saltans aliquis per undam sub nigrum horrorem
percurret
Piscis quo devoret Lycaonis album adipem.

Complura item suppetunt petita ex antiquitatum tabulis exempla, quibus palam comprobatur acerbissimum pœnæ genus cujusvis conditionis homines ratos fuisse, si aquis submersi cum sepulchri jactura periissent.

Idem in aquis exitium ut summum malorum Thyestes Atreo imprecatur.

3 Quocirca fatale hoc, quod inter aquas naufraganti contingere consuevit exitium, ut summum malorũ omnium, quæ misero cuiquam acciderent, Thyestes Atreo imprecatur: illud verò miserandum ac lugubre mortis genus procul à se fieri enixe Ovidius, naufragio imminente, deprecabatur:

Ovidius 1. Trist. 2

Non lethum timeo, genus est miserabile lethi;
Demite naufragium, mors mihi munus erit.
Est aliquid fatoque suo, ferroque cadentem,
In solida moriens ponere corpus humo:
Et mandare suis aliqua, & sperare sepulchrum,
Et non æquoreis piscibus esse cibum.

Propertius 3. Eleg. 5.

Antiqui navigantes pretium sepulturæ è collo suspendebant in casum naufragii

Et Propertius in Pæti obitu id unum vehementer dolet; ingemitque, quod naufragio interceptus perierit. Adeo enim aquis absorberi antiqui horrebant, ut qui naufragium pati inter navigandum pertimescerent, ne ab undis projecti sepultura carerent, aurum, aut quidquid auro æstimandum venit, è collo in sepulturæ exhibendæ pretium suspenderent, quam sibi impendi ab his vel oblato pretio peroptabant, qui fortuito in eorumdem cadavera incidissent, ut ex Synesio conjici videtur, ad Evodium fratrem scribente, ubi de navigatione quadam diserte meminit, qua tempestatis, procellarumque vi actus in apertum vitæ discrimen venerat.

Synes. ep.

Cur veteres exstingui aquis adeo abhorrerent.

4 Verum præmemoratus Synesius aliam subinfert rationem, ob quam adeo apud antiquos supremum in mari fatum timeretur, rationem, inquam, ipso ex Homero mutuatam, nimirum quod animos quoque eorum, qui in aquis exstinguebantur, una cum ipsis corporibus interire ethnici crederent, ac propterea virum strenuissimum Achillem & in obeundis, perferendisque ultro constanterque periculis audacissimum, mortem tamen ab aquis, quam exitialem nuncupat, perhorruisse tradit. Hanc ut effugerent milites, qui navi eadem cum Synesio periclitabantur, suomet potius gladio in auras animum effundere, quam in marinos fluctus projicere maluerunt. Et inde Servius pariter eodem ex Homero observat Æneam in immani illa tempestate, quæ Junone instigante, oborta est, graviter ingemuisse, non quidem ob mortem, quam libenti animo subire cupiebat, sed propter detestandam necem, quæ tunc sibi in mari, aquarum submersione contingeret, quod anima videlicet, quæ igneæ naturæ est, contrarii, adversique elementi vi consumpta periret. Quapropter dispar olim cultus ratio ex Pontificum lege constituebatur inter eos, qui aut in mari necati, aut in mare projecti essent, atque inter eos, qui in mari occubuissent, quoad persolvenda eisdem justa, sepulturamque uti mos est, exhibendam. Ipse insuper Philo portentosum quiddam, & jugi commiseratione dignum existimavit, si quis in pelagi fluctibus diem obiret; de nece enim Flacci hominum nequissimi agens: *Satius est*, inquit, *in terra quam in mari perire.* Ex quibus colligi haud obscure potest, quam immane mortis ac supplicii genus antiqui reputarent, aquis quempiam absorbendum, omnimoda sepulturæ spe orbatum in profundum demergi. Hac autem potissimum animadversione gentiles olim, quippe qui jacturam sepulchri adeo perhorrescebant, in Christianos quoque uti, ad avertendos à religione animos terroribus hujuscemodi consueverant.

Malunt gladio perimi quam aquis submergi.

Ser. 1. Æneid.

Æneas in periculo naufragii non mortem sed genus mortis deprecatur.

Grutherus de Iure manium lib. 1. c. 9

Philo in Orat. contra Flacc.

Jactura sepulchri ut malorum pessimo Ethnici Christianos terrere conantur.

Torpes Martyr sub Nerone submergitur. 16. Kal. Iun.

5 Ut nunc igitur (quod ad rem præsentem attinet) Martyrum beatorum certamina exponere incipiamus, qui aquis præfocati sunt, quis nescit Torpetem Martyrem in mare projectum sub Nerone fuisse? de quo edita apud Mombritium acta hæc referunt: *Minister autem invenerunt naviculam modicam foris, & quia jam nullam utilitatem facere poterat, miserunt in eam corpus justi, & canem & gal-*

& gallum cum eo, & aquæ decurrenti dimiserunt, & tamdiu ibi steterunt, donec eam non viderent. In profundum item maris jacta sunt corpora Iuliani presbyteri, & Cæsarii diaconi sub Trajano, cum antea sacco inclusa fuissent, ut ex eorum gestis colligitur. Eodem sub Trajano B. Clemens Papa anchora ad collum alligata in mare demersus nobile martyrium consummavit. Idem fere passi sunt alii quamplures sub Hadriano, de quibus hæc in Martyrologio: *Romæ natalis plurimorum Sanctorum Martyrum, quos S. Alexander Papa cum detineretur in carcere, baptizavit. Hos autem omnes Aurelianus Præfectus navi vetustæ impositos in altum mare deduci, & illic ligatis ad colla lapidibus, mergi præcepit.*

[margin: ...al. Nov. Iuliani, Cæsarii ...pora ...co in... ...sa mari ...rguntur. ...S. Clemens Papa ...hora ad ...lum alligata. ...d. April.]

6 De fœmina præclaræ sanctitatis, nomine Aurea, in Martyrologio pariter enarratur, quod saxo ad collum alligato, sub Alexandro in mare dejecta portum salutis invenerit. Quin immo sub eodem Imperatore Alexandro quam plurimi milites Tyberina apud Ostia in maris profundum præcipites acti, pro Christi fide certo naufragio donati sunt, ut in beati Eusebii presbyteri actis legitur. Sub Maximino Hieron, Leontius, Serapion, Selesius, Valerianus, & Straton eadem affecti sunt pœna: quibus Apollonium, & quinque alios eodem sub Maximino, necnon Restitutam sub Valeriano adscribere licet: sub Diocletiano autem Nicomediensium Martyrum corpora, sepulchris, in quibus reclusa jacebant, ut jam recensuimus, persossis per summam Christiani nominis contumeliam in mare projecta sunt.

[margin: ...l Sept. ...urea ...ad ...um li... ...in ...e deji... ...r. ...S. Cod. ...etr. ...rtyr. ...l. ...ept. ...mplu... ...item ...tyres ...em sup... ...o ex... ...i sunt.]

7 Romanum porro Martyrologium, eodem Eusebio teste, plurimorum memoriam repetit, quos sub immani Diocletiani ejusdem persecutione naviculis impositos, pelagus vivos absumpsit: *Reliqua multitudo*, inquit Eusebius, *vinculis colligata, & à lictoribus in scaphis imposita in vastum maris gurgitem, fluctusque præceps projecta fuere.* Præter hos Claudius Commentariensis, Nicostratus Primiscrinius, Castorius, Simplicius, & Symphorianus, necnon Adrianus Præses, Theoticus, & alii tres sub Diocletiano in mari submersi sunt. Quibus omnibus accedit insignis ille meritorum gloria reliquos inter Martyres Chrysogonus nobili & ipse sub eodem tyranno inter maris gurgites martyrio decoratus. Corpus vero invictissimi Martyris Vincentii Levitæ à feris ipsis, quibus vorandum sub Diocletiano expositum fuerat, mira Dei virtute servatum; ubi rescivit Dacianus, excandescens ira illud protinus in mare projici jussit. Quod quidem in ejus gestis in hæc verba describitur: *Quo miraculo* (corvi scilicet custodis, de quo infra dicetur) *percussus clamare cœpit: Heu quidnam est hoc? ne mortuum quidem hominem istum superare possumus: quinimmo quo majori acerbitate in eum utimur, eo efficitur gloriosior. Quoniam igitur fieri non potuit, ut in terris consumeretur, in altum mare demergatur, ut hujus victoriæ magnificentiam mare ipsum obruat, ne quotidie omnibus ridiculus fiam. Dejiciatur autem, quemadmodum parricidæ solent, in utre ex bovis pelle confecto inclusum, saxisque magnis illigatum ejus cadaver in altum mare demergatur; cumque nautæ ipsi multum maris tranarint spatium, in undam profundissimam istius hominis cadaver dejiciant, ut si quod Vincentii membrum reliquum est, illud pisces consumant, & devorent.* Itaque pretiosæ Martyris reliquiæ, quemadmodum Dacianus fieri præceperat, conclusæ sunt, quas etiam in mare demersas fuisse in ejusdem Beati Vincentii Actis prolixius narratur.

[margin: ...al. Maji ...eb. hist. ...cap. 6. ...d. Mart. ...al. Dec. ...S. Chrysogonus in ...i submersus est. ...lib. 1. Ianuar. ...Vincentii ...pus, à ...o feræ ...initus ...tinue... ...t, in ...re pro... ...tur.]

8 In Beatos autem Mennam, Hermogenem, & Eugraphum quam impietatis sententiam iniquus Galerius Maximianus protulerit, his notis apud Surium expressam videre est: *Quoniam autem magnus Menna adhuc vivus petierat ab Imperatore, ut ejus corpus deponeretur Byzantii. De eo autem mandavit etiam iis, qui tunc erant fideles, & erant ei alioqui familiares. Et invidens Maximianus vel ipsam sepulturam, jussit capsam construi ferream, & in ea imponi corpora Martyrum, deinde etiam in Maris profundum transmittere, ne forte, dicens, aliquid dejustis faciendis Galilæis prædixerit, & ut sic ejus excideret prædictio, &c.*

[margin: Sur. to. 6. 10. Dec. — Martyrum corpora capsæ ferreæ inclusa in mare demerguntur.]

9 Alii quoque Martyres adnumerantur eisdem sub Imperatoribus Diocletiano, & Galerio in mare demersi, inter quos præcipui fuere Amphianus, Theodulus & Agathopedes, Callistus, Charisius una cum aliis septem, Ejusdem quoque feralis edicti sententiam subiere Thodisia virgo, & Ulpianus, qui cum aspide & cane insutus culleo in mare demersus est: quibus & alii plures adscripti sunt; inter quos eminet vir etiam nomine & merito præstantissimus Lucianus, de quo isthæc in recensitis apud Surium Actis: *Maximianus autem admiratus ejus perpetuam usque in finem constantiam, jussit iis qui in ejusmodi rebus inserviunt, ipsum in mare jacere cum magnum lapidem appendissent in brachio ejus dextero, ut submersus nusquam appareret, & corpus ejus nullam assequeretur sepulturam, nec justa ei fierent.* Licinio autem imperante ex Martyribus, qui ob confessionem submersi leguntur, Basileus Episcopus, & Marcellinus puer præcipui fuere. In fluvios vero veneranda permultorum Martyrum corpora, ut supra ab Eusebio adnotatum est, & in Rhodanum præsertim projecta sunt, quod quidem ad rei nostræ propositum non paucis comprobatur exemplis; maxime autem ex sequentibus patet: Hesychii militis sub Domitiano: Symphorosæ sub Hadriano: Asilæ sub Maximino: Sabini Hermopolitani sub Diocletiano: Antoninæ virginis & Floriani sub eodem Diocletiano: Quirini Episcopi & Martyris Sciscensis: Hermilii & Stratonici sub Licinio: Quadraginta quoque Martyrum sub eodem, de quibus in eorumdem Actis hæc leguntur: *At tyranni se mutuo conspicientes, dixerunt: Si reliquias istas ita relinquimus, eas tollent Christiani, & mundum universum complebunt. Age igitur ipsos in flumen projiciamus, &c.* En fidei Christianæ contemptores, en martyrum hostes, en sacrarum dispersores reliquiarum, quo crudelitatis devenere, dum martyribus triumphos ac gloriam, vitam insuper ac sepulturam invident.

[margin: Martyrol. 4. Non. Apr. — prid. Non. Apr. — 16. Kal. Maji. — 2. Non. Apr. — S. Ulpianus culleo cum aspide & cane insutus submergitur. — Sur. t. 1. 7. Ian. — Et S. Lucianus appenso ad brachium lapide. — 6. Kal. Maji — 4. Non. Ian. — Euseb. hist. l. 8. cap. 6. — Rhodanus in numeris in eo Martyribus submersis clarus. — Martyrol. 4. Kal. Dec. — 15. Kal. Feb. — Id. Mart. — Kal. Mart. — Prid. Non Iun. — Id. Ian. — Sur. 9. Mart.]

10 Porro inter flumina, quæ pretiosa hæc pignora, suo sinu officiosa veluti manu excipiendo, eorundem contactu nobilitata pariter & consecrata sunt, Romanus Tyberis toto orbe celeberrimus, principem sane locum jure merito sibi vendicat. Huc enim præter recensitos Martyres, quos ex eorundem actis novimus, quamplurimos insuper ex fidelium numero, Sublicio præsertim è ponte, ex quo facinorosi olim homines omnique improbitatis labe affecti præcipites dabantur, pari crudelitatis sententia exceptos projectosque fuisse credendum est: tales enim ut plurimum à gentilibus Christiani summa licet vitæ innocentia ac morum probitate prædití, habebantur. In sacris tamen fastis celebris horum tantummodo, annuaque memoria recolitur, Nicomedis scilicet presbyteri sub Domi-

[margin: Tyberis tot millium Martyrum contactu præ cæteris nobilitatus. — E ponte Sublicio præcipites dantur.]

Martyrol 17. Kal. Oct. 17. Kal. Nov. 6. Id. Maji. 8. Kal. Apr. 3. Non. Dec. 11 Kal. Mart. Id. 6. Id. Nov. Cod. Vat. & S. Petr. 5. Id. Maji. Prid. Non. Iul. 3 Non Iul. Sur. to. 1. 20. Ian.

Domitiano: Asterii pariter presbyteri sub Alexandro: Calepodii similiter presbyteri sub eodem: Quirini sub Claudio: Claudii Tribuni sub Numeriano: Maximi & Claudii fratrum, Præpedignæ cum duobus filiis Alexandro & Cutsia sub Diocletiano: Claudii item, Nicostrati, Symphoriani, Castoris & Simplicii sub eodem: Simplicii & Faustini sub eodem: Anthymi presbyteri & Tranquillini martyrum, ac Zoe pariter sub infestissimo eodem Imperatore; de qua haud omittendum est, quod ejusdem in actis legitur, nempe: *Illi autem tollentes corpus ejus, grandi alligatum saxo in Tyberim demerserunt, ne Christiani corpus ejus tollant, & faciant eam sibi Deam.* Pigmenius denique presbyter, qui Pastoris titulo insignitus erat, & ipse in Tyberim sub Juliano Apostata projectus ac demersus martyrium complevit: quo etiam apud Ameriam Secundus Martyr sub Diocletiano projectus est. Vides igitur amice Lector singularem Romani Tyberis prærogativam, tot quippe beatorum pignorum thesauris apprime locupletatus est, quot Martyres in eumdem necandos projici contigit; haud aureas vero Tagi arenas Tyberis noster invideat, qui venerandas aureorum, immo divinorum hominum reliquias suo alveo excepit, ab iisdem benedictionis gratiam recepturus. Venerabilis enim inde magis apud Christianos redditus est, quam apud gentiles ob quadraginta, & duos fluvios, qui suis eidem aquis tributum pendebant, sacer olim haberetur.

Gentiles Ss martyrum reliquias insultant. *9 Kal. Apr. Kal. Iun.*

Callistus Papa in puteum præcipitatur. *Prid. Id. Oct.*

11 Sed quoniam nunc de Martyribus mentio incurrit, qui aquis præfocati ad coronam evolarunt, Romæ quidem extat puteus, in quem laudatissimus Martyr ac Summus Ecclesiæ Pontifex Callistus sub Alexandro principe ab impiis è fenestra domus præcipitatus est. In puteum quoque pari decoranda martyrio Martha sub Imperatore Claudio projecta fuit. Verum & ipsasmet interdum Urbis cloacas, quæ quidem plures numero sunt, sepulchri loco excipiendis, fovendisque Sanctorum Martyrum corporibus, cum ad contumeliam projicerentur, inseruisse satis superque constat ex recolendis eorumdem actis: Feliculæ nimirum virginis sub Domitiano: Concordiæ beati Hippolyti nutricis sub Valeriano: Irenæi & Abundii, qui Concordiæ corpus ex cloaca, ut in condignum transferrent locum, reverenti obsequio levaverant: denique sacrum beati Sebastiani corpus in cloacam ipso sub Diocletiano, ut inter publicas sordes ignominiose putresceret, illatum fuit; de quo hæc in Actis præcipue leguntur: *Tunc ipsi milites tulerunt corpus ejus noctu, & in cloacam maximam miserunt, dicentes: Ne forte Christiani eum sibi Martyrem faciant.* Complurium aliorum quoque Martyrum corpora, quorum nomina à nobis penitus ignorantur, in cloacas projecta fuisse, vel ex eo manifeste conjici potest, quod nimirum apud plebem maleolentes olim homines, iidemque nequissimi, quales, ut jam diximus, Christiani vulgo censebantur, primum per Urbem ignominiæ causa tracti, ac miserandum in modum sub omnium oculis dilaniati in cloacas plerumque ob dedecoris notam, & ad malorum cumulum, projici consueverant; quod Herodianus Clendri liberis, ejusdemque amicis accidisse in ipsius Commodi Imperatoris gestis, in hæc plane verba enarrat: *Sed & liberi Cleandri, & quotquot illius amici fuerant, ad unum omnes contrucidati, tractaque per Urbem cadavera, & contumeliose habita, postremo in cloacas projecta.* Idem plane infortunium præmemoratus auctor dum Heliogabali deinde gesta describit, de ipsomet Heliogabalo & Sæmide subtexit, sic autem inquit: *Cæterum Antonini & Sæmidis cadavera trahenda per contumeliam plebi tradiderunt, quæ diu per Urbem raptata ac dilaniata, postremo in cloacas abjecta sunt, ut inde scilicet in Tyberim deferrentur.*

In Urbis cloaca innumeri projiciuntur. *Id. Iun. Id. Aug. 7. Kal. Sept. 13. Kal. Feb.*

S. Sebastiani corpus in cloacam abjectum. *Sur. to. 1. 20. Ianuar.*

Mos olim populo Romano malos homines per Urbem raptare, & in cloacas projicere.

Ea contumelia illata liberis, & amicis Cleandri. *Herod. lib. 1. in Comm.*

Item ipsi Heliogabalo, & Sæmidi. *Idem lib.*

12 Sed quod ad rem præsentem attinet; unco quidem antiquis temporibus damnatorum corpora trahi per vicos Urbis, & vias in more positum fuisse scriptores haud pauci testantur, & inter cæteros Lampridius in Commodo Imperatore, qui à furente acrius in ipsum Commodum populo his vocibus acclamatum fuisse refert: *Carnifex unco trahatur more majorum, unco trahatur*, dictum pluries. Sed perspicue id ex ipsis beati Martyris Sebastiani Actis colligitur, sub quorum finem hæc de sacri corporis revelatione Lucinæ matronæ ab ipsomet divinitus præstita recensentur: *In cloaca quæ est juxta Circum quære, & ibi invenies meum corpus, pendens in unco*, quo scilicet tractum fuerat. Hac igitur ratione cum cæteris quoque beatis Christi Martyribus, quos in varias passim Urbis cloacas projici contigit à barbaris utique hominibus actum fuisse haud vanis incertisque argumentis ad id asserendum permoti arbitramur. Et hæc interim studioso Lectori sufficiant, ad inhumanos gentilium mores comprobandos simul & improbandos, qui Christianorum corpora post consummata martyria, ut graviori afficerentur injuria, humari prohibebant. Ex his autem quæ à nobis hactenus enarrata sunt, eo magis mira ipsius Dei erga Martyres cura, & providentia singularis elucet, & pro merito satis numquam laudanda cultorum Christi pietas, jugis solicitudo ac studium in Martyrum reliquiis, quæ passim projiciebantur, haud absque certo vitæ discrimine vel inter ipsas persecutorum nec non carnificum manus diu, noctuque perquirendis, iisdemque honorifice tumulandis: ut palam omnibus ex jam dictis innotescit, & de quo potissimum à nobis infra disserendum erit.

Lampr. in Comm.

S. Sebastiani corpus pendens in unco quo tractum fuerat invenitur. *Acta S. Sebast. apud Sur. to. 1.*

Sævitia gentilium in perdendis Martyrum reliquiis.

Providentia Dei in iis præservandis.

Pietas ac studium Christianorum in iisdem perquirendis recondendisque.

CAP. VII.

Martyrum corpora à ferarum dentibus servantur illæsa.

1 SPes utique vana fefellit infensos Christiani nominis hostes, qui futurum proculdubio sperabant, ut novis ad sæviendum modis quotidie adhibitis, adinventisque, pietatem exstinguerent, & Christi religionem tunc potissimum funditus perderent, cum beatorum Martyrum cultum, qui animis insederat, ac memoriam, quæ apud omnes jugiter vigebat, sacris eorumdem reliquiis insultando, ex orbe terrarum abolere contigisset. Noverant quippe quantum incrementi fides Christiana cruore Martyrum imbuta, atque exemplis validissime roborata, in dies acciperet, quidque militanti Ecclesiæ decoris & gloriæ ex recolendis eorumdem triumphis proveniret. Cum enim *pretiosa*, ut Psalmista ait, *in conspectu Domini sit mors Sanctorum ejus*, haud ullo condigne pretio æstimandas athletarum Christi exuvias Christiani semper magni facere, vile prorsus ac nullius momenti rerum quarumcumque dispendium rati, cum de redimendis è barbarorum manibus, Martyrum reliquiis, oblataque ingenti auri copia ab omni injuria vindicandis ageretur. Hinc inæstimabilem sacrorum pigno-

Cultum Martyrum abolere gentiles tagunt.

Psal. 115.

Inæstimabile reliquiarum martyrum pretium.

pignorum splendorem ac dignitatem egregie Basilius expressit, cum de Martyribus loquens hæc habet: *Pro legis Iudaicæ ritu si qui moriebantur, horum morticina habebantur abominationi, contra mors si cuipiam irrogatur pro Christi nomine, pretiosæ censentur reliquiæ Sanctorum ejus. In priori lege dicebatur Sacerdotibus, & Nazaræis: Non contaminabitur super ullo mortuo, & si quis tetigerit cadaver, immundus erit, & lavabit vestimenta sua. Nunc e diverso Martyris ossa si quis attigerit, ob gratiam corpori insidentem fit quadamtenus sanctificationis particeps.* His merito laudum præconiis, venerandas Martyrum reliquias Basilius prosequitur, nempe, ut hæreticorum os loquentium iniqua, sicut habet Scriptura, obstruatur, qui Sanctorum cineres & ossa, velut quid futile ac profanum rejiciunt, aspernantur, derident, atque conculcant.

[margin: ...Basil. in ...Psal. 115.]

[margin: ...Reliquiis mortuorum Christiani haud polluuntur.]

2 Porro eadem, qua nunc Novatores hæretici insaniunt, impietate, Gentiles olim vanis superstitionibus dediti insanientes, martyrum beatorum corpora, profanas tanquam exuvias, & quid veluti abortivum repellere, immundum pronuntiare, detestari, abjicere non dubitabant, quinimo feris interdum eorumdem corpora, ut crudelitati indulgerent, dilanianda offerebant: verum humanitatem, quam homines procul abjecerant, vel immites feræ, Deo auctore, didicerunt; quippe ut Ambrosius ait: *Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, quam homines frequenter denegarunt.* Immo Martyres ipsi, qui post diutinos cruciatus è periculis erepti apud Deum vivebant, corporum, quibus conjunctæ in laboribus quondam animæ fuerant, solicitam curam gessere; præmonendo nimirum exhibitis frequenter apparitionibus, eos qui vivebant, ut sepulturam quantocyus impertiendo ab impiorum manibus eriperent, & tuto reponerent. Ut enim Augustinus monet: *Feruntur mortui nonnulli vel in somnis, vel alio quocunque modo apparuisse viventibus, atque ubi eorum corpora jacerent inhumata, nescientibus, locisque monstratis admonuisse, ut sibi sepultura, quæ defuerat, præberetur.* Quorsum vero impii vel post mortem Martyribus insultare, & ipsis etiam cum feris ad intestina exercenda odia consilium inire ausi sunt? *Ferina enim*, ut cum Seneca loquamur, *ista rabies est, abjecto homine in silvestrem animum transire.* Quorsum, inquam, Ecclesiam Dei, indicta non viventibus dumtaxat pro religione, sed jam extinctis persecutione acrius impetere, pietatem omnem abnegantes non dubitant?

[margin: ...Hæretici impii contemptores reliquiarum.]

[margin: ...Ambr. lib. de Tob. c. 1.]

[margin: ...Aug. de cur. pro mort. hab. cap. 10. Martyres post mortem suorum corporum curam gerunt.]

[margin: ...Sen. lib. de Clem.]

3 Verum etsi mirabiles fuere interdum adversus Ecclesiam, beatosque Martyres maris ipsius elationes, formidabilesque fluctuum procellæ subortæ sunt, quas ipso insufflante dæmone à tyrannis ubique terrarum excitari contigit: *mirabilis tamen in altis Dominus*, qui cum omnipotens sit, terminum mari arenam posuit, & *fecit ventis pondus*, singulari providentia illud præstitit, ut eorumdem Martyrum perennis in Ecclesia extet, recolaturque memoria. Quamobrem ad Sanctorum reliquias custodiendas, servandasque, cum occasio urgeret, non modo homines, Deo volente, verum & ipsæ silvestres belluæ, marina monstra, volucres cæli, Angeli ipsi & superni cives adjutricem operi manum exhibuisse visi sunt: ut vaticinium illud merito sit adimpletum: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* De quo infra.

[margin: ...Memoria, & cultus Martyrum in cassum contranitente dæmone perennis erit. Psal. 92. Iob. c. 28. 25.]

[margin: ...Sapien. cap. 5. 21.]

4 Ut autem ab eo incipiamus, qui inter Martyres principatum tenet: de Stephano, inquam, Protomartyre in Luciani revelatione sic legitur: *Ex Domini autem voluntate non tetigit unum ex his non feræ, non canis, non avis, &c.* De Martyribus Processo & Martiniano hæc apud Surium in Actis: *Cum vidisset autem illos beatissima Lucina, cum familia sua sequebatur eos usque ad aquaductum, ubi etiam decollati sunt, & trunca eorum corpora relicta sunt canibus devoranda; quæ eadem sanctissima matrona collegit, & condivit preciosis aromatibus, sepelivitque in prædio suo.* De Quirino in Actis Sancti Alexandri Pontificis, quæ apud eumdem Surium describuntur, isthæc habes: *Iussit tyrannus manus & pedes ejus amputari, atque ita demum capite plecti, & corpus ejus canibus projici, quod à Christianis raptum, humatum est via Appia in cœmeterio &c.* De Beata Martyre Prisca hæc in M. S. ejusdem Actibus Cod. Later. *Invenit corpus B. Virginis & Martyris illæsum, & incontaminatum. Erant custodientes illud duæ aves, quæ vulgo aquilæ vocantur, ne ab aliqua bestia tangeretur.*

[margin: S. Stephani protomar. corpus à feris divinitus præservatur.]

[margin: Sur. to. 4. Iul. 2.]

[margin: Id. 3. Maji.]

[margin: Cod. [illegible]]

[margin: B. Priscæ corpus [illegible] aquilæ [illegible] custodiunt]

5 De Cyrilla autem Decii filia in Actibus Beati Laurentii isthæc: *Collegit autem corpus ejus, canibus relictum Iustinus Presbyter, & sepelivit cum matre ejus.* De martyribus Gorgonio, & Dorotheo in Cod. M. S. Later. *In sequenti verò nocte corpora à canibus & lupis intacta rapuere, &c.* De Primo & Feliciano in Cod. pariter Lateranensi: *Corpora eorum projecerunt inhumata canibus, & non feræ, neque aves, neque muscæ corpora eorum tangere potuerunt. Cum ergo non paucum temporis intercessisset, & sic preciosæ jacerent reliquiæ, quidam ex Christianis, qui Romæ in transmarinis veniebant regione, ubi sanctum vidissent, & eum statim agnovissent, non possent autem fallere custodum oculos, qui ad hoc ipsum manebant, quod esset eis imperatum, ut custodirent reliquias, ne ab aliquo surriperentur, donec essent devoratæ à volucribus & bestiis, neque ipsi tempus observare neglexerunt, cum custodes quidem à somno victi fuere: tunc enim ipsi acceptis preciosis thesauris Romam denuo navigarunt afferentes, &c.* Vides Lector, quo studio, quanta solicitudine ad custodiendas martyrum reliquias, & terra marique excipiendas Dei providentia evigilet, & omnipotentis dextera ad propugnandum jugiter præsto sit.

[margin: Sur. to 4. 10. Aug.]

[margin: SS. Primi, & Feliciani corpora ne muscæ quidem attigerunt.]

6 Porrò lectu quidem dignissima sunt, quæ de Beatis Crispino & Crispiniano in eorumdem Actibus apud Surium recensentur: *Corpora eorum*, inquit Surius, *relicta sunt canibus, & avibus devoranda, sed Christo ea custodiente nihil mali passa sunt. Eadem autem nocte, ut ferunt, senex quidam pauper, cui erat soror grandæva, ab Angelo admonetur, ut Sanctorum Martyrum corpora colligat, diligenti cura sepulturæ mandanda. Surgit senex nihil hæsitans; abit cum vetula sorore sua ad locum Martyrii: & quia apud Aronam fluvium Martyres perempti erant, facile poterant eorum corpora navigio perduci ad eorum domicilium. Sed quid facerent rebus inopes, viribus imbecilli, quibus nec cymba erat; nec navigandi industria, nec facultas virium, qua possent ipsa contra ractum fluminis ad se adducere. Ubi tandem noctu ad sacra pervenere corpora prorsus intacta, ecce naviculam conspiciunt in littore, moxque multa concepta fiducia singuli singula tollunt, & tam inoffenso gradiuntur pede, ut videri possent non ferre onera, sed ferri ab oneribus. Imponunt naviculæ corpora, eunt sursum contra impetum fluminis, & quidem celeriter, nullo neque gubernatore, neque remige freti. Postquam ad suum venere tugurtum, clam illic cum multo gaudio sepeliunt, &c.*

[margin: Sur. to. 5. 25. Octob.]

[margin: SS. Crispini, & Crispiniani cadavera canibus objecta admonitu Angeli colliguntur ad sepulturam.]

[margin: Eadem naviculæ imposita adverso flumine absque ullo remige ad locum sepulturæ deferuntur.]

Sur. to. 6. 5. Nov.

7 De Martyribus Quatuor Coronatis, hæc itidem apud Surium in eorumdem Actis reperies: *Iacuerunt diebus quinque: tunc pii Christiani venerunt, & collecta corpora sepelierunt via Lavicana, &c.* De virginibus Ruffina & Secunda isthæc prænominatus auctor: *Domini*, inquit, *gratia non defuit in Christum credentibus, etiam defunctis. Denique Plautilla matrona, in cujus prædio cæsæ sunt, vidit eas per visum sedere gemmatas in thalamo, & dicere sibi: Plautilla revoca animum tuum a flagitioso cultu Idolorum, & impia incredulitate calcata crede in Christum, & abiens in prædium tuum corpora nostra, quæ illic invenies, manda sepulturæ. Exsurgens Plautilla pervenit ad locum, & inveniens sanctarum virginum corpora, nihil neque fœtoris, neque læsionis habentia, adoravit, & credidit, fabricavitque monumentum virginibus Christianis.*

Id. to. 4. 8. Iul.

SS. Rufina, & Secunda per visum Plautillæ mandant, ut sua corpora sepeliat.

Cod. Lat.

8 De Luciano diacono in ejusdem jam recensitis Actis hæc habentur: *Iacoque verens insaniam Gentilium quidam Fortunatus presbyter nocte veniens, tulit corpus beatissimi diaconi, & sepelivit eum in Crypta in Cœmeterio Prætextati.* De B. Martyre, ac virgine Martina in M. S. ejusdem pariter Actis sic dicitur: *Postquam verò ad locum, ubi sacrum corpus jacebat, ventum est, duas aquilas, alteram ad caput, alteram vero corpus custodientem invenerunt.* Verum de Olympiade, & Maximo in B. Laurentii Actis quædam prorsus admiranda hunc in modum leguntur. *Itaque dies quinque ita jacuerunt (corpora nimirum canibus projecta,) sed canes non solum non attigere corpora eorum, sed etiam quosdam juxta ea mugitus dederunt. Post diem quintum Abdon & Sennen collegerunt & sepelierunt, &c.*

Cod S. Mar. ad Mart.

B. Martinæ reliquias Binæ aquilæ custodiunt.

Sur. to. 4. 10. August.

9 Hoc idem venerandi funeris obsequium à canibus divini numinis impulsu corpori S. Gordiani præstitum est, quod iisdem sub Juliano conculcandum ac discerpendum fuerat projectum; quapropter Surius hæc scribit: *Præcepit* (Clementianus scilicet judex) *ei caput amputari ante templum in tellure, corpusque ejus projici ante Palladis ædem, vetuitque id sepeliri intra dies quinque, ut à canibus devoraretur. Cum autem accurrissent canes, ululatus edebant, nec ausi erant illud attingere, sed potius custodiebant. Venit itaque unus ex familia ejus noctu cum aliis Christianis, corpusque venerandum S. Martyris abstulit, & via Latina condidit, &c.*

Sur. to. 3. 10. Maji.

S. Gordiani corpus canes attingere non audent.

30 Sed illud inauditæ pietatis officium maxime recolendum est, quod ipsimet canes B. Martyri Dulæ sub Diocletiano exhibuisse dicuntur; de quo in ejusdem Actis apud Surium id subditur: *Satellites igitur cadaver Martyris in torrentem dejecerunt; pastorum verò canes cum sancti Martyris reliquias odorati essent, unus ex illis canibus venerandum illud corpus custodiebat, neque volucrem aliquam sinebat reliquias Martyris attingere. Alius verò canis pastoris pallium ore apprehensum ad sanctum Martyrem Dulam tegendum attulit. Hoc autem castello, quod illic erat, notum factum fuit. Venerunt igitur ejus castelli habitatores, & sanctas reliquias collegerunt, &c.*

Sur. to. 3. 15. Iun.

Mirum pietatis officium à canibus Dulæ Martyri occiso præstitum.

11 Sed his, quæ à nobis hactenus enarrata sunt, subtexere libet, quod de Martyribus Pamphilo & sociis in eorum Actis apud eundem Surium describitur: *Et quatuor quidem dies & totidem noctes jussu Firmiliani sanctissima Martyrum corpora exposita fuerant bestiis carnivoris, cum autem Dei providentia, nihil ad eos accessisset, non fera, non avis, non canis, non aliquid aliud, sed salva permansissent & integra, justum & convenientem honorem consecuta, consuetæ mandata sunt sepulturæ &c.*

Pamphili, & sociorum cadavera à bestiis illæsa servantur.

Sur. 13. Iul.

12 De Polychronio autem in Actis Beati Laurentii, quæ apud Surium leguntur, isthæc: *Eadem autem nocte venerunt duo subreguli, qui erant occulte Christiani, & rapuerunt corpus ejus, quod projici fecerat Dacius ante templum, & sepelierunt juxta mœnia urbis Babyloniæ.* De insigni item Heropolyto Martyre in supra recensitis B. Laurentii Actis hæc scribuntur: *Nocte eadem venit Iustinus presbyter, collectaque eorum corpora* (Hippolyti scilicet & sociorum) *eodem loco sepelivit.*

Sur. to. 4. 10. Aug.

Polychronii corpus duo subreguli sepeliunt.

Id. ibid.

13 Porro de Marcellino ac sociis sic in eodem Marcellino Anastasius: *Et exinde Marcellus presbyter collegit noctu corpora cum presbyteris & diaconibus cum hymnis, & sepelivit via Salaria in cœmeterio &c.* De Martyribus item Victore & Mauro hæc Surius refert: *Post dies sex misit* (Maximianus nempe) *Quæstorem suum cum militibus, ut viderent, num à feris belluis, aut serpentibus esset devoratum. Venerunt illi, & corpus prorsus intactum, & inviolatum invenerunt, simulque duas bestias, alteram ad caput, ad pedes alteram corpus conservantes; regressique ad Imperatorem id illi indicarunt. Tum vero jussit sepeliri.* Sed illud omni admiratione dignum videtur, quod verbis hisce in ejusdem enarrationis pagina subjungitur: *Abiens igitur S. Marinus, alias Maternus Episcopus, invenit illas bestias corpus servantes, non aliter affectum, ac si hora eadem fuisset truncatum. Ut autem viderunt belluæ Marinum, cesserunt loco, & tamdiu illic hæserunt, donec ablatum esset corpus, & non longe ab ea silva humatum in pace.* Hæc ibi.

Anast. in Marcellin.

Sur. to. 3. 8. Maji.

S. Victoris corpus illæsum & a bestiis custodiri intelligens Maximianus Imp. illud sepeliri jubet.

14 De invicti autem Martyris Vincentii Levitæ corpore à feris divini numinis ope servato hæc Prudentius in suo Peristephano hymno de eodem, eleganti carmine cecinit:

Prud. in Perist. Hym. de S. Vinc.

Sed restat illud ultimum,
Inferre pœnam mortuo,
Feris cadaver tradere,
Canibusque carpendum dare:
Iam nunc & ossa extinxero,
Ne sit sepulchrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulumque figat Martyris.
Sic frendit, & corpus sacrum
Prophanus (ah dirum nefas!)
Nudum, negato tegmine,
Exponit inter carices.
Sed nulla dirarum fames,
Aut bestiarum, aut alitum
Audet trophæum gloriæ
Fœdare tactu squalido.
Quin si qua clangens improba
Circumvolaret eminus
Trucis volucris impetu
Depulsa vertebat fugam,
Nam corvus Eliæ datus
Olim ciborum portitor,
Hoc munus implet sedulo,
Et irremotus excubat.

S. Vincentii corpus bestiis devorandum etiam traditur.

Sed intactum corvi excubiis divinitus præservatur.

De eodem Augustinus quoque in hæc verba sermonem habet: *Datur nautis mergendum corpus in fluctibus, &c.* Sed fusius memorandæ rei mentio fit in ejusdem actis apud Surium, à quo hæc recitantur verba: *Corvus autem quidam, ales, inquam, ille* igna-

S. Aug. ser. 3. de S. Vinc. t. 10.

Sur. to. 1. 22. Ian.

ignavissimus, & maxime segnis, è propinquo loco advolavit, & sanctum illud corpus custodire cœpit, aliasque volucres grandiores volatu magno illuc irruentes impigre persequens, è loco illo facile abigebat; quinimmo lupum quendam repentino cursu advenientem ita repulit, ut ille terga vertens, repente subterfugit. Quo miraculo perculsus Dacianus, ut superius dictum est, illud in mare demergi jussit. Sed priusquam in aridam terram reversi essent, qui Martyris corpus in mare projecerant, illud ipsum, quod projectum fuerat, Christi manu ad terram appulsum fuit, qui stupore & metu correpti, illis ipsis reliquiis derelictis abierunt. Et sane quid majus ad convincendos persequentium animos quis unquam vidit, aut certe historicarum rerum paginas perlustrando assecutus est, portentum, quam aquilas & corvos, ut supra exposuimus, aves nimirum carnivoras, quæ cadaveribus jugiter pascuntur, & inhiant, Martyribus tamen nostris jam mortuis honoris gratia ad custodiam protinus adstitisse, & ad repellendas cujusvis generis bestias indefesso studio excubasse?

Tandem in mare projicitur, & sponte ad terram appellit.

15 Sacris Pelagiæ reliquiis hoc idem fere contigisse Surius memorat hunc in modum: *Jussit*, Diocletianus scilicet, *Sanctæ Pelagiæ reliquias nulla sepultura honorari. Itaque projectæ sunt in montem Linatum nomine. Descenderunt autem quatuor Leones, & circa Pelagiæ ossa consederunt, à feris atque volucribus ea servantes.* Et post enarratam revelationem, qua divinitus Episcopo sacrum corpus innotuit, hæc subdit: *Abiit Episcopus Clino, cumque vidisset locum Beatæ Pelagiæ, vidit & Leones quatuor illi assidentes; qui cum Episcopum illum beatum intuiti essent, ei obviam processerunt, & ipsum submissis corporibus adorarunt: beatus vero Episcopus ea re gaudens, exultansque S. Pelagiæ reliquias suscepit, & in montis sublimiorem partem tulit, &c.*

Sur. to. 3. 4. Maji. S. Pelagiæ reliquias quatuor leones custodiunt.

16 De præclari autem sanguinis, ac nominis pariter virgine ac martyre Bibiana Lippom. isthæc verba meminit: *Tandem raptum*, corpus nempe, *à Joanne presbytero sepultum est in domo, ubi mater, & soror ejus Demetria sepultæ erant, juxta Palatium Liciniani.* De Eulalia in Cod. M. S. Vat. sic adnotatum habetur: *Post dies autem viri Religiosi noctu abstulere corpus ejus, non sentientibus custodibus, quod cum linteis, & aromatibus involvere.* De Parmenio, & sociis isthæc in B. Laurentii Actis leguntur: *Audientes autem subreguli viri religiosi Abdon, & Sennen* (projecta scilicet corpora in publicam viam) *venerunt noctu, & collegerunt corpora, condideruntque ea in prædio suo, juxta Cordubam.*

Lippom. to. 4. S. Bibiana contumeliose abjicitur insepulta. *Cod. M. S. Vat.* Et S. Eulalia. *Sur. to. 4. 30. Aug.* Item Parmenius & socii.

17 De Paulo, & Juliana martyribus in supra citatis eorumdem Actis subditur: *Veniebant autem in eum locum lupi, canes, & volucres, & circa sanctorum Martyrum corpora sedentes, illa custodiebant, cumque muscas & ejusmodi animalia supra corpora illa sedentia viderent, aves ipsæ alis ea expellebant, non permittentes, ut in sanctis illis corporibus insiderent. Itaque septem dies & septem noctes feræ & volucres cæli circa Martyrum reliquias consederunt. Cæterum nunciata sunt omnia hæc à militibus Aureliano, qui cum audisset: O furorem, inquit, pessimum Christianorum istorum, quos ne mortuos quidem superare potuimus. Misit igitur & milites ipsos* (custodes nempe) *ac noctu illinc abduxit: neque enim volebat de die illos removere, ne à Christianis irrideretur. Cum vero dies illuxisset, exierunt Christiani, & Martyrum corpora curantes, sumptuose in pace condiderunt.* De B. autem Alexandro à canibus è flumine, in quod projectus fuerat, educto, ac postmodum servato, celebre illud est, quod apud Surium his verbis legendum exponitur. *Divina providentia factum est, ut quatuor canes in fluvium illum venissent, & S. Martyris corpus inventum è fluvio extraherent, fuisque linguis illud lambentes, ac prope sedentes custodirent. Ut autem beati Alexandri mater duobus milliaribus prope locum illum venisset, in quo Martyris corpus situm erat, duo illi canes occurrentes ipsi obviam venerunt, & uterque unus à dextera parte, alter à sinistra mulierem ipsam ad filium recta deduxerunt.*

[...] o. 4. 7. Aug. [P]aulæ, & [J]ulianæ corporibus [b]estiæ per [s]eptem dies [a]d custodiam [a]ssident. *[S]ur. to. 3. 3. Maji.* B. Alexandri corpus in flumen demersum à quatuor canibus inde extrahitur.

18 Illud postremo loco subteximus, quod de sanctissimo Episcopo, ac Martyre Stanislao, cujus corpus membratim primo concisum est, & deinde per agros disseminatum, ejusdem Martyris Acta hunc in modum testantur: *Aquilæ mirabiliter a feris defenderunt.* Demum de martyribus Vitale, & Agricola isthæc D. Ambrosius recitat: *Sepulti autem erant in Judæorum solo, intra ipsorum sepulchra. Illic igitur Martyris exuvias requirebamus, tanquam inter spinas rosas legentes.* Et hæc interim de sacris beatorum Martyrum exuviis, quæ tot modis à bestiarum dentibus, quantumvis fame exasperatis mirabili Dei virtute servatæ sunt, exposuisse sufficiat, cum canes, lupi, immo leones ipsi, pro sacrarum reliquiarum cultu in acie stetisse, ac omni feritate deposita contra earumdem insectatores divinitatis impulsu decertasse videantur: sed ad ulteriora nobis procedendum nunc est.

Non. Maji. S. Stanislai membra concisa, & dispersa aquilæ tuentur. *D. Ambros. in exhort. ad virg. to. 5.* Belluæ SS. reliquiis honorem deferunt.

CAP. VIII.

Martyrum corpora aliis permixta cadaveribus ab omni injuria vindicantur.

1 PArricidarum utique pœna Christiani olim licet insontes, mulctabantur, ita ut insepulta eorumdem cadavera jacerent, & sicubi forte tumulata fuissent, ipso velut tumulo, ac quietis beneficio indigna è sepulchris eruta, atque exturbata passim projiciebantur. Quod quidem moribus, legibusque statutum apud antiquos fuisse ex Quinctiliani declamatione ostenditur, cui titulus est, *Ossa eruta parricidæ*, ibi enim hæc inter alia enarrantur: *Sepulti ergo essent, & æterna quiete conditi jacuissent Parricidæ manes juxta patris latus: ut quod diis, hominibusque videatur indignum, tumulo tectus videretur, cui leges terram negant? Quem in pœna sua lex jubet vivere, huic tumulum, & exequias persolvi fas fuit? &c. Nunc unus superest dolor, quod parricida sepultus est, quod æterna quiete compositus sepulchro meo parricida patrem premit, &c.* Immo vero tamquam res è Cælo dijudicata fuisset, hæc subdit: *Ut primum accessi ad tumulum, sponte resoluta lapidum compage impios cineres in editum terra suggessit: onerosa etiam apud inferos monstra in lucem redundare visa sunt* hæc ibi. Haud alio igitur supplicii genere, quam quod impiis parricidis merito infligebatur, gentiles in Christianos animadverti cupiebant, cum sacra cadavera aliis permixta conculcanda utiq; projicerent. Quod autem pœna hæc omniũ acerbissima haberetur, ex populi contra improbos, scelestosque homines acclamationibus comprobatur; hinc illæ apud Lampridium in Commodum Imperatorem demortuum furentis utiq; Senatus acclamationes: *Innocentes sepulti non sunt, parricidæ cadaver trahatur. Parricida sepultos eruit, parricidæ cadaver trahatur;* cum vero Pertinacis jussu, qui ei in Imperio successerat, corpus ejusdem noctu sepulturæ tradi-

Parricidas sepultura leges olim privabant. *Quinctil. Declam. 229.* Parricidæ cadaver terra evomit. Ut parricidæ à gentilibus Christiani mulctantur. Imperatores sepulchro eruuntur.

traditum fuiſſet, poſtera die Senatus his vocibus acclamavit: *Quo auctore ſepelierunt? Parricida ſepultus eruatur, trahatur.*

2 Quod autem hac potiſſimum pœna à gentilibus Chriſti cultores plecterentur, tanquam homines diis, hominibuſque inviſi, atque execrandi, teſtis locupletiſſimus eſt Tertullianus, qui primis illis temporibus floruit, quibus Chriſtiana religio acerbiſſimos pertulit inſectatores: is enim ſub Severo Imp. in ſuo pro Chriſtianis Apologet. iſthæc recitat: *Quotiens in Chriſtianos deſævitis, partim animis propriis, partim legibus obſequentes. Quotiens etiam præteritis vobis, ſuo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus,& incendiis? Ipſis bacchanalium furiis, nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis jam alios, jam non totos avellant, diſſecent, diſtrahant.* hæc Tertullianus. Qui in Scapulam quoq; Africæ proconſulem, Carthagine Chriſtianos acrius perſequentem, ut ab incepto deterreat, hæc intonat: *Doleamus neceſſe eſt, quod nulla civitas impune latura ſit ſanguinis noſtri effuſionem, ſicut & ſub Hilariano præſide, cum de areis ſepulturarum noſtrarum acclamaſſent, Areæ non ſint: areæ ipſæ non fuerunt, meſſes enim ſuas non egerunt.* hæc ille.

Tertull. in apol.

Inſatiabilis in Chriſtianos gentilium ſævitia.

Tertull. apol. c. 37.

3 Chriſtiani igitur à perſecutoribus, quippe qui eorum gloriæ invidebant, ex uno interdum loco in alium tranſmittebantur, ubi nec de facie, nec de nomine cuiquam noti, haud Martyrum honore colerentur, poſtquam viriliter pro fidei confeſſione conſummato certamine deceſſiſſent: uti jam ſupra de Martyribus Euſtratio, & ſociis à Lyſia ad Agricolaum tranſmiſſis enarravimus, ut ibidem penitus ignoti martyrium ſubirent,& nemo eſſet,qui eorumdem ſepulturæ, uti par erat, curam gereret. At vero horum corpora à Sancto Blaſio illius regionis Epiſcopo ſublata ſunt, alioque perhonorifice tranſlata; quemadmodum ipſemet Euſtratius fieri teſtamento, quod ſcripſerat pridie quam gladio conſummaretur, præceperat, ut iiſdem in Actis videre eſt.

Martyres in terras ignotas occidendi mittuntur, & quare?

4 Quinimmo ubi jam defunctis coronatiſque Martyribus promeritus cultus, atque obſequium deferretur, id manifeſtam religionis patriæ, Deorumque contumeliam rati, cadavera protinus è ſepulchris exturbabant, projiciebantque. Cujus quidem rei teſtis eſt Euſebius, qui cum tormenta, & necem Chriſtianis quibuſdam ex Diocletiani Imp. familia inflictam deſcripſiſſet, hæc ad rem noſtram addit: *Famulos illos regios poſt mortem decoro, & celebri funere mandatos, Imperatores rurſus deintegro effodiendos, inque mare præcipitandos ſententiis decreviſſe; ne ut eorum ferebat opinio, quidam eos in ſepulchris, & monumentis conditos, Deos eſſe reputantes, divina veneratione proſequerentur.* Hæc ille, quibus aperte oſtendit, gentiles ob id potiſſimum martyrum cadaveribus inſultaſſe, quia eorumdem triumphis, & gloriæ invidebant. Unus ex his exſtitit impius ille Julianus Apoſtata, Gregorio Nazianzeno teſte orat. 2. in eumdem, qui omnimodam dedit, ut ſupra dictum eſt, gentilibus facultatem martyrum cadaveribus contumelias inferendi. Morem hunc autem ab iiſdem frequenter uſurpatum idem Gregorius inſinuans,ut videlicet corpora martyrum aliis permiſcerentur cadaveribus, ne dignoſci ac coli poſſent, hæc addit: *Non jam Sanctorum reliquias cum viliſſimis oſſibus per contemptum permixtas flammis abſument, aut in ventos ſpargent, ut eo honore, qui hujuſmodi hominibus debetur, eos privent.* Sed ut ſuſceptæ jam enarrationis ordinem proſequamur.

Reliquiæ Martyrum è ſepulchris eruuntur ob cultum eis à fidelibus delatum.

Euſeb. lib. 8. hiſt. c. 6.

Juliano imperante gentilibus in Chriſtianos fræna laxantur.

5 De Auxentio Martyre, qui inter Euſtratii ſocios merito computatur, hæc eiſdem in Actis apud Surium recenſentur: *Sanctæ autem ejus reliquiæ noctu furto ſublatæ ſunt à presbyteris. Ejus vero capite non invento cœperunt flere, & Deum rogare, ut eis aperiret ſanctum caput Martyris. Dei autem providentia ſtans cornix ſuper ramum arboris, in qua erat caput, cœpit clamare. Cum adſpexiſſent vero ad ramum arboris, vident id jacens prope cornicem, & cum honorifice ipſum ſuſtuliſſent, ſuſtulerunt etiam ſanctas reliquias, & eas tranſtulerunt, &c.*

Sur. to 6. 13. Dec.

Auxentii Mart. caput cornice indicante reperitur.

6 Porro de innumeris fere Martyribus, qui Cæſarauguſtæ pro Chriſto coronati ſunt, in eorumdem Actis legitur, ſacras martyrum reliquias angelico famulante obſequio collectas, ſejunctoſque ab aliis ipſorum cineres, à Chriſtianis, qui eos condiderunt, haud alio, quam Maſſæ Candidæ nomine appellatos fuiſſe, quod in Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ Breviario his verbis adnotatur: *Sed divino nutu ſic ſeparata ſunt, ut Martyrum cineres, velut frumenti candida maſſa in portiunculas conglobati fuerint, aliis vento ſpargendis remanentibus: viſunturque hodie maſſarum candidi globi nitorem ſanguineum ſacrarum victimarum aperte demonſtrantium.* Novit quippe Dei providentia, ut meritum ſervis ſuis deferat honorem, à luto aurum; & pretioſum à vili ſeparare.

Breviar. Cæſaraug. lect. 6.

Martyrum reliquæ in maſſas candidas conglobatæ divinitus ab aliis ſeparantur.

7 Neque ſilentio hic obvolvendum putamus, quod Surius de Martyribus Juliano, Celſo, ac ſociis refert, qui perſecutorum juſſu improbis, nefandiſque hominibus in Amphitheatro aggregati, capite obtruncati fuere. Hæc autem ſunt ipſius verba: *Ea nocte venerunt ſacerdotes, & Religioſi viri, ut ſanctorum reliquias colligerent, ſed præ multitudine cadaverum, Sanctorum corpora non agnoverunt. Poſitis ergo genibus oratione completa apparuerunt eis in ſpecie virginum animæ ſanctorum, & unaquæque ſuo corpori inſedit, ſicque ſanctorum reliquiæ collectæ ſunt. Domini vero gratia ita ordinavit, ut ſanguis eorum quaſi lacteus panis circa unumquemque eorum congelaret, ut nec terra auderet os ſuum aperire ad ſanctorum cruorem recipiendum, quia ſceleratorum ſanguine jam fuerat ſatiata.* Vides obſequium, quod ipſa met terra inanimis Martyribus præſtat, dum ſacri cruoris guttas, veluti inæſtimabiles gemmas, impiorum imbuta ſanguine, ac ſordidata, impuro excipere ſinu reformidat.

SS. Juliani Celſi & ſociorum animæ propria corpora oſtendunt.

Sur. to. 1. 9 Ian.

Eorum ſanguis inſtar lactis congelatus à terra non abſorbetur.

8 Addit vero idem Surius de Tharaco, Probo, & Andronico, digniſſima eorumdem Acta conſcribens, poſt enarratam admixtionem corporum cum prophanorum cadaveribus, qui à gladiatoribus fuerant interfecti: *Deus autem*, inquit ille, *rerum admirabilium, convivantibus cuſtodibus, cum jam rogum accendiſſent, magna vi repente cadentium imbrium, & ingenti terræmotu, rogum quidem exſtinxit, cuſtodes autem vertit in fugam. Cumque cum aliis permixta eſſent ſanctorum corpora, & ignorarentur propter tenebras, ſtella luciḍiſſima è cælo terram illuſtrans, & ſtans ſuper unumquodque corpus, præbuit lucem ad ea agnoſcenda. Ea vero ſuſtulerunt, &c.* Et congruo ſane portento pro Martyrum reliquiis è cælo dimicatum eſt, ut quas tenebroſa prophanorum hominum ſocietate pollui, ac condigno honore deſtitui poſſe cæcitas inſana crediderat, eaſdem ſtella miri fulgoris exorta ad obſequendum quærentibus, veluti digito præmonſtraret.

to. 5. 12. Octob.

Stella Martyrum corpora Chriſtianis quærentibus agnoſcenda præbet.

9 His

Sozom l.5. cap. 8.
SS. Eusebii, Nestabi, & Zenonis ossa jussu divino à muliere colliguntur.

9 His pariter consentiunt, quæ de Martyribus Eusebio, Nestabo, & Zenone, idem Sozomenus scribit ubi supra: *Attamen*, inquit ipse, *non diu sic jacuerunt, siquidem mulier Christiana, &c. jussu divino ea nocte ex altis ossibus selegit; atque in ollam injecta Zenoni eorum consobrino servanda dedit. Nam ita Deus ei mandaverat in somnis.* Rufinus verò de Martyribus Palæstinis hæc loco supra citato subdit: *Sed Dei providentia factum est, quosdam de Hierosolymis ex monasterio Philippi hominis Dei, orationis illuc causa per idem tempus venisse. Qui cum tantum nefas humanis quidem manibus, sed ferina mente fieri viderent, mori gratius habentes, quam hujusmodi piaculo funestari, inter eos, qui ossa ad exurendum legebant, mixti, diligentius, in quantum res patiebatur, ac religiosius congregantes, furtim se vel stupentibus, vel insanientibus subtraxere, & ad religiosum patrem Philippum venerandas reliquias pertulere, &c.*

Rufin. l.2. c. 28.
Ossa Martyrum Palæstinorum è carnificum manibus subtrahuntur.

Cœmeterium Vaticanum Martyribus sub Nerone coronatis primo dedicatur.

10 Ii autem Martyres, qui jure merito primitiæ Martyrum Romanæ Ecclesiæ nuncupati sunt, de Urbis incendio per calumniam apud Neronem accusati, ejusdem jussu multiplici tormentorum genere excruciati, nobile martyrium consummarunt, eorumdemque sacris reliquiis condendis Cœmeterium Vaticanum primo dedicatum est, ut suo infra loco dicemus. De insigni cæteros inter Martyres Polycarpo hæc in ejusdem laudem subdit Surius: *Sic nos postea ossa ejus potiora lapillis preciosis, auroque puriora, ex cineribus selecta, eo loco reposuimus, qui illis erat decorus, consentaneusque, &c.*

Sur. to. 1. 26. Ian.

SS. Fructuosi, Augurii, & Eulogii semiusta corpora vino exstincta colliguntur.

11 De Fructuoso Episcopo, Augurio & Eulogio diaconibus pro fidei confessione igni traditis hæc idem Surius: *Superveniente nocte ad Amphithearum cum vino festinaverunt, ut semiusta corpora exstinguerent. Quo facto cineres eorum collecti sunt, & prout quisque potuit, sibi vendicavit.* Hoc idem testatur Prudentius in suo Peristephano, dicens:

Tum de corporibus sacris favillæ,
Et profuso mero leguntur ossa.

Septuaginta duo Martyres flammis subtracti, & sepulchro illati.

12 Porro de septuaginta duobus Martyribus, quorum corpora igne comburi demandatum fuerat, in Sanctorum Marii, & filiorum Actis jam supra citatis hæc subduntur: *Venerunt* (id est, Marius & filii) *ad locum, ubi corpora Sanctorum interfecta fuerant, & invenerunt super corpora Sanctorum ignem suppositum, & sumentes cœperunt corpora subtrahere, & sepelire cum linteaminibus ex facultatibus suis, quia locupletes erant.* Quinimmo de eisdem Mario & filiis nobilissimis Christi athletis, quorum corpora pari crudelitatis sententia excepta fuere, sed pia obsequentis fœminæ manu è mediis ignibus sublata, illataque sepulchro; hæc ibidem leguntur: *Quorum corpora jussit concremari, ne sepultura afficerentur: matrona verò, quæ appellabatur Felicitas, rapuit corpora eorum semiusta, & in prædio suo sepelivit.*

Felicitas matrona SS. Marium, & filios semiustos rapit, sepelitque.

Apollonia curat funus Anastasiæ Mart.

13 De Anastasia verò præclarissima fœmina tribus palis alligata, & flammis omni ex parte circumdata, iisdem in Actis legitur: *Apollonia autem quædam mulier genere insignis precata Præfecti uxorem, accipit sacrum corpus Anastasiæ, & cum ipsum præclare, & ut oportebat honorasset, deponit in horto domus suæ, &c.*

14 De Adriano item, & sociis postquam veneranda eorum corpora in fornacem injecta fuissent, sermonem habens, suam hunc in modum Surius historiam prosequitur: *Sed repente exstitere tonitrua magna, & pluviæ & grandines, & fulgura, atque terræmotus, ita ut ipsa fornax vi imbrium & tempestatis exstingueretur. Eam Dei iram cernentes carnifices, aufugerunt, &c. Qui autem illic aderant homines fideles, cum Natalia, & aliis religiosis fœminis Sanctorum Martyrum rapuerunt reliquias, adeò prorsus ab igne illæsas, ut ne capilli quidem combusti essent.* Præstitit utique etiam tunc ignis parem martyrum cadaveribus observantiæ cultum, quem tribus in Babylonica quondam fornace pueris, ut sacræ perhibent historiæ, detulisse describitur.

SS. Adriani, & sociorum corpora variis è cælo Prodigiis illæsa servantur.

15 De Sancto Abibo diacono igni tradito idem Surius: *Deinde cum ignis esset sedatus, qui ad eum attinebant, precioso linteo eum circumdederunt, & unguentis unxerunt; cumque psalmos & hymnos, ut par erat, cecinissent, prope Samonam, & Guriam,* de quibus ibidem, *deposuerunt.*

Sur. to. 6. 15. Nov.

16 De sanctis Manuel, Sabel, & Ismael hæc admiranda in eorum Actis apud Surium recensentur: *Protinus autem locus, in quo stabant* (in quo scilicet capite obtruncati fuerant) *scissus in duas partes, eorum comprehendit corpora, ut salva conservarentur, & illæsa, & jussus tyranni appareret inanis, &c.* Et paulo infra: *Qui cum duos dies in loco mansissent* (qui scilicet viso miraculo in Christum crediderant) *& Deo multas preces fudissent, sanctorum corpora repente terra dedit admirabiliter, longe optimo odore plena. Quæ cum sustulissent, & honorifice deposuissent, eis justa splendide & magnifice fecerunt.* Terra quippe, ut videre est, inæstimabiles thesauros, Martyrum exuvias sua intra viscera primum complexa, amicabiliter excepit, & obsequium, quod carnifices denegabant, ultro devota impendit, quinimmo, dum sacra pignora impiis persequentibus occultat, eadem piis obsequentibus Dei nutu manifestat: sed ne his diutius immoremur, ad alia orationis stylum convertamus.

SS. Manuel, Sabel, & Ismael corpora terra dehiscens à contumeliis tuenda excipit.

Biduo post ad justa eis facienda mire reddidit.

CAP. IX.

Martyrum corpora injecta aquis, divinitus illibata servantur.

1 Illud maxime in votis Christianæ religionis hostibus semper fuit, ut sacrum Christi nomen penitus abolerent, ejusdemque fidem ex mortalium animis exstinguerent. Hinc tot ubique terrarum adinventa tormentorum genera, tot frequenter instructæ ac usurpatæ pœnarum machinæ, ut nec vivis, nec ipsismet mortuis ulla ratione parcerent; intestino nimirum urgente adversus religionem odio: *Hæc omnia*, inquit Christus, *facient vobis propter nomen meum.* Christianis enim haud aliud probro, & crimini adscribi poterat (cum sanctissimi eorumdem mores omnem prorsus adversariorum calumniæ notam excuterent) quam gloriosa nominis Christi confessio. Inaudita quippe Christianorum secta, ut testantur hi, qui libros pro fidei defensione apologeticos scripsere, inaudita; inquam, damnabatur: quod satis quidem luculenter Clemens Alexandrinus religionis causam perorando hisce plane verbis demonstrare conatur: *Quamvis*, inquit, *non faciam injuriam, tanquam tamen facientes injuriam nos intuetur Iudex: neque enim nostra novit, nec vult scire: sed quodam inani præoccupatus abripitur judicio, secundum quod etiam judicatur. Nos etiam persequuntur, non ut qui nos esse injustos deprehenderint, sed quod nos vitæ humanæ injuriam facere existiment, eo quod simus Christiani.* hæc ille.

Gentiles Christianos, etsi justos, ob solum nomen persequuntur.

Ioan. 15. 4.

Christiani inauditi à gentilibus plectuntur.

Clem. Alex. lib. strom. 4.

Ex quibus, ut quispiam probe jam novit, Christiani olim damnabantur, sed innocentes, plectebantur, sed omni prorsus scelere immunes: gentiles verò eosdem calumniabantur, impetebant, insectabantur, sed temere, sed injuste; mactabant, sed impie, sed crudeliter: *Tunc igitur miseriores*, ut præclare Augustinus ait, *qui propter hoc nomen ista faciunt, quanto beatiores, qui propter hoc nomen ista patiuntur.* Verum cum acrius desævirent homines, ipsamet elementa honorem sacris martyrum pignoribus deferendo, mitescere didicerunt, *& cum omnis creatura Creatorem sentiat*, aquæ ipsæ martyribus obsequendo, cujus causa martyrium subirent, vitamque profunderent, liquido comprobarunt.

Aug. tract. 88. in Ioan.

Ipsamet elementa martyribus honorem ab Ethnicis denegatum præstant.

2 Haud enim aquis obrui, nec ulla dæmonum arte exstingui valuit Martyrum gloria, quos ad subeundum pro fide martyrium divinæ charitatis flamma, & vehemens ille Spiritus sancti ignis vel semel accenderat. Quapropter merito quis dixerit oraculum illud fuisse comprobatum: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Ut igitur exempla Sanctorum exponere aggrediamur, quæ ad instituti propositum nobis suppetunt: hic primo loco enarrandum est, quod de Torpete præcipui nominis ac meriti martyre post descriptam ejus corporis in parva cariosaque navicula una cum cane, & gallo depositionem Mombritius his verbis asserit: *Tunc Angelus Domini per noctem venit ad quamdam matronam, nomine Celerinam, & dixit ei: Celerina surge diluculo, & vade ad littus maris, & sepeli corpus justi, nomine Torpetis. Quod illa celerius complens, inventum cum omni reverentia sepelivit.* Hæc eadem apud Lippomanum videre quis potest.

Nulla vis extinguere Martyrum gloriam potuit.

Cant. c. 8.

S. Torpetem Angelo monente Celerina sepelit.

Lippom. to. 4. ex Adone.

3 Porro celeberrimum, ac omni dignum admiratione est prodigium illud, quod S. Clementis Martyris dignissimi, & Romanæ Ecclesiæ Pontificis, qui in mare demersus fuerat, reliquiis contigit. Cum enim Christianis ad littus orantibus mare ad tria milliaria recessisset, eo illi accedentes, Angelicis manibus ædiculam in modum templi marmorei in medio maris exstructam, & lapideam intus arcam, ubi Martyris corpus reconditum erat, & juxta illud anchoram, qua mersus fuerat, invenerunt, quod plane insigne prodigium omni seculorum memoria celebrandum, per multos deinde annos fidelibus ingenti quidem stupore præstitum fuisse Gregorius Turonensis, & alii probati nominis auctores referunt.

S. Clementis reliquiæ in ædicula in mari divinitus extructa reperiuntur

Breviar. Rom. die 23. Nov.

Metaphrastes Greg. Turon. Io. Papa, alii apud Ribadeneiram.

4 De Monachis septem Martyribus sub Hunnerico Vandalorum Rege interemptis hæc Vict. Uticensis: *Horum corpora in mare projecta, illico eadem hora illæsa pelagus littori reddere maturavit, nec ausus est, ut moris est, triduana dilatione in profundo retinere. Ad quod miraculi genus & ipse tyrannus, licet impœnitens, expavit.* Dedit vel invitus Deo, ac martyribus gloriam persecutor iste, & quos viventes cultu prosequi dignatus non est, jam mortuos tamen præstitis è Cælo portentis timere compulsus est.

Vict. Uticen. lib. 6.

Septem monachi in mare projecti, in terram illico restituti.

5 De præclara martyre Aurea ex Cod. M. S. Bas. Later. in quibus ejusdem Acta habentur, hæc breviter accipe: *Cujus corpus sanctum in mare demersum, pervenit ad maris littus, quod beatus Nonnus collegit (qui etiam Hippolytus nuncupatur) & cum omni diligentia sepelivit in prædio ejus, ubi habitaverat, &c.*

S. Aureæ corpus in littore repertum. nonne humatur.

M. S. Later.

6 De Apollonia autem, & sociis hæc in Vitis Patrum, ubi eorumdem Acta, recensentur: *Sed & horum corpora, Dei sine dubio providentia, integra, illibataque maris unda reportavit ad littus, quæque ab his, qui obsequii causa simul venerant, suscepta, ac revocata, sub uno sepulchri domicilio collecta sunt, &c.*

Et Apolloni ac sociorum reliquias mare ultro reddidit.

In Vit. Pa[tr.] l. b. 2. c.

7 De restituta virgine isthæc Romanum Martyrologium recitat: *Neapoli in Campania sanctæ Restitutæ virginis, & Martyris, quæ Valeriano imperante, à* Proculo *judice variè torta, & in navicula pice, & stupa referta, ut in mari combureretur, imposita, immisso igne cum in incensores flamma converteretur, ipsa in oratione spiritum Deo reddidit. Cujus corpus cum eadem navicula, Dei nutu, ad Aenariam insulam prope Neapolim devectum, à Christianis magna veneratione susceptum est, &c.*

Martyr. [.] Kal. Iun.

S. Restitu[tæ] corpus divinitus in terram à Christian[is] funerandum dev[e]hitur.

8 At de Ariano Præside, Theotico, & aliis tribus martyribus hæc præcipue in eodem Martyrologio narrantur: *Apud Antinoum Ægypti passio sanctorum Ariani, &c. Quos judex submersos in mare necavit; sed delphinorum obsequio corpora eorum ad littus delata sunt.* Sed de obsequio delphinorum opera Martyribus impenso, plura à nobis infra suo loco lectori proponenda exempla reservantur.

Mart. 8. [.] Martii.

Ariani Pr[æ]sidis corp[us] ad littus Delphini deferunt.

9 Sancti Basilei Episcopi corpus, cum ei caput primo exsectum fuisset, in quorundam piscatorum scapham conjectum, & longius à terra in altum mare à carnificibus demersum, capite mirabiliter corpori juncto, è maris profundo extractum Surius in ejusdem Actis recitat. Recolendi verò Martyres Mena, Hermogenes, & Eugraphus in ferream inclusi capsam, in mare demersi sunt, ut in eorumdem apud Surium Actis hunc in modum: *Ad Imperatorem equitantem versus Byzantium (quo ille properabat pudore affectus) pervenit capsa, quæ ferebat corpus Martyris, quæ & tanta erat, & ferrea, & per mare navigabat. Nam cum divina quadam virtute celerrime è fundo emersisset, & fluctus marinos pervasisset, secunda aqua navigabat, & celeritate par volucribus currebat Byzantium, &c. Postquam autem* (inquit Surius) *divina quædam apparitio civitatis Episcopo facta est, media nocte, quæ significabat, & mox affuturos Martyres, & jubebat eum properare ad littora, ut eos descendendes è mare statim exciperet. Cum hac ipsa hora noctis congregasset eos, qui ex clero simul aderant, perrexit ad littora. Cum autem versus mare intenderent oculos, repente vident lucem tanquam columnam è cælo usque ad mare pervadentem; duos verò viros adspectu præclaros ex utraque parte appropinquantes, &c.* At ibidem prolixiori sermone narrantur, quod subinde ab Angelis exhibitum est capsæ, in qua beata pignora custodiebantur, obsequium, ac ministerium; hi quippe cum eamdem mirabiliter asportassent, Christianis demandarunt, ubi propter barbarum Imperatoris furorem, eosdem condigne recondi Martyres oporteret.

Sur. to. 2 [.] Kal. Ma[j.]

Capsa ferrea cum S. Menæ & sociorum corporibu[s] aquis supernatans Byzantiu[m] pervenit.

Eadem ab Episcopo, & clero civitatis

10 De Amphiano autem ex Eusebio ista Lippomanus ad rem nostam memorat: *Quæ autem postea consecuta sunt* (nempe post projectionem corporis in mare) *incredibilia visum iri non dubito apud eos, qui ea non conspexerunt.* Et paulo post: *Hujus autem rei testes sunt mihi omnes, qui Cæsaream incolunt. Nulla enim ætas hoc admirabili spectaculo caruit. Cum enim in pelagi profundum sanctum Dei hominem, lapidibus ad pedes ejus suspensis, projecissent, ingens confestim fragor, & commotio, atque æstus, tum ipsum mare, tum* circum-

Lippom, [.] Eus. tō. 7. 2[.] April.

S. Amphiani in mar[e] projecti corpus ma[-] gnus æstu[s] omnia per[-] turbans ejicit.

Eoprodigio universa Cæsarea commovetur, & ad Christum convertitur

circumstans littus perturbavit, motusque maximus urbem concussit universam; simulque divini Martyris corpus exanime, pelagus tanquam ipsum ferre non posset, ante civitatis portam ejecit. Iacens igitur mortuum ante portam civitatis, horrendum spectaculum exhibebat, & magnus omnia personans motus à Deo concitatus, gravem omnibus incolis indignationem minabatur. Quod cum per Urbem percrebuisset, ad portam omnes spectandi gratia concurrebant, pueri, viri, senes, itemque fœminæ cujusque ætatis, virg[...] [...]tiam, quæ domi asservabantur. Omnes autem tam viri, quam mulieres unum, & solum Christianorum Deum confitebantur. Ex quibus Christi, ac martyrum ejus virtutem satis ediscere gentiles poterant, dum vel nolentes illud fateri cogebantur, quia *mirabilis Deus in sanctis suis.* De Theodulo, & Agathopode hæc à Surio in Actis eorumdem recitantur: *A[...]are autem cum eas suscepisset, fractis lapidum vinculis, multo pulchriora propinquis corpora ipsorum reddidit.*

Sur. Prid. Non Apr.

Psal. 67.

Id. to. 1. 7. Ian.

S. Luciani exuvias post 14 dies delphinus in terram reportat.

11 De laudatissimo autem Martyre Luciano Antiochiæ item Presbytero hæc idem Surius: *Atque fuit quidem in profundo quatuordecim dies, nempe totidem, quot in carcere decertarat, &c. Quintodecimo autem die delphinus in siccum eum hoc modo expulit, &c.* Recensetur subinde modus à nobis suo loco describendus. Symphorosa Christianæ ac invictæ constantiæ mulier, quæ Tibure pro Christi fide strenue decertavit, saxo ad collum alligato, in pro fluentem dejecta est, ut Acta ejusdem fidem faciunt, & quæ in Romano Breviario in hunc modum leguntur: *Cujus corpus conquisitum à fratre ejus Eugenio sepelitur.*

Sur. to. 2. 13. Mart.

S. Sabinus corpus suum quod tertio post die ex aquis emersurum prædicit, adstantibus commendat.

12 Sabinus item Hermopolitanus, prægrandi lapide pedibus appenso, præceps in flumen actus est; de quo in Actis apud Surium, verbis hisce mentio fit: *Tertio autem post die factum est id, quod Beatus Sabinus prædixerat. Cum etenim in scapha positus ad fluminis medium pervenisset, multitudinem adstantem, & prospicientem allocutus est, prædicens tertia post die corpus suum in terram subducendum; quod quidem cupiebat ab illis humari, una cum saxo pedibus ejus suspenso. Accedentes enim ad locum à sancto Sabino præscriptum, almas ipsius atque venerandas reliquias invenerunt: & vesperi eas suscipientes, clam, propter metum Præfecti, in domunculam comportarunt, & unguentis conditas, in arca nova prope civitatem reposuerunt una cum lapide, &c.*

Sur. to. 3. 4. Maji

S. Floriani cadaver fluvius in saxum eminens exponit.

13 De Floriano Martyre post enarratam ejus, è ponte in fluvium, saxo ad collum alligato, sævissimi juvenis manu submersionem, cujus oculi in pœnam admissi sceleris mox crepuerunt, isthæc Surius exponit: *Fluvius autem suscipiens Martyrem Christi, expavit, & elevatis undis, in quoddam eminentius saxum corpus ejus exposuit, quod aquila, nutu Dei advolans, expansis alis protegebat.*

[I]d. to. 3. [..] Iun.

[S]. Quirinus [m]ola ad collum [li]gata flu[v]io mersus [d]iu supernatat.

14 De Quirino Scisciano Episcopo, & Martyre hæc idem Surius recitat: *Tunc jussit sancto Dei sacerdoti, vel famulo, molam ad collum ligari, & unda demergi. Cumque de ponte præcipitatus fuisset in fluvium, & diutissime supernataret, & cum spectantibus locutus esset, ne suo terrerentur exitio, vix orans, ut mergeretur, obtinuit. Cujus corpus non longe ab eodem loco, ubi demersum fuerat, inventum est & depositum, &c.* Quod postea (ut subdit Surius) Romam delatum, in Cœmeterio Callisti ad Catacumbas conditum est.

[S]. Hermy[l]us & Stratonicus reti

14 De Martyribus Hermylo, & Stratonico, reti primum colligatis, & deinde in pelagi sinum projectis, Acta apud Surium hæc utique legenda proferunt: *Tertio ergo die postea visa sunt corpora Martyrum, ab ipso flumine in terram transmissa, in quæ cum incidissent quidam viri pii, & quorum erat officium venari corpora Sanctorum, & ea optantibus manibus pie & religiose suscepissent, & sacros hymnos cecinissent, & quæcunque mos est Christianis, peregissent, in quodam loco simul ea deponunt, &c.*

colligati submerguntur.

Sur. to. 1. 15. Ian.

16 Porro de quadraginta Martyribus, qui summis in Ecclesia jugiter concelebrati sunt laudibus, idem auctor addit: *Quo facto Reliquiæ nihil à flumine sunt imminutæ; sed tertio post die civitatis Episcopo Petro per visum Martyres aperuerunt, quo in loco reliquiæ servarentur. De Nocte, dicentes, veniens è flumine nos educito. Adhibitis igitur Episcopus clericis viris religiosis, ad fluminis ripam accessit, & ecce reliquiæ Sanctorum in aqua, tanquam stellæ fulgebant. Assumptas igitur inde Sanctorum reliquias Martyrum, in loculis asservaverunt, &c.*

Sur. to. 2. 9. Mart.

Quadraginta Martyrum reliquiæ tanquam stellæ in aquis fulgentes apparent.

17 De insigni martyre Nicomede, qui in Tyberim pariter projectus, martyrium consummavit, ita in SS. Nerei, & Achillei Actis eumdem apud Surium: *Corpus autem ejus quidam clericus re, & nomine Iustus, collegit, birotoque impositum transtulit ad hortulum suum, juxta muros via Nomentana; atque illic humo condidit.* De Asterio, qui è ponte in Tyberinas aquas exturbatus, ibidemque demersus ad palmam evolavit, in B. Callisti Actis idem Surius: *Cujus corpus inventum est ad Ostia, & à quibusdam Christianis sepultum in eadem civitate Ostiensi, &c.*

Sur. to. 3. 12. Maji.

Id. to. 3. 12. Maji.

18 De Calepodio autem Presbytero isthæc Martyrologium Romanum in ejus laudem recenset: *Beati Calepodii Presbyteri, & Martyris, quem Alexander Imperator gladio fecit occidi, & corpus ejus per civitatem trahi, atque in Tyberim jactari quod inventum Callistus Papa sepelivit.* Et quidem in ejusdem Callisti Actis, de sacri ejusdem corporis inventione hæc habentur: *Qui* (Callistus nempe) *noctu conveniens piscatores rogavit eos, ut quærerent corpus Beati Calepodii; quo invento, tradiderunt illud Callisto Episcopo. Acceptum vero cum gaudio Episcopus, linteaminibus involvit, aromatibus condivit, & honorifice cum hymnis, & laudibus sepelivit in cæmeterio ejusdem.*

Mart. 6. Id. Maji.

B. Calepodii per Urbem rapatur, & in Tyberim jactatur.

Ejus corpus à Callisto Papa invenitur, ac terræ mandatur.

19 De Quirino, qui scilicet alter hujus nominis inter Martyres adnumeratur, repete quæ hic sequuntur ex Actibus Beati Valentini excerpta: *Quem non invenientes* (in carcere scilicet Marius, & Martha cum filiis) *contristati sunt nimis. Invenerunt tamen quendam Presbyterum, nomine Pastorem, qui enarravit eis rem omnem, & ut noctu interfectus fuerat gladio Beatus Quirinus, & jactatus in Tyberim, corpusque ejus remanserat in insula quadam Lycaonia* (habetur in Martyrologio) *Pergentes igitur noctu cum familia sua, & beato Pastore presbytero, collegerunt corpus ejus, & terra condiderunt in Cæmeterio Pontiani in Crypta, &c.*

Sur. to. 1. 14. Febr.

B. Quirinus in Tyberim jactatur.

Mart. 6. Id. Maji.

20 De sanctis Maximo, & Claudio, Præpedigna, Alexandro & Cuthia Romanum Martyrologium agens; ubi sanctorum Martyrum reliquias igni traditas, & in flumen deinde projectas fuisse, atque à Christianis diligenter perquisitas enarrasset, demum Ostiensem prope civitatem pia fidelium manu sepulturæ demandatas recenset. De Claudio, Nicostrato, Symphroniano, Castorio & Simplicio, quos impius Diocletianus in flumen præcipites dari jussit, hæc in eorumdem apud Surium Actis

Martyr. 12. Kal. Mart.

S. Maximi, & sociorum reliquiæ comburuntur & cineres in flumen sparguntur.

Sur. to. 6. 8. Nov.

SS. Claudius, Nicostratus,

Symphronianus Castorius & Simplicius submerguntur.

ctis recitantur: *Post dies autem quadraginta duas venit quidam Nicodemus Christianus, & levavit cum ipso loculo corpora Martyrum, & in domo sua honorifice posuit.*

Simplicius, & Faustinus è ponte sublicio in Tyberim præcipitantur.

21 De Martyribus Simplicio, & Faustino in M. S. Codice Later. sic legitur: *Et corpora eorum, ligato saxo in colla eorum, sic mitterentur per pontem, qui vocatur lapideus in Tyberinis reumatibus, &c.* Deinde: *Quorum corpora Dei nutu inventa sunt juxta locum, qui appellatur Sextum Philippi, via Portuensi. Tunc beata Beatrix una cum beatis Crispo, & Ioanne presbyteris, & cum aliis Christianis levaverunt corpora sanctorum Martyrum Simplicii & Faustini de fluvio, & sepelierunt ea ibi, in Sexto Philippi.*

S. Anthymus jactatus in Tyberim ab Angelo in oratorium suum salvus reducitur.

Gentiles eum mortuum credentes, concionantem reperiunt.

22 De recolendo item martyre Anthymo, qui in profundum Tyberis, saxo ad collum ligato detrusus fuit, hæc Surius: *Angelus autem Domini apparuit ei, & ruptis vinculis reduxit eum in cellam Oratorii sui. Altero mane viderunt Gentiles more solito venire Christianos ad eum, illisque insultantes, & irridentes dixerunt: Ite ad Anthymum vestrum, jacet mersus in profundo Tyberis. Respondebant Christiani: Nos Anthymum Christi servum sanum vidimus, &c. Dixerunt ergo Ethnici illi intra se: Nos eum ita traximus, ut membris omnibus attritus sit, nostrisque manibus, ligato ad collum saxo, in Tyberim eum præcipitem egimus. Quid est igitur, quod isti affirmant? Ingressi vero ad eum, viderunt eum salvum, & ad populum concionantem, &c.* Prolixiori ibidem sermone Surius horum ad Christi fidem traductionem, & demum ejusdem Anthymi martyrium enarrat.

Sur. to. 5. 14. Octob.

Callistus Papa in puteum projicitur.

23 De sanctissimo Romanæ Ecclesiæ Pontifice Callisto in puteum sacrilega impiorum manu demerso, hæc in ejusdem apud Surium Actis: *Effluxis vero septemdecim diebus, quidam ex presbyteris ejus, nomine Asterius, cum Clero noctu veniens, levavit corpus Beati Episcopi, & sepelivit in Cœmeterio Calepodii.* De Martha autem conspicuæ pietatis fœmina, & digna Marii ipsius uxore, in Beati Valentini eumdem apud Surium Actis hæc legenda occurrunt: *Matrona vero, nomine Felicitas, Martham de puteo, in quem & ipsa necata fuerat, levavit, & junxit corporibus sanctis. Ejusdem scilicet Marii, & filiorum ab ipsamet Felicitate collecta, ut supra jam dictum est.* De Felicula, quæ à persecutoribus in cloacam projecta fuerat, hæc in Actis SS. Nerei, & Achillei apud Surium: *Sanctus autem Nicomedes presbyter in spelunca degens, clam abstulit corpus ejus, noctu in biroto vehens illud ad casulam suam septimo milliario ab Urbe Roma, via Ardeatina, ibique eam sepelivit, &c.*

Et S. Marthæ in puteo præcipitatæ corpus Felicitas sepelit.

S. Felicula in cloaca perit.

Sur. to. 4. 10. Aug.

B. Concordiæ corpus anxie quærit Justinus nec invenit.

Porphyrius miles in cloacam illud abjectum Irenæo indicat.

24 At de Concordia Beati martyris Hippolyti nutrice, quæ in Urbis pariter cloacam injecta est, dignissima lectu sunt, quæ ejusdem nobis exhibet apud Surium historia in Actis Sancti Laurentii, in hæc plane verba: *Cœpit vero curiose inquirere* (Justinus nempe presbyter, qui corpora sanctorum Hippolyti, & sociorum collegerat, & sepelierat) *diebus multis corpus B. Concordiæ Martyris, & cum non inveniret, mœrore affectus non cessabat lacrymas fundere. Tertiodecimo die ab Hippolyti passione, Porphyrius miles venit ad cloacarium quendam, sperans se in vestimentis beati Concordiæ aurum, argentum & gemmas reperturum, dixitque cloacario: Si possis tacitum apud te habere, indicarem tibi quiddam, non parum tuæ arti quæstuosum. Cloacarius respondit: Secretum apud me erit; tu modo dicas veritatem. Ait Porphyrius: Ante hos dies jussit Valerianus Præfectus coram se Concordiam quandam è familia Hippolyti Christiani, plumbatis interfici, & ejus mortuæ corpus projici in cloacam. Eam ego puto in vestibus suis habere margaritas & aurum. Cum esset autem cloacarius fidelis, & occulte Christianus, dixit ad Porphyrium: Demonstra mihi locum, & ego nocte quaram eam, atque ubi invenero, nunciabo tibi. Dicebatur vero cloacarius ille Irenæus, venitque ad Iustinum presbyterum, & narravit ei omnia, quæ fecisset, & indicasset Porphyrius. Beatus Iustinus presbyter gratias agens Deo omnipotenti, & Domino Iesu Christo, flexis genibus cum lacrymis dixit: Eamus nocte, fili, ad cloacam. Respondit Irenæus: Sine ut prius accedam ad Porphyrium. B. Iustinus presbyter dixit: Vide fili, ut sacramentum tibi creditum conserves. Abiit Irenæus ad Porphyrium, isque indicavit ei locum, venitque cum illo nocte, & invenit sacrum corpus incontaminatum. Quærentes autem in vestibus ejus, nihil repererunt. Fugit ergo Porphyrius: Irenæus vero vocavit ad se Abundium Christianum, & cum illo attulit corpus Beatæ Concordiæ ad Iustinum presbyterum, qui illud suscipiens, gratias egit Deo, & sepelivit apud corpora SS. Hippolyti, & cæterorum.* hæc ibi. Porro de eisdem Irenæo, & Abundio, ob idipsum impia carnificum manu comprehensis, & ob delatum Martyribus sepulturæ honorem, in cloacam pariter demergi jussis hæc ibidem habentur: *Eorum corpora beatus Iustinus presbyter inde extracta, sepulturæ mandavit, juxta corpus beati Laurentii in agro Verano, &c.*

Irenæus rem narrat Justino.

Et cum Abundio sacras reliquias ei affert sepeliendas.

Idem ille Irenæus cum Abundio in cloacam ob id demergitur.

Sur. to. 1. 10. Aug.

Id. to. 1. 20. Ian.

S. Sebastianus post mortem apparet Lucinæ, seque juxta Apostolos sepeliri mandat.

25 De invicto demum Martyre Sebastiano in cloacam, quæ dicebatur Maxima, Principum jussu, ignominiæ causa illato, hæc ejusdem apud Surium Acta testantur: *Porro beatus Sebastianus apparuit in somnis matronæ religiosæ, Lucinæ nomine, dicens ei: In cloaca illa, quæ est juxta Circum, quære, & ibi invenies corpus meum pendens in unco; quod cum levaveris, perduces ad Catacumbas, & sepelies me in initio Cryptæ, juxta vestigia Apostolorum. Itaque beata Lucina cum servis suis media nocte abiit, & elevans corpus ejus, posuit in pilento suo, perductumque ad locum, ubi ille imperaverat, cum omni diligentia sepelivit, &c.*

CAP. X.

Martyres curant, ut sua ipsorum corpora honorifice sepeliantur.

Anima corpori suo, quod exuit, honorem impendi naturaliter appetit.

Aug. de cur. pro mort. agenda c. 4. ad Ephes. 5.

1 Cum naturæ quodam pondere ad seipsum jugiter, constanterque diligendum mortalium quisque feratur, inde fit, ut anima impendendum vel post mortem corpori cultum, atque obsequium appetat, contumeliamque omnem, etsi non sentienti infligendam timeat, perhorrescat, atque refugiat. Ut enim optime argumentatur Augustinus: *Ex illo humani cordis affectu, quo nemo unquam carnem suam odio habet, si cognoscant homines aliquid post mortem suam suis defunctis corporibus defuturum, quod in sua cujusque gente, vel patria poscit solemnitas sepulturæ, contristantur, & quod post mortem ad eos non pertinet, ante mortem suis corporibus timent.* Ex quo intelligi quidem satis potest, quam ob causam cunctis patrii sepulchri tam vehemens, propensumque studium pariter, ac desiderium insit; frequens quippe in scripturis ille loquendi modus: *Congregatus est ad patres suos. Dormivit cum patribus suis. Congregatus est ad patres suos, vel ad populum suum,* & aliæ ejuscemodi formulæ. His autem potissimum verbis, tum ipsius sepulturæ cum suis,

Cuique patrii sepulchri desiderium inest.

In lib. Regum.

suis, quibus fide concordes vixere, participatio, tum status præcipue animarum hanc post vitam teste Ambrosio exprimitur: *Cognoscitur*, ille ait, *non illud otiose scriptum esse, sed perpense, atque exanimate, quod legimus in regnorum libris: Et appositus est ad patres suos. Intelligi enim datur, quod patrum similis fuerit fide. Unde claret non ad sepulturam tantum corporis, sed ad consortium vitæ relatum.* hæc Ambrosius. his enim, quibus quis communicavit vivus, vel mortuus communicare desiderat.

Ambr. l. 1. de Abel. c. 2.

Verbis illis Scripturæ, Appositus est ad patres suos, quid intelligendum sit?

2 Quamobrem sapientissime quidem Berzellai Galaadites intimus quondam David amicus, cum post interemptum parricidam Absalonem suavissimis verborum officiis invitaretur in regiam ad ocium, ad securitatem, ad honores, ad gaudia, his omnibus oblectamentis sibi à Rege ultro oblatis patriam jure optimo sepulturam antehabendam existimans: *Non indigeo*, inquit ad regem, *hac vicissitudine: sed obsecro, ut revertar, & moriar in civitate mea, & sepeliar juxta sepulchrum patris mei.* Et infelicissimus ille ipsa insanus inter consilia sua, sibiquemet prudens, ac humana nimis prudentia desipiens Achitophel, haud Hierosolymis, quod meditabatur, suspendium sibi inflixit, sed crucem sibi elegit, aptavitque apud patrios lares, ut ibi eidem suis misera cum patribus sepulchro inferretur. Neque verò studiosum lectorem, ut opinor, latet, in intestina illa Judæorum obsidione, & novissima urbis Hierosolymitanæ, ac sævissima omnium clade, dum Titus urbi expugnandæ acrius insisteret, & quamplurimi domesticas cædes evitaturi ad Romanos passim transfugerent: à plerisque tamen, ut Josephus, & Hegesippus testantur, patrii spe sepulchri, mortem apud suos lætiorem, tolerabilioremque æstimatam fuisse: quos & erga suam Hierosolymam sic affectos fuisse Tacitus refert, *ut si transferre sedes cogerentur, major illis inesset vitæ metus, quam mortis.*

2. Reg. 19.

Berzellaus Galaadites honoribus, & gaudiis præfert sepeliri posse in patria.

2. Reg. c. 17.

Judæi in obsidione Hierosolymitanæ spe patrii sepulchri maluñt mori sua alio transfugere.
Joseph. l. 5. de Bello c. 2.
Hegesipp. l. 5.
Tac. hist. l. 5.

3 Cum igitur maxime homines sentiant subtracti pœnam sepulchri, & tam studiose, ac solicite certo illud sibi loco viventes eligant, religiosum plane munus, sepulturæ obsequium, existimandum est: *Si enim* (ut Augustin. ait) *nonnulla religio est, ut quis sepeliatur; non potest nulla esse, quando ubi sepeliatur, attenditur.* Inde sanctissimi quique viri de suis honesto loco corporibus reponendis tam soliciti fuere, ut mox enarrabitur; nam si nulla est natio ac gens, quæ condi cum suis quammaxime in votis non habeat, ob insitam animis dilectionis vim, hoc certe à probatissimis viris expetendum magis videbatur, ut ipse Augustin. optime argumentatur his plane verbis: *Sed si hæc faciunt, qui carnis resurrectionem non credunt, quanto magis debent facere, qui credunt? ut corpori mortuo, tamen resurrecturo, & in æternitate mansuro, impensum ejusmodi officium, sit etiam quodammodo ejusdem fidei testimonium.* Hæc Augustinus, quibus hominum solicitudo pro cultu suis post mortem corporibus exhibendo noscitur, & comprobatur; neque verò Sanctorum animæ post consummata martyria suorum corporum curam neglexere, sed alacriter institerunt, ut honor iisdem debitus contra quoscumque adversariorum conatus deferretur.

Aug. de cura pro mort. habenda c. 4.

Idem ibid. c. ult.

Christianos defunctorum corpora in honore habere decet.

4 Ex enarratis autem hactenus exemplis, satis, ut arbitror, perspicuè constat, quod rationibus, argumentisque quamplurimis jam validè comprobavimus: irritos videlicet extitisse omnes gentilium conatus, atque consilia, quibus sepulturam Martyribus interdicere nitebantur; *& ipsosmet defecisse*, ut cum Psalmista loquar, *scrutantes hujusmodi scrutationes, consilia mala. Non est enim consilium contra Dominum.* Ex quo pariter sapiens quisque probe intelligit, quanta vel ab ipsiusmet Ecclesiæ nascentis initio inter ipsas persecutorum procellas Christianorum fuerit pietas, studium ac solicitudo, in colligendis, inquam, jugi ac indefesso labore, humandisque cultu quam honorifico sanctorum Martyrum reliquiis. Verum & ipsimet Martyres beatissimi, postquam ad palmam evolassent, maximam curam gessere, ut ipsorum corpora, quæ neglecta interdum persecutorum jussu jacebant, inde quamprimum tollerentur, & qua par erat, veneratione, sepulchro inferrentur. Ut horum igitur nonnulla hic ad instituti propositum in medium proferamus exempla, primum si libet, à Torpete Martyre numquam satis laudato dicere aggrediamur. De quo in ejusdem Actis supra citatis Mombritius enarrat, illum videlicet, dum ad supplicium duceretur, id à carnificibus postulasse, ut sibi amicum quemdam alloqui liceret, cui curam suæ sepulturæ demandare cupiebat: hæc autem lectori recensita exhibent acta: *Oro vos fratres, ut per amicum meum Andronicum transeamus; & sic venerunt ad domum ejus cum multitudine populi; & clamans eum ad se, plorans, & osculans eum, dixit: Amice, sequere me, & sepeli corpus meum; credo in Deum, quod mercedem consequeris, &c.* hæc iisdem in Actis.

Gentiles martyribus sepulturam irrito eventu interdicere nituntur.
Ps. 63. v. 7.

Ingens in colligendis humandisque martyribus Christianorum pietas.

Ipsi etiam martyres in agone positi sepulturæ suæ curam habent.

S. Torpes ad supplicium pergens Andronicum rogat, ut corpus suum sepeliat.

5 Subdit verò de martyribus, qui præclaro insigniti nomine triumphum, ac martyrii palmam ipso de nomine præferebant, de Victore scilicet & Corona sub Antonino Imperatore coronatis, hæc eorumdem in Actis Surius: *Nostri autem homines* (loquitur Victor Quæstoribus, quibus obitum post duodecim dies prænunciarat) *post tres annos venient ad tollendum corpus meum; habeo enim & loculos jampridem mihi paratos. Vos igitur rogo, ne in alienis loculis me ponatis, neque reliquias meas detineatis, quo minus in proprium locum reportentur.*

S. Victor rogat, ut corpus suum in propriis & non alienis loculis ponatur.

6 De Eustratio itidem ejusdem in Actis fertur, Sebastenum Episcopum accersitum ab illo fuisse, quem subinde adjuravit, ut sui, & Orestis curam post mortem gereret. Quod his plane verbis Surius enarrat: *Etiam adjuravit eum per Deum, ut per seipsum iret, & portaret reliquias suas, atque sancti Orestis in patriam suam, & reconderet eas cum cæteris reliquiis, sicut in testamento suo ante disposuerat.*

S. Eustratius Episc Sebasteno suas reliquias in patria recondendas commendat.

7 De beato autem martyre Menna Ægyptio, qui primum mucrone transverberatus, igne deinde crematus est, hæc in Actis apud Surium: *Hinc viri pii magnam adhibent diligentiam, ut martyris reliquiæ ex igne tollerentur, & insignibus locis reponerentur; quas quidem cum collegissent, & in mundis sindonibus imposuissent; unguentisque & suffitibus inunxissent; & justa omnia ejus sanctè fecissent, in patriam retulerunt; quomodo ante consummationem jusserat martyr Christi.*

Sur. to. 6. 19. Nov.

S. Mennæ cadaver ex igne tollitur, & in patria, ut jusserat, humatur.

8 Verum de Fortunata virgine, cujus illustre martyrium una cum tribus fratribus, sub ipsius Diocletiani tempora incidit, & cujus natalitius dies apud Romanum Martyrologium pridie Idus Octobris recensetur, ita in M. S. Cod. sanctæ Cæciliæ legitur, ubi ejusdem Acta enarrantur: *Audiens autem beatissima Fortunata, quod secum pariter decollandi*

M. S. Cod. S. Cæcil.

S. Fortunata aureis viginti divinitus allatis à carnifice impetrat ſibi ac fratribus ſuis ſepulturam.

landi eſſent germani, converſa dixit ad ſpiculatorem: Do tibi aureos viginti, ſi quod rogo, facturum te eſſe promittis. At ille ait: Si dederis, quod ſpondes, faciam quod hortaris. Illa verò divinitus ſibi collatos aureos obtulit, dicens: Peto ne corpora noſtra poſt necem inſepulta relinquantur, ſed ſtatim, ut mortis debitum perſolverint, humo tegantur: ſolicita enim ſum, ne igne crementur. Quod poſtea ita factum eſt, ut ipſa petierat.

S. Sabinus tertio poſt die corpus ſuum emerſurum prædicit, illudque adſtantibus commendat.

S. Severianus in patria ſepeliri ab amicis petit.

9 Sabinus ille Hermopolitanus, qui in flumen, ut ſupra vidimus, demerſus eſt, adſtantibus prædixit, ſuum ipſius corpus poſt diem tertiam officioſa manu humandum fore, eoſque enixius rogavit, ut terræ illud ſolicite commendarent, quod & ipſi præſtiterunt. Severianus quoque martyr quondam ſub Licinio miles, piis quibuſdam hominibus ſui poſt mortem corporis ſepulturam injunxit. Quapropter poſtquam pro Chriſti fide ad finem uſque ſtrenue decertaverat, tumulo ab iiſdem honorifice depoſitus eſt, ut ejus apud Surium Acta his verbis exponunt: *Sequenti autem die quidam ex piis, quibus martyr ſuam mandarat ſepulturam, ſimul convenientes, cum martyricum illud corpus magnifice compoſuiſſent, & ſuper id hymnos ceciniſſent, & quæcumque ſolent Chriſtiani, peregiſſent, deſiderantibus ſimul, & colentibus manibus elatum, media nocte tulerunt in patriam Martyris, &c.*

Martyres poſt mortem corporum ſuorum curam fidelibus demandant

10 At verò recolendi, ac laudandi jugiter Chriſti Martyres, non tantum, cum inter vivos adhuc degerent, ſepulturæ ſibi poſtmodum exhibendæ ſtuduerunt, verumetiam eorum nonnulli, ubi glorioſo jam fine laureati deceſſiſſent, ſeſe per viſum fidelibus oſtendentes, ſuorum iiſdem humandorum corporum curam ſolicite demandarunt: quod inter cæteros præſtitit inſignis martyr Tryphon, de quo ſic in ejuſdem Actis apud Surium refertur: *Qui autem Nicæam* (ubi paſſus fuerat ſub Decio) *concurrerant fratres mundis ſindonibus, & variis aromatibus, ſancti Martyris venerandas ad ſepeliendum componentes reliquias, volebant quidem eas recondere, ut eſſent cuſtodes ſuæ civitatis; ſanctus verò apparens eis in ſomnis, juſſit eas transferri in ſuum locum, quod etiam fecerunt.* hæc ibi.

Sur. to. 1. 1. Febr.

S. Tryphon reliquias ſuas in proprium locum transferri fratribus in ſomnis jubet.

S. Fructuoſus oſſa ſua reddi, ac ſepulchro inferri præcipit.

11 Beatus item Fructuoſus Epiſcopus iis, qui ſacra ejuſdem, ſociorumque martyrum oſſa inter ſe venerationis ergo partiti fuerant, apparuiſſe legitur, eaque quamprimum reddi, ac ſepulchro inferri diſtricte præcepiſſe; quod in Martyris ejuſdem Actis Mombritius his quidem verbis enarrat: *Igitur poſt paſſionem apparuit fratribus, & obtinuit, ut quod unuſquiſque pro charitate de cineribus uſurpaverat, reſtituerent ſine mora.* Id ipſum Prudentius ſatis eleganter cecinit in ſuo Periſtephano, hymno, qui ſextus in ordine habetur.

Prudentius in Periſtephano.

Sedne reliquias reſuſcitandas,
Et mox cum Domino ſimul futuras
Diſcretis loca dividant ſepulchris,
Cernuntur niveis ſtolis amicti,
Mandant reſtitui, cavoque claudi
Mixtim marmore pulverem ſacrandum.

SS. Rufina, & Secunda ſe videndas Plautillæ præbent ſeque humari jubent.

Lectiſſimæ itidem virgines Rufina & Secunda Chriſtiana fide, ac martyrii palma illuſtres Plautillæ matronæ ſe per ſomnium videndas præbuere, eique ſuorum ſepulturam corporum commendarunt. Idem quoque præſtitit B. martyr Sebaſtianus, qui poſtquam ad coronam perveniſſet, Lucinæ matronæ ſanctiſſimæ (ut alibi diximus) noctu apparens, locum eidem præmonſtravit, in quo ſuimet ipſius corpus projectum jaceret, & ubi potiſſimum illud vellet recondi, indicavit.

12 Nec verò prætereundum hic eſt, quod de martyre Vincentio Levita in ſupra recenſitis ejuſdem Actis hunc in modum habetur: *Ipſe verò ſanctus Martyr Vincentius viro cuidam in ſomnis reliquias ſuas ex alto mari in terram expoſitas eſſe ſignificavit; quin etiam locum, in quo reliquiæ ipſæ poſitæ erant, eidem patefecit. Quoniam verò Præſidem timens vir ille, ad Martyris reliquias inquirendas ſegnem, & parum alacrem ſe præbuit, ille ipſe Martyr in ſomnis apparuit fœminæ cuidam viduæ; quæ ut ætate provecta, ita & morum ſanctitate prædita erat. Illam cum ſimiliter admonuiſſet, eidem ſigna quædam ejus loci patefecit, in quo ſanctum illud corpus jaceret, quod videlicet lateret ſub arena, quam lenis & tranquilla unda in reliquias illas ſancti ſic infuderat, quaſi arena ipſa Martyris ſepulturæ deſerviret, &c.*

S. Vincentius viro cuidam reliquias ſuas è mari in terram expoſitas per ſomnium ſignificat.

Et viro præ metu nihil audente fœminam ſimiliter admonet, ac locum indicat.

13 Sanctus Martyr Tiburtius una cum Petro & Marcellino videndum ſe piiſſimis Firminæ & Lucillæ virginibus obtulit, quibus omnia & ſui præſertim corporis ſepulturam injunxit. Quod totum ejuſdem ex Actis hic repetere nobis licet: *Apparuit eis in viſu ſanctus Tiburtius cum his duobus Martyribus, & inſtruxit, qualiter ambularent, & corpora eorum de ſilva acciperent; atque ibi juxta ſe in inferiori parte Cryptæ ſepelirent.*

S. Tiburtius in viſu Lucillæ apparet, & corporis ſui ſepulturam committit.

14 Vitus item nobilis Chriſti martyr cum Florentiæ matronæ in flumine periclitanti apparuiſſet, eidem juſſit, ut ſuum corpus, ſociorumque Martyrum decenti loco ſepulturæ traderet, quod in eodem M. S. Cod. Lateranenſis his verbis deſcriptum habes: *Quædam vero Florentia matrona illuſtris periclitabatur in fluvio nomine Siler; cui beatus Vitus viſus eſt ſuper aquas tranſire. Quem cum vidiſſet mulier, illico pavens, clamavit: Oro ſi Angelus Dei es, mihi ſubvenias cito. Ad quam beatus Vitus voce reſpondit ſonora: Ego ſum, inquit, Vitus, cujus, puto, nomen audiſti; ſepeli noſtra corpora, & cuncta conſequeris poſtulata; ſtatimque enixa mulier gurgitis periculo ſana reperta, ſanctorum corpora aromatum condivit honore, & cum honore magno in Mariano prædio ſepelivit.* hæc ibi.

S. Vitus Florentiæ apparet, & ſepulturam ſibi ac ſociis ab illa præſtari cupit.

15 Florianus quoque Valeriæ miræ pietatis matronæ per viſum apparuiſſe, eidemque locum indicaſſe, in quo ſepeliri vellet, in iiſdem Actis à Surio in hæc verba deſcribitur: *Apparuit autem in viſione beatus Florianus Valeriæ matronæ, indicavitque ei, quo loco corpus ejus humaret. Illa, hac viſione admonita, mox ad fluvium abiit; & præ Gentilium metu, virgultis illud involvit, perduxitque ad locum ſepulturæ deſtinatum, &c.*

Et S. Florianus per viſum apparet Valeriæ, ſeque ſepeliri rogat.

16 Hos inter Martyres, qui ſuis ipſorum corporibus condignum ſepulchri honorem poſt mortem deferri voluerunt, jure merito recenſendus eſt Lucianus ille Presbyter Antiochenus; qui ſuo apparens diſcipulo locum deſignavit, quo ſuum mediis è fluctibus ſi blatum corpus, miro delphinus quidam obſequio delaturus eſſet, ut in ſupra citatis apud Surium Actis his verbis ſubtexitur: *Cum ejus diſcipuli circa ripas, & littora alius alibi verſarentur, ut viderent, ſi quomodo poſſent eum è mari ejectum invenire; tempore autem hiberno id valde eſſe turbatum, diuturnum tempus effecit, ut plane deſperarent ſe poſſe id invenire. Interim verò adveniente quintodecimo die, Martyr in ſomnis apparens cuidam Glycerio germano ſuo diſcipulo, qui tunc verſabatur in regione adverſa continenti Nicomediæ, dicit ei: O tu, cum primum mane ſurrexeris, abi in hunc locum (oſtendens locum littoris) te enim, inquit, conveniam, cum illuc*

Mira Luciani martyr. poſt mortem ſui funeris cura.

Anguntur diſcipuli quærentes corpus ejus & non invenientes.

Apparet Glycerio, monſtratque locum, in quo illud viſuri ſint.

illuc veneris. Ille autem cum primum eum somnus dimisisset, & jam dies illucesceret, surgens, & quosdam alios ex piis secum assumens, cum eis venit in locum, qui fuerat ei significatus. In eo autem ingens delphinus ascendebat è mari, jam ex eo emergens, qui cum esset extensus super aquæ superficiem, valde spirabat, & ad terram contendebat; eratque juxta ipsum multa spuma, & murmur fluctuum, qui ab ipso scindebantur: ferebat autem extensum mortuum, tanquam in lecto jacentem; eratque spectaculum admirabile, super corpus adeo lubricum, & rotundum, quiete manens mortuus, & nec à suo pondere, neque à vi fluctuum devolutus ab eo, quod ipsum portabat vehiculo. Cum autem delphinus fuisset prope continentem, fluctu sublimi fuit sublatus, & terræ id appulit. Atque ille quidem statim expiravit: mortuus autem statim in arenam delatus, jacebat salvus, & omni ex parte integer, &c. Vide officiosæ pietatis obsequium, quod beati Martyris cadaveri Delphinus iste divina prorsus urgente vi detulit. Quoniam verò hic de delphino sermo occurrit, nonnulla obiter nobis repetenda sunt.

[In littus ad discipulos delphinus illud defert.]

17 Haud enim latere lectorem existimamus, quanta delphino intercedat cum homine, natura ipsa duce, propensio: hic enim solus, ut Plutarchus asserit lib. utrum anim. plus hab. rationis, hominem hoc solo nomine diligit, quod sit homo, cum cœterorum animalium vel nullum, vel quæ mansuetiora sunt, nutricatores tantum, & familiares diligant suos. Delphinis autem illa summis philosophorum tantopere desiderata, omni sorde, omnique fraude carens amicitia: benevolentiæ autem eorumdem, & opis allatæ multiplicia describuntur ab auctoribus passim exempla; & præcipue de hominum cadaveribus medio è maris gurgite illæsis ad littus usque delatis, ne à cæteris piscibus devorarentur, & ut delati in terram, sepulchri beneficium consequerentur. Celebre autem illud est, quod de Hesiodo proditoriè confecto inter alios enarratur, cujus cadaver delphinorum opera ad littus tandem appulit.

[Magna delphini φιλανθρωπία seu erga hominem propensio.]

[Amor ejus liberalis, & ab omni sorde purus. Plutar. in ... Ælian. l. 6. c. 15. & l. 1. c. 45. Plin. lib. 9. c. 8, &c. Hesiodi cadaver ad littus delphini deferunt.]

18 Mirum itidem est, quod de quodam Cærano historici perhibent, hic cum jactum piscium à piscatoribus pecunia redemisset, delphinosque, qui retibus intercepti fuerant, vivos, liberosque abire permisisset, haud beneficium ejusdem irremuneratum extitit; cum enim Cæranus præmemoratus post aliquantum temporis naufragium fecisset, unus ex delphinis, qui ejus ope liber evaserat, naufragantem dorso benigne exceptum, incolumem ad terram perduxit: demum verò cum hic vita functus fuisset, & à proximis juxta littus eidem funebria de more persolverentur, frequentes ad littus Delphini advenere, ac si ad beneficium sibi ab eodem præstitum recolendum evocarentur, sese palam omnibus videndos obtulerunt, quasi viri adeo de ipsis benemeriti exequiis interesse gauderent, funusque aliqua saltem ratione mœsti prosequerentur: haud enim ante ab oculis se proripuere, quam exstincto rogo justa eidem de more persoluta fuissent.

[Cæranus delphinos captos è retibus liberat. Idem naufragans à delphino beneficii memori in terram perducitur. Ælian. l. 8. c. 3. Athen. l. 13. c. 8. Ac si ejusdem exequiis interesse vellent ad littus veniunt.]

19 Sane Arionem insignem illum Citharœdum, dum ab Italia Corinthum navigaret, à nautis ejus auri cupidine in mare sese præcipitem dare coactum dorso officiose sublatum Delphinus quidam Chorintum usque incolumem devexit, & cum interim onere deposito, exanimatus in littore substitisset, ibidem Periandri regis jussu sepultura donatus est, constructo illi monumento, ad quod nautæ promeritas sceleris pœnas dedere. Alterius insuper Delphini lector probe utique meminisse potest, qui (ut Ælianus & Plinius testantur) cum in Jaso urbe puerum quemdam vehementissimo diligeret amore, & longo temporis decursu spectatissima benevolentiæ signa dedisset, sessorem suum incaute aliquando peremit; verum ad littus una cum pueri cadavere invectus, ubi puerum mortuum præsensit, ipse quoque præ dolore vita se protinus abdicans juxta eumdem exanimatus decidit, & commune una cum puero, quem dilexerat, sepulchrum à Jasensibus rem hujuscemodi admirantibus sortitus est.

[Arionem Corinthum usque delphinus devexisse fertur.]

[Delphinus pueri amore flagrans, ei mire obsequitur. Ælian. l. 6. de anim. c. 15. Plin. l. 9. c. 8.]

[Puero incautè à se occiso præ dolore moritur.]

20 Prætereo, quod ipsimet Delphini, ut testis locupletissimus est Aristoteles, mira utique solicitudine hoc ipsum officii cæteris sui generis cadaveribus exhibent: ut enim refert Aristoteles, conspici aliquando contigit, numerosum Delphinorum gregem majorum utique minorumque promiscuum, & post hos, binos subsequentes Delphinos, qui delphinulum jam defunctum inter ipsos pelagi fluctus dorso eveherent, ne ab aliqua marina bellua devoraretur, quod & breviter adnotavit Plinius, & magis expresse Ælianus, hos nimirum consuevisse suorum corpora dorso supposito ad aquæ superficiem levare, tum ad continentem veluti funere efferentes, hominibus sepelienda tradere. Hæc interim satis. Sed quod de obsequio Luciani martyris corpori Delphini opera delato hactenus enarravimus, haud naturæ, sed Deo ipsi rerum omnium auctori jure merito adscribendum est, ut patet etiam in beato Ariano martyre, ac sociis, quorum corpora sub Diocletiani persecutione saccis cum arena inclusa, & in mare projecta pari delphinorum obsequio ad littus Alexandrinum delata fuere.

[Delphini sui generis cadaveribus pompam funeralem exhibent. Arist. l. 9. de hist. anim. 48. Plin. lib. 9. c. 8. in fin. Ælian. l. 12. c. 6. Mart. Rom. die 8. Mart. Sur. to. 2. die 13. Maji.]

21 Celebre item est, quod de S. Martiniano Eremita apud Surium legitur, nempe dum in rupem quandam in medio maris sinu pœnitentiæ causa secessisset, ut ibidem ab omni hominum commercio sejunctus, cælestium rerum jugiter contemplationi insisteret, dæmonis impulsu, qui beati viri proposito invidebat, ex naufragio puella miræ pulchritudinis ad petram appulit, qua visa dæmonis artem Martinianus præsentiens, & haud suæ fidens castitati, oratione præmissa, & crucis signo se muniens, protinus se misit in mare, & ecce duo delphini adfuere, qui dorso eumdem excipientes, suum in locum detulere; sed Surius paucis rem totam in hunc modum enarrat: *Quæ cum dixisset, se statim jecit in mare. Statim autem eum duo Delphines exceperunt, & in terra deposuerunt. Puella verò donec excessit ex oculis ejus, videbat ipsum ferri super aquas, &c.* Sed de Delphinis Sanctorum obsequio propensius inservientibus sat obiter diximus, nunc verò ad nostra redeamus.

[Martinianus eremita amore castitatis in mare se jaciens à delphinis excipitur. Sur. die 13. Febr.]

22 Sacra insuper quadraginta Martyrum ossa, quæ in flumen projecta fuerant (ut alibi diximus) à Petro quodam Episcopo, Martyribus id ipsum revelantibus, reperta, quam decenter ab eodem tumulata sunt, ut in eorundem Actis his verbis exprimitur: *Sed tertio post die civitatis Episcopo Petro per visum Martyres aperuerunt, quo in loco reliquiæ servarentur. De nocte, dicentes, veniens è flumine nos educito. Adhibitis igitur Episcopus clericis, viris religiosis, ad fluminis ripam accessit; & ecce reliquiæ Sanctorum in aqua tanquam stellæ fulgebant,*

[Quadraginta mart. ossa ipsismet revelantibus reperiuntur.]

bant, & locus, ubi residebant, ab ipso lumine indicabatur. Assumptas igitur inde sanctorum Martyrum reliquias, in loculis asservaverunt, &c. hæc ibi.

23 Haud tamen hic omittendum esse arbitror, quod de sanctissimo Episcopo, ac Martyre Januario scribitur. Hic dum Christiani de humandis, tum ejus, tum sociorum corporibus pie, studioseque inter se agerent, eisdem apparens, præcepit, ut digitum quoque, qui illi cum capite præcisus fuerat, diligenter quærerent, & simul sepulturæ traderent. Verum in Actis isthæc leguntur: *Cum vero Martyr Domini decollaretur, & orarium ante oculos teneret, digitus ejus una cum capite abscissus excidit. Sed dum Christiani corpus ipsius, & cæterorum Martyrum nocte sepelire vellent, apparavit eis Ianuarius, eos admonens, ut digitum simul cum capite præcisum requirerent. Quod illi facere curaverunt.*

S. Januarius digiti sui cum capite abscissi curam habet.

24 Inclyti Martyres denique, ut exemplis quamplurimis toto hoc capite collectis abunde confirmari potest, post consummatum feliciter martyrii agonem, frequentibus è cælo apparitionibus, suorummet corporum curam adhuc se gerere satis aperte contestati sunt: quinimo post longa temporum intervalla, cum à quibusdam eorundem reliquiæ interdum negligerentur, meritoque sepulchri honore carerent, novis è cælo præstitis aliquando revelationibus, decentiorem in locum easdem transferendas edixerunt. Quod præcipue constat ex celebri Beatæ Cæciliæ virginis Romanæ historia, quæ post sexcentesimum circiter annum ab ejus martyrio dilapsum, Paschali Papæ hujus nominis primo, ipsius corpus solicite perquirenti, videndam se præbuit, bonoque eum animo esse jubens, ubi sacra ipsius pignora adinvenisset, in ecclesiam suo nomini dicatam, atque ab eodem Pontifice instauratam congruo honore reponenda præcepit. Cujus quidem recolendæ apparitionis exacta in Vat. Cod. descriptio habetur, & in suis Annalibus à Baronio hisce verbis recitatur: *Dum quodam die ad beati Petri Principis Apostolorum ecclesiam pergeret* (Paschalis Papa scilicet) *quatenus apud eumdem beatum Apostolum solito more vigilias celebraret, & ante ejusdem Confessionem Dominicas laudes residens decantaret, subito depressus sopore, vidit adsistentem sibi virginali adspectu Puellam, angelico adspectu decoram, taliaque ipsam sibi locutionis affamina protulisse: Multas tibi gratias agimus, quod ad incertam famam, quam de me sparsam, frustratoriis relationibus pervulgatam, aures accommodare reliquisti: quippe qui tanti penes me fuisti, ut proprio loqui invicem ore valeremus. Hæc jam sæpe fatus Pontifex diligenter audiens, studiose requirere cœpit, quæ esset ipsa, quæ talia illi verba diceret, vel quo nomine vocaretur. Cui illa respondit: Si nomen inquiris, Cæcilia famula Christi vocor. Ad quam summus Pontifex: Quomodo hoc credere possum, eo quod olim fama relatum sit, quatenus ejusdem venerabilis Christi Martyris Cæciliæ corpus ab Astulpho Longobardorum Rege hostiliter Romam obsidente, furto esse per ejus homines sublatum? Cui venerabili Pontifici ista intimanti, omnipotentis Dei famula Cæcilia dixit: Quod me desiderabant, & ut invenirent, Longobardi quæsiverunt, omnino verum est; sed Domini mei Iesu Christi opitulatione, & Dominæ meæ sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ auxilio, me neque invenire, neque deportare longius valuerunt. Et ideo sicut quærere me cœpisti, ut invenires, assiduo labore non desinas incumbere, quia Domino Iesu Christo, pro cujus amore, & honore passa sum, placuit, ut tu me invenias, & in Ecclesiam, quam instruxisti, recondas. Et hæc dicens, ab oculis adspicientis sublata est.* Subsequitur autem ibidem prolixa inventionis ejusdem enarratio, quæ apud Prætextati Cœmeterium ejusdem Beati Pontificis opera, & studio obtigit.

Martyres etiam post multa secula se curam suorum corporum habere monstrant.

Atque ea in digniora loca transferri jubent.

Cod. Vat. rel. à Baron. to. 9. Annal. an 821.

S. Cæcilia sexcentis annis post martyrium apparet Paschali Papæ.

Et corpus suum à Longobardis ad asportandum quæsitu, sed non inventum narrat.

Has suas reliquias, quas anxie Pontifex quærebat, ab illo reperiendas esse dicit.

25 Quod autem ipsimet Angeli mortalibus interdum apparuerint, & sacras recondi jusserint beatorum Martyrum reliquias, ex prænarratis jam supra exemplis sanctorum Crispini, & Crispiniani, necnon & Torpetis Martyrum satis aperte demonstratum est. Restat nunc, ut quo studio martyrum reliquiis exquirendis Christiani olim institerint, & quæ iisdem obsequia detulerint, videamus.

CAP. XI.

Christiani SS. Martyrum reliquiis perquirendis, humandisque perpetuo student.

1 Apud Christianos, quorum animis constanter infixa resurrectionis spes, & beatæ immortalitatis desiderium altius insederat, jugiter etiam officiosæ erga defunctorum corpora pietatis studium viguit, ut egregie Prudentius quoque laudatissimus inter poëtas Carminibus suis cecinit:

Propter spem resurrectionis Christiani defunctorum corporibus curam impendunt.

Prudentius hymno de exeq. def.

Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breve restat, ut alti
Repetat collegia sensus;
Venient cito sæcula, cum jam
Socius calor ossa revisat,
Animataque sanguine vivo,
Habitacula pristina gestit,
Quæ pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta jacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur, hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.

2 Hæc apte Prudentius, quibus condigno laudum præconio Christianorum pietatem evehit, utpote qui impenso animi studio defunctorum funera curarent, eorumdemque cadavera omnibus (ut pios decet) officiis prosequerentur; subdit igitur.

Hæc Christianorum opera à Prudentio summopere laudantur.

Hoc provida Christicolarum
Pietas studet, utpote credens,
Fore protinus omnia viva,
Quæ nunc gelidus sopor urget,
Qui jacta cadavera passim,
Miserans tegit agmine terræ,
Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.

Hæc ille. Cui optime consonat Christianus alter inter Philosophos Lactantius, qui *maximum pietatis officium esse ait Peregrinorum & pauperum sepulturam:* & idemmet Petrus Apostolus apud Clementem eadem misericordiæ opera recensens, atque commendans, id veluti potissimum expressit, *Mortuos videlicet sepelire, & diligenter eorum exequias peragere.*

Maximum pietatis officium sepelire pauperes ac peregrinos.

Lactant. l. 6. Instit. c. 12.

Clem. Rom. ep. 1.

3 Noverant quippe Christiani hujus pietatis opera apprime sacris in paginis commendata; ipse enim Dominus hæc ad Esdram prolocutus fuisse legitur: *Mortuos ubi inveneris, signans commenda sepul-*

Pietas erga mortuos in S. Scriptura maxime commendatur.

Esdræ 4. cap. 2.

sepulchro, & dabo tibi primam sessionem in resurrectione mea. Idem pariter ex Tobiæ libro quisque edocetur: sanctissimus enim vir inprimis, ut Paulinus ait, hujus specialiter muneris prærogativa justificatus à Domino & Archangeli voce laudatus est, quod in miserâda Israëlitici populi captivitate mortuis atque interemptis, vel ipsismet festivis diebus sepulturæ beneficium jejunus impenderet: inde enim Deum sibi promeruisse Raphael Archangelus contestatus est, cum ait: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.*

Paulin. ep. 37. ad Pammach.

Tobias eo præcipue nomine Deo, Archangelo teste, placuit.

4 Quod suis eleganter carminibus Prudentius, quem supra citavimus, hunc in modum expressit.

Hymno de exeq. def.

Sancti sator ille Tobiæ
Sacer ac venerabilis heros,
Dapibus jam rite paratis,
Ius prætulit exequiarum;
Iam stantibus ille ministris,
Cyathos, & fercula liquit,
Studioque accinctus humandi,
Fletu dedit ossa sepulchro;
Veniunt mox præmia Cælo,
Preciumque rependitur ingens.

Cura funerum Tobiæ exemplo omni operi præferenda.

Hæc Prudentius. Quibus paria sanctissimo digna viro præconia S. Paulinus Nolanus Episcopus disertis verbis subtexuit: *Negligens enim,* inquit, *ventris quia diligens animæ, maluit corpore esurire quam spiritu: ut nobis quoque esset exemplo quo præoptemus jejunare cibo carnis, ut saturitatem animæ conferamus.* Hæc in laudem officiosæ pietatis à Tobia defunctis exhibitæ Paulinus.

Paulin. ep. 37. ad Pammach.

Tobias mavult esurire corpore quam spiritu.

5 Christiani igitur, quippe qui eximio pietatis affectu tenebantur, colebantque eos quibuscumque officiis, quos pro Christi fide ad sanguinem usque in acie fortiter, constanterque decertasse noverant, in perquirendis, sepulchroque condigno inferendis eorumdem corporibus, sedulam semper (ut sacræ edocent historiarum tabulæ) navarunt operam. Tum ut iisdem, qui id unum summopere se peroptare testabantur, rem gratam facerent: tum vero, quoniam superno fidei lumine imbuti, certò sciebant, ac profitebantur futuram corporum ad diem novissimum resurrectionem, eisque perennis gloriæ ac felicitatis consortium impendendum fore divina spe subnixi præstolabantur: tum etiam ob luculenta mirandorum operum signa, quæ earundem virtute reliquiarum, ac Sanctorum meritis frequenter contingere, ipsa edocti experientia, advertebant; quod quidem maximo fidei incremento, & Religionis Christianæ subsidio quotidie adversus debacchantes gentilitiæ superstitionis errores inserviebat.

Quare Christiani tam seduli in curandis Martyrum reliquiis?

6 Certe hoc ipsum Julianus doluit, impius, inquam, ille desertor, qui Idololatriam ab inferis, quo se receperat, iterum in orbem evocare, auctoritate fovere, totoque conatu eamdem stabilire; ac sanæ, illibatæque fidei cultum penitus abolere cupiens, in ea, quam scripsit ad Arsacium, epistola inter cætera laudabilia pietatis opera, quæ Christiani de more præstabant, ut ipse meminit, studiosam, ac indefessam jugiter in defunctorum corporibus humandis solicitudinem recenset. Quibus profectò operibus eorumdem, quam acriter insectabatur, Religionem mirabiliter profecisse fatetur. Quapropter ut & hæc eadem à Gentilibus ad Idolorum cultum in orbe propagandum exerceantur, serio ibidem suos admonet, atque obtestatur. Hæc autem epistola his quidem verbis apud Sozomenum legitur: *Sed quid est causæ* (inquit ille) *cur in hisce, perinde ac si nihil amplius opus esset, conquiescimus? ac non potius convertamus oculos ad ea, quibus impia Christianorum Religio creverit; id est, ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis sepeliendis positam, & ad sanctimoniam vitæ, quam simulant; quorum singula à nobis vere exequenda esse censeo, &c.* Hæc impius effutiit adversus Christi religionem, immo contra pietatem pro idololatriæ impietate calamo æque ac gladio decertans. Verum, ut vides, dum Christianorum fidem acrius impugnat, eorumdem mores, ac vitæ sanctimoniam vel invitus probare, atque extollere illustri hoc ad veritatem comprobandam elogio compulsus est.

Julianus apostata Idololatriam jam labantem erigere nititur.

... eam propagandam hortatur gentiles ad imitandos Christianos.

Sozom. l. 1. cap. 15.

Et maxime in cura sepeliendi mortuos.

7 Et is quidem ac tantus in piis hujuscemodi operibus exercendis Christianorum fervor extitit, ut & summos quosque in perquirendis labores amplecti, quam multas vero in redimendis sanctorum corporibus, & comparandis sibi reliquiis pecunias, immo & vitam ipsam libenter profundere non dubitarent. Quamobrem eorum plerique, ut in sacris Martyrum Actis quamsæpissime legimus, ob impensum martyribus hujusmodi pietatis officium, pro mercede martyrium accepere. Quamvis & hi, qui in hæc laudabilia assidue incumberent charitatis ministeria erga defunctorum corpora, absque ulla sanguinis effusione, quæ sola martyres facit, Martyres vivi jure quidem merito à Chrysostomo appellentur, ut videre est in Sermone, quem habuit in sanctos martyres Juventium & Maximum his plane verbis: *Post beatam autem illam cædem, quidam, etiam cum salutis periculo, Athletas illos optimos rapuerunt decenter, etiam ipsi vivi Martyres, ut eorum reliquias curarent decenter. Nam quamvis non occidebantur, optabant tamen mori potius, quam corpora illa relinquere inhumata. Ita ad venationem festinabant.* Quæ quidem postrema verba hic à nobis, ut legitimum eorum sensum assequamur, diligenter adnotanda sunt. Iis enim vir sanctissimus indefessum animi studium, solertiamque incomparabilem ad vivum exprimere conatus est, qua viri illi religione, & charitate conspicui sanctorum corpora jugiter indagare consueverunt: deducta nimirum à venatoribus in rem apte metaphora, qui abditissima quæque loca maxima aviditate circumeunt, perlustrantque, ubi latitantes plerumque velut in receptaculis feras investigent, adinventasque demum ipsa intra latibula comprehendant. Hunc plane loquendi modum in aliis quoque sanctorum Martyrum Actis usitatum fuisse reperimus; ut præcipue in beatorum Hermili, & Stratonici jam supra citatis videre est, in quibus haud aliud quorundam piorum hominum officium asseritur, quam huc illuc percurrendo corpora sanctorum diligenti indagatione venari. Sed ad singula hominum genera, quorum sacris in paginis ob hujusmodi pietatis opera memoria celebris reddita est, descendamus.

Christiani nulli parcunt labori, nulli sumptui, nec vitæ propriæ in perquirendis, sepeliendisque martyribus.

Multi martyrio decorantur ob impensum mortuis obsequium.

Chrys. in ser. de Iuvent. & Max.

Martyres absque sanguinis effusione, qui dicantur?

Christiani venatores reliquiarum martyrum appellantur.

CAP. XII.

Romani Pontifices sacris Martyrum pignoribus sepulturæ ministerium exhibent.

1 Cum omnes ubique terrarum Christianæ fidei cultores, ut jam vidimus, hujusmodi pietatis, ac misericordiæ munia jugiter obeundi ardore flagrarent; at præ cæteris hi, qui Romæ

Roma martyrum fertilis ager.

degebant: quæ Urbs inter reliquas totius orbis tanquam fertilis Ecclesiæ ager Martyrum sanguine uberius redundavit. Hic nimirum (ut sacræ exhibent historiæ) non modo pii quique viri, ac religiosæ fœminæ, verum etiam summi Pontifices, qui clavum Ecclesiæ tunc temporis tenebant, idipsum maxima animi alacritate, studio, ac labore præstiterunt: quod à nobis hoc speciatim loco exponendum erit, singulos nimirum referendo, qui sibi immortalem inde in Ecclesia laudem promeruerunt.

In ea Summi Pontifices martyribus humandis summopere incumbunt.

Pius I. curam in sepeliendi martyres demandat Episcopis.

2 In primis autem sanctissimus Pontifex Pius Primus hujus nominis, ejusmodi pietatis opus Justo Episcopo demandavit, ut videre est in ea, quam potissimum scripsit, epistola his fere verbis: *Cura autem sanctorum Martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt Apostoli Stephanum.*

S. Callistus Papa Cœmeterium sui nominis ampliat.

Beatæ vero memoriæ Pontifex Callistus Martyrum obsequio deditissimus, cum primum presbyteri Calepodii corpus, quod suimet ipsius opera adinventum fuerat, in ejusdem Calepodii Cœmeterio sepelisset, ratus tamen tum Martyrum sanguine, tum eorumdem corporibus, veluti pretiosissimis quibusque thesauris, ac gemmarum monilibus Romanam Ecclesiam illustrari, ad Martyrum præcipue sepulturam (quorum tunc ingens erat numerus) Cœmeterium, quod via Appia situm erat, ampliavit, & quod postea ab ejus nomine Cœmeterium Callisti nuncupatum est.

Martyrol. 13. Kal. Dec.

Anastas. in Pontiano.

S. Cornelius Papa Apostolorum corpora in pristinum sepulchrum transfert.

3 Sacra item Martyrologia, Fabianum Romanæ Urbis Episcopum in eodem Callisti Cœmeterio corpus sancti Pontiani Papæ, quod è Sardinia translatum fuerat, sepeliisse testantur: quod & ipse Anastasius in Pontiano confirmat. Quod autem Cornelius Romanæ item Ecclesiæ Pontifex sanctitate conspicuus hortatu Lucinæ matronæ, Apostolorum corpora è Catacumbis, ubi diu jacuerant, in pristinum sepulchri locum transtulerit, è sacris antiquitatum monumentis legenti palam fit. Stephanus item Romanus Pontifex ministerium suum in colligendis, humandisque beati Martyris Tertullini pignoribus ultro libenterque exhibuit, ut in ejusdem sancti Stephani Actis apud Surium legitur. Sanctissimus item vir Eutychianus, ut Anastasius refert, suimet ipsius manu indefesso studio ac labore ter centum, & quadraginta duos Martyres sepultura donavit.

S. Stephanus Papa Tertullinum mart. sepelit. *Sur. to. 4. 2 Aug.*

B. Marcellus Papa titulos 25. instituit propter sepulturas præcipue martyrum. *Anastas. in vit. Marcell.*

4 Beatus Marcellus Papa, & martyr viginti quinque, ut idem inquit Anastasius, titulos in Urbe instituit, *quasi Diœceses, propter Baptismum, & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex Paganis, & propter sepulturas Martyrum.* Qui etiam adhuc Presbyter (eodem teste Anastasio in B. Marcelli gestis) prædecessoris ejusdem corpus in Cœmeterio Priscillæ via Salaria sepelivit, ubi & corpora sanctorum Claudii, Cirini, & Antonini pariter recondidit. Postquam vero Ecclesiæ Romanæ Pontifex Deo disponente renuntiatus est, è via Salaria ad Ostiensem transtulit, rogatu Lucinæ matronæ, corpora sanctorum Cyriaci, Largi, & Smaragdi, ut in ejusdem Marcelli Actis, & Cod. M. S. qui asservatur apud sanctam Cæciliam, hisce verbis legitur: *Veniens autem sanctus Marcellus Episcopus cum Lucina matrona Christianissima, condivit corpora sanctorum cum aromatibus, & linteaminibus, & imposuit nocte in pavone cum eunuchis suis, & sustulit inde, ubi commendati fuerant, &c.*

Idem ad loca honestiora transtulit multa corpora martyrum.

Melchiades corpora Quatuor Coronatorum sepelit.

5 Melchiades quoque, dum & ipse inter presbyteros Romanæ Ecclesiæ adnumeraretur, una cum sanctissimo viro Sebastiano corpora sanctorum quatuor Coronatorum sepulchro commendavit, ut in ejusdem Actis, & manuscripto Codice Vaticano his verbis legitur: *Tunc Sebastianus venit noctu cum Melchiade Episcopo, & collegit corpora, & sepelivit in via Lavicana, milliario ab Urbe Roma plus minus tertio, cum aliis sanctis in Arenario.* Adnotandum interim est, quod in his Actis Melchiades appellatur Episcopus, ob eam certe rationem, quia ipse, dum hæc eadem ab auctore conscripta sunt, eo munere exornabatur. Ex historicis enim enarrationibus manifeste constat, recensitos Martyres coronatos fuisse, cum Marcellinus Pontifex Ecclesiam regeret, anno scilicet Domini trecentesimo trigesimo, quo tempore Melchiades Presbyteri adhuc ministerio fungebatur.

Psal. 115.

Christiani occisorum pro Christo reliquias thesauro cariores habent.

S. Cyprian. ad mart. & Conf. lib. 2. ep. 6.

6 Cum itaque probe antiqui Christiani nossent, quod & regius cecinit Psaltes: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, beatissimos videlicet martyres (ut Cyprianus ait) pretio sanguinis emisse sibi immortalitatem, venerandas eorumdem exuvias, *quasi effodientes thesauros* (ut divinæ testes sunt paginæ) solicite perquirendas, excipiendas, curandas, servandasque sibi indixere: & quoniam ad rem apte thesaurorum mentio incurrit, quis quæso adinvento thesauro non valde gestiat? quis sibi non merito gratuletur? quis eumdem ubi primum invenerit, non protinus terræ visceribus altius infodiat, ut servet; & si quando effodi contingat, non iterum ad eum caute conservandum abscondat; *Simile est*, inquit Christus, *regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio vadit, & vendit omnia, quæ habet, & emit agrum illum.* Hoc plane à Christianis Pontificibus præstitum est, qui primum pretiosa martyrum cadavera cœmeterialibus inferre sepulchris indefesso jugiter labore studuerunt, & si quando hæc eadem effodiendo ad lucem, ad manum venirent, ex uno ad alterum transferre locum, ex Cœmeteriis in ipsas inferre basilicas, secretiori sinu, honoris gratia satagebant. Quis enim nesciat, antequam ad ulteriora progrediamur, quam solemnis semper extiterit dies, quo sacra martyrum corpora alio transferri contigit?

Mar. 13.

Bonifacius Quartus Pantheon in Urbe Martyribus dedicat, eorumque reliquiis ditat.

7 Quanta vero præstitit recolendus ille cæteros inter Romanos Pontifices sanctitate Bonifacius Papa Quartus, qui veneranda Beatorum martyrum pignora impense adeo coluit, ut antiquissimum præ omnibus templum Pantheon in Urbe solemni ritu Deo in honorem Christi martyrum dedicaverit, eorumdemque reliquiis uberrime cumulaverit; cujus rei annua jugiter memoria in Romano Martyrologio peragitur tertio Idus Maji, ut his verbis inscribitur: *Romæ dedicatio S. Mariæ ad Martyres, quam beatus Bonifacius Papa Quartus expurgato Deorum omnium veteri phano, quod Pantheon vocabatur, in honorem beatæ semper Virginis Mariæ, & omnium martyrum dedicavit tempore Phocæ Imperatoris. Divina autem*, inquit Baronius, *dispensatione factum est, ut inter tot idolorum templa prostrata, & in anathema oblivionis eversa, Pantheon velut insigne quoddam, ac perenne trophæum de expugnatis hostibus permaneret, cederetque triumpho omnium Martyrum, qui omnium gentilium Deos, Christi cruce subegerant.* Quantis vero tunc sacrorum pignorum thesauris ejusdem beatissimi Pontificis opera tem-

Baron. in not in Mart. Rom.

Pantheon perenne Christi de expugnatis gentibus trophæum.

templum hoc, quod martyribus dicabatur, refertum sit, si quis interim nosse cupit, Baronium consulat isthæc enarrantem: *Legi*, inquit ille, *in ejus Ecclesiæ codice manuscripto, templum illud dicatum Deo in honorem Dei Genitricis Mariæ, omnium sanctorum Martyrum, & Confessorum, illataque illuc esse reperi duo de triginta curribus ossa sanctorum Martyrum, è diversis Urbis Cæmeteriis effossa, solemniterque comportata, ac decentissime collocata.* Hæc in suis ad Romanum Martyrologium Notis Baronius, sed ad ulteriora properandum est.

Baron. in not. ad Mar. Rom. 3. Id. Mart.

In illud duo de triginta curribus ossa martyrum illata.

CAP. XIII.

Presbyteri, & Clerici tumulandis martyribus operam impendunt.

1 VErum Sanctorum tot Summorum Pontificum religiosæ admodum pietatis vestigia in curandis, ut hactenus enarravimus, instruendisque Martyrum funeribus, Romanus quoque Clerus pari alacritate æmulari haud destitit. Quamobrem ex Presbyterorum numero quamplurimi non defuere, qui tumulandis obtruncatorum pro Christo cadaveribus jugem navarunt operam, ut jam supra recensuimus.

Romanus Clerus curandis martyrum funeribus insignis.

2 Præstitit hoc Justinus in Cyrillæ, Hippolyti, Concordiæ, Irenæi, atque Abundii funeribus, qui demum, ut plerique alii, ob exhibitum præstantissimæ charitatis officium, pro mercede optatam martyrii palmam accepit. Delatus enim quod Tryphoniæ uxoris Decii, & Cyrillæ ejus filiæ corpora sepelisset, his eumdem verbis acriter increpans allocutus est Claudius: *An putas nos sacrilegia tua ignorare, quæ cum similibus tuis profanis commisisti? Nonne tu ausus es temeritate nefaria agere contra Deos, & contra præcepta invictissimorum Imperatorum; quia sacrilegum illum Laurentium sepeliisse diceris, & Romanum militem perditissimum furtim tulisse deprehenderis, & quamplurimos hujus nefariæ sectæ vestræ tecum pariter absconditos habuisse inclamaris.* Et tandem capite obtruncatus est, ut in M. S. ejusdem Actis Basilicæ Lateranensis.

Justinus martyrio coronatur ob exhibitam defunctis sepulturam. In ejus Act. M.S. Later.

3 Idem quoque laudabiliter præstiterunt Fortunatus beato Martyri Luciano diacono: Joannes Bibianæ virgini Romanæ ac martyri: Justus Nicomedi: Pastor item Quirino: Crispus, & Joannes, alter videlicet hujus nominis, beatis Simplicio & Faustino: Asterius Callisto: Nicomedes Feliculæ; quorum omnium corpora ab iisdem, ut diximus, summo devoti animi, ac Christianæ pietatis obsequio tumulata fuere. Et ut de cæteris taceamus, nonne martyr Nicrandus ille nobilissimus ob id unum martyrii coronam sibi promeruit, quia martyrum reliquias studiose perquirens, debitum eisdem honorem deferre satagebat, ut enim Martyrologium Romanum testatur, hoc præclaro passionis titulo natalitius ejusdem dies illustratur: *In Ægypto S. Nicandri martyris, qui cum sanctorum Martyrum reliquias studiose perquireret, & ipse martyr effici meruit sub Diocletiano.* Cujus laudes etiam in Græcorum Menologio celebrantur.

...eries san...torum, ...ui studio ...n curandis ...nortuis ...xcellunt.

Mar. Rom. die 15. Maji.

Nicander ...n præ...nium curæ ...abitæ ...mortuo...um ipse ...artyr esse ...meruit.

4 His autem quos hactenus enumeravimus, ex eodem clero complures alii merito laudandi adnumerari possunt, qui tumulandis beatorum Martyrum cadaveribus suam toto animi conatu operam præbuerunt, quos infra recensebimus. In lectoris autem gratiam hic obiter in mentem revocandum est, olim quidem in Ecclesia pium ejuscemodi obsequii munus, quod defunctis impenditur, tam religiose usurpatum fuisse, ut clericis, quibus res sacræ committebantur, hoc Christianorum corpora curandi, ac terræ demandandi onus speciatim injungeretur, ut satis aperte ipsemet Hieronymus in epistola de muliere septies icta innuere videtur.

...nter sacra ...ericorum ...uneri, ...iam offi...um cu...randi, sepeliendique mortuos in Ecclesia olim erat.

D. Hieron. ep. 39 ad Innoc.

5 Ut vero rem altius repetamus, in ipsis Apostolorum actibus, quorundam juvenum mentio incurrit, qui Ananiam, Zapphiramque ipsa Petri voce, eosdem acrius increpantis, exanimatos, inde levantes sepulchro intulerunt: quos forte jam tum ab Apostolis ad hunc piissimi ministerii usum institutos, dicatosque fuisse credere nobis par est: quod sane vel ex hoc commode confirmari potest, quoniam Ignatius ille Antiochenus Episcopus, qui cum Apostolis aliquandiu vixit, inter cæteros Ecclesiæ ministros Κοπιάτας recenset, hoc est, laborantes, quos Epiphanius Κοπιάτας eadem plane significatione appellat, ut ipse nimirum ait, qui corpora eorum, qui obdormierant, obvolverent, ac terra cooperirent. Horum insuper Justinianus Imperator in suis Novellis de exequiis defunctorum meminit; ubi etiam iidem ministri alio nomine *Decani*, & *Lecticarii* vocantur.

Actor. c. 5. Ministros curandi defunctorum corpora ab Apostolis institutos verisimile est.

Horum meminit Ignatius martyr. Ignat. ep. ad Antioch. Epiph. in expos. fid.

Justinianus Imp. eosdem Decanos, & Lecticarios appellat. Novell. 43. & 59.

6 Hos vero Auctor epistolæ ad Rusticum Narbonensem de ordinibus Ecclesiæ apud Hieronymum alio nomine *Fossarios* appellat, ac clericis adnumerat: non ita quidem ut eorumdem munus ex iis ordinibus esset, quibus clerici ex consueto more initiantur, sed quod pium ejusmodi Christianæ fraternitatis exercitium, clericis plane ob sui meritum competeret: probatis vero eosdem moribus eum in modum insignitos esse oportère demonstrat, ut iismet, quibus Tobias olim præfulsit, æquiparentur: *Ejusdem nempe*, ait, *fidei, ejusdem sanctitatis, ejusdem scientiæ atque virtutis, ut sicut ille, exhibentes visibilium rerum curam, ad invisibilium festinent; & resurrectionem carnis credentes in Domino, totum quod faciunt, Deo se præstare, non mortuis cognoscant*, hæc ibi.

Apud Hieron. to. 9. Apud Hieron Fossarii dicuntur, ac clericis annumerantur.

Obsequium Deo præstat, qui mortuum sepelit.

7 Magnus vero ille, ac primus Christianos inter principes Constantinus; quo condignum Christianæ pietatis, & misericordiæ, cæterisque æmulandum præstaret symbolum, illud quidem sanctissimis legibus instituit, ut Constantinopolitana in urbe, quam ipse recens suo de nomine condiderat, ad curanda defunctorum corpora, efferenda, humandaque, nongentæ, ac quinquaginta diversorum collegiorum, & artium officinæ præsto essent, quæ ab omni publicorum munerum, ac vectigalium onere immunes, lecticarios atque copiatas instruendis funeribus suppeditarent. Hoc idem Honorius & Theodosius Junior religiosissimi Augusti edita constitutione ratum habuere. Anastasius vero, impius alioqui Imperator, in hoc se tamen pium admodum exhibuit, ut aucto prædictarum officinarum usque ad centum supra mille numero, redditum quoque librarum auri septuaginta constituerit, eam videlicet ob causam, ut exequiæ sine ullo eorum sumptu, quorum funera curabantur, sed gratis omnino fierent. Quæ omnia iterum Justinianus confirmans, opportune sanxit, ut illarum officinarum aliæ *decanos, seu lecticarios, & laboratores* funeribus curandis præstarent, qui in hoc obeundo munere Ecclesiæ subjecti essent: aliæ vero pecunias ad sublevandam inopiam suppeditarent, ita ut laudabilia funerum ministeria ipsius Ecclesiæ sumptibus, ex attributis hujuscemodi redditibus, absque ulla

Constantinus Imp. 950. artium collegia, quæ funerum curam habeant instituit, & à publicis oneribus liberat. Novell. Justin. 43. & 59. Leo Nov. 12. Leg. non plures C. de sacros. Eccl. Novell. 43. 59. l. magnd C. de sacros. Eccl.

Anastas. Imp. numerum illorum auget, & annuo redditu dotat. DD. Novell. 43. & 59.

Justinianus eadem confirmat, & suum cuique munus obeundum inter illos distribuit.

Leo novella 12.

ulla defunctorum expensa perficerentur. Ac demum Leo cognomento Philosophus totum id ratum habens, ad unguem servari præcepit, velut ministerium, ut ipse ait, *ad numinis cultum pertinens*.

Curandorum funerum institutum desitum instauratur Romæ.

8 Porro religiosi hujus ministerii institutum, quod per longa temporum interstitia antiquatum, abolitumque fuerat, Deo tamen disponente jam superiori seculo sanctioribus legibus Romæ instauratum, & in diversas inde Orbis terrarum Ecclesias mirifice propagatum est. In Urbe quippe celeberrimum inter cætera sub Misericordiæ titulo Sodalitium erectum viget, cujus confratres viri plerumque nobiles ex instituto, quod servant, eorum cadavera, quibus in patratorum criminum pœnam mors legum tenore infligitur, curare consueverunt. Hi ubi ad bene moriendum pie, ac solicite eosdem adhortari reos, ac in mortis agone constitutos, paterna fovere charitate ac solatio non destitere, demum exstinctorum corpora è patibulo levantes, feretro imponunt, dissecta quandoque membra diligenter colligunt, componunt, & ad sacrum Cœmeterium juxta Ecclesiam, quo una simul convenire illis mos est, supplicantium ritu incedentes devehunt, adhibitisque interim sacris precibus honeste sepeliunt.

Nobile Misericordiæ sodalitium in Urbe, ejusque ministerium quale?

Altera sub titulo Mortis societas, ejusque munia.

9 Viget in Urbe & alia sub titulo Mortis Confraternitas, quæ suis expensis mortuorum, & præcipue pauperum cadavera, ubicumque projecta jaceant, excipere, ac feretro imposita in sacrum deferre locum tumulanda pro instituto habet: cujus etiam Baronius in suis Annalibus meminit. Hoc autem Mortis Sodalitium sub alio titulo Charitatis in multis Galliarum locis, hortatore olim per visionem, ut perhibent, S. Eligio Noviomensi Episcopo, & Flandrorum Apostolo, floret, quorum pia obsequia haud multum distant à ministerio, quod præstabant olim Parabolani Ecclesiæ Alexandrinæ, quos Junior Theodosius Imperator ad sexcentorum numerum auctos ad curanda quorumvis ægrotantium, etiam pestis tempore, corpora destinavit, sed de his hactenus.

Baron. Annal. to. 3. an. 366. in f. n.

Sodalitium charitatis in Galliis defunctorum obsequio vacat.

Parabolani qui sint? eorumque numerus ac ministerium.

10 Ut laudatissimos igitur ex clero recenseamus, qui ex pio, quod sacris Christianorum cadaveribus detulere, obsequio, immortalem sibi in Ecclesia laudem peperere: primo quidem loco sese nobis offert Rufinus ille, qui sanctorum Antonii, Eusebii, Pontiniani, Peregrini & Vincentii martyrum corpora sub Commodo Imperatore, haud longe ab Urbe, sua manu sepelivit, ut in beati ejusdem Eusebii, sociorumque actis apud Surium videre est, & ex Vinc. speculo.

S. Rufinus diligentissimus funerum curator.

Sur. to. 7. 25. Aug. Vink. Spec. l. 11. c. 119.

Eodem præsertim nomine B. Eusebius clarus.

11 Inter eosdem quoque jure quidem optimo Eusebium recensere possumus, qui sanctorum martyrum Quiriaci Episcopi, Maximi presbyteri, Archelai diaconi, Taurini & Herculani, Theodori tribuni, & permultorum militum, quorum jam supra sub Alexandro meminimus, corpora, dum neglecta adhuc, incultaque jacerent, obsequenti manu extulit, & perhonorifice humanda curavit, ut in ejusdem Eusebii actis in M. S. Cod. Vaticanæ Basilicæ, & Lateranensis hisce verbis legitur: *Tunc* (post decollatum scilicet in carcere Quiriacum Episcopum) *beatus Eusebius presbyter in specula positus, noctu collegit corpora sanctorum Cyriaci Episcopi, Maximi presbyteri, & Archelai diaconi, & cum omni diligentia sepelivit. Corpora vero sanctorum militum, qui in mari præcipitati fuerant, beatus Eusebius solicite colligens à littore maris in campo Ostiæ abscondit, quos & sepelivit juxta Urbem Via Ostiensi. Taurinum vero, & Archelaum in portu Romano abscondit: beatum vero Theodorum Tribunum posuit in Mausoleo suo, & omnes alios collegit, & posuit juxta corpora sanctorum Cyriaci, & Maximi, &c.* hæc ibi.

M. S. *Cod. S. Petri & Lat.*

Multorum martyrum corpora colligit, ac terræ mandat.

12 Iisdem addito insignem Polemium, qui ut in M. S. Actis B. Marmeniæ Cod. Lateran. legitur, tantæ religionis vir extitit, ut duorum & quadraginta Martyrum corpora, quos una die decollari contigit, suismet manibus sepulturæ commendaverit. Præmemorato Polemio Tertullinum adjunge, qui cum adhuc gentilis esset, in hoc maxime laudandum se præbuit, quod duodecim clericorum sancti Stephani Papæ, sub Valeriano & Gallieno interfectorum pro Christo corpora primum curasse describatur, quorum venerandas postmodum reliquias prope sanctorum Juvini & Basilei corpora via Latina reposuit, ut in ejusdem S. Stephani gestis expressum habetur, qui cum postea resciv isset, quod ille in gentilitatis adhuc errore degens, pie religioseque præstiterat, ad se eundem accersitum benigne excepit, & ad Christianam fidem feliciter traductum sacro baptismate abluit, & subinde presbyteratus honore insignivit, ac demum gloriosum Christi Martyrem pro fidei confessione, beatos inter Martyres sepelivit.

B. Polemius 42. martyres suis ipse manibus uno die sepelit.

Cod. M. S. Basil Later.

Tertullinus adhuc gentilis erga defunctos se pie gerit.

Acta S. Steph. Papæ.

Accersitur à B. Stephano Papa, & baptizatur.

Martyrio demum coronatur.

13 Neque ab horum interim numero ac merito disjungamus sanctitatis laude præcipuum, ac virum jugiter recolendum Polycarpum, de quo isthæc in supra citatis sanctæ Marmeniæ Actis: *Venerabilis per omnia sanctus nomine Sabinus, qui & ipse officium sacerdotale gerebat, &c. migravit ad Christum jam per duodecim annos maceratus diu in carcere ob confessionem Iesu Christi Nazareni Filii Dei omnipotentis. At ubi sensit Taurinus cum esset carcerarius, quod sanctus Sabinus defunctus esset, funem illaqueavit pedibus, & trahebat corpus ejus per terram, & in foro illud dimisit inhumatum. Deinde venit quidam Polycarpus presbyter nocte, & accepit corpus ejusdem sancti Sabini, & recondidit in sarcophago, ubi cæteri viginti duo, de quibus supra, sepulti fuerant.* hæc in recensitis actis. Ejusdem plane pietatis extitit Thrason, qui cum Joanne presbytero, ut in beati Marcelli actis legitur, sanctorum Saturnini, & Sisinnii corpora via Salaria sepelivit. Quibus omnibus postremo tandem loco accedit summis extollendus laudibus Pigmenius ille presbyterorum dignissimus, ut cæteros omittamus, qui cum Joanne pariter presbytero sanctorum Terentiani, & filiorum corpora sepulturæ tradidit.

S. Polycarpus in martyrum sepultura officiosus.

Act. S. Marm. mart.

Corpus S. Sabini in foro abjectum colligit, & in sarcophago recondit.

Eadem erga martyrum reliquias pietate S. Thrason excellit.

Act. S. Marcel. Papa.

Et B. Pigmenius presbyt.

14 Porro Romani potissimum Cleri erga sacras beatorum Martyrum reliquias solicitudo eum in modum excelluit, ut non modo propter fidei confessionem in Urbe obtruncatos, aliisque modis dire interemptos nullo unquam intermisso labore perquireret, decentique cultu quantocyus sepulturæ mandaret; sed & cæteros Christianæ fidei cultores, qui ubique terrarum degebant, etsi longo intervallo distarent, pari charitatis affectu complecteretur. Hinc inter laudatissima D. Cypriani opera Romani ejusdem cleri ad Carthaginensem Ecclesiam epistola recitatur, in qua hæc præcipue verba adnotanda videntur: *Et quod maximum est, corpora Martyrum, aut cæterorum si non sepeliantur, grande periculum imminet eis, quibus incumbit hoc opus. Cujuscumque ergo vestrum, quacumque occasione effectum fuerit hoc opus, certi sumus eum bonum servum æstima-*

Romanus Clerus sepeliendis martyribus semper incubuit.

Hortatur omnes fideles ad eandem erga mortuos pietatem.

Apud Cypr. Epist. Romani Cler. ad Carthag. Eccles.

Magni meriti apud Deum sepelire mortuos.

æſtimari, ut qui in maximo fidelis fuit, conſtituatur ſuper decem civitates. Ex quibus aſſiduum totius Eccleſiæ, ac piorum omnium ſtudium in tumulandis condigno honore beatorum martyrum corporibus ſatis perſpicue legentibus apparet.

CAP. XIV.

Viri laici ejuſcemodi pietatis munia obeunt.

[Optimi quique viri ante omnia ſupremæ pietatis officia defunctis exhibent.]

1 Optimi quique viri, qui miris Eccleſiam Dei virtutum exemplis illuſtrarunt, conſueta defunctis impendi ſupremæ pietatis officia, quibuſvis detinerentur anguſtiis, aut certe incommodis premerentur, vel ob id maxime laudandi, haud ullo unquam tempore intermiſere. Ipſe enim Dei voce laudatus cæteros inter Patriarchas Abraham quammaxima Saræ funus ſolicitudine curavit, eidemque nobiliſſimum aptando tumulum, ut Paulinus ait, *humanitatis memor, non ſprevit corporis curam propter animæ ſecuritatem, ſed empto ad ſepulchrum agro mortuam ſuam pretioſa ſede compoſuit.* Hujus veſtigia pari ſtudio Tobias probatæ vir integritatis æmulatus, in ſepulturæ miniſterio mirifice enituit. *Hoc enim*, ut Ambroſius ait, *illi quotidianum opus, & magnum quidem: nam ſi viventes operire lex præcipit, quanto magis debemus operire defunctos? nihil hoc officio præſtantius.*

[Paulin. ep. 37. ad Pammach. Abraham Patriarcha Saræ funus ſedulo curat. Amb. lib. de Tob. c. 1. Quotidianum Tobiæ exercitium humare defunctos.]

2 Quapropter cum ejuſmodi opus, ut ſacræ paſſim teſtantur Paginæ, acceptiſſimum Deo ſit, in Eccleſia ab ipſiuſmet incunabulis ſemper viguiſſe conſtat. *Fideles enim*, ipſo Tertulliano teſte, *ſtipem conferre egenis, alendis, humandiſque conſueverant.* Et grande quidem piaculum Hieronymus eſſe pronuntiat, defunctorum curam negligere. *Scindet enim*, inquit ille, *Eccleſiam, qui vivis habitaculum, mortuis ſepulturam negat.* Hinc à ſanctiſſimis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus id tam diſtricte fidelibus perpetuo injungitur. Nam venerabilis ille inter Pontifices Pius ſub ipſamet M. Aurelii Imperatoris perſecutione, dum acriter Dei Eccleſiam divexaret, ad Juſtum Viennenſem Epiſcopum ſcribens, ſolicite admonuit; *ut ſanctorum præcipue Martyrum curaret corpora, ſicut membra Dei, quemadmodum curaverunt Apoſtoli Stephanum.*

[Acceptiſſimum Deo opus, mortuorum ſepultura. Tertull. in Apolog. c. 39. Grande piaculum defunctorum negligere. … c. 39. Romani Pontifices curam defunctorum fidelibus enixe commendare ſolent. … 1. Concil.]

3 Hoc idem in Deciana perſecutione Romanus Clerus præſtare ſtuduit: & ſane Cyprianus Epiſcopus, quantumvis abſens, id unum præcipue ſuis inculcare non deſtitit, ut corporibus eorum, qui glorioſo mortis exitu decederent, charitatis ardore ſuccenſi propenſiorem curam impertirentur. Quod plane beatiſſimus Pontifex Stephanus Tertullino, qui recens baptizatus fuerat, inter cætera præclara monita, & tanto digna Pontifice monimenta, mandavit, ut ſacra ſanctorum Martyrum corpora perquireret ad ſepulturam. Prætereo nunc repetitas ſæpius à ſanctis Patribus hac ſuper re verborum ſententias, quibus ad hæc Chriſtianæ pietatis ſtudia apprime fideles excitantur, ut defunctis nimirum quibuſvis haud ulla interpoſita mora ſepulturam exhibeant. Quapropter unus præ omnibus Auguſtinus hæc ait: *Sit pro viribus cura ſepeliendi, & ſepulchra conſtruendi: quia & hæc in Scripturis ſacris inter bona opera deputata ſunt. Nec ſolum in corporibus Patriarcharum, aliorumque ſanctorum, & humanis cadaveribus quorumcunque jacentium, verum etiam in ipſius Domini corpore, prædicati, & laudati ſunt, qui iſta fecerunt.* Hæc congrue ad rem noſtram Auguſtinus. Et ſane (ut ſuus virtuti, ac veritati nitor ſit) inter præcipua Chriſtianorum pietatis opera merito à Theologis exhibendæ ſepulturæ officium computatur, commendaturque: & ipſiuſmet charitatis ac religionis jura quodammodo infringere ac lædere videtur is, qui id cum commode valeat, tamen præſtare negligit: *Semper enim*, inquit Caſſiodorus, *ſe reum judicat, qui cineribus juſta non præſtat.*

[Clerus Rom. in Deciana perſecutione in id defunctorum ſtudium ſummopere incumbit. Cypr. ep. 37. Acta ejus apud Bar. to. 2. Ann. an. 260. Sancti Patres identidem hanc erga defunctos pietatem fidelibus inculcant. Aug. ſer. 32. de verb. Apoſt.]

[Theologi inter præcipua fidelium opera obſequium præſtare mortuis adnumerant. Caſſiodor.]

4 Jam verò paternæ charitatis, & ſacerdotalis animi munificentia, qua Ambroſius olim præfulſit, toti terrarum orbi ſatis, ut opinor, celeberrima in defunctorum obſequium prolata ſententia innotuit. Quippe, ut ait, ipſa Eccleſiæ vaſa etiam initiata, confringere, conflare, ac vendere licet, non tantum ad templum Dei exædificandum, ad alendos pauperes, captivoſque redimendos, verum etiam, ut ipſe addit, *ad laxanda ſpatia humandis fidelium reliquiis; quia in ſepulchris*, inquit, *Chriſtianorum requies defunctorum eſt.* Ex quo probe intelligere unuſquiſque poteſt, quanti olim Chriſtianæ reipublicæ præſules facerent curam, indefeſſamque operam, quam defunctorum cadaveribus exhibere Chriſtianorum pietas conſuevit, quandoquidem pretioſa quæque donaria in theſauris Eccleſiæ aſſervata, ut pium hunc transferrentur in uſum, diſtrahere fas erat.

[Amb. off. cap. 28. Sacra Eccleſiæ vaſa ad ſepeliendа fidelium cadavera diſtrahere licet.]

5 Quibus & addi poteſt ingenitum illud, quod ſingulis mortalibus ſuos erga defunctos ipſamet natura conciliat, pietatis nunquam obliterandæ obſequium. Ut enim ex gentilibus Quinctilianus ait: *Neminem non mortalium favere hominis ſepulturæ convenit; quia hæc una res eſt, cujus exemplum ad omnes pertineat: etiamſi quæ ſunt jura, quæ obſtent, ſi tamen anguſtus ſaltem detur acceſſus, per quem intrare humanitas poſſit, vera clementia occaſione contenta eſt, &c.* Et paulo infra hæc ad rei propoſitum ſubdit: *Nobis verò adverſus exanimes genuit non ſolum miſerationem, quæ cogitationi noſtræ ſubit, ſed etiam religionem. Inde ignotis quoque corporibus tranſeuntium viatorum collatitia ſepultura: inde injecta ab alienis humus. Voluit nos ille mortalitatis artifex Deus in communi ſuccurrere, & per mutuas auxiliorum vices, in altero quemque, quod pro ſe timeret, aſſerere.* hæc Quinctilianus. Cui optime quoque laudatiſſimus ille morales inter philoſophos Seneca conſonat, ſepulturæ officium, quod viciſſim præſtare homines conſueverunt, his maxime verbis commendans: *Quædam jura non ſcripta, ſed omnibus ſcriptis certiora ſunt: quamvis filius familias ſim, licet mihi & ſtipem porrigere mendico, & humum cadaveri.* hæc ille; dum id ex ipſo naturæ inſtinctu inviolabilis vim legis apud homines obtinere affirmat: *quippe*, ut Cicero aſſerit, *omni in re conſenſio omnium gentium, lex naturæ putanda eſt.* Quod & Ariſtoteles naturæ, ut ita dixerim, oculus vidit, & ſatis item ad Romanos Apoſtolus expreſſiſſe videtur dum ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.*

[Omnibus innata pietas erga mortuos. Quinctil. declam. 6. corp. project. Senec. 8. controv. c. 4. Quinctil. declam. 5. Sed & quædam erga eoſdem religio hominibus inſita. Senec. 1. controv. verſ. 1. Lex omnium certiſſima ſepulturam exhibendam eſſe mortuis. Cic. 1. Tuſcul. ad Rom. 2.]

6 Cum gentiles igitur naturali propenſione admoniti, humandis, fovendiſque cadaveribus promptæ miniſterio manus intenderent, certe quidem Chriſtiani, utpote ſanæ, illibatæque fidei imbuti lumine, diviniſque legibus exculti ſingulos erga defunctos, & in eos maxime, qui pro aſſerenda, tuendaque fide viriliter occubuerant, id toto animi conatu præſtitere. Quapropter præter admiranda ac prædicanda jugiter, quæ à Romano Clero exhibita

[Naturalem gentilium erga mortuos pietatem Chriſtiani ſuperare debent.]

Nobilissimi quoque viri in Urbe defunctis operam dant. exhibita sunt beatissimis Christi martyribus sepulturæ obsequia, illustres etiam viri quamplures, qui laicalis vitæ instituto addicti seculares inter illecebras versabantur, & ipsæmet primariæ nobilitatis matronæ, magno quidem laudum cumulo præstantissimum Christianæ pietatis munus in Urbe ultro, libenterque obire, & ambitioso tam defunctis, quam funeribus obsequio inservire nulla ratione destiterunt: quorum numerum, aliorumque complurium nomina numquam satis concelebranda sacris in dypticis desiderari valde nobis dolendum est. In recolendis tamen martyrum actis, quæ adhuc apud nos extant, præter anonymos, hi, quos modo recensebimus, merito quidem honore ac laudibus excipiendi sunt. Et primariæ nobilitatis matronæ.

Palladius vir illustris facultates suas in sanctorum sepulturam impendit. *M.S.Cod. S. Cæcil.* 7 Inter hos autem insignis extitit Palladius, vir nimirum sub Imperatore Hadriano antiquæ probitatis pariter & nobilitatis; de quo his plane verbis in sanctarum Sophiæ, & filiarum actis mentio peragitur, ut patet ex M. S. Cod. S. Cæciliæ: *Palladius vir illustris cum multitudine credentium, licet occulte, in laudibus proficiebat, omnes suas facultates in sanctorum dignas sepulturas erogabat.* Paribus item extollendi sunt laudum præconiis Flavianus, Callistus, & Ammonius Tribuni militum sub Alexandro, de quibus in beati Urbani Papæ, sociorumque martyrum Actis hæc recensentur: *At ubi cognoverunt quidam ex Christiana orthodoxa fide, eo quod sancti fortiter agonizantes testimonium Christi suscipere meruerunt, venerunt nocte, & cum Tribunis, id est Flavianus, Callistus, Ammonius, & tulerunt corpora sanctorum humaverunt ea in Cæmeterio Prætextati.* Nec vero prætereundi hic sunt Tiburtius & Valerianus, qui per singulos quosque dies sacro huic ministerio vacabant, ut in eorumdem Actis fideliter in manuscripto Codice sanctæ Cæciliæ relatis videre est, ubi hæc præsertim leguntur: *Ut pretiosas martyrum facerent sepulturas. Quod eisdem postmodum graviter exprobrans Turcius Præfectus, ait: Cum vos nobilitatis titulus clarissimos fecerit nasci, cur per nescio quam superstitiosam sectam infelices vos, & degeneres exhibetis. Nam facultates vestras audio in nescio quas viles personas expendere, & pro sceleribus suis punitas, cum omni gloria tradere sepulturæ. Unde datur intelligi, quod consocii vestri sint, quibus pro conjuratione honestam traditis sepulturam.* hæc ibi ad instituti nostri propositum enarrantur.

Flavianus, Callistus & Ammonius viri nobiles martyribus tumulandis addictissimi. *Act. S. Urb. Pap.*

Tiburtius, & Valerianus viri primores eidem ministerio assidue vacant. *MS Cod.S. Cæcil.*

Et facultates suas in hoc potissimum expendunt.

Asterius senator mirifico martyris cadaver honore afficit. *Martyr. 5. non Mart.* 8 Asterius vero pietate ac nobilitate cæteris omnibus haud impar, qui unus è Senatorum numero erat, Romano in Martyrologio ejusmodi quidem laudum elogio decoratur: *Asterii Senatoris, &c. Qui cum corpus martyris capite truncatum subjectis humeris, & substrata veste, qua induebatur, exciperet, honorem, quem martyri detulit, continuo & ipse martyr accepit.* In ejusdem autem actis apud Surium descriptis hæc fusius recitantur: *Asterius autem vir è senatorum numero, cum martyri in ipso mortis articulo præsto adesset, simul atque e vita migravit, cadaver tulit; splendida & pretiosa obtegit veste, ea scilicet qua induebatur, atque humeris impositum inde deportavit. Quod cum magnifico & sumptuoso linteo involvisset, decenti sepulchro condidit. Ob id meruit honorem, quem martyri detulit, continuo ipse martyr assequi.* O amplam Christianæ pietatis mercedem! O admirandam sanguinis pro Christo effusi vim, virtutemque, dum ob honorem obtruncato martyri delatum, martyrii corona obsequentis capiti incunctanter defertur!

Sur. c. 2. Hinc & ipse martyrii palmam promeruit.

Acta SS. MM. Marii, & Marthæ, &c. 9 Porro de illustribus viris Mario, Martha, & filiis jam à nobis supra dictum est, cum de Quirino martyre egimus, ac de duobus & septuaginta martyribus igni subtractis sermo opportune incidit; quorum sacra ipsi corpora condignis ultro obsequiis sepelierunt, ut in eorumdem actis, in quibus ab eisdem insuper Tribunum quendam Blastum nomine sepulchro illatum fuisse perhibetur. SS. Marius, Martha, & filii martyrum ab us sepultorum gloria conspicui.

Nicodemus funerum curandorum studiosus. 10 De quodam autem Nicodemo, qui inter Christianos celeberrimi alterius Nicodemi in funeribus rite curandis, pietate ac merito haud impar æmulator præfulsit, apud Surium in actis sanctorum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii, & Simplicii legitur, hunc videlicet eorumdem martyrum corpora cum ipsismet loculis levasse, & in domo sua perhonorifice reposuisse. Iidem quoque dignissimi martyres, Claudius nimirum, Nicostratus, & reliqui nullam certe aliam ob causam martyrio coronati sunt, ut in eorumdem apud Surium actis & in Martyrologio Romano habetur, nisi quod ab impiis Christi Ecclesiæ persecutoribus tunc temporis potissimum comprehensi fuere, cum sanctorum martyrum perquirendis, humandisque sacris corporibus operam intensius navarent. *Act. SS. Claudii, Nicostrati & soc.* Claudius cum sociis ob studium ejus erga mortuos martyrio afficitur. *Sur. to. 4. 7. Iun. Martyr. 7. Iun.*

Flavianus nobilis Romanus martyrum sepeliendorum curator felicitus. 11 Præclarum vero, æternaque dignum memoria illud est, quod de Flaviano Romanorum nobilissimo, beatarum virginum Bibianæ & Demetriæ parente, ac sanctæ Daphrosæ viro, in actis eorumdem, hisce præsertim verbis exponitur: *Erat enim homo timoratus, opera pietatis libenter exercens. Nam & more sancti Tobiæ Christianorum corpora, quos Apostata* (Julianus scilicet) *occidi fecerat, cum omni diligentia colligebat, & sepulturæ tradere procurabat. Unde factum est, ut corpora sanctorum Prisci presbyteri, & Prisciani clerici, & religiosæ fœminæ Benedictæ, quos tyrannus occidi jusserat, studiose perquireret, & honore debito sepeliret.* Hæc in sacris eorumdem sanctorum martyrum Actis in tanti viri laudem, & in monimentum Christianæ religionis exprimuntur: sed post commendatam condignis honoribus virorum pietatem, Christianis quoque fœminis merita laudū præconia nunc persolvenda à nobis sunt. *Act. SS. Bib. & Dem.*

CAP. XV.

Mulieres, ac primariæ nobilitatis matronæ martyrum obsequio, ac sepulturæ deserviunt.

1 Foeminas haud certe minus quam viros Christiana religio æque ac pietas insignivit; hæ quippe dum martyrum obsequio se ac sua prompte libenterque dicassent, aurum, ac gemmas invicto proculcantes animo: *Omnia*, ut Apostolus ait, *arbitrabantur ut stercora, ut Christum*, & Christianorum cadavera *lucrifacerent.* Tam alacres enim Christianæ mulieres in sanctorum funeribus curandis se præbuerunt, quam Israëlitici olim populi mulieres in his quæ ad Sanctuarii opus necessaria forent, congerendis, instruendisque promptæ extitissent: ut enim sacræ testantur paginæ, cum Moyses admonuisset populum, ut prætiosarum rerum primitias ad Tabernaculi constructionem ex animo quisque offerret: en tibi mulieres, cuncta, quæ pro deliciis habebant, & quæ ad ornamentum corporis servabantur, quamquam, ut ille testatur, *avarissimum sit genus mulierum*, liberaliter in sacrum ministerii opus contulerunt. *Viri quippe cum mulieribus præbuerunt armillas, & inaures & annulos, & dextralia, omne vas aureum.* Vidisti inaudi- Mulieres facultates suas in martyrum funera expendunt. Christianæ fœminæ Israëliticas promptitudine, ac liberalitate superant. *Exod. 35.*

inauditam mulierum, promptamque liberalitatem. Sed mire ad rem nostram facit, quod acutè Pagninus adnotavit, viris videlicet priores ad offerendum advenisse mulieres, ita enim legendum putat: *Viri super mulieres venerunt, id est post mulieres;* major quippe devotio urgebat earumdem animos, ac intensior religionis ardor corda in Dei honorem inflammaverat: quod quidem egregie in hunc locum Oleaster expressit, dum mulierum pietati in his, quæ religionem respiciunt, palmam adscribit: *Fœminæ*, inquit, *prius venerunt, deinde viri; quoniam promptiores semper sunt fœminæ ad opera religionis, & pietatis, quam viri.*

[Margin: ...romptio... s sunt ...minæ ad ...era religionis ...am viri. ...eas.er.]

2 Nonne in curando Christi funere, & in revisendo ejus sepulchro ferventiores mulieres, quam viri, immo quam ipsimet discipuli, si Euangelicam attendimus lectionem, se præstitere: siquidem Marcus solicitam earumdem pietatem descripturus, ait: *Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum, & valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole, & dicebant ad invicem, quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* En impigra, & studiosa, immo imperterrita sanctarum mulierum fides ac devotio. De Magdalena autem taceo, quæ merito in hoc Apostolis præferenda, ut Gregorius ait, *à monumento Domini etiam discipulis recedentibus non recedebat.* Verum quod defuncto jam Christo Domino piæ fœminæ ministerium, par certe beatis martyribus Christianæ mulieres obsequium ambitiosis deferre manibus non detrectarunt.

[Margin: ...Christi ...nere ...ssimet ...scipulis ...ligentio...s sunt. — ...arci c. 16. — ...reg. ...m. 23. ...euang.]

3 Piissimos quippe viros, quos huc usque recensuimus, pari studio conspicuæ sanctitatis fœminæ æmulatæ sunt; quarum frequens admodum in sacris Martyrologiis, necnon martyrum actis mentio recurrit. Has inter primatum sibi jure merito vindicant celeberrimæ mulieres Basilissa, & Anastasia, quæ cum essent Petri, & Pauli Principum Apostolorum discipulæ, eorumdem funus intento animi ardore curaverunt, ut in Menologio apud Canisium legitur, his quidem verbis: *Romæ sanctarum martyrum Basilissæ, & Anastasiæ, quæ cum essent ex magna Urbe Roma, genere & divitiis illustres, Discipulæ sanctorum Apostolorum, illos martyrio coronatos, cum eorum sanctas reliquias nocte sublatas curavissent, delatæ sunt, &c.* Quibus & Baronius in suis ad Martyrologium notis egregie adstipulatur. Et quamvis in actis, qua sub Lini nomine feruntur, id potissimum à Marcello presbytero præstitum fuisse asseratur, haud tamen historicæ veritati repugnat, quin & eædem præclaræ mulieres una cum sacerdotali viro solicitam in hoc ministerio operam navarint; qua ratione & plures alios una cum presbyteris operi adjutricem præbuisse manum didicimus, de quibus jam suo loco dictum est.

[Margin: ...ulieres ...m pissi...s viris ...ga mar...rum ca...vera pie...e cer...it. — ...silissa, & ...nastasia ...Petri, Pauli fu...s curant. — ...nol. apud ...n. — ...ron. in ...t. ad ...rtyrol. ...Apr.]

4 Eodem quoque titulo celebranda est Perpetua, digna utique Apostolorum discipula, quam apud Martyrologium Romanum hujuscemodi cumulatum fuisse præconio novimus: *Sanctæ Perpetuæ, quæ à beato Petro Apostolo baptizata Nazarium filium, & Africanum virum ad fidem Christi perduxit, & multa sanctorum Martyrum corpora sepelivit.* De Celerina autem, quæ corpus Torpetis Martyris ipso sub Nerone tumulavit, jam satis diximus, cum de eodem martyre opportune à nobis mentio fieret. Quanti vero meriti extiterit matrona illa præclarissima Lucina Senior, Apostolorum itidem discipula, ipsiusmet Romani Martyrologii testimonio comprobatur, ubi isthæc: *Romæ sanctæ Lucinæ Apostolorum discipulæ, quæ facultatibus suis, sanctorum necessitatibus communicans, Christianos in carcere detentos visitabat, ac Martyrum sepulturæ inserviebat, juxta quos, & in crypta à se constructa sepulta est.* De qua Lucina supra, ô lector, meminimus, cum de martyribus Processo, & Martiniano ejus manu sepulturæ mandatis sermonem haberemus.

[Margin: Perpetua ...rtyrum ...elien...rum ...dio con...cua. — ...rtyr. ...d. non. ...g. — ...B. Ce...ina fu...rum cu...dorum ...diosa.]

[Margin: Eadem nomine Lucina Senior laudanda. *Idem.*]

5 Neque interim à condignis fœminæ istius meritis ac consortio sejungenda à nobis est Lucina altera Junior, quæ plurima sanctorum corpora piissime sepelivit, cujus etiam frequens in sacris martyrum actis mentio recolitur. Ipsa enim primum è catacumbis pretiosa beatorum Petri, & Pauli corpora à Cornelio Romano Pontifice transferenda curavit, ut in ejusdem beati Cornelii actis dicitur. Eadem insuper una cum Marcello Papa martyrum Cyriaci, Largi & Smaragdi corpora è via Salaria suum in prædium, quod Ostiensi situm erat via, transtulit, ut supra dictum est. Quem subinde pro Christiana fide martyrio coronatum una cum Joanne presbytero sepulturæ mandavit, ut ejusdem apud Surium acta testantur. Corpora item Beatricis, sanctorumque Simplicii, & Faustini honesto loco recondidit, ut in recensitis beati Anthymi actis apud eundem auctorem videre est. Ipsa, inquam, est, quæ celeberrimi martyris Sebastiani corpus è cloaca, eodem jubente, levavit, quod in pluribus M. S. Codicibus hujuscemodi notis expressum legimus: *Tunc beata Lucina ipsa per se cum servis suis medio noctis abiit, elevans eum de cloaca, posuit in pavone suo, & perduxit eum ad locum, & ibi, ut ipse sanctus Sebastianus imperaverat, cum omni diligentia sepelivit. Ipsa autem sancta Lucina usque ad triginta dies à loco ipso sancto non discessit, &c.*

[Margin: Lucina Junior eadem pietate semori haud impar. — Hæc Petri, & Pauli corpora transferenda curat. *Acta S. Cornelii P. pæ.* — *Sur. to. 1. 16. Ian.* — Eadem Lucina B. Sebastiani corpus è cloaca sustulit. — M. S. Codd. *Lat. Vat. & Vallic.*]

6 Ambæ demum sanctissimæ fœminæ beatorum martyrum obsequio apprime deditæ, eorumdem sepulturæ ac funeribus pari quidem æmulandæ pietatis studio famulari jugiter non destitere. Cœmeteria quippe in suis ipsarummet prædiis, impensis quam maximis profusa manu construxere primum, constructaque deinde in meliorem redigendo formam, ut inferendis Christianorum cadaveribus locus pateret, longum protendentes in ambitum, ampliaverunt, de quibus suo infra loco dicendum est. Recolenda hic interim se nobis offert Romanarum virginum Praxedis, & Pudentianæ sororum pietas, quæ & parentis optimi exemplum æmulatæ, pretiosa martyrum beatorum corpora, huc illuc Romanam per Urbem discurrentes, sedulo perquirebant, & scaturientem adhuc è venis interemptorum sanguinem ad minimam usque guttulam toto animi conatu, jugique labore colligentes, in puteis, qui in earumdem Ecclesiis ad hæc nostra usque tempora conspiciuntur, devotionis gratia asservabant. Id vero ex recolendis sanctorum Symmetrii, ac duorum & viginti sociorum martyrum actis in M. S. Cod. Vatic. notum sit, ubi de nobilissima virgine Praxede isthæc leguntur: *Quorum corpora noctu beata Praxedes colligens, sanguinem quoque spongia, quæ hactenus extat, de pavimento exhauriens, sepelivit juxta patrem suum & sororem in Cœmeterio Priscillæ.*

[Margin: Ambæ Lucinæ Cœmeteria suis expensis in martyrum obsequium extruunt. — Incredibilis SS. Praxedis, & Pudentianæ in martyrum reliquiis colligendis, humanciſque religio. — Sanguinem ipsum, ne vel gutta periret, spongia colligentes in puteum recondunt. *M. S. Cod. Vat.*]

7 At de Plautilla, quæ Romanas inter matronas nobilitate ac pietate pariter excelluit, satis à nobis supra dictum est in sanctarum Rufinæ, & Secundæ

[Margin: Plautilla martyrum sepulturæ devotissima.]

cundæ gestis, quarum corpora ipsa devotæ manus officio sepelivit. De Felicitate item primariæ nobilitatis matrona, si probe lector meministi, inter recensendum præclara sanctorum Marii, & filiorum martyrum, ac Marthæ ejusdem conjugis gesta sermonem instituimus; quorum omnium sacræ exuviæ ab ipsa condigno honore tumulatæ fuerunt. At Apolloniam brevitatis gratia hic silentio præterire haud nobis ejus pietatem recolentibus fas est, cujus manu lectissima martyr Anastasia sepulchro illata est; nec ipsam Anastasiam ab eadem interim sejungamus, quæ dum martyrum gloriæ propensiori affectu inseruit, & pro eisdem laborat, Irenes virginis ac martyris funus laudabiliter curavit. Et demum ut huic enarrationi finem faciamus, sit pro corona descriptorum hactenus exemplorum, Beatricis spectatissimæ fœminæ admirandum pietatis exemplum, quæ cum Crispo, & Joanne presbyteris sanctorum Simplicii, & Faustini corpora, quo par erat, venerationis cultu sepelivit. Et hæc de officioso Christianorum ministerio martyribus jugiter impenso, lectori exposuisse sufficiat.

Eadem pietate præcelluit matrona nobilis Felicitas.

Item Apollonia, Anastasia, & Irenes virgo, ac martyr.

Beatrix ejusdem quoque in martyres obsequii laude celebris.

CAP. XVI.

Fideles martyrum sanguinem colligunt, & quovis pretio eorumdem reliquias redimunt.

1 QUoniam de sacris martyrùm reliquiis hic mentio incurrit, nobis primum nonnulla, quæ ad confirmandum earundem cultum pertinent, opportune præmittenda videntur: locupletissimo enim divinarum testimonio Paginarum legentibus, ut arbitror, ipsa luce clarius innotescit, sanctorum reliquias ab omnibus, quo par est, honoris ac venerationis cultu prosequendas esse: quippe qui, ut Apostolicorum Actuum historia edocet, ab ipsismet Ecclesiæ primordiis apud fidelium animos iste devotionis cultus inolevit. Mira enim Deus per manum beatissimi Apostoli Pauli præstitisse olim legitur, dum ipsos super languidos, variisque morborum incommodis detentos, sudaria vel semicinctia ab ejusdem sancti viri desumpta corpora deferrentur, quorum deinde contactu noxii languores abscederent, & ipsimet spiritus nequam, cum immensam divinæ virtutis vim haud ferre valerent, ab obsessis illico abire corporibus cogebantur.

S. Scripturæ oraculo sanctorum reliquias venerandas esse docemur.

Act. 19. Mira per Ap. Pauli sudaria, ac semicinctia Deus edidit.

2 Et certe ipsamet umbra Petri ægrotos, quos casu offendisset, salubritatem impertiendo, pristinæ confestim sanitati reddebat, ut aperte conscripti Apostolorum actus testantur: quapropter Hierosolymam homines passim ægrotos deferentes concurrebant, ut hi Petro illac transeunte protinus sanitatem consequerentur. Is autem ac tantus erat confluentium numerus, atque ea singulorum fides, quod sacræ loquuntur Paginæ, *ut in plateas ejicerent confirmos in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quempiam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.*

Act. 5. Ipsamet umbra Petri ægros sanitati restituit.

Ib.d.

3 Et ut de sanctorum reliquiis hic obiter mentio agatur. Nonne venerande *Iosephi ossa*, ut Ecclesiasticus ait, *visitata sunt, & post mortem prophetaverunt?* Nonne cadaver illud, quod in Elisei Prophetæ tumulum inferri contigit, sacro ossium contactu mirabiliter revixit? Nonne ad Eliæ discessum, ejus sibi pallium veluti nobile reliquiarum pignus donari Eliseus ejusdem discipulus enixe postulavit? quo postmodum in Jordanis fluenta immisso, divisæ hinc inde aquæ substitere, ut commodum Eliseo pariter atque Eliæ ad transeundum iter præberent. Vestes igitur, sudaria, semicinctia, umbra ipsa sanctorum hominum, priusquam è vita discederent, salubritatis vim ad pellendos morbos, viresque ægrotis pristinas restituendas divinitus sortita sunt. Quapropter haud frustra, haud temere à piis, religiosisque viris hujuscemodi reliquiæ venerationi jugiter habitæ sunt, ut ad rem nostram Ambrosius, Augustinus, aliique innumeri exsanctis Patribus suis luculenter in scriptis testificantur.

Iosephi Patriarchæ ossa prophetasse dicuntur. *Eccl.* 49. Contactu ossium Elisei cadaver reviviscit. 4. *Reg.* 13.

Eliæ Pallium per Jordanem iter Eliseo præstat. 4. *Reg.* 3.

Reliquiæ sanctorum orthodoxe à viris piis ac sapientibus in veneratione habentur. *S. Ambr. ep. ult. ad for. & ser.* 91. 92

4 Nec verò inde ulla superstitionis, aut idololatriæ nota Christianis objici potest, qui tam devote sanctorum cineres colere consueverunt: etsi delirantes hæretici hanc unam ob causam congestis in unum dicteriis Catholicos impetant, atque irrideant. Antiquissimi enim instituti mos iste apud Ecclesiam usu receptus invaluit; quidquid ipsi errorum architecti, & impietatis assertores, & qui profanis eorumdem deliramentis auctoritate præsto sunt, ex adverso insurgentes sibilent, & criminentur. Verum quis nesciat à Gregorio Turonensi quamplurima recenseri miracula per ipsosmet sanctorum pulveres mirabiliter edita? Quis insuper divina Nysseni verba non probe meminerit? qui oratione in Theodorum martyrem à se inscripta perantiquum reliquiarum usum unanimi Christianorum censensu stabilitum commendans, hæc ait: *Si quis pulverem, quo conditorium, ubi martyris corpus quiescit, obsitum est, auferat pro munere, pulvis accipitur, atque tanquam res magni pretii terra condenda colligitur.*

Aug. lib. 22. *de Civ. c.* 8. *& ep.* 139.

Stulte ac impie hæretici arguunt superstitionis Catholicos ob cultum reliquiarum.

Greg. Turon. lib. de gloria mart.

Res magni pretii pulvis martyrum à Nysseno dicitur.

Nyss. orat. in S. Theod.

5 Cui egregie Ambrosius consonat, dum ipsos martyrum cineres velut quid divinitati, cui testimonium dedere, maxime gratum, acceptumque honorandos esse pronunciat, sed ejus hic verba excipiamus: *Honoro ergo*, inquit Ambrosius, *in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum Deum ostendit diligere, quod me propter Dominum meum docuit mortem non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro. Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in Cælo.* Et merito hæc quidem Ambrosius. Honor quippe ac religionis cultus, quo quis martyrum cineres, eorumdemque reliquias prosequitur, in ipsos Christi martyres, qui jugiter apud Deum vivunt; quin immo in Deum ipsum redundat, qui ejuscemodi venerationem martyribus deferri vult. Ut enim eleganter ad rem nostram ait Hieronymus: *Honoramus reliquias martyrum, ut eum, cujus sunt martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet in Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit.*

Ambr. ser. in natali SS. Nazarii, & Celsi.

Preclara D. Ambrosii de martyrum reliquiis colendis verba.

Dæmones ipsi reverentur martyrum corpora.

Honor martyrum reliquiis, exhibitus in Deum redundat.

Hier. ep. 53. *ad repar.*

6 Prætereo, ne legenti tædium injiciam, quod eosdem pulveres à suis Deus fidelibus reverenti obsequio excipi, & ambitioso precum suffragio conveniri voluit, quorum meritis mira quæque interdum signorum portenta exhibuisse comprobatur. Vestes enim & id genus alia tactis eorumdem corporibus, in Ecclesia passim miraculis coruscant; ex quo fit ut hæc non tam propter se ipsa, quam propter sanctos, quorum ossa, vel corpora tetigere, & quo-

Reliquiæ sanctorum innumeris passim miraculis coruscant.

& quorum meritis tot assidue beneficiorum munera Deus præstare consuevit, propter sanctos, inquam, eorumdem certatim reliquias colere studeamus.

Eunomius hæreticus primus reliquiarum sanctorum contemptor.

Et ejus æmulator impius Vigilantius.

Item Eustachius Sebastien. in conc. Gang. damnatus. *Conc Gangrende sacr. Imag.*

Leo Isauric. & Const. Copronymus hagiomachi reliquias sanctor. tollere nituntur.

7 Et certe execrandam hanc hæresim primus in Ecclesiam Eunomius invexit; quam deinde Vigilantius pertinaciter in impietate cæcutiens prosequi conatus est; etsi validis deinde argumentis fuerit ab Hieronymo confutatus. Alius item Eustachius Sebastiensis errorem eumdem maledico ore insanientibus propinans, in Gangrensi Concilio votis omnium impetitus damnari meruit. At dæmone iterum impellente, quippe qui sanctorum gloriam, velut invidiæ parens, iniquius ferebat, ut iisdem insultaret, Leo Isauricus, & Constantinus Copronymus Imperatores Constantinopolitani acrius contra orthodoxæ fidei cultum debacchantes, bello palam religioni indicto, sanctorum reliquias è medio sustulerunt.

Joannes Wiclef impiam illam hæresim pridem exstinctam ab inferis revocat.

Item Lutherus, & Calvinus nefarii ejusdem defensores. *Conc. Trid. sess. 25.*

Concilium Trid. sanctorum reliquias venerandas esse definit, damnatque contrarium asserentes.

8 Eandem verò hæresim in septima olim generali Synodo rejectam, damnatamque, utpote quæ jampridem exstincta, ac pene in tenebris sepulta evanuerat, denuo ab inferis redivivam excitare impudentissimus Novatorum omnium coryphæus Joannes Wiclef temerario ausu non dubitavit; quam cæteri deinde Novatores (quibus novæ fidei dogmata semper placent, & antiqua veritas odio est) ipsi videlicet Lutheri, atque Calvini sectatores post tot secula adversus Catholicos tuendam, propugnandamque mordicus suscepere. Contra quos totidem jacula, quot verba intorquens sacrosancta Synodus Tridentina sess. 25. pro sacrarum reliquiarum cultu isthæc sanctissime, edito canone, sanxit: *Sanctorum quoque martyrum & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur; ita ut affirmantes sanctorum reliquiis venerationem, atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.* Hæc, inquam, ad sacrum reliquiarum cultum, qui semper viguit, retinendum, propagandumque, nec non ad laudabilem Ecclesiæ consuetudinem, auctoritate confirmandam à sacra Tridentina Synodo definita fuere, damnatis subinde ac perpetuo silentio addictis tanquam hæretica labe infectis, qui contrariam temere, pertinaciterque sententiam asserunt, atque defendunt.

Eadem hæresis reliquias impugnans a pluribus Conciliis olim condemnata est. *Conc. Afric. sess. 7. can. 14. Conc. Brach. sess. 3. c. 5. Conc. Epaun. can. 25. Conc. Mogun. can. 51. Later. can. 62 Hiezon. contr. Vigelant.*

8 Quæ quidem impia hæresis, ut rem altius repetamus, jam olim in septima Synodo act. 7. Concilio Africano 5. can. 14. Bracharen. 3. can. 5. Epaun. can. 25. Mogunt. sub Carolo Magno can. 51. Later. sub Innocentio Tertio can. 62. constanti Patrum auctoritate sacris legibus repressa, ac confutata est. Quam item ob causam Vigilantium petulanti ore reliquiarum usum impugnantem, negantemque eisdem honoris gratia lucernas (uti mos erat) incendi debere, aculeatis acriter verbis Hieronymus perstringit: *In tumulis sanctorum*, inquit, *cereos clara luce non accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris.* Multa insuper, quæ ad sacras reliquias, earumdemque venerationem spectant, decreta salubriter fuere *in cap. Audivimus, de reliquiis & veneratione sanctorum, & in cap. Cum eo, de reliquiis, & in Conc. Later. sub Innocentio Tertio*, quæ studiosus antiquitatis ecclesiasticæ lector, si libet, fontem adeundo consulat.

Cap. Audivimus de reliquiis & venerat. SS. in Conc. Later.

Orthodoxe sancti eorumque reliquiæ in Ecclesia adorantur.

Suar. to. de relig. l. 3 c 6. de Jurid.

Qua ratione adorandi?

Valen. to. 3. disp. 1. q. 14. punct. 2.

Injuria sanctorum transit in Deum.

9 Interim, ut breviter exponamus, qua potissimum ratione absque ullius suspicione labis Sanctis, eorumdemque reliquiis adorationis cultus in Ecclesia exhibeatur, nec idololatriæ quis notam incurrat, quod tamen hæretici frequenter inclamant, & insectatores reliquiarum passim objiciunt. Ut propositæ igitur quæstioni obiter faciamus satis, hic repetenda videntur, quæ Suarez insignis Societatis Jesu Theologus ad rei nostræ propositum disertissime docet: *Si enim absolute*, inquit, *loqui velimus de personis sanctis etiam cum Christo regnantibus, verum quidem est, si absolute adorentur, propter creatam sanctitatem non adorari religione, sed dulia. Et consequenter etiam verum est, irreverentiam irrogatam sanctis, non ut habent respectum ad Deum, sed ut homines sunt excellentes, ut sic non religioni, sed duliæ opponi, ut bene etiam adnotavit Valentia in suis disputationibus. At verò si sancti considerentur, quatenus amici sunt Dei, & in eis ipse honorari potest, & illi etiam per respectum ad ipsum, ut sic per religionem Dei colantur; & consequenter etiam injuria eis facta, sacrilegium est contra religionem Dei: unde probabile est, quod omnis injuria sanctorum cum Christo regnantium transit in Deum, sicut irreverentia facta principi transit in Regem, licet non sit intenta respectu Regis: & hæreticus contumeliam inferens imagini Dei, injuriam facit Deo.* Hæc pro tuendo sanctorum cultu, & reliquiarum veneratione adversus delirantes ac impios contemptores arma ex reconditis Theologiæ promptuariis excerpta laudatissimus scriptor suppeditavit. Sed hic gratis auribus excipiamus, quæ habet ad rem infra: *Loquendo de sanctis cum Christo regnantibus, & considerato communi modo, quo in Ecclesia Dei coluntur, vix potest irreverentia in sanctum separari, sicut à sacrilegio in Deum, quia æstimandi sunt ut conjunctissimi Deo, qui vult eos maxime è nobis honorari, & tanquam suam æstimat irreverentiam, quæ contra illos fit.* Hæc ibi, qui demum de sanctorum reliquiis speciatim agens, isthæc subdit: *Admittimus sacrilegium inhonorando has, quia in Ecclesiæ usum hæ res habentur, & æstimantur ut instrumenta divini cultus, & ideo habentur sacræ, non tantum in ordine ad sanctos, sed etiam in ordine ad Deum, non minus quam sacræ vestes, vel altaris ornamenta.* Hactenus in rem præsentem Suarez, quibus tanquam clypeo perfidas calumniantium hæreticorum blasphemias valide, constanterque retundit, & sacris martyrum reliquiis insultantium linguas quot notis, quot sententiis, tot aculeis, totidemque gladiis transfigit.

Deus sanctos à nobis maxime honorari vult.

Sacrilegium est sanctorum reliquias aspernari.

Damasc. orat. 1. de imagin.

Inimicum se Christi fatetur, qui sanctos repudiat.

10 Sed ut sanctorum quoque Patrum ore perfidia hæreticorum confutetur, in eorumdem insaniam, & sapientissimis quidem verbis acerrime Damascenus invehitur: *O hominum*, inquit, *absurditas! Nonne animadvertitis vos plane sanctorum inimicos confiteri? nam si Christi imaginem admittentes, sanctorum imagines repudiatis; constat vos non tam illorum imaginibus, quam honoribus adversari: quippe qui Christi tanquam honorati imaginem facitis; sanctorum autem ut vilium & abjectorum effigies respuitis, veritatem ipsam mendacem appellatis: Vivo enim ego, dicit Dominus, hos, qui me honorat, honorabo.* Hæc ille, quæ plane verba, æque temerita-

tem eorum ſuggillant, qui ſacras imagines ac reliquias impugnant: *Deus enim ſanctos honorat jam mortuos magis, quam Reges adhuc viventes in honore habentur ab hominibus*, ut optime Divus Bonaventura contra eoſdem his plane verbis argumentatur: *Quia hic ſanctus martyr Deum honoravit, ipſum Deus glorioſum effecit. Qui unquam Reges, qui barones aut nobiles ſic à mundo honorantur, ut martyres? immo ut martyrum crura? major longe honor exhibetur Stephano, ſive Laurentio, quam Alexandro, ſive Apoſtatæ Iuliano.*

D. Bonav. ſer. 2. de Mart. in ord. 14.

Major honor ſanctis quam ullis umquam Regibus exhibetur.

11 Vides igitur amice lector, quam impenſe reliquias martyrum, ac ſanctorum exuvias honorari in Eccleſia Deus voluerit, qui nec ipſoſmet dæmones eorumdem obticere gloriam permiſit: cum enim hi ſanctorum Dei virtute & meritis, ac ſi inferni ignibus torqueantur, condigna eiſdem laudum præconia ſolvere, & recolendum jugiter reliquiarum cultum, vel ipſis ſubſannantibus hoſtibus, ſuggerere, atque inculcare coguntur. Sed ad inſtituti propoſitum diſertis perorantem verbis Chryſoſtomum audiamus: *Sanctorum oſſa*, inquit, *dæmones ſiſtunt ac torquent, cum nullus videatur, nullus immineat dæmonis lateribus, audiuntur tamen clamores, dilacerationes, flagella, tormenta, dæmone non ferente admirandam illam virtutem, & qui corpora geſtarunt, incorporeas ſuperant poteſtates. Pulvis, oſſa, cineres inviſibiles illas affligunt naturas.*

Dæmones gloriam illorum eloqui coguntur.

Chryſoſt. hom. 26 in ep. 2. ad Corinth.

Dæmones ſanctorum reliquiis torquentur.

12 Idem plane de ſanctorum reliquiis Gregorius Nazianzenus teſtatur, dum in Julianum Apoſtatam deteſtandum Chriſtianæ religionis hoſtem hiſce verbis invehitur: *Ab his dæmones pelluntur, & morbi curantur, quorum apparitiones & prædictiones, quorum vel ſola corpora idem poſſunt quod animæ, ſive manibus contrectentur, ſive honorentur, &c.* & idem alibi Nazianzenus hæc ait: *Eſtque adeo frequens horum luctæ, certaminumque veneratio, ut exiguus pulvis, aut reliquiæ veterum oſſium, totius ad honorem ſufficiat, &c.* Sed Nazianzeno pro ſacris reliquiis Baronius adſtipulator accedat: *Magna ſunt hæc*, inquit ille, *ſed quod ad reliquias ſpectat, majora his addimus, quod non tantum tenuis pulvis ex oſſibus martyrum, capillus, vel pannus vilis aliaque tenuiora eorumdem martyrum monumenta talia præſtent, ſed & ſi ſuper iſtorum ſepulchra flores & alia hujuſmodi admoveantur, tantam ex his, quæ intus ſunt, ſacris reliquiis virtutem hauriant, ut ad animarum corporumque ſalutem conſequendam, ac inſuper ad mortuos excitandos poteſtatem accipiant. Eſt de his omnibus locuples teſtis ſanctus Auguſtinus, qui libro de Civitate Dei, aliiſque in locis hæc fuſius eſt proſecutus. Sed adhuc majora his accipe, Pulvis ipſe, qui ſitu ſepulchrum obducit, vel circa ipſum jacens pedibus teritur, virtute martyrum miracula ingentia edere conſuevit.* Hucuſque Baronius.

Naz. orat. in Iul. Apoſt.

Idem in Cygn. carm.

Bar. in Mart. Rom. cap. 10.

Mirifica martyrum reliquiarum virtus.

Aug. l. 22. de civ. Dei c. 8.

13 Si quis verò haud cum Catholicis ſentiens, auditis ſignorum portentis, quæ paſſim per beatos martyres patrari conſpicimus, in medium ex adverſo proſiliens ſigna non fidelium ſed infidelium eſſe pronunciet, ſicut impius olim Vigilantius fœtido jactabundus ore effutiebat, Hieronymum audiat perfidi ejuſdem hæretici verba inſectantem: *Nolo mihi dicas*, inquit, *ſigna infidelium ſed reſponde, quomodo in viliſſimo pulvere & favilla, neſcio qua tanta ſit ſignorum, virtutumque præſentia; ſentio infeliciſſime quid doleas, quid timeas, ſpiritus eſt immundus, qui hæc te cogit ſcribere ſæpe hoc viliſſimo tortus pulvere.* Eadem fere infra contra ipſummet Vigilantium ſcribens inculcat: ubi enim de ſanctorum Andreæ Apoſtolis, Lucæ, & Timothei reliquiis Conſtantinopolim translatis agit, hæc per ironiam pro ſacro reliquiarum cultu habet: *Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, & Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii, illorum ſe ſentire præſentiam confitentur.* hæc Hieronymus.

Miracula martyrum ſigna infidelium hæreticus vocat.

Hier. contr. Vigil.

Arguitur ab Hieronymo.

Reliquiarum præſentiam dæmones ferre nequeunt.

14 Magnificentiſſimum autem Conſtantinopolitana in urbe templum, cujus hic mentio incurrit, à Conſtantino Imperatore ad ſanctorum martyrum reliquias religioſo cultu excipiendas, erectum fuiſſe, Socrates his verbis edocet: *Quam quidem Eccleſiam eam ob cauſam Conſtantinus ædificaverat, ne Imperatores, & Sacerdotes, Apoſtolorum reliquiis aliquando destituerentur.* hæc Sacrates. Porro ſacratiſſimum Beati Andreæ Apoſtoli corpus Amalphim deinde translatum, quantis divinitus miraculorum ſignis coruſcaverit, ut idem Baronius ait, in illius Eccleſiæ Archivis, rei geſtæ monumenta continentur. De perenni item miraculo ſcaturientis inde liquoris medici ad curandos morbos, totus pene Chriſtianus orbis eſt teſtis; in omnes enim regiones ex eo fonte fluxere rivi, & ſi de his quæris teſtimonium antiquorum, habes Gregor. Turonenſem lib. de gloria martyrum cap. 31. Huc item ſpectant quæ de S. Nicolai Epiſcopi reliquiis ex Myra civitate Lyciæ Barium in Apulia translatis uberius à ſcriptoribus enarrantur, & ab his, qui translationem hanc recenſent: ſed hæc interim lectori ex Baronio tanquam ex fonte in ſuis ad Martyrologium notis propinanda duximus: *Ex ejuſdem*, inquit, *ſancti antiſtitis corpore ut è perenni quodam chariſmatum fonte ſtillat liquor ſalubris, ſicut olim cum eſſet Myræ: quamobrem Emmanuel Imp. cum de eo agit in Conſt. novella de feriis, his titulis eum exornat: Nicolaus miraculis inſignis, unguentorum fragrantia ſcatens, extat apud Theodoſ. Balſam. in nom. Photii tit. 7. c. 2. Deus enim Opt. Max. cum multis modis Sanctorum ſuorum cineres illuſtrarit, eo etiam honore dignatus eſt, ut ex aridis oſſibus (ut olim ex aſini maxilla, qua Sampſon Philiſtæos delevit, aquæ fontem manare fecit) liquorem medicamenti vim habentem ad curandas malas valetudines, & impios hagiomachos convincendos jugiter fluere voluerit: idque non tantum Andreæ Apoſtoli, ac Nicolai, ſed & aliorum complurium ſanctorum reliquiis præſtitit.* Certe de prætioſi liquoris unguento, quod è ſanctiſſimi Nicolai ſepulchro jugiter emanare conſuevit, in ſacro hymno, qui in Toletano Breviario legitur, hæc carmina deſcribuntur:

Templum reliquiis ſanctorum conſervandis à Conſtantino erigitur.

Socr. l. 1 c. 12. & 26. in fin.

Baron. in an. Mart. Rom. die 9. Maji.

Ex B. Andreæ Apoſt. corpore ſalubris ſtillat liquor.

Vinc. lib. 25. c. 83.
Sur. to 7.
Nolanus
Sigebertus in Chronic.

Item Barii è ſacris oſſibus S. Nicolai.

Encomium S. Nicolai ab Emmanuele Imp. editum.

Iudic. c. 5.

Cujus tumba fert oleum,
Manes olivæ neſciunt,
Quod natura non protulit,
Marmor ſudando parturit.

Quæ omnia ſupracitatus in ſuis ad Rom. Martyrologium notis refert Baronius.

Baron. in not. ad Mart. Rom. die 6. Decemb.

15 Neque hic interim pium, ſtudioſumque ſacræ antiquitatis lectorem latere volumus, ipſamet beatorum martyrum oſſa, etſi arida, medici liquoris jugiter emittendo guttas, contra impios ſacrarum reliquarum inſectatores pro ſe apologeticum quodammodo ſermonem ſcripſiſſe & oblatrantes ſuſurrones perſcripta ſententia confutaſſe. Ut de cæteris autem hic taceamus, ſanctorum Laurentii presbyteri, ſociorumque martyrum reliquiæ, quibus Novaria decoratur, mirum quemdam liquorem curan-

E sepulchro martyrum liquor medicus manat. Baron. in Mart. Rom. die 30. Apr.

curandis, abstergendisque quibusvis morbis singulare remedium divinitus olim scaturiebant, cujus rei clarissimi testes sunt ipsæmet litteræ marmoreo eorumdem beatorum martyrum sepulchro ad signum ejuscemodi luce clarius comprobandum insculptæ; sed quæso Baronii verba ex Martyrologio Romano die 30. Aprilis in medium lectori proferantur: *Placuit hic describere*, inquit ille, *antiquum epigramma exculptum in marmoreo sepulchro, quod dictorum sanctorum martyrum sacris ossibus est refertum, ex quibus medicus liquor manare consuevit. Est autem hujusmodi.*

Epigramma sepulchro ... Laurentii presb. & soc. insculptum.

Aspicis hoc marmor tumuli de more cavatum?
In solidum est intus, rima nec ulla patet.
Unde queat tellus occultas mittere lympas;
Manat ab ingestis ossibus iste liquor
Si dubitas, medio sudantes tolle sepulchro
Relliquias, dices, Unda salubris ubi est?

Hæc de sanctorum martyrum reliquiis nobili portento decoratis Baronius.

16 Hæc sunt, ò Lector, Christianæ fidei miracula dixerimne, an trophæa, quæ sanctorum merita, eorumdemque cultum legentibus, audientibus, ac videntibus jugiter prædicant, atque inculcant: ne quis verò cæcum Vigilantium imitatus in tanta miraculorum luce cæcutiat, mente quæso Hieronymum adversus eumdem pro sacris reliquiis hæc iterum scribentem repetat: *Ais Vigilantium, qui* Κατ' ἀντίφρασιν *hoc vocatur nomine, nam Dormitantius rectius diceretur, os fœtidum rursus aperire, & putorem spurcissimum contra sanctorum martyrum proferre reliquias, & nos qui eas suscipimus appellare cinerarios, & idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneramur? O infelicem hominem, & omni lacrymarum fonte plangendum: qui hæc dicens non se intelligit esse Samaritanum, & Iudæum, &c.* Verum idem Hieronymus in acie pro sacrosanctis reliquiis adversus hæreticorum antesignanum Vigilantium strenue consistens isthæc jacula validius intorquet: *Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis, & eloquentissimis abundavit. Exortus est subito Vigilantius, seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum, & martyrum neget sepulchra veneranda.* Sed hæc nobis vel obiter pro sacris martyrum reliquiis adversus oblatrantes propugnacula sanctorum patrum ope statuisse sufficiat.

Hier. ep. 53. ad Ripart.

...inerarios, ... idololatras catho... ...cos ob ...ltum te... ...quarum ...ereticus ...pellas, ...gitur... ...ne ab ...ierony... ...o.

17 Quoniam igitur (ut ad nostra redeamus) post superata tormentorum certamina ad supernæ beatitudinis felicitatem illico evolare martyres, edocti divinitus Christiani constanti fide tenebant, eorumdemque animas post brevem agonis cursum optatissimam consequi immortalitatis coronam protestabantur, ad quarum deinde consortium corpora quoque ad diem novissimum, quæ intra tumuli angustiam concludebantur, Archangeli tuba evocanda essent: hinc eorumdem reliquiis, quibus futuræ semen glorificationis inerat, honorem quam maximum impendere nullo umquam tempore destiterunt; sacrum verò cruorem, quem pro Christo inter carnificum manus libenti profundebant animo, rem veluti pretiosissimam, nacti, thesaurorum instar habere apud se gestiebant.

...rpora ...ctorum futuræ ...is semen ...rifica... ...us ho... ...antur.

18 Porro is ac tantus, vel inter persecutionum procellas, Christianorum ardor extitit, ut sacri ejusdem cruoris guttas, persecutoribus ipsis videntibus, ac pariter invidentibus, & quod omnem excellit expectationem, exerto interdum gladio minitantibus necem, nullo intermisso studio ac labore colligerent. Quamobrem lectori haud mirandum est, dum in subterraneis antiquorum Cœmeteriorum cavernis, ut suo infra loco dicemus, vasa tum vitrea, tum figulina venerando beatorum martyrum referta sanguine, apud eorumdem sepulchra invenire passim, ac videre contingit. Qui sane pretiosissimi sanguinis liquor è venis quondam scaturiens immortali æternoque Deo in suavitatis odorem ob fidei confessionem oblatus, apud celeberrimas quasque Urbis & orbis Ecclesias ad hanc usque diem summa veneratione asservatus colitur: & ut de cæteris interim urbibus taceamus, quæ recolendis hisce thesauris apprime ditantur, ac veluti congestis gemmarum monilibus nitent mirifice, atque coruscant, Romæ præsertim, ac Neapoli sanctorum martyrum Jo: Baptistæ Præcursoris, Stephani Protomart. Januarii Episcopi, Pantaleonis medici, aliorumque invictorum Christi martyrum sanguis etiam nunc, quo par est, religionis cultu servatur, ac fidelibus venerandus exponitur. Verum cum *sanguis*, ut Ambrosius ait, *suam habeat vocem*, pretiosissimus & iste martyrum sanguis, populis adhuc præter consuetum naturæ morem, rerumque ordinem stupenda quæque, ac inaudita, quæ eorumdem meritis in dies contingunt, mirantibus, ineffabilem Dei potentiam eloqui jugiter, ac prædicare videtur.

...gnis ...tyrum ...iose ...igitur.

Et in vasis ad eorumdem sepulchra reconditur.

In multis Urbibus nunc magna veneratione colitur.

Sanguis S. Jo. Baptistæ S. Stephani, S. Januarii, & S. Pantaleonis.

Ambr. lib. de Abel.

Et mira per illum opera jugiter patratur.

19 Sed quoniam de B. Stephani protomartyris sanguine mentio opportuna recurrit, haud ab instituti proposito alienum videbitur, si vel obiter hic, quæ de vitrea ejusdem sanguinis ampulla Baronius noster is suis ad Romanum Martyrologium notis commemorat, nostris hisce paginis inseramus: ubi enim de inventione corporis B. Levitæ, & de signis, quæ ab ejusdem sacris reliquiis patrata sunt, sermonem fecit; de quibus S. Augustinus lib. 22. de civitate Dei c. 8. prolixius agit, & ser. de diversis 31. 32. 33. & epist. 103. ad Quinctianum, Evodius præterea Episcopus Uzalensis eadem duobus libris prosecutus est: & de iisdem demum agit S. Prosper lib. de prædic. dimid. tem. cap. 6. isthæc Baronius addit: *Cum autem postmodum Wandali in Africanam provinciam grassarentur, fertur S. Gaudiosus Episcopus ampullam vitream concreti sanguinis S. Stephani inde Neapolim Campaniæ urbem fugiens secum asportasse; quæ hactenus ibidem in Ecclesia ejusdem S. Gaudiosi religiose asservatur: ubi adhuc miraculum perseverat, ut super altare ampulla posita, dum sacra Missarum solemnia peraguntur, liquescere velut recens effusus sanguis aliquando conspiciatur, idque hac ipsa die, qua S. Stephani corporis inventio celebratur.*

Baron. in notis ad Mart. Rom. d. 3 Aug.

Ampulla sanguinis S. Stephani Neapoli asservatur.

In Missæ sacrificio divinitus liquescit.

20 His enarratis aliud insigne prodigium subinfert, quod circa sacri ejusdem cruoris ampullam oculis videntibus divinitus obtigit, duo quidem præclara uno eodemque temporis momento inspicienda, & contemplanda exhibens miracula. Ait igitur Baronius: *Sed illud plane admiratione dignissimum, quod cum olim annis singulis tertia Augusti fieri consueverit; ipso etiam anno, quo auctoritate sanctissimæ memoriæ Gregorii Papæ XIII. restitutum est Romanum Kalendarium ad formam reductionis anni; non ut olim decem post dies, sed eadem ipsa festa die sanguis visus est ebullisse, sicque annis sequentibus: idemque accidit de sanguine S. Ioannis Baptistæ. Et ejus rei fidissimus, ac sincerissimus testis inter alios Illustrissimus, ac Reverendiss. D. Franciscus Maria Taurusius*

Aliud magis admirandum de eodem B. Stephani cruore.

Card. Taurufio oculato teſte ſacer ille ſanguis in altari ebulit.

ruſius S. R. E. nunc Cardinalis , qui noſtræ Congregationis Oratorii Neapoli exiſtentis olim præfectus, cum in altari, ubi ampulla ſanguinis erat, ſacras Miſſas ageret, concretus inſtar lapidis viſus eſt ſanguis liqueſcere totus in guttas. Alia complura his ſimilia in diverſis orbis Chriſtiani partibus accidiſſe audivimus : ut ex hoc plane conſtet, divinis ſuffragiis, quæ in ſancta Catholica Eccleſia ab ipſoque Romano Pontifice conſtituta ſunt, probari atque firmari. En lector decretis ac

Statuta in Eccleſia Rom. Pontificis manifeſto Dei ſuffragio ſæpe probantur.

ſtatutis rite ab Eccleſia divinum ſuffragium adeſt, & quæ à Romano Pontifice circa univerſalis Eccleſiæ regimen quoad mores & dogmata peraguntur, aut definiuntur, ſignis utique ac portentis comprobantur. Sed audi, quid de eadem ſanguinis ampulla Baronius aſſerit : *Quod ad eamdem*, inquit, *ampullam ſanguinis Protomartyris ſpectat, quam per S. Gaudioſum ex Africa Neapolim diximus fuiſſe delatam; hanc ipſam opinamur, vel ſaltem illi admodum ſimilem, cujus idem, qui ſupra, auctor commentarii, qui fertur nomine Evodii Epiſcopi Uzalenſis, meminit, cum agit de reliquiis ; & miraculis Protomart. Stephani lib. 1. cap. 1. his verbis : Ampulla quædam ei demonſtratur intra ſe habens ſanguinis quandam aſperſionem, & ariſtarum quaſi oſtium ſignificationem.* Et paulo poſt : *Ampullam ſicut oculis ſuis viderat ancilla Dei in ſomnii revelatione, ſic inter manus ſuas accepit poſtea ſacerdos. Hæc autor, qui licet perperam inſcribatur Evodius, cum potius ad Evodium ſcripſerit, de ejus tamen ſinceriſſima fide non dubites. Produnt enim ejuſdem Luciani litteræ non tantum articulos martyris, ſed & terram ipſam ſanguine madefactam ab Oroſio in Africam tranſportatam.* Hæc Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptor de invicti Protomartyris ſanguine ad rem noſtram recenſet, ubi & plura de ſignis ac miraculis reliquiarum ejuſdem virtute patratis ſubtexit, dum ſacras ejuſdem reliquias in Gallias delatas fuiſſe ſcribit : de quibus Gregor. Turon. agit hiſt. lib. 1. cap. 31. & de glo. mart. c. 33. ubi & de miraculis editis.

S. Gaudioſus ampullam illam ſanguinis protomartyris ex Africa Neapolim defert.

Ab Oroſio terra ejuſdem protomart. ſanguine madefacta in Africam tranſlata.

Unus de lapidibus S. Stephani cum veneratione ob miracula ex eo emanantia Anconæ aſſervatur.

21 Narrat præterea Anconæ lapidem, quo idem beatiſſimus protomartyr percuſſus eſt venerationis gratia depoſitum magno honoris cultu à fidelibus frequentari conſueviſſe : *Celebris itaque*, inquit Baronius, *olim fuit cultus memoriæ ejus martyris ex illo lapide, poſtmodum autem venerando corpore invento aucta ea dies eſt celebriori ſolemnitate, quæ jam ſemel lapidis ejus memoriæ dicata erat, unde apud Bedam, & aliqua alia manuſcripta non tantum hac die agitur de inventione prædicta, ſed & de vivo lapide illo, ex quo multa etiam miracula velut mel de petra (juxta propheticum illud) oleumque, de ſaxo duriſſimo emanabant.* Hactenus ad rem noſtram Baronius pretioſi ſanguinis theſaurum in vitrea aſſervatum ampulla, & mirabiliter liqueſcentis contemplandum obtulit, ad ingerendam quibuſvis gentibus, & ſi nondum credentibus, tamen inſpicientibus admirabilem martyrum, & effuſi pro Chriſto ſanguinis virtutem, quæ quidem nobis in medium afferre congruum viſum eſt, ut intelligatur, quo ſtudio ab ipſis Eccleſiæ primordiis martyrum ſanguis colligi à fidelibus, atque intra eorumdem ſepulchra conſtodiri conſueverit, ut in protomartyris ſanguine comprobatur ; nec id veluti novum futilis obſervantiæ adinventum, qui alieni à fide ſunt, nobis objicere valeant, ſed ſi ſcriptis à ſacra antiquitate petitis fidem præſtandam non eſſe contendunt, ſaltem ſacra perluſtrando Cœmeteria, rem oculis deprehendendo, veritati manus, martyribus honorem, Deo gloriam præſtent.

Tam manifeſtis ſignis conſpicuas reliquias aſpernari, ſtulta, ac pervicax impietas eſt.

Haud novo adinvento reliquiæ in Eccleſia coluntur.

22 Paribus quoque prodigiis in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ Præcurſoris ſanguis decoratur. In Neapolitana quippe urbe celeberrima, ubi concretus in vitrea ampulla reconditur, annuo recurrente martyrii die, quo pro veritate conſtanter aſſerenda, ac tuendo caſtimoniæ candore adverſus effrænem Herodianam libidinem capite obtruncatus eſt, dum de inceſtuoſis eumdem nuptiis acrius redargueret, verbis illis : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* : res mira ! concretus licet ſanguis, dum ſacra altaris myſteria peraguntur, & ſacerdos ipſa euangelici oraculi verba depromit, ſanguis, inquam, ac ſi iterum è venis proſilire geſtiat, ac teſtimonium adverſus libidinem in caſtitatis obſequium denuo proferre ſitiat, mox colliquefieri divinitus cernitur. Idem quoque auguſtiſſimus Prophetæ cruor, ubi in offerenda ſacroſancti altaris hoſtia, ad ſanguinis Dominici conſecrationem devenitur, novo exultationis myſterio liquefit, & qui adhuc in matris utero concluſus Chriſtum adeſſe exultando præſenſerat, nunc haud minori portento ſanguis exultabundus dum proſilit in occurſum Domini, ſacratiſſimum Chriſti ſanguinem adeſſe teſtatur : cujus rei locupletiſſimi teſtes ſunt viri fide digniſſimi, qui ſe rem oculis comprobaſſe narrant, & lacrymis ultro pietatis gratia profuſis, Chriſtianæ religioni haud mira jugiter deeſſe portenta hæc lecturis palam ingerunt, ac prædicant.

Ampulla ſanguinis S. Jo: Baptiſtæ Neapoli etiam viſitur.

Die decollationi ejus ſacro liqueſit.

Et in Miſſæ ſacrificio ad verba ſacerdotis conſecrantis Calicem exultabundus proſilit.

23 Rei hujus prorſus admirandæ, quæ omnem oculorum fidem, expectationemque novo portenti genere tranſcendit, Clemens Merlinus Forolivien. qui Romanæ Rotæ Decanus, & ſacræ Pœnitentiariæ Regens deceſſit, vir ob præclara merita Urbi, ac Orbi notiſſimus, cum Neapoli quondam teſtis oculatus affuiſſet, prædicandum jugiter liqueſcentis portentum ſanguinis, quo ſanctiſſimus Præcurſor haud ſemel redivivus in orbe coruſcat, carminibus eleganter expreſſit, quæ quidem carmina in ipſius ſanctiſſimi Præcurſoris, cui dicata ſunt, obſequium, & veluti nobile tanti viri, atque ingenii monimentum hic extare volvimus.

Hujus portenti oculatus teſtis Clemens Merlinus Rom. Rotæ Decanus.

Clemens Merlinus Rom. Rotæ Decanus.

Hic ubi Chalcidico Syren circumflua Ponto,
Irrita Tyrrhenæ murmura ſentit aquæ.
Indigenæ Patris celebratos ſanguine muros,
Advena felices jam quoque ſanguis habet.
Sanguis, ab inceſto petiit quem præmia Rege
Inter Idumæas dira puella dapes.
Cum ſacri Vatis cervicem nata reſectam
Matris ad infamis auſa referre manus.
At ſanguis meliore manu ſervatus, amicos
Littore Cumæo vexit ad uſque ſinus.
Hic dum perſpicua delubro clauditur urna,
Frigore duratus deſiit eſſe liquor.
Iam tamen aut glacies, aut gemma gelata ruborem,
Sanguinis in ſolido ſervat, amatque globum.
Quin ſimul attigua divina litatur in ara
Victima (res oculis teſtibus acta meis)
Liquitur in ſubitum nova per miracula rorem,
Et natat in nitido defluus orbe cruor.
Ebullitque recens, & geſtit, & urget, & inſtat,
Et quacumque licet quærere, quærit iter.
Carceris impatiens nexus niſi vitreus arctet,
Cernis in amplexus Chriſte ſubire tuos.
Scilicet in Matris quod pridem conditus alvo,
Sanguis idem in vitreo carcere clauſus agit.
Exultatque iterum, atque iterum præcurrere certat,
Nuntius in Domini ſanguine, ſanguis adeſt.

Et

Et hæc studioso lectori propinasse sufficiat.

Sanguis S. Januarii præsenti ejusdem capite colliquescens ebullit.

24 Verum ut ad nostra redeamus, certe de S. Januarii Mart. ac Episcopi cruore in Breviario Romano mirum quiddam enarratur, his plane verbis: *Præclarum illud quoque, quod ejus sanguis, qui in ampulla vitrea concretus asservatur, cum in conspectu capitis ejusdem martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri, & ebullire, perinde atque recens effusus, ad hæc usque tempora cernitur.*

Petrus de Nat. lib. 6. in lib. fol. Sanctorum die 27. Iulii. S. Pantaleonis sanguis festo ejus die quotannis liquefit.

25 At verò recensito hactenus B. Januarii miraculo potest & aliud addi, quo S. Pantaleonis medici Nicomediensis sub Impp. Diocletiano, & Maximiano ob fidei confessionem interempti cruor, qui è venis in lactis speciem reciso capite scaturiit, jugiter illustratur. In Ravellensi enim civitate, quæ in Neapolitano Regno extat, in Cathedrali Ecclesia ejusdem sacri cruoris ampulla adhuc servatur, qui cum toto anni tempore coagulatus appareat, festo recurrenti die liquefieri cernitur. Nostra item Vallicellana beatæ Mariæ, & S. Gregorii Ecclesia de Urbe alia item ejusdem sanguinis ampulla ex majori Ravellensis Ecclesiæ decerpti nobilitatur, quam Eminentissimus olim Card. Cusanus nostræ Congregationi dono dedit: qui quidem sacer cruor à primis vesperis festivi ejus diei cum coagulatus antea existeret, mirum in modum liquefieri, ac ebullire cunctis cernentibus conspiciebatur, cujus rei multi ex Patribus nostræ Congregationis oculati testes fuere: verum multis abhinc annis id martyr secreto Dei consilio haud ultra ita palam præstitit, sed hoc dumtaxat admirandum relucet, quod iste sanguis, cum infra anni tempus fusci coloris sit, circa festiva hæc tempora nitidi, ac limpidi coloris speciem præ se fert, & cum lacti permixtus videatur, illud certe prædicandum, quod incorruptus post mille trecentos & triginta duos annos perseveret. Si quis verò temere isthæc negare audeat, si nedum fidem miraculis, oculis saltem fidem adhibeat Neapolim ad Januarii sanguinem intuendum accedat, inspiciat, contempletur, non peraguntur hæc in angulo domus, sed in publica luce, in totius orbis theatro; nota sunt omnibus, non uni urbi, immo toti jam terrarum orbi innotuere, quot homines, tot testes, tot præcones, qui martyris portentum afferant, ac prædicent. Verum ut veritatis lumen, quisquis ille est, recipiat, consulentem audiat Hieronymum, qui Vigilantium hac super re pari ratione delirantem hisce verbis compellat: *Do*, inquit, *consilium, ingredere Basilicas martyrum, & purgaberis.* Quo autem cultu sacras easdem reliquias doctor sanctissimus prosequeretur, his verbis insinuat: *Ego confiteor timorem meum, ne forte de superstitione descendat* (religione videlicet nimis anxia) *quando iratus fuero, & aliquid mali in animo meo cogitavero, & me nocturnum phantasma deluserit, basilicas martyrum intrare non audeo: ita totus & corpore & animo pertremisco.*

Hoc ejusdem sanguinis portentum in Ecclesia Vallic. Romæ visum.

Lect. Brev. Rom. die 19. Septemb.

Ad martyrum basilicas Hier. ablegat hæreticos ut credant. *Hier. contr. Vigil.*

Divi Hieronymi scrupulus.

Ardens Christianorum studium in colligendo martyrum sanguine.

26 Quanti verò sacri guttas cruoris, inæstimabiles videlicet cælestium thesaurorum margaritas, Christiani facerent, ac tota aviditate perquirerent, & inter ipsasmet carnificum manus, inter districtos gladios, & secures devoti exciperent, haud paucis sanctorum martyrum, ut infra patebit, exemplis comprobatur. Et ut dicendi exordium faciamus; in actis quidem beatissimi Cypriani Carthaginensis Episcopi ac martyris hæc Pontius ad instituti propositum recitat: *Exuit se* (Cyprianus scilicet) *lacernum birrum, & stans in linea exspectabat spiculatorem, cui & viginti quinque aureos dari præcepit. Fratres verò flentes linteamina & oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluens absorberetur in terra.* O admirandam viri ad necem, ad martyria pro Christo anhelantis! O fidem & devotionem Christianorum recolendam, pari studio sanguinis guttas ac gemmarum monilia ambientium!

Act. S. Cypr. apud Pont. S. Cypriani sanguinem linteaminibus fideles excipiunt.

27 In actis item Syri, & Juventii Martyrum à Surio relatis, eumdem Juventium à B. Syro Mediolanum ire jussum fuisse legimus, ut dignissima beatorum martyrum Nazarii & Celsi corpora, à Christianis ibidem existentibus condigno reconderentur honore, descriptusque memorandi eorumdem certaminis libellus, victoriæ monumentum posteritati futurus, ad ipsorum caput instar coronæ reponeretur. Ab illis autem vir Dei postmodum lætus accepit, eorumdem corpora sepulchro jam illata fuisse. Cumque instantius ipse pro exuviis quippiam sibi, post nobilem revectum de tyranno triumphum, è sanctorum reliquiis efflagitaret, ut præmemorata exhibent acta; *notum factum est ei, quandam Dei famulam, dum sancti Nazarii caput à lanista fuisset abscissum, sanguinem ejus quodam linteo suscepisse, & fugam arripuisse. Iuventius autem protinus ancillam Christi convenit, & ab ea beatissimi martyris cruorem obtinuit, quem postea secum Ticinum detulit.* Isthæc præmemoratis in actis. Ex quibus videre est, qua solicitudine vel ipsæ Christianæ fœminæ mundum muliebrem, & sexum oblitæ, ex tortorum manibus cruorem, quem martyres profundebant, imperterrito animo subripere, ac prædari festinarent.

Juventius Nazarii mart. sanguinem Ticinum defert. *Act. SS. mar. Nazarii & Celsi MM. apud Surium.*

28 Porro sacrum beatorum Nazarii, Gervasii, & Protasii sanguinem, quem gypso colligendum curaverat, se possidere jure quidem merito sanctus Gaudentius Brixiensis Episcopus gratulatur tractatu, quem in festo dedicationis Basilicæ sanctorum Quadraginta Martyrum habuit. Nobilissimæ item virginis ac martyris Cæciliæ sanguinem pia fidelium manu ambitiose collectum, ejusdem apud Surium acta testantur, & in M.S. Codd. Vaticano, S. Cæciliæ, & Vallic. aperte his verbis narratur: *Cujus sanguinem omnes bibulis linteaminibus populi, qui per eam crediderant, extergebant*, alias, *hauriebant.* Et in conscripto quodam libello, ubi inventionis sacri ejusdem corporis mentio agitur, quæ sub Paschale Papa Primo contigit, eadem linteamina copioso imbuta cruore ad lectissimæ ejusdem virginis pedes inventa fuisse hunc in modum legitur: *Ubi etiam linteamina, cum quibus sanguis ejus abstersus, de qua spiculator tertia percussione crudeliter ingesserat, ad pedes beatissimæ virginis in unum revoluta, plenaque cruore invenimus.* En Christianæ Religionis, quæ suspiciantur, monimenta! en trophæa martyrum sepulchris affixa, quæ recolantur! en sanguis Christianorum divinitus martyrii gladio nobilitatus! sanguis nimirum, quo quis semel Deo consecratus est martyr, perpetuo martyrum & fidei obsequio in sepulchris reconditus consecratur.

S. Gaudentius gypsum mart. sanguine imbutum se habere gloriatur. *S. Gaudent. tract. 17. in fest. ded. Eccl.* S. Cæciliæ sanguis summo studio colligitur. *Sur. to. 6. 22. Nov. MS. Codd. Vat. S. Cæc. & Vallic.* Linteamina plena sanguine S. Cæciliæ cum ejus corpore reperiuntur. *In rel. invent. Corp. S. Cæcil.*

29 Prudentius quoque elegantissimis carminibus de beati mart. Hippolyti sanguine à Christianis quam maxima cura collecto meminit. Hæc enim ille in suo Peristeph. cecinit:

Palliolis etiam bibulæ siccantur arenæ,
Ne quis in infecto pulvere ros maneat.

B. Hippolyti cruorem spongiis fideles hauriunt. *Prudent. in Peristeph. hym. 11.*

Si quis & insudibus recalenti aspergine sanguis
Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.

Mater filii sui martyris sanguinem colligit.

Et de Romani item martyris Antiocheni sanguine, quem inter gladiorum ictus profluentem ipsius mater venerationis ergo apud se perpetuo reservandum pallio manibusque exceperat, idem Prudentius hymno x. isthæc habet:

Prud. hym. 10.

Talia retexens explicabat pallium,
Manusque tendebat sub ictu, & sanguine,
Venarum & undam profluam manantium,
Ut palpitantis oris exciperet globum;
Excepit, & charo applicuit pectori.

Serena Augusta velamine sui capitis extergit sanguinem B. Susannæ.

30 Studiosus hic quoque lector mente repetat Serenam illam Augustam miræ religionis ac pietatis fœminam, Diocletiani Imperatoris uxorem, ipsomet, quo regium caput operiebat, velamine scaturientem è martyris Susannæ membris sanguinem extersisse, ac veluti pretiosissimum quoddam pignus clam domi apud se custodiendum detulisse, quod totum in ejusdem Susannæ actis verbis hisce adnotatur: *Id ubi rescivit Serena Augusta, cum gaudio nocte veniens, collegit corpus sanctæ Martyris, & sanguinem ejus illic fusum suo velamine extersit, posuitque in capsa argentea in palatio suo, ubi diu, noctuque furtivis vicibus orare non cessabat.* Vides hic ambitiosam Christiani sanguinis prærogativam. Vides excellentiam susceptorum pro Christo vulnerum singularem; sanguis nimirum, qui non augustam, immo in tormentis angustam facere animam consuevit, ubi hic pro Christo effusus est, Susannam vere inclytam, vere augustam fecit, & Augustam martyri perpetuo gratulantem, obsequentemque reddidit.

Act. S. Susan.

Tyrannus locum sanguine S. Februniæ aspersum abradi jubet, ne colligatur.

31 Invidit plane obsequium hoc Februniæ martyri impius ille Lysimachus, qui ira excandescens, diro eamdem martyrio affecerat. Hic quippe, ne ejusdem sanguis ulla posset ratione fidelium manibus excipi, terram ipsam, ubi, cum prosiliret è venis, aspersus fuerat, proh scelus! diligenter abradi jussit, ut in M. S. Cod. Vaticanæ Basilicæ in hunc ferme modum enarratur: *Et omnia membra, quæ abscissa sunt, collige, & sanguinem, qui in terram cecidit, fortiter rade, ut nihil remaneat, &c.* Hæc à sacrilego homine, ut omni sacrilegio manum daret, & dum terram purgat à sanguine, novo scelere se pollueret; hæc, inquam, in religionis odium demandata fuere. Memorandum insuper illud est, quod de Theodosia in M. S. Cod. Later. legitur, Christianos scilicet, qui nobilissimo ejus certamini aderant, linteamina in Amphitheatri pavimentum projecisse, ne sanguis, quem tormenta poscebant, in terram defluens immani fidelium detrimento periret, sed ab iisdem honore martyribus debito excipi, atque asservari posset: *Repletur Amphitheatrum* (sic ibi) *linteaminibus dignis: omnes enim ad sepulturam sanctæ martyris, quod dignum habebant, jactabant, ne cruor tantæ virtutis ad terram distillaret.* Ex quibus impigra, ac laudanda jugiter Christianorum officia erga martyrum reliquias abunde satis commendantur.

M.S. Cod. Vat.

Mirificum colligendi sanguinem S. Theodosiæ Christianorum studium.

M. S. Cod. Lat.

SS. Juliani, & Celsi sanguis ab infidelium cruore prodigiose secernitur.

32 Sed & hic præterire nolumus, quod de sanctis Juliano, & Celso narratur, eorum scilicet sanguinem, ut commode à fidelibus colligi posset, ab effuso ibidem aliorum hominum impiorum cruore discretum, ac segregatum ingenti quidem prodigio apparuisse, ut supra in eorumdem actis dictum est. Verum beati Petri Alexandrini sanguis, qua Christianorum contentione ac studio exceptus, ac reconditus fuerit, dignissima ejusdem acta in M.S. Cod. Lat. his verbis fidem faciunt: *Sacrum verò cruorem, qui secum fluxerat, pennicillo reverenter collegerunt.* His adde, quæ de Polyeucti sanguine in ejus apud Surium actis referuntur: *Inservuit autem hic quoque Nearchus, qui accepto sanguine martyris, cum eum in nitido posuisset linteo portavit in civitatem Cananæorum.*

Cod. M. S. Basil. Later. Ibid.

Sur.

S. Germanus pulverem sanguine martyrum rubentem instar thesauri secum confert.

33 Insignis autem pietate vir, Germanus Antissiodorensis Episcopus Albani martyris cruorem à se diligenter conquisitum, ipsemet secum postea honoris ac præsidii gratia detulit, ut in ejusdem beati Germani actis apud Surium recitatur: *Quibus depositis* (aliis scilicet reliquiis sanctorum, quas habebat) *honorifice, atque sociatis, de loco ipso, ubi beati martyris Albani effusus fuerat sanguis, massam pulveris secum portaturus abstulit; in qua apparebat, cruore servato, rubere martyrum cædem, &c.* Porro de martyribus Kiliano, & sociis idem Surius scribens, memorandum fœminæ cujusdam facinus refert, quod nobilis nimirum quædam matrona Burgunda, quæ sub ipsa Euangelicæ prædicationis initia, viris sanctis adhæserat, post nobile consummatum ab eisdem martyrium, recedentibus indè carnificibus, linteolo mundo sacrum devotissime colligens absterfit cruorem, ac terræ ut dignissimum quemdam thesaurum infodit, absconditque, ne præda sibi à carnificibus ullo umquam tempore subriperetur, sed tuto recepta loco in manus aliquando fidelium veluti optatissima merces deveniret.

Sur. to. 4. 31. Iul.

Id. to. 4. 8. Iul.

S. Kiliani sanguinem linteolo mulier devote abstergit.

S Blasii ad mortem euntis sanguinem defluentem mulieres per plateas colligunt.

34 Ut de cæteris autem sileamus, sat quidem, ut credimus, notum est, quod de sanctissimo Episcopo Blasio conscriptæ historiarum paginæ legendum perhibent, quod nimirum eumdem ad martyrium properantem piæ quædam mulieres insequebantur, quæ sacrum subinde è venis profluentem sanguinem summo pietatis ardore hauriebant. Sic autem in M. S. Cod. sanctæ Mariæ ad martyres legitur: *Cumque ducerent sanctum Blasium ad retrudendum, quædam septem mulieres benignæ ac timentes Deum, post tergum lacrymabiliter assequentes, sanguinem qui de ejus corpore defluebat, bibulis colligebant linteaminibus.* Idem plane honor, & jure quidem merito martyribus Adriano ac sociis Christianarum mulierum opera delatus est, quorum sanguinem, nulla prorsus ratione perterritæ, nullique aut incommodo, aut labori parcentes, sibi comparandum satagebant; hoc insuper ad pietatis nunquam satis extollendæ cumulum pro corona addentes, ut carnificum vestes, eorumdem martyrum sanguine veluti pretiosis destinctas, exornatasque lapillis copiosa ultro oblata auri vi coëmerent; quod totum in actis, quæ apud Surium extant, hunc in modum exprimitur: *Sequebantur autem aliæ mulieres religiosæ, & honesto loco natæ, martyrum sanguinem in linteamina, & purpuram suscipientes; atque aliæ in sinu suo sanguinem illum abscondebant: ipsas quoque carnificum vestes, quæ sanctorum martyrum sanguine infusæ erant, clarissimæ fœminæ multo auro & gemmis, pretiosisque ornamentis compararunt.* hæc ibi.

M.S. Cod S. Mar. ad Mart.

Ipsas carnificum vestes sanguine martyrum aspersas Christiani coemunt.

Sur. to. 5. 8. Sep.

Quovis pretio martyrum corpora Christiani redimunt.

35 Vidisti, Lector, ut alio loco jam diximus, miram Christianæ fidei ac ferventissimæ pietatis munificentiam, quæ in sacris martyrum reliquiis quovis pretio redimendis haud semel ipsius profusione auri præfulsit, & vel hoc uno piarum mulierum exemplo satis superque comprobatur; quod quidem etsi eximiæ, quæ in cunctorum fidelium animis

vigebat,

vigebat, pietatis locupletissimum contemplanti testimonium præbet, præstat tamen nonnulla hic subtexere exempla, quibus hoc idem tamquam validissimis argumentis in medium allatis probe confirmatur. Et quidem in primo enarrationis ingressu laudandus à nobis est presbyter ille Justinus, qui in perquirendis, condendisque martyrum corporibus semper admodum dexter, solers, atque impiger extitit: ex qua re immortalem sibi in Ecclesia gloriam peperit, utpote de universa Christianorum republica, & de beatis martyribus (qui præcipua sunt ejusdem Ecclesiæ portio) optime, ac præclare meritus: cui in actis S. Laurentii, quæ apud Surium recitantur, nobile ejuscemodi elogium inscriptum est: *Ab illa die beatus Iustinus accurate pervestigavit, sicubi sanctorum corpora abscondita essent, promisitque præmium militibus.* Præmia igitur tyrannorum ministris olim Christianorum manu protendebantur, non minæ ac pœnæ intentabantur, ad pretiosas videlicet martyrum exuvias, in quas improbi ipsi desævierant, in tuto reponendas, & ab omni penitus injuria vindicandas.

Justinus presbyter pro misso militibus præmio corpora mart. absc0ndita quærit.

Acta S. Laurentii mart.

36 Quorsum verò hic, dicet aliquis, & Bonifacius inter cæteros non recolitur? qui ab Aglaë matrona ditissima, cujus erat obsequio addictus, & cum qua intemperanter etiam aliquandiu vixerat, Tarsum Ciliciæ pœnitentiæ causa missus, & ob id maxime, ut veneranda martyrum corpora quovis pretio è carnificum manibus redimeret, ob delatam martyribus operam, præstitumque obsequium & ipse pariter martyrio coronari meruit: cujus deinde corpus, cum post gloriosi certaminis cursum palma Dei munere affectum novissent socii quingentis aureis redimentes, unguentis delibutum, involutumque linteis Romam honorifice deportandum curarunt. In M. S. autem Lateranensi Codice hæc in martyris laudem verba recitantur: *Illi autem dantes ei solidos quingentos, acceperunt corpus sancti martyris, & ungentes illud aromatibus, & involventes linteaminibus pretiosis, posuerunt ipsum in uno de basternis, &c.* Hæc iisdem in actis de obsequio martyri divinitus in laborum remunerationem impenso, & de sacris ejusdem reliquiis intra nobilissimum templum Urbis receptis, quod ei sumptu plane regio ab Aglaë exedificatum est.

Aglaë matrona mittit Bonifacium in Ciliciam ad redimenda corpora mart.

Bonifacius a remartyrio afficitur ejusque corpus 500. aureis redimitur.

M S. Cod. Lat.

37 Verum quo esset olim in pretio apud ipsosmet crudelitatis ministros sancti Hieronis caput, Surius fidem facit ista conscribens: *Antonius verò & Matronianus ad Præsidem accedentes, auri permultum dabant, ut acciperent caput S. Hieronis. Ille autem, nisi, inquit, mihi tantum auri dederitis, ut ex æquilibrio respondeat, id vos non accipietis; magni æstimans vir execrandus, sed non recta ratione, caput martyris, revera pretiosissimum. Illi autem cum id tanti non possent emere, erant animo perplexi, sed hoc quidem ut homines; Deus autem sic quoque invenit exitum: vir enim quidam senatorius fidelis & amans martyrum, cui nomen erat Chrysaphius, cum aurum pro capite expendisset, id accepit à Præside.* O caput martyris invicti æternis redimitum coronis, & multo auri pondere æstimatum, atque redemptum!

Sur. t. 6. Nov.

Caput S. Hieronis auro contra appenso redimitur.

38 Hoc plane modo redemptæ à fidelibus sunt beati Gregorii presbyteri Spoletani reliquiæ, juxta id, quod M. S. Codd. Vatic. & S. Mariæ ad martyres hunc in modum legendum exhibent: *Corpus verò beati Gregorii jacebat in medio Amphitheatri: erat autem quædam mulier Christiana, Abundantia nomine, quæ accedens ad Hyrcanum, petiit corpus B. Gregorii, ut eum recolligeret de Amphitheatro. Cui Hyrcanus dixit: Affer mihi aureos triginta quinque, & recipe corpus. Abundantia dixit: Quod jubes, accipe, hoc tantum rogo, ut celeriter detur mihi corpus. Respondit Hyrcanus, & dixit: Affer mihi, & recipe corpus. Et obtulit Hyrcano Abundantia triginta quinque aureos, & recepit corpus B. Gregorii.* Tanto quippe in pretio hæc pignora apud fideles habebantur, ut pecuniam ad eas sibi acquirendas profundere, lucrum computarent, reliquias vere divitias ducerent, & quidquid hujus rei gratia carnificibus cogerentur expendere, non tam se dare, quam accipere mercatores optimi existimarent.

...lier. 35. ...reis corpus S. Gregorii redimit.

M. S. Codd. Vat. & S. Mart. ad Mart.

39 Quanto verò animi ardore erga beatos martyres Christiani afficerentur; & quo studio in id singuli certatim contenderent, ut eorumdem exuviis potirentur, testem quæso sanctissimum virum Gaudentium consulamus, qui Oratione de sanctis quadraginta martyribus hæc loco supra citato ad rem nostram scribit: *Iam verò nec illud in postrema parte reticemus, quod cum cineres exustorum corporum mandato persecutoris in fluvium jacerentur, non defuerunt religiosæ matronæ, quæ partem cineris vel furto eriperent, vel pretio compararent.* Huc pariter referre licet, quæ de Jonæ, & Barachisii, aliisque martyrum corporibus maxima auri copia redemptis Surius enarrat: *Cum vir quidam pietate insignis, nomine Abdissotas, sanctos Ionam, & Barachisium coronatos intellexisset, accessit & sanctorum tabernacula quingentis milliarictis Daricis, & tribus vestimentis sericis emit ab iis, à quibus servabantur. Neque verò solum sanctorum Ionæ & Barachisii corpora mercatus est, sed illorum etiam, qui ante ipsos martyrium pertulerant.* Neque etiam perscrutandis sanctorum martyrum actis frequenter intentos latere putandum est, laudatissimi quoque martyris Anastasii corpus ingenti auri pondere à fidelibus redemptum fuisse, ut in M. S. Codd. Vatic. & S. Petri his verbis legitur: *Cognoscentes filii Deisdin transitum victoriosi martyris Anastasii, maximum pondus argenti quæstionariis clanculum obtulere.* En aurum haud sacro beatorum corporum luto æquiparandum! en oraculum illud veraciter adimpletum; *Et divitias nihil esse duxi in comparatione ipsius.*

Ipsosmet mart. cineres in fluvium spargendos Christiani magno redimunt.

S. Gaudent.

Sur. to. 6. 29. Mart.

Abdissotas ingenti auri vi martt. corpora mercatur.

Pro corpore Anastasii magnam pecuniam fideles offerunt.

M S. Codd. Vat.

40 Quis præterea nesciat ingens quoque auri pondus ultro libenterque fidelium manu carnificibus appensum ad comparandum, possidendumque incomparabilis viri, ac invicti martyris Vincentii Episcopi corpus, ut ex M. S. Codicib. Vaticano & Vallicell. his verbis compertum sit: *Tunc aliqui diaboli invidia, nitebantur pagani rapere corpus sancti Vincentii, ut eum æquoribus laci in ima profundi jam exanime mergerent. Prævidit hæc quædam matrona Glyceria, nobilis familiæ, & mercavit eum libra ponderis auri, & condiens aromatibus sepelivit.*

Item S. Vincentii cadaver auro à muliere redimitur.

M.S. Codd. Vat. & Vall.

41 Demum ex celeberrima illa Gallicanæ Ecclesiæ ad fideles Asiæ conscripta epistola, cujus jam sæpe à nobis mentio repetita est, quam item Eusebius præclari instar elogii, ac veluti nobile Christiani nominis monimentum, recitat: ex ea nimirum evidenter conjicere quis potest, quanta in id operis extiterit Christianorum numquam intermissa, immo & imperterrita solicitudo: quippe qui tunc maximo doloris sensu afficiebantur, piorumque hominum viscera graviter excruciabantur,

Euseb. hist.

Jacturam magnam æstimant Christiani non posse assequi martyrum corpora ad ea sepelienda.

tur, cum pretiosas, venerandasque martyrum reliquias, vel quovis oblato libenter pretio, ab ipsis tortorum manibus vindicando, assequi non valerent. Quod in eadem epistola conceptis in hunc modum verbis exprimitur: *Quæ autem ad nos videbantur sane magnum mœrorem propterea in se complecti, quod martyrum corpora humo tegendi nulla dabatur facultas: neque enim nox ad hanc rem aliquid præsidii, neque magna pecuniæ vis eorum animos flectere, neque preces ulla ex parte placare poterant*, &c.

Epist. Eccles. Gall. ad fid. Asi.

Inexorabilis gentilium in martyrum cadavera crudelitas.

Vidisti lector barbaras hominum mentes, quæ nec vivis, nec mortuis parcendum putabant, & dum tota aviditate innoxium sanguinem sitiunt, innatam ab auro sitim temperant. Nunc quidem nobis exclamare fas est: O tempora, ô mores! ubi pietas cum impietate pugnat, & avaritia, quæ sitit jugiter aurum, & ut Poëta canit, nil aliud est, quam auri sacra fames, à crudelitate, sacrilegiis vincitur atque expugnatur. Sed his, quæ ad cultum reliquiarum pertinent, enarratis; jam ad funerales Christianorum ritus in humandis intra Cœmeteria corporibus adhiberi consuetos, stylum orationis convertamus.

CAP. XVII.

Quinam Funerales ritus efferendis defunctorum corporibus adhibiti.

HActenus satis superque de immani gentilium furore, quo Christianos, vel jam demortuos, insectabantur: ac de mira Dei providentia, quæ fidelibus jugiter præsto fuit: & de pio demum, constantique, cujusvis generis ac conditionis essent, Christianorum studio erga beatorum martyrum cadavera, sacræ insistentes antiquitati, disseruimus. Nunc igitur id unum nobis reliquum esse videtur, ut eos præcipue ritus, quos in iisdem martyribus tumulo inferendis ab antiquis illis temporibus fideles laudabilibus institutis edocti, servare consueverant, studioso lectori exponere aggrediamur. Quandoquidem id nosse haud parum legentibus ad exactam eorum intelligentiam conferet, quæ subinde prolixius in Cœmeteriorum, quam adornamus, descriptione à nobis dicenda erunt.

Expositio rituum funeralium ad notitiam Cœmeteriorum lectori utilis.

2 Et quidem, ut rem altius repetendo perscrutemur, sepulturæ usus, sepulchrorum religio, ac cæremoniales ipsorum funerum ritus haud à Moyse initium habuere, sed longe ante ipsum sub antiqua illa ac primæva rerum tempora, tum à sanctissimis Patriarchis, tum ab ipsis etiam gentilibus, inviolabilis instar consuetudinis, recepti sunt: rationes verò ejusmodi institutionis cum ipsimet naturæ omnimodo consentiant, & quæ non absque peculiari instinctu numinis constituta sunt, supernaturalem hominis statum respiciant, haud aliunde fluxisse, nec ob aliud potissimum ita dispositta fuisse, ac si vim legis obtineant, dicendum est, quam ut opportune religioni, ac observantiæ prospiceretur, quæ ipsis defunctorum cadaveribus ob insitam mortalium animis futuræ resurrectionis spem quodam excellentiæ titulo debetur.

Antiquissima in orbe est sepulchrorum religio, ac funerum ritus.

Resurrectionem corporis hæ cæremoniæ funerales respiciunt.

3 Hinc verò apud eos, qui gentilitiæ superstitioni dediti erant, & apud Athenienses præsertim, ut Pausanias ait, *pium semper existimatum fuit terræ mortuos mandare*. Et, ut Sophocles docet: *Cum de defunctis agitur, id curare, facinus gloriosissimum, & aureo honore dignum habitum est*. Et vel ipsi Romanæ reipublicæ duces, atque augusti semper nominis, & animi Imperatores, dum jam in acie sub hostium prospectu præliaturi consisterent, suos adhortari milites consueverant, ut pro majorum sepulchris, pro templis, Deorumque aris usque ad sanguinis effusionem decertarent. Certe sapientissimus Plato cum omnibus absolutam numeris Reipublicæ faciem componendo delinearet, inter justitiæ genera haud illam omisit, quæ ipsos maxime defunctos omni prosequendo officio respicit. Cui Aristoteles quoque, laudatissimus præ cæteris ejusdem discipulus, distributivæ partem justitiæ hanc unam adscripsit: *Defunctis opitulari justius esse*, inquiens, *quam vivis*. Cicero etiam, qui tot ac tanta rerum arcana lynceis oculis vidit, ac pari eloquentia expressit, æquitatem, id est pietatem, tripartitam esse definiens, unam ad superos Deos refert, ad Manes alteram, hoc est ad Deos inferos, ad quos ipsa res funeraria ac sepulchralis spectabat; tertiam hominibus adscribit. Ad quæ, aliorumque antiquorum testimonia Servius acutissimus Virgilii commentator alludens, *eos qui de pietatis generibus scripsere*, ait, *primum quidem locum in sepulchrali munere statuisse*.

Curare mortuos pium, justum, ac gloriosum esse gentilium sapientissimi docuere. *Pausanias in Attic.*

Livius l. 37. cap. 35. Suet. in Claud. c. ult. Plutar. in Tiberio.

Plato in Phædone, & Cratylo.

Arist. lib. de jure.

Cic. in Topic.

Æneid. 6.

4 Denique nil hoc pietatis officio justum magis existimatum ab antiquis fuisse, vel ex eo aperte convincitur, quod ipsi funerales ritus, & solemnes exequiarum, funerumque pompæ haud alio à Latinis vocabulo, quam *Justa*, à Græcis verò Δίκαια, sive etiam Νομιζόμενα, & Ἔθιμα, hoc est, legitima & consueta, ac denique Ὅσια, id est, *pia & sancta* dicerentur; & certe nil frequentius legendo quis passim apud Latinos offendat, quam *justa facere*, *justa solvere*, *justa peragere*, pro eo videlicet obsequio, quod à parentum, vel amicorum pietate defunctis impenditur: quin & ipsamet laudabilis actio, qua quis sepultura donatur, *justa* interdum de more nuncupatur, quippe quæ ritum omni ex parte absolutum sortita est: *justum* item & ipsum quandoque sepulchrum appellari contingit, quod solemniori religionis cultu consecratum est, sed ne in his diutius, lectori tædium afferentes, immoremur, scriptores, qui vult, hac de re ex professo agentes consulat.

Exequiæ vocantur Justa, quia nihil hoc officio justius.

Ipsamet sepultura Justa appellatur.

Item sepulchrum Justi nomine scriptores vocitant.

D. & C. de relig. & sepult. viol. passim apud ethn.

5 Porro, ut Diodorus scribit, opinio apud gentiles olim invaluit, Plutonem, qui erat unus ex præcipuis Diis, quos insana hominum cæcitas venerabatur, sepulturæ usum, necnon exequiarum, ac totius rei funerariæ ritum primo mortalibus ostendisse: qua de causa postmodum accidisse creditur, ut defuncti sub potestate ejusdem constituti esse dicerentur, eidemque supremum inferorum principatum antiquitas detulerit; quem & Ἄδην sive Ἀΐδην, hoc est, *Orcum* sive *Tartarum*, celebri vulgatoque nomine appellarunt. Romani verò eundem *Ditem* patrem & *Summanum*, quasi summum ipsorum Manium, Deorum videlicet inferorum, principem nuncupavere: cui item Romani, ut Plinius & Augustinus scribunt, nocturna fulmina tribuebant, & officiis omnibus impensius ipsum, quam Jovem colere consueverant, ad quem diurna tantum (ut ipsi somniabant) fulmina spectarent. Quapropter nil intentatum, etsi temere, omisere gentiles (ut Cicero ait) quo inveteratam funerum ac sepulturæ religionem, sanctitatemque omnibus testatam exhiberent.

Diodor. l. 5. c. 15

Cur Plutoni Inferorum principatum Antiquitas detulerit?

Plin. l. 2. c. 5. Aug. de Civ. c. 23.

Præ Jove Plutonem veteres colebant.

Cic. ep. l. 9. 6 Orat. pro L. Raveo.

6 Hinc è sapientissimi viri Solonis, aliisque antiquioribus sancitarum legum oraculis justa funerum, sive

Plat. lib. 12. de legg. Cic. l. 2. de leg.

Deorum Templa & hominum sepulchra pari religione ab antiquis habita.

sive ad funus spectantia ad religionum Interpretes, hoc est, ad supremos Pontifices deferebantur, quibus divina quæque curæ, ac cordi essent: &, ut Pausanias asserit in Atticis, in curiis, seu pagis extra Urbem, & in viis passim sita olim fuerunt Deorum simul Templa, heroumque ac hominum sepulchra. Apud Romanos enim, inter quos Deorum præ cæteris Religio vigebat, Numa secundus eorumdem Rex, religionisque auctor, *Pontificibus ipsis*, ut Cicero ait, *justorum funebrium curam demandavit*, docens illos, inquit Plutarchus, *ut nil eorum rituum pollutum, ac profanum arbitrarentur, sed ut Deos quoque inferos colerent, qui præstantissimam nostri partem recipiant; quibus imperium, ut ait Virgilius, animarum est*: ac præ cæteris Libitinam, rei funerariæ præsidem Deam, quam unam, eandemque cum Venere, utpote generationis Dea, esse credebant: in cujus potissimum æde, quæ ad apparatus funebres pertinerent, curari atque asservari voluit; indeque sumpto vocabulo Libitinarii dicti sunt, qui funebria obirent munia; & Libitina tam ipsa mors & funus, quam quidquid ad funus persolvendum necessarium est; necnon & ipsum ferale Libitinariorum officium, & lectuli, in quibus defuncti efferebantur; ac porta denique Libitinensis in Amphitheatro appellari consuevit, per quam videlicet interemptorum in spectaculis funera exportabantur.

Cic. orat. de Arusp. Resp. *Plut. in Num.* Cur Numa funerum curam Pontifici demandat? *Virg. Æn. 6.* Libitina eadem quæ Venus. Ab ea mors, & quidquid ad funus spectat, nomen sortitur. *Zin. l. 40.* *Val. Max. l. 1. c. 2.* *Seneca l. 6. de benef. c. 38.* *Lamprid. & Dio in Commodo.*

7 Verum & ipsorum pariter Pontificum munus fuisse, idonea quoque sepulchrorum loca designare, ex Cicerone, Dione, & ex quammultis perantiquis inscriptionibus abunde constat. Et quidem selectas auctorum paginas pervolventi manifestum fit, & aras interdum sepulchra vocari consuevisse, & sicut antiqui Grammatici ad rem nostram egregie adnotarunt, ipsummet templum alio interdum vocabulo, sepulchrum nuncupari potest, auctoritate Virgilii, qui de Didone agens, hæc ait:

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat.

Et Prudentius Poëta Christianus de Romanis sat eleganter cecinit:

Et tot templa Deum Romæ quot in Urbe sepulchra
Heroum numerare licet, quos fabula manes
Nobilitat.

Et ex iis forte, quantumvis temere permotus, postea Trajanus Imperator militibus suis, qui Decebalico in bello interempti fuerant, ut ad divinos honores transferret, aras erigendas, statuendasque curavit.

Pontifices loca sepulchrorum idonea designant. *Dio lib. 48. ad f. de Opp.* *Cicero lib. 2. de leg.* Sepulchra ab antiquis Aræ, & templa dicuntur. *Æneid. 4.* *Prudent. adversf. Sym. l. 1.* *Dio. lib. 68.*

8 Porro in funeribus, & in ipsis defunctorum monumentis versari consueverant propter religiosum cultum, quem eisdem exhibebant, ea plane observantia superstitiosi homines, ac si in sanctioribus immortalium Deorum templis, sacrificiis intenti, consisterent. Ut singula interim, quæ ad hujus rei propositum faciunt, vel obiter percurramus, funera olim mortuorum iisdem plane ritibus, ac Deorum sacrificia peragebantur: quippe, ut ex Varrone Plutarchus scribit, parentum funera velatis efferre capitibus Romani consuevere, quo plane cæremoniali ritu Deos suos adorare atque invocare apud illos in more positum erat; quin immo & super eorumdem sepulchra, hæc veluti Deorum templa colentes, circumagere se, ac festivis exultationem animi, atque mentis obsequium motibus depromere satagebant. Illud insuper in studiosi gratiam lectoris hic addere liceat, quod celeber inter antiquos Poëta apud Stobæum asseruit, omnes videlicet mortuos, vulgo beatos appellari; & sacra subinde illis libamina in exequiis, sicut & Diis, afferri, & inferias insuper fundi, ac ab eis ultro enixeque peti, ut bona ad nos mittant. Cui & Varro consentit, dum ait mortuos quidem omnes Deos Manes existimatos fuisse, quod vel ex eo potissimum probare nitebatur, quod sacra olim omnibus fere mortuis deferrentur: ubi & funebres quoque ludos commemorat, tanquam id maximum esset divinitatis argumentum, quod ludos nimirum nisi sacris Cæli numinibus gentilitas instruere ac celebrare soleret.

Laud mi- ori in fe- ulchris, uam in emplis, observantia thnici ersantur. *Plutar. Quæst. Rom. q. 10. & 14.* Iisdem ritibus sacrificia ritus funera fiunt. Mortui vulgo beati appellantur. Eisdem ut Diis litatur. *Varro apud August. l. 8. de civit. Dei c. 26.* Ludi funebres.

9 Quamobrem Cicero hoc plane modo legem illam antiquitus sancitam interpretatur: *Letho datos, divos habento. Nec vero*, inquit, *tam denicales, quæ à nece appellatæ sunt, quia neci dentur mortui, quam cæterorum cælestium quieti dies feriæ nominarentur, nisi majores eos, qui ex hac vita migrassent, in Deorum numero esse voluissent.* Qui eo item libro, quo seipsum super dulcissimæ filiæ obitu solatus est, se haud alia prorsus ratione ejusdem dedicaturum imaginem profitetur, quam ea, qua Dii, qui publice colebantur, jam tum à veteribus solemni ritu dedicati fuissent. Ex quo Tertullianus deinde dicendi, perstringendique gentiles opportunitatem nactus, commentitios eorumdem Deos palam irridet: *Quid*, inquit, *omnino facitis ad honorandos eos, quod non etiam vestris mortuis conferatis? ædes proinde, aras proinde, idem habitus & insignia in statuis, ut ætas, ut ars, ut negotium mortui fuit, ita Deus est. Quo differt ab epulo Iovis silicernium? à sympalo obba? ab aruspice pollinctor? nam & aruspex mortuis apparet.* Tertulliano mirifice adstipulatur Lactantius, qui isthæc ad rem præsentem: *Pari ratione*, inquit, *defunctorum corpora odoribus ac pretiosis vestibus illita, & convoluta humo condunt, qua Deos honorant.* Quocirca eosdem apud Romanos, *Corpore olim combusto*, ut ait Plutarchus, *ubi primum in reliquiarum lectione os occurrisset, mortuum Deum factum esse pronuntiabant*; quod & de ipso Ænea, qui Anchisen genitorem humaverat, Virgilius scripsit:

Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo relliquias, divinique ossa parentis
Condidimus terra, mæstasque sacravimus aras.

Ut concinne autem Servius hunc locum exponit, mœstas quas poëta nuncupavit aras, Diis utique Manibus consecratas intelligi oportet, quæ ad Anchisen ex hujuscemodi consecratione jam in numerum Deorum renuntiatum pertinebant.

Cic. lib. 2. de leg. Lex veterum de mortuis in Deorum numero habendis. *Cicero de obitu filiæ.* Cicero simulacrum vita functæ Tulliolæ consecrat. *Tertull. in Apol. c. 13.* Ridendi gentiles, qui parem honorem suis mortuis quem Diis deferunt. *Lactant. l. 2. c. 4.* Quomodo ac quando mortuus Deus factus esse renuntiaretur? *Quæst. Rom. 14.* *Æneid. 5.* *Servius in Æn. 5.*

10 Qui plane ritus vel ex eo magis magisque comprobari videtur, quod sicut olim per Deos, eorumque nomina ac numina, qui publice sacris initiabantur, jurare consueverant, ita pariter per cineres & charissimorum sibi defunctorum Manes jurabant. Ut autem diserte ait Cicero: *Jusjurandum est affirmatio religiosa Diis immortalibus interpositis, tum judicibus, tum testibus.* Sic enim apud Ovidium Briseis ad Achillem:

Per tamen ossa viri subito male tecta sepulchro
Semper judiciis ossa verenda meis.
Perque trium fortes animas mea numina fratrum
Iuro, fallentem deseruisse velis?

Et Hermione apud Orestem, *per patris ossa tui.* Et Claudianus quoque religiosum hunc morem carmine descripsit dicens:

—— *Occisos pulchrum jurare parentes.*

Dio. lib. 44. de Iul. Cæs. l. 59. l. 60. *Tac. l. 1. de Aug.* *Ambr. 5. ep. 3.* Per cineres, ac defunctorum manes, ut numina, jurant. *Cic. l. 2. de leg. & offic. 3.* *Ovid. epist. Heroid. ep. 8.* *Claudian. in rufin. lib. 5.*

Et

Senec. lib. 1. controverſ. Et adoleſcens apud Senecam Rhetorem à patruo abdicatus, eo quod patrem (quod ipſa monet pietas) aleret. *Ergo*, inquit, *patrem morientem videbo, per cujus cineres juraturus ſum?* Et Quinctilianus paribus verbis huic elocutioni adſtipulatur: *Iura per mea mala, per illos Manes numina doloris mei.* *Quinct. 6. Inſtit. 1.*

Aræ ad ſepulchra veterum extrui ſolitæ.

11 Præterea & illud jam dictis addito, aras olim exſtrui ad ſepulchra conſueviſſe, ut probatos apud Scriptores videre eſt, quæ ſive in honorem virorum Principum, qui jam è vivis abiiſſent, vel certe aliorum, qui Divis adſcripti, jam divinitate potiti fuiſſe crederentur, vel Diis tandem Manibus ingenti pompa dicabantur: Quapropter ſolemnis illa ac frequens olim erat inſcriptio, quibuſvis ſepulchris perpetuo adſcribi conſueta, *D. M.* vel *D. M. S.* aut magis expreſſe *DIs Manibus Sacrum*, tamquam ſi mortuorum ſepulchra, templa Deorum Manium fuiſſent, quæ nobiliori item titulo ab ipſis interdum Imperatoribus *Manium ædificia* appellata ſunt. Qua de re Prudentius Poeta Chriſtianus in Symmachum:

Virg. Aeneid. 5. Ovid. metaph. 8. Silius l. 16. Tacitus an. 3 Tertull. apol. 13. L. 4. C. Theod. de ſepul. Viol.

Hæc *Dis Manib.* ſepulchrorum, inſcriptio quid denotet?

Eſſe Deos Manes cur inficiaris haberi?
Ipſa patrum monumenta probant DIs Manibus illic
Marmora ſecta lego, quæcunque Latina vetuſtas
Cuſtodit cineres denſiſque Salaria buſtis.

Prud. l. 1. c. de ſpec.

Mortuos quiſque ſuos tam privatim quam publice inter Deos refert.

Quis autem neſciat, dum probe hominum profanorum hiſtorias norit, tum apud Latinos, tum Græcos ex funeribus olim conſecrationes Deorum initium habuiſſe. Præter vanam enim illam, ac ludicram, riſuque proſequendam defunctorum domeſticorum deificationem, publica etiam auctoritate tam viris, quam fœminis ſolemnes divinitatis honores, publici nempe cultus, templa, religiones, ac ſacerdotia decerni apud antiquos ſolebant, quod quidem Græci ἐκθειάζειν, & ἀποθεοῦν, Latini *conſecrare*, & in Deos referre immutato plerumque vocabulo dixerunt. Cujus quidem, quæ palam peragebatur, nec ſine peculiari cæremoniarum forma, consecrationis ritum ſolemnem Herodianus præ cæteris ſtudioſe ac luculenter deſcripſit; cujus frequens item apud ſcriptores mentio incurrit, ut ex Onuphrio Panuino patet.

Herod. l. 4.

Onuphr. l. 2. Gruther. lib. 1. c. 13. & lib. 2. cap. 3.

Funeralia quæque ſacra olim habita.

12 His accedit, quod ſingula, quæ ad ſepulchralia quavis ratione pertinent, ſacra ſemper, ac veneratione digna habita ſint, ut ex ipſiſmet verbis compertum ſit, quibus lex antiqua id ſatis exprimit, videlicet: *Deorum Manium jura ſancta ſunto:* quod ſcripſit & Cicero aliis verbis, *ſanctitudinem ſepulturæ, & ſanctitatem ſepulchrorum.* Inde Martialis ſepulchrum, ſeu conditorium *ſanctam urnam* appellavit, & Tragœdus Seneca defunctorum exuvias intra tumulum conſiſtentes *ſancta oſſa dixit.* Et egregie Plutarchus in Solonis vita confirmat: *Quoniam pium eſt*, inquit, *defunctos exiſtimare ſacros ſive ſanctos*, ἱερῶς, & Quinctilianus cum de ſepulchris loquitur, ipſos ſepulchri lapides, ſacratos morte lapides appellat. At quamplura alia interim omittimus, quæ ſacros funerales antiquorum ritus in efferendis cadaveribus apprime demonſtrant, quæ à ſcriptoribus prolixiori ſermone deſcribuntur, ad quos curioſum ultro lectorem remittimus.

Cic. l. 4. de rep. Id. Philip. 9. Martial. lib. 9 epig. 31. Senec. in ædipo act. 5. Plut. in Solon

Et mortui ſacri ac ſancti exiſtimati.

Quinctil declam. 10. de ſepul.

Vani veterum ritus à Chriſtianis in uſum ſaniorem traducti.

13 Porro gentilium ritus, quos vana induxit antiquitas jam penitus aboliti, apud Chriſtianos meliorem in uſum redacti ſalubri conſilio ac obſervantia retinentur; quamvis hæretici, qui perpetuas Catholicis calumnias inferunt, noſtra hæc velut inania ac futilia, non attendentes, quæ præ ſe ferunt ſacra myſteriorum arcana, irrideant: quos lynceis plane oculis Dionyſius ille Areopagita vel à longe deprehendit, dum hæc ſapientiſſime deſcriberet: *Hæc*, inquit, *quidem ſi adſpexerint, aut auditione acceperint à ſacris noſtris abhorrentes homines à nobis perfici, magno riſu, ut opinor, excipient, eoſque erroris noſtri miſerebit. Sed hoc nobis mirum videri non debet: ſi enim non crediderint, ut ſcripta divina loquuntur, non intelligent.* Etſi enim iſthæc ideo ſacra ac maxime ſancta eſſe comprobantur, quia eadem impii hæretici ſubſannant, atque rejiciunt.

Dionyſ. de Eccl. Hierar. cap. 7.

Inſtitutis gentium naturaliter bonis dum utitur Eccleſia, optima redduntur.

14 Quod igitur eccleſiaſticos ad ritus pertinet, certe omnia, quæ nobis ad præſens uſu recepta præ manibus verſantur, haud ideo veluti ſancta religioſoque habenda cultu Chriſtiana religio approbando complectitur, quia ab ipſis olim Judæis, necnon ac gentilibus ſolicite cuſtodita, ſanctitatem præ ſe ferrent, ſed quod naturaliter ſancta ſint, atque impolluta, è profano videlicet uſu quo gentilibus deſerviebant, ab Eccleſia, quæ tanquam Agni Sponſa nullam penitus rugam, aut maculam novit, omnibus rejectis errorum inquinamentis, omnimodæ ſanctitati, ac fidelium venerationi ſint reddita: quidquid enim ab Hebræis acceptum, ad Chriſtianorum manus devenit, omni ſuperſtitione expiatum abſque ulla prorſus erroris labe, ac deviandi periculo obtigiſſe credendum eſt, cum & ab eiſdem Chriſtiani Chriſtum primo acceperint ipſoſquemet ſubinde Apoſtolos, qui Euangelicæ prædicationis verbo Eccleſiam tanta jam per orbem numeroſitate diffuſam inſtituere: ut enim ſanctus Leo habet: *Apoſtolica inſtitutio, quæ Dominum Ieſum Chriſtum ad hoc veniſſe in mundum narrat, ut legem non ſolveret, ſed impleret, ita veteris Teſtamenti decreta diſtinxit, ut quædam ex iis, ſicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant conſuetudinis Iudaicæ, fierent obſervantiæ Chriſtianæ. Quamvis enim varietates hoſtiarum, differentiæ baptiſmatum, & otia Sabbatorum cum ipſa carnis circumciſione ceſſaverint; manent tamen ex ipſis voluminibus etiam apud nos plurima præcepta moralia.* hactenus ille.

S. Leo ſer. 7. de jejunio 7. menſis.

Chriſtus quædam legis Judaicæ rata habuit.

Ritus funebris cunctis legislatoribus antiquior.

15 Cum ſepulchrales ergo, quæ vigent nunc, cæremoniæ haud à Moyſe legum divinarum promulgatore incœperint, ſed longo ante ipſum temporis intervallo, ſub primævo ſcilicet, qui ſcriptam anteceſſit legem, naturæ ſtatu: proinde apud nos quoque, quantumvis Chriſtianitati addictos, & Euangelicis præceptis imbutos, commentitiis ritibus magna jam ex parte rejectis, ex his nonnullæ adhuc ſuperſunt. Si quis vero rurſus objiciat, quædam pariter ex gentilibus ad Chriſtianos, qui puris candidiſque moribus mirabiliter præſtant, proveniſſe, quæ ipſi poſtmodum gentiles omnia miſerandum in modum permiſcendo multiplici errorum cumulo obvoluerint, atque inſeruerint; ut enim Tertullianus ait: *Omnia adverſus veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt, operantibus æmulationem iſtam ſpiritibus erroris.* Ex quibus quamplura, quæ ſingulari hominum beneficio divinitus inſtituta fuerant, diaboli potiſſimum fraude ac nequitia ad execrandum ſuperſtitionis uſum traducta fuiſſe conſtat; hæc autem cum idolorum cultui, ac dæmoniis inſervirent, noxiam quoque ſuperſtitionis labem redolebant, ubi vero immortali æternoque Deo adſcribi cœperunt, ſaluberrimum inde illibatæ religionis uſum, gratiam utentibus impertiendo, ſanctitatemque ab ipſo Chriſto, qui totius ſanctitatis fons eſt, imbiberunt.

Multa divinitus inſtituta gentiles erroribus perturbarunt.

Tertull. Apol. c. 47.

Idque dæmonum aſtu.

Dei cultui idoneum, quod prius dæmonius impie dabatur.

16 Et

16 Et ſapientiſſime quidem Eccleſia Dei, ritus, quos olim gentiles uſurpabant, in ſuum transferre uſum, abolitis ſuperſtitionibus, valuit, & quæ dæmonum quondam fœdata præſtigiis, gentilium erroribus adſtipulantibus ſacrilegiorum inſtar peragebantur, ſacris ſubinde ritibus expiata ad Chriſti pietatem & orthodoxæ fidei candorem derivare: ita ut nunc majori ſit probro, ac contumeliæ ipſis dæmonibus, ſi eiſdemmet rebus ac ritibus, quibus olim hi colebantur, æternus, veruſque Deus religionis auctor colatur. Ab ipſiſmet enim gentilibus ſi quid ſanum, ſi quid mundum, ſi quid dignum, ac laudabile accipitur, tanquam ab impiis ac injuſtis detentoribus vindicandum, atque extorquendum eſt, ipſo teſte Auguſtino, dum ait: *Philoſophi, qui vocantur, ſi qua forte vera, & fidei noſtræ accommoda dixerunt, non ſolum formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam, tanquam ab injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vindicanda.* Et paulo infra de rebus variis ac ritibus è profanis gentilium manibus à Chriſtiano vindicandis, hæc ſubdit: *Cum à dæmonum miſera ſocietate ſeſe animo ſeparat, debet ab eis accipere Chriſtianus ad juſtum uſum prædicandi Evangelii veſtem quoque illorum, id eſt, hominum quidem inſtituta, ſed tantum accommodata humanæ ſocietati, qua in hac vita carere non poſſumus, accipere, atque habere licuerit in uſum convertenda Chriſtianum.* Hæc Auguſtinus; & ſatis quidem congrue ad rem noſtram præclarus Doctor locutus fuiſſe videtur, cum de variis funeralium ritibus ac cæremoniis acturi, quæ Judæis æque, ac gentilibus communes olim fuere, ut infra ex enarrandis patebit; de ablutione videlicet cadaverum, de unctione, de eorumdem veſtitione corporum, de conſueto more defunctorum oculos claudendi, corpora item cum luminibus efferendi, eademque demum humandi.

17 Quæ quidem omnia cum religio invexerit, & conſuetudo poſtmodum hæc per manus accepta in Eccleſia retineat, licet ſuper iiſdem nullæ ſuppetant ſcripturæ, ab Apoſtolis tamen, & ex antiquis eorumdem traditionibus omnem vim ſuam, auctoritatemque obtinuiſſe credendum eſt, ipſo teſte Auguſtino in hæc plane verba: *Illa quæ non ſcripta in libris canonicis, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, debent intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri. Alia vero quæ per loca terrarum, regioneſque variantur, liberas habere obſervationes, nec diſciplinam ullam eſſe in his meliorem gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcunque forte devenerit. Si quid vero totum per orbem frequentaverit Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſſet.* Hæc Auguſtinus. Quibus tanquam patentiſſimis notis modernorum pertinaciam hæreticorum, tumentiſque animi arrogantiam ſuggillat, eorum ſcilicet, qui ritus, quos tota nunc illibatos colit ac ſervat Eccleſia, & quorum ſanctitati conſtans antiquitas ipſa pietati adjuncta judicium fert, quorumque religioni haud ullum præjudicium inferri à novatoribus patitur, nauſeabundi convellere, immutare, rejicere ac calumniari non verentur. Et hæc quidem noſtris hiſce paginis inſerenda merito duximus; uti cætera etiam, quæ ad funerales gentilium ritus ſpectant, prolixioribus verbis exponenda præmittere voluimus, ut cuncta quæ poſtmodum inter dicendum ſubjicientur, lectoris animum ad cœmeterialium rerum hiſtoriam præparent, & quiſquis eſt, mirari omnino deſinat, ſi tantis olim ſuperſtitionibus ſuos ab inſana gentilitate defunctos exceptos fuiſſe comperit, dum cumulatiſſima piorum officia legendo ſubinde aſſequitur, quæ primævi Chriſtiani illi, ſanctiſſimis imbuti legibus, venerandis Martyrum cadaveribus jugiter impendere non deſtiterunt.

Pervigilia in martyrum exequiis peragi ſolita.

18 Priuſquam igitur Cœmeteriis eorumdem corpora, ſepulturæ tradenda, inferrentur, Chriſtianis mos extitit, cum opportuna ſuppeteret facultas, privatis etiam in ædibus vigilias, aliaque in eorumdem Martyrum obſequium pietatis officia exhibere, vel certe in ipſiſmet Cœmeteriis eadem devoto miniſterio peragere, ad quæ cum ſibi maxime à perſecutorum notitia caverent, clanculum ſub intempeſtæ noctis ſilentium, curribus quibuſdam ſeu vehiculis deferebantur: hæc autem in pleriſque Martyrum actis birota, à duobus ſcilicet rotis, quibus conſtant, ad ruſticalia ferenda onera aptatis Latino vocabulo nuncupantur, ut ſi qui forte ex gentilibus inter eundem occurrerent, haud ulla defunctorum corpora, ſed quæ ad commodum ruris pertinent uſum, ejuſcemodi curribus devehi arbitrarentur: tunc præcipue præſtitum fuiſſe legimus, cum ſanctiſſimi Protomartyris, ac Levitæ Stephani corpus humandum deferretur, ut ex Luciani epiſtola, quam ſupra recitavimus, ubi iſthæc habentur: *Ego Gamaliel, &c. miſi per noctem quantos poteram religioſos Chriſtianos habitantes Hieruſalem in medio Iudæorum: & hortatus ſum eos, & neceſſariam ſubſtantiam miniſtravi, ac perſuaſi illis ire occulte, ut portarent corpus ejus meo in vehiculo ad villam meam, & ibi feci illi planctum fieri diebus ſeptuaginta, & poni eum in monumento novo, &c.* hæc in actis de obſequio à Gamaliele Protomartyri præſtito. Idem plane in funeralibus beatæ Feliculæ lector habet, de qua in ſanctorum Nerei & Achillei actis hæc apud Surium: *Sanctus autem Nicomedes presbyter in ſpelunca degens, clam abſtulit corpus ejus noctu, biroto vehens illud ad caſulam ſuam ſeptimo milliario ab Urbe Roma, via Ardeatina, ibique eum ſepelivit.*

Act. SS. Mart. Birotis cadavera mart. ad Cœmeteria plerumque deferuntur.

Lucian. in epiſt. in Actis Steph. protom.

Sacrum protomartyris corpus Gamaliel ad villam ſuam devehi curat ſepeliendum.

Sur. to. 3. 12. Maji. Et Nicomedes S. Feliculæ corpus ad caſulam ſuam.

19 Porro à laudatiſſima hac conſuetudine Chriſtianis frequenter uſurpata, noctu videlicet ſuos efferendi mortuos, ille poſtea mos inolevit, ut quibuſcumque in funeribus, vel etiam in iis, quæ interdiu peragebantur, candelæ, cerei, faces, & funalia incenderentur. Quod Servius ipſe diligenter adnotat libro 6. Æneidos; indeque funus dictum, à funibus videlicet incenſis feretro præferri conſuetis ex grammaticis plerique autumant. Ita ſentiunt Donatus, Servius idem in XI. Æneidos, Etymologicus & alii. Neque id vero à Chriſtianis prætermiſſum quis dixerit, ut beatorum martyrum corpora cereis præcedentibus, & facibus ad ſua aliquando Cœmeteria deferrent. Quod plane ſtudioſo lectori teſtatum eſt in ſupra citatis beati Cypriani actis, de cujus celebri funere, quod omni triumpho præſtantius fuit, hæc ad rem noſtram ibidem inſerta leguntur: *Ejus corpus propter gentilium curioſitatem in proximo poſitum eſt cum cereis, & ſcholaribus in Areis Macrobii Candidi procuratoris cum voto, & triumpho magno.* Ubi notanda, & admiranda pariter ſe nobis offert, omnibuſque proſequenda laudibus Chriſtianorum imperterrita conſtantia; *qui*, ut ipſe adnotavit Baronius, *nil prorſus conſueti officii in curando Cypriani funere, ante ipſoſmet*

Mos efferendi mortuos cum cereis ac candelis unde inoleverit?

Servius l. 6. Aeneidos. Hinc funera à funalibus dicta. *Virgil. 11. Aeneid. Etym. l. 20. c. 10. Plin. lib. 6. cap. 37. Sen. ep. 122. & de Tranq. c. 11. Tacit. Annal 3. apud Forum 4.*

Act. S. Cypr. Hanc cereorum conſuetudinem in funere B. Cypriani ſpreto perſecutore Chriſtiani obſervant.

Baron. Annal. to. 2. an. 261. n. 36.

ſoſmet perſecutoris oculos intermittere voluerunt, eam potiſſimum ob cauſam, quod omnes, ut eædem acta teſiantur, una cum ſuo Epiſcopo decollari quammaxime optarent. Hæc Baronii in Cypriani obſequium repetita ex Annalibus monimenta, quæ à Chriſtianis præſtita illi certatim miniſteria ad vivum exprimunt.

B. Sophia in funere B. Clementis complures lucernas accendit, in ſignum multorum certaminum ejus. Sur. to. 1. 23. Ian.

20 Huc item ſpectare videtur, quod in Clementis Ancyrani apud Surium actis hoc plane modo deſcribitur: *Fidelis autem Sophia lucernarum accendit multitudinem, quod multa vicerat certamina, ſui amiciſſimi tollens corpus, mundis veſtibus, & linteis involvit, &c.* Verum ubi ad Cœmeteria tandem defunctorum corpora delata eſſent, tunc vigiliæ, pſalmodiæ, & reliqua funeralium miniſteria; quæ haud alibi Chriſtianis perſolvere ab ipſa rerum opportunitate conceſſum fuerat, ſummo pietatis ſtudio, animis in unum coëuntibus, celebrabantur. Hæc autem quænam potiſſimum fuerint, prolixiori mox ſermone à nobis exponendum erit.

CAP. XVIII.

Cereis ac lampadibus Chriſtianorum funera inſtruuntur.

Cereis accenſis gentiles interdiu etiam defunctos efferunt. Servius & Donat. in Andr. Tacit. Annal. 13. Cic. l. 2. de leg. Cur veteres noctu ſuos mortuos efferrent?

1 QUoniam de cereis ac funalibus, quibus defunctorum olim corpora efferri conſueverant, in his, quæ à nobis hactenus enarrata ſunt, ſermo incurrit, illud opportune ad inſtituti propoſitum exponendum eſt, hunc videlicet morem gentilibus in diurnis quoque funeribus in uſu quondam fuiſſe; ita ut ipſummet funus non niſi à funalibus, juxta id quod ſupra dicebamus, denominationem ſortitum ſit. Quamquam vero perantiquus hic mos apud omnes receptus, primo quidem inde apud eos cœperit, quod mortui nocturno tempore efferrentur, ob quamplures ſane rationes, quarum una eſt, ad majores forte funerum ſumptus devitandos; altera vero, ne ſacra diurna, aut Pontificum oculi (ut ipſi perperam credebant) eorumdem occurſu, infauſtum quid ac funeſtum hauriendo, violarentur. Quam potiſſimum ob cauſam eos, qui mortuos efferebant, *Veſpillones*, quaſi *veſperones* dictos volunt. Quem ſane antiquiſſimum morem jam omnino abolitum, niſi forte in vilioris fortunæ, ac conditionis hominibus retentum, & elatione potiſſimum, quæ diurno fieri tempore conſueverat, abrogata, Julianus Apoſtata iterum edita ſanctione priſtinum in uſum revocare conatus eſt; non eam tamen ob cauſam, ut ipſe perperam effinxit, quod funeris occurſus infauſtum quid præſagiret, ſed ob inteſtinum erga Chriſtianos odium, quorum ſplendor vel inter ipſos ritus funebres infeſtis invidiſque tum animi, tum corporis deſertoris ejuſdem impii oculis acerbiſſimam jugiter doloris moleſtiam ingerebat.

Veſpillones, cur ſic dicti? Feſtus verb. Veſp. Ser. ibid.

Julianus Ap. antiquum mortuos noctu efferendi ritum reſtituere nititur, & quare?

Gentiles in ipſis etiam ſepulchris luminaria accendunt.

2 Nec vero lumina dumtaxat in ipſa funerum pompa à Gentilibus adhibebantur, verum & in ſepulchris quoque defunctorum lucernæ ſtatutis quibuſdam temporibus accendi conſueverant, tanti lucis conſortium mortui faciebant, & vel ipſas inter tenebras conſepultorum oculis grata, & amica lux erat, ob animæ videlicet immortalitatem. Cujus rei ut cætera, quæ ſuppetunt, exempla omittamus, id certe à Mævia in ſuis teſtamenti tabulis cautum eſt; ut ſervus, & famulæ libertatem ſub hac conditione conſequerentur, ſi lucerna alternis menſibus accenſa ejuſdem monumentum frequentarent, & colerent, nec non ſolemnem mortis ejuſdem memoriam peragerent. Verba autem hæc in ejus lege adnotata ſunt, videlicet: *Servus meus, & Eutychia, & Irene ancillæ meæ, omnes ſub hac conditione liberi ſunto, ut monumento alternis menſibus lucernam accendant, & ſolemnia mortis peragant.* En antiquus luminaria accendendi mos, & mortuos hujuſcemodi ritu colendi ex ipſis ſuperſtitionis gentilitiæ monimentis adnotatus.

Et teſtamento poſteros ad ea illi curanda obligant. L. Mævia ac r. ann. m. teſt. Grath. t. de jur. man. lib. 2. c. 11.

Chriſtiani diverſa ab ethnicis ratione in exequiis lumina accendunt.

3 At vero licet tam gentilium, quam Chriſtianorum funera luminibus inſtruerentur, iiſdemque monumenta colerentur, haud id tamen paribus utrique permoti rationibus præſtitere. Cereos enim ac luminaria Chriſtiani in ſuorum exequiis ſublimiori imbuti myſterio incendebant, quod defuncti videlicet poſt hujus vitæ labores feliciter exantlatos, ac ſi nobiles, generoſique athletæ ſolemni in morem triumphi pompa, ipſo teſte Chryſoſtomo ad coronam proveherentur. Ignis quippe, ſeu lumen lætitiæ, honoris, ac vitæ ſymbolum eſt, & lampadum quidem uſus apud cujuſvis religionis nationes in feſtivitatibus, locisque ſacris frequens admodum fuit, ſed præſertim dum honor ac obſervantiæ cultus perſonis inſignioribus deferretur. In luctu autem, qui dolorem mœſtitiamque animo ingerit, ignis exſtingui conſuevit, ut omnibus ſatis notum eſt.

Chryſoſt. hom. 4. ad Hebr.

Lumen lætitiæ ſymbolum. Exod. 27. 40. Iudith. 3. 2. Machab. 4. Xenoph. l. 8. Cic. l. 3. de off. Dio l. 63. & 17. Ammian. l. 23. Iuvenal. ſat. 12. & 3. Perſ. ſat. 5. Xiphilin. in Avit. Can. Act. S. Felic. Apul. l. 12. Metamorph. Diodor. lib. 17. Iuvenal. ſat. 3.

4 Porro antequam lucernarum icones ſtudioſo lectori exhibeantur, quoniam de lucernis mentio incurrit, præmittendum à nobis videtur, quam antiquus ſit iſte lampadum, lucernarum, ac cereorum uſus apud Chriſtianos, non ad effugandas noctis dumtaxat tenebras, ſed ad lætitiam inſinuandam, quod ſatis apte luminaria demonſtrare videntur, quorum Lucas meminit in Apoſtolorum actibus, & ea omnia, quæ Baronius in ſuis Annalibus ad rei propoſitum congerit: Ait igitur: *Quantumlibet ad noctis tenebras expellendas copioſum numerum, quem Lucas refert, fuiſſe lampadum in cœnaculo collocatum quiſque jure dicere poſſe videatur; tamen exploratiſſimum eſt conſueviſſe Iudæos non tantum ad lumen inducendum, tenebraſque pellendas lucernas incendere, ſed & lætitiæ cauſa, cum celebritatem aliquam agerent, ut docet etiam Perſius verſibus illis alia occaſione à nobis ſuperius recitatis, cum ait:*

Baron. to. 1. An. 58. Act. 20.

Judæi lætitiæ cauſa in celebritate lumina accendunt.

——— At cum
Herodis venere dies, cunctaque feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Perſ. ſat. 5.

Sicque non tantum lætitiæ cauſa, ſed & religionis ergo incendi ab eis conſueviſſe lucernas exploratiſſimum eſt. Et ut prætermittamus de Candelabro aureo ſeptem infuſoria habente, re omnibus notiſſima teſtatur Ioſephus cum ſervaretur ſtola Pontificia in turri, cui nomen erat Antonia, ibi quotidie ſolitam incendi lucernam, qui quidem uſus in Eccleſiam dimanavit: nam non ad lucem tantum inducendam ſed ad pium religionis cultum amplificandum interdiu, vel in ſacris adhiberi, vel aliter in honorem numinis accendi lumina conſuetudinis fuiſſe, complura ſunt antiquorum exempla. Cum enim ab ipſo rerum noſtrarum initio ordinem fuiſſe conſtet in Eccleſia Ceroferariorum clericorum, qui & acolythi dicebantur, cujus (ut diximus) mentio eſt apud Cyprianum, Cornelium Papam, Euſebium, Romanum Concilium ſub Silveſtro, nec non Synodum quartam Carthaginenſem; quorum eo ordine initiatorum Clericorum muneris erat ad ſacram myſteriorum pompam ferre accenſos cereos: cumque eadem ſacra, licet aliquando nocte, ut in vigiliis; tamen clara etiam diei

Item religionis.

Ioſeph. antiq. l. 18. cap. 6.

Hic uſus ab Hebræis in Eccleſiam dimanavit.

Ordo Ceroferariorum eorumque munus.

diei luce peragi consuevisse certissimum sit: æque exploratum habetur, adhiberi solita in Ecclesia luminaria non ad tenebras tantum propellendas, sed ad sacri quoque cultus celebritatem illustrandam. Id equidem in Orientis Ecclesiis fieri solitum, S. Hieronymus agens contra Vigilantium fidei desertorem, isthæc Catholicis exprobrantem, plane testatur his verbis: Absque martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Euangelium, accendunt luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. hæc ipse, qui agere pergit de luminum mystico sensu, &c. Hæc Baronius, quibus plura subtexit, & quasi valida tela in unum coacervat contra Vigilantium dictorum luminarium impugnatorem, & postea à cultu idolorum ad sacram martyrum venerationem sermonem inflectens, hæc ait: *Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est: hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum est:* hæc Hieronymus, qui ad Riparium scribens, exclamat: *Accensine*, inquit, *ante tumulos eorum cerei idololatriæ insignia sunt?*

5 Verum haud dubium est, gentiles quoque, quod & Judæi religiose præstabant, lucernas eadem ex causa incendere consuevisse, unde & Juvenalis:

Et matutinis operantur festa lucernis.

Hoc ipsum Tertullianus sæpius inculcare videtur, ut in Apol. *Nec lucernis diem*, inquit, *infringimus*, & inferius: *Quam elatissimis, atque clarissimis lucernis vestibula enubilabat:* & ad uxorem scribens de lucernata janua sermonem facit, ut etiam in lib. quem scripsit de Idololatria. Accedit his omnibus locuples Dionis testimonium, qui in Nerone ait: *Lætitiæ, & honoris causa Urbem repletam fuisse lucernis, & festa fronde, nec non suffitibus.* Sed cum hæc ipsa, ut inquit Baronius, Judæi factitarent, atque gentiles, cur non potius à Judæis ea, sicut & pleraque alia, quam à gentilibus Ecclesiam mutuatam esse dixerimus? & si velimus ab eis accepta esse, quid absurdum, si eadem in veri Dei cultum conversa fuerint, ut alia multa, quæ superius recensuimus. Quoniam vero hæc in martyrum honorem, religionis, ac lætitiæ causa, à fidelibus peragebantur, hinc est, ut tot passim in sacris Cœmeteriis lucernas adinveniri contingat, non fictiles dumtaxat, sed æneas insuper, quippe cum hæc loca frequenter Christiani in vigiliis eorumdem martyrum adirent, solemnioribus diebus clarius accensis luminibus eadem splendebant. Ex quo Vigilantius, qui in tenebris hæresum cæcutiebat, occasionem nactus, veluti rem superstitione imbutam, luminum ac lucernarum usum mordicus improbare conatus est, quem egregie scriptis postea Hieronymus confutavit, sed Baronium hic audiamus: *Hujusmodi equidem pietatis officia ferventissimo studio à fidelibus exhiberi solita constat, testimonio etiam Vigilantii dicentis, moles cereorum sole fulgente accendi solere in Ecclesiis, licet ipse pium cultum derideat, perinde ac si id fideles facerent ad martyres illuminandos. In quem hæc jure Hieronymus: Cereos non clara luce accendimus (sicut frustra calumniaris) nimirum ac si hoc pietatis officio putemus martyres è tenebris vindicari, quorum lucerna est Agnus. Sed mysterium docet, scilicet sic facere, ut (quod sequitur) noctis tenebras hoc solatio temperemus: nempe, quod ait Apostolus: nox præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ac proinde (quod subdit) vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Perstat enim in metaphora, qua superius jam quarto eumdem non Vigilantium, sed Dormitantium nominarat, & paulo superius dixerat: Sic vigilans dormis, & dormiens scribis.* Cum igitur frequenter Christiani ad celebranda martyrum natalitia in sacris cœmeteriis convenirent, frequens quoque lucernarum ibidem usus pie ac religiose ad eorumdem sepulchra adhibebatur.

[Margin: Hieron. contr. Vigil. — In Ecclesiis per Orientem ad Euangelium lumina accendi solita. — Hier. ep. 58. — Gentiles eadem etiam festivitatis causa lumina accendunt. — Juven. Sat. 12. — Dio in Nerone. — ...ero lætitiæ causa ...bem luminaribus ...olet. — Cœmeteriis Christianorum innumeræ æneæ lucernæ, & ... ... potent? — ...ron. to. 1. ...58. — ...in Vig. ...c. 21.]

6 Per totas insuper Orientis Ecclesias luminaria olim, Hieronymo teste, accendebantur, immo & in Ecclesia Hierosolymitana id quoque præstari consuevisse, sub qua idem Hieronymus vivebat, Epiphanius ad Ioannem tunc temporis Episcopum scribens, demonstrat, dum ait: *Cum venissem in villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque præteriens ibi lucernam ardentem, interrogassemque quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam, &c. Accidit id quidem interdiu* (ut inquit Baronius) *nam noctu non mirum multas vidisse ubique ardentes lucernas, In Ecclesia pariter Occidentali interdiu incendi luminaria in more positum fuisse S. Paulinus, qui Hieronymi ævo floruit, his carminibus edocet.*

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte, dieque micant. Sic nox splendorque diei
Fulget, & ipsa dies cælesti illustris honore,
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Ad honorandos quippe, non illustrandos martyres hæc à fidelibus accendebantur, licet simpliciores nonnullos, & præcipue fœminas in hoc errare contigerit, tamen id nullatenus religioni præjudicat, ut idem Hieronymus optime his verbis argumentatur: *Quod si aliqui propter imperitiam, & simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum fœminarum, de quibus poterimus dicere: Confiteor Dei zelum habent, sed non secundum scientiam: hoc pro honore martyrum faciunt; quid inde perdis?* id est (ut Baronius exponit) Esto quod tu dicis, id eo modo, quo tu asseris, faciant simpliciores, ut putent cereis martyres illustrandos, sicque habeant zelum non secundum scientiam, quid tamen inde perdis? Usitatus hic est disserendi modus Hieronymi (teste Baronio) ut adversus hæreticos pugnans, nec latum unguem eisdem loco cedat. Cæterum ejusmodi pietatis cultum à se probari in eodem commentario paulo inferius, & supra eodem argumento ad Riparium scribens, aperte æque ac libere (quod dictum est) profitetur, dum ait: *Accensi ante tumulos eorum cerei, idololatriæ insignia sunt?* hæc ipse, Vigilantii utique dictum execratus. Commendant & cæteri sanctissimi patres ejus seculi, hujusmodi à fidelibus fieri solitas oblationes: & tantum abest, ut hæc simplicium, vel zelum non secundum scientiam habentium officia improbata fuerit, ut etiam S. Augustinus ad hæc ipsa præstanda pro concione populum sit adhortatus, sic dicens: *Qui possunt aut cereolos, aut oleum, quod in cincindelibus mittatur, exhibeant*, & Paulinus his versibus:

Ast alii pictis accendant lumina ceris
Multiforesque cavis lychnos laquearibus aptent,
Ut vibrent tremulaque funalia pendula flammas.

Est & commentarius Evodii Uzalensis Episcopi, cujus sæpe Augustinus meminit, ubi de cereis afferri solitis ad reliquias sancti Stephani, iisdemque divinitus in visione monstratis agit, deque eo, qui argenteam candelam obtulit. Deplorat vero Athanasius cereos à fidelibus oblatos, sed ab Arrianis sublatos, & idolis incensos. ut Baronius enarrat.

[Margin: In Ecclesiis Orientalibus lucernæ olim ubique ardebant. — Epiph. Ep. ad Ioannem. — Paulin. in natal. 3. S. Fel. — Luminaria ante martyrum tumulos accendi D. Hieronymus laudat. — Hieron. ep. ad Riparium. — Et alii Patres idem commendant. — Aug. de temp. ser. 215. — Paulinus. — Cereos sanctis oblatos Arriani tollunt, ac Idolis incendunt.]

7 Porro cum jam in sacris Cœmeteriis æneæ permultæ lucernæ adinventæ sint, quæ Christianorum quondam usui extitere, hic ad rei propositum nobis ex eodem Baronio repetenda videntur, quæ de iisdem lucernis, ac lampadibus Ecclesiæ usui destinatis prosequitur: *Quam vero sumptuosa*, inquit ille, *esse solerent vasa aurea, vel argentea, vel alterius generis metallorum affabre facta ad lumina incendenda composita, ut pharicantari, lampades cum delphinis, coronæ cum liliis, candelabra, cerostrata, atque lucernæ, in quibus non oleum commune tantum, vel cera, sed interdum opobalsamum, vel nardinum oleum in honorem Dei, vel sanctorum incenderetur satis expressum, ac sæpius repetitum habetur in libello de munificentia Constantini, de donis scilicet, quæ nonnullis à se erectis Ecclesiis contulit: quod quidem scriptum, ut legitimum, atque germanum Ecclesia Romana semper habuit, dicemus nos de ipso suo loco. Perseverasse noscitur id genus vasorum etiam Gregorii Papæ tempore: qui ad Anthemium scribens meminit de coronis cum delphinis, aliisque lilia habentibus furto sublatis. Nec quis miretur, si hæc facta sint tempore pacis Ecclesiæ, regnantibus Christianis Imperatoribus: cum constet urgente adhuc persecutione Ecclesias uti consuevisse argenteis lucernis, atque capitulatis, quæ lampades erant multa habentes capita, quibus lumina incenderentur, quorum apud Augustinum est mentio ex actis proconsularibus.* hæc Baronius. Quam grata vero hæc pietatis officia Deo fuerint, compluribus miraculis, quæ tum oleo dictarum lampadum, tum etiam cera è candelabris desumpta peragi consueverant, certissime comprobari Baronius affirmat; Paulino locupletissimo ejusdem rei teste, quem Gregorius Turonensis citat, quos consulat, qui plenam harum rerum notitiam assequi cupit.

Baron. to. 1. *an.* 58.

Lampades aureæ cum oleo nardino, ac opobalsamo Deo, & sanctis à Constantino Imp. incenduntur.

Aug. ser. 33. *de diver. iterum, & de civ. Dei lib.* 22. *c* 8. *Evodius de mirac. S. Steph. lib.* 1. *c.* 2. *lib.* 2. *c.* 2. *lib.* 1. *c.* 13. *Athan. epist. ad orthodoxos circa princ. Extat. to.* 1. *Conc. in Silvest. D. Greg. lib.* 1. *in dic.* 9. *ep.* 66. *Aug. ep.* 165.

Officium lucernarum multis miraculis sibi gratum esse Deus ostendit.

Greg. Turon. de mirac. S. Mar. c 2. *prope fin.*

8 Sed cum hic de lucernis, ac lampadibus sermo agatur, id à Christianis religiose martyribus Christi, eorumdemque corporibus præstitum est, quod olim gentiles idolis suis impie, ac superstitiose exhibebant: *Quis autem*, inquit Baronius, *jure calumnietur, si quod olim idolis, ut ait Hieronymus, eadem modo martyribus offerantur? si quæ etiam diebus sabbatis lucernæ accenderentur in templis, non quod; ut inquit Seneca, Dii egerent lumine, sed pietatis ergo; eadem in Dei Genitricis honorem sint translatæ? Si insuper, qui in Saturnalibus cerei erogabantur, in solemnitatem occursus Domini, & sanctissimæ ejus Genitricis fuerint permutati? Quid, inquam, mirum, si inolitas apud gentiles consuetudines, à quibus eos quamvis Christiani effecti essent, penitus posse divelli impossibile videretur, easdem in veri Dei cultum transferri sanctissimi Episcopi concesserunt?*

Hier. in Vig.

Senec. l. 15. *ep.* 66.

Honor, quem gentiles Idolis olim impie deferebant, martyribus nunc rite exhibetur.

Greg. Nyss. in vit. S. Greg. Thaumat. Theodoreti de Eng. verit. l. 8. *in fin.*

9 Certe facum usus in sacris origo tribuitur Atheniensibus, de quibus hæc apud Suidam: *Lampadis tria festa agunt Athenienses, Panathenæis, Vulcanalibus, Prometheis. Ajunt Athenienses primum facibus usos esse in Vulcani sacris, qui usum ignis primus deprehenderit, & mortalibus demonstrarit.* At si quis curiosiùs repetat ejus rei antiquiorem originem, ex Ægyptiis in Græcos, sicut & idolorum cultum, & omnium fere Deorum nomina (ut Herodotus auctor est) fluxisse reperiet. Nam (ut idem testatur) ab iisdem Ægyptiis vetus agebatur anniversaria die solemnitas, quæ nominabatur Accensio lucernarum, cum illi noctu circa domos suas solebant accendere frequentes lucernas. Cum autem ab inolito tot seculis usu tam Ægyptii, quam cæteri eos imitati, divelli vix possent; veneranda antiquitas Ecclesiastica (ut Baronius ait) non sine instinctu divini numinis superstitionem in religionem convertit; effecitque, ut quod impendebatur idolis, provide in Dei cultum converteretur, nimirum ut ipsa Ascensionis dominicæ nocte, in honorem Domini eadem exhiberentur pietatis obsequia: sicque non tantum in Ægypto, sed & in Palæstina, aliisque Christiani orbis Ecclesiis, ut ea nocte plures lucernæ accenderentur, fuit olim pia consuetudine introductum, quod alicubi hactenus perseverat. Testatur & Beda de locis sanctis agens, noctu Ascensionis Domini sic montem Oliveti lampadum lumine illustrari, ut mons, & cætera loca supposita ardere viderentur. Quis insuper inique ferat, si quæ olim complures Christianorum in natalitiis principum consueverunt facere, eadem in natalitiis martyrum fuerint commutata? Iste demum pius lampadum, ac lucernarum usus multoties editis à Deo miraculis comprobari meruit, quæ si quis nosse cupit, D.Greg. l. 3. dial. c.30. apud Baronium consulat.

Lampadum in sacris usus à quibus originem trahat.

Accensio lucernarum apud Ægyptios.

Indulgens mater Ecclesia superstitionem in religionem suaviter convertit.

10 Congrue igitur, ut jam ad nostra redeamus, luminaria in Christi fidelium funeribus adhiberi consuevere, tum in triumphi signum ob peracti viriliter agonis cursum, tum ad contestandam mortalibus ipsius animæ immortalitatem, futuræque corporum resurrectionis spem inaugurandam; alias prætereo rationes, quæ pios homines ad id præstandum permoverunt; nempe ad propinandam quodammodo intuentium oculis, insinuandamque ipso lucis, ac claritatis aspectu perennium gaudiorum felicitatem, quibus post hanc vitam animæ perfunduntur, & ad procul arcendas vivificæ lucis symbolo ipsas, quæ nos jugiter impetunt, tenebrosæ hujus regionis potestates; & demum ob complura alia mysteriorum arcana, quæ erudite satis à Scriptoribus elucidantur. Sed nunc quæso Chrysostomum hæc omnia luculenter de more enarrantem audiamus: *Dic mihi quid sibi volunt istæ fulgentes lampades? annon defunctos tanquam athletas deducimus? Quid etiam hymni? Annon Deum glorificamus, & gratias agimus, quod eum, qui excessit, jam coronaverit? quod à laboribus liberaverit? quod abjecto metu eum apud se habeat? Nonne ideo sunt hymni? nonne ideo psalmodia? hæc omnia sunt lætantium.* hæc Chrysostomus, quibus hymnorum quoque, ac festivarum vocum ipsa inter funeralia cantum admisceri consuevisse affirmat.

Luminaria in fidelium funeribus quid significent.

S. Chrys. hom. 4. *in epist. ad Hebr.*

Ritus veterum Christianorum efferendi mortuos lætitiam præsefert.

11 Quam quidem laudabilem consuetudinem Dionysius Areopagita, qui sub ipsamet Apostolorum tempora vixit, digno locupletique elogio commendat: *Propinqui ejus, qui mortuus est*, inquit, *pro jure divinæ propinquitatis, ac morum similitudine, & eum qualis est, beatum esse ducunt, quod ad victoriæ finem pervenerit, & victoriæ auctori gratias cum cantu agunt; & præterea se ad similem finem pervenire optant, sumptumque eum ad antistitem portant, quasi ad sanctarum donationem coronarum. Ille autem eum libenter accipit, eaque perficit omnia, quæ ex sancto instituto fiunt in iis, qui sancte dormierunt.* Quibus & hæc infra addit: *Pro hac divina justitia agens gratias antistes, sacram precationem adhibet, veneratione que dignam divinitatem laudat, quod & tyrannicum in nos imperium deleverit, & nos ad sua justissima judicia transtulerit. Divinarum autem promissionum cantus, & recitationes, tum beatissimas sedes indicant, ad quas ii, qui divina perfectaque virtute*

Dionys. Areop. Eccl. Hier. c. 7.

Cæremoniæ in exequiis ab antiquis fidelibus frequentatæ.

Cum hymnis, ac cantu mortuis glo-

virtute præditi fuerint, in perpetuum deducentur: tum eum qui à vita hac migravit, sanctè excipiunt, tum etiam eos, qui in vitam manent, ad similem absolutamque virtutem hortantur. hactenus Areopagita pro psalmodiæ cantu, quo suorum Christiani funera prosequebantur.

12 Hæc autem omnia apud gentiles funebribus eorumdem cantilenis, & mortuorum coronamentis umbræ ad instar non tam videntibus, quam in ipsa luce cæcutientibus inter mœstitiæ, squalorisque caliginem, ut patet, proposita fuere; verum Ecclesia singula hæc in patentissima lætitiæ symbola commutavit. Quapropter Cyprianus hæc ait: *Fratres mortuos non esse lugendos assertione dominica de seculo liberatos, cum sciamus non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes, ac navigantes solent: desiderari eos debere, non plangi, nec accipiendas hic esse atras vestes, quando ibi illi indumenta alba jam sumpserint: occasionem dandam non esse gentilibus, ut nos merito ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, ut exstinctos, ut perditos lugeamus, & fidem, quam sermone, & voce depromimus, cordis & corporis testimonio non probemus.* hæc utique Cyprianus, qui optime dicens, illis Apostoli verbis ad Thessalonicenses consonat: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.* Quos quidem immodicos luctus, ac minus temperatos sanctorum plerique à Christianorum funeribus arcendos procul esse proclamant; acutisque verborum aculeis ejuscemodi intemperantiam perstringunt; eam maxime ob causam, quod deridendos hac ratione ethnicis ritus pariter, ac mores Christianorum præberent: fabulam quippe illud omne, quod Christiana fides ultro, constanterque professione tenet, insani, ac superstitiosi homines crederent, dum fides nostra mortis contemptum prædicat, mortuorum resurrectionem asserit, immortalitatis gloriam ingerit; tamen ac si omnia corporis morte absumerentur, & omnis spes funditus evanesceret, ac periret, dolentes hunc in modum Christianos, lugentesque, dum funeribus peragendis instant, gentilitas vana deprehenderet.

13 Plerumque enim contigit, ut in funeribus altius ejulantes haud ex commiserationis affectu, sed ostentationis potius, inanisque gloriæ studio permoti, decorum nulla ex parte præferentes, nuda interdum brachia gladiis impeterent, vulneribus cruentarent, capillos vellerent, ac genas dilaniarent. Quam quidem insanam, & ridendam potius, quam miserandam, qua barbari utebantur homines, dolendi, plangendique consuetudinem non solum ipsis olim Judæis Deus Optimus Maximus, sed suis quoque Atheniensibus Solon inter legislatores sapientissimus, ac Romanis item ipsi decemviri, qui cæteris sapientia præstabant, editis, etsi frustra, legibus severe admodum interdixere.

14 Quod autem phanaticus iste plangentium mos in usu olim apud Judæos esset, ex ipsomet Euangelico textu luce clarius comprobatur. Nam cum Christus Dominus in cujusdam Principis Pharisæorum domum, cujus filia è vivis paulo ante abscesserat, eandem à mortuis excitaturus venisset, invenit ibi (ut Euangelista ait) tibicines, & turbam flentem atque ejulantem: *In more enim*, ut Ambrosius ait, *receptum erat, ut in omnis ductione funeris tibicines ad incendendos, excitandosque confluentium luctus adhiberentur*, & *Præficæ*, hoc est, mulieres, quæ mercede conducebantur, ad deflendum laudandumque defunctum. Has vero, & congruo quidem nomine, eleganter Servius Planctus principes, non doloris appellat: quippe quæ etsi nullo prorsus inter ementitas hasce lamentationes doloris sensu afficerentur, tamen ut Horatius inquit, dicebant, faciebantque plura, ac si probe ex corde dolerent, cæterisque dolendi modulos per næniam, id est, inconditum carmen commentitia ejuscemodi adulatione propinabant, quod in laudem ipsius defuncti compactum à proximioribus, vel certe ab iis, qui ad id munus mercede conducti essent, lugubri ac lamentabili voce ad tibias personando præcinebant. Quæ singula Tacitus breviter recensens, eas olim populi Romani voces fuisse in Tiberium Aug. exprobrantis ait, omissa videlicet fuisse in Germanici funere *veterum instituta, meditata ad memoriam virtutis carmina, & laudationes, ac lacrymas, vel doloris incitamenta.* Illud porro discrimen inter Præficas, & Funeras erat, de quibus & Virgilius, illud, inquam, quod inter doloris ostentationem, & dolorem ipsum, ut Seneca Philosophus edisserit; cui pariter Plinius Junior egregie adstipulatur, eo quod Funerarum, hoc est, mulierum affinium ac propinquarum, ad quas funera proxime spectabant, dolor esset, ostentatio autem ad Præficas referretur, quas velut extraneas nil prorsus demortui casus, ac cura solicitaret.

15 Verum laudatoria illa carmina ab ipsis quoque Judæis suis in funeribus usurpata fuisse, satis utique constat ex recensitis sacras apud paginas, & ad posteros transmissis jugiter concelebrandis epicediis, quæ David Rex sanctissimus in Saulis, atque Abneris laudem, dum eorumdem defleret obitum, expressit, quæ carmina & alio nomine planctus appellat, utpote qui doloris, pietatis, ac summæ benevolentiæ signis redundant. Lugubri item carmine Jeremias Propheta Josiam augustissimum Judæ Regem deflevit: uti pariter virum incomparabilem, ac strenuum præ omnibus Judam Machabæum cunctus Israeliticus populus uberrimis lacrymis prosecutus est. At vero nænias, quæ ex consuetudine olim fiebant, illis palam verbis Christus adumbravit, *Lamentavimus, & non planxistis.* Et apud Jeremiam, ad futuram Hierosolymitanæ urbis cladem, Templique devastationem deplorandam, & ad peragendum quodammodo fatale totius Judaicæ reipublicæ funus, lamentatrices undique dato pretio evocari jubentur, & mulieres, quæ hujus potissimum artis peritiam profitentur, ut grande ac ferale totis visceribus lamentum assumant, lacrymasque vel ab ipsis Judæorum oculis eliciant, ac reliquas omnes fœminas planctum hujuscemodi, atque lamentum doceant. Ejusdem quoque rei apud Ezechielem, & Amos Prophetas, & in Machabæorum quoque libris mentio incurrit. Josephus item Judæus, cum à suis in immani illa obsidione uti mortuus jam fuisset creditus, lamenta Hierosolymis per dies triginta sui causa nunquam desiisse, ac magna quidem mercede tibicines, qui lamentarentur, conductos fuisse pronuntiat.

16 Ex quibus, amice lector, jam probe, ut arbitror, vides antiquissimam dolendi consuetudinem non apud Judæos tantum, verum & ipsos apud gentiles usu receptam, ac moribus obfirmatam; quæ peculiari subinde duodecim Tabularum lege à Roma-

Margin notes (right): Præficæ, earumque munus. — *Æneid.* 9. *Varro lib.* 6. *de ling. Lat. Fest. & Non. verb. Præficæ & verb. Næn. Cic. l.* 2. *de leg.* — *Tac. Annal.* 3. — Discrimen inter Præficas, & Funeras. *Virg. Æneid.* 9. *vers.* 486. *Sen. ep.* 99. *Plin.* 4. *ep.* 2. — Næniæ, ac Epicedia ab Hebræis quoque in funeribus usurpata. — 2. *Regum.* — *Machab.* 11. — *Luc.* 7. — *Ier.* 9. Jeremias Judææ interitum veluti nænia lamentatur. — *Ezech.* 27. *Amos* 5. *Machab.* 6. *Ioseph. l.* 3. *de bell. c.* 15. — Ficta ac meditata funerum lamentatio leg. 12. Tab. sublata.

Margin notes (left, partly cut off): ...a, & vi... ...entibus ...milem in ...omino ...ortem ...precan...r. — ...ætitiam ...exequiis ...Ethnicis ...lim adum...ratam Ec...clesia aper...exhibet. — ...ypr. tract. ...e morta...tate. ...ortuos in ...omino ...on esse ...gendos. — ...*Thess.* 4. — ...fideles ...ecet lu...us mor...orum. — ...lienus, ac ...ntrarius ...ofessioni ...hristianæ ...e luctus. — ...fanus ve...um in ...ere ...ngendi ...os. — ...à Moyse, ...lone, & ...omanis ...ibitus. — ...*vit.* 19. ...*ut.* 14. ...*t. in* ...*on.* ...2. *de* — ...*th. c.* 9. ...*rci c.* 5. ...icines ...itando ...ui in ...erbus ...n adhi... ...*br. in* ...8 *vid.* ...*x. ab* ...*x. lib.* 5. ...7.

à Romanis tanquam superstitionem redolens è medio sublata est. Ibi enim in hæc sancitur verba: *Mulieres genas ne radunto.* Hæc autem lex à Solone desumpta est, qui primus, Plutarcho teste, in mortuorum funeribus corpus dilaniare, ac meditatam edere lamentationem vetuit, idque Servio attestante in illud Virgilii, dum ait:

Leg. 5. 12.
Plutar. in Sol.
Serv. Aeneid. 12.

—— *& roseas laniata genas.*

Sanguis ante rogos mortuorum olim effundi solitus.

Mos quippe antiquorum fuit, ut ante mortuorum rogos humanus sanguis, vel captivorum, vel certe gladiatorum effunderetur: quorum si tunc temporis sufficiens forte non adfuisset copia, tunc profecto mulieres ob ementiti signum doloris laniantes genas unguibus cruentabant, & ora insuper eum in modum dilacerabant, ut cruore ubertim effuso, inferis ac Dis Manibus hunc libando, satisfacere viderentur. Hoc igitur lex duodecim Tabularum, teste Plinio, fieri posthac non secus, ac quid valde ab humanitate alienum prohibuit. Ut autem ex ipsismet legis hactenus memoratæ verbis constat, caute interdicebatur, ne quid in funeribus abjectè, ne quid timidè, serviliter, muliebriterque fieret: quod idem Cicero in suis Tusculanis Quæst. edocet. Ad quod item Plato respexisse visus est, dum optimis suam rempublicam moribus informat, & his quidem verbis: *Flere mortuum jubere, aut vetare absurdum est; plangere vero, & voces, ac lamenta extra ædes mittere vetandum.*

Plin. l. 11. c. 37.
Omnis lugendi modus indecorus vetitus.
Tullio ac Platone approbantibus.
Plat. lib. 12. de legib.

Moderate lugere licet, atque decet.

17 Et quidem ex his, quæ hactenus ad rem nostram, vel obiter in unum congessimus, lectori palam fit, luctum non nisi intemperanter adhibitum, nullaque rationis vi coërcitum penitus improbari: ut enim Ecclesiasticus ait: *Mortuo non prohibeas gratiam; non desis plorantibus in consolatione.* Ferini enim cordis, atque agrestium fere morum homo ille agnoscitur, qui nullo prorsus doloris sensu in suorum decessu afficitur, qui lacrymas nescit, siccisque oculis, ac si nil damni charorum mors intulisset, æque inter funera suorum ac inter convivia immotus subsistit. Hinc inter præcipua pietatis argumenta, quibus Antonini Pii Augusti lenitas commendata est, merito adnumeratur, quod, cum Marcus Philosophus adoptivus ejusdem filius educatorem suum mortuum defleret, verba hæc commiserationis indicia in medium imo ex corde protulerit: *Permittite illi, ut homo sit: neque enim vel philosophia, vel Imperium tollit affectus.* Et laudatissimus quoque inter Patres Ambrosius haud omnino à Christianorum oculis lacrymarum guttas abdicandas esse pronuntians, hæc ait: *Sunt lacrymæ pietatis indices, non illices doloris; non omnis infidelitatis, aut infirmitatis est fletus; alius est naturæ dolor, alia est tristitia diffidentiæ.* Cui Augustinus pariter in hæc verba subscribit: *Ideo non admonuit Apostolus, ut non contristemur, sed non sicut cæteri, qui spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi: inde angimur, hinc consolamur: inde infirmitas afficit, hinc fides reficit: inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio.* Et D. Hieronymus, qui graviter alioqui Paulæ lacrymas super Blesillæ ejus filiæ obitu reprehendit, aliqua tamen ex parte iisdem indulgendum esse non negat, hæc addens: *Ignoscimus matris lacrymis, sed modum quærimus in dolore: si parentem cogito, non reprehendo quod plangis: si Christianam & monacham, istis nominibus mater excluditur.*

Ecclef. c. 9.
Ferini ingenii est nihil dolere.
Antonini Pii vox de Marco filio mortuum lugente.
Capitol. in ejus vita.
Ambr. orat. de obitu Satyri fratris sui.
Luctus mortuorum spe illos recipiendi levandus est.
Aug. ser. 32. de verb. Apost. 1. ad Thess. 4.
Hieron ep. ad Paulam de obitu Blesillæ.

18 Haud igitur fletum quemlibet, & quibusvis lacrymis coacervatum Christiana religio inculpat: uti Nazianzenus pariter edocuit, dum corporis elationem junctam cum mœrore lætitiam afferre pronuntiat, & ut Severus ille Sulpicius luculenter scribit: *Fides flere prohibet, gemitum extorquet affectus.* Et demum Chrysostomus rem funeralium planctuum his plane verbis quasi certis obfirmatisque ad congrue dolendum terminis definiendo concludit: *Non ego lugere, sed impudenter lugere veto: non sum immanis atque crudelis, video naturam dolere, & id quotidianam requirere consuetudinem. Nec licet multo moveri affectu, quod & Christus ostendit; lacrymatus est super Lazaro: ejus sequere exemplum: lacrymare, sed leniter, & prudenter, & cum Dei timore. Si hac ratione lacrymas fundes, non resurrectionis diffidentia redargueris, sed ægre ferre charissimi sejunctionem videberis. Nam & peregre proficiscentes lacrymis prosequimur, non tamen ut mortuos: ita & tu lugeas tanquam præmiseris peregrinum.* Hæc Chrysostomus suas dolori leges exacte præscribens, & lacrymarum oceano, ne animi virtutem omnem absorbeat, temperantiæ ac rationis terminum ponit.

Cum lætitia mærori mixta mortuos efferre decet.
Nazian. orat. 2. in Iulianum.
Sulpit. ep. de obitu S. Martini.
Chrysost. hom. 61. in Ioan.
Quomodo mortui lugendi sint.
Resurrectioni diffidit, qui mortuum immodice deflet.

19 Quem item opportunis restrictum legibus lacrymandi, dolendique modum sanctus Paulinus approbasse videtur, dum Pammachium super Paulinæ uxoris obitu consolaturus, primum quamapte eumdem commendat, quod eam nimirum non vacuam fletibus prosecutus, charo funeri justa persolverit, piisque perfusus lacrymis exequias honoraverit; rem autem Patriarcharum exemplo confirmans, ait: *Quare bona religio sepulturæ: bonæ lacrymæ charitatis, &c.* Et infra: *Idcirco & tuæ lacrymæ sanctæ & piæ, quia simili affectione manarunt, & dignam casti cubilis flevere consortem, non diffidentia resurrectionis, sed desiderio charitatis.* Hæc ille. Si vero gentiles hac super re philosophos consulamus, haud ab ipsis patribus discrepantes offendimus: Solon enim philosophus ille præ cæteris sapientissimus lacrymas in suorum honorem funerum ab amicis requisivit, cum isthæc edixit:

Funera suorum piis lacrymis prosequi laudabile.
Paulinus ep. 37. ad Pammach.
Philosophi gentium ab amicis post mortem defleri cupiunt.

Mors mea ne careat lacrymis: linquamus amicis
Mærorem, ut celebrent funera cum lacrymis.

Cic. Tuscul. 1.

Omnibus quippe hominibus, ut Euripides ait, *innatum est, ac etiamsi ob culpam quis moriatur, cupiat tamen, ut amici eum defleant.*

Phryx apud Stob. ser. 121.

20 At vero, ut videamus interim, quam modeste Christiani lacrymis operam darent, & charissimorum funera gaudiis potius quam lacrymis prosequerentur, hic nonnulla à nobis obiter repetenda sunt. Gregorius quippe Nyssenus, quem supra laudavimus, in Macrinæ sororis suæ gestis scribit, quod cum in monasterio, ubi illa discesserat, virgines inconsolabiliter flentes vidisset, easdem solicite admonuerit, ut lamentationis clamorem pia psalmorum decantatione commutarent; *ex quo factum est*, inquit ille, *ut virginum cantu lamentationibus commixto resonaret locus.* Certe quidem Paulæ, quæ olim matronas inter Romanas nobilitate conspicua erat, apud Bethlehem morienti cum multi adessent Episcopi, ac sacerdotes, diaconi, totumque monasterium, ubi illa jacebat, Chori virginum, ac Monachorum repleverant; ubi vero illa animam efflavit, *non ululatus*, inquit Hieronymus, *non planctus, ut inter cæteros seculi homines fieri solet, sed psalmorum linguis diversis examina concrepabant.* Idem plane refert in Epitaphio Fabiolæ,

Modestia ac moderatio veterum Christianorum in suorum funeribus.
Greg. Nyss. in vit. S. Macrin.
Funus Paulæ Romanæ cum cantu, & psalmis ducitur.
Hieron. ep. 27. & 30.

Eadem festina pompa Fabiolæ exequiæ celebrantur.

Fabiolæ, quæ altera Romanarum omnium nobilissima extitit: *Necdum*, inquit, *spiritum exhalaverat, necdum debitam Christo reddiderat animam, & jam fama volans, tanti prænuncia luctus, totius urbis populum ad exequias congregabat, sonabant psalmi, & aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat Alleluja.*

Alleluja in funere mortuorum à Christianis olim decantari solitum.

21 Hic interim studiosus lector adnotet, quod vox *Alleluja*, quæ licet in funere usurpari apud Christianos consueverat, gratulantis magis quam dolentis vox est, quasi immortali Deo gratiæ à Christianis peragerentur, quod Fabiolam ab innumeris hujusce vitæ ærumnis, ac laboribus ad perennis locum quietis evocasset. Idem plane præstitum fuisse Augustinus refert in matris suæ Monicæ obitu: *Ubi*, inquit, *illa efflavit extremum spiritum, puer Adeodatus exclamavit in planctum, atque à nobis omnibus coërcitus tacuit; eoque à fletu cohibito, psalterium arripuit Evodius, & cantare cœpit psalmum, cui respondebamus omnis domus: Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Audito autem quid ageretur, convenerunt multi fratres; ac religiosæ fœminæ, & de more illis, quorum erat, funus curantibus, &c.* Habet igitur (ut vides lector) & Christianorum charitas suas lacrymas, quibus amicorum, & charorum funera prosequatur, nec ferrea fortita est viscera, ut nullo afficiatur dolore, dum res chariores subtrahi videt; deflet quidem, sed temperanter; dolet, sed ut rationi consentaneum: est lachrymæ igitur, ut Sanctorum comprobatur exemplis, non abjiciendæ prorsus ab oculis, sed temperandæ, ut proverbio illi locus sit: *Ne quid nimis.* Sed quæ supersunt funeralium ritibus inserenda, infra exponemus.

August. l.9 Confess. 12.

Funus S. Monicæ cum psalmis etiam elatum.

CAP. XIX.

Quam ob causam martyrum præcipue corpora à Christianis cantu ac luminibus ad Cœmeteria efferrentur.

...pes resurrectionis omnem ...ortuo...um luctum ...onsolatur.

CErta utique obventuræ resurrectionis spes Christianorum oculis, ut jam vidimus, lacrymas inhibebat, luctumque omnem convertebat in gaudium, ita ut non flebili, quod ipsi consueverant gentiles, ejulatu, sed hymnis & cantu fideles suorum funera prosequerentur: & quandoquidem res tota lætitiæ erat, ob immensam bonorum copiam, quæ fides credentibus speranda suggerebat, lamentationum vice, ut infra dicemus, gloriosos beatorum Martyrum triumphos exultantibus animis concelebrabant. Ut primum igitur rem exponamus, illud præmittendum hic est, hymnos semper in Ecclesia adhiberi consuevisse, dum defunctis fidelibus justa funebria persolverentur: ut enim Chrysostomus ait: *Honor mortuo non fletus est, non ejulatus, sed hymni, & psalmi, & vita optima.* Et rursus ille: *Quanam de causa vocas presbyteros, & eos, qui psallunt? nonne ut consoleris? nonne ut eum honores, qui excessit?*

...ymnis ac ...minari...s Christianorum ...nera duci ...im solita.

...ryf. hom. ...& Hom. in ep. ad ...br.

2 Quam autem ob rationem psalmodia potissimum in celebratione funerum assumeretur, ipsamet Augustini verba declarant, dum ait, *psalmum dæmonem fugare, angelos ad adjutorium invitare, esse in nocturnis terroribus scutum, diurnorum requiem laborum, angelorum opus, spirituum cælestium thymiama spirituale.* Huc nimirum allusisse visus est Epiphanius, cum de Christi Domini sepultura ac funere agens, psalmorum, hymnorumque funebrium, ac luminum pariter mentionem facit; Josephum quippe illum ab Arimathæa ob præstitum Redemptori Domino obsequium, operamque ipsius funeri officiose delatam toto Christiano orbe celeberrimum, his ad rem nostram verbis alloquitur: *Quales lampades accendes luci inaccessæ illuminanti omnem hominem? Quales cantabis funebres hymnos, qui indesinenter laudatur ab omni cælesti exercitu? Num verò lachrymas fundis, ut super mortuum, qui lacrymavit mortuum Lazarum, eumque suscitavit? num verò & planctum facis, qui omnibus gaudium largitus est, ac tristitiam Evæ dissolvit? &c.* hæc Epiphanius, quibus aperte insinuat perantiquos funeralium ritus, apud Christianos olim exhiberi consuetos.

...almorum ..., atque ...ellentia.

...g. in prol. ...sal.

Elegans de Christi funere ad sepulchrales Christianorum ritus allusio.

Epiph. orat. de Christi sepult.

3 Porro psalmodiam hanc funeribus interseri consuevisse; antiquissimo ipsiusmet Clementis Romani Pontificis, beatorum Petri & Pauli Apostolorum discipuli testimonio satis convincitur, qui è sublimi Apostolicæ Cathedræ throno recolenda ecclesiasticæ disciplinæ monimenta præscribens, atque Episcopis, ac Sacerdotibus funeralium formam constituens, hæc ait: *Fratres vestros, cum excedunt e vita prosequimini cantu psalmorum.* Quibus sane ipsius Dionysii Areopagitæ verba optime consonant, qui hymnos in dormitione Virginis Deiparæ decantatos de more fuisse commemorat: de quibus pariter Juvenalis Hierosolymitanus Episcopus hæc habet: *Ex prisca ac verissima traditione, corpus Deiparæ Virginis asserit* (Dionysius videlicet) *angelico, & apostolico cantu elatum fuisse.*

S. Clemens Papa psalmodiam funeribus adhiberi præcipit.

Clem. Const. vit.

Sacrosanctum Virginis Deiparæ corpus angelico, atque apostolico cantu effertur.

Dionys. Areop. de div. nom. c.3.

Apud Damasc. orat. de assump. B. Mar. ex antiq. hist. eutim.

4 Quem deinde laudatissimum ritum, ac omni sanctitate excultum, ab Apostolis tunc maxime retentum, servatumque fuisse, cum acrius in eosdem Judæorum persecutio Hierosolymis recrudesceret, ex oratione Nicetæ Christiani philosophi de martyrio, & inventione corporis beatissimi Levitæ Stephani constat; ubi Apostolos ait, unà cum fidelium multitudine in psalmis, & hymnis sacrum ejusdem corpus ad sepulturam extulisse: quinimmo Romæ tunc præsertim, cum gentilium persecutiones fervèrent, id ipsum à Christianis Pudenti Senatori discipulo Apostolorum dignissimo præstitum fuit; in cujus actis hæc recitantur: *Exequiæ ejus celebratæ sunt in hymnis, & canticis, juxta traditionem ecclesiasticam.* Et in beati Stephani Papæ actis, qui martyrio postea sub Valeriano coronatus est, nonnullorum Martyrum corpora à clericis noctu sublata, cum hymnis ex more ab ipsomet Pontifice Stephano, condignoque honore sepulta fuisse narratur. Idemque plane mos in Oriente viguit: Parthenius enim Lampsacenus Episcopus, qui sub Constantino Magno vixit, cum ejusdem Imperatoris cadaver sepulchro inferretur, comitantibus funus Episcopis, cum psalmis, & hymnis, ac spiritualibus canticis in oratorio, quod ipsemet exædificaverat, depositus est. Itemque sacrum Martyris cujusdam corpus Liciniana sub persecutione à Christianis cum psalmis, & hymnis, ut par est, delatum fuisse legitur.

Ab Apostolis is psalmorum funebrium ritus servatus, ac propagatus.

Apud Lipom. to 6.

Pudentis Senatoris exequiæ canticis Romæ celebrantur.

Mombr. to. 2. Cod Vat.

Apud Bar. to. 2. in 259 ad finem.

In orientali Ecclesia idem canticorum funebrium mos viguit.

Apud Metaph. 7. Feb. Baron. to. 3. an. 316.

5 Recolendum verò illud est, quod de Saba abbate notæ sanctimoniæ viro in Palæstina mortuo à Cyrillo his plane verbis describitur: *Eo mortuo cucurrit ad sacrum illius corpus multitudo innumerabilis, & universus ordo monachorum, & quinque etiam Episcopi, qui cum, quo par erat, ornatu corpus composuissent, hymnos, & cantica ei de more canentes, pie admodum, & sancte inter duas Ecclesias deposuerunt.*

Funus S. Sabæ quinque Episcopi hymnis prosequuntur.

Cyrill.

Baron. t. 7. an. 531.

Eodem-

Naz. orat. 20. Eodemque prorſus modo, ut Gregorius Nyſſenus refert, Magnus ille monachorum Baſilius, ſanctorum virorum manibus elatus eſt, pſalmodiæque à confluentium luctu vincebantur. Idemque de Abrahamo Carrarum in Meſopotamia Epiſcopo à Theodoreto deſcribitur: *Licebat alios*, inquit, *audire pſallentes, alios lamentantes, & cum laudibus, & lamentationibus ſanctum illud corpus ſepulchro mandavere.*

Theodoretus in Hiſtor. patrum c. 17.

Vandali hæretici hymnos in exequiis catholicorum decantari prohibent. *Victor. Vtic. hiſt. l. 1.*

6 In occidente autem præter cætera, quæ Catholicæ Religioni ſub Vandalica perſecutione ſatis nunquam deploranda obtigere, illud merito à Victore Uticenſi recenſetur, ipſis contra fidem orthodoxam Arrianis adnitentibus: *Quis*, inquit ille, *ſuſtineat, atque poſſit ſine lacrymis recordari, dum præciperent noſtrorum corpora defunctorum ſine ſolemnitate hymnorum cum ſilentio ad ſepulturam perduci?* Vides igitur quanti piiſſimi olim viri facerent ſacros hymnorum ritus in funeralibus adhiberi conſuetos, dum eoſdem ſibi interdici acerbius fieret, quam ipſamet vita privari. Quamobrem Chriſtiani eadem acrius ſub Hunnerico Rege ſæviente perſecutione, quamvis ad acerba quæque perferenda prompti animo eſſent, haud aliqua ratione pia hæc erga defunctos officia intermitti umquam paſſi ſunt, ſed ſub barbari ejuſdemmet tyranni oculis monachorum ſeptem interemptorum corpora diligenti opera ſepulturæ commendarunt, *præeunte* (inquit Victor) *clero venerabili Carthaginenſis Eccleſiæ cum hymnis ſolemnibus.* His quoque Concilii Toletani auctoritas accedit, quæ morem hunc ſervandum peculiari ſub his verbis edito canone ſanxit: *Corpora eorum, qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum pſalmis, & pſallentium vocibus ad ſepulchra deferantur in ſpe reſurrectionis. Sic enim, inquiunt patres, Chriſtianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum.*

Pſalmodia in funeribus à catholicis ſpreto vitæ diſcrimine conſtanter obſervatur.

Appendix ad Victor. in fin.

Concilium Tolet. defunctos cum pſalmis, ac cantibus efferendos decernit. C. 22. & 13. q. 10. cap. qui divin.

7 Et quidem Eccleſiæ totius conſuetudo mirum in modum comprobari videtur ex his, quæ Severus in funere S. Martini Epiſcopi in hæc verba deſcribit: *Corpus ejus*, inquit, *uſque ad locum ſepulchri hymnis canora cæleſtibus turba proſequitur: comparetur ſecularis pompa, non dicam funeris, ſed triumphi, quid ſimile Martini Epiſcopi exequiis conferetur? illos confuſis plauſibus populorum honoret inſania: Martino divinis plauditur pſalmis, Martinus hymnis cæleſtibus honoratur.* De Beato item Lupicino recluſo narratur, è vico, in quo ille deceſſerat, in alium ad ſepulturam eumdem delatum fuiſſe, *diſpoſitis in itinere pſallentium turmis cum crucibus, cereis, atque odore fragrantis thymiamatis.* En igitur quam ſplendide Sanctorum corpora fidelium manibus efferrentur.

Celebritas hymnorum in exequiis S. Martini. *Sever. Sulpit. in vit. Martin.*

S. Lupicini funus magna pſallentium ſolemnitate deducitur. *In vitis SS. Patrum.*

De luminaribus pompæ funeralis.

8 Hucuſque quamplura de cantu expoſuimus, quo Chriſtianorum cadavera, & ſanctorum præcipue martyrum tumulanda devehi conſueverant, nunc vero de luminaribus, quibus funeralis pompa inſtruebatur, pauca quidem jam dictis adjicienda videntur. Nam inter cætera, quæ Imperatori ab exultante populo exhibebantur officia, cum Urbem victor ingrederetur, ut Baronius ait, *illa potiſſimum erant, epulum publicum, lectiſternia, flores, laurea, lumina ſuffitus, & alia id genus, quæ omnia cum à frequenti populo præſtarentur, à Chriſtianis tantummodo, quod ſuæ ipſorum religioni minus convenire putarent, prætermiſſa fuerunt.* Ex quo Severus Imperator in Chriſtianos commotus, quod hæc ſtudioſe omiſiſſent, commovendæ in eos perſecutionis cauſam nactus eſt, ut idem Baronius teſtatur cum nimirum in ipſo adventu victoris Imperatoris in urbem officia lætitiæ publicæ ab omnibus exhiberi ſolita Chriſtiani ſoli prætermiſiſſe videntur. Solebant item domorum poſtes coronare, & lucernas itidem in lætitiæ ſymbolum accendere, quod Tertullianus in ſua Apologia, quam pro Chriſtianis ſcripſit, his verbis confirmat: *Propterea igitur publici hoſtes Chriſtiani, quia Imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant: grande videlicet officium, focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari; civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim curſitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium, per publicum dedecus? Hæccine ſolemnes dies principum decent, quæ alios dies non decent? O nos merito damnandos! cur enim vota, & gaudia Cæſarum caſti & ſobrii, & probi expungimus? Cur die læto non laureis poſtes obumbramus, nec lucernis diem infringimus? Honeſta res eſt, ſolemnitate publica exigente, induere domui ſuæ habitum alicujus novi lupanaris.* Hæc Tertullianus idcirco, quod Romæ domus meretricum publica lupanaria etiam conſueviſſent, ut Baronius ait, lucernis ac frondibus exornari, nam alibi hæc ait: *Procedit de janua laureata, & lucernata, ut de novo conſiſtorio publicarum libidinum.*

Officia Imperatori triumphanti ſolita Chriſtiani præſtare denegant.

Hinc orta in illos perſecutio.

Defendit eos Tertullianus, & arguit vana ac improba gentilium lætitiæ officia.

9 Quoniam verò Chriſtiani nonnulli haud facile ejuſmodi contineri poterant diſciplina, idem Tertullianus iiſdem hæc exprobrans, ait: *At luceant*, inquit, *opera veſtra. At nunc luceant tabernæ & januæ noſtræ: plures jam invenies ethnicorum fores ſine lucernis, & laureis, quam Chriſtianorum.* Quamobrem prudenter ac conſulto quidem, ut Baronius infert, introductum poſtea videtur, ut quæ erant gentilitiæ ſuperſtitionis officia, eadem veræ religionis cultu ſanctificata in Dei Optimi Maximi honorem impenderentur. Sed ut pauca interim de feſtivis lucernis inſeramus, & primum quidem obiter, tanquam certum ex hiſtoriis, tum ſacris tum profanis ſupponendum eſt, luminaria olim ob lætitiæ ſignum incendi conſueviſſe: ut autem reliqua taceamus, cum Romæ natalitius Herodis Agrippæ dies celebraretur à Judæis, qui ibi degebat, quam multa luminaria inſtruebantur, uti poëta ſcriptis hac ſuper re carminibus fidem facit, ſed Baronium ſupra in annalibus hæc deſcribentem conſuluiſſe ſatis ſit.

Multa gentilitiæ ſuperſtitionis officia in veram Dei religionem traducta.

Lumina accenſa lætitiæ ac feſtivitatis ſymbolum.

Dies natalitius Herodis luminaribus à Judæis Romæ agitur.

10 Si verò à profanis ad ſacra digredi velimus. In monte Oliveti in Aſcenſionis dominicæ loco multa quidem annuo recurrente ſolemnitatis die divinitus peragebantur, ut Beda luculenter enarrat: ſed ob myſterii tanti memoriam, ut dictum eſt, mons ille luminaribus tota nocte undique Chriſtianorum manu accenſis coruſcabat, ad præmonſtrandam videlicet devotionis lætitiam, qua erga divinum hoc myſterium afficiebantur: ex quibus conſtat legentibus, luminaria à Chriſtianis accenſa lætitiæ ac feſtivitatis ſymbolum extitiſſe. Quod item in martyrum funeribus præſtitum videmus, quippe in Clementis Ancyrani martyris invicti funere Sophia ob lætitiæ ſignum lucernarum accendit multitudinem: ac ſi pii homines martyrum eorumdem non funera, immo triumphos luminibus in feſtivi ſymbolum gaudii proſequerentur, ſed ut exemplis res comprobetur.

Mons Oliveti die Dominicæ Aſcenſioni ſacro luminibus quotannis exornatur.

Surius to. 1. Ian. 23.

11 De præſtantiſſimo inter martyres Petro Alexan-

xequiæ etri Episc. lex cum almis ac . ereis instar iumphi elebrantur

lexandrino Episcopo narratur, quod cum sub Diocletiani persecutione martyrio coronatus fuisset, fideles undique ad suprema Christianæ pietatis obsequia martyri persolvenda confluxere, & cum sacerdotalibus eumdem vestibus, ornamentisque induissent, sublatum humeris in pompæ triumphalis modum victrices præ manibus palmas habentes, ardentesque cereos, in Cœmeterium, quod ab eodem exstructum fuerat, humandum deduxere. at de eodem plura infra. Ex quibus plane vides, lector optime, quo sumptu, & quam magnifice sanctorum funera, immo triumphales eisdem pompæ post agones & certamina celebrarentur.

arcelli- ium Pa- im Mar- llus à etro A- olt. in mnis ad- onitus agna ompa oelit. b.de Rom. ns. etat. inter era ipsius prian. Cypriani nus cereis censis iam ef- etur. .Orig. 10.

12 Pari quoque honore excepti fuere post consummatum pro fide martyrium beati Marcellinus Papa, & socii martyres sub Diocletiano Imperatore. Marcellus enim tunc presbyter Apostoli Petri voce è Cælo in somnis admonitus, presbyteris, diaconis, hymnis ac luminibus adhibitis eumdem perhonorifice tumulavit. Quo pariter ritu antea sub Valeriani persecutione dignus Christi martyr Cyprianus Carthaginensis (ut ejus passionis acta testantur) *cum cereis, & scholaribus*, hoc est, diversarum classium, atque scholarum clericis, qui hymnos procul dubio sacros, psalmosque de more canerent, deductus est (etsi nonnulli hic cum Isidoro quoad vocem illam *scholaribus*, legendum putent *scholacibus*, hoc est, *facibus*) *in area Candidi cujusdam procuratoris cum magno triumpho sepultus est.* Idem plane in celebri Macrinæ sanctissimæ sororis suæ funere servatum fuisse Gregorius Nyssenus docet, qui rem omnem exacte lectori ob oculos proponens ait: *Confluentem populum in genera describens, mulierumque multitudinem admiscens virginum choro, virorum autem turbam ascribens monachorum cætui, unum quemdam ex utrisque studuit aptum continuumque tanquam in psalmos canentium congressu, ex communi omnium concentu apte conjunctum ordinem instituere, &c.* Ipse porro unà cum alio Episcopo, & duobus è clero insignibus viris feretrum subiit; & infra ipsammet funeralem pompam his verbis describit: *Ex utraque parte præcedebat non exiguus diaconorum, ministrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes, accensos cereos manibus gestabant: eaque pompa non carebat mysterio, cum à principio ad finem usque decantatio psalmorum eadem voce, triplicique canentium ordine, sicut ille trium puerorum cantus absolveretur.* Hæc Nyssenus, ad funerales, quos hactenus vidimus, antiquorum seculorum ritus comprobandos testis utique locupletissimus.

mpa fu- ralis Ma- næ Soro- S.Gre- r.Nyssen. Gre. l. ff. de cr. obit.

equia- n Paulæ manæ ebritas oris psal- tium, facibus agitur. r. ep. 27.

13 At nobilitate quidem conspicua, spectatæque illa probitatis matrona Paula cum extremum vitæ diem clausisset, ejusque cadaver de more efferendum esset, *translata est*, inquit Hieronymus, qui ejusdem laudes luculenta oratione celebravit, *Episcoporum manibus, & cervicem ferctro subjicientibus, cum alii Pontifices lampadas, cereosque præferrent, alii choros psallentium ducerent.* Psalmos item in solemnibus ejusdem exequiis Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermone in ordine personasse refert, *atque utrimque*, ut ait, *quasi ignei amnes continentibus facibus, tractu continuo, perpetuoque fluentes, quoad oculi longissime perspicere possent, porrigebantur.* Hæc Hieronymus. Idem quoque ex panegyri, quæ Constantinopoli habita est in funere Pulcheriæ virgunculæ Theodosii Magni Imperatoris filiæ comprobatur: hæc enim ibi ad instituti propositum de-

panegyri ita in ere Pul- riæ Aug. lem. fo- nitate

scribuntur: *Lumen ignis multum, & copiosum ex transverso utrimque continentibus cereis, lampadibus prætendebatur: & magnus David suos hymnos, & laudum decantationes lamentationibus accommodavit, ac pro hilari choro, sumpto invicem tristi, ac lugubri, cantilenis ad lamentationes invitavit.* Idem quoque in funere Constantii Imperatoris præstitum fuisse Nazianzenus enarrat: *Celebri*, inquit, *pompa deducitur, religiosisque his etiam nostris officiis, hoc est, nocturnis cantionibus ac cereorum ignibus, quibus nos Christiani pium è vita discessum ornandum existimavimus.* His autem verbis ad id allusisse videtur, quod nimirum Constantius Cæsar pœnitens è vita decesserit.

Funus Pulcheriæ Augustæ effertur. Naz. orat. in Iulia- num. Item funus Constantii Imp.

14 Ritus verò, quos pie admodum, ac religiose defunctis Ecclesia persolvere consuevit, eam antiqua ex institutione sanctitatem redolent, ut si quando illos necessitate ad opus urgente intermittere contigit, eorum vicem ipsimet angeli supplere visi, atque auditi sint. Nam ut in gestis admirandi Simeonis legitur, qui propter Christum Salus, id est, stultus appellari voluit, quæ quidem gesta à Leontio Episcopo Cyprio descripta fuere; nec non, ut in Græcorum Menologio videre est, ubi de eo fusius agitur; cum defunctus conspicuæ sanctitatis vir à duobus infimæ fortunæ hominibus jam ad peregrinorum sepulchrum deferretur: *Sine ulla*, inquit, *funebri cura, illotus, & absque psalmodia, sine cereis, sine thuris suffumigationibus* (quibus verbis ritus servandi in Christianorum exequiis satis adumbrantur) *tunc potissimum auditos esse angelorum choros cum divina psalmorum harmonia funus comitari.* Hic verò quamplura omni quidem veritatis robore comprobata reticemus exempla, quibus sanctorum virorum plerumque animas cantu, ac cælesti psalmodia, divinisque luminibus ad paradisi gaudia delatas fuisse sacræ historiarum Ecclesiasticarum paginæ testantur. Celebre autem est, quod in præclaro Medandi Noviomensis Episcopi funere contigit: *Ubi enim vir sanctissimus decessit, Cæli apertissunt, & divina luminaria per duarum fere horarum spatium ante sancti apparuere præsentiam, de tenebris eum transitoriis ad lucem designantia pro certo transisse perpetuam.* Quod plane in obitu recolendi jugiter Benedicti abbatis innumerabilium monachorum patris accidit: *nam ejusdem anima pallio ornata pratiosissimo fulgentibus circum lampadibus in Cælum ascendere visa est.*

Ritus Christianorum funerales ab hominibus intermissos Angeli peragunt. Apud Metaph. & Sur. 1. Iul. Menologium Græcorum. S. Simeonis funus Angeli psallentes comitantur. Auctor ejus vitæ apud Sur. 5. Iun. In S. Medandi funere luminaria de Cælo affulgent. In vita S. Bened. Abb.

15 Simeon verò ille cognomento Stylites maximum terrarum orbis miraculum, ubi in Domino obdormisset, à columna, super qua tot immotus perstiterat annos, ductus est *ab Episcopis*, ut Antonius ejusdem discipulus scribit, *cum psalmis & hymnis Antiochiam: tunc verò omnes è civitate eidem obviam prodeuntes cum psalmis & hymnis, & cum multis lampadibus portaverunt corpus ad Ecclesiam.* Daniele item demortuo, qui sanctissimi hujusce viri sectator extitit (& qui pariter nobili meritorum præconio Stylites dici meruit) funeri ejusdem curando præpositi, ut gesta conscripta referunt, *steterunt ex utraque parte homines, qui faces ferrent, & lampades tenerent in manibus, & ea canerent, quæ cani solent in decessu.*

Exequiæ Simeonis Stylitis. Vit. Simeon. Styl. c. 19 & 20. Ex ejus vita apud Sur. 11. Dec.

16 Ne verò hi laudabiles sacræ antiquitatis ritus in funeribus fidelium umquam intermitterentur, Justinianus Imperator Novella Constitutione de exequiis defunctorum sancivit, *non minus, quam octo Asceteria, sive canonicas, quæ psallerent, & tres* Acoly-

Justiniani Imp. Constitutio de ritu psalmorum ac facum in exequiis servando.

Justinianus Imp. Novell. 59.

Acolythos, qui cereos deferrent, cujusvis funeri interesse debere; relicta ditioribus potestate majorem canentium, ac faces deferentium numerum advocandi. Porro Justiniani Imperatoris animum, qui adeo pietati addictus extitit in his, quæ ad defunctorum obsequium spectant, & in eorumdem funeribus instruendis, haud irremuneratum voluit Deus: quippe qui nobili funeris pompa ipsemet à populis suum post obitum efferri, ac celebrari meruit, ut Corippus carminibus hisce eleganter descripsit.

Hinc ipse nobili pompa funebri mortuus efferri meruit.

Corippus car. lib. 3.

—— tota populus processit ab aula,
Mœstaque funereas accendunt agmina ceras,
Omnis in exequias sexus convenit, & ætas,
Hinc Levitarum mirabilis ordo canentum,
Virgineus sonat inde chorus, vox æthera pulsat.

Christiani piorum virorum funera summo studio cohonestare certabant.

17 Si quis interim probe nosse cupit, qua populi frequentia, viri pietate insignes humandi efferrentur, recolat, quæ Gregorius Nazianzenus Orat. de Basilii laudibus luculenter enarrat, dum in ejusdem funere ait, *plena fuisse fora, porticus, duplicia, & triplicia tabulata, hominum deducentium, præeuntium, prosequentium, assectantium, multa millia hominum omnis generis, & ætatis.* Haud absimile autem est, quod in Paulæ epitaphio, accidisse in ejusdem obitu Hieronymus describit, cum totam ad ejus funus Palæstinarum regionum turbam convenisse refert, *ut sacrilegium putaret, qui non tali fœminæ ultimum reddidisset officium.* Idem plane in Fabiolæ epitaphio enarrat, cujus obitus fama pervulgata totius Urbis Romæ populus ad ejusdem exequias conglobatus est: *Non sic*, inquit, *Furium de Gallis, non Papyrium de Samnitibus, non Scipionem de Numantia, non Pompejum de Ponti gentibus triumphasse? adfuisse præcedentium turmas, & catervatim in exequiis ejus multitudinem confluentem.* Idem fere in obitu Doctoris eximii Joannis Chrysostomi obtigit, ad quem subinde venerandum, licet in exilio multis affectus incommodis è vita decessisset, *tot catervatim convenisse* Palladius refert, *ut putarent plurimi eos ex condicto illuc advenisse.* Idem etiam de sancto Martino Sulpitius narrat; in funeris videlicet ejusdem obsequium credi vix posse, quanta hominum multitudo convenerit: *totam civitatem obviam corpori ruisse: cunctos ex agris, atque vicis, multosque ex vicinis etiam urbibus affuisse, monachorum etiam ad duo millia convenisse.*

Naz. orat. 20. de Basilii laudibus. S. Basilii funus quanta populi frequentia celebratum? *Hier. ep. 27.* Item Paulæ Romanæ. *Hieronym. ep. 30.* Et Fabiolæ. Ad exequias S. Chrysostomi maxima hominum multitudo convenit. *Pallad. in dial. de Io. Chrys.* Item ad exequias S. Martini. *Sev. ep. 3.*

Viri principes corpora defunctorum suis humeris efferunt.

18 Quo verò honoris cultu Christiani olim sanctorum funera prosequi contenderent, vel ex eo maxime comprobatur, quod cum ipsis Reges ac Principes hominum sanctitate conspicuorum cadavera suismet humeris ad sepulturam deferre gloriosum opus ducerent, & ejusmodi fungi ministerio felicitati suæ adscriberent. Quapropter Theodoricus, & Clotharius augustissimi Francorum Reges, magni Clodovæi filii, quorum alter Theodorici abbatis sanctissimi feretro; alter verò Medandi celeberrimi Episcopi corpori, dum efferretur, humeros ultro supposuere. Idem Romæ præstitere Alexii cadaveri, dum ad sepulchrum deferretur, post longum, quod in paterna domo incognitus duxerat exilium, ipsemet summus Pontifex & Romanorum Imperator, ut ex ejusdem actis recitatur. Quod quidem, & jam olim ipsos apud gentiles usu pariter receptum fuisse, præ cæteris, quæ in medium possunt afferri, exempla, id sane nos docent funera Numæ Regis, cujus funebrem lectum Senatores subierunt: Pauli item Æmilii, qui Macedoniam subegerat, feretro selecti Macedoniæ principes, qui tunc Romæ aderant, sponte sua terga subjecerunt. Dictatoris autem Syllæ cadaver in humeros sublatum Senatores ipsi extulerunt. Porro funebrem ipsius Julii Cæsaris Romanorum Imperatoris lectum, magistratus, & qui præcipuis erant honoribus functi, detulere. Ipsius quoque Octaviani Augusti cadaver senatorum humeris elatum est: ac præ cæteris, & quidem insigni prodigio, Quintus ille Metellus quatuor filiorum humeris, unius Prætoris, trium Consularium, duorum triumphalium, unius Censoris, quæ singula paucis contigere, rogo est illatus.

Fortunatus in vita S. Medand. Flodoardus 1. hist. Remens. 24. Vd. Cerdon. Æneid. 6. versf. 202. Plut. in Numa. Val. Max. l. 2. Appian. l. 1. de bell. Civil. Suet. a. 100. Plin. l. 7. c. 44. Val. Max. l. 7. cap. 1.

19 Christiani igitur piorum olim virorum manibus tumulo inferebantur: at Martyres, quorum in Ecclesia amplior extitit semper gloria, à præcipuis selectisque ad id opus ministris, qui ecclesiastici erant ordinis, & quorum peculiare hoc officio sæ pietatis studium erat, sepultura donabantur, ipsique met, ut supra jam diximus, Pontifices Maximi hujuscemodi ministerium propria manu Martyribus Christi exhibere condignum religionis opus, ac munus præ omnibus sibi optatissimum arbitrabantur. A Christianis quoque inter cæteras funeralium pompas adhiberi odores ac thymiamata consuevere, de quibus suo loco agemus: sed hæc interim præmisisse satis sit; nunc ad alia properandum.

Martyrum sepulturæ dare operam nobilissimi quique honori sibi ducunt.

CAP. XX.

Christiani vigilias in funeribus defunctorum peragunt.

1 PErantiquus ac recolendus sacrarum vigiliarum usus, & laudabilis consuetudo, quæ in Ecclesia diu viguit, non modo sanctorum Patrum auctoritate, ut Baronius ait, verum etiam scriptorum gentilium testimonio comprobatur. Nam præ cæteris Plinius Iunior ad Trajanum Imp. scribens de inolito apud Christianos more vigilias celebrandi satis explicite meminit, dum culpæ hoc eisdem adscriptum fuisse disertis verbis asserit: *Affirmabant autem*, inquit, *hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem.* Idem plane Lucianus testatur, qui, utpote Christianis infensissimus, eos, eorumque ritus insectandi haud ullam, quæ se offerret, occasionem prætermittens, hunc in modum de vigiliis loquentes inducit: *Ad hymnos tota nocte decantandos vigilantes talia somniamus.* hæc Lucianus; cui & Ammianus Marcellinus de nocturnis agens vigiliis egregie consonat, cujus quidem verba hic in medium afferre præstat: *In statione*, inquit, *in primis tenebris observata custodum absentia, qui die festo Christiani ritus in Ecclesia pernoctabant.* hæc ille.

Baron. Annal. to. 1. an. 51. n. 71. Auctorum gentilium de Christianorum pervigiliis testimonia. *Plin. l. 1. ep. 97. Lucian. in Philon. Ammian. l. 28. in fin.*

2 Absit verò, ut S. Ambrosius, quod nonnulli perperam asserunt, sacras vigilias S. Monicæ suasu abrogarit; quinimo sub illa tempora pius earumdem usus magis magisque frequentari consuevit. *Hoc autem*, inquit Baronius, *quid magis à veritate alienum potest excogitari; cum eo tempore quo S. Monica fuit Mediolani, occasione persecutionis Arrianorum, ibidem vigiliæ vigilantius, sanctius, purius, ac propensiori studio quàm unquam antea fuerint celebratæ? Nam præter longiores excubias, frequentiorem cœtum, conciones ad populum, sanctus Ambrosius addidit* vigiliis

An S. Ambrosius sacras vigilias abrogaverit? *Baron. in Not. ad Mart. Rom. 5. Ian.* Immo ab Ambrosio majori quam umquam alias studio celebratæ sunt.

S. Aug. l. 9. Conf. c. 7.

vigiliis sacros hymnos. Præsto illis erat una cum cæteris S. Monica; & in eis (ut S. Augustinus scribit lib. 9. confess. cap. 7.) primas partes tenebat. Quam solerti studio Mediolanensis Ecclesia sacras vigilias ageret, accedat auctoritas ipsius sancti Ambrosii, qui in sermone de festo Pentecostes commendans exactam vigiliarum observationem ait: Iejunavimus sabbato, vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes instituimus. Hæc, inquam, Baronius in suis ad Martyrologium notis, ubi de vigiliis plura erudite interserit, ad quem lectorem remittimus.

S. Ambr. ser. in psal. 109.

Vigiliæ in martyrum funeribus peragi solitæ.

Tertull. de Corona militis. S. Cypr. ep. 34.

3 Has igitur Christiani vigilias, psalmos, hymnosque decantando, celebrare in Martyrum quoque natalitiis ac funeribus lætitiæ gratia consueverant: ut satis aperte Tertullianus, & sanctus Cyprianus fidem facere videntur; quippe cum pietatis studio addicti in unum convenientes, defunctorum funera pio vigiliarum officio prosequerentur; sacro quoque eodem ritu natalitios præsertim Martyrum dies concelebrabant, quod & innumeris exemplis ex antiquitate petitis manifeste convincitur: sed hic brevitatis gratia pauca tantummodo in medium proferamus.

In funere S. Laurentii tribus nobilibus vigiliæ celebratæ.

Sur. tom. 4. 10. Aug.

4 Ut autem ab ipsa Romanæ Ecclesiæ, quæ cæterarum jure merito principatum obtinet, & fidei caput est, probatissima consuetudine dicendi nobis exordium pateat, dignissimi quidem Martyris Laurentii corpus post adeptam martyrii coronam, hac funebri pompa, hoc honore à Christianis depositum est, ut in ejusdem apud Surium actis, his plane verbis recensetur: *Itaque B. Iustinus presbyter, & Hippolytus plorantes, & multum tristes tulerunt corpus ejus, venientesque in prædium viduæ Cyriacæ, via Tyburtina, cum sacrum corpus abluissent, usque in vesperam illic deposuerunt. Hora autem vespertina sepelierunt illud in crypta in eodem Cyriacæ prædio in agro Verano, jejunantesque celebrarunt vigilias noctis triduo cum multa Christianorum frequentia, &c.* Et quidem in Martyrologio Romano summis concelebrantur laudibus Martyres Proculus, Ephebus, & Apollonius; *qui cum ad corpus sancti Valentini vigilias agerent, jussu Leontii Consularis comprehensi gladio cæsi sunt.* Vigiliarum enim consuetudo apud Christianos usu recepta, eisden ad optatam martyrii palmam viam fecit. Idem quoque beatissimis Christi Martyribus Primo, & Feliciano à Christianis exhibitum est, qui nobile sub Diocletiano Imperatore martyrium consummarunt: *Sacra enim horum corpora cum perhonorifice juxta arenarium Christiani posuissent*, ut eorumdem exhibent acta, *in hymnis, & psalmis per dies triginta, ac noctes perdurarunt.* Quibus verbis consuetus vigiliarum usus luce clarius prænotari videtur.

S. Proculus a vigiliis comprehensus martyrio afficitur. Mart. Rom. 14. Febr.

In exequiis Primi, & Feliciani vigilia diebus viginti celebratæ.

5 Eodem sacro cultu ac pietatis obsequio delata fuere corpora sanctorum Felicitatis, & filiorum martyrum; de quibus in M. S. Cod. Later. & S. Cæciliæ isthæc: *Deinde collecta Christianorum phalanx per opaca noctis venere ad locum, quo sancti martyres, sanctorumque pignorum corpora inventa jacebant; tacite Domino psalmodiæ concinentes, ex humo sanctorum membra levaverunt, imponentesque feretro, silenti cursu relictum callem repedaverunt. Postquam verò ad locum venere, ubi terrore fugato, illis dignas exequias celebrare possent, mirificis aromatibus beatorum corpora condierunt, pretiosissimis tegminibus involventes, in psalmis & hymnis palam Domino gratias referentes, honorifice humaverunt.*

S. Codd. Lat. & Cæc. Felicitas & filiorum funera eodem studio curantur.

6 Et demum, cæteris interim omissis, de funere ac sepultura Petri martyris Alexandrini, qui Maximino iterum persecutionem contra Christi Ecclesiam excitante, anno Christi trecentesimo decimo, nobili martyrio coronatus est: hæc in ejus apud Anastasium actis à Baronio relatis: *Sed mirum dictu, abscisso capite in terram delapso, reliqua pars corporis innixa genibus erecta, firma immobilisque permansit, donec rem gestam tandem, qui in carcere agebant excubias, Christiani audientes, accurrerent, qui & sacro pignori circumfusi, prehensare sacrum caput, & veneranda martyris membra amplecti, exosculari, colligere guttas sanguinis, aliaque digna tanto martyri exhibentes pietatis obsequia, de tumulando corpore honorificentissimo funere consilia inierunt.* Et hæc paulo inferius: *Sicque indutum sanctum Episcopum vestibus sacerdotalibus albi coloris, colobio, & omophorio, naviculæ impositum, venerunt versus locum, ubi erat martyrum Cœmeterium, confluentibus undique Christianis, satagentibusque singulis suprema pietatis officia cumulate persolvere. Eundem sic indutum sacerdotalibus vestibus, perinde ac viventem in sede sancti Marci collocant, indeque sublatum humeris venerandum corpus gestantes, triumphali pompa procedunt, habentes in manu victrices palmas, ardentesque cereos, thuribulaque odoribus incensi fumantia, sacrosque victoriæ hymnos concinentes, ad locum pervenerunt, ubi Cœmeterium à se constructum erat; ibique eum ex more delibutum unguentis sepulturæ mandarunt, &c.*

Truncum S. Petri Alex. cadaver genibus innixum ad accursum fidelium permanet.

Baron. Annal. to. 3. an. 310.

Præclara pietatis obsequia à Christianis illi præstita.

Acta Petri mart. Alexand.

Pompa triumphali cunctis certatim obsequentibus sepulturæ mandatur.

7 Qui plane antiquus Ecclesiæ mos, sacra beatorum martyrum, aliorumque virorum sanctitate præstantium funera vigiliis prosequendi, eorumdemque condigno pietatis obsequio memoriam recolendi, multis quidem, ut jam enarratum est, sacrorum actuum monumentis commendatur; sed id præcipue ex his, quæ de Medando Noviomensi Episcopo à Fortunato descripta sunt, comprobari videtur; ait enim: *Corpore sancto composito, & delato ad Ecclesiam, nocte illa exequialem cum multa devotione celebraverunt vigiliam: mane verò facto, cum Episcopi, quibus interesse contigerat, suum defuncto celebrassent officium; perventum est tandem ad sepulturam; Episcopi cum Abbatibus, peractis prius quæ Dei erant, sanctissimum illud corpus terræ decentissime commendant.* Idem prorsus de B. Gallo Episcopo à Gregorio Turonensi exponitur: *Delatus in Ecclesiam, donec comprovinciales ad eum sepeliendum convenirent. Iacuit ibi per triduum, assiduo instante psallentis cum magna frequentia populi.* Vides igitur vigilias in beati ejusdem viri funere à populo solemni ritu celebratas.

Constans in exequiis vigiliarum apud Christianos mos.

Sur. 5. Jun. In funere S. Medandi vigilia exequialis peragitur.

Exequiæ B. Galli per triduum populo in psalmis pernoctante celebratæ.

8 His itidem consonant, quæ Gregorius Nyssenus in sanctissimæ Macrinæ suæ sororis obitu contigisse narrat: ait enim, antequam sepulchro inferretur ejus cadaver, per totam noctem à cunctis productam fuisse psalmodiam: *Factum est*, inquit, *ut virginum cantu lamentationibus commixto resonaret locus.* Et infra subdit, *perfectam esse nocturnam pervigilationem canendis psalmis, ut in Martyrum celebritate.* Hæc Gregorius dum sacrarum vigiliarum obsequium, quod martyribus impendi consuevit, commemorat. Idem certe præstitum fuisse videre est in Pachomii abbatis Sabennensis funere, qui Ægyptum, ac Thebaidem Constantini Augusti temporibus præclara vitæ sanctimonia illustravit: ut in ejusdem enim actis habetur: *Eo defuncto, ejus venerabile corpusculum discipuli ejus, sicut decebat pro more curantes, totam noctem super illum duxere pervigilem, psalmos, hymnosque canentes: sequenti verò die sepelierunt eum.*

Macrynæ Nyssenæ funus nocturno pervigilio, hymnisque celebratur. Apud Sur. die 10. Aug.

S. Pachomium discipuli tota nocte psallentes sepeliunt. In vit. Patr. lib. 1.

B Fulgentii funus eodem vigiliarum officio peragitur. *Sur. 1. Ian.*

9 Pio quoque vigiliarum officio B. Fulgentii Episcopi funus peractum est, ut enim ejusdem discipulus in ejus actis accurate describit: *Ipsomet die obitus, sanctum ejus corpus sepeliri minime potuit, sed in oratorio monasterii tota nocte illa in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus vigilare monachos simul & clericos invitavit.* Quo item celebri honoris cultu funebria Paulæ Romanæ matronæ sanctissimæ apud Bethleem defunctæ persoluta fuisse constat, ubi per tres dies jugiter sacros Deo hymnos ac psalmos decantatos fuisse Hieronymus scribit. Sed ipsum interim hæc enarrantem audiamus: *Translata Episcoporum manibus in media Ecclesia speluncæ Salvatoris est posita.* Et infra: *Hebræo, Græco, & Latino sermone psalmi in ordine personabant, non solum triduo, donec subter Ecclesiam, & juxta specum Domini conderetur, sed per omnem hebdomadam, &c.* Ex quibus totos tres dies psalmis Deo jugiter canendis consumptos fuisse affirmat, haud tamen credere par est, vigilias, ut mos tunc erat, in celebri fœminæ dignissimæ funere fuisse à fidelibus prætermissos.

In exequiis Paulæ Rom. psalmi trifario sermone per hebdomadam cantati. *Hier. ep. 27. in Epitaph. Paulæ.*

Omnes SS. Patres Ecclesiasticas vigilias approbant.

10 Porro haud sanctorum quispiam sacras vigilias, ut nonnulli perperam affirmarunt, nisi unus ille noctifer Vigilantius inter hæreticos perditissimus impugnare palam ausus est. Non itaque Ambrosius, non Augustinus, nec quivis alius orthodoxorum his temporibus vigilias nocturnas ecclesiasticas abrogavit, vel minuit: sed impurissimus ille hæreticorum Vigilantius, vigilias sui nominis hostis impugnavit, atque eum in modum minuere conatus est, ut non nisi semel in anno, in Paschali solemnitate peragendas esse altius delirando jactaret: reliquas verò omnes, publicæ honestatis obtentu, ne tenebrarum occasionem captantibus, via ad delinquendum aperiri videretur, abolendas esse contenderet. In quem ita invehitur Hieronymus: *Error autem, & culpa juvenum, vilissimarumque mulierum, qui per noctem sæpius deprehenditur, non est religiosis hominibus imputandus: quia & in vigiliis paschæ tale quid fieri plerumque convincitur, & tamen paucorum culpa non præjudicat religioni, qui & absque vigiliis possunt errare, vel in suis, vel in alienis domibus. Apostolorum fidem Iudæ proditio non destruxit.* Quibus verbis impii hominis petulantiam egregie suggillat. Sed perfidus idem Vigilantius non solum recolendos piarum vigiliarum ritus, atque usum maxime detestabatur, verum etiam luminaria beatis martyribus accendi, iniquo prorsus animo ferebat; quippe quæ detestandum idololatriæ errorem sapere ac superstitionem redolere affirmaret: impurissimus enim homo ab immundo spiritu in furorem actus hac ratione martyrum splendorem obnubere, ac de medio gloriam tollere, debitum eis venerationis cultum denegando, conabatur. Contra quem acriter deinde idem insurrexit Hieronymus, ista verborum in eumdem jacula contorquens: *In tumulis sanctorum*, inquit, *cereos clara luce non accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lucem, ne cæci tecum dormiamus in tenebris.* Alludens nimirum ad laudabilem Christianarum vigiliarum usum, quæ in martyrum honorem passim celebrabantur.

Vigilantius hæresiarcha eas non nisi semel in anno peragendas esse delirat. *Bar. to. 5. an. 406. n. 48.* Idque futili honestatis prætextu. Hieronymus illum arguit ac ejus rationes diluit.

Idem Vigilantius lumina martyribus accendi inique patitur.

Hieronym. pium luminum usum contra illum tuetur. *Hieron. contra Vigilantium.*

Quis ac qualis lucernarum modus à sanctis Patribus reprehensus?

11 Si verò Augustinus, & alii quandoque ejusmodi lucernas damnant, atque reprehendunt; id proculdubio intelligendum est de his præcipue, qui id superstitiose ac gentilium more ad martyrum sepulchra peragebant: ipsi enim arbitrabantur hujuscemodi luminibus ipsosmet martyres densas inter tenebras illustrari. Qua potissimum de causa Elibertina quoque Synodus prohibuit, ne cerei accenderentur, ritu videlicet ac more gentilium, qui putabant defunctorum corpora aliquid levamenti ex impertita luce sentire, & ipsis in tenebris ac sepulchris conclusa illuminari. Hieronymus verò haud morem eorum improbat, qui ad sepulchra martyrum luminaria religionis gratia accendebant, sed significare tantummodo voluisse visus est, hanc utique consuetudinem tunc improbandum fore, si eo animi consilio accendantur, quod quis perperam martyrum spiritus illuminari existimet; quippe id faciens, zelum quidem, at non secundum scientiam habere comprobatur, cum beatissimi Christi martyres haud solis, aut lucernarum lumine indigeant. Verum in sacris martyrum Cœmeteriis, quo Christiani ad celebrandas de more vigilias coire jugiter consueverant, frequens admodum olim lampadum, ac lucernarum usus viguit, ut infra dicemus, ad noctis nimirum tenebras, quibus præpediebantur, effugandas.

Azor. instit. moral. to. 1. l. 9. 4. 3.

Erroneus nonnullorum mos accedendi lumina ad sepulchra, isque vetitus.

12 Neque verò omnino negandum est, Gentiles quoque ad suorum sepulchra, quippe qui eisdem defunctorum umbras sub terra noctis caligine illuminari, iisque tanquam opportuno levamento indigere crederent, lucernas ac faces non solum in inferiis, & parentalibus accendere, verum etiam lumen jugiter in eisdem fovere solitos fuisse, nimirum præter lucernas illas, quas intra monumenta unà cum corporibus sepulchro includere mos erat: in quibusvis enim sepulchris, quæ interdum aperiri contigit, lucernas ejuscemodi repertas fuisse experimento satis claro comprobatum est. Haud tamen laudatissimus iste mos submovendus à Christianis videbatur, luminaria scilicet honoris gratia martyrum sepulchris accendendi, eo quod gentiles pariter, etsi variis superstitionum laqueis irretiti, id peragebant. Christiani enim veræ, illibatæque fidei lumine imbuti, in Dei honorem, & in ipsius fidei obsequium, ac testimonium, qua defuncti, dum adhuc inter vivos degerent, maxime præfulsere, & qua contra tartareas legiones valide obmuniti religiose decesserant, necnon ad immortalis spem vitæ mortalium animis ingerendam, fovendamque jugiter, luminaria potissimum adhibebant. Quo plane argumento Hieronymus (quem supra citavimus) in Vigilantium, aut in Dormitantium potius, ut alio eundem nomine compellat, suo acriter stylo invehitur: *Quicumque*, ait, *accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: Unusquisque in suo sensu abundet. Idololatras appellas hujusmodi homines? non diffiteor, omnes nos, qui in Christo credimus, de idololatriæ errore venisse: non enim nascimur, sed renascimur Christiani: & quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne similí cum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est, hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est.* Hucusque Hieronymus validissimis perfidiam, insanamque hæretici hominis petulantiam verborum jaculis acute configens, & sanctorum martyrum cultum, ut in Ecclesia hucusque illibatus perseverat, cereis, ac lampadibus ad extinguendam idololatriam incensis velut claris patentibusque trophæis illustrans, atque stabiliens.

Superstitio gentilium lucernas ardentes cum corporibus sepelientium.

Ovid. l. 2. fast. Suet in Octa. cap. 98. Herod. l. 2. cap. 230. L. Mænia 44. de man. testam. Dio. lib. 67. in conviv. Laru. Domit. Petr. in Sat. Gruth. l. 2. cap. 32. Lascar de rep. Rom. lib. 3 c. 18.

Rite ac sapienter nunc Christiani peragunt, ea quæ alias ethnici stulte factitabant.

S. Hieronym. contra Vigilan.

Nullus ideo ritus aspernandus, quod gentiles eodem prius usi sint.

13 Quoniam verò Christiani, cum ad celebrandas,

Quinam psalmi in pervigiliis martyrum cantari soliti.

das, ut jam vidimus, Martyrum vigilias de more convenirent, sedulam psalmodiæ operam dare consueverant; hic primum nosse operæ pretium nobis est, qui potissimum fuerint hi psalmi, atque hymni, quos in consuetis sanctorum pervigiliis, atque exequiis plebs Christiana hilari, ac festiva modulatione depromeret: quod sane Prudentius aperte docet in hymno, quem ipse concinne, ac erudite in Romani Martyris laudem in suo Peristephano scripsit: ubi Martyris ejusdem matrem canentem inducit psalmum 115. cui initium est: *Credidi, &c.* tunc potissimum temporis, cum filio, quem unice ipsa diligebat, caput carnifex obtruncaret: hæc verò sunt ipsius Prudentii carmina:

Mater Romani in ejus martyrio præsens canit psalmum 115.

Prudentius in Peristeph. in laudem S. Rom. Mart.

Deinde dum ferit cerviculam
Percussor ense, docta mulier psallere
Hymnum canebat carminis Davidici,
Pretiosa sancti mors ab aspectu Dei.

S. Augustinus in funere Monicæ cantat psal. 100.

August. l. 9. Conf. c. 12.

Quid plura hic nobis repetere opus est? Nonne D. Augustinus Monicæ sanctissimæ matris suæ funus spectandum ob oculos exhibens, se una cum aliis sacros decantasse psalmos fatetur & præcipue psalmum centesimum: *Psalterium*, inquit, *arripuit Evodius, & cantare cœpit psalmum, cui respondebamus omnis domus: Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine.* Verum apud rei historicæ, & sacræ præsertim, peritos, notum pervulgatumque est, quod in præclarissimi Sabæ apud Surium gestis legitur, auditos nimirum fuisse angelos in obitu Anthymi solitarii cujusdam senis, versiculum illum ex psalmo 41. canentes: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, & in voce exultationis, & confessionis sonus eorum, qui festum celebrant.*

...ur. to. 6. ...Dec.

...ngeli in ...bitu Anthymi canentes versiculum ps. 41.

14 Porro in pervetustis sacrorum Ritualium paginis præcipui quidam inscribuntur psalmi, & orationes, quæ in ejusmodi vigiliis à Christiano populo devote præcinebantur, & ipsamet apud D. Gregorium in libro Sacramentorum recensentur, ubi eas lector, qui sacræ antiquitati vacat, si libuerit, recognoscere potest. Illud autem reticere haud possimus, quod Romanorum Pontificum, & universalis Ecclesiæ Pastorum, quippe qui semper forma facti sunt virtutum gregi, insignem eorumdem pietatem redolet, ac singularem eisdem apud populos cultum observantiæ conciliat. Sanctissimi enim Pontifices ad has vigilias, quæ noctu à fidelibus celebrabantur; cæteris omnibus, quæ tunc agenda occurrerent, ex condicto posthabitis, frequentissime conveniebant. Etenim in conscriptis perspicuarum virginum, & martyrum Praxedis, & Pudentianæ, quæ apud Mombritium habentur, actis, & in M.S. Codicibus Vatic. & Vallic. Pium Pontificem sanctissimum una cum fidelibus quamplurimis, Pudentis Senatoris dignissimi, optimeque de tota Dei Ecclesia meriti venerando funeri interfuisse his verbis legimus: *In confessione sanctorum emisit spiritum Pudens. Quod audientes Christiani, una cum sancto Pio Episcopo undique confluxerunt, & exequias juxta traditionē ecclesiasticam in hymnis, & canticis celebrantes, dicatis Deo virginibus astiterunt, &c.*

Antiqui ...tuum ...odices ...salmos ...vigiliis ...anendos ...æscri...unt. ...reg. in ...bro Sacra...entor. ...Summi ...ontifices ...igiliis ...octurnis ...equentes ...treunt.

...udentis ...enatoris ...xequiis ...ius Pont. ...tereft.

...act. SS. ...rax. & ...ud. apud ...omb. t. 2. ...M. S. ...odd. Vat. ...Vall.

15 Beatus item Melchiades Pontifex, dum Romanam regeret Ecclesiam, solemnibus Timothei martyris exequiis una cum Silvestro, tunc presbytero, interfuit, qui postea ad Apostolatus apicem evectus est: quod in M.S. Cod. Vallicell. hunc in modum exprimitur: *Quem* (Timotheum nempe) *sanctus Silvester caute, & diligenter colligens, ad suum hospitium attulit; ibique sanctum Melchiadem Episcopum vocans, & cum eo per totam noctem in Dei laudibus permanens, ejus martyrium dedicavit, &c.* Demum Stephanus eximiæ sanctitatis Pontifex, dum Symphoriani; & Olympii condigno à Christianis honore funeralia peragerentur, una cum clericis interfuisse, ex M. S. Codicibus Vatic. & Vallic. describitur, ubi hæc, quæ sequuntur: *Eadem namque nocte adveniens sanctus Stephanus Papa cum clericis, & religiosis viris, hymnis ex more redditis, corpora abstulerunt.* Observatione interim digna sunt verba illa, *Ex more*, & illa itidem, quæ supra attulimus, dum de præclaris Prudentis senatoris exequiis ageremus, *Iuxta traditionem ecclesiasticam*; hæc quippe verba, etsi paucis syllabis constent, gravi tamen sententiarum pondere obfirmata, perantiquum hunc usu receptum ab Ecclesia morem satis evidenter legentibus digito quodammodo præmonstrant, eundemque laudabilem ritum, qui defunctis impendi consuevit, abunde, ut manifestum fit contemplantibus, protestantur. Sed de his hactenus.

...Timothei martyris funere Melchiades Papa in laudibus Dei pernoctat. ...S. Cod. ...all.

Symphoriani, & Olympii, funeralibus S. Stephanus Papa intervenit. *M. S. Codd. Vat. & Vall.*

CAP. XXI.

Alii exponuntur ritus, quibus Christianorum cadavera curabantur.

1 Ritus, qui curandis defunctorum corporibus ab antiquissimis præsertim temporibus in usu apud Judæos erant, à studioso antiquitatum indagatore Baronio in suis Annalibus, his plane verbis recensentur: *Addimus, quæ Rabbi Iacob memoriæ prodidit ex Rabbi Moyse Ægypti, nimirum viros virorum, & fœminas fœminarum curare consuevisse cadavera, in hunc scilicet modum: Oculos in primis, & ora claudere defuncto, ac stringere fascia, tondere capillos, corpus lavare, unguentis ungere, hisque delibutum cadaver obvolvere linteis, sicque curatum ponere in sepulchro.* Quæ fere omnia diligenti studio, atque observatione præstita fuisse in condendis defunctorum cadaveribus, martyrum præcipue, & ipsiusmet Christi Domini, qui martyrum omnium caput & corona est, mox palam demonstrabitur.

Bar. t. 1. ann. 34. n. 135.

Funerum apud Hebræos curandorum ritus.

Hi in funere Christi, ac martyrum fere servati.

2 Verum antequam ulterius progrediatur oratio, ne quis forte dubitandi scrupulus ad ea, quæ mox dicturi sumus, legenti obrepere queat, non imus inficias, ejusmodi pietatis obsequia, quæ defunctis ex more persolvebantur, & suprema item amoris ac benevolentiæ, ne dicam humanitatis officia, quæ lectori ob oculos subjicientur, hæc, inquam, Christianos cum gentilibus Græcis pariter, ac Latinis, tum etiam cum ipsismet Hebræis habuisse communia, & singula ab iisdem mutuatos quodammodo fuisse. Haud tamen hæc omnia temere à viris singulari sapientia excultis præstita fuisse quis dixerit, cum & multis quidem de causis ipsi ad id studiose promoverentur, & munera alioquin, quæ serio obibant, peragebantque, veluti rerum altissimarum sacramenta, humanæ plurimum rationi consentanea essent. Nam ut silentio prætereamus insitum unicuique à natura propensioris humanitatis sensum, affectumque haud modicum erga corpus, quod nobile ipsius animæ domicilium est, admirandumque superni artificis opus; quam quidem naturæ propensionem velut quid gentibus, quantumvis barbaris, animo ingenitam fateri omnes una voce compellimur: ne sacrorum item oraculorum testimonia, quibus res palam conficitur,

Ab Hebræis, & gentilibus ritus funebres Christiani quadamtenus mutuati sunt.

Illi naturæ ductu, & arcano mox mysterio eadem obsequia defunctis exhibent.

Corpus nobile animæ domicilium honore, ac amore dignum est.

citur, in medium proferamus, & ne insuper piissimorum hominum exempla sacris obsignata paginis singillatim hic describamus, eorum, inquam, qui excipiendis hominum cadaveribus obsequentem manum, operamque jugiter impendere non destiterunt.

Ritus è sacris fontibus ad gentiles dimanatos in suam originem Christiani restituunt.

3 Sane haud ullatenus improbanda, imo summis extollenda laudibus se nobis primo loco offert Apostolicorum virorum συγκατάβασις, qui instituta quæque ad pietatem spectantia, necnon ritus, qui ex sacris plerumque fontibus ad gentes usque profanas fluxere, tanquam aurum à luto secernentes, rationibusque in medium adductis, cuncta sapienter, ac congrue ad primævam originem, ac recolendum piæ observantiæ nitorem revocarunt: *quippe qui omnibus omnia facti, ut omnes Christo*, ut Apostolus ait, *lucrifacerent*, ex Hebræorum, gentiliumque promptuariis, quæ ad ritus pertinent, quamplura sibi retinenda, servandaque excerpsere: quædam verò non abroganda, sed iisdem ad tempus permittenda visa sunt, ne uno eodemque temporis momento cuncta simul dimovendo, ipsum quodammodo terrarum orbem una suis cum legibus, moribus, ac ritibus radicitus evellere viderentur. Sub ipsa quippe exorientis Ecclesiæ primordia hi, qui ex abortivo gentilium semine ad amplectendam Christi fidem convolabant, non secus ac plantæ, quæ ex inculto gentilitatis agro, vel certe è loco, ut ita dixerim, silvestri, dumisque obsito, ac sperandorum fructuum experte, in fertilem, excultumque Ecclesiæ sinum transferebantur, succum quemdam omnino insulsum, & qui palato haud arrideret, ex ipsa nativi soli, quam imbiberant, qualitate, primævo tanquam ex fonte traductum altius retinebant.

Conniventia Apostolorum, ac Pontificum tolerantium indifferentes gentium mores.

Multi in primitiva Ecclesia ex gentibus conversi, gentilissimum semper redolebant.

Irradicatos eorum ritus, ac mores haud violenter evellendos esse Ecclesia arbitratur.

4 Quamobrem beatissimi Apostoli, ac Maximi subinde Pontifices, qui Ecclesiam recte, sapienterque administrandam acceperant, quamplura, quæ illibatæ Christianorum fidei haudquaquam repugnarent, divino plane numine annuente, prima quidem facie dissimulanda duxere; optimum videlicet rati viri divina magis quam humana præditi sapientia tempori potissimum deferendum tunc esse, cum vel fides inter ipsa lactentis Ecclesiæ cunabula versaretur: suadebant quippe sibi haud ullam adversus gentilitios ritus vim, utpote qui mordicus à fidelibus retinebantur, adhibendam esse, neque ullatenus enitendum, ut quidquid profanos saperet mores omnino tolleretur; quinimmo quammaxima utendum lenitate, sacrarumque legum ex parte intermittendum imperium arbitrabantur, quousque homines à se ipsis admoniti ultro, libenterque, ac omnem veritatem à Spiritu sancto suggerente edocti, suavissimo Christi jugo colla submitterent, & hi præcipue, qui recenter ad Petram, & ad sinum Ecclesiæ ex gentilitate veniebant.

Gregorius Magnus Anglos recens conversos suos mores suaviter dedocet.

5 Quod sane magnus ille Romanos inter Pontifices Gregorius luculenter edocuit in ea, quam ad Mellitum scripsit, epistola, ubi de Anglis ad Christi fidem ex gentilitate traductis sermonem habens; pro quibus vir ille una cum Augustino strenue elaborabat, hæc ad nostri instituti propositum sapienter subinfert: *Nam duris mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse non dubium est: quia is qui locum summum ascendere nititur, necesse est, ut gradibus, vel passibus, non autem saltibus elevetur. Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit; sed tamen eis sacrificiorum usus, quos diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reservavit, ut eis in sacrificio suo animalia immolare præciperet, &c.*

D. Greg. ep. 71. lib. 2. Sacrificia idolis ab Israeliticis exhibita fieri sibi Dominus præcepit.

6 Quam item rationem validi instar ad propugnandum argumenti ipsemet D. Thomas insinuare videtur, cum de legis Moysaicæ sacrificiis sermonem instituens, ideo potissimum ait exhibitum fuisse à Deo præceptum, ut hæc sibi offerrentur, quod hujusmodi videlicet homines à sacrificiis idolorum retrahebantur: unde etiam *præcepta*, inquit, *de sacrificiis non fuerunt data populo Iudæorum, nisi postquam declinavit ad idololatriam, adorando vitulum conflatilem: quasi hujusmodi sacrificia sint instituta, ut populus ad sacrificandum promptus, hujusmodi sacrificia magis Deo, quam idolis offerret: unde dicitur Ieremiæ 7. Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum.* hæc concinne ad rem præsentem S. Thomas edisserit. Cum igitur sacrificiorum usum Judæis olim Deus permiserit, ut eosdem ab idololatria compesceret, in quam proclives erant; Christianis quoque nonnulla ex gentilitiis ritibus assumenda permittere Ecclesiæ visum est, ut eadem deinde in Christianæ fidei obsequium religioso donata cultu transferrentur.

D. Th. 1. 2. q. 102. ar. 3. in corpore.

Quando, & quare Deus Israeliticis præcepta de sacrificiis dederit.

Ecclesia exemplo divino nonnullos gentilium ritus fidelibus permittit.

7 Quæ potissima extitit causa, cur idem D. Gregorius Pontifex, sub ipsa Anglicanæ fidei primordia, à profanorum templorum demolitione, ut Regi paulo ante injunxerat, abstinendum, revocandumque edixerit; *quippe qui*, ut Baronius ait, *regem ipsorum Anglorum nuper ad Christum conversum epist. 60. lib. 9. indict. 4. monuit, ut idolorum templa everteret. Inde autem considerans infirmis adhuc in fide concedendum aliquid, scribens ad Mellitum. Episc. quem supra citavimus epist. 71. lib. 9. indict. 4. præcepit, ne idolorum templa destruerentur, sed juxta ritum sibi præscriptum expiarentur primum, indeque sanctorum illatis reliquiis sanctificarentur: quod & posteris deductum sit in exemplum. Si enim optassent Christiani idolorum templa in Ecclesiarum usum convertere, nullatenus mirifica illa templa Serapidis Alexandriæ, Marnæ Gazæ, Iovis Apameæ, Cælestis Carthaginis, & alia innumerabilia, quæ ob ingentem structuram visa sunt miracula mundi, solo æquassent.* hæc Baronius.

D. Gregorius Magnus Idolorum templa in usum Ecclesiarum converti jubet.

Celeberrima Idolorum templa Christianorum zelus præter scientiam evertit.

8 Id plane disertis verbis præ cæteris docuit S. Leo Papa, qui apud Catholicam Ecclesiam quamplura, quæ tum ex gentilium, tum ex Hebræorum fontibus excerpta sunt, haud temere retineri, sed diligenter custodiri pronunciat: *Quippe Christus Dominus ita veteris*, ut ipse ait, *Testamenti decreta distinxit, ut quædam ex eis, sicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant consuetudinis Iudaicæ, fierent observantiæ Christianæ: quamvis enim varietates hostiarum, differentiæ baptismatum, & otia sabbatorum cum ipsa carnis circumcisione cessaverint: manent tamen ex ipsis voluminibus etiam apud nos plurima præcepta moralia.* hæc S. Leo, cui & S. Augustinus cohærenter locutus fuisse videtur, dum quamplura ad Christianos itidem è gentilium manibus emanasse affirmat, quæ tamen haud ipsis rejicienda, atque imploranda fidelibus, sed libenti animo amplectenda sint: *Immo verò*, inquit ipse, *quisquis bonus, verusque Christianus est, Domini sui esse intelligit, ubicumque invenerit veritatem, quam confitens & agnoscens, etiam in litteris sacris superstitiosa figmenta repudiet, doleat-*

Multa ab Hebræis, ac Ethnicis usurpata Christiani retinent.

Leo ser. 7. jejunio septimi mensis.

Aug. lib. de doct. Christiana lib. 2. cap. 18. Veritas, si quæ apud ethnicos reperiatur,

gmentis jectis, mplecten-. est.

doleatque homines, atque caveat, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt.

9 Sed nec contentus Augustinus hæc enarrasse, Hebræorum exemplo, qui licet Ægyptiorum aversarentur idola, eorumdem tamen thesauros ex Ægypto profecturi secum detulere: pari quoque ratione quosdam sibi ritus ad pium vindicasse usum Dei Ecclesiam sanctissimus doctor affirmat: *Sicut enim Ægyptii*, inquit Augustinus, *non solum idola habebant, & onera gravia, quæ populus Israël detestaretur & fugeret, sed etiam vasa, atque ornamenta de auro & argento, & vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto sibi potius, tanquam ad usum meliorem clanculo vindicavit, non auctoritate propria, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter accommodantibus ea, quibus non bene utebantur: Sic doctrinæ omnes gentilium, non solum simulata, & superstitiosa figmenta, gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens debet abominari, atque devitare, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta utilissima continent; deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infusa est, eruerunt.* Et infra hæc subdit, quibus tanquam conspicuis sacram monimentis antiquitatem confirmat: *Vestem quoque illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit, in usum convertenda Christianum.*

ug. lib. . de doct. hristian. uidquid oni ha- nt ethni- s ab illis ebræo- m exem- o thesau- s repu- atis idolis portan- um, acci- endum t.

Aug. de ctr. hristian. 2. c. 18.

Idem ugust. loc.

10 Vides igitur, amice lector, quomodo antiqui ritus, quantumvis à gentilitate proveniant, minime tamen à Christianis sint reprobandi, immo potius salubriori consilio in religiosæ formam observantiæ transferendi. Congrue igitur Ecclesia Dei à Spiritu sancto edocta, quædam ex ipsis gentilium rivulis in religionis Christianæ usum pie derivata seligere ac retinere valuit. Retinendæ autem præ omnibus sacræ illæ observationes fuere, quæ à perantiquo gentilium cultu nostras ad manus quodammodo pervenerunt; nec quidquam ex his, aut nimia scrupulositate discutiendum, aut religionis obtentu innovandum est: nam ut optime Basilius asserit: *Si quis consuetudines, & instituta ecclesiastica, quæ traditione accepimus, conetur rejicere, totam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahet.*

Non nes ntilium us re- obandi nt.

uidquid tatem d ethni- s redo- at, uti- r reten- n. *sil. de r. 5. c. 27.*

11 Hinc igitur jure merito factum est, ut plerique superstitionis gentilitiæ ritus, uti jam diximus, qui tamen orthodoxæ religioni, illibatoque fidei candori nullatenus repugnarent, ab Apostolis primum, atque à venerandis subinde Ecclesiæ patribus recepti fuerint, quò in laudabiles ac pios usus magno Christianæ religionis incremento eosdem salubriter derivarent. Quibus profecto ritibus altissima quæque mysteria, profanis quibusvis erroribus penitus adversantia, prænunciabantur.

us gen- um fidei n adver- tes Apo- li ac Pa- s admi- e.

12 Nos igitur ritus hic singillatim exponere aggrediamur: & primo quidem antiquissimum præ cæteris ritum illum, & quasque apud gentes inviolabili consuetudine usurpatum, commendatumque præmittamus, quo nimirum oculos defunctis claudere mos est: & hoc quidem in componendis charissimorum corporibus à Christianis servatum fuisse, præ cæteris docet Dionys. Alexandr. epistola ad fratres, quam ex versione Ruffini Eusebius recitat; ubi de Alexandrinorum lue, ac de fidelium pietate in humandis decedentium corporibus verba faciens, ait: *Qui etiam Sanctorum corpora manibus erectis, supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris, cadavera decenter ornare, illis adhærescere, amice complecti, lavare accurate, & linteo funebri involvere non gravati sunt.* Hæc Dionysius in Christianorum laudem, qui tam impense defunctorum obsequio deserviebant: cui optime item consonat D. Chrysostomus, dum eadem Christianæ pietatis officia recensens, isthæc subtexit: *Exinde cum reddiderit puer animam, quemadmodum desiderant, jubent parentes officia adhibere, manus componunt, oculos claudunt, caput directe statuunt, pedes reducunt, lavant, sepulchro condigno dignis funeribus condunt, &c.*

s clau- di ocu- defun-

Dionys. Alex. apud Euseb. l. 7. c. 17.

Chrysost. hom. in Iob.

13 Certe oculos ipsis morientibus, proximiorum adstantium manu claudi olim consuevisse Scriptorum auctoritate comprobatur: utpote quibus haud amplius oculorum lumine ad res hujus seculi delibandas, neque ad commodum ipsius corporis usum pariter & oblectamentum opus erat. Nec quidem res vacua mysterio, nam ut passim loquuntur patres, hoc plane symbolo mystice præsignari videbatur, mortem nil aliud nisi somnum, vel somno imaginem quam simillimam esse. Nisi quis rem ad sua principia deducens, præstitum id potius asserat, quia natura ipsa rerum omnium magistra, quæ moribus humanis legem præscribit, cæremonialem hunc ritum, adstantium manibus injungendo dictabat: oculos enim unicuique post decessum antiqui claudebant, ad recte videlicet ipsummet defuncti corpus sub omnium oculis in feretro componendum, propulsandumque horrorem illum, qui ex apertis, patentibusque mortuorum oculis, quibus omnis cum vita ac lumine decor extinctus est, extemplo adstantium animis refunditur.

Cur oculi mortuis à proximioribus claudentur? *Plin. l. 11. c. 37.*

14 Apud gentiles autem, & Romanos præsertim, etsi defunctorum oculi obductis palpebris obnubebantur, cum tamen post mortem, quod tunc in more positum erat, comburendi ad pyram componerentur, iidem eorum manu, qui antea clauserant, Cælum versus recludebantur, utpute cælestium orbium regionem aspecturi, domicilium, nativamque animarum sedem, ad quam recto tramite dirigerentur. Quod ipsamet natura ultro suggerere, ac præmonere videtur: singulis enim mortalium tacito, occultoque ejusdem magisterio insitum est, ut ipsi morientes, vel morti jam proximi, eo se corporis situ componant, & terræ, quam deserunt, aspectum dedignantes, meliore rerum futurarum præsagio oculos in Cælum attollant. Cunctarum quippe gentium conspiratione ad hanc usque diem usus merito observandus invaluit, ut nationes quæque mortuos vultu in Cælum supino, orientalem ad plagam spectante sepeliant; ad quoquo modo protestandum, licet, quod agunt, ignorent, patentissimum resurrectionis mysterium; quod tam dilucide, atque oculate princeps ille Idumæus inter gentiles, Iob videlicet, expressit, cum dixit: *Scio quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum; quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Oculi quippe defunctorum terrenis hisce rebus, cælestium prospectui reservandi, clauduntur, ob insitam videlicet cunctorum animis resurrectionis spem, quam Iob ipsismet oculis à longe salutando vehe-

Apud Romanos ii qui clauserant oculos defunctis, eosdem in pyra recludebant.

Arist. Probl. sec. 4 q. 1.

Cur mortui supini & vultu ad orientem spectante sepeliantur?

Iob. 19.

Oculi rerum cælestium contemplationi reservandi huic mundo clauduntur.

Hieronym. ep. ad Pammach advers. error. Io. Ierosolym.

vehementius deperibat: *nam nullus*, ut Hieronymus ait, *tam aperte post Christum, quam iste ante Christum de resurrectione loquitur.*

Virgo Deipara Christo de cruce deposito oculos clausit.

15 Hunc autem ritum (oculos nimirum vita jam functis claudendi) in sacro itidem Christi Domini funere adhibitum fuisse, atque ab ipsamet Deipara Virgine Filio dulcissimo præstitum, id plane suadet, quod Brigittæ conspicuæ sanctitatis fœminæ, eadem Dei Genitrice rem exponente, ut ex libro revelationum ejusdem, hisce quidem verbis innotuisse fertur: *Sed jam quasi consolata sum, quod corpus ejus jam de cruce depositum contingere potui, & in sinum recipere, vulnera explorare, & extergere sanguinem: deinde os ejus digiti mei clauserunt, & oculos pariter composuit.* Id autem, quod jam enarravimus, haud temere & velut quid de trivio humanis ingestum auribus credendum, sed tanquam exhibitum è Cælo oraculum, & quid superna revelatione acceptum aspernandum neutiquam esse, ipsa alioqui pietas, quæ unicuique mortalium cordi inest, inculcare videtur: hoc quippe olim peculiare parentum munus erat, filiis videlicet jam defunctis obducere manu orbatos luce oculos. Quocirca Polynices ad matrem apud Euripidem in Phœniss. sic: *Iam claude mihi palpebras manu tua mater.* Et apud Virgilium graviter Euryali mater conqueritur, quod in amoris testimonium admotis manibus claudere filii oculos sibi concessum non fuerit, nempe:

Revel. S. Brig. l. 4. c. 70.

Parentum munus filiis extinctis oculos claudere.

Aeneid. 9.

—— Nec te tua funera mater
Produxi, pressique oculos, nec vulnera lavi.

Quod pietatis officium sibi, cum mors instaret, defuturum infelix Ariadna, quæ deserta in insula à Theseo miserandum in modum derelicta fuerat, interruptis hisce præ nimio dolore vocibus apud Ovidium lamentabunda deflet:

Ovid. ep. 10.

Ergo nec lacrymas matris moritura videbo,
Nec mea qui digitis lumina condat, erit.

Antiquissimus mortuis oculos occludendi mos.

16 Quod supremi quidem officium amoris antiquissimis temporibus usitatum fuisse Philo testatur, qui dum Jacobum plorantem, dolentemque inducit super acerbissimo nati fato, dilecti videlicet Joseph, quem jam à bestiis crudeliter abreptum, devoratumque fama nunciante crediderat, isthæc illi defuisse exaggerat: *Nam si tibi*, inquit, *sepulchrum contigisset in terra propria, nec mihi defuisset solatium: assedissem officiose ægrotanti ante mortem, impendissem morienti extrema oscula, clausissem oculos, mortuum lavissem lacrymis, extulissem magnifice, nihilque de justis funebribus omisissem.* Vides igitur, ut impensum defunctis obsequium ipsa parentum, vel amicorum manu, cum hi debitum benevolentiæ munus natura suggerente obierint; jure quidem merito concepti levamen doloris, & opportunum mœrentis animi solatium nuncupetur.

Philo in lib. de Ioseph.

Oscula mortuis dare apud antiquos solemne erat.

Quoniam vero hic quoque de osculis Philo meminit, hæc utique à propinquis, & charissimis in amoris ac doloris signum ipsis aut morientibus, vel certe jam mortuis infigi consuevisse, exemplis quamplurimis cum sacris tum profanis comprobatur, ut ex illis præsertim Virgilianis carminibus videre est, quibus id aperte exprimitur:

Gen. 5. Philo lib. de Ioseph. D. on. de Hier. Eccl. c. 7. Senec. de brev. vit. Suet. in Octav. c 99. Auson. in Parent. ep. 23. Aeneid. lib. 4.

—— Extremus si quis super halitus errat,
Ore legam ——

Quibus æque consonant, quæ Ovidius cecinit:

—— Excipias
Hanc animam ore pio.

Sed consuetudinem hanc omnium elegantissime explicat Ambrosius his plane verbis: *Nihil mihi profuit ultimum hausisse anhelitum, nisi flatus meos inspirassem morienti.* His addere quamplura licet ex antiquitatis fonte petita, ad quæ studiosum ultro lectorem amandamus.

17 Capillorum vero præcisio (quæ in funeribus passim obvenire consuevit) in præmemorato Christi Domini funere nequaquam adhibita est; quippe qui tanquam læsæ majestatis, & omnium criminum reus omni prorsus humanitate posthabita, nullaque admissa commiseratione, ad crucis patibulum à Pilato damnatus fuerat. In ejusmodi enim interemptorum funeribus ipsa vi legum haud capillos Judæi resecare consueverant, ut eruditissime loco jam citato Baronius adnotat numero 136. hæc dicens: *Cæterum quod spectat ad sepulturam damnatorum, quod maledictioni legis obnoxii essent, abstinebant pollinctores à capillorum incisione.* Sed de his hactenus.

Damnatis non incidebantur post mortem capilli juxta morem funebrem.

Baron. to. 1. an. 34. n. 136.

CAP. XXII.

Defunctorum corpora abluuntur, antequam sepulchro inferantur.

1 EOrum corpora, qui jam è vita decesserant, antequam ab omnium conspectu sublata monumentis inferrentur, pio utique obsequendi more, vel sui, vel amici lavare consueverant. Quod quidem ipsos apud gentiles in usu fuisse docuere præ cæteris Kirchmannus de Romanorum funere, Gutherus, Onuphrius, & nonnulli alii. Et quidem apud Sophoclem Electra Agamemnonis filia, dum Orestem fratrem, quem peregre extinctum putabat, amarissimis lacrymis deflet, illud præcipue dolet, & immane conqueritur, quod fratris cadaver sibi, ut sororis amor exigere videbatur, propriis abluere manibus non licuerit, ait igitur:

Antiquissimus apud omnes gentes abluendorum cadaverum mos

Kirchman. de fun. Rom. l. 1. c. 3. Guther. de Iure man. Onuphr. de Cæmet. Homer. Iliad. 6. & Od. de corp. Patrocl. & Achill. Eurip. in Phœnis. de Polynic. Plato in Phædon. de Socr. Aelian. 4. Var. 1. Enn. de Tarquin. Virg. Aeneid. 6. de Misen. Apul. lib. 8. Metamorph. Sophocl.

Nunc exul in peregrina terra male
Periisti procul à tua sorore; neque ego
Misera te charis manibus lavi, neque in
Ignem juxta morem levavi miserum cadaver.

2 Hujus vero ablutionis rationem, risu quidem, ut verum fatear, dignissimam scriptores afferunt, nimirum, ut Celsus, Plinius, & Servius in illud Æneidos: *Pars calidos latices, &c.* affirmant, quod plerumque vitalis spiritus, qui viventi inerat, & à cadaveribus putabatur exclusus, hic tamen calidarum aspersione aquarum veluti apto quodam fomento, quod nativo calori congruat, ad pristinum paulatim redeundo temperamentum, consopitus excitetur. Idipsum Brodæus in 2. epigrammate relato in Theatro vitæ humanæ asserit, hæc dicens: *Mortui calida aqua abluuntur, & per intervalla proprio nomine conclamantur, quod solet plerumque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere.* Si vero (ut subdit præmemoratus auctor) postquam alta voce conclamatum esset, ne tum quidem vitalis calor sese proderet, nec ad proprii nominis nuncupationem expergisceretur, qui defunctus putabatur, tunc de eo conclamatum dicebant, & inde proverbium vulgo obtinuit, ut hi, quos certo jam experimento mortuos esse constabat, conclamati dicerentur. Potuit & alia interim apud gentiles ad id præstandum ratio subesse, ut nimirum unctioni aromatum, quæ mox subsecutura erat, corpora eo aptiora evaderent, quo mundiora adhibito aquarum lavacro ante existerent.

Ridicula gentiles moti ratione abluunt cadavera. Celsus. Plin. l. 17. c. 52. Serv. Aen. 6. Theat. vit. hum. vol. 2. pag. 563.

Conclamati olim, qui dicerentur, & quando?

3 Nostri

tica ... stiani ... i ratio- ... ivant ... ncto- ... cor- ... i.

3 Nostri vero, qui isthæc haud sine peculiari mysterio sanctissimis inducti rationibus præstabant, dum corpora defunctorum abluerent, nil aliud ejuscemodi obsequiorum ritu præsignare volebant, quam ipsorum animis, saluberrimo Pœnitentiæ lavacro, ab omni prorsus criminum labe expiatis, futurum tandem aliquando, ut corpora quoque ad diem novissimum rediviva in æternæ felicitatis consortium, condignam receptura laborum mercedem assumerentur. Quod in hanc fere sententiam, ut à nobis enarratum est, à Durando in Rationali divin. offic. his verbis confirmatur: *Deinde corpus, nisi vivens noviter inunctus fuerit, debet lavari, ad significandum, quod si anima per confessionem à culpa mundata sit, utrumque (scilicet anima, & corpus) æternam glorificationem, & claritatem in die Iudicii consequetur, quodque illi juxta sententiam ipsius Ioannis Euangelistæ, vocemque è cælo auditam, vere in Domino moriuntur, qui mortui seculo nequam, ac sibimet ipsis, nullam secum exeuntes è corpore maculam deferunt, sed in hoc mundo per Pœnitentiæ baptismum sordes omnes, si quæ inerant, deposuerunt.*

...rand. in ...on. div. ...l. 7. c. de ... de- ...st. ...orpus ...n anima ...Cælo ...nifican- ...n ablu- ...ne signi- ...itur.

4 Certe de lotione antiquo jam usu cadaveribus defunctorum impertiri consueta disertissimus inter scriptores Philo in libello, quem in Josephi laudem edidit, luculenter meminit, ubi isthæc de filio Jacob, ut dolori suo faceret satis, lamentabundus pronuntiat: *Mortuum lavissem lacrymis, extulissem magnifice, &c.* Quod vero apud Christianæ fidei cultores id quoque à primævis usque temporibus usitatum foret, antiquissimus inter scriptores Tertullianus testatur, quippe qui morem hunc aliquando jocans his plane verbis tetigisse visus est: *Rigere & pallere post lavacrum mortuus possum.* Quem pariter ritum in defunctorum funeribus servandum S. Gregorius magnus in suo Sacramentario præscribit, ubi post preces, psalmosque recitari in cujusvis obitu consuetos, hæc subdit: *Postea lavetur, & ponatur in feretrum.* Et ut alibi ipsemet sanctissimus Pontifex scribit: *Theophanis Centumcellensis comitis defuncti corpus ex more ad lavandum est detectum.* Et sacrum Tartillæ ejusdem Gregorii amitæ corpus, ut ipse ait, *ex more mortuorum ad lavandum est nudatum. Et pauperculæ cujusdam fœminæ vir defunctus* (eodem Gregorio teste) *ex more lotus, vestimentis indutus, & sabano constrictus est ad sepeliendum.* Apud Gregorium vero Turonensem *Theodobertus filius Chilperici Regis bello cæsus ablutus, ac dignis vestibus indutus sepulchro traditus legitur.* Quæ omnia perantiquum usum legentibus satis aperte comprabant.

ob Pa- ...rcha ...onis ...cium ...epho se ...ftare ...i posse ...let. ...le libello ...oseph. ...tull. ...ol. & 42. ...irego- ...Ma- ...s cor- ...a mor- ...rum ...ienda ...scribit. ...reg. in ...ramen- ...io. ...reg. ...36. ...Euang. ...l. 17. ...reg ...38. ...4. dial. ...reg. ...dial. 17.

5 Sacratissimum quoque Salvatoris nostri jam defuncti corpus aqua lotum fuisse Chrysostomus hisce verbis affirmat: *Cum autem tempore urgerentur (nona enim hora mortuus erat) & dum peterent eum à Pilato, & lavarent, jam vesper adventaret, &c.* Quam quidem Chrysostomi auctoritatem pro se Durandus, quem hactenus memoravimus, affert Tractatu, quem scripsit de exequiis, & sepulturis, sic autem inquit: *Ex Chrysostomi homilia 84. in Ioannem, constat morem eum jam observatum ante mille ducentos annos, immo jam ætate Christi, dum ibi asseverat Christi corpus à Iosepho & Nicodemo lotum. Quod licet Euangelium non exprimat, ex hoc ita sentit, quoniam credit eos nihil omisisse eorum, quæ præstare potuerunt ad honorificam ejus sepulturam. Norat eum morem tunc observatum, nihilque obstitisse, cur minus lavarent: ideo censendi sunt id non omisisse, & ita lavisse.* Hæc concinne ad instituti nostri propositum Durandus.

...cro- ...ctum ...mini ...us ...itur. ...rys. ...64. ...ard. ...de ... & ...lt. ...rys. ...84.

6 Metaphrastes insuper apud Surium de dormitione Deiparæ cap. 35. suismet lacrymis à Deipara sacratissimum Filii corpus jam exanime irrigatum, ac lotum fuisse testatur, dicens: *Mortuum itaque videns Filium, eo motu animi usa est, ut oportuit. Quin etiam in eo à cruce deponendo maternis manibus inservivit, & clavos, qui extrahebantur, suo sinu accepit, & membra ipsius amplexata est, partim quidem ulnis stringens, partim autem suis quoque lacrymis plagas emundans: deinde etiam tota corpori circumfusa, ecce tibi ab omni seculo præfinitum mysterium ad finem usque venit, ò Domine, placida voce dicit; & Iosepho in manu tradens sindonem: Tibi autem, inquit, deinceps erit curæ, ut in hac eum honeste componas, myrrhaque condias, & ei justa facias.* Porro has pretiosas, ac mundas, quin immo omni lavacro, ac cælis ipsis mundiores ex abluto Christi corpore sordes collectas à Balduino Hierosolymorum Rege ad suos Flandros è Palæstina per Abbatem sancti Bertini transmissas fuisse Lorinus tradit.

Metaph. t. 4. 15. Aug. apud Sur. Virgo Deipara suis lacrymis Christi Filii corpus lavat. Lotionem corporis Christi Balduinus Rex in Flandriam mittit. *Lorin in Comm. Act. 9.*

7 Nil autem sacrorum Euangelistarum silentium his, quæ à nobis hactenus de abluto Christi Domini corpore enarrata sunt, obstare videtur. Id enim ex hoc potissimum convincitur, quod præ cæteris Joannes affirmat, in Redemptore videlicet sepeliendo Judæorum consuetudinem servatam fuisse: quæ talis profecto tunc temporis erat, ut probe nosse unusquisque potest ex ipsomet Euangelici scriptoris textu: nam cap. 19. sic ait: *Et ligaverunt illud* (corpus scilicet) *cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Quem Judæorum morem una cum nonnullis aliis funeralibus ritibus Rabbi Jacob à nobis supra citatus in Thurim explicans, Jora Degha ex Rabbi Moyse Ægyptio ait *viros virorum, fœminas fœminarum curam habere consuevisse*; atque in primis oculos defuncto claudere, corpus lavare, & cætera exhibere pietatis obsequia, quæ ibidem recenset. Ex quibus hæc plane consuetudo comprobari videtur. Ad eumdem plane morem, qui & apud gentiles viguit, Sidonius Apollinaris allusisse videtur, dum ait *Gothos post quandam in Gallia acceptam cladem, interemptorum corpora tam præcipites, festinantesque terra obruisse, ut nec ossa tumultuarii cespitis mole tumularent: quibus nec elutis*, inquit, *nec vestitis sepulchra tribuebant, juste sic mortuis talia justa solventes.* hæc dignissimus scriptor, antiquitati pro cadaverum lotione subscribens.

Judæorum consuetudo in sepeliendo Domino servata fuit. *Io. c. 19.* *Apud Baron. an 34.* Viri virorum & fœminæ fœminarum cadavera lavant. Mos lavandi mortuos apud gentiles etiam viguit. *Sidon. to. 3. ep. 3.*

8 Tandem laudabilem ritum hunc in usu primævos apud Christianos quoque positum fuisse, eo potissimum tempore, qui vivebant Apostoli, ex eorumdem actis asserere necesse est. Lucas enim Euangelista, qui sacram gestorum Apostolicorum texuit historiam, de Tabita à mortuis excitata hæc habet: *Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur, quam cum lavissent, posuerunt eam in cænaculo, &c.*

Apud Christianos ipsis Apostolorum temporibus idem in usu erat. *Act. 9.*

9 Verum cum hæc Severanus noster, qui Italico primum sermone Subterraneam in lucem edidit Romam, altius secum mente pervolveret, opportune quidem contigit, ut dum investigandi desiderio permotus de antiquissimis ritibus, qui ex historiarum fontibus passim hauriuntur, ipse ut piæ curiositati satisfaceret, hac præsertim super re cum Reverendiss. Fortunato Scaccho Apostolici Sacrarii Præfecto ageret, viro utique disertissimo, & in iis,

Jo. Severano cum Fortunato Schacco de lavacro Salvatori post mortem impenso sermo.

iis, quæ ad rem Ecclesiasticæ literaturæ pertinent, apprime versato; cujus quidem eximiam eruditionem Opera ab eo hactenus in lucem edita legentibus aperte demonstrant. Dum Severanus igitur cum tanto viro ageret, sibi ipsi summopere inter loquendum rem ex voto provenisse gavisus est; quippe qui addiscendi gratia ipsum interrogando requirens, num Christo Domino jam extincto lavarum, ut cæteris defunctis de more accidit, impensum fuisset, assertæ utique mox vir ille sententiæ subscripsit, ejusdemque prorsus argumenti luculentam à se tractationem adornatam jam fuisse significavit, quam viro amicitiæ vinculo sibi devincto, & de hujusmodi re percontanti legendam ultro libenterque obtulit: ubi doctissimus vir propositæ ad rem nostram quæstioni satisfaciens, libro quinto, cap. 24. ex ipsismet Christi Domini vulneribus in sacra sindone, quæ Augustæ Taurinorum religioso cultu asservatur, impressis, nostræ utique sententiæ propositum apte, ac cohærenter hunc in modum confirmat: *In sacra*, inquit, *sindone non modo totius corporis Christi vestigia, verum & vulnera singula, sive maxima, sive minima impressa, & ad amussim distincta, atque delineata conspiciuntur. At si sanguis, qui super cute coagulatus, corticem procul dubio induxerat, ablutus minime fuisset, glutinum utique ejusdem sanguinis, non vulnerum vestigia manifesta apparuissent. Affirmandum est igitur sacratissimum Christi corpus de cruce depositum, aqua & fortasse calida ablutum fuisse, qua concretus sanguis in toto corpore, & in vulnerum oris colliquefieri, & spongia exceptus, eadem expressa asservari potuit.* hæc ille. Quæ quidem hoc potissimum loco opportune inserenda nobis visa sunt, ad præmuniendam videlicet, exornandamque assertionem hanc tanti viri auctoritate, qui tum ibi, tum in sequenti capitulo de spongiis, ac de Christi sanguine in vitreis ampullis apud celebres quasque terrarum orbis Ecclesias fidelium venerationi exposito, satis luculenter suo ex more disputat.

Ex vulnerum vestigiis sindoni impressis Domini corpus ablutum fuisse probatur.

Fortun. Schac. l. 5. c. 24.

10 Nec quis vero obsequium istud abluendi corpora, martyribus tantum præstitum fuisse arbitretur; nam viros subinde, qui sanctitate spectabiles extiterunt, & quos Ecclesia Dei confessores nuncupare consuevit, eodem prorsus à fidelibus honore exceptos, & antequam tumulo inferrentur, lota pariter sacra eorumdem corpora fuisse innumeris potest exemplis convinci, quæ eorumdem passim in actis describuntur, & hic consulto veluti notissima omittenda nobis visa sunt, tum quia ad ulteriora jam sacrorum Cœmeteriorum adyta properamus, tum etiam, ne multa simul coacervando, tædio lectori simus. Causam vero, ob quam beatorum martyrum corpora abluerentur, præter receptum, quem diximus, communemque usum, hanc item peculiarem fuisse existimamus: quia nimirum invicti pugiles Christi ex ærumnosi certaminis agone, vel potius ex arena martyriorum, in qua palam cum hoste, & cum inferno conflixerant, haud sudore dumtaxat, sed sanguine madidi, sordibusque ac pulvere non ad ignominiam, verum ad gloriam deturpati sacra intra Cœmeteria inferendi à fidelibus asportabantur, utpote à carnificibus miserandum in modum, quod vel ipse horret animus dicere, dilaniati, discerpti à bestiis, uncis, ungulisque ferreis tracti, & in cloacas, ac sordida quæque loca, sævientium manu ad contumeliam projecti, ita ut iisdem plerumque haud ullum hominis post mortem vestigium superesset, ex quo à reliquis dignosci cadaveribus possent; cum totidem linguis, quot vulneribus, barbaram tyrannorum, & fidei hostium crudelitatem obtestarentur.

Haud martyrum tantum, & confessorum cadavera lavantur.

Cur martyrum præcipue corpora abluerentur.

11 Porro Christianos consuevisse sacra martyrum vulnera pietatis ergo officiose deosculari, Baronius in suis ad Martyrologium notis affirmat, ubi apud Cæsaream in Palæstina Juliani Cappadocis martyrium describitur, *qui exosculans necatorum Martyrum corpora, ut Christianus delatus, & ad præsidem ductus, lento igne jussus est comburi.* Hæc ex Martyrologio Romano. Idem quoque antiquus Christianorum mos ex Prudentio palam deducitur, qui carminibus hisce rem expressit:

Martyrol. 17. Ianuar.

Christiani martyrum vulnera deosculantur.

Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis.

Prud. in Perist. hym. de S. Vinc.

Et in fine loquens de ferreo lectulo, in quo nobili martyrio B. Vincentius coronatus est:

Per quam trementes properi
Exosculamur lectulum.

Admovit & ipse Constantinus Magnus Imperator, ut Baronius ait, venerabundus labia sanctorum confessorum, vel potius martyrum cicatricibus, quod item Theodoretus asserit.

Theod. hist. l. 1. c. 11.

12 Illud autem à nobis prætereundum non est, aquam nempe post peractam pio hujuscemodi ritu ablutionem, ex sanctorum meritis virtutem plerumque & curationum divinitus gratiam hausisse. Quod utique de lotione corporis sancti Cuthberti apud Bedam in ejusdem gestis, his plane verbis enarratur: *Tunc ecce quidam de presbyteris edoctus spiritu per opitulationem B. Patris Cuthberti illum posse sanari; venit clanculum ad locum, ubi noverat effusam fuisse aquam, qua corpus ejus defunctum fuerat lotum, tollensque modicam humi particulam, immisit in ore ejus, quo horribiliter hiante, voces diras, & flebiles emittebat, statim autem ut attigit aquam, continuit clamorem, clausit os, & oculos, qui sanguinei, & furibundi patebant, caput & corpus totum reclinavit in requiem.* Idem pariter de aqua legitur, qua beatæ Edwigis corpus celeberrimæ in Regno Poloniæ ducissæ ablutum de more fuit: isthæc enim apud Surium recitantur: *Mox accedens ad pelvim, cunctis absentibus aqua loti ejus corporis, quæ illic relicta fuerat, os, collum & guttur suum abluit, & confestim curata est.*

Lotio cadaverum vivis corporibus salutifera.

Beda vit. L. Cuthb. c. 41. to. 3.

Aqua abluti corporis Cuthberti infessum à cacodæmone liberat.

Sur. to. 5. 15. Oct.

13 Idem fere de Amatore Episcopo perhibetur, cujus venerandum corpus miraculorum vim, ac salubritatis donum aquis divinitus impertiit, ut idem refert Surius in vita sancti Germani Antissiodorensis his verbis: *Tunc languidus exorat, ut vel aquis paululum frui mereretur, quibus perfusum fuerat illius sanctissimum corpus. Hoc comperiens Reverendissimus Germanus tunc presbyter, admirans fidem illorum, jussit ex eadem aqua paralytici membra perfundi: mox autem, ut devoluti corporis lympha, ægroti est membris allata, protinus languor omnis discessit.* Quamplurima item ad id comprobandum suppeditari possent è sacris repetita antiquitatum promptuariis exempla, sed in lectoris gratiam hæc pauca in medium attulisse sufficiat.

Aquis, quibus Amatoris corpus lotum fuerat, paralyticus curatur.

Sur. to. 4. 13. Iul.

CAP. XXIII.

Cadavera unguentis, & Aromatibus condiuntur.

1 ID quoque olim in more apud Christianos positum fuit, ut defunctorum corpora pretiosis quibusque aromatibus condita, unguentisque uberri-

uberrime delibuta tumulo tandem, ritu ab Hebræis, gentilibusque mutuato, demandarentur. Id Baronius in suis ad Romanum Martyrologium notis expressit, dum ait: *In sepeliendis sanctorum Martyrum corporibus, & condiendis eis aromatibus effusæ erant impensæ Christianorum, ac auctor est Tertullianus in Apolog. Ex Iudæis ea traditio manavit ad Christianos: sic enim mos erat Iudæis mortuos sepelire, Io.* 19. Hæc ad rei propositum, de qua nunc sermo instituitur, præmittenda nobis visa sunt ex Baronio. Cur autem à Judæis potius, quam à gentilibus mos iste suos condiendi mortuos ad Christianorum manus devenerit, vel ex eo confici videtur, quod gentiles, Græci præsertim ac Romani, etsi defunctorum corpora comburerent, rogis tamen unguenta, & odores acervatim injiciebant, & selecta itidem è flammis ossa vino ac lacte perfusa, ubi postmodum siccata fuissent, aromatibus, odoribusque permixta sepulchrali in urna reponebant. Non paucis autem mos iste exemplis ex antiquitate petitis posteritati commendatur. Sed præcipue ex Virgilianis carminibus, ubi illud de Misseno canitur:

Baron. in not. ad mart. die 4. Aug.

Gentilium ossa mortuorum unguentis ac odoribus condiendi mos.

Hom. Iliad. 6. Lucian. de luctu. Stobæ ser. 120. Plut. in Sylla. Valer. l. 5. c. 1. Virg. Aen. 6. & 9. Plin. jun. 5. ep. 16. Plin. Senior. l. 12. c. 18. & l. 13. c. 1. Pers. Sat. 3. & 6. Stat. Syl. l. 2. Mart. 3. epig. 12. l. 1. epig. 55. Iuv. Sat. 4. Proper. 4. eleg. 7. Tib. 3. eleg. 2. Apul. Apol. 1. & 4. Flor. mater. L. fun. sumptus 37. D. de relig. Vlpian. l. & ideo 7. §. 3. de in item. vers. & C. Aeneid. 6. Apul. l. 4. Florid. Perg. fut 6. Ovid. p. 10.

——— *congesta cremantur*
Thurea dona dapes, fuso crateres olivo.

Ex Apuleio item antiqua hæc consuetudo satis exprimitur: *Iam miseri*, inquit, *illius membra omnia aromatis perspersa: jam os ipsius unguine, & odore delibutum.* Ad quæ pariter Persius allusisse videtur, dum de hærede offenso ait:

——— *sed cœnam funeris hæres*
Negliget iratus, quod rem curaveris, urnæ
Ossa inodora dabit.

Certe consuetæ hujus unctionis se cariturum obsequio, dum procul à patriis laribus deserta in insula à Theseo derelicta infelix instare sibi fatum Ariadna præsentiret, vehementer aliquando apud Ovidium indoluit:

Spiritus infelix peregrinas ibit in auras,
Nec positos artus unget amica manus.

2 Quam quidem consuetudinem acute perstringens Lactantius ait: *Pari ratione illos defunctorum corpora odoribus, ac pretiosis vestibus illita, & convoluta humi condidisse, qua Deos honorarent.* hæc utique Lactantius, dum profusam gentilium suos erga defunctos liberalitatem aculeatis verbis perstringit, quæ jure optimo illa subinde duodecim Tabularum lege apud Romanos coerceri meruit, his videlicet notis ad perpetuum temperantis eorumdem animi monimentum concepta: *Uti servilis unctura, omnisque circumpotatio tollatur.* Solebant quippe olim mortuorum corpora liberaliter odoribus, unguentisque perungi: quamobrem id lex in sepeliendis servorum corporibus fieri prohibuit: neque enim lex, quam hactenus recitavimus, vetat, quo minus liberi homines (uti consuetum erat) post mortem ungantur: nam in L. funeris ff. de religiosis & sumptibus funerum, ii sumptus probantur, qui unguento pro mortui corpore comparato facti sunt. Lege quoque ex iisdem duodecim tabulis excerpta vetitum olim est, *ne sumptuosi nimirum respersio fieret, neque myrrhata potio mortuo inderetur.* Mos quippe apud veteres extitit, ut cadaver, rogusque pretiosis quibusdam liquoribus perfunderetur, quod lex omnino interdixit. Myrrhata autem potio, seu myrrhina, potio quædam fuisse putatur miro artis studio confecta, & magno comparanda sumptu.

Lactantius gentilium in condiendis mortuis prodigalitatem irridet. Lact. l. 2. 4. Leges 12. Tab. eamdem coercent.

Azor. Inst. mor. 6 c. 63.

leg. 12. Tab. leg. 8.

Cor. instit. ral. loc. eit.

3 Illud autem tantummodo inter quasque gentium nationes, quæ ejusmodi ritu gaudebant, discrimen ponitur, quod Ægyptii exenterato corpore, & cerebro per nares extracto, condimenta intrinsecus reponebant. Judæi vero unguenta ex aromatibus confecta cadaveri extrinsecus infundebant. Quod quidem sacræ obtestantur Paginæ, & historiales præsertim Regum libri, in quibus hæc de Asa Regis funere narrantur: *Et sepelierunt eum in sepulchro suo, quod fecerat sibi in civitate David: posueruntque eum super lectum suum plenum aromatibus, & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimia.* Ex quibus item verbis locus ille Paralipomenon explicari commode potest, ubi hæc de Joram Rege habentur: *Mortuus est in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundum morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus ejus.* His autem optime consonat illud Jeremiæ vaticinium, quod Sedeciæ Regi præstitum est: *Secundum combustiones patrum tuorum sic comburent te*, id est, ut Sancius optime explicat, *comburenda fore in ejus funere regio utique more, ac magnificentia aromata varia, & cadaver unguentis delibutum sepulchro inferendum.* Qui combustionis modus in regiis exequiis splendido luxu, atque apparatu servatus est: Reges enim fere omnes haud combustos, sed unguentis egregie delibutos terræ mandatos fuisse constat.

Ægyptiorum cadavera condiendi ratio. Judæorum.

2 Paralip. 10. n. 4. Asæ Regis cadaver luxurioso condimento delibutum est.

Paral. 2. c. 21. n. 19.

Jeremiæ de corpore Sedeciæ Regis aromatibus post mortem condiendi vaticinium.

Gaspar. Sanc. in lib. Reg. c. 31. n. 12.

4 Quam quidem ab antiquis quasi manu acceptam consuetudinem, & meliorem in usum translatam unguentis profuse corpora respergendi, ab Ecclesia quoque retentam fuisse auctor præ cæteris est Tertullianus in Apologetico hæc dicens: *Si Arabiæ quærantur, sciant Sabæi pluris, & carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Et idem in libro, quem scripsit de idololatria, in hunc modum de aromatibus loquitur: *Etiam hominibus*, inquit, *ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatium sepulturæ.* Quænam autem essent hæ Arabum, Sabæorumque merces, thus nimirum, myrrham, aliaque pretiosissima cujusvis generis aromata, atque odoramentorum species Statius in Priscillæ funere his carminibus enumerat.

Unguentis cadavera perfundendi mos ab Ecclesia olim servatus.

Tertull. in apolog. cap.

Idem Tertull. lib. de idolat.

Aromata condiendis cadaveribus quæ fuerint.

——— *Quis carmine longo*
Exequias ac dona malæ feralia pompæ
Perlegat? omne illic stipatum agmine longo
Ver Arabum, Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arsura reges, præreptaque templis
Thura, Palæstini simul Hebræisque liquores
Coryciæque comæ, Pyraneiaque germina, &c.

Statius sil. l. 5.

5 Quanta vero eorumdem copia aromatum cadaveribus tam liberaliter condiendis, à gentilibus olim insumeretur, Plinius de odoribus atque aromatibus agens, his plane verbis de luxuriosa funerum pompa conqueritur: *Felix appellatur Arabia, falsa, & ingrata cognominis, quæ hoc acceptum superis ferat, cum plus ex eis inferis debeat. Beatam illam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ Diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum asseverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero princeps novissimo Poppeæ suæ die concremaverit. Æstimentur postea toto orbe singulis annis tot funera, acervatimque congesta honori cadaverum, quæ Diis per singulas micas dantur.* hæc Plinius. Ex quibus constat, impensiori plane cultu hominum funera, quam ipsa deorum sacrificia frequentari, & mortuorum pyras, ac rogos majori splendore, quam templa, atque aras coli antiquitus consuevisse.

Veterum in cadaveribus condiendis prodigalitas.

Plin. l. 12. c. 18. Cur Arabia Felix falsa & ingrata cognominis dicatur.

Quantum aromatum in Poppeæ funere Nero consumpserit?

K 6 Idem

Minutius in Octavio. Ethnici Christianos cadavera unguentes in crimen vocant.

6 Idem asserit Minutius Felix in Octavio, dum præcipua inter crimina, quæ Christianis frequenter à gentilibus objiciebantur, id unum recenset, nempe: *Non floribus caput nectitis, non corpus honoribus honestatis, reservatis unguenta funeribus.* Sed ut Clementis Alexandrini, aliorumque id ipsum constanter asserentium testimonia prætermittentes, à profanis ad sacra, quod nostri potissimum est instituti, redeamus, apertis quidem verbis ipsummet Christum Dominum de laudabili hoc ritu meminisse, eumdemque sua auctoritate comprobasse novimus; dum pia scilicet Mariæ Magdalenæ unguentum sibi officiose exhibentis studia commendans, discipulis interim illam unguenti effusionem diximne, an profusionem ægre admodum ferentibus, Advocatum mulieri se pro pietatis officio, ac beneficio haud interpellatus exhibens, in hæc verba respondit: *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me, &c. mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*; vel ut ex Marci textu clarius habetur: *Prævenit ungere corpus meum in sepulturam.* Et ex Joanne: *Sine illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.* Quid commendatitiis hisce verbis ad rem nostram pro sacro funerum cultu, & pro stabiliendo defunctis obsequio clarius; & quodnam argumentum contra hæc temere impugnantes validius, quam verba Christi, & deprompta ex euangelico textu oracula?

Christus hunc mortuos unguendi morem acceptum se habere in Euangelio de Magdalena monstrat. Matth. 26. Marc. 14. Ioan. 12.

Domini corpus aromatibus delibutum sepelitur. Io. 19.

7 Quod autem sacratissimum Christi Domini corpus, antequam sepulturæ traderetur aromatibus conditum de more fuerit, unguentisque perfusum, idem Euangelista Joannes locupletissimis verbis testatur, hæc dicens: *Venit ergo*, nimirum Joseph, *& tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Quinimmo & postquam corpus sepulchro reconditum est, iterum Maria Magdalena, & aliæ pariter conspicuæ pietatis mulieres sedulo perungendum requisierunt; quod Marcus hisce verbis exponit: *Cum transisset sabbatum, Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum.* Utique in sepulchro (ut patet ex textu) jam positum. Lucas quoque id ipsum confirmare videtur, dicens: *Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus ejus, & reversæ paraverunt aromata, & unguenta; sabbato autem siluerunt secundum mandatum.* Et idem sequenti capite isthæc subdit: *Una autem sabbatorum valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverunt aromata.* Etsi deinde orto jam sole ad monumentum pervenientes, quod secum cogitaverant, pietatis obsequium venerando Christi corpori, quod jam in lucem redivivum surrexerat, impendere nullatenus valuerint. Haud otiose tamen pia sanctarum mulierum solicitudo tam exacte ab Euangelistis describitur. Hinc quippe insignem, admirandamque earum pietatem, fidei merito conceptam, charitatisque fervore nobilitatam ediscimus; dum illæ, quæ jam probe noverant Christi corpus, antequam sepulchro inferretur, pretiosis, copiosisque à Nicodemo aromatibus pollinctum fuisse, nihilominus, ut corpori jam sepulto refunderent iterum unguenta, liberaliter conquisita afferre pertentant.

Mulieres Dominum jam sepultum denuo peruncturæ ad monumentum pergunt. Mar. 16.

Luc. 23.

Luc. 24.

Animadvertenda exacta mulierum corpus Domini ungere cupientium ab Euangelistis descriptio.

8 Inde pariter palam fit, quod & jam à nobis supra enarratum est, ejuscemodi videlicet ritus à gentilibus olim derivasse, qui superstitiose agentes erga defunctos, multiplici errorum laqueo irretiti delirabant, & hunc præsertim morem, qui usu receptus est, corpora aromatibus condiendi ab ipsissimet Ægyptiis mutuatos fuisse Judæos constat: quippe qui haud semel dumtaxat, sed iterum, atque iterum id, dum pios se exhibere cupiunt, insana permoti prodigalitate præstabant. Quamobrem de Jacobi Patriarchæ corpore, quod hoc potissimum more apud Ægyptios conditum est, hæc in Genesi leguntur: *Præcepit Ioseph servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem; quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadaverum conditorum.* Ad quem locum rite apteque dilucidandum, luculenti commentarii loco Herodoti, & Diodori testimonia esse poterunt; quibus tota hæc condiendi ratio, ac modus accurate describitur, nobis vero, lectori interim loca digito præmonstrasse sufficiat.

Ab Ægyptiis ad Judæos cadavera condiendi mos derivatus.

Jacobi Patriarchæ corpus aromatibus in Ægypto conditur. Gen. c. 50.

Herod. l. 2. Diodor.

9 Quem sane pium, ac laudabilem morem ab ipsis Ecclesiæ primordiis in usu apud Christianos fuisse, sacra Apostolicorum actuum historia testatur. Cum enim præcipuus ille Martyrum omnium antesignanus Stephanus à Judæis lapidum ictibus crudeliter impetitus, in Domino obdormisset, *viri timorati* (ut Apostolorum loquuntur gesta) *ipsum curaverunt, & fecerunt planctum magnum super eum.* Quæ quidem verba, si Hieronymum Judaicarum rerum peritissimum consulamus, ad hunc morem referenda proculdubio videbimus. Scribens enim vir oculatus intimis præscrutandis scripturarum sensibus, ad Paulam super dilectissimæ ejusdem filiæ obitu: *Planctus hic magnus*, inquit, *non in plangentium exanimatione, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus est.* Quod pariter de Patriarcha Jacobo jam mortuo, & piis officiis, uti par erat, suorum opera excepto, Scriptura divina præ cæteris meminit, in cujus funere *planctum magnum, & fortem nimis obtigisse*, ad insinuandam videlicet insignem funeris pompam, ornatumque tanti viri meritis congruentem describit. Eadem prorsus ratione sacrum beati Petri Apostolorum Principis corpus conditum aromatibus fuisse in ejus apud Baronium actis legitur his plane verbis: *Cum in cruce sic affixus martyrium consummasset, à Marcello presbytero ejus corpus curatum, aromatibusque conditum, magnificentissime more regio, nedum Iudaico tradidit sepulturæ.*

Jam inde ab Ecclesiæ primordiis cadavera condire solemne est.

Act. 8.

Quid per planctum magnum super mortuum in Scriptura intelligendum sit. Hieron. ep. 25.

Petri Apostoli corpus aromatibus perfunditur. Baron. annal. to. 1. an. 69.

10 Quamplurimorum item sacra martyrum corpora, quin etiam Confessorum unguentis delibuta fuisse eorumdem in actis perhibetur. Quapropter Gregorius Nyssenus hæc habet in funere Miletii: *Sindones mundæ, & panni serici, unguentorum & aromatum largitas, liberalitas mulieris ornatæ, & honestæ, &c.* Et Gregorius Nazianzenus Sophronii præsidis opem adversus eos implorans, qui Cæsarii fratris bona, ac divitias invaserant, de exiguo myrrhæ pondere ob summam fortasse inopiam, in quam redactus fuerat, ejus funeri exhibito, graviter hunc in modum conqueritur: *Ac nunc hic quidem exanimis jacet, ab amicis inops, desertus, miserabilis, exigua myrrha donatus (si tamen hac quoque) ac paucis, & vilibus integumentis, &c.* Quamvis Oratione decima funebri in ejusdem Cæsarii laudem, eumdem à parentibus pio (ut par erat) funere tumulatum fuisse lætetur, dicens: *Nobis egregius ille*

Multorum martyrum corpora pretiosis unguentis condita fuere. Greg. Nyss. orat. de fun. Miletii.

Greg. Naz. ep. 18.

Cæsa-

Cæsarius servatus est, cinis pretiosus, laudabile cadaver, ac cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebrique pompa ad martyrum sedes effertur, sanctisque parentum manibus honoratur, matre accensas faces gestante, ac pietatem mœrori subrogante, lachrymis sapientiæ cedentibus, psalmorum cantu luctum consopiente, &c. En celebris pompa, qua viri probitate conspicui, & meritis clari inter parentum & amicorum manus ad sepulchrum in triumphi morem, haud lachrymis, immo lætitiæ signis post exanthlatos pro Christo labores, ad coronam, ad requiem, ad gaudia provehuntur. Certe nullus ex Cæsaribus Cæsarii funus æquavit, quippe qui propter Christum rerum omnium & sui ipsius contemptui vivens addictus fuerat, & nunc mortuus ea pompa, ea lætitia tumulo inferendus effertur, ut victor totum subjugasse orbem videatur.

(Greg. Naz. … f. 10. … nus Cæ- … ii à pa- … utibus … cbri … mpa … ertur.)

11 De antiqua item consuetudine, qua cadavera aromatibus conspergebantur, Prudentius poëta Christianus in Cathem. de defunct. his plane versibus agit:

Aspersaque myrrha Sabæo.
Corpus medicamine servat.

(…orpus in …imæ re… …tum …odam… …odo præ… …rvandum …nguentis …nditur.)

Cui & alter Christianus poëta Orientius nomine Episcopus Illiberitanus egregie consonat; quippe qui in commonitorio libello, quem erudite de animæ immortalitate, ac resurrectionis fide conscripsit, iterum hanc post vitam animas eisdem corporibus mirabili consortio adjungendas his quidem carminibus affirmat, quibus etiam de condiendi consuetudine meminit.

(…rientius …. de im… …rtal. …nim.)

Non modo quæ tumulis bene condita saxa reservant,
Aut Arabum solidans, pulvis odorque tenet.
Sed dicto citius firmanda in membra redibit
Portio de tumulis, portio de fluviis.
Quod ventus flatu minuit, quod bestia morsu,
Flamma quod exussit, quodque ruina premit.

(…nguento… …m luxus …tupéta… …lis.)

Christianus vero pædagogus apud Clementem Alexandrinum, sobrium, temperatumque unguentorum usum commendat, quæ robur animi non emolliant, virum minime inertem faciant, honestosque mores dedeceant, fœminis vero ad corporis cultum, & elegantiam, ultro libenterque indulget: *Nimiæ enim*, inquit, *unguentorum unctiones, justa quæ fiunt mortuis potius, quam familiarem vitæ redolent consuetudinem.* Utinam, qui sub hæc nostra tempora inter ejuscemodi delicias petulanter lasciviunt, ipsos gentiles poëtas aculeatis carminibus unguentorum luxuriam perstringentes attentis auribus perciperent, & odorum pompis, odoramentorumque mixturis modum præscriberent.

(Clem. …lex. 1. …d. 8.)

12 Verum pretiosa inter aromata, quibus nostri olim in defunctorum condiendis corporibus pollinctores utebantur, myrrha præcipue adhibebatur, quam & in funeralibus usui fuisse jam ex Prudentio didicimus, Rufino Aquilejensi id inter cæteros attestante, cum ait: *Myrrha est species valde amara, de qua ungitur corpus mortui, ut non putrescat, & pellit vermes.* Opobalsamum quoque ad condiendum cadavera adhibebatur. Hinc in sanctorum duodecim fratrum actis apud Alphanum Episcopum Salernitanum à Surio relatis, & in M. S. Cod. Vall. hunc in modum legitur:

(…yrrha in… …r præci… …a corpo… …us con… …endis …omata.) (…uf. Aquil.) (…m opo… …lsamum.) (…r. to. 5. …Sept.)

Tunc Marcus præsul venerabilis urbis Ecanæ
Cum clero veniens, sanctorum corpora noctu
Detulit, & pretii fundens opobalsama magni,
Atque peregrino peregrinis rebus odori
Permixtis studio, solemnibus & celebratis
Exequiis, &c.

Mel insuper pio huic operi aliquando inserviisse compertum est. Quamobrem venerandum Epiphanii corpus condimenti instar illitum melle fuisse apud Nicephorum his fere verbis narratur: *Epiphanium vero in navi mortuum esse intellexi, quem comites ejus melle oblitum, ne quid forte ingratum corpori accideret, in Cyprum detulerunt.* Calce itidem, ubi nulla suppeterent ad condiendum aromata sanctorum corpora obducta fuere, ut ejusdem vi à putredine incorrupta permanerent. Nam beatæ martyris Afræ corpus post nobile consummatum pro fide martyrium, cum sepulchro repositum fuisset, hac prorsus ratione diligenter conditum, incorruptum postea ab Embricone Episcopo repertum est, ut Marcus Velserus testatur Comment. in Pass. sanctæ Afræ.

(Melle etiam cadavera illini solita.) (Niceph. l. 10, c. 46.) (Calce etiam ex aromatum penuria obducuntur.) (Marcus Velserus de pass. S. Afræ n. 36.)

13 Porro de beatissimo Indiarum Apostolo Thoma id memoriæ à Maffejo in suis historicis enarrationibus proditum est, ejusdem videlicet Apostoli corpus sub Joanne Tertio Lusitaniæ Rege Meliapoli in Coromandelio litore inventum fuisse, hoc fere, ut supra diximus, modo studiosa piorum manu conditum; immista nimirum sacris ossibus calce, quæ arenæ candidissimæ speciem præ se ferebant, apposita insuper lanceæ cuspide, & quodam ad viatoris usum baculi frusto, cum vase item fictili, cespite insuper inserto, qui profluentem sacris è vulneribus cruorem ebiberat.

(Maffejus lib. de Indiar. hist.) (Corpus Apostoli Thomæ calce ossibus permixta invenitur.)

14 Idem plane contigit alteri Indiarum Apostolo S. Francisco Xaverio Societatis Jesu, viro plane divino, qui tot laboribus, tot triumphis, tot miraculis, tot populis ac gentibus ad fidem Christi feliciter traductis, tot revectis de subacta idololatria trophæis, tot, inquam, palmis, quot peregrinationibus, quot passibus nobilitatus est, Huic uni totus orbis videbatur angustus, tanta cor ejus charitatis latitudine fruebatur: plures quippe magno ipso Alexandro major orbes desideravit, quos non ferro, sed verbo, haud sibi, sed Christo, atque Euangelio subigeret. In novas plane, atque invisas mundi regiones ipse solus, ac primus, sine comite, sine duce Euangelii falcem detulit, Christi fidem, & triumphale crucis vexillum barbaris nationibus invexit. Vere Apostolorum iste novissimus, eo usque pervenit, ut merito dici de eo potuerit: Hucusque Xaverius, Non plus ultra. Hujus igitur sanctissimi, ac incomparabilis viri, cujus mentio habita est, venerandum corpus, cum Sanciani apud Indos decessisset, secum Lusitani Malacam deferre cupiebant, quo classem erant directuri, ne tanto destituerentur thesauro, quod ipso Indiarum auro pretiosius illis erat: quamobrem calce obrutum est: eo nimirum consilio, ut brevi temporis spatio consumptis omnino carnibus ossa nuda subsiderent, sed præter spem accidit insigne Deo operante prodigium: nam totum corpus integrum, ac illibatum, facies vigens, ac nitida duos post menses apparuit, nec ullum omnino vestimenta detrimentum sensere, ita ut vir qui incorruptis moribus semper vixerat, incorruptionis donum vel ipsam post mortem adhuc corpore illibato sentiret; sed rem totam ex Horatio Tursellino excipiamus, qui isthæc ait: *Francisci deinde corpus Sacerdotali vestitu rite indutum de sententia Lusitanorum ligneo loculo (uti Sinarum mos est) includere statuit, quod quidem divino potius quam humano consilio factum ostendit eventus, ut ea scilicet, quæ sancto corpori divinitus contingerant, essent hominibus notiora. Corpus*

(Encomium S. Francisci Xaverii Indiarum Apostoli.) (Ejus corpus viva calce coopertum illibatum prodigio se præservatur.) (Tursell. apud Surium die 1. Decembr.)

igitur

Humatio corporis S. Francisci Xaverii.

igitur arca lignea inclusum postera die multis prosequentibus effertur: & funere quantis maximis in illa rerum inopia studiis potuit, celebrato in ipso portus littore, rite mandatur sepulturæ. Iam terram erant injecturi, cum repente divino utique instinctu, placuit ad carnem exedendam vivam corpori calcem adhiberi, uti nuda deinde ossa in Indiam deferrentur. Itaque aperto loculo magna vis calcis inditur, quæ citius conficeret carnem, tum arca diligenter occlusa ibidem humatur. Tumulo grandes lapides sepulchri indices impositi. Discessum est à funere multis cum lacrymis, incredibili cum mœrore ac desiderio talis ac tanti viri. hæc ille. Sed de portento incorrupti sacri corporis loquens, hæc subdit: *Mittitur spectatæ fidei vir, qui effosso, apertoque loculo, an Francisci corpus calce absumptum esset, intensius exploraret, secumque si videretur, auferret. Venit ille ad tumulum, arcam effodit, excussaque calce inspicit corpus, mirum dictu prorsus integrum reperit, modo humatum crederes, nullus gravis odor, sed potius suavis, nulla tabes.* Hæc ad rei propositum afferre in medium voluimus.

Mulieres præcipue pio unguentis cadavera condiendi officio excellunt.

16 Haud tamen nobis hic silentio obvolvere fas est, quod eximiam, celebrandamque fœminei sexus pietatem locupletissime redolet: etsi enim Sacerdotes, ac Pontifices Maximi sacris perlinendis corporibus devota plerumque manu dare operam consueverant, ut in plurimorum martyrum actis legimus: peculiare tamen piarum matronarum munus hoc extitit; hæ quippe mulierum, ut ex Euangelio constat, sacro Christi Domini inservientium funeri exempla æmulatæ, quæ venerandum ejusdem corpus jam è cruce depositum, & tumulo illatum ungere, atque ex more delibutum piis fovere obsequiis satagebant: pari pietate ac studio, quod Christo exhibere non poterant, id Christi membris, beatis videlicet martyribus deferre non destiterunt. Quapropter in recolendis præclari martyris Alexandri actis hæc de minis à Tiberiano Tribuno eidem intentatis habentur: *Illud enim velim scias, carnes tuas, & ossa per singulas regiones, per quas ego transiturus sum, dissipatum iri, & ne mulieres ipsæ aliquid è carnibus tuis, & ossibus inveniant, quod postea unguentis odoratissimis perfundant, &c.*

Trium Mariarum pietatem multæ fœminæ in vivis Christi membris martyribus unguendis æmulantur.

Act. B. Mart. Alexand.

Tyrannus Alexandro martyri minatur se reliquias ejus, ne condiantur, perditurum.

17 Id ipsum in actis Taraci martyris legitur, cui Maximus præses insano furore percitus, ut invictam animi constantiam devinceret, hunc in modum exprobravit: *Noli putare te semel damnari, sed particulatim te exterminabo. Putas, quia mulierculæ aliquæ corpus tuum habent aromatibus, vel unguentis condire nequissime? nam de hoc est cogitatio, ut reliquias tuas perdam.* Et paulo post barbarus homo haud contentus hujusmodi intentasse minas adversus Christi pugilem, sed ira eo magis excandescens, quo minus se verbis proficere, & magis inter tormenta martyrem erigi animo, ac infractum persistere animadvertebat, hæc subinfert: *Nonne sic te perdam? & sicut antea prædixi, & reliquias tuas? ne mulierculæ in linteamine corpus tuum involvant, & unguentis, & odoribus adornent? sed scelestè jubebo te comburi, & cineres tuos in ventum dispergam.*

Act. S. Taraci mart.

Idem Taraco martyri minatur Maximus.

Ex Eunapii de cultu martyrum blasphemia unctio mortuorum in usu tunc fuisse colligitur.

Eunap. de vit. Phil. in ad ad fin.

18 Hinc Eunapius Sardianus perditissimus religionis Christianæ hostis, ob disjecta Christianorum manu Alexandriæ idolorum templa, immani adversus eosdem indignatione commotus, tunc potissimum cum martyrum reliquias in eadem inferri templa conspiceret, de cultu sacris reliquiis delato isthæc blasphemo, ac petulanti ore stomachabundus evomuit: *Ii condita, & salita eorum capita, qui ob scelerum multitudinem à judicibus extremo supplicio fuerant affecti, pro divis ostentant: iis genua summittebant, eos in Deorum numerum receptabant; ad eorum sepulchra pulvere, sordibusque conspurcati: in iis nonnulli Martyres, diaconi alii, & legati, arbitrique precum, petitionumque apud eos nominabantur, cum fuerint servitia infida, & flagris pessime subacta, & quæ cicatrices scelerum, ac nequitiæ vestigia corporibus circumferrent.* hæc perfidus, & vesanus homo contra pios Christianorum ritus in condiendis Martyrum corporibus, & colendis eorumdem reliquiis, quot verba, tot blasphemias evomuit. Sed cum, ut scriptura loquitur, inimici nostri sint judices, certe dum res nostras hi acrius impugnant, tunc pro veritate, pro fide, pro religione adversus idololatriam validius propugnant. Sed ipsa Baronii verba nostris hisce paginis inferamus, qui de Eunapio loquens sacras deridente reliquias, dum salita damnatorum capita à Christianis ostentare asserit, hæc subinfert: *Sic ethnicus, Christianorum hostis appellat sanctos Martyres, quos Alexandrini maximo honore habebant.* Quæ paucis quidem lectori prælibasse voluimus ad antiquum, qui apud Christianos viguit, morem vel fœtido hominis ore comprobandum.

Salita damnatorum capita, martyrum reliquias Eunapius ethnicus vocat.

Baron. in not. ad mar. die 5. Aug.

19 Verum si quis sanctorum Martyrum acta studiose requirat, quamplurima ad instituti propositum, quæ ritum hunc Christianorum animis, atque auribus commendant, exempla numerabit. De Martyribus enim Primo & Feliciano hæc leguntur: *Involventes ea*, scilicet corpora, *in sindones cum aromatibus, juxta arenarium posuerunt.* Bonifacium vero, qui Tarsi martyrio coronatus fuerat, quingentis aureis redemptum socii odoriferis unguentis, atque aromatibus perunctum, candidisque involutum linteis Romam detulere, ut ejus acta testantur. Gregorii item presbyteri, & Martyris Spoletani corpus primum auro redemptum, & subinde conditum balsamo, pretiosisque aromatibus sepulchro illatum fuisse legimus. Petri quoque Alexandrinorum Patriarchæ, ac conspicui Martyris corpus ex more unguentis delibutum pie à fidelibus humatum est.

Feliciani, & Primi corpora aromatibus condiuntur.

Sur. 5. Iun.

Item Bonifacii martyris.

Sur. 22. Dec.

Et Gregorii presbyteri.

Petri Alexandrini.

Baron. to. 3. An. 310.

20 Verum haud dumtaxat Martyribus, sed venerandis quibusque viris id obsequii antiqua piorum consuetudine præstitum est. Nam Meletio Antiocheno Patriarchæ sindones mundas, pannos sericos, & largam unguentorum, & aromatum copiam ad ejus corpus curandum, à fidelibus impertitam fuisse testis est Gregorius Nyssenus Oratione, quam in ejusdem funere habuit. Hæc tamen splendida aromatum condimenta suis post mortem corporibus impendi vetuere, Magni illi viri, ac toto terrarum orbe celeberrimi, Antonius monachorum pater, & Ephrem Ecclesiæ Edessenæ diaconus, qui hujus antiqui ritus, & tunc quidem temporis usu apud omnes recepti præ cæteris testes locupletissimi accedunt. Eamdemque funebrem pompam Christianæ supramodum humilitati addicta invicti animi mulier Monica S. Augustini duplici quidem titulo mater contemnendam sibi, ac rejiciendam duxit: *Nam imminente suæ resolutionis*, ut inquit Augustinus, *non cogitavit suum corpus sumptuose contegi, aut condiri aromatibus, sed tantummodo memoriam sui ad altare fieri desideravit.* Hactenus Augustinus. Hæc autem splendidæ aromatum pompæ, quibus sanctissima mulier volens libensque, ut Christianam sectaretur humilitatem, post morten carere voluit,

Haud tantum martyribus, sed & confessoribus unctio post mortem exhibetur.

Greg. Nyss. or. in fun. Melctii.

Magnus Antonius, & Ephrem unguentis sua corpora condiri nolunt.

Athan. in vit. S. Anton.

Ephrem in suo Testam.

Et S. Monica aromata cadaveri suo adhibenda respuit.

Aug. confess. l. 9. c. 13.

voluit, haud viris, qui regio ſtemmate decorabantur, aut præcipuo honoris titulo præfulgebant; haud, inquam, ejuſmodi viris liberali ſuorum manu conſuetæ funebres aromatum copiæ denegatæ ſunt: quippe virorum principum funera his aromatum condimentis, nulla ſumptuum habita ratione, ut pietati, quæ defunctis debetur, conſulerent, à propinquis de more celebrata ſunt: & ut de cæteris hic taceamus, Juſtiniani Imperatoris funus omni magnificentia, atque admiratione dignum recolarur, cujus exequiarum auguſtam æque ac munificam pompam Corippus Africanus grammaticus pereleganter carminibus hiſce deſcribens, conſuetum præ ſe tuliſſe morem narrat:

romatum profuſio exequiis ſtiniani mperatoris.

Thura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odore balſama ſucco,
Centum aliæ ſpecies, unguentaque mira teruntur,
Tempus in æternum, ſacrum ſervantia corpus.

21 Poſtremo autem loco, ut aſſumptæ enarrationi finem imponamus, phœnicem in medium proferimus, quæ aromatum ſuo celebrando funeri ſatis ambitioſam ſe ultro exhibet, dum, antequam emoriatur, hæc ſibi pyræ ad inſtar ſtudioſe præparat. Memorandæ verò hujus alitis gloriam Tertullianus his verbis expoſuit: *Illum dico alitem orientis peculiarem, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum, qui ſemetipſum libenter funerans renovat natali fine decedens, atque ſuccedens iterum Phœnix.* Ambitioſum item ejuſdem funus, quod odoribus inſtruitur, ac aromatibus redundat, egregie carminibus adumbravit ethnicus poëta, vel certe Lactantius, ut à multis creditum eſt, aut quivis alius: ſed carmina hic excipiamus:

hœnix reſurrectionis ſymbolum aromatum funeribus funerans naſcitur.

ertull. l. 13. reſurr.

ud Lam. in fin.

Conſtruit inde ſibi, ſive nidum, ſive ſepulchrum,
Nam perit, ut vivat, ſe tamen ipſa creat.
Colligit hinc ſuccos, & odores divite ſilva
Quos legit Aſſyrius, quos opulentus Arabs.

Et poſt multa:

Tunc inter varios animam commendat odores,
Depoſiti tanti nec timet illa fidem.
Interea corpus genitali more peremptum,
Æſtuat, & flammas parturit ipſe calor,
Aërioque procul de lumine concipit ignem,
Flagrat, & ambuſtum cogitur in cinerem.
Hos velut in maſſam cineres in more coactos,
Conflat, & effectum ſeminis inſtar habet.

Hæc poëta in Phœnicis ipſos inter cineres redivivæ monimentum, quæ merito omnes inter aves celeberrima, aptiſſimum etſi moriens, futuræ reſurrectionis ſymbolum eſt, ſi fidem ſcriptoribus adhibeamus, quippe, ut ajunt, *per funus aromatum vitæ ſibi perennitatem comparat.* Sed de his infra ſuo loco.

CAP. XXIV.

Linteis, inſtitiſque defunctorum Corpora involvuntur.

1 HOc aromatum condimento perfuſa, ut dictum eſt, affluenter cadavera, linteis protinus involvebantur, inſtitiſque, ac faſciis circumligata, tumulo inferebantur. Quoniam verò de linteis hic ſermo occurrit, ut in ſtudioſi gratiam lectoris obiter nonnulla præmittamus, quæ ad antiquum eorumdem uſum pertinent: certum utique eſt, olim apud ipſoſmet gentiles defunctorum corpora linteis, aliiſque involvi tegminibus conſueviſſe; quod ex antiquis probatæ fidei ſcriptoribus, Cicero, Suetonius, & Herodianus affirmant. Qui

tiquiſſis apud æcos davera teis involvendi s.

orat. in tin. Suet. Ner. c. 50. rod. l. 4.

mos apud Græcos quoque invaluit. Certe ipſa Penelope apud Homerum Laerti Heroi linteum conſimile texuit, & pretioſiſſimas veſtes defuncto Pallanti, ut Virgilius canit:

in fin Sev. Plut. in narrat. ad fin. Homer. ibid. 6. in fun. Patrocl. Artemid. l. 2. cap. 32. Penelope linteum cadaveri Laertii involvendo texit.

——————— *læta laborum*
Ipſa ſuis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreverat auro.

His autem candidis linteis ob id potiſſimum corpora defunctorum amiciendo ornabant, quia nimirum defuncti animam, quam crederent hinc ab omni prorſus labe puram deceſſiſſe, ac quam nobili virtutum decore inſignitam ad ſuperos evolando ſui deſiderium, atque exemplum reliquiſſe ſentirent, ipſi inter hujus ſeculi ærumnas derelicti, haud aliis proſequi valerent obſequiis: quamobrem ad feſtivam proteſtandam lætitiam, qua defunctum jam immortalitate donatum Chriſtiani complectebantur, albi potiſſimum coloris integumenta in funeralibus adhibebant.

2 Albis item veſtibus ipſiuſmet defuncti affines inter funerum pompam induebantur, quia luctum ſimplicia maxime decent, quæ mixtis autem coloribus intexta, vel infecta ſunt, partim luxum, & partim ſupervacaneum rerum ſtudium arguunt. Albus autem color, quippe qui purus dumtaxat & ſincerus eſt, optime his, qui ſepeliuntur tanquam adulterinum omne vitæ commentum, ac morum fallaciam jam exutis congruere videtur, mortuus enim quid omnino ſimplex, ac purum, & fictionis ac mendacii expers præ ſe fert. Præterea ipſius Plinii teſtimonio convincitur, funebres videlicet Regum Ægyptiorum tunicas ex lino fuiſſe, & ex Herodoto item legentibus palam fit, profanum iiſdem fuiſſe tum laneis indutos veſtibus ſepeliri, tum eiſdem etiam amictos in Deorum templo verſari, ac lineas proinde ſolemnes utrique uſui olim extitiſſe, quemadmodum & illis, qui Orphei & Pythagoræ cæremoniis participarent, ex recenſitis profanos apud ſcriptores ſuperſtitionis gentilitiæ ritibus, qui uſui quondam fuere, compertum ſatis habetur.

Cur albo mortuum lugentes olim induerentur?

Linea veſtimenta apud Ægyptios in funere, & ſacrificio ſolemnes erant. Laneæ veſtes apud eoſdem profanæ. Plin. l. 19. cap. 1. Herod. l. 2.

3 Neque verò tanquam rem myſterio carentem id à gentilibus quiſpiam fuiſſe præſtitum dixerit: hanc enim ipſemet Plinius rationem inſinuare videtur, dum ait: *Lanam tingi, & alienis coloribus facilius adulterari quam linum: nam etſi tentatum eſt tingi linum quoque, & veſtium inſaniam accipere, tamen manſiſſe colori pertinacem gratiam.* Aliam item à Plutarcho rationem lectori gratis auribus excipiendam proponimus, dum in tractatu de Iſide, & Oſiride ait: *Sacerdotes Iſidis lineo veſtitu, & raſura conſpicuos incedere conſueviſſe, quod ſacram de Diis doctrinam ab omni ſuperſtitione, & curioſitate puram in animo ſuo tanquam in arca geſtarent, atque continerent; & eodem poſt mortem iiſdem ornari, quod ſignum eſſet illos abire nulla re alia, quam iſtiuſmodi doctrina inſtructos. Itemque propter colorem, quem linum florens emittit, cæruleum colorem mundum æthereum circumdanti ſimilem.* Rationem verò diſcriminis inter linum, ac lanam præcitatus auctor hanc adfert, quod de excrementis lana, ſicut & crines, naſcatur; ineptum autem eſſet Iſaicos, ubi puritatis, & caſtimoniæ cauſa ſuos poſuiſſent capillos, impuris, & rejectaneis pecorum lanis amiciri: linum autem cum è terra oriatur immortali, veſtem tenuem, puramque exhibeat, quæ gerentem haud gravet, ſingulisque anni ſit apta temporibus: quæcumque autem è terra naſcuntur, & pura, & munda antiqui exiſtimarunt.

Plin. loc. cit. Cur linea veſtis ſacra, & lanea profana ab antiquis habita? Plut. tract. de Iſiae, & Oriſide.

Diſcrimen inter linum & lanam.

Lana de animalium excrementis nata impura. Linum è terra oritur purum ac mundum.

Isis ejusdemque sacerdotes lineis induuntur.
Ovid. Metam. 1 de Pont. 1. & 2. Amor. 2. Iuven. sat. 6 Martial. 12. epig. 29 Claud. de 4. Hom. Consf. Tertull. de coron. mil. c. 8. Lucan. l. 9. Philost. l. 8.

4 Hinc porro Isis linigera à poëtis dici frequenter consuevit, & linigeri ejusdem sacerdotes appellati sunt: & è nostris Tertullianus linteum, quo Christus circumcinxit se, discipulorum pedes extremo divini amoris, ac humilitatis obsequio abluturus, *propriam Osiridis vestem* appellare non dubitavit: iidem quippe Osiridis, qui & Isidis sacerdotes erant. At peculiari quodam titulo linum Osiridi Lucanus quoque attribuit. Ut in Apollonii pariter gestis Philostratus memorat, Apollonio videlicet apud Domitianum crimini adscriptum fuisse, quod veste linea præter consuetos ritus uteretur; ipsumque ut objectum sibi crimen brevi, ac facili excusatione dilueret, respondisse: *Linum purum Indis, purum & Ægyptius videri, & propterea prius Pythagoræ, deinde sibi quoque conveniens visum fuisse lineo uti vestimento, quod & tam disputantibus congrueret, quam orantibus, & sacrificantibus.* Apulejus item Apologia, quam pro seipso scripsit, *linum* ait, *esse purissimum rebus divinis velamentum: quippe lana segnissimi corporis excrementum pecori detracta, jam inde Orphei, & Pythagoræ scitis profanum vestitum esse: sed enim mundissimam lini segetem optimas inter terræ fruges exortam non modo indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpari.* hæc ille.

Linea vestis Philosophos & sacerdotes decet.
Apul. Apol.

Linea Hebræorum sacerdotes ex præscripto divino utuntur.

5 Neque verò gentiles tantum lino, sed & ipsi olim Hebræorum sacerdotes divino edocti magisterio, ac supernis consecrati ritibus, ex legis præscripto utebantur. Dum enim Hierosolymitano in Templo ministrarent, & sacra obirent munia, lineis uti vestibus compellebantur, nec quid laneum iisdem gestare fas fuisse sacræ testantur Paginæ. Quo item habitu Jacobus Apostolus Hierosolymorum Episcopus, qui & frater Domini, utebatur: is enim cum ex privilegio Sancta Sanctorum, ut Hegesippus refert, ingredi posset, haud laneis, sed lineis dumtaxat vestibus, ad obtestandam jugiter vitæ innocentiam, ac animi candorem, induebatur. Sacra item olim Ecclesiæ limina candidis velis, ex lino contextis Christiani ob singularem devotionis cultum, ac lætitiæ symbolum exornare consueverant: unde S. Paulinus in natali S. Felicis laudabilem consuetudinem hanc commendans, hæc canit:

Jacobus frater Domini lineo indutus habitu describitur.

Aurea nunc niveis ornantur limina velis.

Baron. Mart. Rom. 18. Nov.

Et idem alibi.

——— *Pulchra tegendis*
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris.

hæc S. Paulinus apud Baronium in suis ad Martyrologium notis.

Nahab, & Abiu lineis induti vestibus efferuntur.
Levit. c. 10.
Dominus lineo habitu sepelitur.
Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23.
Sindonis etymon.
Henric. Spond lib. de sac. Cœmet. l. 1 p. 3. c. 4.
Martial. 4. epig. 19.

6 Quod autem ad sepulchralem ritum attinet, è sacrarum Scripturarum oraculis compertum fit, Nahab, & Abiu sacerdotes lineis indutos vestibus elatos fuisse. Quo item habitu Lazarus, ut ex Euangelio constat; & ipsemet Christus Dominus, ut infra dicetur, pia obsequentium manu illati tumulo fuere. Joseph enim ab Arimathia, ubi corpus Servatoris nostri de cruce deposuisset, candida ac munda sindone involvit. Sindon autem, ut ipsius derivationem nominis lectori exponamus, pannus lineus est, ex lino Ægyptiaco subtiliori, ac delicatiori contextus: hoc autem nomen sindon sortita inde est, quod in Sidone insigni Phæniciæ urbe prope Judæam fieri primum cœperit: ex quo pariter & Tyria sindon dicta reperitur; quippe Tyrus & Sidon urbes vicinæ erant, ac ejusmodi pretiosarum texturarum artificio perillustres. Sidonium item ostrum celebre apud antiquos extitit, quo etiam illustrium virorum cadavera in funeribus contegi mos erat.

Stat. 5 silv. Claud. l. 12. in Ruffin.

Euangelistæ corpus Domini linteo involutum concordes memorant.

7 Joseph autem cum magni faceret sacrosancti corporis thesaurum, pretiosissimum quoque linteum eidem obvolvendo adhibuit. Sed ut rem totam probe assequamur, sacrorum quæso Euangelistarum hic oracula consulamus, qui hac plane ratione augustissimum Christi Domini corpus depositum in monumento fuisse satis luculenter affirmant. Joannes enim ubi supra insignem & nunquam satis pro merito laudandam, ut diximus, probatissimi viri pietatem enarrando extollens: *Acceperunt*, inquit, *corpus Iesu, & ligaverunt illud in linteis cum aromatibus.* Matthæus pariter hæc ait: *Et accepto corpore Ioseph, involvit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo novo.* Et Lucas loquens de eodem Ioseph, ait: *Et depositum involvit sindone, & posuit eum in monumento.* Idem insuper Ioannes de cæteris linteaminibus, & sudario meminit, dicens: *Exiit ergo Petrus & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum, &c. Et cum se inclinasset,* Ioannes scilicet, *vidit linteamina posita, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus, & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput ejus non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.*

Io. 20.
Matt. c. 27.
Luc. 27.
Io. 20.

Judæorum consuetudo linteis cadavera involvendi ex Euangeliis de Christi funere comprobatur.
Io. Iacobus Chifflet. in hist. Christi.
Quæ vestis appelletur sindon?

8 Ex quibus plane colligitur, in sacro Christi funere ex Iudæorum more sindonem, linteamina, sudarium, & institas, seu fascias (ut verba Ioannis innuunt, *ligaverunt linteis*:) adhibita fuisse. De his verò singulis copiose ac erudite disserit doctissimus vir Ioannes Iacobus Chiffletius in recolenda Christi historia, quam scripsit, ubi & de sepulchralibus linteis; ex qua hic ad rei nostræ propositum nonnulla excerpere libuit. Ut præmemoratus igitur auctor docet, sindone primum quodvis linteum textum, aut quælibet ex lino textura significari videtur, quæ velet simul, contegatque corpus. Quamobrem Marcus de adolescente illo, qui è ministrorum manibus dilapsus est, cum Præsidis Iudæorum milites in Christum Dominum irruissent, & arcte vinculis alligassent: *Adolescens*, inquit, *quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum; at ille relicta sindone nudus profugit ab eis.* Postea verò sindonis nomen, ut idem auctor asserit, una cum vocabuli significatione ad sepulchrale linteum peculiariter denotandum translatum est, quo scilicet cadaver non secus ac vestimento quodam obtegitur & circumvolvitur.

Marc. c. 14.

Sindon linteum funerale vulgo dicitur.

Sudarium quid sit?
Chiffletius ex Beda de locis sanctis cap. 5.
Mensura sudarii quo Domini corpus involutum fuit.
Institæ quæ dicantur?

9 Idem præterea auctor, sudarium linteum pariter esse affirmat, quod à capite ad pedes usque protendebatur, ut ex Beda de loc. san. cap. 5. constat. ubi de Sudario agens, quod supra Christi caput & faciem positum fuerat, oblongum illud quidem fuisse ait, ad pedum octo mensuram. Addit insuper institas, lineas pariter esse fascias Græce dictas *tænias* ἀπὸ τοῦ τείνειν, quod sonat extendere, quia hæ nimirum in longum extendebantur, erantque latitudine angustæ, iisque arcte perstringebantur vel quædam corporis partes, vel certe totum corpus. Neque id mysterio vacabat: *Æquum quippe erat*, inquit, *hominem redire ad sua initia, ut quemadmodum lucem auspicatus fuerat, ita jaceret mortuus, non tantum in cunis, sed in sepulchro etiam vincula pateretur.*

Fasciarum sepulchralium apud Persas usus.

10 De sepulchralibus autem fasciis Lucianus meminisse videtur; de variis enim tumulandi modis ser-

sermonem habens, hæc ait: *A Persis autem ajunt suspendi mortuos, & nitro condiri & tum demum fasciis involvi.* Et juxta modum, quem hactenus exposuimus, Joannes Euangelista eumdem Lazarum è monumento prodeuntem descripsisse videtur, dum his verbis redivivum inducit: *Et prodiit, qui mortuus fuerat, ligatus manus, & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Dicit ei Iesus, solvite eum, & sinite abire.* Quod egregie quidem in sua historia Juvencus presbyter hisce carminibus expressit:

Nec mora connexis manibus pedibusque repente
Procedit tumulo, vultum cui linea texta
Et totum gracilis connectit fascia corpus,
Tum solvi jussit, lætumque ad tecta remittit.

Quod & pari elegantia Prudentius de more cecinit:

Solvite jam lætæ redolentia vincla sorores,
Solus odor sparsi spiramen aromatis efflat.

Visuntur autem ejusmodi fasciæ ferro exsculptæ in vetustioribus Christianorum sarcophagis ex marmore confectis, & in subterraneis quampluribus item Cœmeteriorum cubiculis, ad Lazari è sepulchro in lucem resurgentis expressam coloribus imaginem penicillo diligenter appositæ. De qua fusius à nobis libro sexto agendum est, ubi Cœmeterialia hujuscemodi symbola opportunis adnotationibus explicabimus.

11 Hæc igitur omnia, quæ in ceteris adhiberi funeribus consueverant, haud in sacro Christi funere desiderata fuisse Chiffletius noster, asseverat, quamvis, quod Joannes ait *de linteaminibus*, Matthæus verò, & Lucas de *sola sindone* loquuntur, negotium aliquod facessere videatur. Attamen Augustinus Joannis textui constanter inhærens, hæc ait: *Neque hic repugnat quicquam recte intelligentibus: nec enim illi* (Matthæus nimirum & Lucas) *qui de Nicodemo tractaverunt, affirmarunt à solo Ioseph Dominum sepultum, quamvis solius commemorationem fecerit: aut quia illi una sindone à Ioseph involutum dixerunt, propterea prohibuerunt intelligi & alia lintea potuisse adferri à Nicodemo, & superaddi, ut verum narraret Ioannes, quod non uno linteo, sed linteis involutus sit. Quamvis propter sudarium, quod capiti adhibebatur, & institas, quibus totum corpus alligatum est, quia omnia de lino erant, etiamsi una sindon ibi fuit, verissime dici potest, ligaverunt eum linteis: lintea quippe generaliter dicuntur, quæ lino texuntur.* hæc valide ad nostræ vim assertionis corroborandam, & ad difficultatum nodos, qui legentibus obrepunt, dissolvendos Augustinus.

12 Porro sacrum Christi corpus de cruce depositum idem Chiffletius in quadam lignea tabula substrata linteo extensum fuisse scribit, quod à summo capitis vertice ad pedes usque rejectum, utrique corporis faciei adhærebat, sicque obductum ad pollincturæ locum, haud tamen procul à sepulchro piorum manibus delatum affirmat: *Commode enim*, inquit, *ac tuto nequaquam satis curari poterat sacrum cadaver in ipso cruciatus loco à Iosepho, & Nicodemo, occultis præ metu discipulis.* Illudque ipsummet linteum esse validis rationibus probare nititur una cum Alphonso Paleotto Archiepiscopo Bononiensi, Daniele Mallonio, & Pigonio, quod ad nostra hæc usque tempora, divinæ providentiæ nutu reservatum Augustæ Taurinorum summo, ut pareſt, honore ab universo Christiano orbe, devotionis gratia illuc quamplurimis in dies passim confluentibus, visitur, atque colitur.

13 Constantissime tamen idem, qui supra auctor nullatenus, ut alii contendunt, reconditum in sepulchro fuisse asserit: *Non enim*, inquit, *decebat illud, quo recens è cruce exceptum Christi corpus fuerat undique cruentatum, perluto purgatoque corpori iterum admoveri, sed in ipsomet sepulchro substratum fuisse corpori linteum alterum, aut certe plura, jacentique ac supino proxime superpositum sudarium, quod à capite, ut dictum est, ad pedes protendebatur: quod nunc pretiosissimam veluti sarcinam Vesuntina Ecclesia se possidere gaudet, & gloriatur, sacra ejusdem corporis perantiqua imagine decoratum.* Affirmat insuper vir doctissimus, quem laudavimus, hoc ipsummet Sudarium esse, quod ad Christi cadaver tumulo honeste componendum beatissima Virgo Josepho ab Arimathia porrexit, ut supra ex Metaphraste diximus. Cui profecto sententiæ Nazianzenus favere videtur, seu quis alius extitit auctor, in Tragœdia illa, quæ vulgari titulo *Christus patiens* nuncupatur; ubi cum eamdem beatissimam Virginem extrema Filio suo pietatis officia persolventem inducit; in materni amoris ac extremi monimentum obsequii filio vulneribus miserandum in modum transfosso, & sepulturæ jam inferendo, hæc, inquam, ait: *Et tegmine isto muliebri obvolvo caput.*

14 Quædam alia insuper præmemoratis adjecta fuisse lintea autumat, quæ anteriorem corporis faciem cooperirent. Circumvolutas deinde institas à collo usque ad imas calces; illamque Sudarii partem, quæ à capite eminebat, totumque corpus complectebatur, ad collum religatam fuisse docet. *Nec sane quicquam prohibet*, inquit ille, *quo minus supra illud Sudarium alia quoque linteamina adjecta fuerint, quæ caput quoque obvelarent, totoque corpore protenta sub institis coërcita fuerint: quæ fortasse ea sunt, quæ in aliis asservantur orbis terrarum Ecclesiis.* Hæc ex illo fideliter excerpta studioso lectori propinavimus, quamvis longe ab iis præcipue, quæ de sacra Taurinensi Sindone jam supra enarrata à nobis sunt ex reverendissimo Fortunato Scacchio discrepare videantur; cujus quidem sententia validissimis niti rationibus videtur, quæ ab eodem referuntur: constanter enim asserit, Sacratissimum Christi Domini corpus de cruce depositum, omni ex parte cruentatum, ipsiusque constipati sanguinis corticibus superinductum in linteo positum (quod Cado in Gallia miraculis & prodigiis illustre, sacratissimo item Christi sanguine conspersum, religiose nunc asservari scribit Campegius) deinde verò perlutum in ipso cruciatus loco (quid enim mali sibi à Judæis timeret Josephus, quippe qui audacter accesserat ad Pilatum, petieratque ab eo corpus Jesu, illudque datum sibi jam dono fuerat, consueto utique Judæorum more sepeliendum) in eo subinde linteo, quod Augustæ Taurinorum colitur, delatum ad pollincturam fuisse, in anteriorem scilicet speluncæ partem, quæ quidem duplex erat, ut apertissime probat cap. 32. Atque alio demum obvolutum linteo & in Sepulchro positum, institis & sudario superadditis.

15 Veruntamen cum multiplices de hujusmodi linteo, de Sindone, ac Sudario pariter auctorum, qui de sacra eadem Sindone, ac Sudario lucubrationes suas edidere, & parum quidem inter se cohærentes sententiæ existant, eas, tanquam ab instituti nostri proposito alienas, aliis discutiendas relinquimus. Unum dumtaxat hæc nostra legentibus demonstrasse satis sit, in sacro videlicet Christi funere, consuetos Judæorum ritus servatos omnino fuisse:

Id. ibid.

Haud amplius illo, sed alio linteo corpus sepulchro condendum involvitur.

Metaph. Nazian. vel auctor in tragœdia de Christi passione.

Plura lintea Christi corpori involvendo adhibita fuere.

Chiffet. in hist. Christi.

Fortun. Scac. c. 24. & c. 34. 35 & 36.

Primum linteum, quo corpus Domini ante lavacrum exceptum fuit cruentatum in Gallia visitur.

Campegius.

Altero, quod Augustæ Taurinorum servatur, sacrum corpus ad pollincturam delatum est.

Fortun. Scac. c. 32.

Variæ de sacra sindone auctorum sententiæ.

Ritus funebres Judæorum in funere Domini, uique

[Left margin notes, partly cut off:] ...n. de ... | ...rus re-...atus ...is ac ...s liga-...rodut. ...1. | ...nc. hist. ...ug. c. 4. ...pa-...c. 8. | ...l. in ...: bi-...pa-... | ...rus fa-...illiga-...b anti-...ex-...us ubi visitur. | ...letius ...risti ...r. l. sup. | ...ini ...us lin-...ueque ...lvitur. | ...ug. de ...nf. ...g. l. 3. | ...ori ...sti è ...e de-...o lin-...ad ...nctu-...sub-...itur. | ...let. loc. | ...lin-...Au-...Tau-...ho-...e ...atur. ...Pa-...Daniel ...n Pi-...de ...Chri-...tea-...

deinde in martyrum funeribus observati.

fuisse: quos & in cæteris Christianorum funeribus, & beatorum præcipue Martyrum adhiberi quoque inviolabiliter consuevisse, repetitis nunc ex probatarum historiarum promptuario exemplis liquido demonstrabimus.

Solemnissimus omnium cadavera linteis involvendi mos.

16 Quam usitatus igitur Christianis olim mos fuerit, funebribus linteis ac linteaminibus defunctorum corpora involvendi, egregie quidem Prudentius loco supra citato edocuit, qui hymno decimo de defunctis hæc ad rem nostram canit:

Prud. hym. de def. 10.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est.

Et satis aperte Maximus ille præses hominum nequissimus expressit, de quo alibi meminimus; cum post tormenta videlicet ac cædem Tharaco martyri comminatam, isthæc subdit: *Nonne reliquias tuas sic perdam? ne mulierculæ in linteamina corpus tuum involvant.* Ad rem quoque nostram congrue & illud facere videtur, quod probatæ fidei inter scriptores Dionysius Alexandrinus scribit epistola ad Domitium, & Didymum, quam deinde ob Christianæ pietatis ac fidei monimentum Eusebius recitat: ibi enim insignem cujusdam Eusebii, qui Episcopus postea Laodicenus fuit, pietatem summopere commendans, ait: *Eusebium dico, quem ab initio persecutionis* (sub Valeriano nempe) *Deus sua gratia roboraverat, & non modo ad ministeria confessorum, qui carceribus detinebantur, summo studio, ac animi contentione explenda, sed etiam ad lintea, quibus corpora beatorum martyrum jam vita defunctorum involverentur, neglecto vitæ periculo, conficienda præparavit.* Tanti quippe olim Christiani æstimabant martyrum obsequio deservire, & eorumdem cadaveribus operam impendere, ut jacturam bonorum, qua eos urgebant passim persecutores, acerbissima quæque pœnarum genera, quibus acriter tortores sæviebant, ac demum ipsiusmet capitis periculum, quod palam imminere sibi intelligebant, nihili prorsus facerent.

Tharaco martyri hoc linteaminum officium ejus cadaveri defuturum tyrannus minatur.

Euseb. l. 7. c. 10.

Eusebii Episcopi in conficiendis ad martyrum involvenda corpora linteis pietas.

Frequens linteaminum funeralium in actis martyrum mentio.

17 Verum in recolendis martyrum actis frequens admodum de iisdem linteis, atque sindonibus mentio incurrit; sed potissimum in præclaris Clementis Ancyrani apud Surium gestis, in quibus isthæc leguntur: *Fidelis autem sophia lucernarum accendit multitudinem, quod multa vicerit certamina, sui amicissimi tollens corpus, mundis vestibus, & linteis involvit, &c.* Idem quoque inter enarrandum exponitur in vita Isidori martyris sub Decio quondam coronati. Nam Pyrope matrona piissima cum sacrum Martyris corpus tamquam rem haud ullis æquiparandam thesauris consecuta esset devotis, ut Metaphrastes narrat, illud excepit obsequiis, sed præstat nunc eum his loquentem verbis audire: *Cum cognovisset*, inquit, *pia Pyrope, noctu ad locum accedens, & manus suas orando ad Cælum extendens, fuit voti sui compos, & cum invenisset venerandum, & sacrum martyris corpus custoditum ab Angelis, & resplendens instar luminis, cum magno gaudio, & lætitia apprehendens reliquias, eas unxit unguento, & cum eas sindone munda involvisset, generosa & præclara hæc mulier cum suis ancillis eas asportavit, & tulit in domum suam, Deum laudans, & glorificans.* hæc apud Surium Metaphrastes.

Sur. t. 1. 23. Ian.

Sophia Clementis Ancyrani corpus linteis involvit.

Sur. d. 5. Sept.

Pyrope Isidori corpus angelica custodia, & splendore nobile sindone involutum aufert.

Series martyrum, qui solitis linteis ac institis illigati à fidelibus dicuntur.

18 Id quoque expressum videre est in actis SS. Felicitatis, & septem filiorum: Calepodii item, Laurentii, Susannæ, Cyriaci & sociorum, Anastasiæ, Pancratii, Primi & Feliciani; viginti trium martyrum, qui Via Salaria sub Diocletiano coronati fuere: Theodosii, Victoriæ, Hermagoræ, & Fortunati: Eulaliæ, Dignæ, & Emeritæ: Restituti, Sophiæ, & trium ejus filiarum: ducentorum sexaginta duorum martyrum sub Claudio: Anastasii, Victoris Mediolanensis: Torpetis, Alexandri, Aquilinæ, Tryphonis, Mennæ, Gorgonii, & Petri, Abibi, Thyrsi & sociorum, aliorumque pene innumerabilium, quos de industria hoc loco prætermittimus, ne singulos nominatim recensendo, tædium lectori afferamus. Verum curioso rerum antiquarum investigatori, oculatum ipsius Bosii testimonium pro omnibus hic inserendis, asserendisque sufficiat, quippe qui in sacrorum Cœmeteriorum sepulchris corpora oblongis, angustisque colligata fasciis haud raro se reperisse affirmat, & in quibusdam præcipuis Vaticani Cœmeterii monumentis, cum nuper ad ponenda novæ fundamenta basilicæ, terra hinc inde artificum manu effoderetur, plura defunctorum corpora, quæ ibi quiescebant, pertenuissimis detectis linteis, tunc multiplicibus involuta nexibus inspectantium oculis apparuisse pronunciat: quem plane in modum aptata, dispositaque in aliis item Cœmeteriis defunctorum cadavera à se adinventa fuisse oculatissimus vir attestatur.

Bosius multa corpora fasciis illigata in Cœmeteriis rep[...]

19 Porro non beatorum tantum Christi martyrum, verum & sanctorum quoque Confessorum corpora linteis diligenter obvolvere fideles consuevere: cujus rei etsi haud pauca recolentibus exempla suppetunt, unum tamen præ omnibus lectori prælibasse satis erit. In recolenda enim Alberti conspicui sanctitate viri historia narratur, quod à B. virgine Aldegunde, cum morti jam proximus esset, funebre ejusmodi linteum ad se transmitti voluit: rem verò Surius in ejusdem gestis hunc in modum describit: *Adveniente tempore obitus sui, ipse sanctus misit ad beatam Aldegundem, ut vestes in usus exequiarum sibi mitteret, ut linteis virgineis manibus textis virgineos artus componeret. Missus itaque nuncius cum iter medium explevisset, ecce à beata virgine alter missus occurrit, ferens secum linteamina, quibus obvolvi deberet corpus defuncti.*

Confessorum corpora linteis etiam involvere olim solemne Christianis erat.

Albertus linteum funebre ab Aldegunde sibi morituro transmitti voluit.

Surius in vit. S. Alberti.

20 Præterea sudario facies obtegebatur, de quo Joannes meminit, dum de Lazaro redivivo ait: *Et facies illius sudario erat ligata.* Non absimilem in morientibus superinducti minoris panni morem ad faciem obtegendam Gregorius in funere Cassii Narniensis Episcopi adnotavit his verbis: *Cassius Narniensis urbis Episcopus moriturus assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur: quo tenso spiritum emisit, sicque sancta illa anima ad gaudia æterna perveniens à carnis corruptione soluta est.* Idem in Caroli Magni funere servatum est: *Corpus enim ejus* (ut gesta perhibent) *vestitum est vestimentis imperialibus, & sudario sub diademate facies ejus operta.*

Io. c. 12.

Sudarium funebre quo facies obtegi solebat.

Greg. hom. 37. in Euang.

21 Nec interim prætereundum est, quod à S. Athanasio in Magni Antonii gestis narratur, morem videlicet Ægyptiis olim fuisse, ut virorum nobilium, & præcipue martyrum corpora linteaminibus obvolverent, qua ratione ipsiusmet Antonii Anachoretarum principis exceptum fuisse corpus affirmat. Et ex Hieronymo item perspicuum fit, mulieris illius septies ictæ cadaver, cujus ille historiam contexit, à clericis antequam sepulchro inferretur, linteo involutum fuisse. Et insuper ex Eusebio comperimus, Asterium Romanæ nobilitatis

Athanas. in vit. S. Anton.

Linteis illustrium virorum cadavera involvi solitis Antonii magni corpus obvolvitur.

Hier. ep. 49.

Euseb. in l. hist. 7. c. 14.

litatis Senatorem Marini centurionis, postquam dignum pro fide apud Cæsaream Palæstinæ sub Imperatore Gallieno martyrium consummaverat, corpus tulisse & magnifico ac sumptuoso amictum linteo, decenti, ut tanto viro par erat, sepulchro condidisse. Quoniam verò fures prædandi cupiditate illecti, sepulchra olim effodientes, ipsamet defunctorum spolia, ac vestimenta diripiebant, quamplures ad compescendam hominum rapacitatem, & procul avertendas latronum manus, ne id suis accideret, ut Chrysostomus ait, præcaventes, *tenuia scindebant linteamina, multisque implebant aromatibus, ut duplici nomine furibus inutilia redderentur.* Sed hæc ad antiquissimum hunc morem comprobandum exposuisse sit satis.

CAP. XXV.

Vestes, indumenta, aliaque id genus in sepeliendis defunctorum corporibus adhibentur.

1 NOn imus quidem inficias, amice lector, apud Christianos in efferendis beatorum martyrum, seu confessorum corporibus linteamina haud semper in usu fuisse. Ex ipsis enim sanctorum gestis, quæ adhuc supersunt, & apud probatos quosque rerum historicarum scriptores sat quispiam nosse potest, nonnunquam post delibuta unguentis, ac perfusa aromatibus corpora, suismet eadem ac magnificis vestimentis superinduta fuisse. Qui certe mos defunctos pretiosis vestibus exornandi, apud ipsosmet gentiles in usu quondam fuisse, dum à suis eorumdem cadavera amicas inter manus curanda exciperentur, ex ipsomet Ennio comprobatur: hic enim exhibitum in Cresphontis nece, ac filiorum ejus luctum his verbis describit.

Neque terram injicere, neque cruenta
Convestire mihi corpora licuit,
Neque misere lavere lacrymæ salsum sanguinem.

2 Quapropter (ut à profanis retrahentes pedem, sanctorum actibus insistamus) pretiosissimum beatæ Cæciliæ corpus contextis ex auro vestibus amictum, quibus olim à Christianis sepulturæ demandatum fuerat, cum postea in lucem iterum tot evolutis annorum circulis prodire contigit, vestibus, inquam, pretiosis, ornamenti, & decoris gratia indutum, jam pridem primo sub Paschale Papa, & nuper sub Clemente VIII. repertum fuit, uti prolixe rem totam describens oculatus alioqui testis, omnique fide dignissimus Cardinalis noster Baronius Annalium Ecclesiasticorum scriptor enarrat. De sacri autem ejusdem corporis inventione ipsemet Bosius satis quidem copiosam, eruditamque enarrationem contexuit, quæ recolendis beatæ virginis, ac martyris Cæciliæ actis ab eo editis perpetui instar monimenti inserta est.

3 Eusebius insuper refert Marini martyris corpus, cujus paulo ante meminimus, ab Asterio senatore pretiosis quoque vestibus coopertum fuisse: *Asterius*, inquit ille, *etiam vir è senatorum Romanorum numero, &c. sancti Marini martyris cadaver tollit, splendida & pretiosa veste obtegit, atque humeris impositum inde deportat, quod cum magnifico, & sumptuoso linteo involvisset, decenti sepulchro condidit.* In sacris præterea actibus, quibus martyrum certamina posterorum memoriæ commendantur, legimus corpus Vari conspicui martyris à Cleopatra matrona splendidis indutum vestibus tumulo injectum fuisse, ut in ejusdem apud Surium actis in hæc verba: *Cleopatra matrona corpus martyris tollit, & pretiosis unxit aromatibus, & splendidis induit vestibus, &c.* Quem profecto morem apud antiquos receptum ipsemet Augustinus innuisse videtur, hæc dicens: *Sed pompa est funebris, excipitur sepulchro pretioso, involvitur pretiosis vestibus, sepelitur unguentis & aromatibus.* Sur. t. 5. 19. Octob. S. Aug. in psal. 48.

4 Et quamvis hic postea usus ob infelicem humanarum rerum, ac temporum conditionem, nimiamque morum corruptelam, quæ orbi contigit, à recto rationis tramite longe aberrasse visus sit, eumque jure merito sancti patres, & Chrysostomus præsertim, velut quid reprehensionis stylo insectandum, dictis, ac scriptis pariter in lucem editis Christianæ religionis, ac temperantiæ zelo succensi acriter perstrinxerint, ob immanes videlicet, qui in vestiendis, exornandisque cadaveribus sumptus irrepserant; eum tamen Ecclesia in efferendis Pontificum, sacerdotumque, quin & ipsorum Regum, Principum, ac virorum, necnon fœminarum illustrium corporibus illibatum semper retinuit. Quamobrem ritum hunc vel ipse Chrysostomus, qui supra rationabilibus ex causis dumtaxat, tamquam luxuriosum quid damnaverat, facto comprobavit, dum supremam funeris pompam (ut cæteri consueverant) vestiumque decorem sibi quoque sub vitæ finem aptari poposcit: moriens quippe novis ac candidis indui vestimentis voluit, quod in ejusdem gestis hunc in modum Palladius enarrat: *Illuc ubi rediit, vitæ suæ digna candida vestimenta quæsivit, exutusque prioribus ea sibi induit, omnibus usque ad calceamenta mutatis.* Hoc idem Petro Episcopo ac martyri Alexandrino contigit, cujus venerandum corpus, antequam de more efferretur, sericis indumentis, & sacerdotalibus quidem, vel potius episcopalibus splendide coopertum est, cujusmodi & nos fuisse credimus candidas illas vestes, quibus Chrysostomus sub extremam vitæ periodum ad pronuntiandam bene valentis animi lætitiam indutus est.

Nimius in mortuis vestiendis luxus notatus, ac perstrictus. Chrys. in hom.

Principum, ac sacerdotum corpora magnifice vestiendi usus semper tenuit.

S. Chrysostomus novis ac candidis amicin vestibus moriens postulat. Pallad. in vit. Chrys.

S. Petrus Alexandri. cum sericis, ac episcopalibus indumentis sepelitur. Sur. in vit. S. Petr. Alexand.

5 Mos enim olim fuit, ut Episcopi, necnon sacerdotes ornamentis suo ordini congruentibus, ad instar sacerdotum antiquæ legis amicti tumularentur. Unde Nicolaus de Lyra in cap. 10. Levitici de sacerdotibus Nadab & Abiù loquens, hæc ait: *Ex hoc autem quod Nadab, & Abiu fuerunt sepulti cum vestibus sacerdotalibus, inolevit consuetudo, quod sacerdotes novæ legis cum vestibus sacerdotalibus sepeliantur.* Id ipsum Glossa constanter edocet, cui pariter omnes fere sacrorum Canonum doctores adstipulantur, ut Abbas sub ipso disputationis exordio palam asseverat. Expresse autem ibidem dicitur, clericos utique sacris ordinum, quibus eorum quisque insignitus est, indumentis sepeliendos esse: quod si in omnibus canonicæ legis præscriptum servari nequeat, servandum saltem est in Episcopis, & sacerdotibus.

Sacerdotes tam novæ, quam veteris legis cum ornamentis sacerdotalibus humari soliti. Nicol. de Lira in lev. c. 10. Glossa in c. nemo de consecr. dist. 1. Abbas ibid. Clerici cum ordinum suorum vestibus sepeliendi.

6 Hoc in perantiquis pariter Ritualium codicibus expresse decernitur, ut ipse testis est Durantes de officio defunct. ubi hæc habet: *Clerici verò, si sint ordinati, illis indumentis induti sint, quæ requirunt ordines, quos habent: si verò non habent ordines sacros, more laicorum sepeliantur. Veruntamen licet in aliis ordinibus propter paupertatem hoc sæpius omittatur, in sacerdotibus tamen, & Episcopis nullo modo prætermittendum est. Vestes enim sacerdotales virtutes significant, cum quibus præ cæteris sunt Domino*

Durant. in Ration. de off. def. l. 7. Episcopos præsertim, ac sacerdotes suis ornamentis amictos sepeliri canoni præcipit.

mino præsentandi. Sacerdotalium autem vestium, sive Pontificalium appellatione non ipsa tantum indumenta importari videntur, sed cætera quoque ornamentorum genera, quæ ordinibus congruunt, ut calix, crux, annulus, baculus pastoralis, cum quibus singulis Pontificiæ cathedræ, vel tituli insigniis Episcopos complures tumulo illatos fuisse legimus.

Sacerdos cum cruce, & calice sepulchro conditur. Sur. to. 6. 3. Dec.

7 Quis verò nesciat sanctissimi Episcopi Birini corpus sacerdotali habitu superamictum, appositaque pectori cruce una cum calice, annulo quoque Episcopali splendide exornatum fuisse, ut Surius in ejus vita his verbis refert: *Invenere corpus Episcopi integrum cum duplici stola, & infula rubræ è panno serico, atque cum cruce è metallo confecta, pectori ejus imposita, denique cum calice ad umbilicum ejus posito.* Et paulo infra de secunda venerandi corporis inventione loquens, hæc subdit: *Inventusque est annulus, &c.* Idem quoque in gestis B. Arnulphi Suessionensis Episcopi eumdem apud Surium videre est; illum videlicet pontificalibus de more indumentis coopertum fuisse, annuloque pontificio insignitum, de quo postea præclarum illud miraculum his verbis recitatur: *Cumque beati viri corpus pro more compositum, & pontificali habitu ornatum in templum illatum esset, veritus frater Evrolphus, ne inter tot promiscuas turbas rapax quispiam aureum annulum à manu ejus abstraheret, abstulit illum. Hora autem sepulturæ adveniente, cum vellet annulum digito rursus adjungere, frigida manus, & contracti digiti adeo rigebant, ut id efficere non posset. Ea re amor erga illum fidelium indoluit, orabantque cum gemitu, ne Dominus sineret illud sacrum corpus suo cultu carere. Et ecce illis pie conquerentibus, manus dextera à pectore se erigit, digitos displicat, & diducit, & annulum digito inferendi magnam præbet opportunitatem. Ideo insertum annulum ad pristinum se locum retrahit, & digitos ut antea intra volam contrahit.* hæc ibi.

Episcopus cum annulo pontificio sepelitur. Sur. in vit. S. Arnulph. Suession. Episc. to. 4. 15. Aug. Arnulphi cadaver annulum pontificium porrecto digito prodigiose recipit.

Cum baculo item pastorali Episc. humari soliti. Surim in vit. S. Hereb. Colon. Archiep.

8 Herebertum item Coloniensem Archiepiscopum miræ sanctitatis virum ad Pontificalium infularum præmonstranda insignia, cum baculo pastorali tumulatum fuisse apud Surium invenies, qui illud potissimum omni admiratione dignum enarrat, eodem baculo, dum è monumento prodiret, Volpertum quendam Tuitiensem abbatem, qui ad ejus tumulum tunc orabat, percussum leviter ab eo fuisse, qua ex visione is inusitato tremore correptus, observantioris vitæ proposito sibi posthac consulendum putavit. Plura quidem hic è probatis sanctorum gestis deprompta subtexere potuissemus exempla, eorum dumtaxat, quorum post mortem corpora sacerdotalibus indumentis exculta intra tumulum honorifice recondita fuere: verum ut ex multis pauca interim in medium proferamus: laudabilem hanc Ecclesiæ consuetudinem legentibus contemplandam exhibent gesta sanctorum Gebardi Constantiensis, Annonis Coloniensis, Corbiani Frisingensis Episcoporum, aliorumque pontificali honore præstantium, quæ brevitatis causa, ne lectorem gravemus, consulto omittuntur.

Virgines capite floreis coronis redimito tumulantur

9 Demum ut his, quæ de exornandis defunctorum corporibus hucusque enarrata sunt, coronidem imponamus, coronas ipsas adjicimus, quibus è vario florum genere contextis redimiri, atque exornari sacrarum virginum capita in usu quandoque apud antiquos fuisse ex pia rerum historicarum traditione accepimus. Quod maxime tum devotionis, tum obsequii gratia in sacratissimo Deiparæ capite servatum fuisse Damascenus de dormitione Virginis his verbis edocet: *Postquam autem omnes desiderio simul & debito satisfecerunt, & ex multis floribus, variisque hymnis contextam sacram coronam contexuere, &c.* ut merito virgineum illud sanctitatis caput, cui Deus subditus in terris fieri, & cujus imperio parvulus subjacere dignatus est, merito, inquam, caput in terris redimirent flores, quod in Cælo ipsa coronant sidera, & sol vestit, ut Bernardus ait, quo prophetæ vaticinium adimpleretur: *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.*

Deipara Virgo post mortem multiplici florum serto coronatur. Damasc. de dormit. Virg.

Ber. ser. in c. 12 Apoc.

10 Quapropter singulari devotionis erga virginem Deiparam studio his nostris temporibus præclaræ memoriæ vir comes Alexander Sfortia ad recolendam hanc Virginis coronam allusisse visus est, dum ad perpetuam suæ erga Virginem observantiæ monimentum reverendissimis Vaticanæ Basilicæ Canonicis, quos sibi ex testamento heredes nuncupavit, legatum hoc præ cæteris caute injunxit, ut singulis videlicet annis sacram aliquam Beatæ Virginis imaginem ex his, quæ miraculis quondam illustriores redditæ vel in Urbe, vel ubivis locorum claruerunt, ut eam nimirum corona aurea magni ponderis in capite solemni ritu exornarent, quæ ibi jugiter ad Virginis decorem, & pietatis monimentum permaneat: quapropter hoc ipsomet anno 1649. die 9. mensis Julii ad sacram nostram Vallicellanam beatæ Mariæ imaginem, quæ quondam miraculis claruit, splendida ex auro magni pretii corona ab Illustrissimis, & Reverendissimis Ugone Ubaldino inter Basilicæ Vaticanæ Canonicos Decano, & à Præsule Angelo Andosilla utriusque Signaturæ Referendario item Canonico, & S. Philippi alumno, delata nobili musicorum concentu, & patrum nostrorum, ac magno piorum interventu sanctissimæ Virgini dicata, & imposita est, illis potissimum verbis musico concentu sacros post hymnos decantatis: *Corona aurea super caput ejus, &c. et: Gloria & honore coronasti eam, & constituisti eam super omnia opera manuum tuarum, Domine.* En lector vel obiter, dum Virgines caput floribus devota Christianorum manu redimitum meminimus, ad insinuandam pia studia, quibus erga Virginem vicissim inter se fideles semper decertarunt, hic coronas aureas, quibus pari studio, ut audis, venerandum caput singulis annis perpetuo exornatur, haud ingrato præterire silentio voluimus. Sed ad nostra redeamus.

Comes Alex. Sfortia auream quotannis coronam Virgini offerendam testamento reliquit.

Vallicellanæ Virginis Imago hac Sfortiana corona donatur.

11 Id ipsum quoque venerabili Macrinæ capiti floribus exornando præstitum fuisse Nyssenus in ejusdem vita testatur, dicens: *Vestiana propriis manibus ornans sanctum illud caput, &c.* Et quidem perantiquum, recolendumque morem, quo floribus defunctorum olim corpora respergebantur, Hieronymus ad Pammachium scribens satis clare insinuasse videtur: miram enim ejusdem pietatem commendans, illud ait: *Quod cum cæteri mariti super tumulos conjugum violas, rosas, lilia, floresque purpureos, & dolorem pectoris his officiis consolarentur, ipse sanctam favillam* (Paulinæ videlicet conjugis suæ defunctæ) *ossaque veneranda eleemosynæ balsamis irrigaret, hisque pigmentis, atque odoribus foveret cineres quiescentes, &c.* Floribus item ac frondibus non defunctorum dumtaxat fidelium corpora, sed honoris, & lætitiæ gratia ipsæ martyrum Basilicæ, ac sepulchra adornari consueverant: cujus rei testis est

Macrina Nyssena floribus tumulanda coronatur.

Hier ep. 26. ad Pammach.

Flores quoque tumulis inspergi antiquis solemne.

Basilicæ, & sepulchra martyrum florib adornantur.

est Hieronymus, qui Nepotianum magnis ob id laudum præconiis celebrat: *Hoc idem*, inquit, *possumus & de isto dicere, qui Basilicas Ecclesiæ, & martyrum conciliabula, diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis obumbrabat.* hæc Hieronymus recolendam Christianorum consuetudinem his verbis exaggerans.

12 Porro primi illi antiquæ probitatis, candidæque fidei Christiani suos coronis prosequebantur mortuos, virgines præsertim, & martyres, hanc unam potissimum ob causam, ut post superata videlicet ærumnosæ hujus vitæ certamina, victores eosdem è seculo in Cælum se recepisse, impertita capiti corona, quæ victoriæ symbolum est, contestarentur. Notandum tamen est, laudabilem hunc Christianorum ritum alienum omnino ab eo extitisse, quo gentiles ipsi utebantur, dum suos pariter post mortem ambitione ducti corona donabant, & contexta tumulo serta affigebant, ut ex duodecim Tabularum lege satis aperte constat, quæ earum dumtaxat coronarum usum defuncto impertiendum statuit, quas ipse sibi vivens honesto virtutum cultu promeruisset. Sed legis hic verba excipiamus: *Qui coronam parit ipse pecuniaque ejus, virtutis ergo arduitor, ipsique mortuo, parentibusque ejus, dum intus positus erit, forisque feretur, sine fraude imposita esto.* Germanus verò sensus ejusmodi verborum legis Joanne Azor in suis moralibus institutionibus exponente, hic est, *ut eas* nimirum, inquit, *coronas ad funera adhiberi permittatur, quas quisque, vel per se ipse, vel per servos, equosque suos virtutis ergo in publicis ludis, certaminibusque sibi peperisset; ac si lex dicat, tanquam præmium virtutis victoribus proponantur coronæ in sepulchris eorum, qui easdem consecuti sunt.* Pecuniæ autem nomine ibidem, ut quidam interpretantur, *equi, & servi* intelliguntur. Porro verbum illud jam antiquatum *arduitor, antiquum utique verbum est* (inquit Azor) *ab arduo, sive adduo*, idem *plane significans quod addo.* hæc ille: hanc autem, quam protulimus, legem Plinius quoque recitat.

13 Et ut nonnulla hic, quæ ad instituti propositum faciunt, in lectoris gratiam exponamus; mos quidem antiquis extitit, non defunctos dumtaxat coronandi, verum & feretra, rogos, urnas, ac sepulchra, & demum coronati ipsa prosequi funera consueverant. Nempe, ut aperte in sua Pædagogia Clemens Alexandrinus innuit, ad significandam subacti nimirum seculi victoriam, quod & Chio ad Platonem scribens iisdem plane verbis asserit, ut apud Suidam, & in Epicteti responsis ad Imperatorem Adrianum videre est. Quo item Hieronymus respexisse videtur, cum ad Marcellam de obitu Leæ, notæ sanctitatis viduæ scribens, hæc ait: *Universorum gaudiis prosequenda, quæ calcato diabolo, coronam jam securitatis accepit.*

14 Hunc tamen morem à gentilibus frequenter usurpatum, & superstitiosis eorum cæremoniis respersum haud ratum, acceptumque Christiani habuere, utpote qui omnipotenti Deo omnimoda cordis puritate inservientes, ne quid ulla ex parte immundum in religionem, ejusque cultum, ac in mores obreperet, omni adhibito studio præcavebant, quoniam & Diis coronæ ritibus quibusdam adhibitis, Tertulliano teste, consecrabantur, &c, ut Plinius ait; *Deorum honos erant, & larium publicorum, privatorumque, ac sepulchrorum, & manium.* Et ut perantiquus ille poëta apud Stobæum exponit, coronatione, & delibutione cadaverum, symposia, sive beatorum convivia designabantur, ad quæ suos proficisci defunctos existimabant: veteres enim gentiles coronatos pariter, & unguentatos solemnibus interesse conviviis consuevisse haud cuiquam, ut putamus, ignotum est.

Coronatio cadaverum symposia beatorum apud ethnicos designat.

15 At Christiani mortuos, quos inter certaminum agones merito desudasse sciunt, in victoriæ signum coronant: in Cælo enim immortales post mortem sancti de manu Dei coronas ambiunt: victoriales autem coronas, de quibus nunc sermo incurrit, vix ullus est ex tot sanctorum patrum numero, qui ne dum gentilibus, imo neque ipsismet Christianis militibus aliquando improbandas esse affirmare ausus fuerit; unum dumtaxat Tertullianum excipiendo, in hac potissimum re, ut in aliis quammultis pertinaciter delirantem.

Coronatio mortuorum victoriam hujus seculi apud Christianos designat. Coronæ militi ab Ethnicis Imperatoribus dari solitæ non respuendæ.

16 Quam verò mordicus ipse præ omnibus Tertullianus institerit, ut coronæ, quas Imperatoris liberalitas ultrò donabat, à Christianis militibus omnino respuerentur, velut quid redolens superstitionis errorem, ex ipsiusmet verbis in libro, quem scripsit de Corona militis, videre est, ubi isthæc: *Proxime facta est liberalitas præstantissimorum Imperatorum, expungebantur in castris milites laureati. Adhibetur quidam illic magis Dei miles, cæteris constantior fratribus, qui se duobus Dominis servire non posse præsumpserat, solus libero capite, coronamento in manu otioso. Vulgata jam & ista disciplina Christianorum relucebat. Denique singuli designare, eludere eminus, infrendere cominus in nostrum. Tribuno defertur: & persona jam ex ordine accesserat; statim Tribunus, cur, inquit, tam diversus habitu? Negavit ille cum cæteris sibi licere. Causas expostulatus: Christianus sum, respondit. O militem in Deo gloriosum! Suffragia exinde, & res apud acta, & reus apud præfectos. Ibidem gravissimas penulas posuit, revelari auspicatus, speculatoriam morosissimam pedibus absolvit, terræ sanctæ insistere incipiens: gladium nec dominicæ defensioni necessarium reddidit, laurea & de manu claruit. Et nunc russatus sanguine suo, spe calceatus de Evangelii paratura succinctus acutiore verbo Dei, totus de Apostolo armatus, & de martyrii candida laurea melius coronatus, donativum Christi in carcere expectat.* hæc Tertullianus, qui militis Christiani facinus tanquam egregium prædicat, licet haud ulla prorsus necessitas militem ad id præstandum ob Christianæ fidei confessionem compelleret; nam nulla idololatriæ labes facinori tunc temporis inerat.

Poeta apud Stobæum. Tertullianus perperam eas reprobat.

Baron anno 201. to. 2. n. 2.

Miles Christianus coronam à Principe gentili oblatam imprudenter rejicit. Laudatur à Tertulliano.

17 Et quidem reliqui Christiani quod à milite tunc minus caute gestum fuerat, haud approbarunt, immo potius tanquam futuræ in Christianos persecutioni, quæ paulo post oborta est, aditum aperuerit, summopere detestati sunt, ut ex ipso Tertulliano constat, his quidem verbis: *Exinde sententiæ super illo nescio an Christianorum, non enim aliæ ethnicorum, ut de abrupto & præcipiti, & mori cupido, qui de habitu interrogatus, nomini negotium fecerit: Solus scilicet fortis inter tot fratres commilitones, solus Christianus. Plane superest, ut etiam martyria recusare meditentur, qui prophetias ejusdem Spiritus sancti respuerunt. Mussitant denique tam bonam & longam sibi pacem periclitari. Nec dubito quasdam scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem: nullam enim aliam Evangelii memoriam curant. Novi & pastores eorum in pace leones, in prælio cervos.* Hæc sunt delirantis jam, immo à recta

A prudentioribus tanquam occasionem persequendi Ecclesiam gentilibus frustra dedisse reprehenditur. Tertulliani jam Montanistæ in orthodoxos delirium.

fide penitus naufragantis Tertulliani verba, quibus primum Ecclesiæ Romanæ refragari, quod solent hæretici, audacter non desinit, ubi ipsummet Victorem summum Pontificem aculeatis dictis perstringit, utpote qui jam Montani hæresim ab ipsa Petri cathedra damnaverat, in quam ille miserrime prolapsus, errores, quos hauserat, tuendos, propugnandosque susceperat, & demum Catholicæ Ecclesiæ populum una cum Pontifice carpit: *Quod*, ut inquit Baronius, *persecutionis tempore fugiendum esse, non autem negandum contenderent, secundum consilium Domini, dicentis: Si persecuti vos fuerint, de una civitate fugite in aliam.*

Baron. t. 1. Ann. 201. n. 4.
Matt. c. 10

Tertulliani proba improbandi, & reproba probandi pervicacia.

18 Quoniam verò de militari corona meminimus, quam quidam perperam respuendo persecutioni causam dedit, repetendum est, haud ullam idololatriæ, aut superstitionis labem coronis hisce militaribus adfuisse, ob quam eas Christiani respuere, ac declinare cogerentur, sed totum ab ipsa Tertulliani pertinacia provenisse asserendum est, qui solus impugnare, quod Ecclesia non damnabat, & defendere, quod illa impugnabat, stomachabundo furore non destitit: sed Baronium hic quæso ad rem præsentem audiamus, ubi de Tertulliano loquens, hæc ait: *Et quod ab Ecclesia Catholica semel desciscens, in eamdem immortale jurasset bellum, inde accidit, ut quod Catholici improbarent, ipse mordicus defenderet, ut de milite illo accidisse vidimus, qui noluisset, ut alii quoque Christiani milites faciebant, lauream, donativum accepturus, in capite gestare. Non sane ex idolo eam sumebant, vel illi eam postea offerebant: nulla cum ea thuris oblatio, vel alia intercedebat superstitiosa libatio: nihilque aliud illa præ se ferebat, quam insigne victoriæ, qua quidem, nec qui tunc aderant, nec qui alias sub aliis Imperatoribus militassent, abstinuerint unquam, nec quod unus hic fecit, ab aliquo alio milite Christiano aliquando factum esse aliquod exemplum præcesserat, quo ea de causa miles aliquis videretur subiisse martyrium. Nam alias cum ovantes, tum etiam triumphantes venerant cum Imperatoribus milites Christiani, & ubique sicut cæteri laureati: quod à nemine illis datum est crimini; cum tamen certum sit, Christianos non parvo numero (quod & ipse Tertullianus in Apologetico testatur) in castris militare consuevisse. Legionem certe Fulminatricem dictam ex Christianis fuisse refertam suo loco narravimus. Nec rursus eam ob causam, quod laurus Apollini, myrtus Veneri diceretur esse dicata, ex iis coronari vetitum erat; nam ea ratione, nec ad ullum usum Christiani el mentis (quod deridet Augustinus scribens ad Publicolam) nempe terra, quia Cereris, mari quod Neptuni, aëre quia Iovis, igne quia Vulcani esse dicerentur; nedum iis arboribus, aliisque plantis, & animalibus Diis dicatis uti valuissent: quod asserere insania plane videretur; cum alioqui etiam idolothyta nulla facta disquisitione manducare concesserit Apostolus, dum nullum scandalum immineret. Quod & dicendum de laurea: nam cum nullus pateretur offensam, quod omnes æque incederent laureati, frustra, atque superflue id ab eo milite tentatum esse videri poterat.*

Castigatio militis Christiani coronam ab Imperatore ethnico oblatam frustra respuentis.

Legio Christianorum Fulminatrix sub Ethnicis Imperatoribus militabat.

Aug. ep. 54.

Insania est, aliquid ideo rejicere, quia illud olim Idolis erat sacrum.

19 Idem Baronius deinde discrimen assignans, cur Christiani abstinerent à coronandis domorum postibus, & lucernis accendendis in publicæ signum lætitiæ, hæc subinfert: *Sed & his adjicimus non eamdem fuisse rationem lætitiæ causa domus postes coronare, vel lucernas accendere, quod Christiani facere detrectarent, & coronas victoriæ insigne milites ferre: nam illud erat voluntatis non necessitatis commune omnibus; sed ut idem Tertullianus ait, ex cujusque pendebat arbitrio, qui eo obsequio adulari cuperet Imperatori. At militaris corona erat ejus temporis necessarium capitis ornamentum: eo enim nobili insigni victoriæ, sicut & gladio accinctos ad victoriæ præmium capessendum milites progredi necesse erat. Atqui Tertullianus cum tam vehementem, fortemque pro eo instituerit, defensionem, eo erroris quoque miser prolapsus est, ut negaret Christianum hominem posse fide salva militem agere.* hæc ex Baronio, vel obiter lectori exposuisse sufficiat, jam verò ad nostra redeamus. Demum (ut coronis insistendo finem enarrationi faciamus) ipsa martyrum sepulchra à Christianis olim coronari consueverant, ut locupletissimi testes sunt Paulinus, Gregorius Turonensis, & alii. Qua etiam de causa ille apud Christianos mos inolevit, ut laurum in sepulchralibus urnis apponerent; eo quod videlicet frondibus nunquam emarcescentibus perpetuo virescat, & ut Plinius ait, *triumphis arbor hæc proprie dicetur.* Sed hæc in alium locum discutienda remittimus. Interim verò quæ diximus, magis infra exponendo patebunt.

Christiani alia adulandi Principi triumphanti signa præter gestationem

coronæ exhibere renuunt.

Tertull. de cor. mil. c. 11.

Baron. t. 2. ann. 201. n. 16 17.

Greg. ... de Homer. SS. mart. l. 2.

Cur lauri folia in sepulchris.

Plin. l. 15. c. 30.

CAP. XXVI.

Dissecta Martyrum corpora collectis & in unum compositis membris tumulo inferuntur.

1 Christiani utpote gravi olim, atque oneroso Moysaycæ legis, ac cæremoniarum ejus jugo exempti, & à vano, futilique gentilitiæ superstitionis cultu immunes singulari ipsius Dei beneficio redditi, cum probe nossent, quod Hieronymus ait, *Samaritanum, & Iudæum esse, corpora mortuorum pro immundis habere*, ac proinde haud quemquam contactu, aut præsentia eorumdem pollui, quorum pretiosa in conspectu Domini mors est, maximum jugiter devotionis studium beatorum martyrum fovendis, curandis, tumulandisque corporibus adhibuere. Olim quippe, ut diserte Basilius asserit: *Pro legis Iudaicæ ritu si qui moriebantur, horum morticinia habebantur abominationi: contra, mors si cui pro Christi nomine, pretiosæ censentur reliquiæ sanctorum ejus.* Et infra: *Nunc ossa martyris quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem fit quadamtenus sanctificationis particeps.* Tanti autem pretii hoc pietatis obsequium, quod defunctis impenditur, apud Christianos extitit, ut nullatenus extinctorum hominum cadavera immundum quid rati, ex laudatissima primitivæ Ecclesiæ consuetudine, ipso Dionysio Areopagita teste; in excolendis Christianorum funeribus *primo quidem antistites, inde reliqui omnes, qui aderant, mortuos osculo, & complexu salutare consueverint,* ἀσπάζεσθαι τοὺς κεκοιμημένους.

Cadavera immunda & abominationi ab Hebræis habita sunt.

Ep. 52. ad Rip.

Psal. 115.

Cadavera martyrum pretiosa & sanctificationem participantia à Christianis habentur.

Basil. sup. cit.

Dion. Areop. Hierar. c. 7.

Osculis, & amplexibus cadavera piorum hominum venerantur.

2 Quo igitur animi studio, quibus manuum obsequiis eos potissimum prosecutos fuisse credere par est, quos tanquam dignissimos Christi martyres venerabantur, & quorum sacras reliquias uti laborum omnium, ac certaminum, quæ hic subierant, participes, immortalitatis laurea donandas, certissime sciebant. *Corporibus enim omnium*, ut Cyprianus ait, *qui glorioso exitu mortis excederent, vigilantiam, & curam propensiorem impertiebantur.* Et ut Pius sanctissimus Pontifex ab ipsa Petri cathedra docuerat, *sanctorum martyrum corpora, sicut Dei membra curanda esse non ignorabant.*

Martyrum præcipue corpora, ut membra Christi honorant.

Cypr. ep. 37.

3 Hinc jure merito pia eorum Christianorum studia magnis à Chrysostomo laudibus celebrantur,

Insigne Antiochenium in

qui

martyrum reliquiis honorandis studium. *Chryf. in SS. mart Jun. & Max.*

qui Antiochiæ, ut ipse ait, *post beatam illam cædem, etiam cum salutis periculo athletas illos optimos rapuerunt etiam ipsi vivi martyres, ut eorum reliquias curarent decenter.* Quid enim homine Christiano dignius excogitari potest, quam eos certatim honoribus, & obsequiis prosequi, quos perenniter cum Christo victuros Christiana humanis mentibus fides suggerit? Quapropter ipsemet mortis eorumdem dies solemni ritu, festivoque gaudio ob immortalitatis spem concelebrabatur, ut Origenes acutissimus ingeniorum arbiter hunc in modum optime philosophatur: *Diem*, inquit, *mortis celebramus, quia moriuntur hi, qui mori videntur; propterea & memorias sanctorum facimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis confirmationem in fide postulantes.* hæc ille.

Cur dies obitus sanctorum festivo ritu celebretur. *Orig. lib. 3.*

Præcipuum in dissectis, dispersisque martyrum membris componendis fidelium studium.

4 Cum igitur adeo soliciti Christiani omnes extiterint in curandis, componendis, exornandisque jugiter beatorum martyrum corporibus, futuram utique exhibitis hujuscemodi signis resurrectionem protestabantur, maximum tamen adhibere studium haud unquam destitere in sanctorum martyrum dissectis, projectisque huc illuc membris diligenter primum conquirendis, colligendisque, ac demum iisdem inter se officiosa coaptandis, componendisque manu. Quod quidem Prudentius in suo Peristephano hymno de Hippolyto illis verbis innuit:

Prudent. in Peristephano.

Cumque recensitis constaret partibus ille
Corporis integri, qui fuerat numerus.

Id autem evidentius sanctissimi Constantii Episcopi Perusini acta apud Surium descripta testantur, quæ legentibus isthæc perhibent: *Quod illi Dei mandatum exhaurire cupientes, quæ primum sese obtulere arbores, ex his ligna incidunt, in eaque ad feretri formam constructa corporis primò truncum imponunt, deinde huic caput sacratissimum, quam maxime possunt, accommodate annectunt.* Idem apud Adonem de conspicuo inter matyres Petro Alexandrino Episcopo in hæc plane verba legimus: *Declinantes itaque triumphale funus, sacrum caput cervici apponentes, &c.*

Sur. to. 1. 9. Ian.

Ado de S. Petro Alex. 26. Novem.

4 Porro illud celebre, ac memorandum jugiter est, quod de venerabili Stanislao Cracoviensi Episcopo legendum acta ejusdem hunc in modum exhibent: *Canonici Cracovienses sparsa membra nocturni de Cælo splendoris indicio colligunt, & suis locis apte disponunt, quæ subito inter se copulata sunt, ut nulla vulnerum vestigia extarent.* Vides hinc quam impense beati martyres charitatem, atque unitatem dilexerint, qui quælibet tormentorum genera subire, & gladios, bestias, ignes pati maluerunt, quam semel à Christi charitate excidere, ac sejungi & ab ejus fide divelli; clamabant quippe cum Apostolo: *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* O vinculum charitatis animos invincibiliter vinciens. Hoc uno amoris nexu vincti Christo tanquam capiti membra ita cohærebant, ut vel gladio recisi, ac mortui ipsam se diligere unitatem, & à Christo, & ab Ecclesia sejunctionem odisse penitus comprobaverint, dum corporis membra etsi carnificum manu resecta, & sparsim plures in partes divisa, haud permanere sejuncta ad fidei unitatem fidelibus commendandam insigni miraculo passi sunt. Idem plane reliquiis sanctæ Febroniæ in M. S. ejusdem actis Cod. S. Petri contigisse narratur: *Tunc levantes corpus sanctæ Febroniæ cum magno studio posuerunt in lectulo, & ordinabant membrum ad membrum, unumquodque suo loco.*

Stanislai membra dispersa colliguntur, & inter se prodigiose coalescunt. *Act. S. Stanisl. Episc. Cracov.*

Apost. ad Rom. c. 18.

Febroniæ concisa membra à fidelibus studiose composita humantur.

M. S. Cod. S. Petri.

Quapropter ut in sacris frequenter Cœmeteriorum sepulchris videre est, obtruncata beatorum martyrum membra simul compacta, suisque aptata locis, ac tumulo pia fidelium manu recondita inter perscrutandum reperiuntur.

5 Sanctorum quippe martyrum reliquiæ haud ulla impiorum hominum, aut temporum injuria abolentur, immo tunc magis condi, & condiri quodammodo ac perennari videntur, cum majori conatu impiæ persecutorum manus insilientes, eadem discerpere, perfringere, ac demoliri satagerunt, sacrarum enim paginarum testimonio, *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Quapropter atteri quidem, & Deo permittente conculcari, sed minui, sed aboleri eodem custodiente nequaquam possunt. Nonne Ignatii Episc. Antiocheni nobilissimi inter martyres ossa, quæ in Rom. Amphitheatro leonum ac bestiarum dentibus contrita quondam fuere, decorem inde ac splendorem potius, quam contumeliam, ac si contusa frumenti grana, retulerunt? quippe tunc maxime martyris oraculum adimpletum est, qui dum Romam morte afficiendus, ad bestias jam damnatus properaret, transmissa eosdem Romanos epistola præveniens, edixit: *Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ, quas oro & mihi velociores esse ad interitum & ad supplicia & allici ad comedendum, ne sicut & aliorum martyrum non audeant corpus attingere, quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo ut devorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit, ego scio.* Vide alacritatem animi ad necem properantis, qui insuper, ut Hieronymus ait: *Cum jam damnatus esset ad bestias, & rugientes leones audiret, ardore patiendi ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Oraculum Dei, vox martyris extitit: ejus quippe ossa adeo ad vivum intuentibus panis formam exhibent, ut quisquis oculis rem deprehenderit, hærebit profecto, ossa ne sint, an candidi potius fragmenta panis, quod in quadam sacrorum ossium particula videre est, quæ in nostra Vallicellana Ecclesia ab ejusdem sepulchro Pauli Quinti Pont. Max. auctoritate desumpta asservatur, cum pars altera ad Panormitanam urbem, ubi in ejus honorem à nostræ Congregationis patribus Ecclesia dicata est, transmissa fuerit. Porro in sacrorum ossium monimentum Martha Marchina singularis eloquentiæ virgo velut altera Maria Moysis soror sacri cantici carmen hoc cecinit, quod lectori hic exhibemus:

Nulla vis martyrum reliquias abolere potuit.

Psal. 33. 21.

Ignatii martyris patiendi pro Christo ardor.

Ignat. ep. ad Rom.

Hier. lib. de script. Eccl.

Frumentum Christi ferarum dentibus molendum se vocat.

Et vere nunc ossa ejus similitudinem panis referunt.

Pars ossis fuerat, sacri nunc aspice panis
Perspicuo gemmæ conditur in gremio.
Dente leo has Christi fruges contrivit, easdem
Igneus imbutus sanguine coxit amor.
Ambigis? Nunc iterum vivos concrescere in artus
Aspiciens dices: hic modo panis erat.

En rem, amice lector, non tam oculis ac manu, quam fide, atque auribus deprehendendam, & à pia muliere eleganti carmine expressam hic tibi contemplandam offerre voluimus. Sed jam ad nostra redeamus.

6 Quoniam vero hic de conscissis ac mutilatis beatorum martyrum corporibus mentio agitur, de eorumdem quoque martyrum membris ferro interdum ignominiæ causa notatis, vel obiter opportunus sermo occurrit. Ab antiquis enim temporibus cum acrius gentilium in Christianos rabies recrudesceret, quævis tormentorum genera ad eosdem excruciandos, & ignominia pariter afficiendos studi-

Notæ, ac stigmata Christianis in contumeliam inurunturr.

diose adhibebantur; quamobrem eos, quos gladio non animadvertebant, ad majorem pœnam notas eorumdem membris inurendo, vitæ, immo potius probro ac ignominiæ reservabant: barbari quippe homines in hoc Cassium ferum illum tyrannum æmulari videbantur, qui cum varia pœnarum genera in degeneres milites excogitasset, illud præ cæteris solemne erat, ut desertoribus nonnullis manus excideret, aliis crura ac poplites, ut Vulcatius refert, ferro incideret: *Majus exemplum esse*, dicens, *viventis miserabiliter criminosi, quam occisi.* Quam crudelitatem Maximinus ille hominum sceleſtissimus prosecutus est, qui confessoribus Christi ejuscemodi contumeliam intulit, ut dextero nimirum oculo effosso, & sinistro poplite succiso eosdem ad metalla damnaret: quos postea Constantinus Aug. cum fidem Christi amplexatus fuisset, ab exilio revocatos benigne admodum, tanquam victores è bello cum triumpho vulneribus saucios, ac stigmatibus insignitos redeuntes, non solum gratulabundus excepit, sed cum subinde sanctissimi iidem patres ad Concilium Nicænum ipso evocante se contulissent, stigmata, quæ pro fide glorioso mentis ambitu susceperant, condigno honore recolens, os vulneribus reverenter admovit, & veluti sacrum quid ultro exosculari voluit, ut ipse testis est Theodoretus, qui eosdem donis ab eodem munificentissime cumulatos, & omni obsequio affectos fuisse in hæc verba describit: *Jussit, ut sedes multæ pararentur, quo illis pariter omnibus epulum daret: qui autem erant illustriores, eos suæ ipsius mensæ fecit participes, alios vero ad alias dimisit mensas, & cum videret dexteros oculos quibusdam effossos, intellexissetque, quod constantia pro pietate eam cladem illis attulisset, labra vulneribus admovit, pro certo persuasus osculo se inde benedictionem hausturum esse.* Quibus hæc ad rem subdit Baronius: *Ejusmodi insigne Constantini pietatis officium iterum ab eo exhibitum, tum in adventu ipsorum Episcoporum, tum cum iidem postea recessuri essent, ab Eusebio silentio fuit prætermissum, quod Arrianus ipse, utpote nequam oculus orthodoxorum constantiæ invideret, quæ præsertim suggillasset ipsius ignaviam, quod in persecutione negasset.*

Majus supplicium viventis miserabiliter, quam occisi.

Vulcat. apud Baron. to. 2. an. 177. n. 6.

Constantinus Augustus notas, ac vulnera Sanctorum exosculatur.

Theod. l. 1. c. 11.

Baron to. 3. an. 325. n. 192.

7 Hæc quippe vulnera, ac cicatrices spectaculum Cælo dignum, hæc nobilis confessorum Christi corona, hoc perenne decus, hoc insigne plane admirandum; plagas videlicet & stigmata pro Christo in corpore mortali circumferre, & membris notas inflictas gestare: *Videbantur enim*, ut Tertullianus ait, *sibi de vulneribus formosiores.* Corporis quippe, ac membrorum integritas in confessoribus Christi, haud fidei ipsius integritatem, illibatamque virilis animi constantiam, sed eandem conscissam, ac labefactatam designabat. Hinc Potamon ille insignis inter Christi confessores, ejusmodi vulnerum characteribus pro tuenda fide notatus, cum in concilio, quod apud Tyrum adversus Athanasium hæreticis adnitentibus coactum fuerat, & in quo Arriani, & Eusebius Cæsariensis eorumdem signifer non omnem non movebat lapidem adversus sanam Athanasii fidem, Potamon, inquam, cum Athanasium Alexandrinum Episcopum, ac si reum in Concilio stantem, Eusebium vero perduellem, tanquam judicem throno residentem contemplatus fuisset, religionis zelo exardescens, acribus eundem verbis increpavit: *Erat enim*, inquit Epiphanius, *vir liberum habens os, qui nunquam personam alicujus suscepit, oculo enim in persecutione propter veritatem orbatus fuerat. Hic cum vidisset Eusebium sedentem, & judicantem, Athanasium stantem, superatus tristitia, & lacrymans ob ea, quæ adversus veritatis professores fiunt, invectus est voce magna contra Eusebium, & dixit: Tu sedes Eusebi, & Athanasius innocens stans à te judicatur, qui talia tulerit? Dic mihi tu: Nonne mecum fuisti in carcere tempore persecutionis, & ego quidem oculum amisi pro veritate, tu vero nihil mutilatum in corpore habere videris, neque testimonium propter confessionem tribuisti, sed stetisti vivens nulla parte detruncata. Quomodo discessisti è carcere, nisi quod promisisti iis, qui necessitatem nobis persecutionis intulerunt, id quod nefarium est, te facturum esse, aut sane fecisti.* hæc Epiphanius de venerandis confessorum cicatricibus, quæ illis haud probrum, sed decorem, ac gloriam contulere, & quibus iidem tanquam insertis gemmarum monilibus exornabantur, ita ut unusquisque eorum una cum Apostolo diceret: *Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto.* Absit quippe, ut de militis vulneribus saucii è prælio redeuntis virtute ambigatur, haud fieri potest, ut qui vulnera & cicatrices domum revehit, segnis ac formidolosus pronunciandus sit, utpote qui in acie perstitit, qui cum hoste palam congressus est: *Vulnera enim*, ut Cassiodorus ait, *optimo inseparabilis sine assertore præconium, propria lingua virtutis, quæ licet ad præsens periculum ingerant, reliquum tamen vitæ tempus exornant; egens enim est adstipulatoribus corpus illæsum, quærit alios, qui visa divulgent; de fortitudine vulneribus probata non ambigitur.* Ita plane confessorum, ac martyrum stigmata fidem Christi, ac Christiani pectoris constantiam non indicant, sed oculis ingerunt, sed auribus loquuntur.

Insignia gloriæ, ac decora à Sanctis vulnera & cicatrices pro Christo æstimantur.

Tertullian.

Potamon pro fide oculo orbatus.

Epiph. her. 68. Idem exprobrat ignaviam Eusebio

fidem, ne membro gloriose mutiletur, neganti.

Baron. to. 3. an. 335. n. 8.

Ad Gal. c. 6.

Vulnera militum signa virtutis illorum.

Cassiod. l. 8. var. c. 10.

8 Hoc vero nobili probro ac contumelia Flavianus martyr dignissimus sub impio Juliano Apostata affectus est, qui cum generis nobilitate inter Romanos præstaret, ab eodem servilibus notis pro Christo inuri meruit, de quo isthæc in Martyrologio Romano: *Romæ S. Flaviani expræfecti, qui sub Iuliano Apostata pro Christo inscriptione damnatus, & ad aquas Taurinas in exilium missus, illic orans spiritum Deo reddidit.* En ut vides nobile pœnarum genus, quo Christiani tum martyres, tum confessores nobilitate conspicui afficiebantur, ut Baronius in suis ad mart. notis in hæc verba enarrat: *Ejusmodi ignominia affici solitos Christianos confessores docet Pontius Diac. in vita sancti Cypriani dum ait: Quis denique confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, & ad exemplum martyrii superstites reservatos, incentivo tubæ cælestis animaret. Hæc ille. Servorum vultus inscribi solitos testatur Plin. lib. 18. cap. 3. & alii, ut Varro lib. 1. de re rustica. Servos pœnæ etiam, unde Suet. in Cajo c. 27. ait: Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis ad metalla, & munitiones viarum, aut ad bestias condemnavit. De servo hisce notis deformato meminit Valer. lib. 6. c. 8. Dicebantur ejusmodi servi stigmatici, sic apud Dionem histor. Rom. lib. 97. Itemque aliquando litterati, & inusti. Erat itaque inscriptio antiquum genus supplicii, quo summa irrogabatur ignominia, cum liberi hominis facies atris notis perpetuo mansuris profundis characteribus incideretur. Meminit ejus supplicii Seneca lib. 3. de ira c. 3. cum ait: Varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis, &c. sed frequentius de benef. lib. 4. c. 137. & 138. ubi de inscriptione, qua Philippus Rex ingratum hominem notandum*

Flavianus primariæ nobilitatis vir ab Apostata Juliano notis servilibus pro Christo inuritur.

Mar. Rom. die 22. Decemb.

Baron. in not. ad mar. loc. sup. cit.

Servorum vultus inscribi soliti.

Caligula multos nobiles notis inustos ad metalla condemnat.

Inustio frontis antiquum supplicium.

tandum

tandum esse præcepit. hæc satis erudite ad rei propositum Baronius.

Constantinus Augustus sanctione edita reorum vultus inscribi stigmate ultra prohibuit.

9 His nunquam satis laudandum clementiæ ac mitis animi exemplar à Constantino Augusto præstitum subtexit, dum pœnalibus ejuscemodi notis plecti reorum vultus, ac rigari mitissimus princeps sanctione edita prohibuit, sed ipsum interim Baronium isthæc enarrantem audiamus: *Constantinus Imp. ejusmodi vultus deturpationem lege vetuit, sic rescribens ad Eumelium: Si quis in ludum fuerit vel in metallum pro criminum deprehensorum qualitate damnatus, minime in ejus facie scribatur; dum & in manibus, & in suris possit pœna damnationis una scriptione comprehendi: quo facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cælestis est figurata, minime maculetur lib. 2. de pœn. Cod. Theod. Theophilus Imperator hæreticus iconoclasta abolitam, antiquatamque pœnam restituit, hisce non dicam ignominiæ, sed præclarissimæ laudis notis rigavit vultus SS. martyrum Theophanis, ac Theodori fratrum, quos Methodius illustris confessor, qui ob Christi fidem ab eodem Imperatore tenebatur sepulchro inclusus, per fidelem internuncium his salutavit jambis:*

Quorum libris scripta sunt in cælestibus
Nomina, piæque frontes compunctæ notis:
Hos, qui sepultus ante funus est suum,
Vinctos salutat, & ipse vinculis gravis.

Theodoricus Rex Opilioni & Gaudentio stigmata in facie minatur.

Thraciæ notæ quæ dicantur?

Hæc apud Georg. Cedr. in compendio hist. in Theoph. Comminatus est Theodoricus Rex Italiæ Opilioni, & Gaudentio viris clarissimis, inscribendas notis eorum frontes. Boeth. de consol. prosap. 4. Thracibus vero notæ in facie scriptæ erant in signum nobilitatis: unde in proverbium adducta Thracia nota, ut ex Herodot. not. Cœl. Rodig. lect. antiquar. lib. 7. c. 31. Meminit de Thraciis notis Valer. lib. 9. c. 42. extr. Dacos ac Sarmatas solitos fuisse suas frontes notis inscribere, auctor est Plin. lib. 22. c. 1. Stigmata fuisse & Britonum insignia testatur Tertull. lib. de virg. velan. Fuerunt & Syri stigmatici: non tamen in vultu, sed in vola manus, vel in cervice (ut tradit Lucianus in Dea Syria) stigmata incidebant. Hucusque de pœnalibus stigmatum notis dedecoris causa infligi consuetis Baronius. Sed isthæc ad perennem sanctorum Martyrum gloriam, & ad triumphi pompam hic commemorare voluimus, quippe qui pro fidei confessione his cohonestati magis, & insigniti, quam deturpati, quod jam de Thracibus enarratum est in signum nobilitatis, spectaculum facti Angelis, & hominibus, hæc, quæ gaudentibus animis acceperant, secum jugiter circumferebant, ut in eorumdem facie patentibus notis invicta Christiani pectoris constantia, & fidei imperterritæ gloria legeretur, & hæ haud Thracum, immo nobiles Christianorum notæ qualibet triumphi pompa clariores totam Ecclesiæ faciem illustrarent. Sed jam à vulneribus martyrum ad sacra eorumdem funeralia transeamus.

Christianorum pietas erga martyres defunctos.

10 Christiani quippe, qui ipsa martyrum stigmata, quibus, dum adhuc viverent, insigniti fuerant, adeo impense colebant; eorumdem funera pari honore prosequentes, haud minus se pios ac laudabiles erga invictos Christi martyres pro fide saucios exhibuere, quam se gentiles olim suos erga defunctos præstiterint. Nam militum in bello interemptorum cadavera studiose perquiri, curari, & tandem ab eisdem officiose in patriam deferri consuevisse, quam multis, & quidem probatis scriptorum testimoniis comprobatur. Quod & antiquissimus omnium Homerus satis aperte demonstrasse visus est, dum Nestorem, post initum cum Troianis prælium, cæteris Græcorum ducibus suadentem inducit, suorum colligere cadavera, collecta comburere, tumulumque unum communem omnibus atque indiscretum statuere, eundemque adversus insurgentes Troianorum petulantium impetus munire: *Ut ossa, inquit, filiis quisque domum ducat, quando iterum revertemur in patriam nostram.* Quem disciplinæ militaris modum ab Atheniensibus religiosa observatione retentum præ aliis Thucydides affirmat, qui sepulturæ ipsius ritum describens, ait, *solitos illos fuisse triduum antequam funus efferretur, tabernaculum facere, & sub eo defunctorum ossa omnibus spectanda proponere, ut quilibet suis munera funebria & inferias afferrent: die verò quarto plaustris arcas cypressinas, ex singulis tribubus singulas, & in eis militum singularum tribuum ossa vehi consuevisse: quorum verò corpora inter alia cæsorum cadavera reperiri minime potuissent, eorum causa subsequi solitum lectum stratum; elatoque cunctis comitantibus funere, ossa sepeliri consuevisse in publico monumento, quod erat in pulcherrimis civitatis suburbiis: defunctos vero oratione funebri celebrari, quæ eorum, qui in prælio pro patria ceciderant, laudationem complecteretur, & reliquorum civium ad virtutem sectandam adhortationem, eorumque qui defunctis necessarii erant, consolationem: qualem Demosthenes habuit in illorum funere, quorum ossa à Chæronensi prælio Athenas delata fuissent.* Quibus consentientia Pausanias scribit, dum ait: *In via, quæ in Academiam ducebat, suum omnibus fuisse Atheniensibus, qui aut navalibus, aut terrestribus præliis pro patria mortem oppetiissent, monumentum, cum elogiis nomen cujusque & tribum testantibus.*

Ethnici in bello occisos officiosè colligunt & in patriam deferunt.

Iliad 2.

Militaris funerum curandorum apud Athenienses consuetudo.

Thucyd. l. 2.

Plut. in Demosth. Pausf. in Attic.

In via ad Academiam ducenti Athenis militum in bello cæsorum monumenta.

11 Ab ipsis quoque Romanis morem hunc apprime servatum fuisse, ex XII. Tabularum lege palam fit, cujus potissimum auctoritate peregre, aut in militia mortuis legere ossa licebat, quò post funus, sive corpora, aut ossa, cineresque referrentur, ut de peregre mortuis jam diximus: vel etiam (ut ex Festo intelligitur) ejuscemodi cadaveribus membrum aliquod abscinderetur, ad quod deinde servatum, reliquo corpore ibidem combusto, ubi quis mortuus esset, justa fierent in patria; etsi deinde ex senatus consulto id sancitum fuerit, ut ibidem corpora, ubi cecidissent, piè ac religiose humarentur. Olim quippe gentiles, ut Cicero ait, *tantam sepulchrorum religionem existimabant, ut extra sacra & gentem inferri fas esse negarent.* Quapropter eo studio erga militum in bello interemptorum cadavera perhonorifice tumulanda afficiebantur, ut collecta eorum membra, vel ossa haud patrio carere sepulchro; etsi gravia subeunda forent incommoda, paterentur. Quid mirum igitur, si quæ superstitiosa gentilitas militibus suis pietatis obsequia detulit, isthæc sincera Christianorum fides fortissimis Christi athletis propensiori studio sacris eorundem, ut jam enarratum est, reliquias colligendo, præstiterit?

Cic. 2. de leg.

Legis 12. Tab. de peregre vel in militia mortuis funerandis sanctio.

Fest. verb. membrum.

Appian. l. 1. de bell. civ.

Cic. l. 2. de leg.

12 Sed antiquos Romanorum ritus hactenus recensitos in demortuis militibus honorandis, qui pro Republica viriliter decertassent, æmulatus præ cæteris fuisse videtur Phocas Augustus Imp. dum divinos plane iis honores, qui in bello adversus infideles mortem oppetiissent, decernendos curavit. Ut enim scriptores ejus temporis testantur, cum idem Imperator collapsam Romanorum militiam anim-

Phocas Imp. militibus in bello contra fidei hostes occisis inter martyres recenseri jubet.

animadverteret, & singulis quibusque annis nobiles à Persarum Regibus referri triumphos in Romanorum contumeliam cerneret, quo torpentes animos spe gloriæ ad virtutem erigeret, & palmis vel post mortem obtinendis ad præliandum in acie fortiter alliceret, illud tentandum sibi proposuit, ut videlicet hi omnes, qui in bello adversus fidei Christianæ hostes dimicando cecidissent, coronam, quam viventes non attigerant, saltem occisi inter Christi martyres recensiti consequerentur, quod ille perperam tentare aggressus haud voti compos effectus merito Constantinopolitanum, & alios religiosos Antistites valide sibi pro religione adversantes expertus, ab incœpto desistere coactus est. Sed rem totam, si libet, ex Baronio in suis annalibus excipiamus, qui isthæc enarrat: *Ad postremum de Phoca illud non prætereundum, ipsum dum imperaret, contendisse magnis studiis, ut iis, quos in bello adversus Christianæ fidei hostes certantes occidi contigisset, inter martyres censerentur. Hac ipsum via puto collapsam militiam Romanorum exercitus, enervatumque militum robur erigere, atque firmare conatum esse, cum videret annis singulis à Rege Persarum eos sterni, atque fugari: probe sciens, non viros tantum, sed & fœminas ætate quoque tenellas fortiores ea spe extitisse tortoribus, atque inermes superasse etiam Imperatores. Cum autem ejusmodi animi sui consilium prodidisset in medium, & per sacerdotes, quorum sciret esse sancire Canones, ea perfici postulasset, minime auditus fuit. Restiterunt tunc magna laude Constantinopolitanus, & alii, qui cum eo ibi erant Antistites utentes potissimum auctoritate S. Basilii, cujus esset ad Amphilochium canon pœnitentialis de iis, qui in bello fecissent homicidium, ut non impertiretur eis sacra communio absque prævia pœnitentia. Cum audisset ille tanti patris sententiam, ejus cessit auctoritati, ab instituto penitus cessans. Habet ista Theodorus Balsamon, dum ejusdem S. Basilii canones interpretatur.* Hæc Baronius. quibus irritos utique Phocæ conatus extitisse subsecuto postmodum interitu demonstrat, & Dei iram tunc maxime eundem expertum esse, cum sacris se immiscere, & Imperialibus infulis sacras Dei aras, ac sacerdotale munus impetere non dubitavit. Vides itaque lector, quousque suis consiliis, adinventisque humana ambitio prosilierit, ut fortes in bello, & contemptores mortis milites potissimum faceret, dum se martyrio candidatos, & paribus in Ecclesia ac martyres honore post mortem afficiendos, suisque corporibus sacrum cultum impendendum fore intellexissent.

Episcopi se illi hoc perperam tentanti opponunt.

Baron. ann. 620. n. 4.

Quale consilium Phocas ad disciplinam militarem corrigendam inierit?

Vindicta Numinis in Phocam sacris temere se miscentem irruit.

13 Et magna certe gentilibus Christianam fidem calumniandi, ac nostros martyres deridendi occasio suppetiisset, ut & alias contigit, si militibus in bello occisis martyrii lauream donatam animadvertissent. Hanc enim Christianis calumniam scriptor gentilis Ammianus Marcellinus inflixit, dum ab eisdem coli ut martyres affirmavit, non *solum illos*, ut Baronius ait, *quos tyrannorum sævitia, seu hostium rabies injuste occidisset, sed quos etiam Romanorum magistratus injuste damnasset.* Quin immo Eupraxii ad Imperatorem Valentinianum verba refert, quæ hæc sunt: *Parcius agito piissime principum: hos enim, quos interfici tanquam noxios jubes, ut martyres, id est, divinitati acceptos colit religio Christiana. Hæc ille, qui etiam tradit de Diodoro, & Diocletiano tunc injuste necatis: quorum, inquit, memoriam apud Mediolanum colentes nunc usque Christiani locum, ubi sepulti sunt, ad Innocentes vocant. Hactenus de his Marcellinus, quem imperitia rerum nostrarum hallucinatum putamus, nullum enim ejusmodi rei exemplum in Ecclesia reperitur, ut martyr habitus sit, quem Christianus Catholicus magistratus, licet injuste, occidi mandasset:* & subdit paulo post Baronius Imp. Phocæ exemplum, quod supra meminimus de militibus inter martyres recensendis, à gentilium ritu plane desumptum: *Tentavit*, inquit, *aliquando Phocas Imperator illos etiam adscribendos in numerum martyrum, qui in bello ab infidelibus hostibus fidei cæsi essent: sed huic ejus studio restiterunt orientales Episcopi nixi auctoritate canonis* 13. *S. Basilii, &c.* Et post multa, quæ recitat, hæc idem postremo loco addit: *Ex quibus omnibus satis liquet, quam temere Phocas Imperator prædicta tentaret. Ab Ethnicis enim potius, quam à Christianis mutuatus videtur exemplum, qui his qui in bello decessissent, summos honores habendos esse consuerunt. Nam Lycurgus eorum tantum, qui in bello desiderati essent, laudes pro concione celebrari, inscriptiones incidi, & sepulchra erigi mandavit; ut tradit Plutarchus in apophth. Laconic. Scribit & Dio in Trajano, eis qui bello adversus Dicebalum occisi essent, ab eodem Imperatore jussas erigi aras, & annua parentalia celebrari. Sunt de his alia complura exempla.* Isthæc Baronius, quibus omnem diluit calumniam ab Ethnico homine, Christianorum nomini inscriptam, & quod à Phoca Imperatore temere tentatum fuerat, merito redarguens, à gentilitiis utique ritibus superstitionis errorem emanasse, ut vidimus, asserit: sed jam ad nostra, si libet, orationis stylum revocemus.

Numquam culti ab Ecclesia ut martyres, quos Christianus magistratus injuste occidi jussit.

Ammian. Marcell. l. 27.

Baron. in mar. Rom. die 19. April.

Ammianus Marcell. lib. 27.

Phocas ab Ethnicis consilium de militibus cæsis in martyrum numerum scribendis mutuatus est.

Lycurgus summos honores in militia occisis decernit.

14 Demum fidelium quorumvis defunctorum corpora, cum à viris, qui piis ministeriis vacabant, hac ratione curata, atque ornata jam sepulchro inferenda essent, altero quoque interdum serico linteo, singulis ejus initiis simul junctis, & sigilli impressione obsirmatis cooperiebantur: quemadmodum beati Marci Euangelistæ corpus repertum fuisse in ejusdem translationis historia legimus, quæ in perantiquis Basilicæ Lateranensis, & Vaticanæ codicibus, his quidem verbis exprimitur: *Iacebat autem beatum corpus undique circumdatum chlamyde serica, & positum resupinum, habens à capite usque ad pedes sigilla imposita, per ea loca, quibus ora chlamydis desuper jungebatur.*

Christiani corpora mortuorum Chlamyde sigillis obsirmata sepeliunt.

Codd. Lat. & Vat.

15 Porro defunctorum corpora supina quidem facie, & quæ orientem respiceret, in monumentis deponebantur. Cujus rei illud congrue mysterium loco jam citato Durantes assignat, hæc dicens: *Debet autem quis sic sepeliri, ut capite ad occidentem posito, pedes dirigat ad orientem, in quo quasi ipsa positione orat, & innuit, quod promptus est, ut de occasu festinet ad ortum, de mundo ad sæculum.* hæc ille. Verum ut mysterio res Christianorum optime consonent, & capiti membra, quod in his, quæ gerenda sunt, cæteris legem præscribit, omnino respondeant, certe hunc in modum sacrosanctum Christi Domini corpus intra tumulum positum fuisse, Beda præ cæteris affirmare his verbis videtur: *Introëuntes ab oriente in domum illam rotundam, quæ in petra est excisa, viderunt angelum sedentem ad meridianam portam loci illius, ubi positum fuerat corpus Iesu. Hoc enim erat in dexteris, quia nimirum corpus, quod supinum jacens caput habebat ad occasum, dexteram necesse est haberet ad austrum, &c.* Atque ut ipsa veritas magis elucescat, & argumentis valide comprobetur; quis quæso nesciat, dum probe historicarum rerum ac locorum descriptionem norit, hac prorsus

Collocatio cadaverum in sepulchro qualis, ejusque mysterium.

Durantes.

Collocatio corporis Domini in monumento.

Bed. in Marc. c. 16. l. 4. & Hom. l. 2.

Sepulchrum Domini quomodo situatum sit?

prorsus ratione, & sub hac itidem forma sacrosanctum Domini Sepulchrum, quod Hierosolymis extat, descriptum delineatumque ab his potissimum fuisse, qui de sanctis, venerandisque Palæstinæ locis lucubrationes edidere; nuper autem id ab equite Zuallardo præ cæteris quam exactissime præstitum est. Beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli corpora à primis Christianæ fidei tunc in Vrbe cultoribus ad orientalem plagam tumulata fuisse, Isidorus Hispalensis in libro, quem edidit de vita & morte sanctorum, testatur.

Zuallard. in de script. lo.. Terræ Sanctæ.

Inventio corporum Simonis, & Judæ Apost.

16 Ad hujus autem nostræ assertionis vim magis roborandam, illud nobis addere visum est, quod nostro potissimum seculo adnotare, & ipsimet oculis explorare licuit, cum corpora sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ in Vatic. Basilica inveniri contigit. Etenim dum magnificentissimæ novi ejusdem templi structuræ summorum Pontificum jussu insistitur, anno millesimo sexcentesimo quinto, eorundem beatorum Apostolorum corpora, quæ hactenus nulli prorsus innotuerant, tanquam pretiosissimi sacræ Christianorum antiquitatis thesauri summa omnium lætitia, & Vrbis totius exultatione reperta sunt, quæ orientem versus respiciebant. Quod & in aliis sanctorum corporibus consuetum juxta morem contigisse ex approbato rerum historicarum testimonio liquet, & frequenter admodum in sacris Subterraneæ Romæ Cœmeteriis perscrutantibus visu deprehenditur: quamvis ob multiplices latentium viarum, quibus subterranea loca scatent, circuitus, semitarumque huc atque illuc tendentium diverticula, id quod nunc dicimus, haud facile in singulis adnotari, ac digito præmonstrari potuerit.

Eadem corpora orientem versus respiciebant.

Cadaver alteri superponi in monumento nefas.

17 Demum ut singula, quæ ad cæremoniales tumulandorum defunctorum ritus quoquo modo pertinent, & quæ apud Christianos vigebant, lectori exponamus, illud haud silentio prætereundum est, quod inviolabili consuetudine à Christianis receptum, servatumque fuisse novimus, ut dum tumulo defunctorum corpora locarentur, si forte aliquando plura eodem monumento cadavera reponi contingeret, haud umquam unum alteri superponeretur, sed unumquodque ad latus adjacentis consisteret. Quod postea in Matisconensi Concilio can. 17. & in Antissiodorensi can. 15. his quidem verbis sancitum fuit: *Non licet mortuum super mortuum mitti.* Et in Epitaphio Joannis Cartaparii in Ecclesia S. Alexii in monte Aventino, quod Baronius refert, id quoque apud antiquos in more positum fuisse edocemur. Hæc enim ibi marmori insculpta leguntur.

Conc. Matisc. & Antisf. can. 17. & 15.

Baron. to. 11. an. 1004.

Epitaphium Joannis Cartaparii alienum cadaver super se mittentem diris devoventis.

NEMO SUUM VEL ALIENUM CADAVER
SUPER ME MITTAT: QUIS SI HOC PRÆ
SUMPSERIT, SIT MALEDICTUS, ET IN PER
PETUUM ANATHEMATE CONSTRICTUS.

Alteram pariter inscriptionem hactenus citatæ consonam, quæ in Ecclesia sanctæ Agathæ prope Suburram extat, haud tamen tantæ temporum antiquitati respondentem, videre est, tenoris videlicet ejusmodi.

Altera inscriptio Bonutæ idem prohibentis.

HIC REQUIESCIT IN PACE DOMNA BONUTA,
QUÆ VIXIT ANNOS XXXX. ET D. MENNA
QUI VIXIT AN... E ABEAT ANATHEMA
A JUDA, SI QUIS ALTERUM OMINE SUPER-
POSUER.... ANATHEMA ABEAS.... DA
TRICENTI
DECEM ET OCTO PATRIARCHÆ, QUI
CANONES
EXPOSUERUNT, ET DA SANCTA CHRISTI
EVANGELIA.

18 Mos autem iste diris execrationibus, ac mulctis eos insequendi, qui eodem sepulchro contra ipsius domini mentem alterum intulissent defunctum, apud gentiles quoque olim viguit, ut lectori ex isto præsertim sepulchrali titulo innotescit:

Veteres alienum cadaver suis sepulchris inferentem execrantur.

Grut. pag. 304 n. 1.

IN H. S SIVE SERVUS, SIVE LIBERTUS, SIVE
LIBER, INFERATUR NEMO, SECUS QUI
FECERIT, MITEM ISIDEM IRATAM SENTIAT,
ET SUORUM OSSA ERUTA ATQUE DISPERSA
VIDEAT.

Idem & ex inscriptione hac comprobari videtur, videlicet:

IN QUEM INDUXI SARCOPHAGUM, DUM
RECEPTUM FUERIT CORPUS MEUM, NULLI
UNQUAM LICEAT ACCEDERE, NEQUE
VEXARE
OSSA MEA, NON FILIUS, NEQUE NEPOTES,
NEQUE DE AFFINITATE ULLUS. SI QUIS
AUTEM INFRINGERE VEL APERIRE AUSUS
FUERIT, ISTUM INFERET POENÆ NOMINE
REIPUBLICÆ FOLLES MILLE.

Gruther. ibid. n. 10.

Quibus & alterum sepulchralem hunc titulum in studiosi gratiam lectoris adscribere liceat, videlicet:

SI QUIS HOC MONUMENTUM CUM ÆDIFI-
CIO UNIVERSO VENDERE VEL DONARE
VOLUERIT,
VEL CORPUS ALIENUM INVEHERE, DABIT
POENÆ NOMINE ARCÆ PONTIFF. H. S. XX.

Gruther. ibid. 672.

Et hæc interim curiosis rerum antiquarum indagatoribus indicasse sit satis, ad comprobandum scilicet ipsorummet gentilium auctoritate, morem sepulchris indicendi, inscribendique mulctas contra eorumdem sepulchrorum violatores.

19 Verum antiqui Christiani sepulchri consortium respuentes, id modestiæ non fastus, aut arrogantiæ causa præstitisse videntur, cum præcipue, mira Christi humilitate edocti, *non alta sapientes, sed humilibus consentientes*, ut ait Apostolus, quid potissimum compositos eorumdem mores deceret, attenderent; nullatenus autem profanum illum superstitiosæ antiquitatis errorem recolerent, quo gentiles levem suis terram defunctis in amoris ac benevolentiæ signum precabantur, vel certe ad contestandum odium, quo eosdem prosequerentur, gravem quandoque eisdem terram imprecari consueverant, ut Tertullianus refert, & Kirchmannus prolixioribus verbis edocet. Quod enim suis antiqui defunctis levem apprecari terram soliti fuerint, probatissimi quique scriptores passim affirmant. Quo certe loquendi modo Claudianus poëta usus est, dum à Gildone tyranno in Africa sub Honorio Imp. fratris filios insepultos relictos fuisse describens, hæc ad ferocientis animi, & à pietate prorsus alieni adumbrandam imaginem ait:

Christiani sepulchri consortium ex modestia respuunt.

Rom. 12. n. 16.

Tertull. in Testam. anim. c. 4. Kirch. de funct. to. 3. c. 9.

Terram defunctis amicis levem veteres apprecantur.

Claudian. de bello Gildon.

Naturamque simul, fratremque, hominemque cruentus
Exuit, & tenuem cæsis invidit arenam.

Utrumque vero tam humandi, quam imprecandi ritum satis aperte Euripides tetigisse visus est, ubi Menelaum hæc dicentem inducit:

Menelaus apud Euripid.

——— *si sunt Dii sapientes*
Virum fortem interfectum ab inimicis
Circumtegunt levi terra in sepulchro,
In ignavos vero solidum (seu durum) *terræ acervum*
Injiciunt.

20 Sed claris, aptatisque ad rem nostram verbis Tertullianus, quem supra citavimus, inde ipsius

Inimicis terram gravem imprecantur.

Tertull. de Test. anim. c. 4. Virg. eclog. ult. Ovid. 3. amor. 8. & 5. Trist. 3 & n. ep. Did. Tibul 2. eleg. 4. & 7. Proper 1. eleg. 17. Iuvenal. sat. 7. Pers. sat. 1. Mart. 5. epig 36. & 6 epigr. 51. Eurip. in Alcest. Julian. Aug. ep. 22. ad Hermog. Suid verb. κȣφη. Propertius l. 2. eleg. 5. Senec. in Hippol. ad fin.

animæ, ejuſque immortalitatis teſtimonium contra Gentiles valide intorquens, ait: *Quid quod ut ſentienti maledicis, cujus memoriam cum alicujus offenſæ morſu facis: terram gravem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum: æque ex bona parte, cui gratiam debes, oſsibus, & cineribus ejus refrigerium comprecaris, & ut bene conquieſcat apud inferos, cupis.* hactenus ad rei propoſitum Tertullianus. Porro trita hæc & communis apud omnes erat loquendi forma, tum apud Latinos, tum apud Græcos, ut ipſi ſcriptores docent: iis enim verba illa uſu recepta erant κȣ́φη γῆ. Quod vero & aliud pariter genus imprecandi apud antiquos invaluerit, Propertius teſtatur, hæc in ſuis carminibus imprecando.

Oſſa tibi juro per matris, & oſſa parentis
Si fallo, cinis heu! ſit mihi uterque gravis.

Et Theſeus quoque tragœdum apud Senecam Phædræ iſthæc amarulento ore imprecatur:

——————— terra defoſſam premat
Graviſque tellus impio capiti incubet.

Callimachus pariter, ſi quid apte minus, ac perperam laudavit, terram ſibi non levem imprecatur,

Μήτε σοι κȣφη γ[illegible], &c.

Jocus irriſorius terram levem mortuo apprecantis. Antholog. l. 2. c. 43. Martial. l. 9. epig 30.

Huc item lepidus ille ludendi, loquendique modus ſpectare videtur, quo Ammianus antiquus inter poëtas cuidam Nearcho jocabundus imprecatur, ut terra videlicet ſepulchri levis eidem ſit, quo canes inde eum facilius erutum dentibus diſcerpant, ac devorent: prorſus quod & Martialis quondam in Philænem imprecando intorſit, dum cecinit:

Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Ne tua non poſſint eruere oſſa canes.

Plura cadavera, modo ſibi invicem non ſubſtrata, eodem ſepulchro inferri licuit.

21 Cæterum, ut à profanis ad ſacra orationis ſtylum revocantes, inſtituti propoſito inſiſtamus, etſi antiquis plura ſimul eodem tumulo corpora inferendi, mos eſſet, ita tamen ponere, ut unum alteri ſubſterneretur, haud fas erat; uno autem eodemque ſepulchro duo, aut tria, vel certe quatuor cadavera apponi, quæ ſibi invicem ordine ſuccederent, reſponderentque loco tamen diſcreta eſſent, apud ſacra frequenter Cœmeteria videre contigit. Atque inde factum eſt, ut ſepulchrorum alia μονόσωμα olim dicerentur, quæ unum dumtaxat corpus capiebant, alia *diſoma*, *triſoma*, atque etiam *quadriſoma*, ex numero ſcilicet corporum, quæ ibidem condita aſſervabantur, & ex minori, vel certe majori ipſius urnæ, in qua jacebant, capacitate. Porro quod ad rem noſtram ſpectat, ſepulchrales, qui de ſingulis inſcripti ſunt, lapides, pauci admodum perleguntur. In primis autem, ut de diſomo, ſeu biſomo loquamur, in celeberrimo Calliſti Cœmeterio hujuſmodi epitaphium legendum exhibetur:

Sepulchrum biſomum.

BONIFACIVS QVI VIXIT ANNIS
XXIII. ET II... ES. POSITVS IN BISOMVM,
IN PACE SIBI ET PATR.... SVO.

Sepulchrum Triſomum.

At de triſomo in Cyriacæ Cœmeterio, quod via Tiburtina ſitum eſt, hæc inſculpta marmori, videre eſt:

SE BIBA EMET DOMINA
LOCUM A SUCCESSUM
TRISOMUM UBI POSITI
——————— ET

Sepulchrum quadriſomum.

De quadriſomo autem ſepulchrale quoddam fragmentum extat ad S. Agnetem via Nomentana, ex celebri utique illo Cœmeterio erutum, hactenus omnino neglectum, neque ab ullo (quod ſciamus) pro antiquitatis merito ſtudioſe obſervatum; eſt autem hujuſmodi:

DEPOSITUS P.... FIECT.....
DN. VALENTINIANO AVE....
IN PACE ETC. VIXIT ANNUS XX.
FECIT LOCUM QUADRISOMUM.

Varii apud varios Græciæ populos ſepeliendi ritus.

22 Quoniam vero hic opportuna ſe nobis offert occaſio, ut de vario ac multiplici quorumdam Græciæ populorum humandi ritu breviter agamus, enarratis hactenus nonnulla obiter à nobis inferenda ſunt. Et quidem Athenienſes, & Megarenſes, inſulæ olim Salamines dominium haud ex alio titulo, quam ex patrio ſepeliendi more, quem à majoribus acceptum, illibatum ſervarent, utroſque vindicare ſibi contendiſſe Plutarchus refert: Megarenſes quippe apud ſuos ipſius loci poſſeſſionem extitiſſe, vel hoc uno id argumento comprobantes aſſerebant, quia videlicet in ea terni, quaternique uno eodemque locula ſepulti jacerent, Megarenſium, non Athenienſium more, qui ſinguli ſingulis locati tumulis includi conſueverant. Solon autem litem Athenienſibus adjudicandam vel ex eo pronuntiavit, quod iidem mortui conſueto Athenienſium ritu, in occaſum verſi, nullatenus vero, ut Megarenſium mos eſt, facie ad orientem reſpiciente illati tumulo conſpicerentur. Quamvis dum hiſtoriam hanc Diogenes Laërtius in Solone recenſet, contrariam omnino ſententiam diſertis verbis mordicus tueatur. Ait enim, Athenienſibus morem extitiſſe, ut cadavera facie ad orientem verſa tumulo apponerent; hujus autem aſſertionis Scholiaſtem Thucydidis adſtipulatorem habet; ut Plutarchus pariter Ælianum, quorum alteros, cum veritas una ſit, in aſſertionis propoſito errare oportet. Cæterum in ipſorum effoſſione cadaverum apud inſulam Deli, Cares ex peculiari humandi ratione fuiſſe agnitos, qua uti erga ſuos conſueverant, Thucydides enarrat. Quin & ipſis quoque philoſophorum ſectis proprios quoſdam ac peculiares unicuique extitiſſe funeralium ritus, eodem Plutarcho reſte, didicimus, dum de Pythagoricorum hominum funeribus prolixius agit.

Athenienſes, & Megarenſes de Salamina litigantes, jus ſuum in eam ex patrio humandi more probare quiſque nititur. Plut in Solon. Megarenſes plura cadavera eodem tumulo recondebant.

Scholiaſt. lib. 1.

Athenienſes cadavera facie ad orientem verſa ſepeliunt. Ælian. l. 5. var. 14. & l. 7. c. 19. Carum cadavera ex peculiari collocatione eorum agnita. Thucyd. lib. 1. Suus quique Philoſophorum ſectæ ſepeliendi olim ritus erat. Plut de dæm. Socr.

Singula ſingulis tumulis cadavera apud veteres condendi mos. Sen. œdip. act. 1.

23 Quod autem, ut unumquodque cadaver peculiari tumulo conderetur, in more poſitum eſſet, Seneca Tragicus ille poëta ſatis expreſſiſſe videtur, dum acerbam Thebanæ peſtilentiæ vaſtitatem lugubri carmine deſcribit, ob quam Thebæorum nemini diſcretus tumulus concedebatur. hæc enim habet:

Tum propria flammis corpora aliena cremant,
Diripitur ignis, nullus eſt miſeris pudor
Non oſſa tumuli ſancta diſcreti tegunt,
Arſiſſe ſatis eſt.

Mos quippe apud antiquos viguit, ut unumquodque cadaver peculiari rogo honoris gratia ſuccenderetur, ac cineres inde collecti, peculiari item tumulo inferrentur. Verum cum frequentiſſima eſſent hominum funera, contagionis lue graſſante, acervatim rogis corpora, cum ab invicem ſecerni haud poſſent, conglobataque imponebantur, uti Ovidius enarrat in funeſtæ quondam peſtilentiæ, quæ ſub Æaco accidit, deſcriptione, ait enim:

Ovid. l. 7. met.

Corpora miſſa neci nullis de more feruntur
Funeribus, neque enim capiebant funera portæ,
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos, & jam reverentia nulla eſt,
Deque rogis pugnant, alieniſque ignibus ardent.

24 Sepul-

24 Sepulchra vero apud Romanos vel singulis propria, vel certe pluribus communia fuisse sat notum est. At præter illa plebis, ac servorum communia, frequens item mentio apud jurisconsultos eorum sepulchrorum incurrit, quæ Familiaria, & Hereditaria olim nuncupabantur: illa quidem, quæ quis sibi, ac familiæ suæ constituerat: ista vero quæ quis sibi, heredibusque suis, vel certe hereditario jure paterfamilias acquisierat; in quæ funus alienum inferre leges passim districte vetabant. Quapropter in omnibus fere antiquis lapidibus, sepulchralibusque titulis has notas insculptas videre est: *H. M. H. S.* id est, *hoc monumentum heredes sequitur.* vel certe *H. M. H. N. S.* id est, *non sequitur.* vel etiam *H. M. H. E. N. S.* id est, *heredes exteros non sequitur*: aptato videlicet titulo, quo sepulchrales urnæ prænotabantur juxta eas personas, quarum corpora, vel in sua inferri monumenta, vel certe ab his excludi volebant, quas nominatim quoque interdum alias generatim designabant, his verbis:

Sepulchra Familiaria, & Hereditaria apud Romanos quæ fuerint? *D. & C. tit. de relig. & de sepul. viol.* *Briss. select. antiq. Iur. l. 2. c. 14.* *Ex sepulc. lapid. antiq. apud Gruther.* Veteres heredum cadavera suis sepulchris, inscripta lapidibus sua voluntate, recipiebant, vel arcebant.

SIBI ET CONJUGI ET LIBERIS, AC LIBERTIS, LIBERTABUS POSTERISQUE EORUM.

Quibus Monumentum illud à domino constructum, appositus titulus prænotabat, horum autem omnium etsi innumera plane ex antiquis inscriptionibus exempla suppetant, nobis tamen unum dumtaxat ex omnibus in medium afferre libet, ex sepulchrali nimirum quodam lapide, quem in lib. de profanis Romanorum ritibus Jo: Baptista Casalius rerum antiquarum peritissimus expressit, & in suo Musæo adhuc servat; est autem teneris ejusmodi.

Vid. plura apud Grut. in inscrip. Ind. c. 17. *Io. Bapt. Casal lib. de propha-nis, & sacris veter. ritib. c. 26.*

L. HOSTILIUS FORTUNATUS SIBI, ET HOSTILIÆ, JANUARIÆ. FILIÆ. ITEM LIBERTIS. LIBERTABUSQUE. SUIS. POSTERISQUE. EORUM. FECIT. EXTERÆ. FAMILIÆ. ADITUS. NON DATUR. NEC JURE. QUIS IN HOC. MONUMENTO. OLLAS. EMET.

Inscriptio sepulchralis alienis cadaveribus aditum ad tumulum præcludens.

In his enim studiosus recolendæ antiquitatis explorator quosdam consortii & ipsiusmet sepulchri cum cæteris participandi impatientes eum in modum offendet, ut diras insuper execrationes, ac graves mulctas suis incidi monumentis voluerint; ad prohibendum videlicet, ne alius quis illuc invitis, ac reluctantibus dominis inferretur, ut ex descriptionibus, quas supra recitavimus legenti palam fit. Quam plures interim alios sepulchrales titulos silentio obvolvimus, quibus sepulchra mutare, fiduciare, locare, mancipare, pignori obligare, & quovis alio prætextu de familiæ nomine, sub qua recensebantur, alienare gravis ibi mulctæ apposita nota vetitum erat.

Sepulchra quovis modo alienare titulis marmori incisis vetabant.

25 Veteres itidem consueverant eos potissimum, quos dum viverent, odio prosecuti fuissent, ne ad eorum sepulchra accedere umquam præsumerent inhibere, cujus quidem rei testimonium locupletissimum esto sepulchralis ille Romanorum lapis:

Accessum ad sua sepulchra sibi odiosis interdicebant.

M. ÆMIL. ARTEMA FECIT M. LICINIO SUCCESSO FRATRI BENEMERENTI, ET CÆCILIÆ MODESTÆ CONJUGI SUÆ, ET SIBI ET SUIS LIBERTIS, LIBERTABUSQUE, POSTERISQUE EORUM: EXCEPTO HERMETE LIB. QUEM VETO PROPTER DELICTA SUA, ADITUM, AMBITUM, NE ULLUM ACCESSUM HABEAT IN HOC MONUMENTO:

Grutl. 844. 4.

In alia quoque sepulchrali inscriptione hoc idem exprimi videtur his verbis:

EXCEPTA SECUNDINA LIBERTA IMPIA ADVERSUS CÆCILIANUM PATRONUM SUUM &c.

Gruth. 862.

Et id genus alia lapidibus inscripta verba extant; quæ passim apud sepulchrales antiquorum titulos perleguntur. Quod & Græcis consuetum fuisse ex Sophocle comperimus, apud quem Teucer Ulyssem instanter rogat, ne se ulla ratione Ajacis funeri immisceat, aut ejusdem sepulchrum attingat, eam nimirum ob causam, quod defunctus id inique ferret ob antiquas, quibus ad invicem animi dissidebant, altercationes. Et Electra sororem suam, ne inferias à matre ad Agamemnonis sepulchrum, quem interemerat, missas deferat, gravissimis plane verbis suadere conatur: cum haud fas, ac pietati congruum esset, inimicæ mulieris manu, patris sepulchro libationes offerri.

Teucer Ulyssem ab Ajacis ipsi inimici sepulchro abire jubet. *Sophocl. in Ajac.* Electra inferias ad Agamemnonis sepulchrum ab interfectrice missas haud ferendas censet. *Idem in Elect.*

26 Illud quoque ad exactam sepulchralium jurium notitiam addendum est, quod ab hereditariis quoque sepulchris justa interdum ex causa nonnulli excludebantur, utpote vir ille, qui testamento nuncupato, privatim quempiam à sepulchri consortio amovendum decrevisset, vel certe scriptis testamenti tabulis, ne quis eo inferretur cavisset; cujus voluntatem omnimodo servari oportere antiqua Romanorum jura sanxerunt. Cujus quidem argumenti celebre illud exemplum est, quod apud Suetonium de Augusto narratur; patientius enim augusti plane vir animi mortem, quam probra, ac suorum dedecora ferens, cum Juliam filiam stupris diffamatam in Pandatariam insulam primo, postea in Rheginorum oppidum relegasset, testamento districte cavit, ne velut omnino indigna sui consortium sepulchri sortiretur. Et Juliam itidem neptem suam, memoratæ hactenus Juliæ filiam æque adulterii damnatam, & in insulam Trimerum projectam, eodem testamento, sui eamdem sepulchri beneficium consequi vetuit.

Testatoris à sepulchris hereditariis quempiam excludentis voluntatem servandam jura sanciunt. *l. 6. de relig. l. 3. §. si quis in hæc redit. D. de sep. violat.* Augustus filiam, & neptem à sepulchro suo excludit. *Suet. in Octav. c. 65. Dio. l. 56. Tacit. Annal. 6. Suet. in Octav. c. ult.*

27 Patrio autem excludi sepulchro, acerbissimum apud antiquos pœnæ, atque infortunii genus inter omnia, quæ obvenire possunt, semper habitum est, ut epitaphium illud Leonidæ Tarentino inscriptum legentibus fidem facit, ubi ille vehementer dolens, atque his verbis loquens inducitur:

Patrio privari sepulchro acerbissimum ab antiquis habitum.

Procul ab Italia jaceo terra, atque Tarento
Patria: hoc vero mihi acerbius morte.

Anthol. l. 3. 23. ep. c. 75.

Ut enim ait Ovidius:

Mollibus ossa cubant manibus tumulata suorum.

Ovid. 4. Tristium 3.

Subinde vero infelix poëta ob suam turpem lasciviam in exilium Ponticum merito damnatus, cum patrii soli, ac sepulchri jacturam præsentiret, gemebundus uxorem, quæ Romæ substiterat, carminibus hisce pro funere interpellavit:

Ovidius exul ut ossa sua post mortem in patriam referantur, rogat.

Tam procul ignotis igitur moriemur in oris,
Et fient ipso tristia fata loco?

Ovid. Trit. 3.

Et sine funeribus caput hoc, sine honore sepulchri
Indeploratum barbara terra teget?
Ossa tamen facito parva referantur in urna,
Sic ego non etiam mortuus exul ero.
Non vetat hoc quisquam, &c.

28 Quanti autem antiquis temporibus optatissima apud omnes patrii sepulchri sors æstimaretur, si quis Ciceronem in moralibus oculatissimum consulat, hæc pro patrio sepulchro in suis commentariis perorantem audiet: *Magnum est*, inquit, *eadem habere monumenta majorum, iisdem uti sacris, sepulchra habere communia.* Qui deinde, ut quod verbo expresserat, facto comprobaret, cum mors sibi oppetenda esset, haud fato, sed loco absterritus, non tolerabiliorem, immo dulciorem in patria mortem ratus, domi potius, & juxta patriam, quam in peregrinis orbis terrarum locis eamdem excipere voluit. Patrium quippe sepulchrum mortis acerbitatem sopire, & ipsismet infortuniis gratiam ac felicitatem conciliare consuevit, ut acute ex pervetusto illo sepulchrali epigrammate lector conjicere valet:

Cic. l. 1. offic. Cicero patrium sortiri sepulchrum quandam esse felicitatem dicto prius, ac post moriens facto testatur. *Cic. l. 4. ep. 6.*

lib. 8. ant. epig.

Epigraphe sepulchralis patrium sepulchrum omnes optare, sed felices impetrare docens.

MONUMENTUM ABSOLVI HOC IMPENSA MEA
AMICA TELLUS UT DET HOSPITIUM OSSIBUS:
QUOD OMNES ROGANT, SED FELICES IMPETRANT;
NAM QUID EGREGIUM, QUIDVE CUPIENDUM EST MAGIS,
QUAM UBI LUCEM LIBERTATIS ACCEPERIS, LAPSUM SENECTÆ SPIRITUM IBI DEPONERE?
QUOD INNOCENTIÆ SIGNUM EST MAXIMUM.

Et hæc de sepulchris, eorumdemque ritu ex inscriptionibus jam recitatis, quæ Christianorum tumulis potissimum affixæ sunt, occasionem nacti in studiosi lectoris gratiam, vel obiter disseruimus.

CAP. XXVII.

In defunctorum sepulchris quædam olim mysterii gratia apponebantur.

Sepulchra insignibus virtutem ac vitæ genus inibi sepulti exprimentibus adornabantur.

1 UT nonnulla hic, dum antiqua rerum sepulchralium monimenta recolimus, in lectoris gratiam præmittamus, satis quidem per se notus, ut arbitror, mos ille antiquorum est; quo defunctorum sepulchra peculiaribus quibusdam signis, aut certe insignibus exornabant. Ut enim ipsiusmet vitæ genus, quo quis functus fuisset, intuentibus palam fieret, signa quædam, vel potius dixerim symbola, quibus id exprimeretur, apponebant. Quapropter sepulchra militum armis, tubicinum tubis, nautarum vero remis prænotari consueverant: & ut rem exemplis interim comprobemus, repetat quæso amicus lector, apud Homerum Elpenori olim dum viveret, strenuo viro, & insigni inter cæteros remigi, ab Ulysse arma demortui busto aggesto, & desuper cippo erecto remum quendam fabrefactum in summo sepulchro defixum fuisse. Idem plane, ut apud Virgilium videre est, ab Ænea Miseno demortuo carminibus hisce præstitum fuit.

Elpenoris viri fortis ac remigis sepulchro arma, remusque affiguntur. *Odyss. 2.* Miseni item monumentum virtutis ejus insignib. exornatur. *Aeneid. 6.*

Qui lituo pugnas insignis obibat & hasta.

Viroque nautico idem hæc insuper addidisse præconiorum insignia describitur:

Aeneid. 6. *Ibid.*

——— ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, remumque tubamque

2 Verum & ad Archimedis sepulchrum viri ob geometricæ artis peritiam præ omnibus laudatissimi, ac siderum pariter machinarumque instruendarum scientia apprime inter mortales exculti, columellam cum ipsamet sphæræ figura, & cylindri ad perenne ingenii vix umquam æquandi monumentum appositam erectamque fuisse Cicero, qui rem oculis assecutus est, posteris scriptum, testatumque reliquit. Id autem Archimedem suis ultro ab amicis, dum adhuc viveret, expetiisse, eosdemque hac de re serio interpellasse, Plutarchus in Marcelli vita constanter asserit. Nec latere interim lectorem patimur id, quod de Longobardis scribitur, ipsos videlicet his, qui extra patriam occubuissent, constituto, erectoque tumulo, eorumdem intra sepulchra perticas cum ligneis superpositis columbis, quæ in eam partem spectarent; ubi illi decessissent, figere consuevisse; cujus quidem assertionis auctor est Paulus Warefridus Foroliviensis diaconus in eorumdem gestis. Athenienses autem, ut Suidas refert, cenotaphiis eorum, qui calamitatem perpessi rerum adversarum vi compulsi extra Atticam sepulti essent, ligneam apponere crucem consueverunt, ἰκρίον illi, quam simillimam patibulo, cui Judæorum malitia Salvatorem affixit: nam crux Christianorum sepulchris tam frequenter insculpta haud rerum humanarum infortunia, & calamitatem, immo potius uberrimam bonorum, ac totius felicitatis copiam hominibus virtute crucis refundendam designat.

Archimedis sepulchro sphæra cum cylindro imposita fuit. *Tuscul. l. 5.* Id ab amicis vivens postulaverat. *Plutarch. in vit. Marcelli.* Longobardorum circa peregre morientium sepulchra consuetudo. *Lib. 5. de gest. Longob. c. 3.* *Suidas verb. ἰκρίον.* Athenienses crucem ligneam calamitatis insigne cenotaphiis apponebant. Crux Christianorum monumentis insculpta quietis mysterium præsefert.

3 Illud insuper his, qui res historicas tum sacras, tum profanas recolunt, veluti quid notum, haud tamen apud antiquos novum, quoniam opportuna hic mentio incidit, silentio neutiquam obvolvendum est; in defunctorum videlicet sepulchris magnos olim thesauros, ac ingentem auri copiam reponi consuevisse: sicut enim in fanis ac delubris pecunias, tum publicas, tum privatas antiqui reponebant, quo religiosa locorum custodia, æque ac res sacræ, quæ cunctis venerationem pariunt, divitiæ tutius asservatæ à diripientium manu submoverentur, quod plurium certe scriptorum auctoritate constat: pari quoque ratione maximam plerique in sepulchris pecuniarum vim congerebant, occulebantque, tum ut magnificentiæ ac splendori sepulturæ ipsius consulerent, tum ut religio, quam loca præ se ferebant, illic illibata quæ reponebantur, posteritati commendaret. Quod multis quidem patet exemplis, ac scriptorum auctoritate compertum fit. Plutarchus enim, Strabo, Ammianus, & Curtius cum de sepulchris Regum Macedonum ac Persarum agunt, & ipsemet Strabo cum de Albanis populis loquitur, pecunias suas cum mortuis sepelire consuevisse affirmant. Ex Planude insuper in Æsopi fabulatoris vita habetur, quod nobilissimum ille thesaurum inter sepulchrorum inscriptiones ingeniose reperit. Ex Phædro item Augusti liberto id innotescit, apud quem canis, dum pedibus humana effodit ossa, casu thesaurum detexit.

Thesauri sepulchris antiquitus condebantur. *Plut. in Pyrr.* *Strobo l. 15.* *Ammian. lib. 6.* *Curt. l. 10.* *Strab. l. 11.* Persæ, Macedones, & Albani cum mortuis pecunias sepeliebant. *Æsopus 1. Fab. 27.* Canis humana ossa effodiens, thesaurum forte fortuna detegit.

4 Idem fere ex XII. Tabularum lege probatur, quæ aurum, ut tunc fieri usu apud omnes receptum erat, una cum mortuis sepulchro inferri vetuit, hæc autem sunt legis ipsius verba, cum de sepulchris agitur: *Neve aurum addito.* Quod & aliis insuper Romanorum legibus in usu quondam fuisse apperte convincitur: nonnullæ quippe ex his, pecunias ac gemmas una cum defunctorum corporibus sepe-

Lex 12. Tab. aurum sepulchris recondi vetuit. Aliis Romanorum legib. id licitum quondam erat.

L.1. & 4. D. ad l. Iul. de pecul. l. ult. de auro & arg.

Pecuniæ sepulchris erutæ nefariæ dicuntur.

Philostr. l.7 de vit. Ap.

sepeliri, aliæ sacras, religiosoque dicatas cultui pecunias, impia effossorum manu violari prohibent. Neque ad confirmanda, quæ hactenus à nobis dicta sunt, ipsius Philostrati auctoritas deest, qui nefarias & procul arcendas esse ab humano commercio eas pecunias asserit, quæ profana è tumulis manu eruuntur.

Theodorici Regis de sepulchrorum effossoribus sanctio.

Apud Cassiod. 4. Var. 18. & 34.

5 His editæ quondam hac super re Theodorici Regis sanctiones validi instar propugnaculi pro tumulis accedunt, quarum altera in quendam, qui effossis cineribus, aurum inter mortuorum cadavera exquisierat, inquiri jussit: altera verò thesauros, quos in sepulchris fortuito reperiri contingeret, haud privato cujuspiam usui ac commoditati cedere, sed publicæ dumtaxat utilitati hos destinari præcepit. Certe recolendæ Patavinarum antiquitatum historiæ perhibent, in Antenoris, qui urbis illius conditor extitit, tumulo librarum argenti plusquam triginta millia reperta fuisse. Et Eunuchi Terentiani prologus de splendido patrii monumenti thesauro ad rem præsentem peropportunè sermonem inserit. Quinctilianus insuper de auro & pecuniis è sepulchro per summam injuriam violato effossis diserte meminit.

[illegible] ...io- ...ulo ...is est.

Quinct. decl. 369.

Plurimæ sepulchrorum inscriptiones hunc pecunias sepeliendi usum fuisse indicant.

Petr. Diacon tract. de litt. Roman. notis.

6 Prætereo, quod ipsæmet marmoribus insculptæ sepulchrorum inscriptiones, id liquido comprobare videantur: hæ quippe thesauros, vel notis palam loquentibus uno eodemque tempore monstrabant, & pervestigare, ac prædari cupientibus nimia verborum ambiguitate celabant, ut sacrilegos nimirum fures, qui pecuniis inhiant, ab expilatione procul arcerent. Hinc est, ut Petrus diaconus tractatu, quem de litterarum Romanarum notis conscripsit, has olim sepulchris inscribi notas consuevisse affirmet, videlicet, *I. M. I. ST. B. ABSC.* quibus hanc subtexit interpretationem: *In monumento isto sunt bona abscondita.* Item, *INST. SB. EX.* hoc est: *Intus sunt bona ejus.* Itemque, *IN. M. I. ST. D. AUGI.* id est: *In memoria ista sunt divitiæ Augusti.* Quibus & alterum hunc titulum ad rem magis elucidandam lectori subjicimus: *IN. HC. MM. S. P. S.* quæ quidem verba hunc in modum exponenda videntur, videlicet: *In hoc monumeuto sunt pecuniæ sacræ.*

Gryphes sepulchris aurum continentibus insculpti, & quid iis denotatum?

7 Ex enarratis igitur, ac in medium hucusque prolatis sepulchralibus titulis, satis constat, pecunias olim, ad eas servandum, sepulchris congestas fuisse. Quapropter quibusdam etiam antiquorum sepulchris gryphium figuras appositas, ferroque insculptas videre est, ut sepulchra scilicet, & quæ ad ea spectant, religiose à vigilantibus custodienda esse denotaretur; & qui violentas temere manus illis admovissent, pœnas ultro irato numini daturos.

Herod. l. 1.

Darii avaritia inscriptione sepulchrali luditur.

Plutarch. in Apoph. Reg.

Hinc lepide quidem illa Babyloniorum Regina, Regum qui subsecuturi in imperio erant, avaritiæ illusit, dum suo hæc verba sepulchro vivens insculpsit: *Si cui Regum Babylonis post me futurorum fuerit pecuniæ penuria, aperto sepulchro sumito, quantumcumque libuerit pecuniæ; ne tamen nisi indiguerit, alioqui aperito, non enim in rem ejus fuerit.* Porro cum sepulchrum hoc multis intactum, illibatumque seculis ad Darium usque perstitisset, is pecuniarum amore illectus, ad prædandum anhelans, avidissime illud referans, pro immensis, quas inde collecturum se sperabat divitias, haud parvæ ignominiæ notas sibi merito inter mortuorum ossa inflictas, & hæc descripta dumtaxat verba, omni spe frustratus, ad invenit: *Nisi pecuniæ esses inexplebilis, & turpis lucri cupidus, defunctorum sepulchra non aperuisses.*

Ioseph. Ant. lib. 1. c ult.

Sepulchro Davidis & Salomonis ingentes divitiæ reconditæ fuerunt.

8 His demum, ne quid prætereamus, subtexenda videntur, quæ de regio, ac splendido Davidis sepulchro Josephus enarrat, etsi enim Scriptura sanctissimum eumdem regem in civitate sua, quæ Sion dicta est, in Hierosolymitana nimirum regali arce, sepultum fuisse affirmet, præcitatus tamen auctor regia plane magnificentia eidem à Salomone filio sepulchrum exstructum fuisse scribit, ubi & ipse postea sepultus est; in quod præter solemnem regiorum funerum pompam, ingentes quoque divitias singulari erga patrem pietatis, ac munificentiæ exemplo recolendus intulit, quarum admirandam copiam vel ex eo nobis conjectare licet, quod post annos mille, & tercentos, ut ipse numerat, cum Hyrcanus Pontifex ab Antiocho acriter oppugnaretur, opportuno usus consilio, ut eum ab urbis obsidione averteret, & necessitati prospiceret, reserato ipsius Davidis monumento, inde tria talentorum millia protulit, quorum partem Antiocho persolvit, alteram externo conducendo militi destinavit. Ac rursum post longa temporis intervalla Herodes Rex divitiis propensius inhians, mundi pretiosi aureorumque ornamentorum vim magnam eodem è sepulchro detraxit; neutrum tamen pervenisse ad loculos ait, qui Regum cineres continerent: verum cum Herodes abdita avidius perscrutaretur, duos amisisse milites, erumpente ex adytis flamma contra progressos temere, eoque ipsum casu perterritum exiisse. Hæc omnia Josephus: Sed fides sit penes auctorem. Certe de sepulchro Davidis Apostolus Petrus ad Hebræos meminit, & Dio refert illud maximæ Judæis venerationi fuisse; ad quod suo adhuc tempore Christiani orare consueverant, ut ipsemet Hieronymus luculenter describit.

Hyrcanus Pontifex tria millia talentorum ex eo accepit.

Et postea Herodes plurima ex eodem aurea ornamenta abstulit.

Idem ad loculos intimos penetrare cupiens flamma ex adytis erumpente arcetur.

Actor. c. 2. Dio. l. 96. in Adrian. Hier. ep. 27.

Chaldæi sepulchra Regum Juda, & sacerdotum ad thesauros inibi reconditos diripiendos effodiunt.

Ier. c. 8. Baruch c. 2.

Hier. in Ier. c. 8.

Sozomen. hist. cap. ultimo.

Zachariæ Prophetæ corporis inventio.

Ad ejus pedes puer aurea corona, aureisque calceamentis indutus jacebat.

9 Et sane sicut gentiles, ita pariter Judæos in defunctorum sepulchris præcipua mortuorum ornamenta, ingentemque interdum auri vim addere in more habuisse haud improbandum nobis videtur: hanc præcipuam quippe ob causam Chaldæi ossa Regum Juda, ac principum, necnon sacerdotum, ac Prophetarum, cæterorumque Urbis Hierosolymitanæ civium è sepulchris effoderunt, uti longe ante Jeremias prænunciaverat, quod ubi adimpletum est, Baruch uberrime flevit; ad effodiendos nimirum aviditate maxima, diripiendosque thesauros, quos in antiquorum sepulchris munifica recondi manu consuetos, ipso experimento edocti, probe norant; ut Hieronymus, aliique scriptores asseruere: & præ cæteris Sozomenus postremo suæ Ecclesiasticæ historiæ capite recolendam corporis Zachariæ Prophetæ, quæ suo tempore obtigit, adinventionem describens; qui insuper addit de puero quodam Hebræo, regii quidem seminis, ad pedes ipsius Prophetæ sepulto, auream capiti coronam præferente, aureisque in pedibus calceamentis, ac veste pretiosa superinduto. Ex quibus palam, ut arbitror, vides, amice lector, moris apud antiquos extitisse, pretiosa quæque ornamentorum genera defunctorum sepulchris inferre, ad honorem videlicet, & observantiæ cultum apud homines, ipsismet defunctis, quos summopere diligebant, & venerabantur, hac via conciliandum.

Christiani haud divitias avaras, sed alia mysterium

10 At Christiani, ut omnem penitus avaritiam abscinderent, potioribus mysteriis designandis intenti, ad cohonestanda fidelium mortuorum, dum effere-

efferebantur, corpora, & ad eorumdem memoriam futuræ ſpe reſurrectionis illuſtrandam, ſpecialia quædam ſymbola veluti abſconditos ſacrorum rituum theſauros, ipſa intra monumenta antiquitus includere conſueverunt, quæ & arcanarum rerum myſteria intuentibus præ ſe ferrent, & tacite cunctorum animos inſtruendo, fidei teſtimonium proloquerentur. Hæc porro fuere virides arborum frondes, luſtralis aqua, crux, numiſmata, aliaque id genus, de quibus infra ſuo loco dicemus. In primis autem, ut breviter ſingula perſtringamus, mos apud ſapientiſſimos illorum temporum Chriſtianos fuit, ut frondes etiam lauri, aut hederæ, vel alterius arboris, quæ vegetum, conſtantemque viriditatis colorem haud unquam ſuperveniente ſiccitate amittunt, quandoque defunctorum corporibus inter tumulandum ſubſternerent. Cujus quidem rei myſterium Durantes loco citato his verbis edocet: *Hedera quoque, vel laurus, & hujuſmodi, quæ ſemper ſervant virorem in ſarcophago corpori ſubſternantur, ad ſignificandum, quod qui moriuntur in Chriſto, vivere non deſinunt, nam licet mundo moriantur ſecundum corpus, tamen ſecundum animam vivunt, & reviviſcunt Deo.* Hæc nobis ille ad myſterii ſymbolum elucidandum expoſuit.

Frondes viriditatis tenaces in tumulo cadaveribus ſubſterni ſolitæ, earumque myſterium.

Durantes in rationali.

11 Verum gentiles, qui fidei lumine orbati, corporum reſurrectionem haud noverant, haud tenebant, cupreſſi folia, ramoſque ſuis potiſſimum in ſepulchris reſervanda ponebant, ut ipſius acerbitatem fati mortalibus ſymbolice propinarent; cupreſſina enim folia ejuſmodi ſunt temperamenti, ut ubi fuerint ſemel inciſa, haud unquam reviviſcant. Quo plane argumento philoſophorum omnium vox illa proverbii inſtar eſt: *A privatione* videlicet *ad habitum nullum dari regreſſum.* Quamplurima autem Chriſtianis exempla, & hæc quidem ex antiquitatis fonte petita, ſuppetunt, quæ hujuſcemodi conſuetudinem declarant. Verum ut nonnulla ex his in medium proferamus, ſancti Valerii corpus, cum poſt plura evoluta annorum, immò ſeculorum, curricula incorruptum omnino repertum fuiſſet, ſuper lauri frondes magnifice compoſitum jacebat, uti Gregorius Turonenſis affirmat, hæc dicens: *Lauri etiam folia ſub ſe habebat ſtrata, de quibus aſſumens Epiſcopus, multis infirmis præbuit medicinam.*

Cypreſſi ſepulchris à gentilibus appoſitæ, & quare?

S. Valerii corpus lauri frondibus impoſitum reperitur.

Greg. Turon. de glor. conf. c. 84.

12 Præterea quod egregie ad rem noſtram facit, venerandum quoque Umberti Confeſſoris ſanctitate præclari corpus poſt centum, & quinquaginta annos divina virtute ab incorruptione ſervatum, ſubſtratis tumulo hujuſcemodi foliis, adinventum fuiſſe in ejus geſtis apud Surium his quidem verbis legitur: *Sed & herbæ à ſepulturæ ejus die appoſitæ fuerant, quas nullas pro temporis antiquitate putares, adeo virides ſunt repertæ, ac ſi terræ radicitus inhærentes irriguis aquis vireſcerent.* Enarratis hactenus hoc loco addendum eſt, ne recolenda tantæ unquam rei memoria ab animis excidat, Beatorum quoque Apoſtolorum Simonis & Judæ corpora, quorum jam ſupra meminimus, viridibus pariter foliis ad eorumdem ornatum, decoremque permixtis, apud Vaticanam Baſilicam inventa in lucem prodiiſſe, quod cunctis, qui tunc ſpectaculo aderant, rem novam mirantibus manifeſtum apparuit, & publica in acta exceptorum manu diligentiſſime relatum fuit.

S. Umberti reliquiæ in vegetis virentibuſque mire foliis collocatæ inveniuntur.

Sur. t. 5. 6. Sept.

SS. Simonis & Judæ Apoſt. corpora viridibus ſubſtratis foliis inventa ſunt.

13 Verum quod & in vetuſtioribus ſacrorum Ritualium libris videre eſt, quorum ſupra non ſemel mentio occurrit: *Statutum etiam fuit*, inquit Durantes, *ut in ſepulchris crux, & aqua luſtralis, ſeu benedicta apponeretur.* Quocirca, ut nos multiplici ſcriptorum auctoritate ſuffulti, veriſimile ducimus, atque lectori aſſerimus, vitrea illa ſeu fictilia vaſcula, quæ frequenter in abditis Cœmeteriorum ſepulchris intus, vel foris, calce obfirmata reperiri contigit, ibidem haud ad alium, quam hunc plane uſum appoſita fuere, aquam nimirum, quam luſtralem dicimus, continendi gratia. Sed cum in omnibus fere fragminibus, quæ nobis quidem huc uſque videre contigit, ſanguinis aut meri, ſive vini aqua diluti veſtigia ſubſidere conſpiciantur, aſſerendum potius videtur, nobiliſſima iſthæc perpeſſi pro Chriſto martyrii ſigna, atque indicia intuentibus eſſe: de quibus ſequenti capite prolixius agemus.

Durantes ex antiq. Ritual. ſacr. libris.

Vaſcula cum aqua luſtrali in ſepulchris apponebantur.

14 Verum præter cruces tabulis ſive marmoreis ſive teſtaceis altius impreſſas, aut certe pictas, quibus monumenta adhuc clauſa obſignabantur, quarum infinitus propemodum in eodem Cœmeteriorum ambitu, intuentium oculis numerus patet, in ipſiſmet monumentis, & quidem in ſuperiori eorumdem parte, vel quandoque etiam in ipſamet interiori, ſupra jacentium tamen ibidem corpora cruces quædam multiplici ex materia confectæ, ex ære videlicet, argento, vel auro ab antiquis è conſueto Chriſtianorum ritu, ſtudioſe reponebantur. Quapropter in auguſtiſſimis beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſepulchris Magnus ille Romanorum Imperat. auguſtæ ſemper ac recolendæ memoriæ Conſtantinus, Romanæ tum Urbis, tum Eccleſiæ decus, elaboratas quaſdam ex auro cruces, ac pretioſiſſimis intextas lapillis, quo ſuam futuris ſeculis pietatis munificentiam locupletiſſime commendaret, Anaſtaſio atteſtante, repoſuit; qui inſuper auctor formam crucium, earundemque materiam exactiſſimis hiſce verbis deſcribit: *Beati Petri*, inquit, *ſupra æs, alias ſupra os, quo concluſit illud, unde concluſum eſt, fecit crucem ex auro puriſſimo penſantem libras centum quinquaginta in menſura loci, ubi ſcriptum eſt: Conſtantinus Auguſtus, & Helena Auguſta hanc domum regali ſimili fulgore coruſcans, aula circumdat, ſcriptum in litteris puris nigellis in cruce.*

Cruces frequentiſſimæ in defunctorum monumentis multifariam fabrefactæ ponebantur.

Conſtantinus Imp. crucem auream 150. librarum in ſepulchro Apoſtolorum repoſuit.

Anaſt. in Sylv.

15 Si quis autem ex ſanctorum geſtis noſtræ hujus aſſertionis propoſitum magis adhuc oſtendi, confirmarique exoptat, legat, ac ſtudioſe conſulat, quæ de S. Landoaldo à Notgero Epiſcopo ſcriptis tradita ſunt, & à Surio item referuntur, ubi aptis ad rem noſtram verbis enarratur, *quod ſuper B. Vincianæ corpus crucicula quædam argentea reperta fuerit.* Et demum noviſſimo hoc noſtro ſeculo, recurrente anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quinto, cum ſacrum, venerandumque Martinæ Romanæ virginis corpus apud pervetuſtam ejuſdem nomini dicatam Eccleſiam adinventum fuiſſet, inter ſacras virginis ejuſdem reliquias, quæ diebus aliquot in altari totius Vrbis ac populi venerationi expoſitæ fuerant, perexigua quædam crux lignea, affabre tamen operoſa artificum manu elaborata, cernebatur, quam à Chriſtianis, qui tunc funeri aderant, ſupra dignum invictæ virginis corpus, dum ſepulchro inferendum eſſet, appoſitam fuiſſe pia hæc Chriſtianorum, quæ à nobis hactenus deſcripta eſt, conſuetudo ſuadet. Hanc autem Vrbanus VIII. Pont. Max. tanquam nobiliſſimum Chriſtianæ pietatis, & ſacræ pariter

Ex geſtis ſanctorum cruces cadaveribus imponendi uſus comprobatur.

Sur. to. 2. 19. Mart.

Crux lignea corpori S. Martinæ nuper effoſſo appoſita reperitur.

Hanc Urbanus VIII. devotionis ergo penes ſe tenere voluit.

pariter antiquitatis thesaurum, ac monimentum ad recolendam jugiter purpuratæ pro Christo virginis memoriam sibimet ultro addixit, & apud se perpetuo custodiendam, possidendamque habere voluit.

Aurum in sepulchris condendi mos.

16 Mos præterea extitit, ut in Imperatorum, ac Regum, virorumque nobilitatis, aut dignitatis merito præcellentium monumentis ingens auri, argentique copia, aut pretiosum quid simile una cum corporibus includeretur, ut jam supra prolixiori sermone enarravimus. Verum Christiani ipsius Christi exemplo, humilitatis, ac paupertatis studio addicti, ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio sepulchrales ritus apprime edocti, haud unquam in defunctorum sepulchris aurum, ac gemmas reponebant, nisi forte aliquando contingeret, ut vestes, quibus corpora obtegebantur, ex auro contextæ forent, vel certe aureus annulus, quem quis digito præferens, in sepulchro apponebatur. Interdum vero Imperatorum numismata sepulchris recondebantur; eorum videlicet, sub quibus eorumdem aut mors, aut certe martyrium obvenerat. At in puellarum sepulchris, earum quandoque discriminalia, & jocularia quædam his similia, quæ illis, dum viverent, in deliciis fuerant, servanda inserebantur; & hæc quidem superadditis etiam numismatibus semel, atque iterum intra Cœmeteriorum sepulchra inventa sunt. Cujus rei egregium plane testimonium est, quod de Maria lectissima fœmina Honorii Augusti conjuge apud Marlianum narratur: quamvis ad posteriora & pacatiora, quæ orbi deinde, atque Ecclesiæ illuxere tempora, isthæc referenda existimemus. Sed ne his diutius immoremur, ad ea, quæ Christianorum sepulchris tanquam peculiaria fidei insignia affigebantur, sermonem convertamus.

Aurum nullum nisi quod vestibus funebribus intextum, vel annulum, ac numisma in sepulchris Christiani recondunt.

Mundus Muliebris in sepulchris puellarum.

Marl. l. 1. c. 21.

CAP. XXVIII.

Martyrum sanguis ad eorumdem monumenta reconditur.

Pretiosior auro sanguis martyrum à Christianis habitus.

1 QUoniam omni pretiosior auro à candidis Christianæ fidei cultoribus sanguis ille habebatur, quem martyres ob fidei testimonium tam prompto, libentique animo profundebant, & quo tanquam pretio immortalitatem sibi coëmebant; hinc studiosissime eundem colligere, si quando persecutores carnificinæ acrius insisterent, collectumque selecto, ubi condigne reservari posset, ut jam supra dictum est, loco reponere consueverunt. Et jure quidem optimo ad exprimendam sacri ejusdem colligendi cruoris sitim, ac servandi studium, quo Christiani jugiter afficiebantur, ea commode verba aptari possunt, quibus poëta victores quondam milites, insano post prælia furore debacchantes, ac pretiosa quæque spolia respuentes, dummodo hostili, quem maxime sitiebant, sanguine potirentur, in hæc verba descripsit:

Locus Claudiani ad vehemens Christianorum sanguine martyrum potiundi desiderium exprimendum.

Claud. de bello gethico.

Invisum miles cupiens haurire cruorem,
Per varias vestes, onerataque plaustra metallo
Transit, & argenti cumulos, & cædis avarus
Contemptas proculcat opes; pretiosior auro
Sanguis, &c.

Ita plane in rem nostram lectissimus ille, qui passim profundebatur, martyrum sanguis, Christianis auro, gemmatisque lapillis pretiosior extitit, quem tanto colligendum labore, tantoque sibi studio servandum satagebant, ut quam libenter aurum profunderent, ut sanguine vel inter ipsas carnificum manus collecto potirentur.

Veteres Christiani præ auro martyrum reliquias sitiebant.

2 In quo potissimum Christiana religio merito prædicanda & ab ipsismet fidei hostibus admiranda jugiter est, quod plus nimirum martyrum sanguinem, quam aurum, præter humanæ consuetudinis vota, sitiret. Cujus plane rei fidem locupletissimam utique facit mirus Africanorum Christianorum ardor, quo sacrum Cypriani Carthaginensis Episcopi, & martyris mox futuri certatim possidere cruorem satagebant. Quippe, ut digna ejusdem acta referunt, dum beatissimus *Episcopus stans in linea expectaret spiculatorem, fratres interim flentes linteamina, & oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluens absorberetur à terra. Tanti enim* (inquit Baronius recolendam præclari ac dignissimi historiam martyris subtexens) *faciebant fideles sacras martyrum reliquias, ut sudoris, si possent, guttas haurirent, & stillas sanguinis etiam persecutore vidente & invidente, atque exerto gladio minitante, qualibet arte susciperent, atque reconderent. Mirares, eodem plane tempore duplici victoria vincitur crudelis impietas, sanguine martyris, & fide credentium.* Hæc Baronius ad protestandam Christianæ pietatis sacram vere sitim erga martyres, ac venerandas eorundem reliquias.

Pontius in actis S. Cypr. Episc. Carth.

Fidelium in Africa S. Cypriani sanguinem legendi studium.

Baron. t. 2. an. 261 n. 34.

Ardore potiundi martyrum reliquiis minas persecutorum ac mortem negligunt.

Eadem, quæ totis sanctorum corporibus minimis eorum reliquiis divina virtus inest.

3 Quis enim merito non admiretur ardentissimum beati Episcopi in subeundo martyrio desiderium, & vehementissimum pariter erga Christi martyrem Christianorum studium: quippe iidem probe noverant, cum tam avide profluentem dissecto è capite sanguinem colligendum sitirent, pretioso huic liquori impertitam divinitus inesse vim ac virtutem: *Sanctorum enim,* ut Gregorius Nazianzenus ait, *vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora.* Quapropter Christiani parem venerationis cultum sanguini martyrum, ac eorumdem corporibus exhibendum esse, vel facto testabantur, dum sepulchris, ubi disposita jacebant corpora, cruorem pariter nobilium instar exuviarum inferendum curarent.

Naz. orat. 1. in Iul.

Instrumenta martyrii, & acta in martyrum sepulchris reposita.

4 Neque verò beatis istud martyribus obsequium præstitisse contenti, majora iisdem se debere rati ob præclarum sanguinis, quod Christo ac fidei dederant testimonium, instrumenta pariter, seu ferramenta illa, quibus martyres tortorum manu excarnificati fuerant, & non raro ipsamet conscripta martyrum, ac martyriorum acta, eorumdem sepulchris posteritati reservanda inferebant, de quibus singulis modo disserendum est. Et quidem, ut de præcipuo Christianorum studio, quod in custodiendo beatorum martyrum cruore adhibuerunt, non nulla breviter præmittamus. Quis illud ignorat, quod Ambrosius exhortatione ad virgines, & epistola ad sororem expresse testatur, sacrum nimirum sanguinem martyris Agricolæ; necnon martyrum beatorum Gervasii & Protasii se ex eorumdem sepulchris collegisse, ubi illum Christiani solicite deposuerant. Sed hic præstat ipsum audire Ambrosium de beati Agricolæ martyris cruore à se collecto isthæc enarrantem: *Condant,* inquit, *alii aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis; legant pretiosa monilium serta, temporalis ille thesaurus est, &c. collegimus sanguinem triumphalem & crucem.* hæc Ambrosius.

Sanguinem Agricolæ, Gervasii & Protasii D. Ambrosius ex eorum sepulchris collegit.

D. Ambr. exhort. ad Virg. to. 5.

Sanguis Nazarii ac si recens effusus esset in ejus sepulchro repertus.

5 Quin & invicti martyris Nazarii sanguinem veluti recentem in ejusdem sepulchro repertum Paulinus in Ambrosii vita his verbis affirmat: *Vidimus*

[...]am [...] S. [...]or.

mus autem in sepulchro, quo jacebat corpus martyris (qui quando sit passus, usque in hodiernum diem scire non possumus) sanguinem martyris ita recentem, quasi eodem die fuisset effusus. Præclaræ item virginis ac martyris Cæciliæ corpus à Paschale Primo in Callisti Cœmeterio via Appia (ut ejus perhibent acta) repertum fuisse novimus, ubi, sicut jam diximus, una cum velaminibus ad pedes, panni quoque ac lintei sepositi cernebantur, quibus ejusdem sanguis, dum è venis gladiorum inter ictus proflueret, religiosis Christianorum manibus collectus fuerat. Quæ quidem velamina virgineo imbuta sanguine, idem præmemoratus Pontifex una cum corpore, in celebri Ecclesia, quæ in ejusdem Virginis domo in Vrbe Deo dicata conspicitur, suamet manu reposuit; eademque nuper sub Clemente VIII. Pont. Maximo, cum sacrum corpus iterum lucem adspexit, se vidisse Bosius in tractatu, quem scripsit de inventione ipsius corporis, affirmat.

[...]ntei, quibus S. Cæciliæ sanguis exceptus est, juxta ejus corpus reperti.

Bosius tract. de invent. corp. S. Cæcil. Virg.

6 Neque verò prætereundum est, quod ipse disertis verbis Bosius testatur, sæpe sæpius, inquam, dum sacra lynceis oculis Cæmeteria perscrutaretur, ipsummet beatorum martyrum sanguinem, quem pia fidelium manus collegerat, & supra eorumdem olim corpora reposuerat, contemplatum se, veneratumque fuisse, qui vitreis quibusdam, aut certe fictilibus in vasculis, interiori vel exteriori quandoque eorumdem sepulchrorum parte ingestis religiose admodum asservabatur. Quæ quidem vascula sacro referta cruore, immo potius cælesti perfusa opobalsamo, ut Joannes noster Severanus refert in opere Subterraneæ Romæ, quod à se Italico idiomate editum est, sibi quoque ac cæteris, qui præsentes tunc aderant, semel atque iterum, Vrbis Cœmeteria perlustrantibus, quo par est, devotionis cultu, contemplari, ac venerari concessum est.

Quamplurima martyrum sanguine repleta vascula ad eorundem sepulchra in Cœmeteriis Urbis videre est.

7 Et sane insigne hujus rei exemplum est, vasculum illud ex orientali gagate miræ pulchritudinis, quod in Callisti Cœmeterio superioribus annis juxta sancti Felicis martyris sepulchrum, sanguine ejusdem repletum, & aureo panni involucro contextum reperiri contigit: quod ab Eminentissimo Cardinali Francisco Barberino sacri instar thesauri pro condigno recolendæ antiquitatis monimento pie asservatur.

Vasculum ex gagate cum sanguine S. Felicis in Callisti Cœmeterio repertum. Illud inter sua cimelia Emin. Franc. Barberinus asseruat.

8 Eo igitur honoris cultu, ut jam enarratum est, sacratissimum martyrum cruorem, prosequi pietas Christianorum consuevit, ut venerationem jugiter maximam vel ipsis locis impenderent, quæ profluentem vitæ liquorem inter persecutorum manus excepissent. Quapropter locus, ubi martyr Cyprianus Carthaginensis sanguinem pro Christo effuderat, summa religione habitus, Cypriani Mensa appellari meruit, de quo isthæc egregie Augustinus, dum locum eundem in basilicam consecratum fuisse asserit: *In eo quippe loco*, ait, *ubi posuit carnis exuvias, sæva tunc multitudo convenerat, quæ propter odium Christi, sanguinem funderet Cypriani: ibi hodie venerans multitudo concurrit, quæ propter natalem Cypriani bibit sanguinem Christi, & tanto dulcius in illo loco propter natalem Cypriani, bibit sanguinem Christi, quanto devotius ibi propter nomen Christi sanguis effusus est Cypriani. Denique sicut nostis, quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco mensa Deo constructa est, tamen mensa dicitur Cypriani: non quia ibi est unquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus, & quia ipsa sua immolatione paravit hanc mensam, non in qua pascat, sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur. Sed ut mensa illa, quæ Dei est, etiam Cypriani vocetur, hæc causa est, quia ut illa modo cingitur ab obsequentibus, ubi Cyprianus cingebatur à persequentibus; ubi nunc illa ab amicis orantibus honoratur, ibi Cyprianus ab inimicis frementibus calcabatur. Postremo ubi illa erecta est, ibi prostratus est.* hæc Augustinus. Ex quibus studiosus lector per se conjiciat, quem Christiani cultum ipsimet martyrum cruori merito impenderent, qui adeo vel profana loca eodem sacro respersa, vel potius illustrata sanguine suspiciebant ac venerabantur.

Ipsamet loca martyrum sanguine aspersa in sacris habentur.

Mensa Cypriani, locus ubi ille passus est, appellatur.

Aug de diver. ser. 113. Bar. t. 2. an. 261.

Elegans ab Augustino illius nominis allata ratio.

9 Certe Hemiterii, ac Cheledonii martt. sanguis, quo Hispanias nobili consummato martyrio illustrari contigit, magno venerationis cultu à fidelibus habitus est, ut Prudentius his carminibus cecinit:

SS. Hemiterii & Cheledonii sanguis in Hispaniis magnæ venerationi.

Baron in not. ad Mart Rom. die 3. Mart.

Illitas cruore sancto
Nunc arenas incolæ
Frequentant observantes
Voce, votis, munere.
Externi necnon orbis
Huc colonus advenit.

Complutum item in Hispania Justi, & Pastoris Martt. sanguine apprime decoratum est, ut Prudentius exprimit:

Et SS. Iusti, & Pastoris Compluti item in Hispania.

Bar in Mart. Rom. die 5. Aug.

Sanguinem Iusti, cui Pastor hæret
Ferculum duplex, geminumque donum
Ferre Complutum gremio juvabit
Membra duorum.

10 Sed quoniam de martyrum cruore, quo Ecclesia Dei jugiter illustratur, nobis hæc scribentibus mentio adhuc recurrit; en alterum, & quidem insigne, memorandumque portentum hic recensendum, oculatis illud testibus, ac viris fide dignissimis enarrantibus se offert, quod nostris hisce paginis in studiosi, ac pii lectoris gratiam coronidis instar inserere voluimus. Excipe igitur, quisquis es, & Dei opera, quibus Ecclesia mirifice coruscat, inusitataque portentorum genera, quibus veluti patentibus è Cælo signis Christiana fides comprobatur, in martyris Laurentii sanguine, dum audis, venerare. In oppido, quod in Campania situm, S. Laurentii nomine decoratur, & Procerum Columnensium ditioni subest, haud longe ab Urbe, ad hæc usque nostra tempora ampulla vitrea satis quidem ampla extat sacro beati ejusdem martyris cruore, repleta, quæ in Ecclesia ibidem B. Laurentio dicata perhonorifice asservatur: hæc autem novum mirandumque portentum intuentium oculis quotannis exhibet: sanguis enim, qui præmemorata in ampulla concretus, ac adipe permixtus recluditur, cum festiva Martyris beatissimi, ac solemnis martyrii ejusdem memoria decima die Mensis Augusti de more recurrit, qua potissimum die ille sub Valeriano ferream in supra craticulam lento igne assatus, se ipsum dignam Deo victimam, ac holocaustum acceptabile pro Christo obtulit (mirum est, quod dicturus sum) à primis festivi ejusdem diei vesperis, sanguis, qui paulo ante concretus cernebatur, extemplo liquescere, ebullire, & intra ipsius vitri septa, ac si iterum ad martyrium prosilire, iterumque tyranno ac subjicientibus flammis insultare gestiat, novo charitatis incendio succensus, ac denuo flammis, quibus semel ille supra craticulam decoctus fuit, occulta vi exurentibus, è vitro, non secus ac è venis, prodire tentat eum in

Oppidum in Columnensium Romanorū Procerum ditione ampullæ S. Laurentii sanguine repletæ possessione clarum.

Die ejus festo quotannis liquefieri, atque ebulire cernitur.

in modum, ut si ad calefactivam ignis vim appositus esset: confestim enim sanguis ab adipe, eodem plane modo, quo oleum ab aqua, secernitur: atque ita usque ad octavam ipsam à festo diem disjunctus, ac secretus permanet. Verum completis dierum illorum solemniis iterum sanguis coalescit, & adipi commixtus in vitro coagulatur. Perenne autem portentum hoc est, etsi recens singulis annis ac novum in præmemorati oppidi Ecclesia vigeat, innumeris undique populis ad rem ejuscemodi conspiciendam confluentibus.

Peracto festo continuo coagulatus conquiescit.

11 Portentum autem vel eo magis illustre, ac solemne contemplantibus redditur, quod cum, ut testes rei perhibent, notum cuiquam haud esset, cujusnam martyris sanguis in eadem vitrea ampulla asservaretur, ut debito festivam ejus diem honore incolæ quotannis (uti mos est) recolerent; en tibi: licet is coagulatus persisteret, dum martyr perquirentes latet (en tibi inquam) festiva recurrente Laurentii Martyris die cum primis vesperis concinendis hora instat; sanguis mox intra ampullam ebulliens liquefieri cœpit, & id postmodum quotannis præstare non desiit. Cujus rei mox fama percrebuit, & Urbem usque delata ad Pauli V. Pont. Max. aures pervenit, qui martyris, ut par erat, portentum admiratus, quod viris probatæ fidei ultro enarrantibus compererat, nonnullas sacri ejusdem cruoris guttas inde extractas ad se deferri voluit, quas vitro intra pretiosam thecam inclusas, in sacelli à se apud S. Mariam Majorem erecti sacrario inter cœteras Sanctorum reliquias recondidit. Vides hinc lector miram sanguinis vim vel post mortem adhuc in certamen prosilire gestientis? Vides immensum levitici pectoris ardorem, dum charitatis igne vel concretus in vitro sanguis recens liquefit? Haud semel quippe igneus Laurentii animus martyrium pertulisse contentus, nova pro Christo tormenta subire gaudet. O invictam martyris levitæ gloriam, quæ cum jam rutilantibus flammis orbem universum illustraverit, liquescentis nunc portento sanguinis Ecclesiam illustrat. Quippe *tanta*, ut Augustinus ait, *ejus martyrii gloria extitit, ut passione sua mundum illuminaverit universum.* Adhuc autem sanguis dum recens ebullit, Christianorum corda illuminat atque Ambrosio teste, calefacit: *Illuminavit plane mundum eo lumine, quo ipse accensus est, & flammis, quas ipse pertulit omnium Christianorum corda calefacit.* Viget igitur adhuc sanguis, & adhuc vel videntes nova hæc portenta calefacit. Ille, inquam, beati martyris cruor liquescens vel palam intuentibus obtestatur quam libenti animo è venis pro Christo quondam prosilierit: *Laurentius enim*, ut Augustinus loquitur, *dum Christi ardet desiderio ignis tormenta non sensit.* Quis hæc interim audiens, nedum rem oculis hauriens, quis inquam, *nolit ad horam uri Laurentii igne*, cujus vis ipsummet sanguinem in vitro coagulatum, uti recens effundendum præ gaudio prosilire facit. Et hæc sunt, quæ ad perennem B. Laurentii, ejusdemque sanguinis memoriam haud unquam obliterandam his nostris paginis nobilis instar monimenti inserere voluimus. In cujus honorem Hieronymus Eminentissimus Card. Columna pio, quo flagrat erga Christi martyrem studio, suorumque pietatem æmulatus, ad incolarum præmemorati oppidi devotionem magis excolendam, augendamque, pretiosi liquoris ampullam argentea inclusam theca, quo par est honore in dicta Ecclesia servandam curavit, & publico rem hanc testimonio comprobatam hic pio lectori exhibendam voluit.

Ignotus primum ipse se S. Laurentii sanguinem esse miraculoso miraculo prodidit.

Paulus V. Pontifex aliquot guttas inde sumptas in Sacrario S. Mariæ Majoris recondidit.

Aug. ser. 30

S. Laurentii patiendi ardor ex ejus sanguine quotannis liquescentis novæ profusioni quodam modo se aptante innotescit.

Aug. ser. 30

Emin. Car. Hieronym. Columna hoc miraculum publico testimonio firmari jussit.

12 Antequam autem de recolendo martyrum cruore sermo absolvatur, ut nonnulla hic ad rei propositum subtexamus, & ipse sanctorum Confessorum sanguis debitam in orbe Christiano venerationem promeruit, suam quippe vocem habet, ad fidei Christianæ magnalia jugiter, gentilium, & hæreticorum auribus & oculis inculcanda, si isthæc audire, si videre dignentur. Nam ut experimento comprobatur*, venerandæ B. Nicolai Tolentinatis Ord. S. Augustini reliquiæ, quæ Tolentini in Piceno asservantur, recentem interdum cruorem, novo, stupendoque portento copiose emittunt, & futuræ cujuspiam calamitatis, quæ Christianorum Reipublicæ imminet, ut precibus Deum prævenientes, longius propulsent, cunctos solicite præmonent. Vir etenim sanctissimus cum ab Eugenio Quarto summo Pont. inter tutelares Ecclesiæ patronos adscriptus sit, ubi quid triste, ac lugubre impendit, etsi arida, ac præcisa à corpore ejusdem brachia, quæ argento inclusa servantur, ac si vitali spiritu prædita sint, recentem sanguinem protinus distillant, & clara fidelibus rerum futurarum signa exhibent, quod hactenus exemplis quamplurimis compertum est: post exhibitum enim cruoris signum statim ingens aliqua ab Othomannis, vel ab hæreticis clades Christianis illata est, & superioribus quidem annis, ut multi sunt testes, sanguis iste novo stillicidio uberrime effusus bellorum, quæ Christiano postmodum orbi adfuere, & præsertim Venetorum Reipublicæ ex Turcarum armis, prænuncius & index extitit.

Sanguis sanctorum suam habet vocem

Reliquiæ S. Nicolai Tolent. imminente aliqua Reip. Christianæ calamitate sanguinem emittunt.

13 Sed quoniam jam de portentoso sanctorum Christi Confessorum sanguine in præsens agitur, pari admiratione, ac venerationis cultu à fidelibus excipiendus est sanguis Seraphici viri Francisci Assisinatis Ord. Min. Institutoris, qui è sacris stigmatibus sibi divinitus apud Alverniæ montem impressis uberrime emanavit: è vulneribus nimirum non tam ferro, quam amoris divini cuspide in carne Beatissimi viri novo, inusitatoque prodigio patefactis; hic autem sanguis in vitrea ampulla pluribus in locis Romæ asservatus longa post sæcula adhuc intra vitri septa recens, ac fluens ad sacrorum Stigmatum miraculum fidelibus inculcandum; perennis instar monimenti conspicitur; quin haud mortua licet jam sepulti sacri corporis vulnera intra sepulchrum recenti adhuc sanguine imbuta ab oculatis perscrutatoribus, ut infra enarrabitur, inventa sunt. Sed his de martyrum cruore enarratis, ad veneranda martyriorum instrumenta, quibus eorundem sepulchra locupletata sunt, & Subterranea Roma illustris reddita est, deveniamus.

Seraphici Francisci stigmata sanguinem misisse visa sunt.

Bonav. in vit. S. Fr.

CAP. XXIX.

Martyriorum instrumenta una cum martyrum corporibus tumulo reponuntur.

1 QUid quæso ad jugem ac perennem Christi martyrum gloriam in orbe terrarum non contulit? Quid ad miram eorumdem in perferendo constantiam militanti Ecclesiæ, posteritati, immo æternitati commendandam sæva persecutorum rabies, atque ingeniosa crudelitas non adinvenit? *Quando*, ut inquit S. Leo, *in honorem transierunt* *trium-*

Omnia in martyrum pœnam à tyrannis adinventa in eorundem gloriam recidere.

S. Leo Papa ser. in nat. S Laur. mar.

triumphi etiam instrumenta supplicii. Ita plane, ipsamet instrumenta pœnarum, quæ martyrum corporibus saniem, cruciatum, pallorem, dolorem, cicatrices ac vulnera quondam inflixere, ex eorumdem contactu pretium ac decorem hausere. Quapropter pœnale ferrum pluris quam regium aurum ac diadema à Christianis jugiter habitum est: quippe qui post gloriosa martyrum certamina, suppliciorum instrumenta una cum sacris pignoribus tuto inferre loco, & ad posteros conservanda, & colenda transmittere satagerunt.

Ipsis instrumentis pœnalibus ob martyrum contactum honor habetur.

2 Ut hujus autem celebrandæ consuetudinis initia repetamus; illud jam ab antiquis temporibus in more positum apud Hebræos potissimum fuit (quod etiam supra innueramus) ut post addictos patibulo reos, ac diro mortis genere absumptos, cum corpora postmodum tumulo darentur, ibi una cum damnatorum corporibus, & instrumenta, quibus excruciati, ac interempti fuerant, apponerentur, quod in legum Judaicarum libro, præcepto utique affirmativo 203. expresse cavetur, dum dicitur: quod blasphemus quisque & idololatra, ubi in ligno suspensus fuisset, paulo ante occasum solis deponatur, & *mox postquam depositus est*, inquit, *cum ligno sepelitur.* Id ipsum collegit Baronius in suis Annalibus, cum ait ex Rabbinis Jacob Zacim, & Moyse Ægyptio, cadavera scilicet damnatorum sepulchris inferri vetitum fuisse, quæ cæteris essent communia, sed in privatis dumtaxat tumulis, & seorsum ab aliis reponenda esse: rursumque separatim quoque sepelienda esse instrumenta illa, quibus carnificum manu ex legum præscripto mors iisdem illata fuisset, nempe cruces, clavos, enses, lapides, pro mortis genere, quo quis affectus esset. Sed verba quæso Moysis Ægyptii, Majemonis filii in opere Jad, quod instar commentarii est in legis Mosaicæ præcepta, hic ad rem nostram excipiamus: *Lignum*, inquit ille, *super quo fuit aliquis suspensus, cum suspendioso sepelitur, ne maneat illi malum nomen, & dicant homines, illud est lignum, in quo suspensus est ille. Sic lapis quo aliquis fuit lapidatus, & gladius quo fuit occisus, & sudarium, sive mantile, quo fuit strangulatus, omnia hæc cum iis, quæ perierunt, sepeliuntur.* Hactenus Rabbi Moyses in Judaicæ consuetudinis comprobationem, quam enarravimus.

Crux & cætera instrumenta supplicii cum reorum corporibus apud Hebræos sepeliri solita.

Idque ex legum præcepto.

Baron. t. 1. an. 34. n. 134.

Damnatorum cadavera peculiaribus inferri tumulis consuevere.

Et instrumenta pœnalia seorsum ab illis defodiebantur.

Lib. ult. Galat. Saned. perest. 15.

Instrumenta illa cur sepeliri lex præscripserit.

3 Quocirca ex Theodoreto, Socrate, Sozomeno, Nicephoro, & reliquis probatæ fidei scriptoribus, pretiosissimam Christi Domini Crucem juxta venerandum ejus sepulchrum longa post sæcula repertam fuisse didicimus. His adde, quod & Socrates ac Nicephorus asserunt, in eodem videlicet sepulchro clavos insuper adinventos fuisse, quibus idem Christus Dominus cruci à Judæis affixus fuerat.

Theodor. l. 1. c. 21. Socr. l. 1. c. 35. Sozom. l. 2. c. 1. Niceph. l. 8. c. 29.

Vivifica Domini Crux cum clavis juxta ejus sepulchrum reperitur.

4 Porro ut lectori magis assertionis nostræ ratio patens fiat, tum antiquarum traditionum argumentis innixa, tum gravissimorum hominum auctoritate suffulta, experimento ipso confirmanda est. In selectis enim Cœmeterii Vaticani sepulchris ferrea ungula reperta est, qua dire olim martyres à tortoribus excarnificabantur, quæ quidem veluti nobilissimum Christianæ fidei, invictæque martyrum patientiæ monimentum ad hanc usque diem in Vaticana Basilica summa fidelium omnium veneratione servatur, & interdum recurrentibus solemniorum festivitatum diebus populo conspicienda proponitur.

Ungula ferrea martyribus excarnificandis in Cœmeterio Vaticano reperta.

5 Hujus autem pœnalis instrumenti Baronius in suis ad Martyrologium Romanum annotationibus expresse meminit ubi multiplicis quidem generis forcipes fuisse asserit, quibus ad infligendum cruciatum tortores uti consueverant, sed ejus verba in medium lectori interim exponenda proferantur: *Triplicis generis*, inquit, *erant forcipes, quæ adhibebantur in carnificinis SS. Martyrum. Harum aliæ erant ad incidendum, ut hæ de quibus agimus; aliæ autem ad comprimendum, & contorquendum compositæ. Harum meminit Synesius Episcopus epist. 58. cum agit de Andronici præsidis feritate, aitque nasi forcipe, auribus apprehendendis & labiis obtorquendis parato instrumento, &c. Agit illic idem auctor de digitali, & pedali tormento, ac de prælo. Tertii generis erant forcipes dentatæ, quæ quidem tribus ferreis aculeis cutem martyris perforabant, cum stringerentur, quæ crudeliter nimis membra carpentes vellebant. Asservatur hactenus ejusmodi genus instrumenti in Basilica Vaticana inter Sanctorum reliquias, licet scorpiones à quibusdam falso esse credantur. Sed qui vere fuerint scorpiones tortorii, diximus superius duodecima hujus mensis. Meminit & Iosephus de forcipe dentata, cum ait: His dictis ignea forcipe ejus linguæ cauteriatur, &c. Huic simile erat genus illud cruciamenti, quod Victor lib. 2. de persecutione Wandalica appellat palos dentatos, dum ait: Ilico palis minoribus dentatis jactis in capite, crinibusque in eisdem colligatis, ac vehementius stringentes simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Hæc Victor.* hactenus Baronii verba ferreas forcipes exacte describentis, quæ nobis in medium afferre congruum visum est, ut lector, vel obiter pœnale hoc ferrum antiquis comprobatum monimentis recognoscat; sed plura infra, cum de eodem instrumento apud Vaticanam Basilicam condito ex professo agemus, ejusque imago typis diligenter excepta, oculis contemplanda proponetur. Sed nunc ad alia pœnalia martyrum instrumenta, unde abscessit, sermo recurrat.

Bar. in Rom. Mart. die 26. Iun.

Forcipes triplicis generis ad martyres torquendos gentilibus in usu erant

Forcipes dentatæ quales, & cui martyrum carnificinæ adhibentur.

6 Addimus præterea, quod ipse Bosius in quodam Urbis Cœmeterio ferream item forcipem se reperisse affirmat (quam postea Scipioni Cobellutio S. R. E. Cardinali Bibliothecario dono dedit) quamdam item securim, laminas ferreas, plumbeos globulos, ac alia hujuscemodi instrumenta, quibus invictissimi martyres impiorum manu excruciabantur: & nostris quoque temporibus à perscrutantibus quam diligenter abditos Cœmeteriorum sinus, quibus Urbs Roma abunde referta est, non raro id genus alia, sacras inter martyrum sarcinas reperiri contigit.

Forceps, securis, & alia instrumenta pœnalia martyrum in cœmeterio Callisti reperta.

7 Nonne quamplures hic Christi martyres commemorare nobis licet, qui jacentes quandoque in tumulo reperti sunt, ipsimet juxta eosdem instrumentis appositis, quæ eorumdem quondam carnificinæ inservierant? In primis autem Quintini martyris corpus una cum sudibus & clavis, quibus cruci suffixus fuerat, adinventum fuisse in ejusdem apud Surium actis legitur; ubi item Eusebiam, matronam pietate conspicuam devotionis ergo sudes ferreas ab ejusdem corpore clavis relictis extraxisse narratur; quas postea Eligius Episcopus pari pietatis studio permotus, & miro erga beatum martyrem fervore succensus secum cælestium instar munerum detulit. De eodem autem Quintino isthæc Surius: *Venerabilis autem fœmina sudes ferreas, quibus beatum Christi martyrem confixum fuisse*

S. Quintini corpus cum sudibus, & clavis inventum.

Eusebia matrona sudes illas cadaveri ejus infixas extrahit.

Eligius clavos ejusdē martyris secum pietatis ergo confert.

Sur. t. 5. 31. Octob.

fuisse jam diximus, manentes adhuc in ejus corpore cernens, extrahi eas curavit, &c. De beato item viro Eligio idem Surius loquens sic ait: *Clavos quoque miræ magnitudinis, quos tempore passionis ejus persecutores corpori infixerant, ex cerebro, cæterisque artubus extractos sibi pro reliquiis sequestravit.* Porro idem Eligius obsequio martyrum deditissimus, ut ibidem scribitur, Piatonis martyris corpus advenit, è cujus deinde corpore oblongos pariter clavos abstraxit, ac populis in recolendi ejusdem martyrii argumentum conspiciendos, venerandosque proposuit.

Idem t. 2. 10. Dec.

Idem Piatonis corpori defixos clavos reperit ac populo venerandos exponit.

8 Sed Ambrosius interim nobis audiendus est, qui (quod nostram ad rem facit) ut ipsemet refert, non sanguinem dumtaxat, sed & crucem & clavos, quibus vir Dei Agricola nobile quondam pro fide martyrium consummaverat, in ejusdem sepulchro à se inter perscrutandum inventos, ac secum doni instar pretiosissimi delatos fuisse his verbis paulo ante à nobis in medium prolatis testatur: *Detuli ego vobis munera, quæ meis legi manibus, id est, crucis trophæum, cujus gratiam &c. condant alii aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis; legant pretiosa monilium serta, temporalis ille thesaurus est, & sæpe habentibus perniciosus. Nos legimus martyris clavos, & multos quidem, & plura fuerunt vulnera quam membra. Collegimus sanguinem triumphalem, & crucis signum, &c.* huc usque Ambrosius, qui sibi jure merito gaudet & de pœnali ferro, ac si de regio adinvento thesauro gratulatur. Neque hic interim omittendum putamus, quod de venerando martyris Danielis corpore reperto eo prorsus modo, quo multos ante jam annos cruci affixum fuerat, Petrus de Natalibus laudatissimus inter Scriptores affirmat, quod & in Patavinis tabulis hunc in modum recitatur: *Corpus martyris invenerunt jacens supra ligneam tabulam, adinstar suæ longitudinis, supinum & extensum, habens super aliam marmoream tabulam, ejusdem longitudinis cum inferiori, confixam clavis, videlicet ferreis enormibus, caput martyris, pectus, & ventrem, & omnia transfodientibus membra, & binas tabulas colligentibus, &c.* hæc ibi. En gloriosa utique tormentorum monimenta, quibus fideles vel semel pro Christo affecti sunt, nulla vnquam temporum injuria ex animis, imo neque ex oculis obliteranda; nam videntibus & credentibus populis, & ipsis carnificibus ac gentilibus invidentibus, isthæc reservata adhuc coluntur & vigent.

S. Ambrosius crucem & clavos Agricolæ mart repertos thesauri loco habet.

D. Ambr. l. de exhort. ad Virg. in princ. to. 5.

Danielis mart corpus clavis inter binas tabulas cōfixum in sepulchro repertum.

Petr. de Natal. lib. 2. c. 60.

9 Quanti vero ipsi martyres Christi, haud unquam tormentis devicti, suarum instrumenta pœnarum semper fecerint, vel ex hoc uno conjicere quis potest, quod ne interdum hæc deperirent, vel certe à nescientibus negligerentur, meritoque honoris cultu carerent, expressis quandoque verbis sub extremam vitæ horam destricte præceperunt, ut eadem à fidelibus quam solicite reservarentur. Nonne invicti ille animi inter Babylas se una cum ferreis catenis, quibus pro Christo circumdatus quondam fuerat, sepeliri voluit? qui ob præclaram fidei confessionem, & miram in perferendo constantiam, hoc nobilissimo præconio in Romani Martyrologii tabulis celebratur: *Antiochiæ S. Babylæ Episcopi, qui in persecutione Decii, posteaquam frequenter passionibus suis, ac cruciatibus glorificaverat Deum, gloriosæ vitæ finem sortitus est in vinculis ferreis, cum quibus & suum corpus sepeliri mandavit, &c.* hæc in laudem memorandi martyris ex Martyrologio Romano excerpta deprompsimus. Quod Chrysostomus quoque satis luculenter oratione illa contra gentes his verbis testatur: *S. autem Babylas morti se propinquum dum videret, corpus suum una cum ferreis illis catenis sepeliendum mandavit, planum faciens, quæ ignominiosa videntur, ea, quæ iis propter Christum sunt, honorifica esse ac splendida.* hæc Chrysostomus Quas quidem catenas ornamento sibi futuras ipsemet Babylas edixerat, teste in ejusdem gestis Suida, ubi ita: *Deinde & ipse, collo percussori porrecto, mandavit iis, qui cadaver ejus collecturi erant, ut catenas & pedicas una secum sepelirent, ut, inquit, hæc jacenti mihi sunt ornamento.*

Martyres suorum instrumenta pœnarum sua cum sepeliri cupiunt.

Babylas cum ferreis suis catenis sepeliri voluit.

Rom. Mart. die 24. Ian.

S. Chrys. contr. gent.

Ignominiosa alias si propter Christum sunt, clara atque honorifica evadunt.

Suid. in Babyla.

10 De hoc autem præclarissimo Antiochenorum martyre, qui pœnarum ambitiosissimus ferreas, ut vidimus, catenas, quibus pro Christo devinctus fuerat, secum tumulo honoris gratia inferendas demandavit, ut iisdem veluti nobilissimo post mortem triumphi titulo, ossa ac sepulchrum illustriora redderentur, hæc idem Chrysostomus subdit: *Extant etiam cum Babylæ cineribus compedes Ecclesiarum præfectos omnes commonefacientes, ut vinciri, ut jugulari, ut quidvis pati oporteat: certe omnia prompto, atque alacri animo, ac magna item cum voluptate sustinenda, ut concreditæ nobis libertatis ne levissimam quidem partem prodamus, aut contaminemus.* Vincula igitur vincire quidem martyrum corpus, sed vincere animam, ipsa inter tormenta invincibilem nullatenus queunt: & compedes ipsi Christianorum quidem manus ac pedes haud ad ignominiam, sed ad triumphum copulant; iisdem enim, quibus fortiter devincti sunt, orbis pariter una cum persecutoribus, ac demum infernus ipse cum suis tartareis legionibus devictus est.

Chrysost. orat. in Iuven. & Max.

Instrumēta martyrum pœnalia in Ecclesiis asservata quid doceant?

11 Porro catenæ, quibus Babylas jugiter vinctus, & invictus carceri mancipatus fuerat, & ipsamet instrumenta pœnarum, quibus constrictus decertaverat, una cum ipsius corpore tumulo illata, dæmonem subinde potenti virtute vinctum devictumque magno fidei triumpho captivum quodammodo reddidere. Quis enim nesciat ad Antiochena quondam suburbia Babylæ delato corpore, loquax illud ac fallax Apollinis simulacrum, ac si ori frænum martyris præsentia injecisset, protinus obmutuisse? nec ullum deinceps percontantibus exhibuisse responsum? Quis inquam non meminerit, inolitas Græcorum superstitiones, ubi primum veneranda martyris ossa, & pœnarum ejusdem vexilla advenerunt, cessasse, insanosque deliciarum luxus, qui ibidem vigebant, protinus loco cessisse? En admiranda, jugiterq; prædicanda Christi martyrum virtus: en suppliciorum ac pœnarum, quas libenter, imo gaudenterque pro Christo pertulere, immensa vis, ac potentia adversus stygias phalanges: pugnavit vivus, sed nec destitit vel mortuus ipso è tumulo Babylas pugnare, & pugnando tyrannos, quin ipsa gentilitiæ superstitionis arma, ipsa obscœnarum voluptatum, ac vitiorum irritamenta, ipsum denique debellare satanam, expugnare, ac vincere novit. Sed repete hic lector, quæ in suis ad Martyr. Rom. notis Baronius die 24. Januar. his plane verbis enarrat: *At vero non simul cum ipsa morte finis fuit certaminis Babylæ: quin velut redivivus, graviores contra gentiles est aggressus pugnas: nam & more Sampsonis ossibus pugnans in fugam vertit Philistæos. Hujus enim illustris martyris ossa Gallus Cæsar in Daphnem ad Antiochena suburbia trans-*

Babylæ corpus, & catenæ dæmonem ligant.

Et gentium superstitiones, ac luxuriam refrænant.

Baron in Mart. Rom. die 24. Ian.

Gallus Cæsar ossa ejus in Daphnem ad

corrigēdos corruptos mores mutit, & fit voti compos.

translulit, quo tanti martyris reverentia insolitæ ibi Græcorum superstitiones cessarent, & effusus deliciarum luxus contineretur. Res accidit ex sententia: nam præsentia sacrorum pignorum mox loquax illud Apollinis oraculum obmutuit, nec ultra responsa dedit: prout scribit Sozomenus hist. lib. 5. cap. 18. Cum autem Imperium impius Julianus Apostata accepisset, ut silentis Apollinis linguam solveret, inde tollendum Babylæ corpus Christianis imperavit; quo tandem sublato, & in locum pristinum restituto mox mutum idolum, & nonnisi sui silentii causam fari permissum, illapso de Cælo fulmine contritum est, ingensque ejus ædes cælesti illo igne conflagravit. Hujus triumphi Babylæ exstant antiquorum scriptores, velut egregiæ columnæ victoriis illius insculptæ in monumentum sempiternum erectæ. Tantæ enim rei oculatus testis Ioannes Chrysostomus tunc adolescens interfuit, & (ut ipse testatur) vidit, eademque scripsit præclara illa Oratione contra gentiles & hom. 4. de laudibus Pauli. Idem & cæteri antiqui historici præstiterunt, Ruffinus lib. 1. cap. 35. 36. Sozomenus cap. 19. Socr. lib. 3. cap. 16. Theodoretus lib. 3. cap. 10. Evagrius lib. 1. c. 16. & alii id factum esse 11. Kalend. Novemb. Ammianus Marcellinus gentilis historicus lib. 22. testatur, licet homo Christianis infensus causam profiteri erubuerit. Hæc ex Baronio proferre voluimus in præclarissimi martyris laudem, qui instrumenta pœnarum secum tumulo tamquam validissima contra hostes arma inferri demandavit.

Sozom. lib. 5 hist. c. 18.

Julianus Apostata inde illa iterū asportari jubet.

Sed fulmine Idolum conteritur, & templum conflagrat.

Bar. in Mart. Rom. die 24. Ianu.

12 Quod autem martyres præstitere, hoc & confessores ipsi, qui sanctitate præfulserunt, faciendum curarunt, quippe qui ea ipsa, quæ instrumenta iisdem fuerant ad mira exercenda jugiter pœnitentiæ opera, edomandasque voluptatum titillationes, dum adhuc inter vivos degerent, hæc una secum post mortem tumulo reponi voluere, ferreas videlicet catenas, cilicia, & pœnalia hujuscemodi instrumenta, quibus ad excrucianda corporis membra, carnemque spiritui subjiciendam iidem divino amore succensi frequentissime usi fuerant. Inde est quod una cum venerando Simeonis Stylitæ corpore torquem ferreum, quem ipse adhuc vivens ad corpus conterendum gestaverat, tumulo illatum fuisse Nicephorus enarrat. Evagrius autem oculatus hujusce historiæ testis, ferream quoque catenam se in eodem sepulchro vidisse his quidem verbis fatetur: *Ibi quoque catena ferrea, quam collo gestabat, reponebatur. Nam ne mortuum quidem carum illud ferrum Simeonem deseruit.* Sed de his hactenus.

Sed & confessores instrumenta pœnitentiæ secum sepeliri volunt.

Simeon Stylites cū torque ferreo tumulo inferri voluit.

Niceph. l. 14. c. 15. Evagr. l. 1. c. 14.

13 Quis vero tam ferrei sit cordis, ut ad ferrea hæc Martyrum, & Confessorum Christi vincula, quibus pro eodem hi prompto, libentique animo devincti sunt, totus in lacrymas resolutus immensam vinculorum pro Christo perpessorum virtutem, ac gloriam sentiens, non emollescat? quis insuper mente raptus non obstupescat; & illa interim Chrysostomi verba non probe meminerit, quibus Paulum magis admirandum vinctum, quam vincentem, & Cælo ipso fruentem prædicat? *Nihil est enim*, inquit ille, *æque præclarum ac vincula propter Christum, & catenæ sanctis illis manibus impositæ: si quis me faceret unum ex Potestatibus, quæ circa Cælum sunt, aut talem vinctum, potius optarem talis esse vinctus, scio quid expedit. Mihi optabilius est, & magis eligendum male pati pro Christo.* Hæc aureus Chrysostomus in ferreorum vinculorum laudem unus præ omnibus peroravit, quibus nos tamquam gemmarum monilibus, ipsamet pœnarum instrumenta insignire voluimus. Certe vincula, quibus Petrus Apostolus Hierosolymis sub Herode, & Romæ sub Nerone alligatus est, magna populi veneratione in Ecclesia in eorumdem titulum, & cultum erecta asservantur, & sanctorum jugiter gloriam inculcant. Horum vero virtutem, ac splendorem præ cæteris admirans Augustinus hæc ait: *Merito per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum.*

Præclarius atque optabilius nihil, quam pati pro Christo.

Chrys. hom. 1. in ep. 4. ad Ephesios.

Vincula S. Petri Apost. Romæ in magna veneratione habētur.

Aug. ser. 28 de sanctis.

14 Et certe, ut ipse Baronius ait, *Petri vincula veluti nobilissimæ victoriæ gloriosa trophæa, omnium fere sanctorum Patrum egregiis celebrata præconiis, in Ecclesia sunt perpetua memoria consecrata.* Mira quidem sunt, quæ demum in sacrorum Petri vinculorum honorem Augustinus, quem modo citavimus, luculenta oratione insinuat: *Felices*, inquit, *illi nexus, qui de manicis, & compedibus in coronam mutandi Apostolum contingentes martyrem reddiderunt. Felices catenæ, quæ nudatis pene ossibus inhærentes, vivas reliquias de sanguinis sudore, jam attrita carne rapuerunt; tactusque membrorum cruciatus sui sanctificat instrumentum, in quo dum afflictio crescit ad pœnam, causa pœnæ perficit ad gloriam. Felicia vincula, quæ reum suum usque ad Christi Crucem non tam condemnatum, quam consecratum miserunt.* Hæc sanctissimus Doctor, de vinculis Petri: licet non de illis, ut Baronius asserit, quibus sub Herode vinctus est Hierosolymis, nondum enim ea reperta fuerant (quæ temporibus Theodosii junioris Augusti in lucem prodita sunt) sed de illis, quibus Romæ est in carcere detentus, antequam Crucis supplicium subiret. At de his, quibus vinctus Hierosolymis est, tandem Romam translatis hæc cecinit Arator Diaconus.

Aug ser. 29 de SS.

Vincula S. Petri Hierosolymitana Romam translata.

——— manet omne per ævum
Pignoris hujus apex, & syderis obtinet instar
Corpore, quod Petrus sacravit, & Angelus ore.
His solidata fides; istis tibi Roma catenis,
Perpetuata salus: harum circumdata nexu,
Libera semper eris: quid enim non vincula præstant,
Quæ tetigit, qui cuncta potest absolvere, &c.

Arator in Act. lib. 1.

Quomodo autem hæc ipsa Petri vincula diligenter asservata, fideliter custodita, ac denique feliciter adinventa fuerint, Metaphrastes ex antiquioribus monumentis in lucem prodidit: ait enim ea nimirum in manus cujusdam ex Agrippæ familiaribus, sed in Christum credentis, devenisse, sicque per manus per quatuor delata sæcula fuisse, ac tandem patefacta tradit.] Hæc ex Baronio in medium protulimus, ex quibus profecto, vinculorum gloria toti terrarum orbi patens fit; fideles enim majori ambitione ferrum, quam aurum, & catenas potius, quam gemmas aucupantes, infodiebant terræ, quas veluti pretiosissimi reliquias thesauri servandas, & ad posterorum manus diligenti studio transmittendas curabant, ut id unum indicio esset, quanto honoris, ac devotionis cultu erga sacras martyrum catenas, & martyriorum instrumenta fideles jugiter afficerentur.

Baron. c. 2. an. 44. n. 7. & 8.

15 Porro qua potissimum veneratione sacratissimæ Petri catenæ, in quarum honorem Ecclesia erecta, & festivus dies institutus est Romæ, à fidelibus recolerentur, vel illud aperte comprobare videtur, quod à summis olim Pontificibus earum-

Catenarum S. Petri limaturam aureis clavi-culis inclusam Regibus Ponti-

dem

fices mittunt. dem catenarum limatura, auro in clavis formam inclusa ad Imperatores, Reges, & illustres quosque viros insignis instar muneris transmitterentur, ut hujus rei testis est S. Gregorius, qui duas claves hoc catenarum pulvere perfusas Recaredo Hispaniarum Regi dono dedit; his verbis ad eum scribens: *Clavem parvulam à sanctissimo beati Petri Apostoli corpore vobis pro ejus benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis ejus inclusum, ut quod collum illius ad martyrium ligavit, vestrum ab omnibus peccatis absolvat.* Hoc idem Gregorius Joanni viro Consulari præstitit his plane verbis: *Sanctissimam clavem à beati Apostolorum principis corpore vobis transmisi, quæ super ægros multis solet coruscare miraculis; nam etiam de ejus catenis interius habetur. Eædem igitur catenæ, quæ illa sancta colla tenuerunt suspensa, colla vestra sanctificent.* De sacris iisdem catenis particulas auro pariter insertas idem Gregorius Childeberto Francorum Regi in hæc verba transmisit: *Claves præterea S. Petri, in quibus de vinculis catenarum ejus inclusum est, excellentiæ vestræ direximus, quæ collo vestro suspensæ à malis omnibus tueantur.* Hæc pro triumphalibus Apostoli Petri vinculis Gregorius. Magni ergo ac pretiosi instar doni vel minima quæque venerabilium catenarum particula computabatur, quæ è sacro Principis Apostolorum contactu benedictionis gratiam sortita, ipsorum colla Regum ac Principum non secus ac gemmarum monilibus illustraret, sanctificaretque.

Greg. reg. ep. l. 7. ep. 126 Baron. to. 8. an. 599.

Greg. reg. l. 2. ep. 30. Baron. t. 8. an. 591.

Idem reg. l. 5. ep. 6. Baron. t. 8. an. 595.

16 Nec res quidem hæc perfunctoria, & vacua miraculis, ut idem testatur Gregorius de miserabili, ac repentino Longobardi cujusdam interitu, qui aureæ clavi, quæ sacrum ferrum servabat, insultare ausus est: *Mox enim cultellum*, ut Gregorius ait, *cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per spiritum sibi in gutture defixit, eademque hora defunctus cecidit, & dum illic Rex Longobardorum Antharit, atque alii multi ejus homines adessent, factus est omnibus vehementissimus timor, ut eamdem clavem de terra levare nemo præsumeret, &c.* Qua postmodum ab eodem Rege ad Pelagium Romanum Pont. honorifice transmissa, condignum Petro; ac ejusdem catenis honorem patenti admonitus miraculo detulit. Sed postremo loco ipsum præstat audire Chrysostomum, qui cum de vinculis, quibus Hierosolymis Apostolus Petrus carceri mancipatus est, loquitur, sibi magis optandam esse Petri pro Christo vincti sortem, quam ipsius Angeli eundem vinctum solventis felicitatem diserte pronuntiat: *Hic si mihi quispiam*, inquit ille, *dixisset, elige utrum velis, vis esse Angelus Petrum stimulans, ac solvens? an Petrus qui servatur? Petrus utique maluissem esse, propter quem & Angelus descendit. Vinculis istis potiri libuisset. Quod si mihi quis vel universi, vel hujus catenæ copiam & optionem largitus esset, catenam hanc ego plane elegissem.* Hæc Chrysostomus.

Quidam hisce D. Petri clavicul is insultans male perit.

Greg. lib. 6. ep. 23. ad Theocr.

Chrysost. hom. 8. sup. c. 4. ad Ephes.

17 Apte autem, eleganterque conceptis rem carminibus Martha Marchiana Parthenopensis quidem ortu, at educatione & incolatu Romana, miræ innocentiæ ac eruditionis virgo expressit, quæ probe utramque, Græcam nimirum, & Latinam litteraturam edocta nullo magistro, postremo hoc nostro seculo in Urbe floruit, poëtarum utique laurea, & virginitatis pariter aureola insignis; cujus carmina eruditissimis quibusque viris admirationi extitere, & ipsimet Urbano Octavo Pont. Max. ubi ad ejus manus aliquando delata sunt. Præclaris insuper laudum præconiis ob ingenii perspicacitatem, qua præstabat, nec non ob eruditionis, ac poëseos præsertim excellentiam, sapientum ore haud semel laudari promeruit. Hujus autem elucubrationes paulo post piorum virorum studio in unum collectæ, ne una cum auctore oblivionis tumulo interceptæ jacerent, in lucem evocatæ prodibunt.

Martha Marchiana nostri seculi Sappho ingenio, & Lucretia moribus

18 Interim vero, ut hujus ingenii præconia, velut quid à proposito alienum sileamus; ipsa dumtaxat verba hic in medium proferre sufficiat, quibus virginem omni eruditione ac probitate excultam Eminentissimus Cardin. Spada Albanensis Episcopus merito aliquando collaudavit. Conscripta quippe, dum adhuc Sedis Apostolicæ Legatum Bononiæ ageret, gravi epistola, sic eamdem gratulabundus alloquitur: *Et piam & eruditam expertus, novissime te officiosam agnosco, &c.* Et paulo infra: *Nunc ipsum si sapis, animi nervum toto robore intente & converte ad Deum bonorum omnium auctorem, ex quo scilicet habes raro seculorum exemplo, ut pro lana librum, pro fuso calamum, stylum pro acu tractare noveris, quod olim de Cassandra fideli muliere Veneta, mirabundus edixit Politianus. Adde quod sine præceptore, hoc est, Deo præceptore didiceris, id quod inter mulieres uni Constantiæ Alexandri Sfortiæ uxori tributum alibi observavimus.* Audis lector exhibitum doctissimæ feminæ ab Eminentissimo pariter & eruditissimo Cardinali, qui singulis insuper mensibus eidem in virtutis præmium stipendia exhibuit: audis, inquam, promeritarum laudum ullo absque fuco testimonium, quod unum illi pro amplissima laudatione sat est. Decessit autem virgo hæc haud multis abhinc annis, piis operibus, ac omni virtutum genere, & Christianæ præsertim humilitatis studio exculta, & apud nostram Vallicellanam B. Mariæ, & sancti Gregorii de Urbe Ecclesiam ingenti omnium dolore, & magno sui relicto desiderio sepulturæ locum, quem sibi delegerat, sortita est, quæ nobili insuper sepulchrali titulo aucta est, quem Gaspar de Simeonibus vir præcipua eruditione conspicuus, Innocentii X. P. M. ab Epistolis ad viros principes, virgini promerenti inscripsit. Ut igitur his obiter recensitis, aliquod tanti ingenii, cujus & alibi mentio incurret, monumentum exstet; carmina quæ in ipsa B. Petri vincula eleganter cecinit, hic pio Lectori ob singularem pietatem ac eruditionem, quam redolent, prælibanda voluimus. De vinculis igitur Petri Apostolorum Principis hæc habuit:

Collaudatur ab Em. Cardin. Spada.

Em. Card. Spada in ep. ad eand.

Pie ex hac vita decedit

In Eccl. Vallic. B. Mariæ sepelitur.

Gaspar de Simeonib. ei titulum sepulchralem inscribit.

Cum defessa senis captarent membra soporem,
Clauderet & dulcis lumina bina sopor.
Auricomus juvenis cælo demissus ab alto
Ferrea dum solvit vincula, dixit, abi.
Tunc Petrus lacrymans, manibus date vincula; dixit,
Nam vinclis major gloria nulla meis.

Elegans ejusdem de B. Petri vinculis carme.

His in sacrorum vinculorum memoriam virginis ore decantatis, nunc vel obiter ab ipsis Petri catenis, ad ferrea vincula, quibus martyres Apostolicorum triumphorum æmuli in carceribus constricti sunt, orationis stylum convertimus. Qualem autem, ac quantum Martyribus, vel tum viventibus catenæ, quas collo circumdari contigit, splendorem conferrent, locuples utique testimonium, Ignatii Antiocheni epistolæ perhibent, qui de vinculis, tamquam de re omnium præclarissima, cum

vincula pro Christo passi magno sibi honori ac gloriæ martyres ducebant.

Ignat. mar. fuit pro

Christo vinculis mire gloriatur.

cum Romam immolandus duceretur, armatis septus militibus, verba faciens, easdem epistolas vinculorum suorum memoria, ac si nobilissimo quodam honoris titulo, ac signo cæteris omnibus præferendo illustrat. Ad Trallianos enim hæc scribit: *Victus sum*, inquit, *propter Christum, sed necdum Christo sum dignus, si vero consummatus fuero, fortasse dignus ero*. Idem quoque ad Magnesianos repetit: *Tametsi vinctus sum, comparandus tamen uni vestrum solutorum non sum*. Ad Ephesios vero subinde scribens vinculorum gloriam satis perspicue inculcat: *Romam vinctus abducor, novissimus fidelium eorum, qui ad honorem Dei has gestare catenas dignus habitus sum, hæc enim spes mea, hic mea gloriatio, hic mea indeficientes divitiæ, in quo à Syria Romam usque, hæc vincula circumfero, spirituales margaritas, in quibus contingat mihi consummari precibus vestris*. Alias interim epistolas Ignatii vinculis, quibus apprime gloriabatur, obsignatas, silentio interim obvolvimus, sed ut Baronius in rem præsentem ait: *Dignum equidem esset, ut omnes sanctissimi viri, catena martyrii nobilitatæ epistolæ, hic pariter velut nobilissima quædam intexerentur emblemata*.

Ign. epist. ad Trall.

Ignat. epist. ad Magnes. & Ephes.

Baron. t. 2. an. 109. n. 11.

Quanti ei vincto Romam pergenti à fidelibus honor deferretur.

20 Porro quali honore vinctum pro Christo Ignatium Christiani per singulas Civitates per quas transibat, certatim prosequerentur, legationes, quæ passim ad eum salutandum fiebant, & cultus, qui eidem adhuc viventi deferebatur, fidem legenti facit; ut enim Baronius asserit, cum sanctissimi viri, cujus fama in toto Oriente apud omnes celeberrima erat, vincula quoque totius Asiæ Ecclesiis innotuissent, & quæ propinquiores erant, de ejus adventu Smyrnam, certiores redditæ fuissent, continuo unaquæque ex illis legatos, qui debitæ salutationis officia impenderent, ad eum misit, imo & ipsimet Ecclesiarum Episcopi una cum aliis, eodem functi munere ad eundem Smyrnæ agentem quantocyus convolarunt: sed hæc piorum obsequia Ignatio, ejusque vinculis delata, S. Chrysostomum exacte recolentem audire præstat, dum eumdem non quasi ad martyrium, imo potius ad triumphum prodeuntem & triumphantium in morem gratulationibus exceptum in hæc verba describit: *Civitates, quæ erant in via undique concurrentes, pugilem excipiebant, & cum magno commeatu dimittebant precibus, & legationibus ipsum adjuvantes, & ipsi non vulgarem consolationem ex ipso percipiebant, cernentes martyrem tanta cum alacritate ad mortem currere, utpote qui ad Regna Cælorum proficisceretur*. Cernis immensam vinculorum pro Christo susceptorum gloriam, quæ haud honorem, sed gratiam, haud ignominiam, sed admirationem & venerationem pariter videntibus contingentibusque ingerunt.

Omnibus undique civitatum per quas transit concursu ac gratulationibus excipitur.

Baron. t. 2. an. 109. n. 14.

21 *Admiratione equidem*, inquit Baronius, *digna res est, hominem vinctum ferali militum custodia septum, ad bestias damnatum, vel Romæ damnandum, perinde ac si non ad pœnas, sed ad triumphum duceretur, omnium Ecclesiarum, per quas transiret, & quæ de illo audissent, omnibus omnium acceptum officiis, & honoribus cumulatum: quæ quidem ut sibi liceret in sanctissimum virum conferre, quemque ipsorum à truculentis militibus ejus custodibus ingenti redemisse pecunia (ut ab aliis fieri solitum esse alibi diximus) certissimum existimamus*. Hæc Baronius, qui isthæc enarrasse haud contentus, paulo ante verba illa ad rem præmisit: *Quanta autem charitate Christiani esse solerent erga vinctos, quod corruptis pecunia custodibus, una cum eis in carcere pernoctare consueverant, satis abunde dictum est primo Annalium tomo, cum egimus de Peregrino*. His veneranda sanctorum Christi Confessorum vincula notis Baronius prosecutus est, quibus certè si talem, ac tantum honoris cultum Christianorum pietas, viventium adhuc collo circumdatis detulere, qua subinde veneratione easdem catenas amplexatos fuisse credere par est, cum jam iidem Deo vivi martyres consecrati fuissent, & victores in cælo martyrii palmam adepti obtinerēt. Sed his obiter prælibatis, jam à vinculis, & beatorum martyrum nexibus, quibus Orbis, & Urbs Roma illustris reddita, & singularibus Ecclesia beneficiis Deo obstricta est, & quibus item nos hic aliquantisper detenti subsistere coacti sumus. A vinculis, inquam, jam expediti ad sacra perscrutanda eorumdem martyrum acta orationis stylum convertamus.

Charitas Christianorum erga vinctos pro Domino.

CAP. XXX.

Martyrum acta intra sepulchra inscriptis eorumdem nominibus reconduntur.

1 Quoniam triumphus Dei martyrum est passio, ut Hieronymus inquit, & auditis, lectisque eorundem actibus, *odor notitiæ Dei*, eodem teste, *disseminatur in gentes, subitque tacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur*; haud quis profecto miretur, si primævi surgentis adhuc Ecclesiæ sectatores, qui præclara illibatæ fidei germina in Urbe hac extitere, quæ orbis jugiter principatum obtinuit, recolendas martyrum beatorum memorias, eorumdemque acta, ne oblivione unquam exciderent, perquirere, colligere, ac custodire, summorum, qui tunc Ecclesiæ regimini præerant, Pontificum jussu, totis animi viribus studuere.

Martyrum passio fidei veritatem confirmdt. Hier. ep. 15. ad Helvid.

2 At cum opportuna hic de sacris martyrum actis mentio incurrat, nonnulla nobis in studiosi gratiam lectoris vel obiter repetenda videntur, & primum quidem nihil antiquius fuisse constat, ut Baronius ait in suis ad Martyrologium Romanum notis, apud sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsules, quam ut fortia Christianorum acta, & ipsæ sanctorum res præclare gestæ, perpetuæ memoriæ monimentis consignarentur. Cui quidem rei egregiam primum operam navatam fuisse à sancto Clemente Romano Pontifice, testatum habetur in libro de Romanis Pontificibus, qui à quibusdam recentioribus, Damasi nomine citari consuevit, ubi hæc in Clemente leguntur: *Hic fecit septem regiones dividi notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum sollicite & curiose unusquisque per regionem suam perquirerent*. Nec vero quispiam hactenus à nobis assertis objiciat, quod Urbs Romana tunc temporis in quatuordecim regiones divideretur, ut antiquorum auctoritate scriptorum, Taciti, Plinii, Publii Victoris, aliorumque exploratissimum est. A Romanis enim Pontificibus in septem tantum regiones eandem partitam fuisse, juxta numerum videlicet septem diaconorum, qui Regionarii dicebantur, vetera ipsius Romanæ Ecclesiæ monimenta satis edocent. Mos autem hic diutius in Romana Ecclesia perseveravit, ipso teste Sozomeno, *ut nonnisi septem diaconi ordinarentur*. *His ergo septem cum divisæ dicantur à Fabiano Papa regiones Urbis quatuordecim illas, quas supra memoravimus, in*

Romani Pontifices rebus martyrum præclare gestis conscribendis præcipue student. Baron. in not. ad Mart. Rom. c. 1.

Notarii septem qui gesta martyrum colligerent, Romæ à Clemente Papa instituti. Lib. de Rom. Pont. nom. Damasi.

Roma in 14. region. olim divisa.

A Romanis Pontif. in septem tantum dispartita.

Diaconi septem Romæ Regionarii dicti. Sozom. hist. lib. 7. c. 1.

septem

septem fuisse conflatas necessario fatendum videtur.

Subdiaconi septem Notariis rerum à martyrib. gestarum scriptoribus præfecti & quare.

3 Cum septem igitur diaconi essent, totidemque numero subdiaconi, his quidem par numerus Notariorum in Urbe constitutus est, qui diaconibus iisdem ac subdiaconibus subjecti conscribendis martyrum gestis sedulam navarent operam, ut habetur in libro de Romanis Pontificibus; ubi de Fabiano his verbis agitur: *Hic regiones divisit diaconibus, & fecit septem subdiaconos, qui septem Notariis imminerent; qui gesta martyrum in integrum colligerent.* Ad quod valide comprobandum, recentius illud nobis exemplum suppetit ex Paulino sancti Ambrosii Notario, qui ejusdem gesta diligenter conscripsit: in iis enim satis expresse sub Casti diaconi cura se fuisse fatetur, ad quem cuncta referret. Ex quibus profecto lectori innotescit, quanto olim studio Christiani ubique contenderent, ut martyrum acta pure ac sincere conscriberentur, cum in id opus non modo Notarii solicite incumberent, sed & qui Notariis præerant, Diaconi videlicet & Subdiaconi, quorum munus erat cuncta exacte pervestigare, ac Pontifici nota postmodum facere, qui demum, ut Baronius refert, à Notariis excepta probare, ac probata inter Ecclesiastica monumenta recondere consueverat.

Lib. de Rom. Pont. in Fabiano.

Paulin. in vit. S. Ambr.

Quam exactam in acta martyrum fideliter ac sincere conscribendis curā Christiani olim ponerent.

4 Quo autem studio martyrum gesta à Christianis, pretiosæ veluti margaritæ passim exquirerentur, vel ex eo sat comprobari videtur, quod videlicet S. Antherus Romanus Pontifex vel hanc unam ob causam martyrio coronatus fuisse legatur. In lib. enim de Romanis Pontificibus hæc scribuntur: *Hic gesta martyrum diligenter à Notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit: propter quod à Maximo præfecto martyr effectus est*, vel ut Baronius legendum vult, *à Maximini præfecto*, In id autem non Antherus dumtaxat, sed ipse Clemens primum, ut jam diximus, institit, & Fabianus subinde, cui Antherus in Pontificatu successit, qui ut magis magisque sacræ historicæ veritati consultum foret, septem Notariis huic operi adscriptis, qui acta martyrum integra exciperent, totidem subdiaconos præfecit. Sed ipsum Baronium de sacris martyrum actis loquentem, & quid potissimum eadem acta continerent, demonstrantem audiamus: *Porro Notariorum opus*, inquit ille, *fuisse existimamus, ut non ipsa tantum acta, cruciatus nempe, diraque ac sæpius repetita tormenta describerent, sed etiam quæcumque iidem sancti martyres locuti essent, dum caperentur, ac publice torquerentur, quæ item ad supplicia ducti fuissent interlocuti, memoriæ commendarent. Illa autem quæ intra cancellos obducto velo coram judicibus, cum de ipsis quæstio haberetur, iidem rogati dicerent; publicorum exceptorum muneris erat, cuncta scriptis mandare, & inter publica acta referre: quæ cum agerentur in Provinciis, Proconsularia ab Augustino, & aliis dicta repetimus. Porro hæc ipsa, vel horum potius exemplum à Christianis collata pecunia redimi solebant, & inter acta martyrum sedulo asservari. Quæ vero extra cancellos cum martyribus agerentur, vel dicerentur, ab Ecclesiæ Notariis magna adhibita cautela consuetis notis quam celerrime tabulis adnotabantur.* Hæc in rem præsentem de martyrum actis Baronius.

Antherus Papa acta martyrum colligens martyrio afficitur.

Lib. de Rom. Pont.

Baron. t. 2. an. 238. n. 2.

Notariorū munus.

5 Interim vero, si quis isthæc perlegens miretur, qua ratione tum sententiæ tum ipsa martyrum responsa tam diligenter à Notariis excipi potuerint, eumdem quæso Baronium consulat, qui isthæc subtexit: *Cæterum ipsas notas olim*, inquit ille, *à Tirone Ciceronis liberto primum excogitatas fuisse Eusebius tradit, quibus non verba tantum sed etiam sententiæ integræ continerentur: sed id Dio tribuit Mecœnati, qui per Aquilam libertum eas alios docuerit. At de horum mira in scribendo velocitate est Martialis Distichon:*

Earumdem ars ac industria in verbis martyrum exci- piendisque esset?

Baron. t. 2. an. 237.
Euseb. in chr. Olymp. 139 an. 4.
Dio hist. Rom lib 15.
Martial. lib. 14.

Currant verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Auson. ep. 137.

Subditur autem ibi aliud perelegans Ausonii Epigramma ad Notarium suum velociter excipientem, in quo & hi versus:

Eorum in scribendo velocitas.

Quam præpetis dextræ fuga,
Tu me loquentem prævenis:
Quis quæso, quis me prodidit?
Quis ista jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?
Quæ furta corde in intimo
Exercet ales dextera?
Quis ordo rerum jam novus,
Veniat in aures ut tuas
Quod lingua nondum absolverit, &c.

Ausonius lev. epig.

Quæ quidem haud otiose, inquit Baronius, *hic voluimus recitasse, immo magna ex causa. Ne quis adeo miretur, & impossibile ducat, descriptas fuisse longas martyrum orationes, quæ ipsorum actis interdum reperiuntur intextæ, licet non negarim aliquas ex illis postea superadditas.*

Hinc nil mirum, si longiores martyrum orationes in actis reperiantur.

6 Certe quidem, ut idem Baronius asserit, si quid apud judices jus valebat & spatium suæ dicendæ causæ reis à lege concessum, Christianis liberum debebatur, haud mirabitur quis, si in actis sanctorum martyrum longiores legerit ab eis habitas coram judicibus orationes. Siquidem ex lege accusatori sex horæ dicendi dabantur, reo autem novem, id quidem testatur Plinius scribens ad Ursum: cum alioqui antiquitus prolixior terminus esse soleret, & arbitrio cujuscumque: Pompejus autem in tertio suo consulatu (ut tradit auctor apud Tacitum in lib. de oratore) primus inventus est, qui dicentibus causam, certum præfixerit, quem diximus, terminum: qui hæc, inquam, considerat, haud mirabitur longiores interdum reperiri apud acta martyrum dictas ab illis orationes, quas Notarii excipiebant mira pernicitate scribendi. Laudatur & à S. Augustino horum peritia non in conscribendis tantum actis martyrum, sed & in publicis excipiendis cum hæreticis disputationibus, mutuisque collationibus, atque in sacrorum Conciliorum gestis scribendis Sed his ad omnimodam assequendam Actorum notitiam præmissis hæc Baronius subtexit: *Egregiam igitur navatam esse operam à majoribus nostris, ut non Præsulum modo, aliorumve, qui in Ecclesia illustriores essent, martyrii acta conscriberentur, sed etiam infimi ordinis hominum, tradit Pontius Diaconus in passione S. Cypriani.* Porro non solum in Romana Ecclesia, ut acta martyrum accurate conscriberentur, sed ab aliis quoque id diligenter curatum esse, alibi diximus. Hæc de martyrum actis ex Annal. excerpsimus.

Accusatori sex horæ dicendi, & reo novem dabantur.

Plin. l. 4. ep. 9.

Tacit. lib. de orat.

Aug. de doc. Christ. l. 2. c. 26.

In tract. de Mart. Rom. c. 1.

7 Haud igitur solius Romanæ Ecclesiæ studium (ut ex Baronio vides) in perquirendis, conscribendisque Sanctorum martyrum actis mirifice enituit, sed aliorum quoque nobilium Ecclesiarum labor satis nunquam prædicandus ingentem sibi laudem apud omnes promeruit. Hujus autem rei præclarissima antiquitatis monumenta fidem faciunt, Ecclesiæ videlicet Smyrnensis Epistolæ de marty-

Omnes Ecclesiæ Romanam in conscribendis martyrum gestis æmulatæ sunt.

ribus

Euseb. hist. l. 4. c. 14. Idem l. 5. c. 2. & 3. ribus illic sub Marco Aurelio, & Lucio Vero Imperatoribus coronatis, fideliter ab Eusebio relatæ. Idem pariter Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis literæ obtestantur, quas idem Eusebius ex parte recitat. Hoc ipsum nuper ex epistolis quampluribus Dionysii Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi comprobatur, ut idem auctor est Eusebius. *Idem l. 6. c. 33. & 34. & l. 7. c. 10.* In Ecclesia quidem Carthaginensi satis novimus notæ sanctitatis Episcopum Cyprianum (ut idem Baronius asserit) solicitum jugiter fuisse, ut dies quibus martyres nobili passionis ac victoriæ laurea donati fuissent, exacte in dypticis adnotarentur, ut ex ejusdem epistola ad Presbyteros & Diaconos Ecclesiæ Carthaginensis conscripta satis liquet. *Cypr. ep. 37. in ord. edit. Pameli.*

8 Quinimmo ut magis eorundem Actuum, qui ad martyres spectant, decus ac fides innotescat, longe ante ipsa Cypriani tempora, majorum in hoc solicitudo vehementer institit. De viris enim antiquiorum temporum, qui sacræ huic martyrum memoriæ operam navarunt, Pontius Diaconus (quem supra ex Annal. Eccl. citavimus) insignem eorundem pietatem commendans isthæc enarrat: *Majores nostri, inquit, plebeis, & catechumenis martyrium consecutis tantum honoris præ martyrii ipsius veneratione dederunt, ut de passionibus eorum multa aut prope dixerim, pene cuncta conscripserint, ut ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent.* Hæc in Cypriano Pontius, dignus, inquam, Pontificis tanti Diaconus. *Erant autem illa*, ut Baronius inquit, *acta martyrum pura atque sincera, quæ cum de illis coram judicibus quæstio haberetur, à Notariis publicis Exceptoribus excepta, in acta publica, quæ Proconsularia sæpe dicta invenimus, inserebantur, atque inter alia publica monumenta asservabantur: horum autem adhuc nonnulli extant, eorundemque in notationibus mentionem facimus.* Hæc Annal scriptor, quæ pariter acta tanquam nobilissima trophæorum insignia, ad nos quasi per manus diligenter transmissa, ipsemet aliquando Pontius Diaconus recitat de Cypriano agens his plane verbis: *Et quid sacerdos Dei Proconsule interrogante responderit, taceam, sunt acta quæ referant.*

(Jam inde ab Ecclesiæ cunabulis illæ martyrum acta conscribendi mos viguit. — *Pont. in vit. S. Cypr.* — *Baron. ad Mart. Rom. c. 1.* — In acta Proconsularia res à martyribus gestæ referebantur. — *Pont. in Cyp.*)

9 Porro, ut quid de genuinis martyrum actis sentiendum sit, hic vel obiter dicamus, ea quidem fideliora agnoscuntur, quæ à nostræ fidei hostibus descripta, & in publica Proconsulum monumenta relata sunt, ut idem Baronius de sanctorum Taraci, Probi, Andronici martyrum actis, qui in civitate Tarso Ciliciæ, nobili martyrio coronati sunt, affirmat, ubi eadem nimirum acta à Metaphraste mutilata, atque in compendium redacta fuisse non sine magno recolendæ antiquitatis detrimento graviter conqueritur, sed ipsum hic Baronium audiamus: *Hæc autem ipsa acta mart.* (id est SS. Taraci & sociorum) *Metaphrastes, quod prolixiora fortasse sint visa, redacta in compendium edidit magno præjudicio Ecclesiasticæ antiquitatis, nec sine aliquo dispendio veritatis. At licet fusiora videantur, jucundum tamen audire illa ipsa martyrum verba à Notariis tunc fideliter scripta, quæ postea a fidelibus pacis tempore magno redempta pretio sunt, & exscripta: gratiora quidem hæc, & clariora aliis quibusvis licet veris, pigmentis tamen eloquentiæ circumlitis. Etenim omne quod fucatum est, suspectum redditur, & verum non semper creditur, quod magna artis industria concinnatur? contenta namque nitore suo veritatis pura simplicitas, eo pulchrior, quo incultior, recte sentientibus esse solet: sic igitur ex omnibus memoriæ commendatis actis martyrum illa fideliora, atque in omnibus magis integra* (quod sæpe dicere solemus) *esse noscuntur, quæ à fidei hostibus scripta, atque in publica relata sunt Proconsulum monumenta. Adeo namque execrandum erat, in publicis tabulis falsum quid scribere, vel ex eis aliter, ac scripta essent recitare, ut hoc ipsum crimen primo capite legis Majestatis* (ut Ulpianus tradit) *includeretur. Ac proinde, quæ sic scripta ab illis, & exscripta à nobis veneranda prodit antiquitas post tot naufragia scripturarum, facie pura, sincera ac decora, sunt eadem cupide à veritatis cultoribus amplectenda, atque avidius osculanda.* hæc utique in rem præsentem Baronius.

(Quæ acta martyrum fidelissima censeri debeant. — *Bar. t. 2. an. 290. n. 33.* — Metaphr. acta mart. magna antiquitatis veritatisque injuria in compendium contraxit. — Omne fucatum de mendacio suspectum. — Veritas simplex atque inculta pulchrior. — *Ulp. l. 2. ff. ad leg. Iul. Majest.* — Tabulis publicis falsum inserere, vel inserta adulterare quam grave apud Romanos crimen.)

10 Et idem infra ingentem eisdem actis injuriam, cladem que ab his illatam fuisse docet, qui de Christianæ religionis incremento, ac de ipsa martyrum gloria inique sentientes, hæc eadem acta mutilare, corrumpere, ac depravare, ut nulla videlicet fides eisdem suppeteret, temere ausi sunt; sed ejus hic verba excipiamus: *Etenim haud pepercit actis SS. martyrum, malis perpetrandis semper invigilans astutia Satanæ, quæ per pravorum hominum mentes ea labefactare curavit. Nam impietas omnium malorum autrix, quod veris actis martyrum à Christianis exscriptis Christianæ fidei certitudo, & Christi gloria effulgerent, gentiliumque Deorum falsitas, colentiumque ipsos stultitia, & hæreticorum nugacitas perspicue haberentur expressa, atque convicta; interdum sanctorum martyrum vera acta corrupit, ac falsa edidit, suppressis veris, vel igni traditis. Id quidem cæca malitia de actis Pilati primum, quæ de Christi Domini mortis sententia (ut dictum est) fuere conscripta, temerario conatu præsumpsit, quod ipsum quoque factitatum est de quibusdam actis martyrum.*

(Perversorum hominum impietas acta quædam martyrum depravavit.)

11 Quibus ex Baronio præmissis, huc item justa illa Arnobii querela spectat, qui ejusdem Diocletiani temporibus vixit, quando Gentiles hæc de Christianis scriptoribus garrientes his merito verbis inculcat: *Sed conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt* (De Christo scilicet, atque eorum præconibus) *extulere in immensum exigua gesta, & angustas res satis ambitioso dilatavere praeconio. Atqui utinam cuncta referri in scripta potuissent, vel quæ ab ipso gesta sunt, vel quæ ab ejus præconibus pari jure, & potentia terminata: magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum: aut apprehendere fortasse possetis; quo videretur esse simillimum veri, & incrementa rebus apposita, & inditas scriptis, & commentariis falsitates. Sed neque omnia conscribi, aut in aures omnium pervenire potuerunt gesta gentibus in ignotis & usum nescientibus literarum: at si que sunt litteris conscriptionibusque mandata, malevolentia dæmonum, quorum cura & studium est hanc intercipere veritatem, & consimilium his hominum interpolita quædam, & addita passim mutata, atque detracta, verbis, syllabis, litteris, ut & credentium tardarent fidem, & gestorum corrumperent auctoritatem.* Hæc concinne in rem præsentem Arnobius graviter, ut par est, ingemiscens, id quod gentiles pariter & hæretici erga nos odio perciti præstiterunt. Indeque prudens illa Gelasii Papæ animadversio dimanavit, qua in Romano Concilio, ubi scriptorum Christianorum salubris est facta cribratio: *Gesta sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant: quis ista Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratia Dei, & adjutorio universa tolerasse?*

(*Arnob. lib. 1. advers. gen.* — Dæmonum astu gentiles multa Christianorum scripta depravarūt. — *Baron. t. 2. an. 291. n. 15.* — A Gelasio Papa scriptorum Christianorum facta cribratio. Cur non omnia martyrum acta in Ecclesia Romana leguntur?)

rasse? sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur.

12 Et magno quidem Ecclesiæ detrimento, dæmone ipso martyrum gloriæ invidente pariter atque insultante, recolenda martyrum acta (quod quidem valde dolendum est) contumeliam hanc perpeti, & quemadmodum reliquas sacras historias depravari contigit. Quocirca consulto ab eorumdem lectione fidelibus abstinendum esse sancitum fuit, ut Gelasius (quem nuper in medium protulimus) in Romano concilio, disertis verbis affirmat: *Gesta*, nimirum, *sanctorum martyrum secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, &c.* eo quod adulterinis intercepta manibus, multiplicibus passim erroribus ac fabularum deliramentis referta sint. Et ut exemplis in medium prolatis res valide comprobetur, quorundam martyrum acta, quæ falsariorum manum perpessa sunt, Gelasius his plane verbis recenset: *Sicut cujusdam*, inquit, *Quirici & Iulitæ, sicut Georgii aliorumque hujusmodi passiones; quæ ab hæreticis perhibentur compositæ: propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsanandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur.* Hæc Gelasius.

Ab[illegible] te- nnis [illegible] ur- t[illegible] ctis [illegible] dū [illegible] om [illegible] *Ge[illegible] C[illegible] Rom.*

13 Quam vero oculate, quo studio, & quanto labore ejusce modi acta, antequam Ecclesia reciperet, discuterentur, Hadriani Pontificis conscripta ad Carolum Magnum epistola luculenter his quidem verbis testatur: *Vitæ patrum sine probabilibus auctoribus minime in Ecclesia leguntur: nam ab orthodoxis titulatæ suscipiuntur, & leguntur; magis autem passiones sanctorum Martyrum sancti canones censuerunt, ut liceat eas etiam in Ecclesia legi, cum anniversarii dies eorum celebrantur.* Quæ laudabilis quidem consuetudo apud Gallicanam quoque Ecclesiam viguit, ut ipse Gregorius Turonensis hisce verbis affirmat: *Dies passionis erat Polycarpi martyris magni, & in Ricomagensi Vico civitatis Arvernæ ejus solemnia celebrabantur. Lecta igitur passione ejus cum reliquis lectionibus, quas canon sacerdotalis invexit.*

exactissima prævia discussione acta sanctorum ab Ecclesia recipi solent. *Hadr. Pont. ep. ad Car. Mag.*

Greg. Tur. l. de glor. mar. c. 86.

14 Porro de vitiatis quandoque perfida hæreticorum manu sanctorum Martyrum actis, ex canone edito in sexta synodo comprobatur, ubi isthæc: *Quæ a veritatis hostibus falso conficta sunt Martyrum historiæ, ut Dei martyres ignominia afficerent, & qui eas auditur essent, ad infidelitatem deducerent, in Ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi: qui autem eas admittunt, vel tanquam veris, his mentem adhibent, anathematizamus.* hæc utique sacrosancta Synodus ad detegendas, atque exprobrandas hæreticorum fraudes expressisse voluit. At eadem acta vel omnino sublata, vel certe ab hæreticis penitus depravata fuisse, Romæ ubi Catholica Religio perpetuo viguit, & haud ullus extraneæ sectæ Pontifex sedit, credendum neutiquam est. Hæc autem clades sacrarum Scripturarum deploratissima, impio Diocletiani edicto potissimum urgente obtigit, cum omnes Religionis Christianæ codices ignibus destinati sunt: cujus impiissimi edicti Eusebius meminit his verbis: *Per Imperatoris litteras palam edictum fuit, ut deturbarentur Ecclesiæ, soloque æquarentur, & scripturæ absumerentur igni.* & infra: *Quando*, inquit, *divinas & sanctas Scripturas medio foro in rogum impositas oculis nostris aspeximus.* De eodem quoque immanissimo edicto plura Arnobius, quæ præsens ipse spectare potuit, & diram martyrum lanienam, & sacrorum librorum incendia: hæc enim habet adversus gentes: *Quod si haberet vos aliqua vetus pro religionibus indignatio, has potius litteras* (vestras scilicet) *hos execrari debuistis olim libros, istos demoliri, dissolvere theatra hæc potius, in quibus infamiæ numinum propudiosis quotidie publicantur in fabulis: nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari.* Idem quoque habent Optatus & S. Augustinus de Donatistarum schismate agens.

Acta martyrum a pravis hominibus conficta sub anathemate prohibentur. *Can. 63. sex synod.*

Magna sacrorum librorum jactura sub Diocletiano facta.

Euseb. l. 8. c. 2. & 3. Edictum ejusdem de abolendis libris sacris.

Arnob. l. 4. contr. gent.

Optat. Milen. Aug. de schis. Donatist. Idem t. 4. contr. Cres. Gram. l. 3. c. 27.

15 Hæc vero scripta, quibus & divina lex, & sanctorum præclare gesta continebantur, sic canes illi venatici indagabant, ut omnia scrutarentur, sic extorquebant crudeliter, ut si quis illa aut tradere nollet, aut occultare vellet, acerba illi subeunda suppliciorum genera proponerentur. Christianorum enim quamplurimi ob id Imperatorum rabiem experti fuere, quibus dum vita ipsa cariora sunt sacra scriptorum pignora, quæ tyrannus exposcebat, sanguinem potius, ac vitam ultro dedere; de quibus Rom. in Martyrologio 2. die Januarii hæc recitantur: *Romæ commemoratio plurimorum sanctorum martyrum, qui spreto Diocletiani Imp. edicto, quo tradi sacri codices jubebantur, potius corpora carnificibus, quam sancta dare canibus maluerunt.* Quod vero eo potissimum tempore, Imperatorii edicti incendio grassante in Hispania & sacri codices, & alii quoque libri exusti fuerint, in quibus conscripta a fidelibus martyrum gesta continebantur, vehementer aliquando Prudentius indoluit hymno, quem de Hemeterio, & Cheledonio conscripsit, in quo juste quidem conqueritur, in immani illo piorum codicum incendio plurima maximarum, recolendarumque virtutum exempla periisse. Sed ipsius carmina lector excipe:

Complures Christiani pro tuendis sacris codicibus martyrium subierunt.

Mart. Rom. die 2. Ian.

Prudentius hanc sacrorum codicum jacturam vehementer deflet.

O vetustatis silentis
Obsoleta oblivio,
Invidentur ista nobis
Fama & ipsa extinguitur:
Chartulas blasphemus olim
Nam satelles abstulit:
Ne tenacibus libellis
Erudita sæcula
Ordinem, tempus, modumque,
Passionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Posterorum spargerent.

Ad quod item Isidorus alludit in Missal. eodem festo cum de historia martyrum ageret, quam tyrannorum furor perdidit: *Non illas*, inquit, *paginas negligentia perdidit, nec casus abolevit; nec vetustas cariosa corrupit, sed malitia persecutoris invidit.* In vastissimo autem illo haud satis unquam deplorando sacrarum scripturarum naufragio, recolenda martyrum acta funditus periisse haud asserendum est, sed diminuta quidem ac mutilata eadem fuisse, quod & Gregorius Turonensis affirmat: *Multi quidem*, inquit, *sunt martyres apud Urbem Romam, quorum historiæ passionum penitus nobis integræ non sunt delatæ.* hæc Gregorius.

Haud omnia mart. acta penitus deleta, sed diminuta dumtaxat supersunt.

Tur. de glor. mart. c. 40.

16 Fideles autem consuevere in beatorum martyrum natalitiis, eorum acta repetere, & sacrificia Deo in eorumdem honorem offerre, ut diserte Cyprianus testatur ad Presbyteros, & Diaconos Carthaginenses hæc scribens: *Denique & dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum*

Acta martyrum in eorumdem natalitiis relegi solita.

Cypr. ep. 37 ad presb. & diac. Carth. in edit. Pamel. 37. *eorum inter memorias martyrum celebrare possimus: quamquam Tertullus fidelissimus, & devotissimus, & frater noster, pro nostra solicitudine, & curapia, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, qui nec illic circa curam corporum deest, scripserit, & scribat, & significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt; & jam celebrantur à nobis hic oblationes, & sacrificia ob commemorationes eorum: quæ cito vobiscum Domino propitio celebrabimus.* hæc Cyprianus, qui ut martyrii pro Christo subeundi avidissimus, ita pariter sanctorum Martyrum honori, ac cultui deditissimus semper extitit.

Tabulæ Ecclesiasticæ in quas martyrum nomina referebantur. *Aug. l. de sa. vig. c. 40.* *Baron. in Mart. Rom. c. 4.* *Pamel. in ep. 37. Cypr. Tertull. l. de cor. mil.* *Bar. in Mart. Rom. c. 4.*

17 Reponebantur igitur Ecclesiasticis in tabulis, ingenti præhabito in singulis exacte perquirendis studio, beatorum martyrum nomina, teste Augustino. Verum cum decem persecutionum tempore, quas Dei Ecclesia constantissime pertulit, in infinitum prope Martyrum numerus adauctus fuerit, publici conscribendi Martyrologii (ut Baronius asserit) occasio suborta est. Hujuscemodi autem tabulæ à Tertulliano fastorum nomine nuncupantur, ut optime eruditeque Pamelius adnotavit. Isthæc igitur Tertullianus ait: *Habes tuos census, tuos fastus, nihil tibi cum gaudiis sæculi.* Quos autem fastos Ecclesiasticos appellat, eas utique tabulas subintelligere voluit, *in quibus Christianorum*, ut Baronius inquit, *solemnitates, ipsaque natalitia Martyrum certis diebus prænotata haberentur, è quibus Martyrologii conscribendi profluxit origo.*

Loca plura in Urbe martyrum carnificinæ destinata olim erant.

18 Quis vero nesciat, ut rem altius repetamus, quo detestanda gentilium in Christianos sævitia pervenerit, vel enim ex eo conjicere lector queat, quod haud unus in Urbe exercendæ carnificinæ locus destinatus esset, sed pluribus, & præcipuis quidem in locis eadem jugiter exerceretur, quod Prudentius carminibus illis, satis ad rem expressit.

Prud. in peri st. hym. 2.

Non contentus humum celsæ inter mœnia Romæ
Tingere justorum cædibus assiduis.
Ianiculum cum jam madidum fora, rostra, Suburram
Cerneret eluvie sanguinis effluere.

Diocletian. nemini nisi thus Idolo prius offerenti quid vendi mandat. *Bar. t. 2. an. 286. n. 31*

19 Certe quam immensa Romæ potissimum sub una Diocletiani persecutione Christianorum strages, & quam ingens martyrum numerus extiterit, vel ex edicto, quod ejusdem jussu promulgatum est, conjici potest; quo videlicet sancitum est, ne quidquam illis vendi, neque alia naturæ necessaria impartiri liceret, quod, ut Baronius ait, tum in Oriente, tum in Occidente ab iisdem Augustis scriptum fuisse, certa ac fidelia martyrum acta demonstrant: nam de Galliis perspicue testatur Beda, qui versu scripsit acta Justini martyris, in quibus hæc inter alia:

Beda to. 3.

Et ne quisquam potuisset
Contutari latebris,
Vbique componebantur
Hoc modo insidiæ,
Quæ euntes compulissent
In jus idololatriæ.
Nec illis emendi quicquam,
Aut vendendi copia
Nec ipsam hauriendi aquam
Dabatur licentia,
Antequam thurificarent
Detestandis idolis.

Hæc Beda. Eo usque autem Diocletianæ persecutionis acerbitas, quæ haud in Urbe dumtaxat, sed in terrarum orbe vigebat, progressa est, ut idem Imperator jugi Christianorum sanguine Christi fidem à se penitus jam ex orbe deletam, oblitera-tamque fuisse arbitratus haud obscura hujus rei monumenta erexerit, sed nobis isthæc ex Baronio accipienda sunt: *Et perinde*, inquit Baronius, *ac si cum hominibus, & non cum Deo bellum gestum esset, creditum à gentilibus fuit Christianam fidem esse penitus subjugatam: quamobrem veluti gloriosæ victoriæ titulum, & summarum laudum excellenti præconio longeque sublimiori cognomine, quam Parthico, Gothico atque Germanico, de subactis deletisque penitus Christianis columnas erexerunt. Cluniæ enim in Hispania in nobili columna hæc inscriptio legitur:*

Bar. t. 2. in 304. n. 9. Idem se Christianorum nomen extinxisse frustra, & falso gloriabatur.

DIOCLETIAN. JOVIUS MAXIM.
HERCULEUS CÆSS. AUGG.
AMPLIFICATO PER ORIENTEM,
ET OCCIDENTEM IMP. ROM.
ET NOMINE CHRISTIANORUM
DELETO, QUI REMP.
EVERTEBANT.

Rursus ibidem altera, quæ extat, inscriptio hæc habet:

DIOCLETIAN. CÆS. AUG.
GALLERIO IN ORIENTE ADOPT.
SUPERSTITIONE CHRISTI UBIQUE
DELETA, CULTU DEORUM
PROPAGATO.

Ald. Manut. post schol. in Comment. Cæs. necnon Adolph. mar. in Dioclet. trophæa de Christiana religione subjugata à gentilibus toto orbe inaniter eriguntur

Leguntur hæc etiam Arevaci Hispaniæ in columnis pluribus. At non tantum in Hispania ejusmodi fuisse de Christiana religione prostrata erecta trophæa, sed toto orbe Romano similiter factitatum existimamus: sed in odium impietatis, & impiorum Principum reddita Ecclesiæ pace eadem penitus fuisse deleta. Hæc autem relicta memoriæ causa non sine nutu divino, ut ejusmodi monumentis immanitas persecutionis intelligi possit, & ex his plane existimare jure liceat, majora admodum esse, quæ de martyribus tunc passis diversis in locis scripta habentur, quam quæ tunc à provinciarum Præsidibus facta sunt. hæc Baronius ad acerbam illorum temporum faciem legentibus repræsentandam expressit.

Baron. to. 2. an. 89. Domitiano Principe Christiani sævissime exagitantur

20 Sub ipsa autem Domitiani potissimum tempora, ut rem altius repetamus, & funesta execrandaque Neronis, ac aliorum persecutorum taceamus, Christianos sævissime exagitatos fuisse constat: ex quo tunc sanctus Clemens Papa (ut diximus) Notarios septem instituit, septemque Urbis regiones eisdem divisit, *qui* (quod liber de Romanis Pontificibus nomine Damasi habet) *acta martyrum solicite, & curiose per regiones quisque suas perquirerent, atque conscriberent.* Verum cum persecutio à Domitiano Imperatore excitata Christianos omnes ubique terrarum impeteret, acrius tamen in eos, qui tunc Romæ agebant, grassata est, quod & ipsimet Ethnici scriptores testantur, ut Eusebius quoque scribit his plane verbis: *Tanto vero temporibus illis, quæ supra demonstravimus, nostræ fidei doctrina splendescebat, ut ii etiam scriptores, qui à sermone & disciplina religionis nostræ videntur prorsus alieni, historiarum suarum monumenta cum persecutionẽ, tum martyria, quæ id temporis gesta erant,* tradere

Illa tempestate Clemens Papa septem notarios mart. actis scribendis Romæ creat. In Urbe persecutio maxime sævit. *Euseb. l. 3. c. 14.*

Id testatur Tacitus Domitiani sævitiam perstringens.

tradere minime gravati fuerint. De externis enim scriptoribus, Tacitus Domitiani crudelitatem perstringens, Christianorum martyria satis expressisse videtur, dum in vita Julii Agricolæ, qui ante civium funera è vita discesserat, hæc ait: *Non vidit Agricola obsessam curiam, clausum armis Senatum, & eadem strage tot Consularium cædes, tot nobilissimarum fœminarum exilia & fugas.* hucusque Tacitus Christianos utique tam mares, quam præclarissimi generis fœminas, ex quorum numero alii tormentorum vi exagitati, alii in insulas deportati fidei testimonium dedere, his verbis subintelligens, veluti digito præmonstrat.

Tac. in vita Iul. Agrip.

Juvenalis ejusdem crudelitatem etiam notat.

21 Juvenalis item eadem funestissima tempora carminibus hisce ad luctum captatis deplorat:

Qua fornace graves, qua non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus: ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marræ & sarcula desint.

Quibus plane verbis patentibus utique apertique notis Domitiani in Christianos debacchantis sævitiam descripsit: insontium autem injurias Deo tandem ulciscente, gladio eumdem sublatum fuisse affirmat, hanc unam videlicet necis ejusdem causam assignans, quod bellum Cerdonibus, id est, Christianis immanissimum, omne contra fas indixisset. Sed ejusdem carmina hic in medium proferre libet:

Idem ob sævitiam in Christianos illum male periisse cantat.

Iuvenal. sup. cit.

Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit Urbi
Illustresque animas impune, & vindice nullo,
Sed periit, postquam Cerdonibus esse timendus
Cœperat, &c.

Hæc, inquam, Juvenalis exacte immanem adversus Christianos excitatam ab Imperatore persecutionem lectori ob oculos proponens. Ex quibus lector perspicue vides, haud uno nostrorum testimonio scriptorum gloriosa beatorum martyrum certamina, sed ipsismet gentilibus ultro conscribentibus, palam fieri, & satis superque comprobari, ut veritas ipsorummet inimicorum ore, ac calamo, tamquam Lydio explorata lapide, inter funesta persecutionum tempora magis magisque elucescat.

Immanis Gentilium in Christianam religionem deferendam sævitia.

22 Porro quam diris, exquisitisque tormentorum generibus ubique terrarum Gentiles in Christianos desævire consueverint, ut eos à fidei cultu abductos ad insanam Idololatriæ superstitionem compellerent, verbis exponere supervacaneum est. Id enim antiqua Martyrum acta (quorum mentio hic est) satis superque legentibus inculcant: sed audi quid Cyprianus de Gentilium rabie adversus insontes Christianos proclamat: *Admovet*, inquit, *in laniandis corporibus nova tormenta, excogitat novas pœnas ingeniosa crudelitas, &c.* Consule itidem quid Eusebius pari verborum pondere adversus Gentilium immanitatem intorqueat: *Has quidem*, inquit, *pœnas ingeniosi illi, & æqui scilicet Judices, quo suam solertem indolem, & ingeniorum acumen ostenderent, & perinde ac si singulare quoddam sapientiæ specimen in ea re eluxisset, attentius excogitarunt, atque in novis suppliciorum generibus adinveniendis, non aliter atque in certamine præmia assequi laborabant, seque inter ipsos superare obnixe contendebant.* hæc Eusebius. Sed quid de Christianis ad illos Tertullianus in Apolog. in fine? *Exquisitior*, ait, *quæque crudelitas vestra illecebra est magis sectæ; plures efficimur, quoties metimur à vobis, semen est sanguis Christianorum.* & idem alibi: *Crucibus, ac stipitibus imponitis Christianos: ungulis deraditis latera Christianorum: cervices exponimus ante plumbum, & glutinum, & gomphos* (id est clavos) *ad bestias impellimur; ignibus urimur, in metalla damnamur, in Insulas relegamur.* Sed infra, barbaram furentis in eosdem Christianos populi insaniam acutissimis verbis describit: *Quoties*, inquit, *in Christianos desævitis partim animis propriis, partim legibus obsequentes? quoties etiam præteritis vobis suo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus, atque incendiis?* Insuper etiam idem Tertullianus rationem affert, cur ipsis adeo Gentilibus Christiani exosi haberentur, quod nimirum tamquam homines prorsus inutiles, & nulli Reipub. commodo apti, parum admodum detrimenti ex eorumdem nece terrarum orbi proveniret: *Sed alio quoque*, inquit, *injuriarum titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur.* Sed ut inde citatus auctor pro Christianis ad rem optime argumentatur, cum à criminibus quidem vacare, ac vitiis immunes fore, Christianorum otium esset, & è contra gentilium ipsorum negotium, & in humanis solertia, quam tanti faciebant, computaretur, nempe turpitudinibus se ultro polluere, ac delictis enormibus operam dare, magnum profecto lucrum erat his calumniarum notis, insontes alioqui homines canino gentilium ore suggillari, quippe, ut idem subtexit: *His esse infructuosos magnus fructus est.* Verum quam ingeniosa olim crudelitatis adinventa gentiles passim ad excruciandos homines excogitarent, ipsimet Ethnici scriptores asserunt, quæ quidem singula in Christianos præsertim exerceri consuevisse, nemini ambigendum videtur; sed Baronium, ubi de SS. Primo, & Feliciano martyribus agit, qui diversa, ac exquisita perferentes tormenta, gladio tandem consummati sunt, isthæc enarrantem in suis ad Mart. notis audiamus: *Invehitur & Seneca in exquisitam tormentorum inventionem eo libro, quem de Clementia scripsit ad Neronem c. 25. Multiplicia exquisitorum tormentorum genera recenset Iosephus lib. de Machab. ad Polyb. cujus hæc sunt verba: Singula proferri in medium tormenta mandavit: exhibentur itaque Rotæ, radii, ungulæ, rotabula, catapultæ, lebetes, catastæ, frixoria, digitaria, pugillaria, manus ferreæ, subulæ, succensoria, ollæ æneæ, sartago; hæc illis esse nomina reperimus, &c. Hæc Iosephus de his, quæ spectant ad exquisita tormentorum genera: sed ex textu, & versione Erasmiana aliter tamen se habet communis Græca editio, quæ habetur præ manibus, quam ad verbum fere recitat Gregorius Nazianz. in orat. de Machab.* hucusque Baronius de multiplici suppliciorum genere, ac de pœnalibus instrumentis ad homines excruciandos carnificum manu adhiberi consuetis, de quibus scriptores satis luculentos tractatus edidere, & præ cæteris Antonius Gallonius nostræ Congreg. Presb. qui de sanctorum Martyrum cruciatibus volumen inscripsit.

Cyprian. ad Demetr.

Euseb. hist. l. 8. c. 14.

Ad quo magis præsumitur eo ferius fœ... crescit.

Tertull. in Apolog. c. 12

Idem in Ap.

Apol. c. 24.

Baron. t. 2. an. 201.

Tertull. Varia tormentorum genera in Christianos excogitata.

Baron. in not. ad Mart die 9. Iun.

Sen. lib. de Clem. c. 25.

Ioseph. lib. Machab. ad Polyb.

Ant. Gallon. de cruciat. martyrum.

24 Unum hic subtexere visum est, ipsa videlicet immanium lapidum pondera excruciandis martyrum corporibus, & ad dissolvendas ipsorum membrorum compages olim inservisse, ut ex his plura, quæ adhuc extant, & jugi Christianorum veneratione coluntur, fidem intuentibus faciunt: hi quippe Lydii instar lapidis ad invictam Christianorum patientiam, aureamque beatorum hominum charitatem explorandam extitere; his ponderibus ad trutinam appensi constantes adinventi, probatique sunt ab eo, *qui fecit omnia in numero, pondere, & mensura*; his, inquam, lapidibus ipsi-

Lapides magni ponderis martyrum pedibus ad eos torquendos appendebantur.

Sap. c. XI. n. 21.

ipſimet vivi lapides expoliti in cæleſtis Hieruſalem ædificio ſupremi manu artificis inſeri, atque aptari meruere, ut canit Eccleſia.

In Hymno de dedicat. Eccleſiæ

Tunſionibus, preſſuris
Expoliti lapides
Suis coaptantur locis
Per manus artificis
Diſponuntur permanſuri
Sacris ædificiis.

Eorum plurimi Romæ viſuntur, & in veneratione habentur.

Viſuntur autem vſque nunc, & frequenter quidem in martyrum Eccleſiis, & apud ſepulchra eorumdem locata ſubſiſtunt pretioſa hæc lapidum pondera, cum cætera pœnalium ſuppliciorum inſtrumenta raro alicubi in præſens appareant; ſed de lapidibus iſtis Baronius in ſuis ad Martyr. notis conſulendus eſt, qui hæc ait: *Frequens eſt reperiri in actu martyrum, eoſdem inter alia cruciamenta ponderibus aggravatos. Qualia autem fuerint iſthæc lapidea pondera Romæ in Baſilicis Apoſt. aliiſque in Eccleſiis poſita inviſuntur: Nimirum ingentis ponderis lapides rotundi, vel oblongi, ferreum annulum ſaxo impactum habentes, quo immittatur funiculus ad ligandum, & ſuſpendendum ad pedes, vel manus in ſublime. Miratus ſum cujuſdam ſententiam, qui putaret globos illos lapideos non ad inferenda cruciamenta, ſed ad penſanda onera fuiſſe compoſitos: neſciens quod quæ erant hujuſmodi, habebant inſcriptam notam numeri, ut tradunt Iſidorus lib.* 19. *Origin. & Alciat. de pond. cap.* 1. *& alii. Ejuſmodi globus lapideus à Ioſepho lib. de Machab. ad Polyb. orbiculare appellatum videtur, de quo his verbis: Inhumana crudelitate aliquid majus excogitat: orbiculare in medium afferri jubet: hinc cum pedes una cum manibus deorſum colligati fuiſſent, ſanctum quoque chorda orbiculari ventrem circumcingente in altum uſque contrahit, nec mora, ſeparatur à ſede ſua dorſi junctura, crura cum brachiis extrahuntur, ejiciuntur humeri, ſicque ſingulis nervis disjunctis ſolvitur martyr invictus. Hæc Ioſephus ex verſione Eraſmiana. Diverſa ab his erant illa pondera, quæ lege* XII. *Tab. exhibebantur debitoribus: erant enim compedes, de quibus Gellius lib.* 20. *c.* 1. *in fin. ubi hæc inter alia: Vincito autem nervo, aut compedibus quindecim pondo non minore, aut ſi volet majore vincito. Vetuit Conſtantinus Imperator admoveri pondera debitoribus lib.* 3. *de exact. C. Theod. Meminit & Caſſiod. Var. lib.* 11. *c.* 40. *de his ponderibus reos aggravantibus.* Hæc tibi ſtudioſe Lector ex Baronio delibanda voluimus, ut præclara martyrum, ac martyriorum monimenta ex conſcriptis eorumdem actis in medium contemplanda proponantur.

Baron. ad Mart. Rom. die 17. Sept.

Lapidum eorumdem deſcriptio, & tormentum.

Iidem vocantur globi lapidei, & orbicularia.

Pondera alia debitoribus ex lege XII. tab. olim admovebãtur.

25. Et pari quidem olim ſtudio (ut quod verum eſt fateamur) martyriorum acta, ac martyrum reliquiæ, & ipſa pœnarum inſtrumenta à Chriſtianis ad ſervandum legebantur; nullus autem, ut putamus, ignorat, ex iis quæ hactenus recenſita ſunt, quam alacres, quam læti, quam divites Chriſtianæ fidei cultores ejuſcemodi ſarcinis, ac paginis onuſti domum remearent. Ex martyrum quippe reliquiis, quanti martyriorum notitia apud Chriſtianos fieret, merito computari poteſt; ubi enim quis ad martyrium una ex urbe ad aliam ex remotiſſimis quibuſque orbis terrarum regionibus, & Romam denique abduceretur, qui ferventiores erant, eundem comitari, laboranti jugiter præſto eſſe, omnique martyribus obſequium impendere, eorumdemque martyriis præſentiam ultro exhibere, & qui eorumdem paſſiones conſcripturi erant, quæcumque dicerent, dum ſecretiora intra carcerum ſepta tormentorum vi de iiſdem quæſtiones haberentur, inquirere, ſingula poſtmodum in acta fideliter relaturi, diligenterque adnotare conſueverant. Quis enim neſciat (ut exemplo res comprobetur) Antiochenos Romam uſque Ignatium Epiſcopum hujus rei gratia profecutos fuiſſe, ut ejus reliquias, & ejuſdem Martyrii acta prout viderant, ſecum referrent. Oſſa enim, quæ à leonum dentibus ſuperfuerant, & ſingula, quæ interim acciderant à Chriſtianis excepta ſunt; quippe Syri, qui vinctum eumdem Romam venientem comitati fuerant, Antiochiam ſubinde ſacra pignora ovantes magno cum gaudio vna cum geſtis ipſimet oculati nobiliſſimi ejus martyrii teſtes retulerunt. Sed hic ipſum præſtat audire Chryſoſtomum, Antiochenos hac ſuper re gratulabundis vocibus ſic alloquentem: *Exiguum ad tempus vobis eum ademit Deus, ſed majore cum gratia reſtituit, & quemadmodum pecuniam mutuantes, cum fœnore ea reddunt, quæ acceperunt: ſic etiam Deus pretioſum hunc theſaurum pauliſper ſuſcipiens, ut oſtenderet Romæ, majore cum gloria illum vobis retulit. Emiſiſtis eum Epiſcopum, & martyrem recepiſtis: emiſiſtis cum precibus, & cum coronis ſuſcepiſtis: nec vero vos ſoli, ſed cunctæ, quæ interjectæ ſunt Civitates. Quomodo enim eas affectas exiſtimatis, cum reportatas reliquias cernerent: quem voluptatis fructum percipere? quanta lætitia geſtire? quam fauſtis undique acclamationibus coronatum! quemadmodum pugilem generoſum, qui omnes devicerit adverſarios, ſpectatores è cavea cum plauſu conſurgentes ſublimem ſtatim excipiunt, nec terram attingere patiuntur; ſed humeris ſublatum innumerabilibus laudibus exornantes domum reportant: ſic quoque ſanctum illum omnes ex ordine Civitates ab Vrbe relatum ſuſcipientes, humeriſque geſtantes Antiochiam uſque ſunt comitatæ, martyrem coronatum celebrantes, diabolum deridentes, quod è contrario illi verſutia ſucceſſiſſet. Et tunc quidem cunctis illis civitatibus profuit, documentoque fuit, & patriam hanc uſque in præſentem locupletavit.* hucuſque Chryſoſtomus de celebri reliquiarum ipſius facta tunc tranſlatione, quas poſitas fuiſſe in ſuburbiis Antiochiæ ad Portam Daphniticam auctor eſt S. Hieronymus.

Acta martyrum ſumma ſolicitudine fideles colligunt & tuentur.

Ignatium Antiochenũ vinctum Romam pergentem ad ejus geſta ſcriptis excipienda ſequuntur.

Chryſ. ſer. de S. Ignat. t. 5. *in fin.* Apoſtrop. S. Chryſoſtomi ad Antiochenſes corpus S. Ignatii Antiochiam celebri põpa revehentes.

Hieron. de ſcript. eccl. in Ignat.

26 Interim vero, quod Chryſoſtomus ait, hanc ſcilicet tranſlationem ſolemniter omnium plauſu, concurſu & accurſu peractam fuiſſe, cum tamen antiquo jure Romanorum (ut Baronius aſſerit) defunctorum reliquias transferri prohibitum eſſe conſtet, ſcribatque Plinius his temporibus ad Trajanum pro ea re impetranda, collegium Pontificum adiri ſolitum, dicendum eſt Chriſtianos ejuſmodi licentiam nulli parcentes impenſæ ingenti pecunia redemiſſe, quod & de ipſis martyrum actis ſæpe contigit. Pecunia autem diſtrahere Gentiles conſueviſſe Martyrum reliquias, in Martyrologio Romano annotavimus. *At* (inquit Baronius) *ſicut qui nuper, licet vinculis alligatus, cum duceretur ad beſtias magno honore (ut vidimus) à civitatibus, per quas tranſiret, fuit affectus; ita Deo ſic diſponente cum ab iiſdem, qui eum Romam ad Martyrium fuerant comitati, Antiochiam reduceretur, factum eſt, ut eadem loca, & civitates eidem occurrentes, quem vinctum magno fuerant honore proſecutæ, eumdem corona martyrii redimitum exultantes ubique ſuſciperent.*

Mortuorũ reliquiæ transferri per jura Rom. non licuit.

Plin. l. 10. *ep.* 75.

Ignat. mart. reliquiæ magno honore Antiochiam referuntur.

Baron. t. 2. *an.* 113. *n.* 6.

27 Porro ignei, invictique Martyris Ignatii reliquias Antiochiam perlatas, & in ſuburbio (ut dictum eſt) in Cœmeterio collocatas permultis, magniſque

Innumeris coruſcant miraculis.

Chryſ. ſer. 5 de S. Ignat.

gniſque poſtmodum coruſcaſſe miraculis Chryſoſtomus his plane verbis teſtatur : *Non aliter quam theſaurus quidam perpetuus, qui quotidie exhauritur, & nunquam deficit : ſic etiam beatus hic Ignatius cunctis ad ſe accedentibus benedicens, fiducia, & ſtrenua alacritate, magnaque fortitudine plenos remittit domum. Itaque non hodie tantum, ſed quotidie conſuimus ſpirituales ex eo fructus percipientes: quiſquis enim cum fide ad illum accedit, magnis afficitur beneficiis. Sanctorum enim non modo corpora, ſed ipſi loculi, & monumenta ſpirituali gratia conferta ſunt.* Hæc & alia plura de cultu reliquiarum beatiſſimi Epiſcopi Chryſoſtomus : *Videas itaque ex his* (ſubdit ad rem Baronius) *quanti fecerint Chriſtiani hujus temporis (omnes haud dubium Apoſtolorum diſcipuli) reliquias ſanctorum martyrum : dum ſæviente licet perſecutione nil veriti invidiam, ſævitiamque gentilium, nec viarum pertæſi difficultates, & longitudinem Roma Antiochiam uſque ea magna veneratione, & lætitia retulerunt, & loco honeſtiſſimo collocarunt.* hæc ille de præcipuo reliquiarum cultu, quæ noſtris hiſce paginis ultro, libenterque inſerere voluimus, ut inde Lector probe intelligat, quo ſtudio Chriſtiani colendis martyrum reliquiis, & colligendis recolendiſque pariter ſacris martyriorum, ac certaminum actis nulla, vel impenſa itinerum, & incommodorum habita ratione, inſiſterent, ut eadem acta poſtmodum oculis excepta, poſteris promulganda ſervarentur.

Baron. t. 2. an. 110. n. 8.

28 Cum igitur Dei Eccleſia tanto labore, ac ſolicitudine, ut ſupra dictum eſt, colligendis, conſcribendiſque martyrum actibus ab antiquis temporibus ſedulo inſtiterit, ingentique Chriſtianorum damno, dæmone inſufflante, ſacras martyrum hiſtorias, ac recolenda Chriſti pugilum geſta execrandis gentilium, & immaniſſimi Diocletiani edictis inter tot ſcriptorum incendia magna ex parte deperire contigerit, & deinde ſubdola hæreticorum arte hæc, quæ è flammis ſupererant, corrupta ac depravata fuerint, ſapienter quidem ſibi Chriſtiani conſuluere, ut martyrum acta, quo tutius poſteritati illibata reſervarentur, & ad fidelium manus devenirent, clam intra tumulos, juxta ipſorummet martyrum corpora, inæſtimabilium inſtar ſarcinarum, ac pretioſiſſima veluti reliquiarum pignora, ſolerti ac cauta manu excerpta reconderent, ac uno eodemque honore martyriorum acta proſequerentur, quo ſacra ſcripturarum volumina venerabantur, quæ in ſecretario quodam juxta altare ſervari olim in Eccleſia mos erat, Paulino teſte, cum de Nolana à ſe erecta Eccleſia agit, ubi de ſacris Scripturis vir divinus hiſce carminibus meminit, quarum ad lævam altaris partem, volumina cuſtodiri conſueviſſe teſtatur :

Acta martyrum tot periculis amittendi obnoxia in ſuorum quæque ſepulchris prudenter condebantur.

Si quem ſancta tenet meditanda in lege voluntas,
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

Pal. ep. 12. ad Severum

Hæc utique Paulinus de ſecretario ſacrorum librorum.

29 Condigne igitur Chriſtiani apud martyrum corpora, eorundem glorioſa certamina ſcriptis exarata, ad perenne fidei monimentum ſervari voluere, ut luctis, laboribus, ac certaminibus, quæ paginis ad vivum exprimebantur, ipſamet corporum præſentia, quibus vulnera quondam inflicta fuerant, fidem omnimodam conciliaret, eoſdemque veros, germanoſque Chriſti martyres tanquam ſigillo quodam ab antiquitate tranſmiſſo demonſtraret, meritoque jugiter honore colendos, cum ad poſterorum manus haud dubia eorumdem acta una cum corporibus tandem venirent. Hæc quippe haud ullo æquiparanda pretio ſcriptorum fragmenta, ne ulla deinde temporum injuria exciderent, in ipſiſmet martyrum ſepulchris velut quid omni ſanctitate conſpicuum ad poſteros per manus quodammodo tranſmittenda ponebant : quin immo juxta propheticum illud regii Vatis oraculum : *In memoria æterna erit juſtus* : conſcripta juſtorum geſta, & glorioſa athletarum Chriſti certamina poſteritati, immo æternitati conſecrabant. Id autem tum experimento comprobatur, tum ex conſcriptis martyrum actis, quæ nunc præ manibus ſunt, pio ſtudioſoque Lectori luce clarius patebit, quod à nobis pariter erit ſuo infra loco dicendum.

Cur geſta martyrum ad eorumdem cadavera apponerentur.

Pſal. 111.

30 In primis autem, ut inſtituti propoſito inſiſtamus, de celeberrimo martyre Leontio iſthæc, quæ ſequuntur, apud Surium videre eſt : *Hæc commentaria beati martyris Leontii Cyrus quidam ſcriba in tabulis plumbeis conſcripſit, & apud ſancti martyris monumentum ea depoſuit.* Quo vero ſolicitudinis ſtudio ſanctiſſimi Epiſcopi in id incumberent, memoria repetendum eſt, quod de conſcripto beatorum Nazarii & Celſi, Gervaſii item & Protaſii martyrum glorioſi certaminis libello, monimentiſque perpetuis conſignando Syrus Epiſcopus Ticinenſis miræ vir ſanctitatis Juventio injunxit, ut ex M. S. codice Vat. his verbis conſtat : *Superna vos ardor charitatis detineat, & erga Chriſti martyrum reverentiam vinciat, ut corpuſcula fratrum noſtrorum martyrum Nazarii & Celſi, quorum ſanguis pro Chriſti effuſus eſt nomine, dignæ ſepulturæ cum maximo honore tradantur, atque epitaphium certaminis eorum ſacris apicibus conſcribentes ſimul recondite. Protaſium vero & Gervaſium digniſſimos confeſſores, qui à peſtifero præſide clauſi carcere detinentur, cum pro Chriſti fide & ipſi martyrio coronati fuerint, debito honore, & merito condientes, certaminis eorum libellum pro futuris temporibus ad laudem, & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, & gloriam ipſorum, ad capita eorum reponite.*

geſta Leontii mart. una cum ipſo ſepeliuntur. Sur. t. 3. 16. Iun.

Syrus Epiſ. Ticinen. acta Nazarii una cum corpore ejus ſepulchro condi mandat. M.S. Cod. Vat.

Geſta item Protaſii, & Gervaſii

31 Ibidem vero ſubditur, eidem Juventio, priuſquam illuc perveniret, innotuiſſe, ſanctorum Nazarii & Celſi corpora una cum deſcriptis eorumdem martyrum actis à Chriſtianis ſepulturæ demandata eſſe, ea prorſus ratione, qua ipſimet beatiſſimi martyres faciendum injunxerant, quod totum prænotata hunc in modum hiſtoria proſequitur : *Conſequens vero quidam philoſophus ſanctum Nazarium, ab initio ſcripſit libellum certaminis ejus, quem ſervans apud ſe fideliter retinebat. Iuſſus autem in ſomniis à ſanctis, dedit illum Ceratio; cui ſancti dixerunt : Abſconde libellum certaminis noſtri ad caput noſtrum uſque in diem, quo Dominus noſter voluerit demonſtrare nos, & accipiens libellum cum feſtinatione, conſecravit eum ad caput ſanctorum martyrum.* hæc ibi. En quam ſolicite id invicti martyres præſtiterint, ut ad promovendos ad virtutem animos, quæ ipſi pro Chriſto tormenta pertulerunt, conſcriptis, ſervatiſque martyriorum libellis, tandem aliquando ad Fidelium notitiam deferrentur.

Idem Nazarius geſta ſua conſcripta penes ſe ſepeliri Ceratio in ſomnis jubet.

32 Celebre autem eſt, quod de nobiliſſima virgine, ac martyre Agatha in ejus geſtis apud Surium deſcriptis narratur; hæc quippe cum glorioſum conſummaſſet pro Chriſti fide certamen, ipſimet Angeli è cælo advenientes, ſepulchralem invictiſſimæ martyri titulum inſcripſere, qui ejuſdem conſtantiam

Epitaphiū S. Agathæ Angeli tabulæ marmoreæ inſcribunt eāque ad caput ejus ponunt.

ſtantiam, puritatem, ſanctitatemque admirandam hominibus ultro conteſtaretur, marmoreamque tabulam triumphalibus inſculptam notis ad ſacrum ejuſdem caput trophæorum inſtar erexere. Sed hic ex Metaphraſte hiſtoriam repetamus: *Peractis autem precibus* (virgo nimirum) *protinus tradidit ſpiritum: adeo ut populus cum audiiſſet, venerit cum omni ſtudio, & reliquias ſanctæ martyris cum omni reverentia, & honore depoſuerit. Quidam vero adoleſcens habens ſecum pueros numero centum pulcherrime veſtitos, & qui erat ſimiliter ignotus iis, qui habitant civitatem Catanenſium, cum veniſſet in locum, in quo ſitum erat ſanctum ejus corpus, tabulam quam apportaverat marmoream capſæ impoſuit, ſic inſcribens; Mens ſancta, honor in Deum voluntarius & patriæ redemptio. Quam cum tuto intus depoſuiſſet ad caput ſanctæ Virginis, receſſit, & non amplius apparuit in civitate, adeo ut nonnulli eum ſuſpicarentur eſſe angelum.* Hæc apud Surium Metaphraſtes; ex quibus Angelorum quoque manu ſepulchrales martyribus titulos honoris gratia inſcriptos, erectosque interdum fuiſſe, manifeſtum fit. Angeli enim quibus, ut Cypr. ait, *cognata eſt virginitas*, eis potiſſimum, qui ad virginitatis coronam martyrii palmam adjunxere, obſequium omne impendere, ipſa inter funera non deſtiterunt: ſicut enim corpus Catharinæ Virginis Alexandrinæ in monte Sinai ſepultura donaverant; ſic Catanenſi Agathæ, quæ duplici, virginitatis, & martyrii, palma præfulſit, ſepulchralem titulum pari triumpho erexere.

Sur. die 5. Febr.

Cypr. l. de Virgin.

Acta Gervaſii & Protaſii mart. ad eorundem capita in tumulo poſita Sanct. Ambroſius reperit. *S. Ambr. de SS. Gervaſ. & Protaſ.*

33 Huc pariter referenda ſunt, quæ de Gervaſio & Protaſio martyribus Ambroſius affirmat: *Pervenimus*, inquit ille, *ad arcam, quam ſanctus promiſerat Paulus* (*hic enim Apoſtolus Epiſcopo apparuerat*) *quam aperientes, invenimus quaſi ipſa hora poſitos ſanctos, miro odore fragrantes. Ad quorum caput illum libellum invenimus, in quo erant hæc per ordinem univerſa conſcripta.* hucuſque Ambroſius, a quo deinde recolendus de celeberrimo Gervaſii & Protaſii martyrio libellus ſubtexitur. Idem plane de inſigni martyre Juliano narratur qui ſub Decio martyrio coronatus eſt; de quo Petrus de Natalibus hæc ſcribit: *Patefacto leviter tumulo corpus ſancti Iuliani martyris una cum veſtibus omnino incorruptum invenit. Paſſionis quoque epitaphium conſcriptum ibidem repertum coram omnibus legit, &c.*

Acta item Julian. mar. in ejuſdem ſepulchro reperta. *Pet. de Nat. l. 5. c. 141.*

Epitome geſtorum S. Valent. Epiſc. laminæ plũbeæ inſcripta juxta corpus ejus inventa. *Sur. t. 4. 4. Aug.*

34 Porro de Valentino Patavii Epiſcopo, qui ſanctitate præfulſit, hæc Surius: *Ipſo autem ſancti Valentini Pontificis invento corpore noſtris temporibus in Eccleſia Patavienſi, juxta illud reperta eſt tabula plumbea, in qua continebantur ſcripta ſtrictim, & ut vix poſſint intelligi, ejus ſanctiſſima geſta, &c.* His addi poſſunt, quæ de ſanctiſſimo viro Donatiano Rhemenſi Epiſcopo Molanus in ſuo Indiculo recitat, *poſitam* nimirum *fuiſſe in ſepulchro epiſtolam glorioſi ejuſdem martyris acta continentem.* Demum haud hic à nobis ſilentio involvenda ſunt, quæ de Magno illo re pariter ac nomine Monacho Theodorus Abbas Campedonenſis apud Caniſium litteris commendavit; ubi hæc ait: *Purgato ergo ipſo ſarcophago, aſſumpſerunt ſanctum corpus, & recondiderunt in loco, ubi pariter ipſe ſibi oraculum conſtruxerat, & cooperuerunt humo, ponentes ejus vitam in capite ſuo ſcriptam, virtutibuſque plenam, ſub auctoritate Theodori, ita: Ego itaque Theodorus, &c.*

Geſta Donatiani Ep. in tumulo cum illo conduntur.

Et vitam Magni conſcriptam Theodorus Abbas ad ejus caput in ſepulchr. appoſuit. *Caniſ. ant. lect. t. 5. de S. Magno c. 28 & 29*

Nomina defunctorum tabulis marmoreis inſcripta intra tumulos olim recondi ſolita.

35 Verum hoc quoque ſtudioſus rerum antiquarum indagator adnotare debet, in tumulandis defunctorum corporibus apud ſuperioris ſæculi homines, utpote, qui ſacras martyrum reliquias haud ullo unquam tempore obliterari cupiebant, interdum uſu quoque receptum fuiſſe, ut in interiori ſepulchri parte, ubi corpora recondebantur, defunctorum dumtaxat nomina tabulis vel teſtaceis, vel certe marmoreis inciſa reponerentur. Quocirca, ut rem exemplis conficiamus, in hiſtoria tranſlationis Marcellini, & Petri martyrum, quæ à Surio digeſta eſt, marmoream in ejuſdem ſancti Marcellini ſepulchro tabulam, ad venerandum martyris caput poſitam fuiſſe legitur, quæ digniſſimum ipſius pro titulo nomen legentibus præ ſe feret. In geſtis item venerabilis viri Landoaldi eundem apud Surium mentio fit de ejuſdem Landoaldi, & Amantii appoſitis in ſepulchro nominibus: *Invenerunt autem*, inquit, *plures thetas, ſed una erat, in qua ſanctus Landoaldus Archipresbyter, & Diaconus ſuus pariter tegebatur Amantius. Aderat & lapis ad capita eorum, nominibus ipſorum inſculptus.* hæc ibi.

Tabula marmorea SS. Marcellini & Petri nomina præferens cum eis ſepelitur.

Sur. t. 2. 19 Mart. SS. Landoaldo & Amantio lapis eorum nominibus inſculptus in ſepulchr. appoſitus.

Et confeſſorum & virginum nomina in ſepulchris eorumdem ponebantur.

36 Haud igitur martyrum dumtaxat ſepulchris titulus, eorumdemque nomen à Chriſtianis olim inſcribebatur, ſed ſanctorum quoque confeſſorum, ac virginum (ut enarratum eſt) memoria, exſculptis marmori notis in loco, in quo veneranda corpora reconderentur, poſteritati conſignabatur. Ut præcipue videre eſt in corpore S. Roſaliæ virginis Panormitanæ ex Regia ortæ proſapia, quæ cum in ſubterraneam altiſſimi montis ſpeluncam devotionis, & humilitatis fervore ſuccenſa ſe recepiſſet, multoſque ibidem annos variis laboribus, atque incommodis affecta vitam, incognita mundo, ſolique Deo nota, vixiſſet, ibidem tandem in oſculo Domini feliciter obdormivit, ſed anno Jubilei 1625 ſub Urbano VIII. Pont. Max. ejus corpus eodem loco repertum, Panormitanam Civitatem à graſſante lue mirifice liberavit: inventum autem ibi eſt una cum ſacro corpore, inſcriptum pariter præclaræ virginis, ac proſapiæ ejuſdem nomen, ut ex verbis à Martyrologio Romano in ejus laudem recenſitis conſtat; quæ ſunt ejuſcemodi: *Panormi natalis ſanctæ Roſaliæ Virginis Panormitanæ, ex regio Caroli Magni ſanguine ortæ, quæ pro Chriſti amore paternum principatum, Aulamque profugiens in montibus ac ſpeluncis ſolitaria, cæleſtem vitam duxit.* His ex Martyrologio in virginis laudem enarratis, nunc ſubtexenda videntur, quæ de ſepulchrali titulo ipſiuſmet virginis manu inſcripto Ioannes Baptiſta Ferrarius in lib. de Sanctis Italiæ his plane verbis recitat: *In antro nemoris S. Stephani apud Bivonam Op. hæc verba in marmore inſcripta leguntur: Ego Roſalea Sinibaldi Quiſquinæ & Roſarum Domini filia amore Domini mei Ieſu Chriſti in hoc antro habitare decrevi.* Ex quo, ut idem ſubdit auctor, nomen à Roſio pago habuiſſe videtur. En dignum & nunquam obliterandum nobiliſſimæ virginis, quæ ſe mundo abdicaverat, & altiſſimæ pariter humilitatis, quæ ſæculum ipſum dum viveret, jugiter latere concupierat monimentum ipſiuſmet manu diſponente Deo marmori inſculptum, ut Roſalia nimirum; quæ vivens inter cavernarum latebras, & aſperrimæ vitæ ſpinas delituerat, vel mortua, immo jugiter apud Deum ad interpellandum pro populis vivens, è tenebris in lucem rediviva & patriam, & omnem Chriſtianorum poſteritatem non lateret.

S. Roſaliæ corpus una cum ejus ac proſapiæ nomine reperitur. *In Roman. Mart. die 15. Iun.*

Io. Bap. Fer. in lib. Sanct. Italiæ. Titulus, nomen ejus ac patris ſuſceptumque animo conſilium, præferens ipſiuſmet manu marmori inſculptus.

37 Qui plane mos jam recenſitis antiquorum exemplis inhærendo, hac quoque noſtra ætate ſervatus eſt, ut nimirum intra arcam, in qua ſanctorum corpora reconduntur, nomen pariter inſculptus

Antiquus nomen ſepulchris imponendi mos in S. Philippi Nerii corpus

pore condendo hoc ævo observatus.

ptus recludatur: nam cum anno Salutis 1639. venerandum Sancti Philippi Nerii Confes. Fundatoris Congr. Oratorii & Parentis nostri corpus, quod incorruptum, illibatumque post annos quadraginta quatuor, piorumque oculus contemplandum perstitit, perpetuæ sepulturæ demandandum esset, ne, dum populorum devotio erga eundem sanctum in dies augetur ob innumera, quæ jugiter ejus meritis patrantur, miracula, pretiosum sacri Corporis thesaurum, viris principibus ejusdem reliquias ambitiose exposcentibus, posthac mutilari, ac detrimentum pati contingeret, ejusdem nomen in plumbi lamina insculptum est, & publicum notariorum manu instrumentum memoratæ depositionis, quatuor interventu testium inscriptum est, cui singuli deinde Sacerdotes postquam subscripsere, & nos pariter, qui isthæc scribimus una cum ipsis, in capsula item plumbea sub ejusdem sancti Philippi capite ad perennem rei memoriam locatum est. Porro sacrum corpus indumentis ex auro contextis sacerdotalibus de more coopertum in urna jacet: caput ac facies argento ejus ad vivum imaginem exhibente, ut vivens ipse prædixerat, obducitur. Caput coronam ex auro ac gemmis, Leonis Papæ XI. ejusdem olim discipuli manu, dum adhuc Cardinalem ageret, impositam præsefert: & mirum undique venerandæ exuviæ odorem efflant, ac devotionem intuentibus ingerunt, elatæque pectoris costulæ divini amoris portenta fidelibus adhuc loquuntur. Persolutis igitur sancto Parenti extremis officiis, intermixtis etiam gaudio lacrymis, ab his præcipue, qui ejus dum viveret, monitis, præsentia, ac consuetudine, singulari beneficio dignati fuerant, corpus in arca ferrea miro artis studio elaborata inclusum, ac feris liquenti metallo obfirmatis sub Altari in Ecclesia B. Mariæ in Vallicella, eidem S. Philippo Nerio dicato illic perpetuo asservandum inscriptione, ut diximus, his verbis expressa repositum est.

Nomen ejus laminæ plumbeæ à publico tabellione coram testibus juratis inscribitur, ac in tumulo reconditur.

Ejus corpus pretiose prius exornatur.

CORPUS
S. PHILIPPI NERII CONGR. ORATORII
FUNDATORIS
AB IPSO DORMITIONIS DIE ANNOS
QUATUOR ET QUADRAGINTA
INCORRUPTUM DIVINA
VIRTUTE SERVATUM, OCULIS FIDELIUM
EXPOSITUM A DILECTIS IN CHRISTO
FILIIS SUB EJUSDEM S.PATRIS ALTARI
PERPETUÆ SEPULTURÆ MORE MAJORUM
COMMENDATUM EST.
ANNO SALUTIS M. DC. XXXVIIII.
URBANI PAPÆ VIII.
XVI. INDICTIONE VII.
IDIBUS APRILIS.

Titulus ejus sepulchralis cumque Presbyteri Orat. subscribunt.

Cui insuper inscriptioni, singulorum, qui in Urbe tunc aderant, Sacerdotum Congregationis subscriptio accessit his verbis, videlicet:

DUM SACRUM CORPUS TUMULO
ÆTERNUM INFERRETUR,
QUI INTERFUERE SINGULI
CONGREGATIONIS PRESBYTERI
MANU SUA SUBSCRIPSERUNT.

Et hæc obiter de Sancti Philippi corpore sepulturæ tradito, & insculpto ibidem ad perennem rei memoriam ejusdem nomine. Hæc item de sepulchro, quod (ut cum Baronio nostro suos eidem Ecclesiasticos annales acceptos referente loquamur) votivis coruscat tabellis, & ex pretioso metallo signis affixis miraculorum indicibus, quibus magis, quam pretiosorum marmorum crustis, vel Ægyptiis pyramidibus, & obeliscis effulget, majus decoris in dies accipiens incrementum ab iis, qui nova beneficia consecuti inferunt nova signa. Hæc, inquam, de Vallicellani templi sepulchro, quod cælestis viri exuviis decoratur, quod novis quotidie miraculorum signis coruscat, cujus fama totum terrarum orbem replevit, haud ingrato silentio nostris hisce paginis inserere voluimus.

Ejus sepulchrum innumeris affixis signis miraculorum, beneficiorumque indicibus effulget.

38 Quin imo ipsimet sanctissimi Confessores in loco, in quo sepulchrum sibi delegerant, suum inscribere nomen interdum consueverant, ut patet in gestis B. Cassii Narniensis Episcopi à sancto Gregorio Magno mirifice laudati; qui, ut Baronius refert, vivens adhuc sibi in crypta S. Juvenalis, tumulum elegit, & supra cryptæ ejusdem januam sepulchralem sibi titulum carminibus inscripsit: de quo hæc in notis ad Martyr. Romanum Baronius: *Claruit hic temporibus Iustiniani Imperatoris. Sedere enim cœpit anno ejus decimo, migravitque ex hac vita ejusdem an. 31. prout constat ex ejusdem sepulturæ epitaphio, quod extat Narniæ in Ecclesia Cathedrali super januam Cryptæ S. Iuvenalis, ubi & corpus sancti Cassii requiescere creditur. Est inscriptio incisa in marmore oblongo, in cujus medio Crucis forma expressa est, itemque duo agni exculpti, qui se è regione aspiciunt. Creditur sanctus Cassius cum de suo obitu divinitus esset admonitus (ut apud sanctum Gregorium) sibi viventi sepulchrum posuisse, atque suum epitaphium sex hisce versibus inscripsisse.*

Viri complures sanctitate præclari epitaphia suis sepulchris viventes inscripsere.

Baron. in Mart. Rom. die 29. Iun.

S. Cassius sepulchrum cum titulo sepulchrali vivens sibi posuit.

Cassius immerito Præsul de munere Christi
Hic sua restituo terræ mihi credita membra
Quam fato anticipans consors dulcissima vitæ
Ante meum in pace requiescit Fausta sepulchrum
Te rogo quisquis ades, prece nos memorare benigna
Cuncta recepturum te noscens congrua factis.

S. D. Ann. XXI. M. IX. D. X. req. in pace prid. Kalend. Iulii. P. C. Basilii V. C. An. XVII. Numeratur hic annus Dominicus (subdit idem Baronius) 558. *Iustiniani Imp. XXXII. Porro illa verba post carmina posita, Sedit &c. eo mortuo fuisse addita certum est.* hucusque Baronius. Ex quibus vides ipsamet virorum Sanctorum manu sepulchris eorumdem nomen, ac titulum quandoque inscriptum fuisse.

39 Sed quoniam hic de Martyrum corporibus sepulchro illatis agitur, quibus tituli, eorumdemque martyriorum acta apponebantur, ut fama, ac eorum notitia his indicibus prænotata ad posteros transiret; haud hic Seraphici viri Francisci Assisinatis memoria prætereunda est, ejus nimirum, qui inaudito, inusitatoque adhuc vivens prodigio, novo martyrii genere à Deo sacrorum vulnerum impressione insignitus, vel inter martyres vivus, nedum mortuus jure merito recenseri potest, cujus tumulo pro actis vulnera, cujus corpori præmonstrando pro titulo sanguis adest. Porro Seraphici viri corpus, quod in subterraneo templi ambitu Assisii in Umbria depositum fuit, totius nunc orbis veneratione recolitur; quod & Nicolaus Papa V. qui an. 1449. dum Assisii degeret, oculis invisit, ac osculis prosecutus est. Cum igitur idem Pontifex sacri hujus corporis intuendi, ac contemplandi ingenti desiderio teneretur, tribus secum sociis ad id opus adhibitis, quorum illi nota jam, ac spectata fides, ad subterranea loca, quibus nobile templum imminet, sub quintam noctis horam

Novo martyrii genere Seraphicus Franciscus à Deo afficitur.

Nicolaus V. ejus corporis visendi gratia in ejusdem sepulchrum descendit.

ram se contulit, ubi in secretiorem locum Conventus ejusdem Guardiano, ac duobus fratribus aditum sibi præmonstrantibus deductus est: *En tibi*, inquit Franciscus de Baucio Dux Andriæ, qui historiam hanc refert: *En tibi, amoti sunt lapides, cum quibus janua constructa erat, gradusque marmoreos diligenter aspeximus, quos & magno silentio descendimus; & ecce ostium ferreum habuimus obvium, in quo tres catenæ ferreæ ex ordine stabant, quæ illico fuerunt apertæ clavibus. Tunc Guardianus flexis genibus Pontificem allocutus, ait: Ingredere Pater sanctissime, qui solus ingrediens ante pedes sancti corporis prostratus humiliter, tam vehementer plorabat, ut fremitus audiretur à nobis. Postquam verò Summus Pontifex consecutus est, quod desiderium suum flagitabat, ad se reversus, introduxit & nos; qui cum pervenissemus ad locum stupor equidem incredibilis omnes invasit.* Et mox de mirabili ejusdem venerandi corporis situ ac prospectu hæc subdit.

In genua provolutus illud veneratur.

Loci, in quo sacrum corpus requiescit, descriptio.

40 *Vere investigabiles viæ Domini, & judicium ejus ab omni humana cogitatione prorsus alienum, quis unquam audivit, aut quis talia effatus est, ut corpus humanum per tot æva mortuum super plantas proprias rectè staret? sed non fuerat abbreviata manus Domini. Erat autem locus ille cernentibus nobis instar parvæ Ecclesiæ, habens tres tribunas in testudine rectas. Media verò, quæ ab inferiori parte erecta erat, miro marmoreo tabulato fabricata videbatur: in cujus medio lastra marmorea posita erat, supra quam ex orientali latere corpus illud sacrum Francisci Seraphici erectum stabat, facie ad occasum tendens, & oculis elevatis in cœlum: manus verò coopertæ erant habitus manicis, & simul junctæ, ut fratres ferre consueverunt. Erat autem corpus ita incorruptum, quasi esset prima die positum: videbatur enim quasi dormiens. Ex alio verò latere alium erectum stantem vidimus habitu B. Dominici indutum, qui & manus simul junctas habebat cum articulis sursum junctis, veluti mos est orantium; oculi verò ejus ad B. Francisci pedes intuebantur. Ambo autem ita lucidos, & splendentes habebant oculos, ut nulla ad vivos esset differentia. Odor insuper suavissimus talis erat, ut olfactus hominum numquam talem senserit.* His interim enarratis, paulo post, quæ circa sacrum corpus iisdem observare licuit, hunc in modum subtexit.

Situs ac habitus ejusdem corporis.

41 *Cumque summus Pontifex à lachrymis, & gemitibus abstinuisset aliquantulum, ad Beati Francisci pedes iterum procumbens, manu fimbriam ejus vestimenti extulit: nos verò sine sotularibus pedes aspeximus: ô felices oculi, qui hæc videre meruerunt, &c. Magna enim his fuerat collata gratia, ut in servum liquido aspicerent, quæ in Deum minime videre poterant. Erat enim in pedis Sancti medio foramen cum sanguine, ita recenti, ac si tunc mucrone pes fuisset confossus. Cujus quidem rei aspectu singultus magnus omnes arripuit. Et quis cogitare posset animi motionem? animum præ devotione liquescere? alienari sensum? & vires totas destitui? omnes autem ante recessum è loco osculum dedimus sancto pedi, omnesque pariter ob odorem refocillati sumus. Pes verò alius fimbria habitus operiebatur, nec nobis visum fuit illum violenter arripere. Manus similiter perforatæ ut pedes cernebantur, recentem sanguinem ostendentes. O igitur memoria profunda nostræ redemptionis in servo intueri, quæ in Redemptore prius fuerant.* Hæc oculatus iste rei testis, qui paulo post hæc subinfert: *Et quis nostrum, qui ibidem aderamus, ausus fuit amplius corpus sacrum tangere, nisi solus Summus Pontifex? ipse enim manus illius pretiosas devotissime osculatus est, osculumque sacro ori dedit. A quinta verò noctis hora usque ad undecimam illic mansimus suavissimo odore repleti. Cum verò à narrantibus nuntiatum fuit nobis diem prope esse, doluit quam maxime: visum enim fuerat nobis per horam ibi fuisse. In illis verò tribunis sociorum B. Francisci corpora tumulata jacent: unusquisque enim locum suum possidet, unus hinc, & alter hinc. Ante ostium verò loci jacet corpus illius ecstatici viri Dei fratris Ægidii, quorum corpora absque diminutione ulla, integra cernuntur, suavissimum odorem redolentia. Ad extremum autem cum magna animi fortitudine roborati omnes inde recessimus.* Hæc in perenne B. Francisci, ac sacri ejus corporis monimentum Franciscus de Baucio Dux Andriæ ad Episcopum Andriensem transmissa epistola extare describit ex his, quæ ab Astergio Cardinali Presbytero S. Eusebii Beneventano Archiepiscopo referente nunciata sunt; & hic quidem Cardinalis una cum eodem summo Pontifice sacrum corpus inviserat, & rerum omnium, quas amico retulit, testis ipse oculatus fuerat, extrema autem correptus valetudine, & jam morti proximus, rem totam, prout descriptum est, enarravit.

Sanguis stigmatum ejus recens.

Pontifex sacrum corpus exosculatur.

Sociorum B. Francisci corpora ibidem etiam conquiescunt.

Card. Astergius cum Nicolao V. sacrum corpus invisit remque omnem ipse narret.

42 Hanc autem Seraphici corporis apud Assisium tumulati, ejusque vulnerum recentem adhuc sanguinem exhibentium enarrationem, hic studioso lectori propinare voluimus, excerptam utique ex opusculorum S. Francisci libro, quem Fr. Lucas Wadinghus Hibernus Menapien. Ord. Min. Regul. Observ. Prov. D. Jacobi, & olim apud Salamanticenses Theol. professor, vir singulari prudentia, ac omni plane eruditione in Urbe conspicuus, olim in lucem edidit, cujus sententiæ plurimum deferimus, & cui nos plurimum item debere fatemur, quippe qui nostrum hoc Subterraneæ Romæ Opus perhumaniter recognoscere dignatus est; sed ejus hic verba ad calcem opusculorum de B. Francisci tumulo hæc perorantis Lector accipe: *Ut curiosi* (inquit ille) *& devoti Lectoris desiderio in omnibus satisfacere videar, & ne portentorum tanti nostri Auctoris præcipuum prætermisisse dicar, æquum judicavi, ut prodigium illud naturæ, cœli miraculum, quo mortui viri corpus per tot sæcula in pedes erectum, faciem immutatam, lumina illæsa, oculosque in cœlum erectos, & vulnera sacro, recentique sanguine manantia in hunc usque diem conservari Deus decrevit, pro coronide hujus operis apponerem; stupendæ hujus stationis, & à sæculo inauditi privilegii præter alios testis fuit Nicolaus V. Pontifex Maximus, Optimusque, & devotione in Dei virum, ejusque institutum singularis. Transcripsi, quæ scripsit, sive potius exscripsit Rodulphus, ab eoque transtulit in suam historiam Seraphicam Henricus Sedulius multa fide in iis, quæ scribit, dignissimus. Eadem apud alios invenies, apud quos de typographia, loco, & tempore constabit, quæ in hac epistola desiderare visus est Antonius Possevinus in suo apparatu sacro littera F. sub nomine Franciscus Assisias, postquam ejusdem Francisci recitavit opuscula.* Hæc Frater Lucas Wadinghus, qui sacra Seraphici Viri opuscula præclaris adnotationibus aucta in lucem piis, ac studiosis viris suspicienda edidit, qui sepulchralem insuper B. Francisci titulum addidit, quem Gregorius IX. Summus Pontifex ejusdem tumulo inscripsit, à nobili quodam viro Assisinate (ut ille ait)

Fr. Luc. V. vad. in lib. opusc. B. Franc.

Luc. V. vading. in S. Franc.

Sacrum S. Francisci corpus in pedes erectum tot seculis prodigiose stat.

ait) acceptum, qui Ducem Mediolanensium Sfortiam, dum sacrum corpus inviseret, comitatus fuerat, & per eundem ad posteros transmissum; hunc autem nos ultro studioso lectori hic perlegendum offerre voluimus.

Titulus sepulchralis B. Francisci tumulo à Greg. IX. inscriptus

V. S. C. A.
FRANCISCI ROMANI
CELSA HUMILITATE CONSPICUI
CHRISTIANI ORBIS FULCIMENTI
ECCLESIÆ REPARATORIS,
CORPORI NEC VIVENTI, NEC MORTUO
CHRISTI CRUCIFIXI PLAGARUM
CLAVORUMQUE INSIGNIBUS ADMIRANDO
PAPA NOVÆ FETURÆ COLLACRYMANS
LÆTIFICANS, ET EXULTANS
JUSSU MANU MUNIFICENTIA POSUIT
ANNO DOMINI M. CC. XXVIII.
XVI. KALENDAS AUGUSTI
ANTE OBITUM MORTUUS
POST OBITUM VIVUS.

Ubi, ut ex Wadingho adnotandum est, quatuor litteræ capitales ita explicantur: Viro, Seraphico, Catholico, Apostolico: Romanus vero dicitur Franciscus ob summum ergaRomanam fidem affectum, vel certe, quia Assisium ditionis est Romanæ. Sed de his hactenus.

Martyrum sepulchris epitaphia, aliave signa nomina, numerum, & similia indicantia insculpi olim solita.

43 Porro, ut ad Cœmeterialia martyrum sepulchra, unde digressi sumus, revertamur, eorundem defunctorum, ut jam diximus, nomina, inscriptiones, sepulchrales tituli, epitaphia, aliave signa, quæ martyris nomen, vel genus indicarent, in exteriori parte, immo in ipsamet sepulchrorum facie, ac prospectu, ut osculatim patet legentibus, inserebantur. Qua de re in suis carminibus hæc diserte admodum Prudentius cecinit:

Prud. perist. Hym. 11. de S. Hyppolyt.

Plurima litterulis signata sepulchra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod,
Sint & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ solum significant numerum;
Quanta virum jaceant congestis corpora acervis
Morte licet quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defossa mole sub una
Relliquias memini me didicisse hominum.
Quorum solus habet comperta vocabula Christus
Utpote quos propriæ junxit amicitiæ.

In plerisque autem sacrorum Cœmeteriorum monumentis ad hanc usque diem hujusce modi tituli, vel certe inscriptiones & numeri visuntur. Et hæc quæ hactenus præmisimus, satis esse putamus ad Cœmeteriorum quandam ipsis legentium animis generatim saltem notitiam adumbrandam, quo unusquisque deinceps commode assequi valeat, ea, quæ uberius à nobis suo infra loco dicenda supersunt.

CAP. XXXI.

In Cœmeteriis sacras Christiani Synaxes peragunt.

Prolepsis auctoris de SS. Eucharistiæ Sacramento acturi.

HActenus de antiquis Christianorum Cœmeteriis, ac de funeralium ritibus satis prolixe (ne quid Lectorem lateat) egimus: De sacris nunc Synaxibus, quæ intra abditos Cœmeteriales sinus ab iisdem Christianis peragebantur, agendi opportuna se nobis occasio offert. Verum in ipso enarrationis vestibulo; & quorsum, quis inquiet, hic de Synaxi sermo incurrit? quid cum Cœmeteriis Synaxi? quid convivio cum funeribus, cum funeralibus? ut quid enim ubi sepulchrum objicitur, ibi mensa ad epulandum instruitur? Ita plane: procul convivia à loco, in quo Christianorum pro fide interemptorum funera olim instruebantur, procul, inquam, festivæ ac nuptiales epulæ, ubi tumuli, ubi sepulchrales tituli defunctis exhibentur. Minus etenim congrue altaris mensa supra dormientum tumbas, ne dicam juxta cadaverum turbas, quæ horrorem ingerunt, aptatur, atque erigitur: *Musica*, quippe, *in luctu*, ut sacræ testantur Paginæ, *importuna narratio*. Verum enim vero, ipsa Subterranea Romæ loca, sacra, inquam, cubicula, in quæ fideles ad incruenta Altaris mysteria participanda jugiter conveniebant, ut de Synaxi sermonem, vel obiter, instituamus, nos ultro admonent, atque ad dicendum invitant.

Eccl. c. 22. n. 6.

Ferventissimus olim ardor Christianorum ad participandum sacramentale Domini corpus.

Chrysost. Ser. de SS. Invent. & Max.

2 Quoniam igitur in subterraneis Cœmeteriorum cubiculis ad sacras antiqui Synaxes Christiani convenire, & dum acerbior persecutionum vis recrudesceret, *tanquam apes ad alvearium* (ut Chrysostomus ait) ad Christi corpus & sanguinem in Sacramento Altaris participandum advolare consueverant, quod prolixiori sermone enarravimus, & satis superque antiqua martyrum, quæ jam in medium protulimus, acta testantur: nec non Clementis sanctissimi Romani Pontificis verba id aperte convincunt, qui Romæ degentes Christianos, ut in sacra Cœmeteria ad Synaxim conveniant, illis verbis præmonitos voluit: *Convenite*, inquit, *in Cœmeteriis ad legendum sacros libros, & psallendos hymnos, & Eucharistiam Deo acceptam, antypon id est, Sacramentum regalis corporis vestri offerre in Ecclesiis vestris, & in Cœmeteriis.* Si autem ex martyrum actibus assertionem hanc tanquam validis argumentis præmunire quis velit, repetat quæso studiosus lector id, quod præcipue de B. martyre Stephano Papa supra à nobis recensitum est, eum scilicet in Lucinæ Cœmeterio ad Catacumbas decollatum fuisse: *Nam ingravescente* (ut ejus ferunt acta) *Imperatorum Valeriani, & Gallieni persecutione, Stephanus convocato clero ad martyrium suos hortabatur, in cryptisque martyrum assidue Missas, & concilia celebrabat, & cum ad Martis templum, ut sacrificaret, adductus fuisset, terræmotu oborto omnibus aufugientibus, qui Stephanum tenebant, Pontifex ad suos revertitur in Cœmeterium Lucinæ, quos divinis præceptis instruens, Sacramento corporis Christi communicavit, ibique dum Missarum solemnia perficit, advenientibus iterum Imperatorum satellitibus, ei in sua sede caput abscinditur.* Hæc ibi in ejusdem actis. Sed interim ex Romano Martyrologio hæc accipe: *Romæ in Cœmeterio Callisti natalis S. Stephani Papæ & Martyris, qui in persecutione Valeriani, dum Missæ sacrificium perageret, supervenientibus militibus ante altare intrepidus & immobilis cœpta mysteria perficiens, in sede sua decollatus.*

In actis S. Stephani Papæ.

B. Stephanus Papa inter Missarum solemnia, & fidelibus Christi corpus impertiens capite truncatur.

Rom. Mart. 3. Aug.

Tarsicius è cœmeterio cum SS. Sacramento rediens ab ethnicis mactatur.

Bar. in not. ad Mart. die 15. Aug.

Eucharistiã domum ferendi facultas fidelibus olim concessa.

3 Inde autem Tarsicio acolytho nobilis subeundi pro Christo Martyrii occasio suborta est. Is enim cum in idem Callisti Cœmeterium ad Synaxim Christianorum more convenisset, & è loco postmodum, sacramenta secum deferens, abiisset, à gentilibus tentus, ac dire mactatus est: *Olim quippe*, ut Baronius in suis ad Martyrologium notis ait, *ingruentibus in Christianos persecutionibus, laicis etiam domum ferre Eucharistiam certis diebus sumendam (quod non esset liberum, cum vellent, ad Eccle-*

Tertull. l. 1. ad uxorem. Cypr. lib. de Lapſ. Clem. Alex. l. 1. ſtrom.

Eccleſiam convenire, & ſynaxim celebrare) permiſſum erat, ut ex Tertulliano, & Cypriano. Quem ſane laudabilem uſum, ac receptum apud Chriſtianos morem Baſilius quoq; diſertiſſimis verbis comprobare videtur, cum ad Cæſaream Patritiam de Sacramentorum perceptione ſcribens, hæc ingerit:

Baſil. ad Cæſ. Patrit.

Tempore perſecutionis cogi quempiam abſente Sacerdote, aut miniſtro, communionem ſua manu ſumere, minime abſurdum eſſe ſupervacaneum eſt oſtendere, cum ejus rei etiam longa conſuetudo rebus ipſis fidem faciat: nam omnes, qui per ſolitudines monaſticam vitam agunt, ubi non adeſt Sacerdos, cum domi communionem habeant, per ſe ipſos accipiunt. Ut rem autem vel uno conficiamus exemplo, nobiliſſimi martyris Tarſicii, quem nuper recenſuimus, Romanum apud Martyrologium his verbis mentio incurrit:

Rom. Mart. 15. Aug.

Arcana fidei ſacramenta infidelibus haud prodenda eſſe veteres Chriſtiani cenſebant.

Romæ via Appia S. Tarſicii acolythi, quem pagani cum inveniſſent corporis Chriſti Sacramenta portantem, cœperunt diſquirere quid gereret: at ille indignum judicans porcis prodere margaritas, tamdiu ab ipſis mactatus eſt fuſtibus, & lapidibus, donec exhalaret ſpiritum: & revoluto ejus corpore, ſacrilegi diſcuſſores nihil Sacramentorum Chriſti in manibus, aut in veſtibus invenerunt. Chriſtiani autem corpus martyris collegerunt, & in Cœmeterio Calliſti honorifice ſepelierunt. Vides igitur, amice Lector, inolitam ab ipſis Eccleſiæ primordiis apud Chriſtianos conſuetudinem, ſacra videlicet myſteria in Cœmeteriis celebrandi, eademque ad abſentes ſubinde tranſmittendi.

Frequentiſſimi ſacram ſynaxim in cœmeteriis adire Chriſtiani olim ſoliti.

Quanta autem Chriſtiani inſuper frequentia ad Synaxim in cœmeterialia hæc loca convenerit, ſancti Stephani Papæ & martyris acta fidem legentibus faciunt, dum copioſam Chriſtianorum multitudinem à Gentilibus adinventam fuiſſe ad portam juxta viam Appiam referunt, poſtquam in Tarſicium manus ſacrilegas injecerant: *Venientes autem iidem gentiles ad portam Appiam, invenerunt Chriſtianorum multitudinem copioſam, & venientes ad Valerianum, omnia intimaverunt, & quidquid actum fuerat, per ordinem pandunt.* Confluebant quippe ſtudioſe paſſim Chriſtiani ad ſacra hæc loca, in quibus divina myſteria & conventus peragebantur.

4 Nec lectorem præterea, ut putamus, latet, quod in M. S. beati martyris Laurentii actis legitur, Chriſtianos nimirum, qui aderant, ubi ſacroſancta Altaris myſteria in Cyriacæ cœmeterio à Beato Juſtino presbytero peracta ſunt, ſingulos protinus communicaſſe.

B. Juſtinus defuncto Miſſæ ſacrificio fidelibus Corpus Domini in cœmeterio impertit. *M. S. Cod. Vat. & Vall.*

Sed totum his verbis enarratur: *Beatus Iuſtinus presbyter obtulit ſacrificium laudis, & participati ſunt omnes corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo noſtro.* Ara quipppe ibidem extabat, in qua divina rite Sacramenta à Chriſtianis peragi conſueverant, ipſo Prudentio teſte, qui de Beati martyris Hyppolyti ſepulchro loquens, iſthæc eleganter cecinit:

Prud. in Periſt. hymn. de S. Hippolyt.

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
Propter ubi appoſita eſt Ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix Menſa, eademque
Cuſtos fida ſui martyris appoſita.
Servat ad æterni ſpem judicis oſſa ſepulchro,
Paſcit item ſanctis Tybricolas dapibus.

ſupra ſepulchra martyrum aræ ad ſacra Miſſæ facienda

Ubi antiquiſſimus item, ut vides, Chriſtianis mos extitit, aras ſupra martyrum ſepulchra ad ſacrorum uſum myſteriorum extruendi. Quanto vero animi ſtudio in id Chriſtiani ambitioſe contenderent, vel ex eo manifeſtum fit, quod & ſacerdotes in ſuburbanis cœmeteriis de more inſtituerentur, qui in honorem Chriſti martyrum diebus ſingulis ſacrificium offerrent, ut ex ipſis martyrum actis habetur.

olim extruebantur. Et ſacerdotes ad quotidiana ibi ſacra peragenda inſtituebantur. *M.S. Codd. Lat. Vat. S. Petr. S. Cæcil. & Sur. t. 3. 3. Maji Beda & Vſuar.*

Cum enim Alexander Papa, Eventius ac Theodulus Presbyteri martyrio conſummati fuiſſent, Severina ad Nomentanam viam eorundem corpora ſepelivit: & mox B. Sixtus Papa piis ejuſdem precibus permotus, peculiari ſacerdotem titulo inſtituit, qui ſacra quotidie eo loco myſteria perageret. Hæc autem in actis: *A quo* id eſt, à Sixto Pontifice, *Severina impetravit, ut in eodem loco rei ſuæ ordinaretur Epiſcopus, qui omni die, quæ ſunt ſancta martyribus celebraret; ideoque locus ipſe habet proprium Sacerdotem uſque in hodiernum diem.* Ex quo vides, qua ratione ſacroſancto, incruentoque Altaris myſterio, *ex quo* (ut Eccleſia in collectis habet) *martyrium omne ſumpſit initium*, martyres jugiter ab Eccleſia Dei colerentur, & cruenta eorumdem certamina pro merito recolerentur.

Collect. fer. 5. poſt. 3. Domin. Quadrag.

5 Porro cum illuc frequentes jugiter convenirent, in Cœmeteriis cubicula, aptatis utraque ex parte ſedilibus, ſacro item erecto Altari, extruebantur, qua de cauſa Pontificiæ ad hanc uſque diem ſedes extant, quæ in Cœmeterio præſertim B. Agnetis eadem via Nomentana conſpiciuntur, ubi Pontifex, dum natalitiis beatorum martyrum, nec non ſacris ſynaxibus de more intereſſet, eminentiori præ cæteris conſpicuus loco, ac nobili locatus throno ſedere conſueverat.

Cubicula ad ſacram Synaxim obeundam in Cœmeteriis conſtructa hodieque viſuntur.

Qui ſane laudabilis mos ex actis martyrum Chryſanthi & Dariæ liquido convincitur: cum enim ad natalitia eorundem concelebranda ingens Chriſtianorum multitudo in Priſcillæ Cœmeterium, quod via Salaria ſitum erat, conveniſſet, Numeriani Imperatoris juſſu tunc potiſſimum temporis iidem terra obruti ſunt, cum divina Chriſti ſacramenta participarent. Sed hujuſcemodi enarrationem ipſis ex actis, ſi libet, excipiamus:

Multi ſimul Chriſtiani qui ad Synaxim in cœmeterio Priſcillæ convenenerant, ab ethnicis terra obruti. *Act. S. Diod.*

Igitur multa beneficia Deus venientibus ad eorum ſepulchra præſtaret, evenit, ut die natalis eorum infinita populi multitudo conveniret, viri ſimul, & mulieres pariter, & infantes, & innuptæ puellæ, & juvenes. Hoc cum fuiſſet Numeriani auribus intimatum, juſſit, ut in introitu, quo introierant in crypta paries levaretur, quod cum fuiſſet impletum, deſuper à ſabulone ſuper eos montem dejecit. Omnes ergo pariter dum communiter ſacramenta participarent, & martyrum gloriam celebrarent, ipſi quoque ad martyrii coronam pertigerunt. Inter quos erant Diodorus presbyter, & Marianus Diaconus, & plurimi clericorum: populi autem multitudo, nec numerus, nec nomina collecta ſunt. Felicem prorſus, atque exoptandam beatorum hominum conditionem, qui dum intra ipſa martyrum ſepulchra, eorumdem memoriam debito honore recolunt, martyribus aſſociari meruerunt, & dum ad Altare vitæ pabulum, & immortalitatis alimoniam accepturi perſtant, mortalis vitæ terminum momentaneo certamine conſecuti, ad martyrii palmam ſimul omnes in Cælum evolarunt.

6 Ex quibus perſpicue lector intelligis, veneranda Altaris myſteria in abditis Cœmeteriorum cavernis apud Chriſtianos, qui ob id præcipue illuc confluebant, in uſu frequenter extitiſſe. Nam, ut alibi legitur, in Nepotianam cryptam, quæ in Patritio vico ad Viminalis & Quirinalis collium radices ſita erat, fideles ad ſacros conventus

In Cœmeteriis fideles olim aſſiduo divinis operabantur.

quo

quo par erat, devotionis cultu celebrandas conveniebant. Præmemorata autem crypta, juxta ipsius Pudentis Senatoris domum extabat. Cum autem ab Imp. Antonino, ne Christiani publice sacrificia facerent, sancitum fuisset, Pius Pont. in ædibus Pudentianæ una cum Christianis sacrificia celebrabat. In gestis item Pii Papæ hæc Bibliothecarius enarrat: *Hic ex rogatu B. Praxedis dedicavit Ecclesiam Thermas Novati in Vico Patritii in honorem sororis suæ sanctæ Pudentianæ, ubi & multa dona obtulit, ubi sæpius sacrificium Domino offerens ministrabat.*

Brev. Rom. in S. Pudent. Biblioth. gest. Pii PP.

7 Cœmeterium quoque in eadem regione constitutum, quod communi vocabulo ad Ursum Pileatum dicebatur, Christiani frequenter adibant, & consuetas ibidem Synaxes peragebant, ut in sanctæ Bibianæ actis his verbis exponitur: *Ubi cum frequenter Ioannes & Pigmenius presbyteri venirent, nuntiatum est Iuliano, &c.* (ad sacra videlicet obeunda mysteria) *ubi postmodum ab Olympia matrona constructa est Ecclesia, ubi condita fuere SS. Dafrosæ, Demetriæ, & Bibianæ corpora.* Mysterium quippe omnium divinissimum, quod arcana, magisque recondita Christianæ fidei sacramenta continet, in abditis quibusque locis Christiani frequentare consueverant, ut secretiore ipsius loci sinu abditissimorum arcana mysteriorum venerantes, illud jugiter accedentibus inculcarent: *Vere Deus noster absconditus est.*

Cœmeterium ad Ursum Pileatum crebris Synaxibus peragendis clarum. *Acta S. Bib.*

Isaiæ c. 45.

8 Sed illud hic à nobis vel obiter mente repetendum videtur, quod antiquum hujus mysterii ritum inculcat: olim quippe Sacramentum Altaris haud gentiles dumtaxat, sed ipsos etiam Catechumenos velut quid omnino absconditum latebat: nam in fine Missæ, quæ Catechumenorum dicebatur, Diaconus alta voce clamabat, *Ite Missa est*, ut aperte insinuat Augustinus ser. 237. Cyprianus Concil. Carthagin. c. 84. & cap. Episcopus de consecrat. decis. 1. Ambrosius lib. 5. epist. 33. Clemens lib. 8. Constit. Apostol. c. 12. Cassian. lib. 2. de institut. Monach. cap. 15. Greg. lib. 2. Dial. cap. 2. His autem verbis Catechumeni, Energumeni, pœnitentes ab Ecclesia excludebantur, quibus Dominici corporis ac sanguinis consecrationi interesse haud fas erat, ac proinde hoc enuntiato verbo, *Ite missa est*; singuli protinus dimittebantur, ac si Diaconus diceret: Vobis jam licet foras abire, jam vos ab Altari dimittimus, ac proinde abite, est enim vestri dimissio. Certe Dionysius Areopagita antiquorum Ecclesiæ rituum assertor fidelissimus, Catechumenos, ubi sacra recondita Altaris mysteria inciperent, dimitti consuevisse pronuntiat: *propterea quod* (ut idem ait) *hic ordo nullum penitus sacrum mysterium didicit, neque ei fas est quidquam sive paucum, sive magnum eorum, quæ sancte perficiuntur, aspicere.* Quam caute vero sacrosancta Altaris mysteria Christiani haud omnibus propalanda abscondi satagerent, Cyrillus Hierosolymitanus in suis Catechesibus, illis verbis eleganter insinuat: *Haud palam apud Catechumenos de mysteriis verba facimus, sed multa sæpe loquimur occulte, ut fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non latentur.* Idem plane sacro nuper Baptismate initiatis Ambrosius illis verbis ingerit: *Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere: quam ante Baptismum, si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius, quam edidisse æstimaremur.* Extant alia id genus plurima apud veteres Patres tum Græcos, tum Latinos, quibus illud, ut Spondanus ait, frequentissimum in ore est, cum de divinissimo Eucharistiæ Sacramento agunt: *Norunt fideles quid dicitur: sciunt initiati quid dicatur.*

sacrosancta Altaris mysteria non gentiles modo sed & catechumenos Christiani olim celabant.

Azor. instit. Moral. l. 10. c. 8

Dion. Areop de Ecclesf. hierar. c. 7

Cyrill. Ierosf. Catechef. 6

Ambr. de init. c. 7

Henr. Spond l. de Cœmet. l. 1 c. 16. p. 3

9 Sacrosanctum autem Altaris mysterium gentilibus, qui res Christianorum penitus ignorabant, novum adeo atque arcanum extitit, ut vel ex hoc uno calumnias in eosdem instruendi occasionem nacti, & haud probe tantum mysterium assecuti, inde Christianos veluti infanticidii reos, & humanis vesci carnibus, dum una simul ad sacras coirent Synaxes, palam jactarent: quibus postmodum Justinus Martyr permotus, apologeticum pro Christiana religione librum conscribens, Antonino Pio Imperatori obtulit, in quo singulas Gentilium calumnias egregie confutavit, ut patet ex Baronio, qui in suis annalibus, ubi de Justino Martyre pro Christianis de divinissimo Altaris Sacramento, ad quod participandum simul conveniebant, perorante isthæc habet: *Insuper & sacrorum mysteriorum ritus, nempe Baptismi, & Eucharistiæ alioqui secretos, voluit illis esse perspicuos; ea nimirum ex causa, quod vehemens ore omnium dissipata esset in Christianos calumnia, eos in sacris necare solitos puerum, illiusque carnibus vesci, exstinctisque luminibus promiscue, turpiterque misceri: quæ enim* (*ut dictum est superius*) *agerentur à Gnosticis, qui & Christiano nomine censebantur, ea omnia Catholicis atque innocentissimæ vitæ Christianis crimini vertebantur potius, quam illis, quos instar Prothei ad lubitum mutare formas, idola colere, cæteraque quæ Gentilium essent, ritus agere, ac sic latitare sua ipsorum hæresis docuisset. Potuit & ea de humanarum carnium esu calumnia non tantum ex Gnosticorum facinoribus esse conflata, sed ex veritate mysterii male accepti perfacile comparata. Nimirum quod in confesso apud Catholicos omnes esset, se in sacris carnem Christi domini nostri Iesu, & sanguinem potu æque participare. Quomodocumque autem id acciderit, ad eluendam inolitam de Sacramento calumniam Iustinus, licet vetitum lege sit, Sanctum dare canibus, & ante porcos projicere margaritas, sacra suis scriptis Christianorum mysteria perspicue intuenda, atque cognoscenda proponit.* Hæc Baronius noster de abscondito Altaris mysterio, ad quod participandum intra Cœmeteriorum abdita Christiani confluere consueverant; quæ nos hic obiter pio & studioso lectori propinare voluimus.

Ethnici ex ignorantia SS. Eucharistiæ Christianos ut infanticidii reos traducunt.

Illos defendit ab ea calumnia Justinus martyr.

Bar. t. 2 an. 15. 24

Gnostici hæretici crimina, quæ Christianis affingebantur, perpetrabant.

10 Et quidem, ut cætera prosequamur, cum in Cœmeterio ad Clivum Cucumeris, quod via Salaria extat, SS. Abundius, & Abundantius, ut in eorumdem actis exhibetur, & viginti tres numero martyres coronati, ibidemque sepulti fuissent, Joannes presbyter, qui istos honorifice in eodem Cœmeterio tumulaverat, Missæ sacrificium obtulit. Hæc autem sunt verba: *Post sepulturam eis exhibitam cum gloria, illic celebravit divina mysteria.*

In Cœmeterio ad Clivum Cucumeris Joannes presb. post sepulturam 23 mart. impensam divinis operatur.

11 Cœmeterialia igitur cubicula sacris rite ministeriis destinata, aræ ipsæ supra martyrum sepulchra erectæ, frequentes ipsi Christianorum conventus, atque Synaxes invitant nos, ut de augustissimo Altaris mysterio hic vel obiter pauca Lectori propinemus. Christiani quippe eo devotionis studio ad sacra olim Cœmeteria, ac si ad Religionis Christianæ asyla confugiebant, cum graviora persecutionum tempora urgerent, ut sacro Viati-

Ingravescente gentilium ferocia Christiani ad Cœmeteria sacro viatico ac pane fortium corroborandi convolabant.

Viatico opportune præmunirentur, & ad prælia, quæ illis instabant, alacriores redderentur: est enim Sacramentum hoc *Panis fortium*, & fideles in aciem prodituri, *tritico confirmabantur*, ut sacræ passim Paginæ testantur. Mos quippe olim fuit, ut sub hæc potissimum tempora, Episcopi fidelium animis cælesti pabulo confirmandis solicite intenderent. Hinc S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus, cum dira Africanæ Ecclesiæ persecutionis procella ingrueret, spiritali divinorum Sacramentorum pabulo suos roborandos curavit; quod & alii Episcopi toto animi conatu præstitere, ut ex epistola ad Cornelium Papam scripta satis liquet, ubi lapsos quoque intra ovilis Dominici septa revocandos, & cælesti pane ad luctam præmuniendos esse caute decernitur: sed ejusdem hic epistolæ verba proferamus: *Nunc non morientibus, sed viventibus Communicatio danda est à nobis, ut, quos excitamus, & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione Sanguinis, & Corporis Christi muniamus; & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eisdem militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus? Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit. Placuit nobis Spiritu sancto suggerente, & Domino per visiones multas & manifestas admonente colligere intra castra milites Christi, immo pugnaturis arma suggerere.* Hæc Cyprianus, antiquissimum Ecclesiæ morem legentibus insinuans, quo fidelibus in certamen prodituris divinorum pabulo Sacramentorum arma suppeditabantur. Id vero in sacris potissimum Cœmeteriis, ad quæ Christiani jugiter persecutionum tempore confluebant, in Urbe Roma ab his, qui Ecclesiæ regimini præerant, solicite præstabatur.

S. Cyprian in Africanæ Ecclesiæ persecutione suos munimento Corporis Dominici armat.

S. Cypr. ad Cornel. PP. ep. 2.

Ineptus Christi miles, qui Eucharistia non armatur.

12 Quoniam vero tria præcipue Sacramenta sunt, ut diserte docet Suarez, quibus per se initiantur fideles ac sanctificantur, Baptismus videlicet, Confirmatio, & Eucharistia, quæ, ut ex antiqua Ecclesiæ consuetudine receptum, servatumque est, eo prorsus quo numerata sunt, ordine, à fidelibus olim suscipiebantur. Spiritualis enim regeneratio, quæ per Baptismum fit, absque ulla controversia Sacramenta reliqua antecedere debet: huic Confirmatio succedit, quæ hominem quasi in statu virili, perfectoque constituit, ut tandem capax Eucharistiæ reddatur, quæ cibus perfectorum est, ac spiritualem subinde vitam nutrit, atque confirmat. Quapropter in Sacramentis enumerandis ordinem hunc Concilia servarunt, Florentinum videlicet in Armenorum instructione, & Tridentinum sess. 7. usque ad 13. eundemque in descriptis hac super re quæstionibus ratum, inviolatumque habuere Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesibus, & præsertim in Mystagogicis: Ambrosius in libro, quem de Sacramentis inscripsit, ut ex libro 3. cap. 2. & libro de iis, qui initiantur mysteriis cap. 7. & 8. colligitur, & alii insuper, quos prolixe in suis scholasticis disputationibus refert Suarez, Sacramentum Altaris, tamquam omnium nobilissimum, & cui primatus deferendus sit, ultimo quidē loco recensuere.

Suarez in 3 p. q. 73. in Proœm. de Euchar.

Sacramenta tria fideles per se sanctificantia.

Baptismus.

Confirmatio.

Eucharistia perfectorum vitam spiritualem nutriens.

Conc. Flor. Conc Trid. sess. 7. & 13 Cyrill. Ieroj. in Catech. Amb. l. 3 de Sacr. c 2. & cap. 7. 8.

13 Verum enimvero cum Eucharistiæ Sacramentum, ut Dionysius ait, *consummatio & perfectio Sacramentorum omnium sit*: quoniam ut idem Suarez docet, *non solum signum est, & causa gratiæ hominibus conferendæ, sed ipsum etiam fontem, auctoremque gratiæ in se sub panis & vini speciebus latentem continet, ut ineffabili quodam modo nobiscum uniatur.* Et ut in præsens Cypriani ore loquamur: *In hoc Christus Sacramento usque ad societatem germanissimam nos sibi conjungit.* Nam *opus gratiæ*, ut eleganter Damascenus asserit, *quod per regenerationis lavacrum Deus in nobis inchoat, & per Confirmationis Sacramentum perficit, per seipsum conservat, fovet, nutrit, & usque ad ultimam perfectionem hoc admirabili cibo perducit.* Audis, quæ bona sumentibus divinus iste Panis conferat, & quam necessarius sit ad nutriendam, fovendamque jugiter spiritualem animæ vitam?

Dion. Ayeop. c. 3. Eccles. Hierarch.

Eucharistia consummatio ac perfectio Sacramentorum omnium.

Cypr. de Cœna Dom.

Damasc. l. 4. c. 14.

14 Cum in sacris igitur Cœmeteriis salutare regenerantis aquæ Sacramentum, ut jam vidimus ipsorum Pontificum manu accedentibus impenderetur, iisdem pariter ad certamina instruendis, obfirmandisque Confirmationis oleum, & divinæ Sacramentum Eucharistiæ impartiri moserat, ut ex jam recensitis martyrum actis luce clarius fit. Et quidem merito, cum Sacramentum Altaris reliquorum omnium Sacramentorum perfectio, ac complementum sit, à Sacrosancto Tridentino Concilio ejusdem dignitas aptis, condignisque verbis apprime commendatur, *Divinum* quippe, *ac mirabile, sacrosanctum, ac sanctissimum* illud appellando: qui plane loquendi modus solemnis est toti Ecclesiæ, & à singulis fere Patribus usu receptus. Ut enim præ cæteris Alexander Pont. ait: *In Sacramentis seu sacrificiis nihil est majus Corpore & Sanguine Domini.* Quamobrem antiqui jure quidem merito Christiani ipsas inter persecutiones hoc frequentius Sacramento ab Ecclesia præmuniebantur. Si quis enim ex Tridentino Concilio hujusce divinissimi pabuli instituendi rationem requirat, eam præcipuam exstitisse comperiet, quia nimirum *Sacramentum hoc institutum est à Christo Domino tanquam spiritualis animæ cibus, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me. Et antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Sacramentum hoc igitur nutrimentum vitæ ac munimentum pariter est. Arcet procul mortem, & confert propius immortalitatem. Quod & exemplo edocuit Christus Dominus, qui cum discessurus esset è mundo, & durum passionis certamen subiturus, istius exhibitione Sacramenti præludium fecit, ut suos quodammodo saluberrimi Panis pharmaco contra tentationum jacula, & adversus acriora certamina opportune præmuniret, & ut Sacramento, quod omnem religionis cultum meretur, reverentiam quam maximam conciliaret. *Sacramento quippe* (ut Cyprianus loquitur) *divina se infudit essentia, ut esset religioni circa Sacramenta devotio.* Porro ut hujus vim Sacramenti perspicue quis, ac veluti manu deprehendat, multiplicia quæso secum ipse recolat nomina, quibus hoc idem certatim à Patribus appellari meruit. Ignatius enim Antiochenus præ cæteris, qui coævus Apostolorum fuit, *Panem Dei* vocat, & alibi, *Panem cælestem* nuncupavit, optime utique hac loquendi formula verbis Joannis Evangelistæ consonans, dum ait: *Hic est Panis qui*

Eucharistia præ cæteris Sacramentis in Cœmeteriis frequentabatur.

Conc. Trid. sess. 13.

Alexandr. Papa ep. 1.

Conc. Trid. sess. 13.

Conc. Trid. sess. 13. can. 5. c. 2.

Cypr. de Cœna Dom.

Ignat. ep. 14 & 15.

Tertull. l. 2. ad uxor. *qui de cælo descendit.* A Tertulliano autem idem Sacramentum, *Convivium Dominicum* appellatum est: quippe qui cohærenter admodum illis Matthæi verbis locutus fuisse videtur, quibus sub regalis convivii parabola ineffabile mysterium adumbratur. Et Apostolo ipsi mirifice consentit, illud *Cœnam Dominicam* appellanti. *ad Cor. 11.*

15 Porro quoniam hic obiter de Dominicæ vocabulo Cœnæ sermo incurrit, ut optime Suarez, quem supra recensuimus, ait: *His temporibus hac super re quæstio orta est; nam hæritici hac dumtaxat voce uti volunt, imitantes, ut jactant, Paulum loco hactenus memorato: contra quos late disputat Claudius, & tria quidem contendit. Primum cum Paulus nominat Cœnam Dominicam, non agere de hoc Sacramento, sed de quodam genere prandii seu convivii, quod in primitiva Ecclesia fieri inter fideles ad refectionem pauperum solebat* (de quo & infra à nobis suo loco mentio agetur) *Fiebat enim ex communibus bonis, vel ad mutua ostentationem Charitatis, unde Agape vocabatur, ut colligitur ex Tertulliano, & dicebatur cœna, vel quia hoc nomine omne convivium vocari potest, vel quia hora potissimum noctis fiebat, ut Tertullianus indicat: Dominica autem dicebatur, quia mutua ex charitate fiebat, vel ad imitationem Domini. Quam expositionem aliquantulum immutatam ibi Cajetanus refert: dicit enim eo loco sermonem esse de prandio, vel cœna, quam singulis annis faciebant fideles in memoriam Cœnæ Dominicæ. Secundo asserit Claudius, antiquos Patres haud usos fuisse hac voce ad significandum hoc Sacramentum: quapropter tertio concludit, neque à nobis eandem usurpandam esse, quod nova sit, & ab hæreticis introducta.*

Suar. ubi sup. — Cœna Dominica, quæ sit? — *Claud. disp. 6. c. 1.* — Cœna Dominica eadem quæ Agape. *Tertull. Apol. c. 39.* — Antiqui patres per Cœnam Dominicam Eucharistiæ Sacramentum significabant.

16 Verum disertis verbis Suarez fatetur ab antiquis quoque Patribus sæpe ejuscemodi nomine Sacramentum hoc nuncupatum fuisse, ut ex Basilio in brevior. regulis constat, & Nazianzeno item qui oratione 42. *Cœnam Euangelicam* vocat, & Nicetas super Nazianzenum oratione 42. §. *& illi quidem*, vocat *Cœnam mysticam*. Augustinus verò libro 2 de sermone Domini in monte cap. 12. Sacramentale convivium, *cœnam Dominicam* appellat, quod epistola 118. repetit, & habetur in cap. liquido de consecrat. d. 2. serm. autem 33. de verb. Domini, hac plane ratione Lucæ parabolam exponit de homine, qui fecit cœnam magnam. Potuit autem Sacramentum hoc, ut egregie Suarez argumentatur, hoc potissimum nomine vocari, vel ab institutione, quia sub ipsum Cœnæ tempus institutum est, vel certe, ut dicebatur, quia idem est cœna & convivium, ut patet ex ipsomet Lucæ textu, & Apoc. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.*

Basil. in brev. reg. — *Naz. or. 42.* — *Aug. l. 2. de ser. Dom. c. 12.* — *c. Liquido de consf. dist. 2. ser. 33. de verb. Domin Luc. c. 14.* — *Apoc. 19.*

17 Quod igitur ad Pauli verba attinet, quamvis præcedens expositio probabilis sit, & Græcorum, & Chrysost. Oecumen. & Theophylacti ibi, & ejusdem Chrysostomi in homil. Oportet hæreses esse tom. 3. tamen citati hactenus Patres locum, quem protulimus, de Sacramento hoc intelligere videntur: & est expositio satis quidem textui consona, quam sequuntur D. Tho. Theodoret. D. Hieron. Anselmus, & Lyranus in Paulum. Sed quod ad hujus vocis usum pertinet, quamvis in illa per se nullum periculum sit, tamen hoc tempore, ut Suarez affirmat, quo hæretici eadem ad suos passim insinuandos errores abutuntur, ut scilicet neque jejuni, nec ritus Ecclesiasticos servando, divinissimum hoc Sacramentum conficiant, ideo vel hac abstinendum omnino; vel parce admodum, & prudenter utendum est, ut egregie ad instituti propositum Concilium Coloniense adnotavit tract. de Eucharistia, Petrus Soto lect. 1. & alii recentiores.

Per Cœnam Dominicam Paulum Eucharistiam intellexisse multi patres contendunt. — *Suar. t. 3. disp. 73 sect. 4. in ... p.* ab ea tamen voce nunc abstinendum, vel ea parcè utendum, & quare? — *Conc. Colon. tract. de Euchar. Petr. Sot. lect. 1.*

18 Antiquis autem temporibus Christianorum consuetudo obtinuit, ut idem plane esset, ad sacram Synaxim, ac ad Dominicum convenire. Quapropter multorum millium martyrum Nicomediensium passio celebratur, qui tum in Ecclesiam ipso natalitio Christi die ad sacrosancta Altaris mysteria de more convenissent, flammis absumpti, nobili martyrio coronati sunt: quorum memoria Romano in Martyrologio his plane verbis recolitur: *Nicomediæ passio multorum millium martyrum, qui cum in Christi natali ad Dominicum convenissent, Diocletianus januas Ecclesiæ claudi jussit.* In quæ verba satis eruditè Baronius noster in suis ad Martyrologium notis hæc habet: *Alio sensu convenire ad Dominicum, idem est, quod ad sacrificium mysticum, ad ipsas sacras Missas accedere, idemque celebrare Dominicum. Est de hoc ejusdem Cypriani exemplum eod. m libro de opere, & eleemosyna. Locuples, inquit, & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis? Et epistola ad Cæcilium: Numquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus?* Intelligens ipsum divinum Missæ sacrificium.

Ad Dominicum convenire idem est quod ad Synaxim. — *Rom. Mart. die 25. Dec. Bar. in not. ad Mart.* — Item Dominicum idem quod Missæ sacrificium. — *Cypr. ep. ad Cæcil.*

19 *Veterem ejusmodi loquendi morem satis docent acta Proconsularia sanctorum martyrum Saturnini, & sociorum, quæ extant apud Surium, ubi beati martyres judicio postulati, quod sacram synaxim contra Imperatorum præcepta egissent, sic eorum Proconsuli responderunt: Dominicum cum fratribus celebravi. Et iterum: Sine Dominico esse non possumus. Et inferius ex verbis Proconsulis sic interrogantis: Si in collecta fuisset? respondit: Quasi Christianus sine Dominico esse posit, aut Dominicum sine Christianis celebrari? An nescis Satana, in Dominico Christianum, & in Christiano Dominicum constitutum? Et post alia: Ego devota mente celebravi Dominicum, collectam cum fratribus feci, quia Christianus sum.* Hæc ibi Felix martyr. Saturninus autem cum rogaretur ab eodem Proconsule his verbis: *Tu Saturnine interfuisti? respondit Saturninus: Christianus sum. Ait ille: Non à te quæro hoc, sed utrum egeris Dominicum? Cui respondit Saturninus: Egi Dominicum, quia Salvator est Christus, &c. Hac quidem cum ad prædictam vocem declarandam, tum etiam, ut innotesceret quo ardore fidei, etiam tempore persecutionis, Christiani ad divinum sacrificium convenirent, ut est egregium exemplum prædictorum martyrum, simulque horum, de quibus hac die agitur.* hæc Baronius. Ex quibus juge, ac constans Christianorum studium ad Synaxes inter ipsas persecutionum procellas, intra Cœmeteriales cavernas conveniendi, divinaque sacramentorum mysteria participandi probe lector vides, & imperterritos athletarum Christi animos deprehendis, qui vitæ pabulo refecti, una cum hoste, ac morte ipsa palam congredi nullatenus detrectabant.

In actis Proconsularibus Dominicum pro sacra Synaxi sæpe legitur. — *Sur. t. 1. die 11. Febr.* — Quo fidei ardore ad sacrificium Missæ fideles olim convenirent?

20 Et certe hoc nostro sæculo (ut antiquis nova inseramus) recentium Christianorum Japonensium erga divinissimum altaris Sacramentum fervor inter ipsa martyrii præludia mirifice enituit, ut enim epistolæ paginæ fidem faciunt, quibus excitata superioribus annis adversus fideles persecutio narratur: *Dum plures simul anno 1628. pro Christiana fide in Iaponia mortem oppeterent, fuit qui proferret sacrum numisma, cui insculpta erat. Ven. Sacramenti figura,*

Martyrum nonnullorum in Japonia fervor erga SS. Sacramentum. — *Ex ep. ann. Japoniorum Soc. Iesu an. 1628. 1629. 1630. & narratione*

ejusdem persecutionis. Ex libell. cujusdam ex ead. Societ.

figura, idque præberet singulis osculandum, juberetque ter eos pronunciare: Laudetur sanctissimum Sacramentum: quo præstito, ex recolendi Sacramenti memoria ingentem singuli spiritus alacritatem sumentes, constantes ac imperterriti in certamen prosiliunt libenterque pro Christo sanguinem profundunt, qui *divitias sui erga nos amoris in Altaris Sacramento profudit*, ut Concilii Trident. verbis utamur.

Omnipotentia Dei divinam in Sacramento præsentiam adesse fidelibus persuadet.

21 Sed quispiam fortasse dicet, cum de altissimo altaris Sacramento, de antiquo item cultu, ac frequenti ejusdem usu agatur, quibusnam argumentis divinæ in Sacramento præsentiæ veritas comprobatur? Et quidem, ut à nobis quæsito fiat satis, amice lector, si candidus, si pius, si veritati addictus es, divina Christi ipsius omnipotentia sufficiens tibi ad credendum pro argumentis omnibus argumentum est. Justinus quippe in sua Apologia asserit: *Ea omnipotentia, qua Verbum factum est caro, fieri Eucharistiam carnem Verbi.* Hinc omnes orthodoxæ fidei Patres jugi constantique sermone, haud in hoc Sacramento corporeis sensibus, sed Christi verbis credendum, ac innitendum esse pronuntiant, & cum hunc articulum fidei veluti præ cæteris creditu difficillimum proponunt, Christi subinde auctoritatem, atque omnipotentiam, tanquam tutum fidei præambulum, exaggerant, & magnum fidei conatum ab accedentibus ad istud Sacramentum, dum credendum ajunt, non discutiendum esse, requirunt, ut diserte scriptores orthodoxi loquuntur, inprimis autem Hilarius, dum ait: *De veritate corporis, & sanguinis Domini non est relictus ambigendi locus.* Cyrillus item: *Cum Christus dicat: Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?* Idem Damascenus, & Augustinus asserunt sermone 2. de verb. Apostoli; & lib. 3. de Trinit. cap. 10. Chrysostomus item in Matthæum, & Homil. ad pop. & S. Ephrem libro de non scrutanda Dei natura cap. 5. ubi hæc ait: *Noli scrutari inscrutabilia; nam si ista curiose rimaris, non tam fidelis vocaberis sed curiosus. Esto fidelis, & innocens, & particeps immaculato corpore Domini fide plenissima certus, quod Agnum ipsum integrum comedis.* Qui sane loquendi modus iis potissimum verbis mirifice congruit, quibus Beatissimus Christi Apostolus Andreas respondit, ut in ejus gestis ab Ecclesia receptis, cum à tyranno ad sacrificandum idolis instantius compelleretur: *Ego*, inquit, *quotidie sacrifico Deo agnum immaculatum; & cum carnes illius agni à populo vere fuerint manducatæ, agnus integer perseverat.* Infra autem iisdem in actis præmemoratus Apostolus mysterium hoc non nisi fide acquiri posse affirmavit. Nec interim hic silentio obvolvenda sunt Martialis Apostolorum discipuli verba, qui epistola, quam ad Burdegalenses scripsit, de vivifici panis Sacramento locutus, eamdem rem, quæ in cruce oblata est, in hoc sacrificio offerri demonstrat.

Iustinus mart. in Apolog.

Hilar. lib. 8. de Trinit. Cyrill. Hier. Catech. 4 mystagog. Damascen. Aug. ser. 2. de verb. Aposs. Chrys. hom. 51. 53. in Matth. & 60. ad pop. S. Ephr.

S. Andreæ Apost. tyranno de S. Missæ sacrificio responsum.

Mart. ep. 2. ad Burdeg. c. 3.

22 Ad comprobandam autem divinissimi Sacramenti veritatem illud facit, quod licet sub ipsa nascentis Ecclesiæ primordia mysterium hoc infidelibus occultaretur, cum tamen frequentissimus inter Christianos esset ejusdem usus, haud omnino potuit vel ipsos adversarios, qui sanæ fidei dogmatibus jugiter insultabant, latere: quapropter illud gentiles perperam de nostris arbitrati sunt, quod nimirum ad humanas carnes deglutiendas, & ad infantem impie mactandum, devorandumque coirent. Hinc merito Tertullianus in suo Apologetico adversus gentiles illis verbis expostulare non destitit: *Dicimur*, inquit, *sceleratissimi de sacramento infanticidii, & pabulo crudæ.* Ejusdem insuper calumniæ, cujus Christiani passim homines insimulabantur, meminere præ cæteris Eusebius in historia; Justinus Apol. 2. ad Antonium in fine, ubi, ut Christianæ fidei sectatores ab hac nota vindicaret, nudis, apertisque verbis profundam altissimi hujus mysterii veritatem gentilibus propalavit. Huc item spectare videtur, quod Averroës ille Mahometanus, ut Prateolus refert, inde nos impios, ac sacrilegos appellabat, quod videlicet Christum Deum, ac Servatorem nostrum ipsis atterere dentibus, ac manducare diceremur. Hæc quippe erat communis totius Ecclesiæ vox, ut Suarez Theologorum doctissimus asserit, quin immo id antiquorum consuetudo Patrum pro lege obtinuerat, qui propter insanam infidelium temeritatem, haud palam, sed obscure admodum, ac ænigmatice de ineffabili hoc mysterio loqui consueverant, ne sanctum videlicet (ut Scriptura monet) prodere canibus & ante porcos margaritas projicere viderentur.

Eucharistiam infanticidium gentiles esse credebant.

Tertull. Apol. c. 7.

Euseb. l. 4. c. 8. & lib. 5. c. 1.

Prat. verb. Mah. n. 16.

Antiqui Patres ænigmatice de SS Sacramento loquuntur & quare?

23 Adde, quod cum Missæ incruentum sacrificium perageretur, catechumeni usque ad sacram oblationem adesse permittebantur, ubi verò ad salutaris hostiæ consecrationem deventum erat, protinus exire diaconi voce compellebantur, eos quippe, veluti minus ad tantæ notitiam rei aptos, mysterium hoc latere omnino volebant, ut ex singulis Ecclesiasticis liturgiis compertum fit. Ecclesia quippe eos, qui Baptismo adhuc initiati non essent, ad mysterium hoc oculis prælibandum haud satis idoneos, ac dignos severiore judicio esse censebat, ut ad rem nostram egregie Angelicus doctor ex Dionysio Areopagita cap. 7. de Eccles. Hierarch. par. 3. adnotavit. Hinc Augustinus tract. 10. in Joan. illis usus est verbis: *Corpus Christi est manna absconditum à catechumenis, quia Iesus adhuc non se credit illis.* Et pari sententiarum pondere ipsemet venerabilis Beda patenti utique miraculo Tarsicii, cujus jam supra meminimus, fidem à Deo comprobatam fuisse scribit: *Qui ne infidelibus Eucharistiam velut quid arcanum omnino revelaret, mortem potius oppetiit: ita enim divinum Sacramentum postea disparuit, ut nec inveniri, nec videri ab eisdem potuerit.* Quo autem venerationis cultu Sacramentum hoc rite pertractandum sit, cum ipsummet Domini corpus præsens in eodem mysterio exhibeatur, Patres omnes tam Græci, quam Latini una voce testantur, qui congruis insuper ac condignis ad id inculcandum verbis utuntur. Et sane antiquus præ cæteris Dionysius Areopagita lib. de Ecclesiastica Hierarchia ait, *Per typicæ mensæ apparatum Christum deifica mysteria tradere.* Chrysostomus quoque libro. 3. de Sacerdotio, *Sacramentum Altaris horrendum utique mysterium appellat.* His alii quoque consonant; Cyprianus enim *Inconsumptibilem cibum:* Martialis *Panem vivum:* Origenes *Sanctum & incorruptum cibum nuncupat:* Concilium item Chalcedon. act. 3. in damnat. Dioscori, gravia in hæreticum hominem verborum jacula intorquens, eumdem à sacro Altari repellendum, & privandum esse *Communione terribilis mysterii pronunciat.* En tibi, ò lector, quibus potissimum verbis augustissimi Sacramenti dignitas, etsi adæquate pro merito, ut par est, non exprimatur, leviter saltem ex parte adumbratur & condigne à sanctis Patribus recolitur.

Ad Hostiæ consecrationem catechumeni olim dimittebantur.

D. Thom. in 3. p. q. 80. art. 4. ad 4. Aug. tract. 10. in Ioan.

SS Sacramenti dignitas quot vocabulis à SS. Patribus expressa.

S. Dionys. Areop. de Eccl. Hist. c. 3. Chrys. l. 3. de Sacerd.

Cyprianus, Origen. Conc. Chalcedon.

24 Quis

24 Quis verò nesciat, quoniam & cum perperam de Altaris mysterio sentientibus sermo nobis est, patentissimis utique signis, quæ ipsa luce clariora sunt, veram ac realem Christi Domini in Sacramento Eucharistiæ præsentiam satis, superque comprobatam fuisse, quæ si probe nosse quis cupit, Guitmund. lib. 3. de hoc Sacramento prope finem, Paschasium item libro de corpore, & sanguine Domini, isthæc enarrantem consulat. Certe Ambrosius & Nazianzenus mira supernorum munera beneficiorum suis inserendo paginis describunt, quæ ob peculiarem Sacramenti hujus fidem devotione imbutam à Deo fidelibus impertita sunt. Prosper in dimid. temp. cap. 6. puellam quamdam à dæmonis tyrannide liberatam fuisse refert. Beatus Gregorius Papa sanctum Benedictum defuncti cujusdam corpori Domini Corpus applicuisse narrat, & cum idem antea cadaver semel atque iterum è sepulchro, in quo jacebat, rejectum prosiliisset, id sacrum post contactum haud ultra contigisse affirmat. Idem insuper Gregorius à sancto Agapito Eucharistiæ Sacramento cuidam viro imperito, eidem protinus Sacramenti virtute loquendi facultatem restitutam fuisse testatur. Joannes item Diaconus in Beati ejusdem Gregorii gestis, Eucharistiam in cujusdam ore, qui de illius veritate, vel dum acciperet, ambigebat, repente in lapidem immutatam esse describit. Quod & mulieri Macedoniana hæresi labefactatæ obtigisse, cum ad Sacramentum hoc male sibi conscia, & debito tam fidei, quam reverentiæ cultu minus affecta accederet, Nicephorus, & Sozomenus enarrant.

25 Huc item, ut singula breviter perstringamus, multiplicium visionum, atque apparitionum historiæ spectare videntur, quæ de hoc divinissimo Sacramento litteris consignatæ probatos passim apud scriptores leguntur, in quibus Christus Dominus ad Sacramenti veritatem obtestandam sub aliqua visibili specie videndum se quandoque exhibuisse dicitur; alterutra nimirum, ut Algerus inquit, ex causa, vel ad confirmandos in fidei vigore ipsos infirmorum animos, & protervorum ab Altaris accessu, & Sacramenti injuria divinitus absterrendos; ut in vita sancti Malachiæ Bernardus, & in gestis beati Gregorii Papæ Joannes Diaconus prolatis in medium exemplis affirmant: vel ut vivificum hoc Sacramentum impenso animi studio amantes, eodemque, dum Sacramenti virtutem recolunt, perfrui cupientes, mirifice interdum reficeret, ut Paschasius libro de corpore, & sanguine Domini disertis verbis asseverat.

26 Nullus igitur relictus est, tot post signa, post visiones, post argumenta, post sacrorum Conciliorum oracula, ac patrum orthodoxorum sententias ambigendi locus. Firma igitur fide teneat quisquis ille est, qui hæc nostra perlegit, neque ullatenus de veritate ambigat: litigent utique, atque ambigant una cum pervicacibus Judæis male ac perperam de hoc Sacramento sentientes; de his quippe in Euangelio dicitur: *Et litigabant Iudæi ad invicem, dicentes, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* *Hæc enim Capharnaitarum*, ut Cyrillus ait: *verba infidelium sunt, divinæ omnipotentiæ detrahentium. At ubi fides aspirat, lis omnis extemplo dirimitur.* Præmittat quis ipsius Christi hoc Sacramentum instituentis, perficientisque omnipotentiam, & nullam credentium fides perplexitatem incurrit, ut egregie Ugo de S. Victore ad rem nostram edisserit: *Cogita facientem*, inquit, *quia omnipotens est, & non est mirabile.*

27 Quid enim quæso est, ad quod Dei omnipotentia non pertingat, *dixit*, inquit Psalmista, *& facta sunt, mandavit, & creata sunt.* Ita plane, ipse dixit: *Hoc est corpus meum*, & *factum est*, inquit Ambr. Si mirum igitur id tibi, ò Lector, & quod fidem humanam rei magnitudine excedat, si novum, inquam, si inauditum videatur, claude oculos, quibus Sacramentum hoc dijudicare non licet, mentem erige, fidem exere, & divinam contemplare Sacramentum hoc perficientis omnipotentiam, statim quippe aurea illa laudatissimi Doctoris verba proferes: *Demus Deum aliquid facere posse, quod nos investigare non posse fateamur.* Haud enim æquare potest mens hominis opus Dei. *Sacramenti hujus tota ratio facta est, potentia facientis*, inquit Aug. Quod si Diabolus ipsius Dei Filii omnipotentiæ, eum ad mira, ad nova, ad stupenda signa provocando, honorem detulit; ejusdemne Christi omnipotentiæ contumeliosus homo existet, de hujus Sacramenti fide ambigendo? Absit.

28 Quo plane argumento, ut quid ad rei propositum, & Lectori haud injucundum hic in medium proferamus, ingeniose quidem usus aliquando fuit Petrus Consolinus nostræ Congregationis Oratorii Presbyter, S. Philippi discipulus apprime charus, & vir eximiæ eruditionis pariter, ac probitatis, qui non multis abhinc annis, plenus meritis, & magnæ sanctitatis opinione, rerum omnium, & sui despicientia conspicuus decessit. Hic cum de Altaris Sacramento sermonem quondam instituisset cum Illustrissima fœmina Lavinia de Ruere, quæ præter generis splendorem, ingenii perspicacitate, ac singulari scientiarum eruditione præstabat, & quovis disciplinarum genere adeo exculta erat, ut ex Aristotelis fonte validiora comparans argumenta, ubi philosophicis quempiam virum in Urbe disciplinis præstantem, fama nuntiante, adesse comperisset, eum protinus in disputationem evocaret, & cum eo palam argumentis agere cuperet, ut disputando, virum fœmina aut vinceret aut vinceretur ab eo. Refugiebant autem doctiores viri, qui mulieris acumen probe noverant, ejusque in differendo vim experti, cum eadem in certamen venire. Cum hac igitur, ne videlicet de viris hæc una mulier in litterario certamine palmam referret, Consolinus noster vel obiter sermonem inierat, & multæ interim in medium ab eadem quæstiones propositæ fuerant, plura insuper intentata argumenta, argumentandi nimirum, vel potius interrogandi gratia; accidit autem ut nonnulla mulier de Sacramenti hujus veritate tamquam de re omnium creditu difficillima subinferret. Cui Consolinus, ut qui præfervida in augustissimum istud, ac deificum Sacramentum pietate ferebatur, illibatæ Sacramenti ejusdem veritati, & mulieris instructioni probe consulens; & quid istud, inquit, tam difficile creditu, ubi Dei admirabile hoc Sacramentum perficientis omnipotentia aspirat? Ipsummet ego hac super re Diabolum nunc testem appello, ipsum rei judicem volo. Et quorsum tu (subdit mulier) Diabolum pro Sacramenti veritate obfirmanda testem asseris? Immo, inquit ille, eum testem appello, & veritati huic subscribentem profero. Sed quorsum? illa respondit. Cui Consolinus: Nonne Diabolus cum ad experimentum de Christi divinitate captandum in deserto, ad eum accessisset, lapides in hæc verba eidem

Innumeris ac manifestissimis signis Christi in Sacramento præsentia divinitus confirmata est. Guitmund. l. 3. de Sacram. Paschas. lib. de corp. & sang. Dom. c. 74. Prosper in dimid. temp. c. 6. Greg. 2. dial. cap. 28. Idem Greg. l. 3. dialog. c. 3. Jo. Diacon. in gestis S. Greg. Pap. Niceph. l. 13 hist. c. 7. Sozom. l. 8. c. 5. Idem frequentia è cælo visa comprobatur. Alger. l. 1. c. 3. de Sacram. Jo. Dia. in vit. S Greg. l. 2. c. 41. Paschas. l. de corp. & sang. Dom. c. 14. Veritatem SS. Sacramenti necessitate nusquam ... realiter ho... credere compelli...r. Cyrill. l. 4. in Jo. c. 4. Ugo de S. Victor. l. 2. de Sacram. p. 8. c. 9.

Panis fit caro per Verbum, per quod omnia facta sunt. Psal. 148. Ambr. l. 4. de sacram. c. 4. Aug. de verb. Domin. in Io. ser. 29. Diabolus Dei Filii omnipotentiæ honorem detulit. Petrus Consolinus S. Philippi Nerii discipulus. Lavina de Ruere ingenio ac eruditione clara. Consolini cum Lavina de SS. Sacramento disertatio. Diabolus à Consolino pro veritate ejusdem Sacramenti testis appellatur.

Matt. c. 4.

eidem obtulit: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant?* Ita plane, respondit mulier; sed quid inde? Noverat plane Diabolus (Consolinus intulit) noverat, inquam, quod si Christus, Dei Filius extitisset, unico divinitatis verbo in panem lapides ab eodem commutari, ac transubstantiari potuissent. Qui ergo uti Deus lapides in panis substantiam commutare potuit, non potuisse dicendus erit ipsius panis substantiam in suimet corporis substantiam divinitus transformare? si hoc fatetur Diabolus, ut quid homo ambigat? nullo modo. Credamus igitur, & cum Aug. totum facientis omnipotentiæ adscribatur. Vix hæc vir iste sapiens, ac divinis virtutibus clarus protulerat, cum mulier, cujus ingenium eruditissimis quibusque viris admirationi pariter erat, atque horrori, conticuit. Hæc nos in rem præsentem vel obiter afferre voluimus, ut fidei dumtaxat, haud rationibus, haud argumentis, deferendum esse quisque intelligat. Porro illustris hæc prosapiæ, clarique ingenii mulier sub S. Philippi Nerii parentis nostri disciplina, cui se totam regendam dederat, eo Christianæ humilitatis, devotionis, innocentiæ, ac simplicitatis devenit, ut omni prorsus mentis fastu deposito, puerorum instar se ab eodem regi pateretur, & demum bonis operibus, & virtutibus laudabiliter exculta, jam ætate gravis decessit.

Aug. ep. ad Volus.

Mulier S. Philippo se subjicit.

29 Vir autem hic, cujus nuper mentio incidit, præclaris virtutum meritis singulariter ornatus, & à viris tum doctrina, tum sanctitate conspicuis summopere dilectus, viris principibus, & ipsi Innocentio X. Pont. Opt. Max. apprime charus, Romæ anno millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, bonis operibus, & Christiana præsertim humilitate clarus decessit, & in Ecclesia B. Mariæ, & S. Gregorii in Vallicella de Urbe in nostræ Congregationis tumulo depositus, hoc nobili titulo auctus est, quem Lectori subjicimus.

Titulus sepulchralis tumulo Petri Consolini inscriptus.

PETRUS CONSOLINUS
A MONTE LEONE FIRMANÆ DIOECESIS
CONGR. ORATORII SACERDOS,
S. PHILIPPI DISCIPULUS,
AB EODEM ULTRO LIBENTERQUE
IN CONGREGATIONEM ACCITUS, EIDEM
APPRIME CHARUS, COMES INDIVIDUUS,
OCULATUS MIRACULORUM TESTIS,
SUB EJUSDEM DISCIPLINA
QUINQUENNIUM EXEGIT.
HIC VITÆ INNOCENTIA,
MORUM SUAVITATE, PATIENTIA,
HUMILITATE, OBEDIENTIA,
ET CHARITATE PRÆFULSIT.
MIRUS IN CONSOLANDO,
INSTITUTORUM CONGREGATIONIS
ÆMULATOR OBSERVANTISSIMUS.
QUÆ DE SANCTI PARENTIS ORE,
AC PECTORE HAUSERAT,
AD ULTIMUM USQUE VITÆ SPIRITUM
OPERE AC VERBO EXHIBUIT
DEMUM ANNUM ÆTATIS AGENS.
SEPTUAGESIMUM CIRCITER OCTAVUM,
CUM DUOS, ET QUINQUAGINTA,
OMNIUM VIRTUTUM EXEMPLO,
IN CONGREGATIONE VIXISSET,
AMOREM SUI ADMIRATIONEM PARITER,
ET DESIDERIUM CUNCTIS RELINQUENS.
ANNO SAL. M.D.C.XLIII.
PRIDIE KAL. FEBR.
OBDORMIVIT IN DOMINO.

Et hæc in viri hujus laudem, vel obiter meminisse sufficiat, sed jam ad nostra redeamus.

Constans de reali Christi in Sacramento præsentia fides in Ecclesia semper viguit.

30 Verum, si quis veritati adhuc temere obluctatur, nec divinæ fidei sponte, absque ulla rationum trutina manus præbet, cogitet, quod doctrina hæc de vera & reali ipsius Christi in altaris Sacramento præsentia, perpetuo in Ecclesia viguit & mordicus retenta est, nec certum aliquod tempus designari potest, quo post Christi & Apostolorum tempora hæc primum incœperit: omnes enim antiquissimi Patres eam docent, fideles singuli eam amplectuntur, omnes Catholici scriptores hanc profitentur, atque inculcant, & doctrinam huic orthodoxæ contrariam, statim atque in orbe pullulare cœpit, conscriptis ultro pro fide apologiis, uti Catholicæ veritati repugnantem adnotarunt pariter & oppugnarunt: quod signum utique satis evidens est ad novam probe discernendam insurgentem hæresim adversus illibata Catholicæ veritatis dogmata: hæreticorum enim doctrina semper novitatem ingerit ac præ se fert, ejusdemque initium facile subnotari, ac veluti digito demonstrari potest: quapropter statim atque exoritur, & caput exerit, novitate sua Catholicorum aures offendit, & merito ab eisdem confutatur: Catholicorum verò dogmatum bene sibi constans doctrina, suam jugiter stabilem, illibatamque antiquitatem una cum auctoritate retinens, absque ulla Catholicorum hominum contradictione suscipitur, ut tradunt Irenæus lib. 3. contr. hæres. cap. 3. Tertullian. de præscript. hæreticor. & lib. 1. contra Marchionem. Epiphan. in Anarepha, & Vinc. Lirin. in lib. quem scripsit contra profanas novitates. Cum sana igitur fidei doctrina perpetuo inconcussa perstiterit, contrarius tamen error quicunque irrepsit, ubi primum pullulare cœpit, à Patribus acriter impugnari non destitit. Ut autem præcipuos hujus orthodoxæ veritatis impugnatores recenseamus.

Irenæus l. 3. contr. hær. c. 3. Tertull. de præscrip. hær. l. contr. Marc.

Omnes SS. Patres antiquam de vera Domini in Eucharistia præsentia doctrinam contra Novatores tuentur.

31 De Nestorio in primis constat ex Cyrillo & Concilio Ephesino. De Iconomachis ex septima Synodo, & aliis Conciliis, & Damasceno, qui tempore Iconomachorum scripsit lib. 4. de fide cap. 14. & Theophylacto, & aliis. Et quidem unanimis Ecclesiæ sensus sat ex ipsa Conciliorum auctoritate comprobatur, à quibus Sacramentum hoc haud alio titulo, quam Corpus Christi libera passim voce appellatur: ut in Concilio Niceno Can. 14. alias 28. Et primo quidem id expresse in Concilio Alexandrino asseritur, & à Cyrillo in Epist. ad Nestorium, quæ recitatur, & in Conc. Ephes. approbatur tom. 1. cap. 14. secundo à septima Synodo tom. 3. in fin. impia Iconomachorum sententia rejicitur, ac tenebris damnatur, qui Eucharistiam nudam dumtaxat Christi imaginem, seu figuram esse dicebant: quam assertionem veluti summopere detestandam, extremam supinamque perfidorum horum vesaniam præmemorata Synodus Oecumenica pronuntians, Apostolici traditioni, Patrum omnium doctrinæ, veritati ac proprietati ipsorummet Christi verborum omnimodo dissonam ac repugnantem valide refutat. Quinimmo Concilium Vercellense (quod Romanum alii appellant) Leone Papa Nono eidem præsidente, Berengarii & Joannis Scoti sententiam, necnon eorumdem scripta pari animadversionis sententia damnat. Idem fere à Turonensi Concilio sub Victore Secundo præstitum est. Idem à Rhemensi Concilio sub Nicolao Secundo adversus eandem hæresim congregatum, in quo suam Berengarius hæresim convictus, ac facti pœnitens detestari compulsus est, ut in 2. tom. Concil. habetur. Idem plane in Romano Concilio, quod sub Gregorio Septimo celebrari contigit adversus eundem Berengarium

Conc. Nicen. can. 14.

Cyrill. epist. ad Nestor. Conc. Ephes. t. 1. c. 14.

Et universa œcumenica, Concilia eandem veritatem definiverunt.

rium definitum est, qui iterum ab errore, quem semel imbiberat, resipiscens, fidei suæ confessionem edidit, in qua deinde ad vitæ usque exitum bene sibi constans perseveravit. Concilium Constantiense eumdem in Joanne Hus, & Joanne Wiclef errorem sub Martino V. damnavit. Idem præterea præstitere Concilium Lateranense sub Innocentio Tertio: Concilium Viennense sub Clemente Quinto: Concilium Florentinum sub Eugenio: & demum expresse magis Concilium Tridentinum veritatem hanc peculiari edito canone obfirmavit: sanciens nimirum, in Deifico Altaris Sacramento *ipsummet Christum vere, realiter, ac personaliter*, quod hæretici mordicus impugnant, esse, atque existere. His demum Concilia provincialia, nec non recolenda Pontificum decreta accedunt, quæ de Consecr. d. 2. & in decretal. rit. de custodienda Eucharist. & tit. de celebrat. Missar. recensentur, ubi insigne extat *can. Cum Marthæ*. Ad instituti insuper propositum facit generalis illa regula, quæ in cap. ad abolendam de hæreticis traditur, ubi explicitis, conceptisque verbis sub anathematis sententia damnantur, qui de augustissimo Dominici corporis, & sanguinis Sacramento, præter id quod Catholica docet Ecclesia, affirmant, aut sentiunt.

Conc. Later. *Conc. Vien.* *Conc. Flor.* *Conc. Trid. sess. 13.* *Suar. to. 2. q. 75. art. 5. disp. 46. sec. 1.* *C. ad abolendam de hæret.*

32 Sed quorsum dicet quispiam fortasse, tam longe à cœmeterialium rerum semitis, atque ab instituti nostri proposito aberravimus? Verum candidus lector, ac sincerus veritatis amator, qui sacræ inhiat antiquitati, ignoscat quæso, & hic parumper substitisse haud pigeat: locus quippe valde ad rem opportunus se nobis obtulit, de Eucharistiæ videlicet Sacramento hic potissimum enarrata hactenus inserendi, ubi cœmeterialibus in cubiculis (ut paulo ante vidimus) ad sacram Synaxim antiquis fidelibus conveniendi solemnis mos extitit.

Opportunus hic de SS. Eucharistia agendi locus sese obtulit.

33 Hic demum, quisquis es, paululum subsiste, & mente, si libet, altius contemplare novissima, ne funestissima dicam illa tempora, quibus sub ipsius mundi senescentis occasum tenebrarum Princeps, & Antichristus validissime in prælio contra Dei Arcam, id est Ecclesiam, & adversus Christianorum phalanges classicum canens insurgent; ut enim Joannes ait: *Datum est illi bellum facere cum sanctis.* Et alibi: *Solvetur Satanas de carcere suo.* Quoniam vero maxima quæque ex divino Eucharistiæ Sacramento fidelibus bona jugiter, ac opportuna munimentorum cælestium subsidia provenire intelligit, saluberrimum ejusdem mysterii usum de medio tollere apprime conabitur. Ut enim ipsemet palam Daniel prædixit: *Robur datum est ei contra juge sacrificium propter peccata.* Antichristus quippe illud præ cæteris acerrime impugnabit. Quapropter jure quidem merito, qui divinissimo huic Sacramento, cui maximus honor debetur, impio, impudentique ore detrahunt, Antichristi se præcursores existere haud dubitent. *Aspiciebam* quippe, inquit Daniel, *& ecce cornu illud*, id est Antichristus, *faciebat bellum adversus sanctos, &c. Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est, & ab eo tulit juge sacrificium, & dejecit locum sanctificationis.* Sacrosancta scilicet templa subintellige, in quibus jugiter ab ortu solis usque ad occasum oblatio munda offertur, ritusque omnes, ac recolendas Christianæ Reipublicæ cæremonias; *juge quoque*, (ut ad rem nostram locum hunc sacri scriptores dilucidant) *augustissimæ Eucharistiæ Sacramentum auferet.* Verumtamen is, ac tantus erit Christianorum, qui novissimis temporibus in aciem prodituri sunt, fervor, ut haud unquam ab immaculato Altaris Sacrificio sub ipsummet mortis conspectum divellantur, atque desistant: verum in cœmeteria, abditosque locorum subterraneorum recessus ad præmuniendum se alacri animo confugientes recipient, ubi clam Sacerdotes Deo altissimo de more sacrificium Altaris offerent, fideles pascent, & cælestis viatico pabuli pro fide viriliter præliaturos præmunient. Et ecce jam, ô Lector, sub extremam hujus primi libri periodum ad sacra iterum cœmeteria, è quibus digressi ante fueramus, opportune, licet sero, propositi memores, cum Christianis, qui ipsismet novissimis senescentis jam, & deficientis mundi temporibus adfuturi sunt, revertimur: *ad locum* quippe, *unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Et jam primum subterraneæ hujus Romæ librum, Deo favente, absolvimus. Interim vero antequam ad exactam, plenamque eorumdem cœmeteriorum descriptionem deveniamus, singula speciatim, quæ in itineris progressu occurrent, in studiosi lectoris gratiam exponendo, nonnulla hic, quæ ad profanarum rerum notitiam pertinent, & quæ ad sacra Urbis Romæ loca assequenda Lectorem quasi manuducunt, hic nobis præmittenda videntur.

Antichristus acerrimus SS. Sacramenti impugnator futurus. *Apoc. 20.* *Dan. c. 8.* *Dan. c. 8.* Christiani novissimis diebus ad sacra obeunda in Cœmeteria concessuri sunt. *Sebastian. Barrad. in Concord. Evang. t. 3. l. 9. c. 6.* *Eccles. c. 1.*

ROMA SUBTERRANEA

SIVE

DE SACRIS ROMÆ COEMETERIIS

LIBER SECUNDUS.

Quoniam nobis singula Subterraneæ Romæ Cœmeteria investigaturis, quam multa & præclara quidem Romanæ antiquitatis monimenta huc illuc vagantibus sese offerunt, quæ & profanarum rerum peritiam exigunt, & sacrarum quoque notitiam studiosorum animis mirifice conciliant, operæ pretium duximus in ipsomet enarrationis vestibulo aliquantisper subsistere, dum antiquæ Urbis faciem lectori ob oculos perstrictim ponimus, & isthæc pauca interim prælibamus. Et quidem tot ubique dispersa Romanæ antiquitatis monimenta, quæ sacras inter memorias conspicienda passim ac contemplanda occurrunt, veteris Romæ gloriam, rem altius exploranti adumbrare videntur; quæ silentio præterire haud nostri instituti ratio patitur, à quo ne alienum quis dixerit, si, ut omnimodam rerum notitiam lectori propinemus, sacris interim profana misceamus.

CAPUT I.

Ex antiquis Urbis Romæ monimentis Sacra Cœmeteria, & martyriorum loca innotescunt.

Ut autem à præcipuis antiquæ Romæ monimentis, quibus ea quondam illustrabatur, & quorum adhuc vestigia ipsa inter rudera conspiciuntur, initium dicendi auspicemur: & deinde ad perscrutandum Subterraneæ Romæ ambitum longe lateque patentem, & tot Cœmeteriis distinctum circumscriptumque deveniamus. Quis quæso Urbis Romanæ gloriam non miretur, quam totus quondam terrarum orbis admirabundus suspexit, & ipsas inter ruinas mirari adhuc non desinit. Recolat quæso studiosus antiquitatum explorator in ipso sermonis ingressu celeberrimis illis Urbem concelebratam fuisse titulis, mundi videlicet miraculum, mundi compendium, arcem nationum ac regum, & tot ac tantis, ut uno dicam verbo, redundasse miraculis, ut humanam tum spem, tum fidem hæc una excedere videatur. Hinc compendio quidem, ac satis magnifice eamdem Martialis carminibus hisce laudavit:

Urbs Roma semper, & vel ipsas inter ruinas adhuc suspicienda.

Urbis Romæ encomium.

Martial. in carm.

Terrarum Dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Sed cujus gloriam compendio perstrinxit Martialis, pulcherrimis ubertim laudum præconiis Claudianus extulit, quem audire hic præstat:

Claud. in Paneg.

Qua nihil int:rris complectitur altius æther,
Cujus nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit, quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris.

En tibi quam lepide, quam concinne mirum florentissimæ Urbis splendorem Claudianus adumbrat. Sed sacer quoque scriptor tantæ Urbis, cujus sacra nunc monimenta perlustraturi sumus, laudator accedat; Hieronymus, inquam, meritis ejuscemodi elogiis hanc veluti Orbis totius caput posteritati commendans: *Urbs*, inquit, *potens*, *Urbs Domina*, *Urbs Apostoli voce laudata*, *interpretare vocabulum tuum*; *Roma aut fortitudinis nomen apud Græcos est*, *aut sublimitatis apud Hebræos.* hæc ille pauca ad laudum, & præconiorum cumulum, quæ longo vix sermone comprehendi, atque explicari queunt. Adeo quippe mira sunt, quæ certatim de hac una Urbe à scriptoribus enarrantur, ut jure merito poëta ille cecinerit:

Hier. l. II. advers. Iovin.

Omnia Romanæ cedant miracula terræ,
Natura hic posuit, quidquid in orbe fuit.

Propert. in eleg.

2 Quis verò ac quantus hujus olim Urbis sinus ac magnitudo esset, vel ex eo conjici licet, quod omnes exciperet, & ipsos quantumvis hostes, ubi jam devicti fuissent, civitate donaret. Ut enim Tacitus morem hunc Romanorum exprimens, ait: *Conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives haberet.* Civitatis enim beneficium non exteris dumtaxat huc confluentibus, sed victis etiam, ac ipsismet hostibus dedit: ex quo maxima quæque Urbi incrementa provenere, quod item satis eleganter Claudianus de ipsius Romæ laudibus hæc concinens meminit:

Ex quo magnitudo Urbis conjici possit.

Tac. 11. Annal.

Unde incrementum Urbs potissimum ceperit?

Hæc est, in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit
Matris non dominæ ritu: civesque vocavit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.

Claudian.

Claudiano Sidonius egregie consonat, qui apud Romanos, servis ac barbaris exceptis, omnes cives fuisse

Sidon. Ap. l. 1.




ANTIQVAE ROMAE FACIES
ex antiquis aedificiorum Ruinis, ac multiplicium Numismatum Monimentis, Scriptorum studio fideliter excerpta, atque in hanc æneam tabulam redacta, prout eam Pyrrhus Ligorius Romanus per XIIII. Regiones, in quas Imperat. Caesar Augustus vrbem distinxerat, exacte descripsit.
SEPTENTRIO
Castrum Prætorium
Viuarium
Via Tiburtina
Horti Ceionis
T. Bacchi
P. Nomentana
Horti Dioclet et Maximiani
AGGER ES TARQVINI SVPERBI
Horti Blanciani
Horti Antonini Pij
Via Salara
REGIO VI. QVIRINALIS
ALTA SEMITA
VIMINALIS
REGIO V. ESQVILINA
Hippodromus
COLLIS HORTVLORVM
Sepul Neronis vel Domitiani
REG. VII.
REG. VIII
CAPITOLINVS
REG. X. PALATINVS
REG. IX.
Naumachia
P. Populi
Via Flaminia
Sepul Augusti
Columna Antoniana
Pantheon Agrip
Circus Flaminius
Circ Agonalis
Theatru Marcelli
Horti Domitiae
Hippodromus Neronis
Moles Hadriani
P. Castelli
Pon. Triumphalis
P. Aelio
A Triumphalis
P. Aurelia
P. Palatij
Belvedere
S. Petri
P. Turrionis
Via Aurelia
P. Pertusa
MONS VATICANVS
Villa Tulli Marnalis
Hortus Domitij
P. Septimiana
REGIO XIV. TRANSTIBERIM
M. IANICVLVM
P. Ianicularis
Sepulcrum Numae
Emporium
Naualia
P. Palatinus
Vic. Sex. Luccei
Vicus Septimy
Therma Seuerianae
Sublicius
Hercules Cubans
Castra Lecticariorum

Aquæ Ductus Aquæ Claudiæ
Aqua Marcia Iulia et Tepula
Anio Nouus
Via Labicana
Hippodromus
T. Veneris
Amphiteatrũ Castrense
Via Noua Valerii
Via Claudia
Limpheum Alexandri
Via Latina
Lucus Esquilinus
Porta Ver Querulana
Domus Lateranorum
Aqu. Claudiæ et Marciæ
T. Fauni
Aqua Crabra
Via Latina
Armamentarium
Spolium Samarium
Arbor Sancta
Ludus Matutinus
ONTIVM
Vigilum
Narnialis
CAMP. COELI MONTANI
P. Latina
Albanæ
Horti Asiniani
Priuata Hadriani
Vic Colapeti Pastoris
Fortuna Mammosæ
Vic For. Mam.
Area Radicaria
Almo fluuius
MERIDIES
T. Honoris et Virtutis
XII. PISCINA PVBLICA
Isis An Tenodoria
Campus Lanatorius
Domus Chilonis
Septizonium Seueri
Vic Ceios
Domus Cornificæ
Vic Dianæ
Vic Aquisalien
Arcus Seueri Parthic
Septe Domus Parthorum
Arcus Drusi
REGIO PRIMA
Porta Capena
Vicus Hon et Virt
Vic Trium Ararum
Aed Tempestatis
Aed Mineruæ
Hippodromus
S.C. Cœcilij
Via Appia
Vic Triari
Vic Columnæ Ligneæ
Vic Piscinæ Publicæ
Aedes bonæ Deæ sub Saxana
Signum Delphini
Vicus Fabric.
Aed Martis
Vall Aegeriæ
Vicus Fortunæ Dubiæ
Thermæ Antonianæ
Via Ardeatina
REGIO XIII.
Vic Nouus
Vic Materiarius
Thermæ Varianæ
Vicus Mundiciei
T. Lunæ
T Comune Dianæ
Aedes Bonæ Deæ
Porticus Fabraria
Vic Frumentarius
Vic Loreti minoris
Via Ardeatina
Horrea Domitiani
P. Ostiensis
Doliolum Vel Testaceius
Hort. C. Cæsaris
Via Portuensis
Villa Arborini
Via Ostiense
S. Pauli
ENS

fuisse scribit, & insuper appellat, *Romam verticem mundi, patriam libertatis, in qua unica totius mundi civitate soli barbari ac servi peregrinantur.* Hinc alii passim eamdem, communem patriam appellarunt, ut Rutilius Numantianus hisce carminibus.

Rutilius in Itiner.

Fecisti patriam diversis gentibus unam,
Profuit injustis te dominante capi.
Dumque offers victis proprii consortia juris,
Urbem fecisti, quod prius orbis erat.

Ita plane ex tot aggregatorum numero civium, ac gentium, quæ vix numerari queant, totus terrarum orbis in unam quodammodo Vrbem coaluisse visus est. Quis interim templa, Basilicas, fora, Porticus, thermas, theatra, Circos, Aquæductus, Cloacas, portas, Vias, quis tum publicas, tum privatas substructiones recenseat, quibus Urbs quondam Romana illustrabatur? Quippe dum quis sibi antiquæ Romæ imaginem animo effingit, omnium nimirum operum opus absolutissimum effingat necesse est: in hac una enim fuit, quidquid ubique terrarum, ut alius ille Poeta cecinit.

Roma omnium operum absolutissimum opus.

3 Romam igitur si curiosius rimari quis cupit, antiquam ejus faciem è ruinis paulisper exploret: quanta enim ambitus olim fuerit amplitudo, ipsamet ruina, atque ipsa, quæ adhuc supersunt, rudera satis docent. Et quidem Nero Cæsar opportunum rei testimonium affert, qui de mœnibus Romanæ Vrbis ad usque Tyberina ostia protendendis consilium iniisse fertur, ipso Suetonio teste: *Ostiam,* inquit, *tenus mœnia promovere atque inde fossa mare veteri Urbi inducere.* Dionysius autem immanem Vrbis amplitudinem ex frequentissimo eorum, qui hanc incolebant, numero describit, cum ait: *Omnia loca circa Urbem habitata sine mœnibus esse, in quæ si quis intuens magnitudinem Romæ exquirere velit, frustra eum fore, & hæsurum ubi desinat Urbs, ubi incipiat. Adeo suburbana,* inquit, *ipsi Urbi adhærent, & innexa sunt, & speciem immensæ longitudinis exhibent spectanti.* hæc ille, ubi immensam tum Vrbis magnitudinem, tum populi copiam calamo expressit. Athenæus quoque pari sententiarum vi Dionysio adstipulari videtur: eadem enim Vrbs ab ipso appellatur *Urbs urbium, quia,* inquit, *videre est in ea omnes urbes collocatas.* Et infra: *Deficiat non unus dies, sed quotquot habet annus, si quis adnumerare conetur omnes urbes in cælesti ista Urbe positas, idque ob nimiam copiam: nam & totæ nationes illic simul & confertim habitant.* hæc Græcus homo haud ulla invidi animi nota sugillandus libera voce in Vrbis Romanæ laudem peroravit. Si quis autem Romanum quoque è scriptoribus, rerum Romanarum assertorem in medium proferri gestit, ipsummet Senecam hæc ultro enarrantem excipiat: *Aspice,* inquit ille, *hanc frequentiam, cui vix Vrbis immensæ tecta sufficiunt: maxima pars illius turbæ patria caret, ex municipiis, ex coloniis suis, ex toto denique Orbe terrarum confluxerunt.* Vides amice lector, admirandam Vrbis unius amplitudinem, quo totus undiq; terrarum orbis confertim incolas transmittere consuevit? Sed ex eodem, cui indubitata fides adhibenda est, & isthæc pauca accipe: *Nullum non hominum genus concurrit in Vrbem, & vitiis, & virtutibus magna præmia ponentem. Iube hos omnes ad nomen citari, & unde domo quisque sit, quære: videbis majorem partem esse, quæ relictis sedibus suis venerit in maximam quidem, ac pulcherrimam urbem, non tamen suam.* Hactenus Vrbis faciem, ac sinum populis immane redundantem Seneca ob oculos delineasse visus est.

E ruinis amplitudo antiquæ Romæ innotescit. Consilium Neronis de Urbe amplificanda Suet. in Ner.

Dionys.

Plures urbes in urbe collocatas videre est.

Athen. l. 1.

Populi in Urbe frequentia.

Senec. de consol. ad Helviam matrem.

4 Et ut rei proposito insistamus, nonne laudatissimus ille inter poetas Lucanus Romam asserit,

Lucan. de bell. civil.

——— *populis, victisq; frequentem*
Gentibus, & generis coëat si turba capacem
Humani ———

Totum hic terrarum Orbem merito concludi potuisse ait, & ut uno verbo Romanæ magnitudinis præconia conficiat,

——— *mundi fæce repletam.*

Vrbem Romam olim fuisse pronuntiat, tot illas scilicet nationes brevi sermone perstringens, quæ, ut jam ex Athenæo præmisimus, totæ in certis quibusdam Vrbis ejusdem partibus, aut regionibus collocatæ Romam incolebant. Ita quippe Judæi trans Tyberim, alii vero alibi, tanquam incolæ morabantur, qui suos etiam ibidem cœtus, & consilia, ut Suetonius in Julii funere satis indicat, habuere: *In summo,* inquit, *publico luctu exterarum gentium multitudo suo quæque more lamentata est.*

Roma mundi fæce repleta dicitur.

Suet. in Iul.

5 Ad immanem autem Vrbis latitudinem perspicue adumbrandam, illa Senecæ verba sufficere videntur: *Cogitate,* inquit, *hanc civitatem, in qua turba per latissima itinera sine intermissione defluens eliditur; in qua consumitur, quidquid terris omnibus aratur.* Hanc enim unam Orbis terrarum suam veluti metropolim adire, atque alere consueverat. Sed quid ad hæc Aristides proferat, audiamus: *Ex omni,* inquit, *terra marique quidquid vel anni tempora gignunt, vel regiones singulæ, fluvii, lacus; artesque item, & ingenia tum Græcorum, tum barbarorum proferunt, id omne ad vos defertur. Itaque si quis talia omnia videre desiderat, is vel per totum Orbem peregrinetur necesse est, vel in vestra ista Vrbe versetur: quidquid enim apud alios vel crescit, vel conficitur, hic affluit, & abundat. Tot autem, & tantæ onerariæ naves singulis anni temporibus appellunt, ut Vrbs communis quædam Orbis officina videatur.* hactenus Aristides. At si jocoso quodam argumento rem interim comprobare velimus, Lector secum repetat id, quod Lampridius fide quidem dignus refert: *Heliogabalum,* scilicet, *servis imperasse, ut omnes araneas colligerent in Vrbe: atque eos collegisse ad decem millia pondo.* Quo subinde à servis fideliter præstito, Heliogabalum subjecisse scribit: *Vel hinc quam magna Vrbs Roma esset intelligendum.* Cum vero tanti in urbem populorum concursus fierent, paulatim contigit, ut ab incolis destituta, quodammodo deserta fieret, quod & Lucanus testatur:

Urbis magnitudo ac frequentia ex alimentorum undique affluentium inibi consumptione conjici potest.

Senec. de consol. ad Helviam.

Arist. or.

Lamprid. in Heliog.

Heliogabali argumentum ad demonstrandam Urbis magnitudinem.

Lucan. de bell. civil.

——— *videmus*
Tot vacuas urbes, generis quo turba redacta est
Humani? toto populi qui nascimur orbe?
Nec muros implere viris, nec possumus agros:
Vrbs nos una capit.

6 Porro ubi jam florentissimæ quondam Vrbis prospectum lectori exposuimus, tria quidem una in re maxime admiranda Claudianus descripsit, Vrbis videlicet altitudinem, spatium, ejusdemque decorem, sed ipsius verba hic excipiamus:

Roma à tribus maxime admirandis laudata.

Claudian.

Qua nil in terris complectitur altius æther,
Cujus nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit.

Adeo quippe immane olim Romanæ constructiones attollebantur, ut merito quidem Plinius de Vrbis magnitudine dicturus isthæc subjecerit: *Quo,* inquit, *si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto Orbe potuisse ei comparari.* Ædificiorum vero altitudinem Augustus ad septua-

Ab Altitudine ædificiorum.

Plin. c. 136.

Eam Augu-

stus & Nero coercuerunt. *Tac. in vit. Neron.* septuaginta pedes, Strabone teste, coercuit, & ipsemet Nero, cum Romam deinde ab incendio instauraret, *ædificationum*, ut Tacitus ait, *altitudinem cohibuit*.

Ab elegantia ac ornatu. 7 At quod ad Urbis decorem, ornatumque spectat, Urbs una urbes fere omnes longe superasse dignoscitur, ut diserte Scriptores asserunt, & immensæ item opes, ac Romanorum ambitio haud umquam æquanda facile cuiq; suadent. Quique enim *Tac. in Ner.* insigniorum artificum quos tum Græcia, tum Asia possideret, Romam aut evocati, aut sua sponte veniebant, quibus hic præmia proponebantur, iis maxime, *quibus*, ut Tacitus ait, *ingenium, & audacia erat, etiam, quæ natura denegavisset, per artem tentare*. Augustus Urbem insigniter exornavit. Et quidem præ cæteris, quorum deinde opera tot insignia monimenta substitere, Augustus Urbis decorem adeo excoluit, ut palam aliquando, *Sueton. in Aug.* Suetonio teste, gloriatus sit, *marmoream se relinquere Romam, quam lateritiam accepisset*. Alter omnino ab eo Nero Augustus extitit, qui insana nominis ambitione impulsus, patriam incendit, Nero Urbem incendit, & novam, ac ornatiorem restitu it. *Tac. in Ner.* ac urbem perdidit, ut novam melioremque subinde, quod meditatus jam fuerat, repararet. *Videbatur enim*, inquit Tacitus, *condendæ Urbis novæ, & cognomento suo appellandæ gloriam quærere*. Sed sceleстissimus ille omnium hominum, suo è nomine Neronianam potius urbem fecit inflammando, quam exædificando.

8 Atqui, si libet, admirandum antiquæ Urbis Orbis totus in Urbe quondam coaluisse visa. decorem studiosus apud Plinium lector exquirat, quem talia in Urbis laudem proferentem comperiet: *Ad nostræ Urbis miracula transire convenit, & sic quoque terrarum Orbem victum ostendere, quod* *Plin. c. 36.* *accidisse toties pene, quot referuntur miracula, apparebit. Universitate vero acervata, & in quemdam unum cumulum collecta, non alia magnitudo exurget, quam si mundus alius quidam in uno loco narretur.* SeptemOrbis mirac. Roma ipsa majus miraculum est. Audisne lector, totum terrarum orbem in unam quodammodo Urbem coaluisse, & mira quæque huc pariter se una cum orbe recepisse, cum nil hic inter tanta conspiciendum occurreret, quod non ingens per se miraculum contemplantibus redoleret. Immo cum septem olim Orbis dumtaxat miracula numerarentur, hanc merito Urbem miraculorum omnium miraculum fuisse fateri cogimur, si Cassiodoro præsertim hæc scribendi fides adhi*Cassiod. l. 7.* benda est: *Ferunt*, inquit, *prisci sæculi narratores, fabricarum septem tantum terris attributa miracula: Ephesi Dianæ Templum: Regis Mausoli pulcherrimum monumentum: Rhodi Solis æneum signum, quod Colossus vocatur: Iovis Olympici simulachrum, quod Phidias formavit: Cyri Medorum Regis Domum, quam Memnon fabricavit: Babyloniæ muros, quos Semiramis construxit: Pyramides in Ægypto. Sed quis illa ulterius præcipua putabit, cum in una Urbe tot stupenda conspexerit? Habuerunt honores, quia præcesserunt tempore: & in rudi sæculo, quidquid emersisset novum, per ora hominum jure ferebatur eximium. Nunc autem potest esse veridicum, si universa Roma dicatur esse miraculum.* hæc ille satis magnificus, ut vides, Romanarum rerum præco, ac laudator.

Cõstantius Imper Romam ingressus decorem ejus admiratur. 9 Si quis autem oculatis maxime testibus, ac laudatoribus fidem præstandam esse objiciat, Ammianum consulat, qui constantii Imperatoris in Urbem ingressus describens, ipsum intuentem, mirantemque præcipua Romanæ magnitudinis opera *Ammian. in* his verbis inducit: *Proinde Romam*, inquit, *ingressus, Imperii, virtutumque omnium larem, cum venisset ad rostra, perspectissimum priscæ potentiæ forum obstupuit; perque omne latus, quo se oculi contulissent, miraculorum densitate perstrictus, allocutus Nobilitatem in Curia, populumque pro tribunali, in palatium receptus favore multiplici, lætitia fruebatur optata. Deinde intra septem montium culmina, per acclivitates, planiciemque posita Urbis membra collustrans, & suburbana: quidquid erat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat. Iovis Tarpeji delubra quantum terrenis divina præcellunt: lavacra in modum provinciarum extructa: Amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage: Pantheon veluti regionem teretem, speciosa celsitudine fornicatam, elatosque vertice scansili suggestus Consulum, & priorum Principum imitamenta portantes, & Urbis Templum, forumque Pacis, & Pompeji theatrum, & odeum, & stadium, aliaq. inter hæc decora Urbis æternæ.* *Constantio l. 16.* Primum quodque obvium inter alia eminere sperabat. Habes utique, amice Lector, peritum viæ ducem, qui cupientibus recolenda Romanarum antiquitatum monimenta digito demonstret, ubi tria potissimum suppetunt, ut videre est, admiratione digna, Templa videlicet, Jovis Tarpeji, Pantheon, Pacis. Sed hæc pauca ex multis: nam in Urbe quidem, si Lipsio credimus, quadringenta, & viginti quinque olim Templa adnumerabantur: nemo tamen ambigat, quin ex his pleraque splendida, & magnifica, etsi aliter ab aliis templis constructa, vel instructa fuerint. Templa 425. in Urbe olim numerata. *Lipsius de mag. rom. l. 3. c. 5.*

10 Quis interim vero Urbis ipsius fora, ac eorumdem splendorem brevi oratione perstringat, Romanum videlicet Julium, Augustum, Ulpium, de quibus Martialis: Fora Urbis, eorundemque splendor ac numerus.

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Certe Strabo ubi Martium Campum admirabundus laudasset, hæc addit: *Quæ omnia si quis viderit, dicat, censeatque reliquam Urbem non nisi additamentum Campi hujus esse. At idem si in forum Vetus deinde progressus alia aliis hærentia & consequentia videat, basilicas, porticus, templa, tum Capitolium ipsum, & in eo templa, tum Palatinum & Liviæ ambulacra: is facile priorum obliviscatur, & omnium, quæ viderat extra Urbem.* hæc Strabo. Campus Martius, ejusque amplitudo. Quantæ autem magnificentiæ forum Trajani fuerit, si quis vult nosse ab Ammiano exploret, qui singularem ejusdem sub omni cælo structuram appellare non dubitavit, *etiam*, ut inquit, *numinum assensione mirabilem*. Pari quoque laudum præconio idem forum à Cassiodoro celebratur, cum ait: *Trajani forum vel sub assiduitate videre miraculum est.* Fori Trajani magnificentia.

11 Et quidem cum primum in Urbem Imp. Constantius Magni Constantini filius, quem jam supra citavimus, advenisset, forum; de quo sermo est, nobilissimum præcipue illi admirationi extitisse ab ipso Ammiano didicimus. Constantius Imp. illud præcipue admiratur. Quippe, ut cætera sileamus, ingentem ibi columnam Trajanus erexerat, & inde Trajanum forum omnium celeberrimum nuncupatum est: *Verum*, inquit Ammianus, *cum ad Trajani forum venisset, singularem sub omni cælo structuram, ut opinamur, etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos, &c.* In eo Columna miræ atque elegantissimæ structuræ. *Ammian. Marcell. lib. 16.* Hæc ipse, quibus nimirum verbis cochlidem in medio foro columnam sitam fuisse significare videtur, quam, ut Baronius ait, septennio elaboratam, perfectamque fuisse ex antiquis numismatibus Consulum nomine prænotatis comprobatur. Ea septennio elaborata perfectaque fuit.

12 Sed

Theatra Romana olim erant martyrum pro fide decertantium præcipua arena ac palæstra.

12 Sed quorsum hic, dicet aliquis, de Urbis Romæ theatris mentionem nullam facimus, quæ non Urbi dumtaxat, sed toti olim orbi conspicua extitere, in quibus spectatissima martyrum certamina, & in perferendis pro Christo cruciatibus constantia illuxit? Hic quippe immanes insontium pœnæ, gentilium oculis pro ludis, ac ludicris spectaculis exhibebantur: hic jugiter adversus Christianos funestæ illæ voces sanguinem innoxium exposcentes, Tertulliano teste, in cœlum attollebantur: *Si Tyberis ascendit, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leones.* Hic ad martyria, ad necem, ad carnificinam producebantur. Nonne Ignatius ille martyr Antiochenus in Romano Amphitheatro leonibus ac feris sævissime discerpendus sub Trajano traditus est? Hic demum Religioni, ac sacris Christianorum ritibus illudebatur. Celebris enim in Mart. Rom. memoria recurrit Genesii martyris, qui cum gentilis Christianorum ritus in theatro derideret, mirabili Dei virtute ad fidem traductus, nobile pro Christo martyrium consummavit, de quo isthæc: *Romæ S. Genesii mart. qui primum sub gentilitate mimus; cum in theatro, spectante Diocletiano Imperatore, mysteriis Christianorum illuderet, à Deo inspiratus, repente conversus ad fidem, baptizatus est: mox Imperatoris jussu fustibus crudelissime cæsus, deinde in equuleo suspensus, & ungularum diutissima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cum in Christi fide persisteret, dicens: Non est Rex præter Christum, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis; martyrii palmam capitis obtruncatione promeruit.* En, ut Romanæ Urbis theatra martyrum sanguine, ac fidei confessione illustrata sunt!

Tertull. in apol. c. 40.

In Amphitheatro Titi Ignatius à leonibus discerpitur.

Genesii ex mimo in Christianum, & martyrem repentina metamorphosis. *Mart. Rom. die 25. Aug.*

Populi in Circis adversus Christianos acclamatio.

Hinc Diocletiani persecutio auspicata.

13 Certe quod gentiles olim in Circis, ut jam diximus, adversus Christianos acclamare consueverint, ex ipsis martyrum actibus compertum fit, quod Romæ præsertim obtigisse, & inde sævissimam Diocletiani persecutionem fuisse auspicatam, acta S. Sabini martyris Spoletini edocent, quæ à Baronio veluti sincera, ac fide dignissima in suis Annalibus recensentur, quorum hæc sunt verba: *Cum Maximianus Herculeus Romæ esset, & decimoquinto Kalend. Majas in Circo Maximo spectaret Circenses ludos; Sexto misso Veneto vincente, acclamatum est in Circo: Christiani tollantur, dictum est duodecies. Iteratumque: Auguste, Christiani non sint, clamatum decies. Ex quo factum est, ut Eugenius Hermogianus præfectus retulerit in Senatu de persecutione in Christianos decernenda.* Ubi isthæc ad rem nostram Baronius subdit: *Solitum quippe populum theatralibus acclamationibus ab Imperatoribus, quæ vellet, efflagitare, qui ipsorum vitas percurrit, satis intelligit. Rursum verò iisdem in locis peti à gentilibus solere Christianorum necem, quæ dicta à nobis sunt superius, ex Tertulliano, & Cypriano, aperte declarant.* In theatris igitur persecutionum, ac martyriorum præludia agebantur.

Baron. t. 2. an. 301. n. 18.

Baron. t. 2. an. 301.

Gentiles theatralibus acclamationibus necem Christianorum petebant.

Ignatius Amphitheatrum cum bestiis pugnaturus ingreditur.

14 Sed quæso, amice lector, Ignatium ex Antiochia à Trajano Imp. qui tunc temporis in Oriente cum exercitu agebat, transmissum, Romam introeuntem, immo potius in theatrum cum bestiis concertandi gratia prodeuntem intueamur: *Venit Romam, & sistitur ante præfectum Urbis*, ait Metaphrastes, *is cum Theophorum vidisset Ignatium, & litteras accepisset Imperatoris: dies autem advenisset opportunus, quando erat dies festus, & celebris Romanorum, ducit eum in medium theatrum, sicut jubebat improbum edictum Imperatoris. Cum ergo universa civitas sederet in theatro, cum ardenti spiritu, & oculis jam spectaculum amantibus; utpote quod jam fama ubique annunciasset, Syriæ Episcopum cum feris esse pugnaturum.* Sed hic Ignatium, amice lector, quoniam ad spectaculum evocamur, in theatrali arena imperterrito animo consistentem, & jam jam cum bestiis congressurum, quæ pro Christianorum fide in omnium auribus alta voce insonuerit, audiamus: *Conversus ille ad populum* (ut Metaphrastes ait) *quodam generoso, ac inflexibili animo, ut qui gloriaretur, & sibi placeret propter eam, quæ pro Christo suscipi cernebatur, ignominiam: Viri, inquit, Romani, & præsentes hujus certationis spectatores, non hæc mihi fiunt, ut luam pœnas alicujus maleficii* (maleficos enim, quod sæpe diximus, gentiles dicebant esse Christianos, atque ut maleficos esse damnandos, aut sceleratæ alicujus actionis adjutores) *sed ut Deum assequar, cujus quidem teneor desiderio, & quem cupio insatiabiliter: sum enim frumentum, & molar per dentes bestiarum, ut fiam ejus purus panis. Hæc dixit, & immissi leones eum statim laceraverunt, & devoraverunt.* Et spectaculum Deo dignum.

Metr. apud Sur. 1. Febr. & apud Bar. t. 2. an. 113. n. 2.

Verba Ignatii ad Romanos sui martyrii spectatores.

Martyr adeo nobilis Romæ in publico Orbis theatro ad exemplum Numine annuente passus est.

15 Sed subsiste parumper hic Lector, & qui tanto viro certanti spectator adfuisti, rationem potissimam ex Chrysostomo addisce, ob quam Ignatius haud in angulo, sed in ipsiusmet Urbis Romæ amphitheatro indictum sibi pro Christo certamen subierit. Ea enim extitit, ut ejusdem nimirum constantia, immo singularis in martyrio subeundo voluptas non Urbi dumtaxat, sed Orbi universo innotesceret, & spectantium animis inconcussam Christianæ fidei veritatem, quæ ejusmodi gaudet portentis, suggereret; sed ipsum audiamus Chrysostomum pro Ignatio adversus gentiles isthæc in theatro perorantem: *Ut autem illi, qui Romam incolebant, hæc esse vera re ipsa cognoscerent, permisit Deus eum sanctum virum illic morte affici. Quod autem hæc sit causa, ex genere ipsius mortis conabor ostendere: neque, ut extra muros in barathro, aut in carcere, aut in angulo aliquo occideretur, damnatus est, sed in medio theatro, universa civitate seorsum considente ac spectante, bestiis in ipsum immissis; & concitatis, martyrium pertulit: ut sub omnium oculis adversus diabolum trophæum erigeret, cunctosque suorum certaminum imitatores efficeret: cum non modo fortiter, sed etiam cum lætitia mortem oppeteret, ferasque cum omni voluptate spectaret, non quasi raperetur è vita, sed tanquam ad vitam meliorem, ac præstantiorem vocaretur. Unde hoc fit perspicuum? Ex verbis, quæ moriturus loquebatur. Cum enim id genus supplicii sibi esse subeundum intellexisset: Ego, inquit, feras illas adjuvarem.* Hæc Chrysostomus, dum decertantem cum bestiis, immo de bestiis triumphantem jam in Romano Amphitheatro Ignatium toti terrarum orbi spectandum, omniumque gentium plausu, ac gratulatione post triumphi palmam excipiendum exhibuit.

Chrys. ser. de S. Ignat. c. 5. in fin.

Omnia Rom. Imperii theatra Christianorum cædibus insignita.

16 Sed & beatorum martyrum cædibus aliarum quoque urbium theatra passim insignita fuisse quis nesciat? De Polycarpo enim Episcopo præ cæteris in Rom. Martyrologio legitur, quod *Smyrnæ sub Marco Antonio, & Lucio Aurelio Commodo, sedente Proconsule, & universo populo in Amphitheatro adversus eum personante, igne traditus est, & cum ab eo minime læderetur, gladio confossus, martyrii coronam accepit.*

Mart. Rom. 26. Ian. Polycarpus Smyrnæ in Amphitheatro martyrium pertulit.

Christiani mactandi per theatra cum titulo Christianitatis circum ducebantur

Euseb. lib. 5. cap 1.

17 Quod insuper martyres in Amphitheatris pro Christo jugulandi, illic antea circumduci solerent, Christiani nominis titulo, ob quod potissimum plectebantur, notati ex epist. Eccles. Lugdunen. constat, quam Eusebius recitat his plane verbis: *Cum undique per Amphitheatrum circumduceretur Attalus martyr, tabula, in qua Latinis litteris hæc erat inscriptio, præcedente: Hic est Attalus Christianus, &c.* Cujus rei, ut ait Baronius, sunt alia in actis martyrum exempla. Præcedere autem consuevit ejusmodi titulus, ut Suetonius in Cajo monstrat his verbis: *Manibus abscissis, atque ante pectus è collo pendentibus, præcedente titulo, qui causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur, &c.*

Sueton. in Cajo c. 32.

Amphitheatrum Titi Vespasiani.

18 Quis autem, ut ad profana interim redeamus, antiquarum rerum notitia præditus, inter Urbis monimenta Romanorum theatrorum gloria non probe meminerit? quis inter præcipua Amphitheatrum illud non recolat, cujus structura, ac operis magnificentia vix adhuc inter ruinas sine admiratione suspicitur? de quo isthæc Martialis:

Mart. lib. 1. ep. 2.

Hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

A Tito autem Imperatore magnis illud impensis exædificatum est, ut Cassiodorus affirmat his verbis: *Hoc Titi potentia principis divitiarum profuso flumine excogitavit ædificium fieri.* Non id autem ita intelligendum est, ut primus hic Amphitheatrum construxerit: Cornelius enim Tacitus à Marliano citatus ait, *C. Cæsarem Amphitheatri molem in Campo Martio extruxisse: quam ab illo destinatam Augustus, ut auctor est* Suetonius, *Mausoleum ædificaturus, mox destruxit. Quin etiam, ut idem Suetonius in ejusdem Cæsaris vita commemorat, Amphitheatrum, priusquam à Tito, ab eodem Statilio unum excitatum esse: alterum deinde à Tiberio inchoatum, sed non perfectum. Extant usque adhuc Statilii Tauri Amphitheatri reliquiæ, quod Statilius posuit Augusto cives Romanos hortante, ut pro viribus quisque conaretur Vrbem exornare.* hæc Marlianus.

Ante Titum D. Cæsar, & alii amphitheatra extruxere.

Marlian. in Vrbis Topog. l. 4. c. 1.

Theatrum Marcelli.

12 Quis præterea Marcelli Theatrum non suspicit? quod sub nomine nepotis ex sorore Octavia Augustus excitavit: ejus pars vetustate, igneque corrupta, inter Tarpejam rupem ac Tyberim adhuc cernitur. Capiebat autem loca LXXX. millia, ut Marlianus affirmat. Quis Theatrum Pompeji non recolat? & quidem quod ad celebre hoc theatrum attinet, Cornel. Tacitus hæc inquit: *Cn. quoque Pompejum accusatum à senioribus ferunt, quod mansuram theatri posuisset sedem: nam antea subitariis gradibus scena in tempus structa, sed consultum parsimoniæ, quod perpetua theatri sedes locata sit potius, quam immenso sumptu per singulos annos consurgeret, ac strueretur.* In hunc sensum Ausonii sunt hæc carmina.

Marl. lib. 3. cap 11.

Theatrum Pompeii.

subitaria ad tempus theatra prius struebantur deinde perpetua ac permansura

Ædilis olim scenam tabulatam dabat,
Subito excitatam, nulla mole saxea.
Murena sic & Gallius (nota loquor)
Postquam potentes, nec verentes sumptum
Nomen perenne crediderunt, si semel
Constructa moles saxeo fundamine
In omne tempus conderet ludis locum,
Cuneata crevit. hæc theatri immanitas,
Pompejus hanc, & Balbus, & Cæsar dedit,
Octavianus concertantes sumptibus.

Caligula Theatrum Pompeii absolvit.

Porro Theatrum hoc Caligulam absolvisse, cum, fortuito incendio consumptum se istud extructurum pollicitus esset Tiberius, scribit Suetonius. Nero autem in unum diem hoc operuit auro, quod Tyridati Regi Armeniæ ostenderet, ut Plinius est auctor. Capiebat autem, eodem Plinio teste, loca XL. millia. Ambo autem hæc theatra, quæ à nobis hactenus memorata sunt, præ cæteris inter antiqua monimenta caput in Vrbe erexere, ac quæ adhuc supersunt, vestigia intuentibus eorumdem gloriam inculcant.

Nero auro operuit.

20 Sed hic, amice Lector, theatrorum mentionem haud concito gradu pertranseamus, quippe quæ tot martyrum triumphis, tot martyriorum palmis apprime nobilitata sunt, ut frequens, Baronio teste, in martyrum actis horum locorum mentio recurrat, sed ipsum hic præstat audire Baronium: *Frequentissime est*, inquit, *invenire in actis SS. Martyrum, eosdem in Theatro, spectante populo, esse cruciatos. Inter alias editiones ad spectantium voluptatem comparatas exhiberi consueverunt exquisitæ miserorum damnatorum carnificinæ, quas illi (non dicam homines adeo ab humanitate remotos, sed feras bestias) avide spectare consueverunt. Et, ut omittam, quæ in eo genere Suetonius, & alii testata reliquerunt, locum unum Philonis in lib. in Flaccum hic recitare contentus ero, sic enim ait: Ante flagellabantur in medio theatro, igne, ferroque torquebantur, spectaculis distributis in hunc modum. Mane usque ad horam tertiam, quartamque Judæi flagellabantur, rotis alligebantur, damnabantur, per mediam orchestram ducebantur ad supplicium: deinde post tam præclara exempla edita inducebantur saltatores, tibicines, aliaque ludicra scenicorum certaminum, &c. Hæc Philo, qui de hisce spectaculis tunc Alexandriæ à Flacco Præfecto exhibitis, pluribus agit. Est & Epigramma Martialis lib. 1. de pœna Laureoli, quo monstrat Domitianum in theatro tragicos casus acerbos in miserorum corpora repræsentasse. Sed hæc quidem omnia contra antiqua jura Romanorum, quibus vetita erant damnatorum cruciamenta in theatris, cum ludi agerentur, exhiberi. Quanta autem totius Urbis clade hujusmodi facinus semel præsumptum fuerit, ac vix tandem expiatum, consule quæ scribit Livius lib. 2. decad. 1. cum agit de servo sub furca in medio Circi caso.* Hæc Baronius de funestis miserorum cladibus, ac spectaculis in Theatro exhiberi consuetis: quæ quidem acerbissima pœnarum genera Christianos præsertim expertos fuisse, haud ulli ambigendum est: tam male enim apud gentiles ipsummet Christianitatis nomen olebat, ut hujusmodi nomine prænotatos certatim impeterent: Gentiles quippe, Tertulliano teste, cunctas totius Orbis, & Vrbis calamitates Christianis perperam impingebant: *Quos* inquit, *existimant omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi causam.* Quapropter ubi Christianum quempiam deprehendissent, dijudicantes ex nomine causam, scelerum omnium reum pronuntiabant: *Christianum hominem*, inquit Tertullianus, *omnium scelerum reum, Deorum, morum, legum, naturæ totius inimicum existimas.* Sola enim nominis confessio expressa cunctorum criminum nota apud gentiles, ut Justinus martyr testis est, habebatur: *Nomen Christianum*, inquit ille, *sufficiebat ut reos constitueret.* Haudullus vero discussioni criminum locus erat, ubi Christiani nominis confessio prævenisset: *Solum id expectatur*, Tertullianus inquit, *quod odio necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis; sufficiebat enim ut quis se confiteretur Christianum ad hoc ut acerbissimo supplicio*

Theatra in Urbe innumeris martyrum triumphis celebriora reddita.

Baron. in not. ad Mart. Rom. die 16. Sept.

Ferina populi olim in spectaculis crudelitas.

Tragœdiæ à Domitiano aliquando editæ quæ essent.

Antiqua Rom. iura damnatorum supplicia in spectaculis exhiberi vetabant.

Sed hæc in Christianis præsertim cruciandis violabantur assiduo.

Tertull in Apoc c. 2.

Quam male nomen Christianum apud ethnicos oleret.

Solo nomine Christiani omnium criminum rei habebantur, damnabanturq;

plicio afficeretur. Quam immensam igitur Christianorum cladem in ipsis Urbis Romæ theatris, ubi gentilium crudelitas redundabat, contigisse putandum est.

In Theatris Christiani crebro ad bestias damnabantur.

21 Porro quod in theatris, ubi spectacula populo exhibebantur, Christiani frequenter ad bestias damnarentur, ipsa Beatorum martyrum acta legentibus fidem faciunt, & præcipue Ignatii Antiocheni martyris, qui, ipso spectante Trajano, Romæ leonibus objectus, ad martyrii palmam evolavit, ut in Martyrologio Romano nobile ejusdem martyrium his plane verbis recolitur: *Romæ sancti Ignatii Episcopi, & martyris, qui tertius post beatum Petrum Apostolum Antiochenam rexit Ecclesiam; atque in persecutione Trajani damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur, ubi, præsente Trajano, circumsedente Senatu immanissimis pœnarum suppliciis primo affectus, leonibus dehinc objicitur, quorum dentibus præfocatus, hostia Christi efficitur.* Cur autem Christiani sæpissime hujusmodi supplicio addicerentur, si causam quis nosse cupit, Baronium consulat, qui isthæc in suis ad Martyrolog. notis edisserit: *Quod Christianos frequenter reperias damnatos ad bestias, id ea de causa contigisse putamus, quod ejusmodi supplicium vilioribus in primis personis à legibus irrogabatur, ut l. 3. ff. ad legem Corn. de Sicar. Cumque Christiani apud gentiles talis essent æstimationis (ut habes pluribus apud Tertullianum in Apolog.) idcirco frequens erat illa adversus eos vulgi conclamatio: Christiani ad leonem. Id ipse in Apolog. vel sic: Christiani ad bestias. Ita idem in exhortat. ad Castitat. Nec quis putet adversus vulgares personas tantummodo sic à gentilibus conclamatum, sed & adversus Episcopos. Vnde & Cyprianus in epist. 35. ad Cornelium Papam hæc de seipso: Toties ad leonem petitus in Circo. Et paulo post idem: Clamore popularium ad leonem denuo postulatus in Circo, &c. Eadem de eodem Cypriano Pontius Diac. in vita ipsius: ut scias ea verba Cypriani in dicta epist. non ad Cornelium, vel alium esse referenda, sed ad ipsum, ab eo de se ipso dicta: sunt de his alia innumera fere exempla.* Hæc de funestis Christianorum cædibus, populo in theatris ad spectaculum exhibitis luculenter Baronius expressit.

Mart. Rom. die 1. Febr.

Cur Christiani adbestias potissimum damnarentur.

Baron. in not. die 1. Febr.

S. Cyprian. crebro clamore populi petitus ad bestias.

Quævis perpeti tormenta, quā in ludis ad obscena damnari Christiani illum mandabant.

22 Verum hic interim haud silentio prætereundum nobis visum est, quod etsi Christiani ad carnificinam in theatris frequenter damnarentur, tamen ad ludum in eisdem Theatris, & quidem non gentilium commiseratione, sed ipsorummet Christianorum erubescentia, damnati nullatenus leguntur: quippe malebant duriori servitio, ac labori in effodiendis metallis addici, quam impuris scenicorum ludorum turpitudinibus destinatos pollui, de qua re isthæc ad rem Baronius: *Illa tantum pœna immunes Christiani fuisse videntur, quæ dicebatur ad ludum, de qua Vlpianus, l. aut damnum §. qui ad ludum, ff. de pœnis: & Paulus l. 5. sent. tit. 7. & l. 2. de abolit. Cod. Theodos. Id enim accidisse arbitror, non humanitate gentilium, sed potius verecundia Christianorum, ut qui mallent duriora quæque supplicia perpeti, quam inter gladiatores, ferarum venatores, comœdos, & tragœdos, pyrrhicharios, & saltatores in theatro connumerari, nec ea agere, quæ vel spectare tantum Christianis erant interdicta, ut Cyprianus de spectac. Cum alioqui sicut fœminas ad lenones, ita viros ad ludum esse damnatos appareat ex Clemente Const. lib. 5. c. 1. ubi hæc verba: Si quis Christianus propter nomen Christi, & charitatem erga Deum, ac fidem ab impiis ad ludos, aut ad bestias, aut ad metallum fuerit damnatus, &c. Vetuit postmodum Valentinianus Imp. ullum Christianorum ob quodvis facinorosum delictum ad ludum damnari, l. 8. de pœn. Cod. Theod.* Et hæc ex Baronio, vel obiter in studiosi lectoris gratiam hic, ubi de Theatris, ac theatralibus spectaculis mentio incidit, enarrasse sufficiat: sed jam ad nostra, unde digressa est, oratio revertatur. Vt hic autem de Circis, & de Circo præsertim Maximo, de Circo Agonali: de Obeliscis ibidem olim existentibus, de Thermis, ac palatiis taceamus, quæ si quis nosse cupit, Romanarum antiquitatum scriptores consulat.

Baron. in not. die 16. Febr.

Valentiniā Imp. Christianum cujusvis criminis reum ad ludum damnari vetuit.

Marlian. de Romæ topog. l. 3. c. 17.

23 Haud tamen silentio obvolvendum, vel obiter hic est, quod Circi, & ipsa Urbis Theatra, quorum mentio recurrit, Christianarum quoque Virginum præsentia frequenter illustrari meruerunt: ibi enim cum primum à gentilibus prostituendum earumdem pudorem verbis illis acclamatum esset: *Christiani ad leones, Virgines ad lenones*, sub eorumdem fornicibus ad pudoris contumeliam publica inter scorta prostituebantur; quod & ipsemet Tertullianus in suo Apologetico gentilibus his verbis objicit: *Proxime ad lenonem damnari Christianam, potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos acriorem omni pœna, & omni morte reputari.* Sed & D. Ambr. pro Antiochena virgine ad pudoris illibati dedecus huic pœnæ addicta eleganter in lib. de Virginibus hunc in modum peroravit: *Producitur puella duplex professura certamen, & castitatis & religionis: sed ubi viderunt constantiam professionis, metu pudoris paratam ad cruciatus, erubescentem ad aspectus, excogitare cœperunt, quemadmodum specie castitatis religionem tollerent; ut cum id abstulissent, quod erat amplius, id eriperent, quod reliquerant. Aut sacrificare Virginem, aut lupanari prostitui jubent. Quomodo Deos suos colunt, qui sic vindicant: aut quomodo vivunt, qui ita judicant?* Sed Deo Christi columbas custodiente, ac earumdem pudicitiam è Cælo vindicante, illibatæ prorsus eædem è cœno emerserunt. Ipsimet quippe leones, Angeli ipsi ad tuendum sponsarum Christi pudorem præsto fuere, ut pluribus quidem exemplis ex Baronio comprobatur. Certe ex sacris martyrum actis B. Agnetem ob Christianæ fidei testimonium, & in ipsius Christi contumeliam in Agonali Urbis Circo inter cætera turpissima scorta prostitutam fuisse constat. *Sed Virgo*, ut Ambrosius ait, *prostitui potest, adulterari non potest.* Virgo ab impuritatis cœno, ex ipso turpitudinis loco, Angelo protegente, purior exiit, quam intravit; ut enim canit Ecclesia: *Ingressa Agnes turpitudinis locum, Angelum Domini præparatum invenit.*

In Circis, ac Theatris Romanis Virginum Christianarum pudorem prostitui gentiles jubent.

Tertullian.

Ambr. l. 2. de virg.

Sed illæ, ut plurimum divinitus intactæ præservantur.

Baron to. 3. an. 309.

S. Agnes in circo Agonali prostituta.

Ambr. lib. 2 de virg.

24 Duplex igitur in Theatris spectaculorum genus, ac certamen exhibebatur, martyrum videlicet, & virginum, dum hi leonibus, lenonibus illæ passim exponerentur. Et locus quidem B. Agnetis præsentia illustratus in ipso Agonali Circo ad hanc usque diem summa fidelium veneratione colitur, ut Baronius in suis ad Martyrolog. notis luculenter his plane verbis edisserit: *Extat non tantum ejus insignis Basilica via Nomentana, sed & ille locus, ubi est producta, ut ejus virginitas violaretur, sacrosanctus habetur, fornices ipsi nimirum Circi Agonalis.* Et paulo infra de Gentilium sacras Virgines sub theatrorum fornicibus, ubi concursus habebantur, prostituentium more hæc subdit: *Sat constat*, inquit, *auctoritate S. Hieronymi in Isaiam cap. 2. (ut præter-*

Duplex spectaculorum ac certaminum in Theatris genus.

Bar. in not. die 21. Ian.

prætermittam gentilium poëtarum testimonia) in fornicibus spectaculorum manere consuevisse publica scorta, & alias publicæ libidinis illecebras, donec sub Constantino Imp. Christi Euangelio coruscante, & infidelitas universarum gentium, & turpitudo deleta est. hæc Hieronymus. *Loquens de his turpissimis locis Cyprianus, lib. de spectac. hæc ait: Si rursus perrogem, quo ad illud spectaculum itinere pervenerit, confitebitur per lupanarium, per prostitutarum nuda corpora, per publicam libidinem, per dedecus publicum, per vulgarem lasciviam, per communem omnium contumeliam. Hæc Cyprianus, & alia plura de fornicibus Theatrorum. Et in eam sententiam Vibius apud Senecam in controvers. 2. lib. 2. Redoles, inquit, adhuc fuliginem fornicis. Ex eadem controversia, quam infelix, & miseranda esset conditio virginis à lenone prostitutæ, pluribus demonstratur. Misera includebatur cellula, in cujus fronte titulus superpositus nomen virginis prostitutæ, & pretium constitutum indicabat: moxque fiebat concursus libidinosorum ad meretricem novam. Hæc omnia habes apud Senecam in citato nuper loco lib. 2. contr. 2. Ex his omnibus disce virtutem Christi, qui in tali discrimine positas virgines novit sæpissime liberare: testantur hæc ipsa acta Martyrum, adstipulaturque S. Basilius, dum ait: Dum ferveret persecutionis immanitas, electæ virgines propter Sponsi fidem ad illudendum impiis hominibus traditæ, corporibus inviolatæ durarunt, eo scilicet, cujus gratia id perferebant, impiorum conatus in earum carne irritos arguente, & integra earum corpora non sine prodigio, & virtute custodiente, &c. hæc Basilius lib. de vera virginitate.* Quæ ex Baronio in studiosi lectoris gratiam, veluti perenne Christi virginum monimentum ipsis profanis theatrorum fornicibus insculpere voluimus. Sed ad cætera, quæ admirationem ingerunt, perscrutanda progrediamur.

Cypr. lib. de spectac.

Senec. lib. 2. controv.

Miserrima virginum à lenonibus prostitutarum conditio?

Mirifica Christi eas illibatas servantis virtus.

Tres operum structuræ in Urbe admiratione dignæ.

Dion. l. 3.

25 Fuere præterea admiratione dignissima, Viæ videlicet, Aquæductus, Cloacæ, de quibus Dionysius, qui sub Augusto Romæ fuit, & viginti circiter annos ibidem vixit, isthæc enarrat: *Ego sane, inquit, in tribus magnificentissimis operibus Romæ, & è quibus maxime apparent illius Imperii opes, pono aquæductus, viarum munitiones, cloacarum structuras; neque id solum ad utilitatem ejusmodi operum respiciens, sed etiam ad impendii, sumptuumque modum.* Viarum celeberrimæ sunt Appia, Flaminia, Aurelia, Latina, Ostiensis, Prænestina, ac Labicana, & cæteræ, quarum passim in sanctorum actis mentio reperitur, & de quibus sermo à nobis frequenter habebitur. De his autem Strabo illud scribit: *Straverunt & vias excisis montibus, vallibus repletis, ut currus vehere possint, & suscipere navium opera.* hæc Strabo de Romanorum viis, ad quarum deinde ornatum monumenta & sepulchra ad latus utrumque passim prætexebantur, ut in nostro hoc Opere lectori patebit.

Viæ Urbis celebriores.

Strabo.

26 Verum quantum Urbi splendorem cloacæ ipsæ conferrent, quæ alioqui, cum sordibus scateant, fœtorem redolent, & civitates aspectu deturpant, ex Cassiodoro deprehendi potest, qui hæc habet: *Splendidæ Romanæ civitatis cloacæ tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum civitatum possint miracula superare. Videas illic fluvios quasi montibus concavis clausos per ingentia stagna decurrere: videas structis navibus per aquas rapidas, non minima solicitudine navigari, nec præcipitato torrenti marina possint naufragia sustinere.* Et infra: *Hinc ó Roma singularis, quanta in te sit, potest colligi magnitudo, quæ enim urbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua possunt similitudinem reperire.* hæc ille, quæ merito quidem hoc loco meminisse libuit, cum frequens in sanctorum martyrum actis cloacarum mentio occurrat, ut videre est in Mart. Rom. die 26. Aug. ubi Baronius in suis isthæc notis: *Quales fuerint Romæ cloacæ, consule in primis, quæ admiratione digna scribit Plinius lib. 36. cap. 15. consule & Cassiod. qui de his mira scribit ad Argolicum Urbis Præfectum, dum ait: Videas illic, &c.* Et statim subjungit Baronius: *Reliquit exemplum de navigatione cloacarum M. Agrippa, qui cum eas expurgasset, per easdem subvectus est in Tyberim, ut auctor est Dio Cassius lib. 49. prope finem. Hæc de Urbis cloacis, sepulchris SS. Martyrum, quorum sæpe corpora in eas projecta reperiuntur; ut etiam factum constat de corpore S. Sebastiani clarissimi martyris, quod, ut ejus acta testantur, in cloacam Maximam projectum fuit.* Huc usque de cloacarum splendore Baronius, quæ cum Urbi & Orbi præ sui magnitudine, ac vastitate ab antiquis temporibus, vel lutum excipiendo, admirationi essent, sanctorum deinde martyrum corporibus passim illustratæ, tanquam auro, pretiosisque lapillis locupletatæ, venerationi insuper esse cœperunt.

Cloacæ Urbis inter admiranda merito recensentur.

Cassiod. variar. l. 3. ep. 30.

Rom. Mart. die 26. Aug.

M. Agrippa per cloacas navigat in Tyberim.

S. Sebastiani corpus in cloacam maximam projectum.

27 Quis insuper præter subterraneos cloacarum rivos, quibus Urbs irrigabatur, innumeras recensere valeat aquarum venas, quæ longo in Urbem tractu, perfossis montibus, & vallibus complanatis, deductæ eandem irriguam reddidere. Et quidem diu Roma suo contenta Tyberi sine Aquæductibus perstitit, quousque Appius Claudius Censor, qui vias sternere instituit, aquarum quoque thesauris Urbem locupletavit: *Populus quippe, ut inquit Lipsius, ingens numero aquis egebat, non solum ad potum, sed ad balnea, ad fullonicas, ad Naumachias & Circos.* Porro quam uberes ac perennes aquarum venæ inductæ in Urbem sint, Strabo memorat: *Flumina, inquit, per Urbem, & cloacas videri fluere, atque unamquamque domum propemodum habere fistulas, & canales, quibus aquam inducat.* Idem à Plinio probatur his verbis: *Si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis suburbanis, villis, spatioque advenientium extructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur nil magis mirandum fuisse toto orbe terrarum.* Admirandi operis portentum hoc merito quidem Cassiodorus aliquando vehementer obstupuit in aquarum ductibus: *Cum in his, inquit, & fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis. Quot enim illic flumina quasi constructis montibus perducuntur? naturales credas alveos, soliditates saxorum: quando tantus impetus fluminum tot seculis potuit sustineri.* Huic Frontinus egregie consonat in hac re omni fide dignissimus, dum magnitudinis Romani Imperii id præcipuum esse indicium asserit.

Aquæductuum in Urbe amœna ubertas.

Aquæductibus diu Roma caruit.

Lipsius de magn. Rom. c. 11.

Admiranda in Urbem aquæductuum derivatio.

28 Porro qui altitudinem, latitudinemque eorumdem Aquæductuum suspicere, & contemplari cupit, Procopium mira de his referentem adeat. Si autem quæras quam longo intervallo hi aquæductus protenderentur, aliquos à quadragesimo milliari perductos fuisse comperies, per valles, per montes, per tot inæqualia supra ac infra terram, quod eleganter Rutilius suis carminibus describere conatus est.

Mira eorumdem altitudo ac latitudo.

Quid loquar aërio pendentes fornice rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?

Hos

Hos potius dicas crevisse in sidera montes,
Tale giganteum Græcia laudat opus.

Aquædu-ctus Claud. *A'tert. Leand.*

Certe si quis Claudiani Aquæductus fornices suspiciat, profecto, ut ille olim, exclamabit, *haud majus quidquam excogitari posse humano ingenio. Ad quæ opera patranda nunc totus orbis infirmus futurus videatur.* Loquitur enim ille de Claudii Aquæductu, ut etiam Plinius, dum ait: *Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati à Cajo, & peracti à Claudio.*

Quam immanes in iisdem construendis sumptus facti.

29 Quam vero ingens pecunia impensa in eorumdem constructione fuerit, si Plinio fides adhibenda est, fuerunt septem nostri milliones, & semis. Quot autem numero fuerint hi aquæductus;

Quot in urbe aquæductus fuerint? Et quot lacus.

qui Urbem irrigabant, ex Procopio XIV. fuisse accepimus, sed Publius Victor aucto numero ad XX recenset. Plinius quædam insuper de lacubus adjunxit, quos septingentos numero ab Agrippa factos, sed mille trecentos quinquaginta duos in universum extitisse, satis compertum est. Porro quam multa circa has aquas impendia fiebant, quarum

Aquarum Curatores

Curatores ab Augusto primum institutos cum cæteris ministris, ab Agrippa vero & alios multos operi adjunctos novimus. Claudius item innumeros plane suffecit. Ut igitur hæc mira aquæductuum opera Urbi jugiter servarentur, perpetuos homines sexcentos ad aquarum tuitionem Roma habuit. Nec otiose quidem, amice lector, hic aquæductuum meminisse volumus; quippe in sacris martyrum actis frequens eorumdem mentio recurrit.

Carceres etiam Romæ admirandi. Carcer Tullianus, ejusque capacitas.

30 Sed ab aquæductibus, ac cloacis ad Urbis carceres, qui suam habent inter cætera Urbis miracula admirationem, interim digrediamur. Quotus enim quisque merito antiquum carcerem Tullianum non suspiciat, qui tantæ quondam Urbi criminosis ac perditis hominibus coercendis unus dumtaxat sufficiebat, ut Juvenalis affirmat.

Juv. sat. 3.

Felices proavorum atavos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam sub regibus atque tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.

Ejusdem descriptio.

Cujus autem formæ hic carcer esset, à Sallustio manifeste describitur: *Est locus*, inquit, *in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paulatim descendens ad lævam circiter duodecim pedes humi depressus: eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideus fornicibus juncta, & inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis ejus facies.* Hæc Sallustius de loco Tulliani carceris. De eodem & Varro his verbis: *Carcer à coercendo, quod exire prohibentur. In hoc pars, quæ sub terra Tullianum appellatur, ideo quod ea addita sit à Tulliano Rege.*

Lib. 4. de Ling. lat.

Carcer Mamertinus.

31 Porro & Mamertinus quoque carcer recolendus videtur, qui à Tulliano, quem hactenus memoravimus, valde distare videtur, si Baronio in notis ad Martyrolog. Roman. adhæreamus: qui item rationem assignat, unde hic carcer denominationem sortitus sit. Appellatur autem frequenter in sacris martyrum actis hic carcer Custodia Mamertini. *Sic*, inquit Baronius, *appellatus reperitur carcer ille, qui nobilitatus vinculis SS. Apostolorum Petri, & Pauli, aliorumque sanctorum martyrum, ad radices Capitolii, supra locum, quem hodie forum dicunt, positus, subterraneos habens descensus: à Christianis statutis diebus religionis ergo invisitur, atque in honore habetur.* hæc Baronius, quibus addit: *Ex his videmus Regum, ac Imperatorum temporibus Romæ auctum carcerem, ac noviter extructum esse* (scilicet Mamertinum) *contra vero Christianis imperantibus: Nam Constantino, ac successoribus Augustis usque ad Phocam summæ laudi datum, quod cum plurima erexerint ædificia, carcerem tamen, ut olim erat, humilem reliquerint, ac debilem, ut auctor est Glycas Annalib. lib. 4. Carcer itaque Mamertinus sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, aliorumque sanctorum Martyrum vinculis consecratus, ex quo desiere superstitiosæ gentilitatis Imperatores, desiit etiam esse criminosorum ergastulum, ac mutatus est in Ecclesiam. Nam ex quo Christiani homines sumpserunt habenas Imperii, non amplius quempiam invenies detrusum in carcerem Mamertinum, sed atrocium criminum rei in Tiberinam insulam conjiciebantur.* Hæc de antiquis Romanorum carceribus Urbis gloriam notis haud obscuris protestantibus ex Baronio in medium proferre voluimus.

Bar. in not. ad mart. die 14 Mart.

Carcer Mamertinus vinculis Petri & Pauli Apost. consecratus in Ecclesiam transiit.

32 Hujus vero Mamertini Carceris ipso Capitolino colle longe præstantioris præconia, quippe qui B. Petri illustratus præsentia, toto passim Orbe coruscat, Martha Marchina, quam supra laudavimus, egregiis carminibus acute perstrinxit, quæ eidem nunc carceri perpetui instar monimenti calamo insculpimus:

Ejusdem Carceris præconia à Martha Marchina decantantur.

Martha Marchina

Tarpejis ubi tecta latent excisa cavernis,
Et nigro squalent carceris antra situ:
Huc Orbis rapitur Princeps, quem ferrea nectunt
Vincla, sed his Orbem vincere Petre potes.
Spernite victores Capitolia: clarior iste
Sub Capitolina rupe triumphus erit.

Nec contenta pia fœmina piis Carcerem carminibus devotionis ergo salutasse, eundem etsi perobscurum, & squalidum, insigni tamen portento clarum ac nobilem descripsit, cum per Beatos Apostolos Petrum & Paulum ibi in Mamertini Custodia detentos aqua divinitus ad Processum, & Martinianū cum aliis quaterdenis militibus sacro abluendos baptismate è rupe dimanavit. hæc igitur cecinit:

Aqua in eo per Apostolos divinitus scaturit hodieque visitur.

Clauditur in tenebris hominum Piscator, & inde
Bina quaterdenos retia missa trahunt.
Unda deest, Petri virga Tarpeia rupes
Percussa, è petris larga fluenta dedit.
Clavigerum Cæli, armigeri de carcere mittunt,
Hic illis clausas pandit ad astra fores.

Sed jam à carceribus, qui sanctorum martyrum meritis, ac triumphis illustres redditi Subterraneæ Romæ faciem magis exornant, quam theatra, & superba olim palatia, nec non tot passim conspicua substructionum monimenta patentem Romam illustrarunt; à carceribus, inquam, ad locum, unde digressi sumus, revertamur.

Roma martyrum carceribus, quam Imperatorum palatiis illustrior.

33 Cætera autem, quæ ad Romanæ antiquitatis decorem spectare videntur, ne Lectoris patientia abutamur, consulto omittimus, hæc interim pauca studiosorum gratiam prælibasse cupientibus satis rati, ut dum variis dispersas locis antiquitatis ejusdem reliquias perscrutando lustrabimus, ex ipsismet, quæ supersunt, ruinis, antiquam Urbis faciem meminisse quis possit, & cum tot rerum mirabilium ac memorandarum monimenta penitus desiisse conspicit, haud mirari desinat Urbis Romanæ gloriam, quæ, ubi Apostolica beatissimi Petri sedes Dei consilio constituta est, totius orbis jure merito sibi principatum vindicat, quinimo ipsis gentium ruinis adaucta, longe majora obtinuisse promeruit, dum colla Christi jugo subdidit, quam cum omnium gentium domina, omnium gentium serviret erroribus. Quod sane nostrę potissimum Urbi præcipui inter cæteros Apostoli Petrus

Cur de antiquis Romæ monimentis agendum hic fuerit?

R &

& Paulus contulere, qui & ſacro eamdem cruore purpuream reddiderunt, & innumerabilium martyrum, qui hic viriliter ad ſanguinem uſque decertarunt, in prælio duces extitere. Sed demum, ſi libet, iiſdem verbis Apoſtolicam compellemus urbem, quibus eam Leo ſanctiſſimus obteſtatur: *Iſti ſunt*, inquit, *patres tui, veri que paſtores, qui te regnis cæleſtibus inſerendam, multo melius, multoque felicius condiderunt, quam illi quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt, ex quibus qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdavit. Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens ſancta, populus electus, Civitas ſacerdotalis, & regia, per ſacram beati Petri ſedem caput Orbis effecta, latius præſideres religione divina, quam dominatione terrena: quamvis enim multis aucta victoriis, jus Imperii tui terra marique protuleris, minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana ſubjecit.*

Apoſtrophe Leonis Papæ Urbem Romam ſuper Apoſtolis Petro & Paulo compellantis.

S. Leo ſer. 1. de natal. SS. Ap. Pet. & Paul.

34 Romanæ igitur Urbi Apoſtoli, dum Chriſti Euangelio & ſignis coruſcant, dum minis cedere neſciunt, dum gladio ac neci viriliter ſuccumbunt, ipſo triumphali ſanguine purpurati gloriam immortalem pepererе, ob quorum divinos plane triumphos, procul abjectis, quæ gentilitiæ ſuperſtitionis erant, trophæis, totius terrarum orbis principatum, venerationemque ſortita, jugi populorum omnium admiratione ſuſpicitur, ut diſertis fatetur verbis Chryſoſtomus: *Admiror*, inquit, *Urbem Romam, non propter copiam auri, neque propter rem aliam, ſed propter columnas illas Eccleſiæ, quibus veluti coronis duabus ornatur Urbs illa, quibus veluti duobus oculis toto Orbe reſplendet.* Verum quo religionis cultu præcipua Cœmeteriorum Urbis, & Eccleſiarum loca, in quibus pretioſa martyrum pignora condita ſervantur, populis è toto terrarum Orbe huc advenientibus frequentarentur, expreſſe Hieronymus meminit: *Nec uſquam*, inquit, *alibi terrarum tanto ſtudio, & frequentia ad Eccleſias, & ad martyrum ſepulchra, ut in una Roma concurritur.* Certe Prudentius olim populos, idololatriæ depoſitis jam ſuperſtitionibus, & cultum inanium deorum abjurato, catervatim ad Vaticanum Petri tumulum confluere, & pari honore Salvatoris Baſilicam in Laterano colere ac frequentare conſueviſſe affirmat, dum iſthæc in ſuis carminibus ad rem noſtram cecinit:

Roma binis Apoſtolorum Principibus admiranda ac immortalis effecta.

Chryſ. hom. 32. in epiſt. ad Hebr.

Hier. præf. in lib. 3. ad Gal.

Poſthinc ad populum converte oculos quota pars eſt
Quæ Iovis infectam ſanie non deſpicit aram?
Omnis qui celſa ſcandit cœnacula vulgus,
Quiſque terit ſilicem variis diſcurſibus atram
Et quem panis alit gradibus diſperſus ab altis.
Aut Vaticanum tumulum ſub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obſes:
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes
Unde ſacrum referat regali chriſmate ſignum.

Prud. lib. 1. contr. Symmach.

Et de his hactenus, interim vero ad ſacra perſcrutanda Subterraneæ Romæ Cœmeteria, cujus, ut Pſalmiſta ait, *omnis gloria filiæ regis ab intus eſt*, etſi lento, devoto tamen pede accedamus.

Pſal. 44.

CAP. II.

De martyrum extra Urbem Cœmeteriis, quæ præcipuis notantur ac innoteſcunt viis.

Urbs urbium Roma & integræ in ea civitates collocatæ.

HActenus antiquam urbis faciem conſulto quidem Lectori ob oculos propoſuimus, ut ampliſſimum Subterraneæ Romæ ambitum, cujus imaginem jam deſcripturi ſumus, haud miretur, cum quis hæc noſtra pervolverit, verum illam Athenæi, quem ſupra citavimus, de Urbe Romana differentis ſententiam probe teneat: *Romam nimirum idcirco Urbem urbium dictam fuiſſe, quia videre eſt*, inquit ille, *integras in ea civitates collocatas.* Ita plane de Subterranea Roma nobis pronuntiandum eſt, integras videlicet civitates, ac immenſa propemodum ſpatia ſub inferiori Urbis unius ambitu contineri: quot enim ibi Cœmeteria adnumerantur, tot idem fere urbes jure merito recenſere quis valeat. Ut enim iiſdem interim verbis utamur, quibus Romæ laudes ſcriptorum alter perſtrinxit: *Omnia loca citra Urbem habitata, ſine mœnibus fuere, in quæ ſi quis intuens magnitudinem Urbis Romanæ exquirere velit, fruſtra hærebit, ubi deſinat Urbs, ubi incipiat.* Porro hæc ipſa de immani Cœmeteriorum latentium ſinu, & circuitu ſubintelligi, ac explicari commode queunt, qui tam longe, lateque protenditur, ut ipſamet Urbs (Baronio teſte) obſtupuerit, cum in ſuis aliquando Suburbiis abditas ſe novit habere Civitates. Ut enim ex perantiquis Eccleſiaſticis Urbis ejuſdem tabulis conſtat, in Romana potiſſimum Urbe, Cœmeteria ejuſcemodi variis diſtincta, & prænotata nominibus, ſexaginta quondam adnumerabantur, quæ tum à Romanis Pontificibus, tum ab aliis Religioſiſſimis Sexus utriuſque hominibus pro varia temporum ratione conſtructa, primævi adhuc nominis derivationem retinent, ut Baronius, Panuinus, aliique peritiſſimi Rerum Eccleſiaſticarum Scriptores eadem recenſentes affirmant. Sunt autem Cœmeteria hæc ampliſſima, multis ac variis viis, ſemitis, viculis, meatibus, cubiculis, angiportibus, ac foris diſtincta, in quibus olim Chriſtiani, excavatis hinc inde, ut dictum eſt, loculis in ipſis cryptarum lateribus fornices ſuſtinentibus, non modo beatorum martyrum, ſuorumque corpora religioſe humare, ſed & cum acrius perſecutorum rabies recrudeſceret, latebras quærere, ſacroſque in eiſdem, ut præmiſimus, conventus agere conſueverant.

Athen. l. 1.

Integræ item ſub Roma civitates continentur.

Ipſamet Roma plures in ſuis viſceribus abditas civitates ſe habere obſtupuit.

Sexaginta cœmeteria in Urbe quondam extitere.

2 Et quidem, ut Judæi quondam ſub Hadriano Imp. cum iterum Hieroſolymam inhabitare cœpiſſent, & crebro interim tumultuantes, dum armorum vi à militibus Romani exercitus impeterentur ſibi ſubterfugia diſponerent, ut Dio refert, ſubterraneas cavernas conſtruxere, in quas tuto recepti, cum inſtaret neceſſitas, colligerentur, & cum Romanorum armis reſiſtere non valerent, fuga ſibi ac latebris conſulerent, id pariter Chriſtiani præſtitere, ut infra videbimus. Sed iſthæc ex Dione audiamus: *Poſtquam vero longius Hadrianus abfuit, palam in arma vertuntur, quamquam aperta acie cum Romanis congredi non, & ſint: auxilia autem ſumebant, muro & cavernis ſubterraneis, ſpecus fodientes, atque cuniculis omnia munientes, ut quoties violarentur, liberos haberent ad fugam exitus, invicem quoque ſubter terram clanculum commeare: ſpecus & ſubterraneas vias, ſuperne quibuſdam in locis hiantes ad ventos & lucem excipiendam perforaverunt.* His verbis Dio ſubterraneam, ut vides, Hieroſolymam eleganter deſcribit, & quodammodo legentium ob oculos ponit. At iiſdem plane verbis ſubterraneæ Romæ faciem calamo delineatam, & latum ac latentem ſacrorum Cœmete-

Hebræi cavernas ſubterraneas ſibi ſubterfugia Hieroſolymis extruxere.

Dio in Had.

meteriorum ambitum apte circumſcriptum fuiſſe Baronius his quidem verbis teſtatur : *Hæc quæ ſcribit Dio de Iudæorum ſubter terram viis fabricatis, illam ipſam plane ſpeciem repræſentant, quæ etiam Romæ fuerunt à Chriſtianis in arenariis cryptis constructa Cœmeteria; quorum uſus non modo inſerviebat humandis defunctorum corporibus, ex quo & nomen eſt inditum, ſed & perſecutionis tempore ad latebras Chriſtianorum. Mirabile dictu, vidimus, ſæpiuſque luſtravimus Priſcillæ Cœmeterium haud pridem inventum, atque refoſſum via Salaria, tertio ab urbe lapide; quod nullo magis proprio vocabulo, dixerimus præ ejus amplitudine, multiſque atque diverſis ejuſdem viis, quam ſubterraneam civitatem : quippe quod ipſius ingreſſu primaria via cæteris amplior pateat, quæ hinc inde vias diverſas habeat, eaſdemque frequentes, quæ rurſum in diverſos viculos dividantur, & angiportus : rurſus ut in civitatibus, ſtatis locis velut fora quædam ampliora ſint ſpatia ad conventus ſacros agendos, eademque ſanctorum imaginibus exornata; nec deſint, licet nunc obſtructa, ad lumen recipiendum deſuper exciſa foramina. Obſtupuit Urbs cum in ſuis ſuburbiis abditas ſe novit habere civitates, Chriſtianorum tempore perſecutionis olim colonias, modo autem ſepulchris tantum refertas : & quod legebat in chartis, vel videbat ex aliis Cœmeteriis aliqua ſolum ex parte recluſis, tunc plenius intellexit : quæ enim de iiſdem apud S. Hieronymum vel Prudentium legerat, ſuis ipſius oculis intuens, vehementer admirabunda ſpectavit. Sed de Cœmeteriis dicturi ſumus alias locupletius : ſatis hæc modo occaſione Iudaicarum latebrarum, quæ ad inſultus & impetus Romanorum vitandos ab illis inſtituta fuerunt; quemadmodum & à Chriſtianis Romæ, aliiſque in regionibus, ubi loci natura concederet, ad furorem gentilium evitandum ejuſcemodi ſunt loca compoſita.* Hæc in ſuis Annalibus Baronius ad ſacram cœmeteriorum deſcriptionem adumbrandam legentibus inſerere, & nos ad rem noſtram hic referre voluimus.

Chriſtiani eodem modo cœmeteria Romæ ſubter terram ſibi pararunt.

Priſcillæ Cœmeterii deſcriptio.

Faciem cujuſdam civitatis ſubterraneæ præ ſe fert.

Roma abditas in ſinu ſuo civitates admirabunda ſpectavit.

3 Quod autem de Hieroſolymitana olim urbe Strabo aſſerit, dum ob ſepulchrorum numerum ibidem in petra exciſorum, totam regionem illam intra ſexaginta ſtadia inferne ſaxoſam eſſe ait. Judæi enim in cryptis, ac petris Abrahæ exemplo edocti ſepulchra ſibi aptabant, *& tumbas eadem appellabant, ſpeluncas nimirum*, ut Epiphanius inquit, *in petris effoſſas, ac constructas.* Hoc idem plane, & jure merito de Romana Urbe affirmare quis poteſt, ſubterraneam videlicet totam, & arenariam eſſe, atque ampliori ambitu ejuſdem latitudinem, magnitudinemque circumſcribi ac protendi, quam ipſiuſmet ſuperioris, ac conſpicuæ Romæ circuitus protendatur. Ne quis vero immenſa hæc locorum ſpatia, ac ſubterraneas, quas delineamus, Civitates otioſas omnino, populiſque incultas fuiſſe exiſtimet, recolat, quæſo, perſecutionum, quæ Romæ obtigerunt, tum acerbitatem, tum numerum, quo tempore, cum in Chriſtianos acriter Gentiles deſævirent, fuga & latebris ſibi conſulendum fuit. His innumerabiles propemodum martyres addito, quibus ſepultura à Chriſtianis religioſo cultu in dies impendebatur.

Omnis circa Hieroſolymas regio ob ſepulchrorum multitudinem inferne ſaxoſa.

Strabo l. 16

Epiph. hær. 10. contr. Ebion.

Roma majori ſubtus quam ſupra certam amplitudine protenditur, atq; ea ſubterranea Urbs populis ac habitatoribus frequentiſſima olim fuit.

4 Si enim hic obiter ab externarum provinciarum Chriſtianis ad noſtros ſtylum convertendo argumentari liceat; quantum ubique eorumdem numerus adauctus eſſet, illud manifeſte comprobare videtur, quod ſub Arrio Antonino Aſiæ Proconſule contigiſſe hiſtoriarum paginæ perhibent : *Hic enim*, ut Baronius ait, *dum provinciam adminiſtraret, & de Chriſtianis quæstiones haberet, in una Aſiæ provinciæ civitate, quæ Chriſtianam religionem fuerat amplexata, omnes, qui in ea erant fideles, pro tribunali ſedentem adiere, palam ſe Chriſtianos eſſe profitentes, eaque de cauſa omnes ſe libenter mortem oppetituros : cum is rei magnitudine, & novitate perterritus, paucis ex illis damnatis, in reliquos, ut præcipitia, atque ſuſpendia, ſi mori optarent, ſibi ſponte deligerent, exclamavit. Recitat hæc Tertullianus ad Scapulam, ſic dicens : Arrius Antoninus in Aſia cum perſequeretur inſtanter, omnes illius civitatis Chriſtiani ante tribunalia ejus ſe manu facta obtulerunt. Cum ille paucis duci juſſis, reliquis ait :* Ω δειλοὶ ; εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. *Hoc eſt : O miſeri, ſi cupitis perire, præcipitia & reſtes habetis. Hæc Arrius Antoninus, qui ut dictum eſt, poſtea ſuccedens in Imperium, Pius eſt dictus.* Hæc Baronius, dum crebras, & quidem acerrimas intentatas in Chriſtianos perſecutiones commemorat : quibus hoc addit : *Ex his certe palam fit, magnas olim in Chriſtianos perſecutiones excitatas fuiſſe. Nam, ſi qui omnium æquiſſimi habebantur Præſides provinciarum, ut Antoninus, inſtanter, ut ait Tertullianus, Chriſtianos perſequebantur; quid alios feciſſe credendum? Videas ex his pariter flagrantem in Chriſtianis amorem pro Chriſti nomine martyrii ſubeundi.* Porro ſi vel una Aſiæ civitas tot Chriſtianos martyrii avidiſſimos protulit, quot Urbs Roma Chriſtianos pari ardore conſpicuos in medium edidit, quæ ſola Orbis terrarum, & fidei caput, Apoſtolorum ſanguine irrigata, ſubeundis martyriis dedicata eſt?

Quantum eo ſe Chriſtiana res diffuderit.

Bar. to. 2. ann. Chriſt. 123 n. 4.

Antonino integra Aſiæ civitas pro fide mori parata ſe profitetur.

Antonini ad illos reſponſio.

Quam immanis olim in Chriſtianos perſecutio.

Quam ingens Chriſtianorum pro Chriſto moriendi ardor.

Urbs Roma martyriis ſubeundis præcipue dedicata eſt

5 Quinimmo ſtudioſus Lector cavernarum cœmeterialium amplitudinem haud mirabitur, ſi confertam Chriſtianorum multitudinem, eorum præſertim qui Romæ degebant, uberrime redundantem ex Tertulliano antiquos inter ſcriptores probatiſſimo repetat, qui cum ſæculo eodem vixerit, quo rem narrat, admiranda prorſus Chriſtianæ religionis incrementa, ſectatorumque Chriſti numerum ipſis exprobrando gentilibus, in hæc verba deſcribit : *Externi*, inquit, *ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum.* Vides Chriſtianorum multitudinem ullo abſque numero, & menſura ubique diffuſam, cum integras jam urbes hi, Tertulliano teſte, occuparent. Sed ipſum gentiles iterum hac de re alloquentem audiamus : *Sola*, inquit, *vobis relinquimus templa. Si tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet utique dominationem veſtram tot qualiumcumq; amiſſio civium, immo etiam & ipſa deſtitutione puniiſſet, proculdubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quendam quaſi mortuæ Urbis, quæſiſſetis, quibus in ea imperaſſetis : plures vobis hoſtes quam cives remanſiſſent. Nunc enim pauciores hoſtes habetis præ multitudine Chriſtianorum, pene omnium civium, pene omnes cives Chriſtianos habendo, ſed hoſtes maluiſſetis vocare generis humani, quam erroris humani.* hæc acute Tertullianus, ubi ipſammet urbem ſub florentiſſima Gentilium tempora Chriſtianis refertam fuiſſe ſatis perſpicue affirmare videtur. Quid mirum igitur, ſi tam numeroſæ multitudini ad latendum, ad conveniendum, ad orandum, ad peragendum ſynaxes, ad tumulandum denique

Ingens Chriſtianorum ſub Ethnicis Imperatoribus Romæ multitudo.

Tertull. Apol. c. 37.

denique fidelium corpora quærerentur vastissima locorum spatia?

6 Nonne ex ipsis Ecclesiasticis historiis legenti palam fit, Christianos ubique, & in Urbe præsertim haud pacifice agere permissos fuisse, sed sub quibusvis Imperatoribus, & sub qualibet tempora exagitatos, latibula sibi quærere coactos? Si quis vero rationem assequi cupit, cur vel ab ipsis Imperatoribus, qui clementiæ titulo inter cæteros excelluere, fides Christi odia jugiter, & persecutiones perpessa sit, quod sub Trajano potissimum mitis naturæ Principe contigit; illam utique deprehendet, quod videlicet Christianorum numerus in immensum auctus, ipsis (ut Tertullianus dixit) timorem Imperatoribus incuteret, ne grave Respublica dispendium, contemptis Deorum ritibus, pateretur; sed hæc ex Baronio, si libet, excipiamus: *Potest fortasse alicui dubitationem facere, quid est quod laudatissimus Principum, idemque æquissimus (sic enim gentilium omnium testimonio habetur) in Christianos tamen se iniquissimum, atque sævissimum exhibuerit? Ad hoc primum dicimus (quod quidem Patres in Apologiis sunt prosecuti) complures hæreticos, ac præcipue Gnosticos nomine Christiano censitos, turpibus, execrandisque facinoribus impollutæ Christianæ religioni ignominiam irrogasse; suisque impurissimis obscœnitatibus effecisse, ut genus, fides, nomen ipsum denique Christianum blasphemaretur inter gentes: adeo ut secundum Domini futura prædicentis sententiam, obsequium se Deo præstare existimarent, si Christianos, ut nequissimum genus hominum, internecioni traderent, invidiosumque nomen prorsus abolerent. Erant & aliæ mentitæ, vel simulatæ causæ, quas in Annalibus singillatim recensuimus, quibus Principes persuasi, illi ipsi, qui apud gentiles habiti sunt æquiores, iidem sæviores in Christianos se exhiberent, illis in hoc non dissimiles, qui etiam Gentilium judicio pessimi fuerunt, ut Nero, Domitianus & alii.*

Cur sub Trajano potissimum fides Christi persecutiones acriores perpessa sit.

Bar. not. ad Mart. die 23. Ian.

Hæretici Gnostici suis sceleribus Christianos exosos apud gentiles reddebant.

Christianos neci tradere è repub. acptum esse ducebant.

7 His à Baronio enarratis, illud mox subditur, quod ad rem nostram facit, causam videlicet potissimam exerendi adversus Christianos gladii extitisse, quod Christianorum fidem quotidie in Orbe invalescere, & religionem Christi majora quotidie incrementa capessere, ac Christianorum numerum coalescere advertebant: quapropter sibi, & Reipublicæ à tanta hominum multitudine, qui extraneis uterentur legibus, maxime cavendum existimabant: sed ad Baronium redeamus, & rei causam ab ipso exploremus: *Sed quod*, inquit, *in primis Trajani animum in eosdem vehementissime incendit, illud fuit, quod ex litteris Plinii secundi, quæ habentur lib. 10. ep. 103. accepit, nimirum Christianum genus adeo invaluisse, sicque illorum numerum auctum, ut idolorum templa deserta, desolataque remanerent; & nedum in civitatibus, sed & in vicis, & agris sacra deorum essent intermissa, & (ut ait) rarissimus victimarum emptor inveniretur. Quibus ille acceptis, ut collabenti Idolorum cultui consuleret, ac diis, à quibus Imperium acceptum ferebat, rependeret gratias, & Christianos, ut impios, deorumque contemptores è medio tollendos edixit, & quo magis erga deos pius, & Reipublicæ studiosus: eo amplius in Christianos severus videri cupiebat. Sed explorata demum per eundem Præsidem illorum innocentia, non ultra inquirendos, sed oblatos tantum puniendos esse rescripsit. De cujus adeo iniqua sententia inquit Tertullianus in Apologetico: O sententiam necessitate confusam; negat inquirendos ut innocentes, mandat puniri ut nocentes: parcit, & sævit; dissimulat, & animadvertit.* Hæc ex Baronio libenter in medium protulimus, ut lector vel manu deprehendat mira Christianæ fidei augmenta non tantum in tot urbibus, & Orbis terrarum locis, sed tum præcipue, ut conjicere fas est, in urbe Romana, Orbis totius capite, ubi gentium omnium undique conventus habebatur, ubi Pontifex Christi Vicarius præsto erat, & sanguis martyrum propagandæ religioni seminis instar inserviebat. Ex quo haud mirum, ut diximus, si tot in urbe passim cæmeteria adnumerentur, quæ Christianis in unum convenientibus receptacula forent, & in sacris obeundis muniis templorum instar tutum præberent sinum, & tot denique fidelium inferendis cadaveribus sepulturæ locum suppeditarent.

nimiis fidei quotidie incrementis territi gentiles, eam acrius persequi censuerunt

Quid Trajani animum in Christianos præcipue moverit?

Trajanus suam in Christianos severitas, erga deos pietas videri voluit.

Ejus de illis non inquirendis sententia.

Tantæ Christianorum multitudini, tot tantaque Cœmeteria, quibus reciperetur, extitisse nil mirum.

1 Adde, quod, ut in Martyrologiis observare licet, una Roma mactandis Christi ovibus generale quasi macellum constitutum esset. In ea quippe, aut Imperatores, aut Præfecti urbis perpetuā Christianorum carnificinam exercebant; & vocante ad pugnam hoste, *non singuli militum*, ut Cyprianus ait, *sed tota simul castra prodebant.* Quippe, ut idem Cyprianus adstruit, *exuberante postmodum copia virtutis, & fidei, numerari non possunt martyres Christiani.* Certe si D. Gregorio fides adhibenda est, qui pro Christo sanguine laureati sunt, absque numero sunt: *Totum mundum*, inquit, *fratres aspicite, martyribus plenus est. Iam pene tot qui videamus non sumus, quot veritati testes habemus.* Cum tot igitur ubique terrarum numero martyres extiterint, quot præcipue in urbe Roma extitisse putandum est? *Certe Urbem hanc*, ut S. Leo exclamat, *beatorum millia martyrum, Apostolicorum æmuli triumphorum purpuratis, & longe lateque rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronarunt.*

Roma olim generale Christi ovibus mactandis macellum erat.

Cypr. ep. 17. ad Cornel.

Infinitus in Ecclesia martyrum numerus.

Greg. hom. 23. in Eu.

S. Leo.

Millia martyrum Romam coronant.

9 Sed ut orationis stylum contrahentes, ad nostra redeamus; jam de sacris Urbis Romanæ Cœmeteriis, tum de iis, quæ ad hæc quomodolibet pertinere videbantur, prolixe egimus; & multa quidem, quod instituti ratio exigebat, generatim disserendo, Cœmeterialium rerum enarrationem adumbravimus potius, quam exposuimus, ut nimirum ad perscrutandos Romanam apud Ecclesiam, & qui inæstimabiles sunt, sacrarum antiquitatum thesauros, vel certe ad consepulta inter ipsa martyrum sepulchra Christianæ Religionis trophæa curiosius investiganda, studiosi Lectoris animum excitaremus. Nunc igitur exactam Cœmeteriorum descriptionem aggrediamur, eorum præsertim, quæ in amplo urbis circuitu sita, velut insignia militantis ac peregrinantis Ecclesiæ tabernacula, tutissimaque ovium Christi receptacula usque nunc suspiciuntur, quæ item Angelicorum hominum in terris mansiones jure merito dici, ac fidei insuper *supra firmam petram ædificatæ, contra quam portæ inferi haud unquam prævalere* potuerunt, fundamenta, & demum, ut uno verbo complectar omnia, perennium monimenta certaminum præcipuo à cunctis nomine appellari meruerunt.

Sermo hactenus prolixior animo lectoris cœmeteria perlustraturi præparando fuit.

cæmeteriorum in urbis circuitu sitorum adnotanda nunc descriptio.

Matt. c. 16

10 Et certe sacrorum Cœmeteriorum præconia prophetico olim spiritu Apostolus designasse visus est, dum perspicue primitivos Christianæ fidei sectatores multiplicium pressurarum incommodis exagitatos aptissimis utique verbis expressit: *Alii vero*, inquit, *ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt*

Apost. ep. ad Hebr. c. 11

Vera veterum Christianorum

ex D.Paulo descriptio.

runt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ. En paucis ab Apostolo primorum Christianorum, qui Cœmeteria incoluere, faciem, ac eorundem mores lector nosti.

De quibusnam Cœmeteriis primum agere visum fuerit?

11 Sed ut Cœmeteriis interim insistentes de singulis peculiariter agamus, ac singillatim arcanos eorundem sinus, accepta ab historicis luce, perscrutantes, ipsis è tenebris rediviva in medium proferamus, quæ ex ignotis, ut ita dixerim, antiquitatum reliquiis, vel certe è ruderibus, ingenti studio ac labore, haud absque multis difficultatum incommodis conquisita eruere tandem, ac manu deprehendere licuit. Ut plana autem ac facili methodo ejusmodi enarratio procedat, opportunum nobis visum est, Cœmeteria, quæ apud notiores, ac magis celebres vias sita sunt, à reliquis secernere, & inquirentibus ob oculos proponere. Quod ut à nobis exacte præstetur, & viam præmonstrando, lectorem ipsum quodammodo manuducamus, ab una interim Romanorum mœnium parte iter aggredientes, huc illuc deinde discurrendo progrediemur, quousque totius Urbis ac suburbiorum ambitu perlustrato, ad locum, unde primum viam cœpimus, feliciter deveniamus.

Via Triumphalis olim omnium celeberrima ac nobilissima.

12 Verum cum sacri hujus itineris haud incerta nobis ratio tenenda sit, ac proinde antequam enarrandi initium faciamus, certum aliquod viarum caput definiri, statuique oporteat, haud aliud profecto vel magis aptum, vel opportunum magis ad rem nostram seligi potest, quam celebris illa reliquas inter Triumphalis Via, nunc jure quidem potiori, quam antiquis temporibus nobili hoc titulo insignita, meritoque cunctis præferenda viis tam præclarum præ se ferens nomen, quæ nimirum nobilissimum suos intra fines, limitesque Cœmeterium continet Vaticanum, & cæteris omnibus in Urbe locis tum antiquitate, tum religione ob recolendam apostolici triumphi memoriam, rerumque sanctimoniam longe præcellit. Ibi enim venerandum beati Petri Apostolorum principis corpus requiescit, illius nempe, qui Dominicæ vocis oraculo, totius Caput Ecclesiæ, & fidei Petra ac fundamentum extitit. Illius, inquam, qui non unam, aut alteram provinciam, sed totum terrarum orbem Christi Euangelio subegit, qui primus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, sicut Julius Cæsar primus Romanæ Urbis, ac orbis Imperator appellari promeruit. Cæsari etenim illud singulare elogium à Plutarcho inscriptum est; *quod videlicet mille urbes cepit, quod regiones trecentas subjecit, quod centena hostium millia in acie cæcidit, quod in Asiæ, Africæ, Hispaniæ bellis civilibus victor gloriosus extitit.* Piscator autem Petrus, utpote amplioribus auctus triumphis, ut Chrysostomus ait, *Civitatem maxime regiam occupavit, etiam post mortem resplendet sole clarius:* & totius orbis principatum in Vrbe orbis capite sibi vindicat, & Vaticanum collem sepulchro suo, ac triumphalibus exuviis illustrat. Ibidem tot Pontificum sanctitate præstantium, ejus & fidei & Cathedræ successorum, ac innumerabilium denique martyrum corpora condita fuere: qui post immensos pro Christo libenter exanthlatos labores, Petræ, id est Petri fidei, ejusdemque confessioni constanter inhæserunt, & inter ipsa, quæ proponebantur, certamina jugiter imperterriti verbo & exemplo supremum Apostolicæ sedis Romana in Vrbe principatum stabilire conati sunt; & usque ad effusionem sanguinis pro Christo viriliter decertantes, *Apostolorum*, ut sanctus inquit Leo, *æmuli triumphorum purpuratis, & longe lateque rutilantibus populis Romanam hanc Urbem ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronarunt.* Quin immo sudore, ac sanguine laureati, dum de idolorum cultu victoriæ palmam referunt, ob merita, quæ sibi dimicando pepererant, in terris trophæa, solidos ac perennes apud cæleste Capitolium triumphos promeruere.

Eadem nunc Cœmeterio Vaticano & sepulchro præcipui Apostolorum veneranda.

Petri Apostoli præstantia, ac ejus elogium.

Plutar. in Cæsar.

Chrys. hom. in Psal. 48.

S. Leo ser. 1. de natal. Apost. Petr. & Paul.

13 A celeberrima igitur hac Via, hoc est, ab augustissima Petri memoria, ab ipso, inquam, principis ejusdem Apostolorum sepulchro, quod præcipuis quondam regum Ægyptiorum Mausoleis longe excellentius universo terrarum orbi admirationi pariter & venerationi est, secundi hujus libri exordium desumatur. Nos interim haud concito, sed lento Viam hanc Triumphalem pede terentes, & cæteras subinde, quæ sunt trans Tyberim sitæ, Aureliam videlicet, Corneliam, ac Portuensem perambulantes, quo rem omnem historicam commode assequi valeamus, singula Cœmeteria ibidem existentia studiose perlustrabimus, quousque ad insignem Apostoli Pauli basilicam deveniamus. Rursus autem ab eadem basilica incœptæ peregrinationis iter resumentes, tertium exponere librum aggrediemur, qui plenam viarum, quæ citra eundem Tyberim occurrunt, ac Cœmeteriorum, quæ in eisdem latent, narrationem studioso lectori haud minus gratam exhibebit.

Sepulchrum Apostolorum omnibus Regum mausoleis præstantius.

14 Ambo enim isti Apostolorum duces, quippe qui veri Romanæ, aut potius Christianæ Urbis fundatores extiterunt, & huc verbi prædicatione, & profusione sanguinis, Christi fidem, ac illibatæ cultum religionis invexere, ut Leo disertis verbis proclamat: *Isti sunt*, inquit, *viri, per quos tibi Euangelium Christi Roma resplenduit.* Et infra: *Isti sunt Patres tui, verique Pastores, qui te Regnis cælestibus inserendam multo melius, multoque felicius condiderunt, quam illi, quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt, &c.* Haud verò absque divini dispensatione consilii sacratissima Apostolorum eorumdem corpora ad utramque Tyberis partem deponi, locarique contigit, sed ob eam potissimum causam, ut arbitramur, id præstitum est, ut videlicet contra ingruentes hostium impetus futuris perpetuo temporibus bina ejusdem Urbis præsidio, ac validissima jugiter existerent propugnacula, quod Fortunatus carminibus hisce adnotavit:

Petrus, & Paulus melioribus auspiciis Romæ conditores, quam Romulus cum Remo.

S. Leo in serm. in Nat. Apost.

Sepulchra Petri & Pauli bina Vrbis propugnacula.

Fortunatus.

A facie hostili duo propugnacula præsunt,
Quos fidei turres Urbs caput orbis habet.

Et Prudentius pariter in Peristeph. Hymno de SS. Apostolis:

Prud. in Peril. hym. 12.

Dividit ossa duum Tybris sacer ex utraque ripa,
Inter sacrata dum fluit sepulchra.

15 Et jure quidem merito, ut altius rem consideranti patet, in suscepta Cœmeteriorum descriptione ejusmodi nobis ordo servandus occurrit, ut ipsimet, qui tot ac tantorum martyrum in nostra hac Vrbe, quæ orbis tenet principatum, principes fuere, ipsi, inquam, Apostoli piæ hujusce subterraneæ peregrinationis edocendo iter, ac dirigendo, duces quodammodo nobis adsint, & ab utroque eorumdem beatorum Apostolorum hi duo libri Subterraneæ Romæ, qui sequuntur, & in quibus specialis de singulis Cœmeteriis sermo habebitur, præclaris quidem auspiciis initia sortiantur.

Ab ipsis Apostolorum, ac Vrbis Principibus, usque ducibus iter hoc auspicandum.

Primum sacræ antiquitatis monimenta perquirere consilium est.

26 Etsi autem præcipuum instituti nostri propositum est, Ecclesiasticas dumtaxat perquirere, ac diligenter investigando antiquitates prosequi; abditosque intra Romani soli viscera Christianæ religionis thesauros perscrutari, adinventosque aliis subinde contemplandos in lucem proferre; id tamen nobis pii benignitas lectoris indulgeat, ut passim inter peragrandum vias, juxta quas Cœmeteria delitescunt, profana item monumenta, quæ iisdem in viis sita olim erant, peculiari præmisso, ubi opus fuerit, enarrationis capite, breviter attingamus. Quandoquidem rerum profanarum cognitio ad assequendam distinctam, plenamque eorumdem Cœmeteriorum notitiam haud parum lectorem juvat; cum ex iis brevi ac facili manu deprehendere unusquisque possit, quales sint viæ, quæ fora, quæ cloacæ, quæ demum theatra ac templa, aliaque vetustiora id genus inter collapsæ Urbis reliquias monumenta, apud quæ in præcipuis beatorum Martyrum actis, sacrisque Martyrologiis, aut martyrii, aut certe sepulchri locum inscribi, ac prænotari à scriptoribus quandoque contingit, quod quidem tum sacræ, tum profanæ antiquitatis indagatoribus utile ac perjucundum fore arbitramur. Si quis verò ab hujusmodi gentilitiarum rerum superstitione, ut par est, corde atque oculis abhorret, is etiam haud parum, quod ad animi, morumque institutionem spectat, emolumenti pariter ac solatii, beata hæc Christianorum tempora cum profanis illis conferendo, percipiet: siquidem jam omnino ad impletum illud Isaiæ vaticinium perpendens *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur*, summopere gaudebit, & immortales Deo gratias aget, dum absumpta penitus contemplatur aurea inanium deorum templa, superba quondam Imperatorum Mausolea excisa, dejectaque videt, porticus, columnas, pyramides, obeliscos, ipsos denique marmoreos arcus solo æquatos, cæteraque innumera prorsus ædificia florentissimi quondam Romanorum Imperii indices, quod ipsi sponte dæmonum tyrannidi subdebatur, eorumdemque cultui deserviebat, ab oculis evanuisse, & immanes illas substructionum moles, quæ olim ad cælum usque, ipsi dicatæ quodammodo æternitati, attollebantur, nunc sacro Christi nomine ac religionis cultu sub vexillo crucis vigente, disjectas, ac humi prostratas deprehendit. Quis enim non admirabundus, non attonitus hæreat, dum quæ apud priscos gentilitii sæculi habebantur miracula, & potissima erant Urbis ornamenta, temporum deinde injuria eum in modum labefactata, & sic oblivione deleta conspicit, ut vix ullum eorum hac nostra ætate vestigium extet, & inter crebras ruinas sola nominis umbra supersit? At è contra quis animum non erigat, dum advertit humilia, abjectaque sanctissimorum hominum sepulchra, quæ intra profundos locata cavernarum sinus, intimis obruta latebris, atque ipsismet, ut videbatur, addicta tenebris, hæc, inquam, quæ inculta olim prorsus ac neglecta jacebant, clarificata nunc per Orbem Ecclesia, velut è tenebris rediviva, ob sanctitatis titulum, quem præ se ferunt, ad cælum usque caput extollere, & jugi confluentium populorum admiratione suspici? Quis enim non valde obstupescat, dum eisdem super tumulis constructa augustæ magnitudinis Templa, ac miri, vastique operis erigi moles intuetur? quod quidem (ut cætera sileamus) humili quondam, ac penitus inculto Piscatoris sepulchro (cujus nunc jugiter floret gloria) divinitus obtigisse affirmandum est. Hoc unum enim tanquam opus quoddam absolutissimum, ne perenne dixerim artis humanæ prodigium, constructiones omnes, si quæ sunt, aut unquam fuere toto Orbe terrarum celeberrimæ, omnibusque numeris absolutæ, splendore suo longe antecellit, ac ipsis quodammodo sideribus præ nimia altitudine se inserit.

Sed & de profanis breviter hic agendum.

Rerum profanarum notitiæ utilitas.

Eædem cum Ecclesiasticis collatæ jucunditatem, ac utilitatem afferunt. *Isa.* 40.

Operum profanorum cum Templo ac sepulchro Apostolorum collatio.

Illa abjecta, ac humi strata jacent.

Hæc verò nunc ad cælum elata omnibus veneranda, ac suspicienda prostant.

Tumulo D. Petri basilica celeberrima ac admiranda superædificata.

17 Sed dicet aliquis, quorsum hoc præ cæteris Urbis Romanæ templis, atque ædificiis, vel Capitolio Romano, vel Agrippino Pantheo, vel Templo Pacis, quod Vespasianus erexit, vel Urbis denique Templo comparabile ostendi potest? Ita plane, unum Vaticanum Templum & comparandum singulis, & omnibus anteferendum se offert, de quo merito Thomas Bossius noster de signis Ecclesiæ agens, hoc unum admiranda inter signa recenset: *Quid*, inquit ille, *de Templo S. Petri, quod nunc perfectum conspicimus, & admiramur, dicemus? ac ne quis antiquitatum cupidus laudator temere nos loqui putet, afferamus, quæ de Pantheo scribit, quasi spectaculo tanti operis attonitus Ammianus Marcellinus: Pantheon, inquit, veluti regionem teretem, speciosa celsitudine fornicatam, elatosque vertice scansili suggestus Consulum, & priorum Principum invitamenta portantes.* hæc Ammianus: at citatus auctor singulis diligenter pensatis, Vaticanum Agrippino Pantheo longe præcellere affirmat; *ita ut revera*, inquit ille, *hoc Templum dignitate, & artificio superet omnia, in quibus jactat se cum suis fabulis ostentatrix antiquitas.* hæc ille, qui & Templum cum Dianæ Ephesinæ Fano, ad cujus structuram viginti septem Asiæ Reges coiere, & ducentos viginti quinque annos in opere consumpsere; cum Fano, inquam, Ephesino juxta Plinii descriptionem comparans, Vaticano B. Petri Apostoli Templo palmam adscribit.

Templum Vaticanum omnibus veterum ædificiis excellentius.

Thom. Boss. de sign. Eccl. l. 11. c. 3.

Idem Agrippino Pantheo anteferendum.

Amm. Marc. hist. l. 16.

Dianæ Ephesinæ Fano dignitate, & artificio antecellit.

18 At demum ipsam Apostolicorum sepulchrorum gloriam aptis à Chrysostomo verbis descriptam hic coronidis loco subteximus: *Servorum*, inquit, *Christi splendida sunt sepulchra, quæ Urbem maxime regiam* (Romam intellige) *occupaverunt, & dies perspicui sunt, diem festum terrarum Orbi facientes: non ædificiorum amplitudine, & splendore (hac enim etiam parte excellunt) sed quod amplius est, convenientium studio. Nam & ille ipse purpura indutus peregre proficiscitur, sepulchra illa complexurus, & fastu deposito contingit sanctos, rogans, ut sibi apud Deum patrocinentur: & tabernaculorum opificem* (Paulum videlicet) *& piscatorem* (Petrum) *patronos etiam mortuus deprecatur ille diadema gestans.* Hæc ille de uno dumtaxat, & certo Imperatore loquens, sed de solemni ac pio quondam Christianorum Imperatorum more, de quibus alibi isthæc subtexit: *Relictis omnibus ad sepulchra Piscatoris, & Pellionis currunt & Reges, & præsides, & milites.* Quod item admirabundus Augustinus expressit, dum ait: *Nunc ad memoriam Piscatoris flectuntur genua Imperatoris. Ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia Piscatoris.* Et alibi: *Videas & Imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* Vides præclara sepulchrorum monimenta. Et quidem ad Apostolorum gloriam, quorum thesauris Urbs nostra ditatur, exprimendam, optime conferunt Chrysostomi verba, quæ ab aureo ejusdem ore hic nobis excipienda sunt: *Quot Reges*, inquit, *Urbes everterunt, portus*

Apostolicorum sepulchrorum gloria ex Chrysostomo descripta.

Chrys. hom. 26. in 2. ad Corinth.

Reges & Principes mundi ad ea se prosternunt.

Chrys. hom. quod Christus est Deus.

Aug. ser. 28. de SS.

Idem ep. 42.

Chrys. hom. in Psal. 48.

portus exstruxerunt, & nominibus suis inscriptis decesserunt; nec tamen eis quidquam profuit, sed silentio, & oblivioni dati sunt. Piscator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est prosecutus, & civitatem maxime regiam occupavit, & jam post mortem resplendet sole clarius. Sed ipsum quoque de Paulo disserentem audire libet: *Nullus ex Romanis Regibus tanto in honore fuit, quanto unus Paulus. Imperator quidem foris jacet abjectus: hic autem Urbis medium velut vivens, & regnans tenet.* En, ex quo potissimum fonte Romanæ Urbi gloria exorta est!

19 Verum, quod peculiari admiratione dignum est, Horti, Circus, Naumachiæ, aliaque præclara Gentium monumenta, quæ apud Vaticanum jampridem excultissima videbantur, & intuentium in sui contemplationem oculos rapiebant, è medio ruinis crebrescentibus sublata, ab hominum oculis & memoria penitus exciderunt; ita ut tempus edax rerum, & invida anteactorum sæculorum vetustas de ipsamet Triumphali Via, quæ Imperatorum triumphis dicata, palmis jugiter ditabatur, triumphum egisse videatur. Horum tamen omnium, quæ supra memoravimus, superstes adhuc in rerum historicarum paginis, aut in loquacibus, etsi mutis, marmoribus, &, quæ modo supersunt, demolitorum ædificiorum vestigiis memoria perseverat. Sed nos instituti nostri proposito inhærentes, singula breviter attingamus.

CAP. III.

De Triumphali Porta, Vaticano colle, & iis, quæ antiquitus eisdem in locis suspiciebantur.

1 PORtam, quæ Triumphalis dicitur, & multis jam abhinc sæculis memoria excidit, in ea olim Urbis parte sitam fuisse, quæ trans Tyberim ad occasum respicit, ubi nostris hisce temporibus Valetudinarium, quod vulgo sancti Spiritus in Saxia, cernitur, Romanarum antiquitatum scriptores affirmant, Blondus videlicet, Marlianus, Andreas Fulvius, Onuphrius, Pyrrhus Ligorius, ac cæteri, qui unanimes in hoc asserendo consentiunt, eamdemque aiunt prope Tyberis ripam extructam, accedentibus ultro ingressum præbuisse in ejusdem nominis pontem, cujus in medio fluminis alveo adhuc vestigia apparent.

2 Triumphalis autem nomen idcirco Porta hæc sortita est, quod triumphorum pompa, ut Josephus scribit, per eam maxime duci consueverat. Et quoniam lege sancitum erat, ne Imperator, cui ob promeritam victoriæ palmam triumphus decretus esset, privatim, & absque publico ovantis populi plausu, atque obsequio Urbem ingrederetur; dum interim ille extra ageret, triumphi de more apparatus apud Vaticanum instruebatur; quamobrem illa Vaticani pars, ubi isthæc fieri contingebat, vulgo territorium Triumphale appellabatur. Hinc, inquiunt, solemni pompa Triumphator Urbem versus progredi incipiebat, qui ubi Triumphalem ad Portam pervenisset, sumpto illic cibo, triumphalia mox ornamenta induens, Diis, quorum ibi simulacra ponebantur, immolabat. Quæ omnia in descriptione triumphi, quem de Judæa subacta Vespasianus Imperator à Senatu retulit, à Josepho, qui oculatus fuerat testis, fideliter his verbis referuntur: *Vespasianus verò*, inquit ille, *ad Portam accedit, quæ ab eo, quod per illam semper triumphorum pompa ducitur, nomen accepit. Ibi & cibum prius capiebant, & triumphalibus vestibus amicti, Diis ad Portam collocatis, cæsa hostia, inter spectacula transeuntes, triumphum ducebant; ut multitudini facilior præberetur aspectus.*

3 Trajecto deinde per pontem Tyberi, Urbem ingressus, inter lætas circumfusæ multitudinis acclamationes, per Porticum, quæ tunc protendebatur juxta Ecclesiam SS. Celsi & Juliani, in aciem Campi Floræ, ubi nunc templum sancti Angeli in Piscina cernitur, ad Velabrum deinde, atque ad Janum victor festivis exceptus gaudiis procedebat, ac denique per forum Romanum, clivumque Capitolinum ad ipsius Jovis Capitolini ædem, grates Superis relaturus Triumphator ducebatur.

Pons Triumphalis. Via Triumphalis.

4 Hæc Severanus noster Bosium secutus in Subterraneæ Romæ descriptione, à se jampridem Italico sermone edita, fusius narravit. At recentiores Triumphalem Portam prope Carmentalem, inter Capitolium ac Tyberim mediam statuunt; ac Triumphi, quem enarravimus, apparatum in Vaticano nequaquam, sed in Campo Martio instrui consuevisse pronuntiant; indeque ejusdem triumphi pompam per frequentissimas porticus, & templa usque in Flaminium Campum duci consuevisse asserunt: tunc enim juxta Porticum Octaviam ad Circum Flaminium procedebant, indeque egressi, Portam Triumphalem subibant; hinc juxta Marcelli Theatrum ad alias Octaviæ Porticus progrediebantur (quas scilicet Octavia soror Augusti fecit, ubi extat hodie ædes S. Mariæ in Porticu nuncupata; nam antiquiores porticus juxta Circum Flaminium Cn. Pompejus extruxerat) inde per medium Velabrum, ac forum Boarium transeuntes ad Circum Maximum; hinc veteres ad Curias, ubi Constantini Magni Arcus situs est: ac demum per Sacræ semitam viæ in forum juxta Saturni Templum, ubi patet Septimii Arcus, ascendere Capitolium apud antiquos in more positum erat. Id constanter utique R. P. Alexan. Donatus Societatis Jesu, vir rei antiquariæ peritissimus, asseverat in sua veteri, ac recenti nuper edita Roma, cujus sententiæ nos quoque libenti animo subscribimus; quamvis Pontis ac Triumphalis Viæ in Vaticano à triumphis usurpata proculdubio denominatio, illac etiam ductos quondam fuisse triumphos, nos ad fatendum quodammodo cogere videatur. De via autem Triumphali nulla prorsus controversia extat; omnes enim scriptores unanimiter consentiunt, hanc olim extra Urbem extitisse, quæ à Ponte ejusdem nominis incipiens ad Vaticani radices juxta Apollinis Templum, ubi nunc Vaticana Basilica, extendebatur; quod ex perantiqua itineraria tabula Juliani Imperatoris ævo confecta, & à M. Velsero edita perspicue deducitur. Quousque illa autem Via protenderetur, non satis recte ab antiquariis hactenus adnotatum puto, qui ad memoratas collis Vaticani radices, ejusdem terminum non absque manifesto errore ponunt, cum alioqui exploratissimum sit, Triumphalem Viam per collem, qui vulgo mons Marius dicitur, jam olim duxisse, quem Cinnæ Clivum appellatum quoque fuisse pervetusta ibidem reperta docet inscriptio, quam hic ex Gruthero adscribere operæ pretium erit. Sat enim indicat, Viam Triumphalem per memoratum collem versus Cassiam viam duxisse, cum qua pariter ad sextum ab Urbe lapidem jungebatur. Inscriptio autem ista sic habet:

Alia recentiorum de Porta Triumphali sententia.

Item de apparatu Triumphi, ac via triumphali.

Alex. Don. in Rom. Vet. Donati de Porta ac Via Triumphali sententia cæteris verior.

Via Triumphalis unde inciperet, & usquequo extenderetur?

Clivus Cinnæ.

Gruther. lib. de ant. inscrip.

Monu-

Inscriptio antiqua de Via Triumphali.

Monumentum quot est via Triumphale
Inter miliarium secundum, & tertium
Euntibus ab Urbe parte læva, in clivo
Cinnæ, & est in agro Aureli Primiani
Fictoris Pontificum, &c.

Hæc lapis iste de Clivo Cinnæ, & Triumphalis viæ per eum ductu nos docet, hactenus tamen à nemine, quod noverimus, adnotata.

Vestigia viæ Triumphalis inter Ædem S. Spiritus, & Vaticanum reperta.

5 Porro per semitam illam, quæ Triumphalem pontem ac montis Vaticani radices interjacet, hac nostra etiam ætate sæpius celeberrimæ ejusdem Viæ apparuere vestigia, detectis quandoque dum variis in locis terram effodi contigit, inter Ædem sancti Spiritus, ac Vaticanum Templum silicibus, quibus olim eadem strata erat, nullo quidem glutini genere inter se cohærentibus. Ejusdem verò Triumphalis Viæ, ac Portæ mentio in antiquis inscriptionibus habetur, quæ à Smetio, Lipsio, aliisque auctoribus passim referuntur: sed præcipue apud Onuphrium in Urbis Romæ descriptione sequentes leguntur. *Smetius. Lipsius. Onuphr. Pan.*

Inscriptio in qua Portæ Triumphalis mentio fit.

FORTUNÆ SANCTÆ
ATINIA TYRANNIS
SEMINARIA A. PORTA
TRIUMPHALE.
P. TERENTIUS FORTUNATUS
VIR CLARISSIMUS
CUI GRATIAS MAXIMAS
SEMPER EGI,
CUM
TERENTIA FAUSTINA FILIA
DONUM DEDIT
L. D. D. D.

Inscriptioni, quam modo amice Lector proposuimus, alteram ex eodem Onuphrio Panvino excerptam subjicimus, in qua Triumphalis Viæ mentio inter præclara recolendæ antiquitatis monimenta incurrit.

Altera item de Via Triumphali vetus inscriptio.

C. SALLIO ARISTATENO. C. V.
SEPTEM VIRO EPULONUM
SODALI. AUGUSTALI JURIDI
CO: PER PICENUM. ET APULIAM
CURATORI VIARUM. AURELI
Æ CORNELIÆ TRIUMPHALIS
PRÆTORI. K. TUTELLARIO. QUÆSTORI
DESIGNATO, ET EODEM ANNO. AD
ÆDILITATEM. PROMOTO. X. VIRO
STILITIBUS JUDICAND. ORATORI MAXIMO
DECURIONES, ET PLEB. COLONIÆ
ASCULANORUM ANCONITANORUM
PROPTER HUMANITATEM,
ABSTINENTIAM, EFFICACIAM.

Ex quibus plane colligitur, Triumphalem viam cæterarum instar suum ac peculiarem habuisse curatorem, quod nostram sententiam de longiori ejusdem tractu, quam modo exposuimus, manifeste confirmat.

De situ ac loco Portæ Triumphalis Suetonii testimonium. *Suet. in Aug. c. 130.*

6 Triumphalis verò Portæ, & quonam loco sita fuerit, Suetonius in Augusto meminit: de supremis enim ejusdem honoribus agens, sic ait: *Senatus & in funere ornando, & memoria honoranda eo studio certatim progressus est, ut inter alia complura censuerint quidem funus Triumphali porta ducendum, præcedente Victoria, quæ est in Curia, canentibus Næniam Principum liberis utriusque sexus.* Hæc Suetonius. Tacitus quoque de eodem Augusti funere verba faciens: *Tunc, inquit, consultatum de honoribus, ex queis maxime insignes visi, ut Porta Triumphali duceretur funus; Gallus Antonius, ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere.* Hucusque Tacitus. Vides igitur Portam, de qua sermo nunc est, veluti apud antiquos optime notam, ac monimentis quampluribus apprime nobilitatam, illustrium quoque scriptorum testimonio frequenter celebratam fuisse. *Tac. in Annal. lib. 1.*

7 Hanc recentiores quidam Vaticanam dixere, inter quos præcipui sunt Andreas Fulvius, & Luc. Faun. sed nulla quidem veterum auctoritate suffulti, hac una tantum ratione permoti, quia nimirum iter per eam ad collem, & campum Vaticanum deducebat, de quibus modo dicendum est. *Andr. Fulv. Luc. Faun.*

Porta Triumphalis eadem quæ Vaticana.

8 Vaticanus autem collis ita nuncupatus est, ut inquit Sex. Pomp. Fest. quod illo Romanus populus, responso Vatum accepto, pulsisque inde Hetruscis potitus sit. Scribit verò Aulus Gellius tam ipsum Campum, quam Campi ejusdem Præsidem, ac Tutelarem Deum, Vaticanum appellatum fuisse, à vaticiniis scilicet, quæ occulta ejusdem vi atque instinctu ibidem fieri consueverant; sed etymon longe diversum est, ut idem Aulus Gellius ait, quod à Varrone traditur; vult enim ita dictum, quia ab ipso pueri humanæ vocis initia auspicarentur: hi enim statim atque è matris utero in lucem prodiere, primam quidem inter plorandum vocem edunt, quæ prima in Vaticani nominis nuncupatione syllaba computatur. Quocirca vagire quis dicitur, ipsomet verbo recentis sonum vocis, quod pueris accidit exprimente: quod Augustinus pariter mirifice ad rem nostram innuere videtur, hæc dicens: *Aut Vaticano, qui infantium vagitibus præsidet, &c.* *Sex. Pomp. Fest. l. 19. Vaticanus collis unde nomen suum sumpserit. Aul. Gell. l. 18. c. 17. D. Aug. de Civit. Dei. l. 14. c. 8. & 11.*

9 Porro celebre Idoli hujus Fanum in ipsomet colle dicatum fuisse Blondus quoque asserit in libro, quem sub instauratæ Romæ titulo edidit. Hic autem collis non eo dumtaxat spatio circumscribebatur, in quo ad præsens D. Petri Basilica, summorumque Pontificum palatium suspicitur, sed omnes illi colles, qui è regione Milvii Pontis, inter se quodammodo juncti, ad dexteram longo, curvatoque tractu protenduntur, usque ad illam Janiculi partem, quæ Aventino monti ex adverso opponitur, Vaticani olim dicebantur. Quod verò illa potissimum prædictorum collium pars, quæ in citerioris Urbis nostræ sinu situm Pompeji Theatrum respiciebat, Vaticanus item appellaretur, ex Horatio conjici satis posse videtur, qui Mecœnati suo jocose blandiens, & lepide de more assentatus, ipsammet Echus repercussionem ex Vaticano, ac Tyberinis, quæ adjacent, ripis, ad populi in Pompejano theatro plaudentis clamorem respondisse ait: *Fanum Idoli Vaticani. Blond. lib. 1. c. 44. Collis Vaticanus ejusque spatium.*

Datus in Theatro
Cum tibi plausus
Chare Mecœnas Eques, ut paterni
Fluminis ripa simul & jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Hor. carm. l. 1. od. 20.

10 In quem locum, ut Porphyrius antiquus ille interpres, aliique eruditissime adnotarunt, Theatrum videlicet Pompeji, Vaticano monti proximum erat: hæc autem propinquitas haud ad aliam potest referri partem, quam ad jugum illud, quod communi vocabulo ad hunc usque diem, Janiculis appellatur, ipsique Theatro ex opposito imminet. Nam si de illa Vaticani parte intel- *Pompeii Theatrum.*

intelligere quis velit, in qua modo beati Petri Basilica attollitur, cum hæc longo intervallo à Theatro distet, quid haud facile creditu, atque ipsi omnino veritati dissonum ac repugnans Poëta dixisset, ex quo merito redargui posset, dum tanto interjectu distantiæ (quod impossibile est) Echo reddi affirmat. Interim cum Poëtis quidlibet audendi, fingendique semper potestas fuerit, profecto non negaverim, id commoda utique interpretatione, ad eos usque colles extendi posse, qui Vaticani adhuc nomen obtinent; ita ut mons Janiculus à Vaticano, illa intermedia valle distinguatur, in qua tegulariæ fornaces modo extant. Quæ plane opinio vel illo Martialis Epigrammate confirmari videtur, ubi prædium, seu hortum longo Janiculi jugo recumbentem describit. Nam quæ de Fidenarum, & Rubrarum, tum etiam de Flaminiæ, ac Salariæ prospectu ibidem scribit, nulli ejusdem Janiculi parti convenire potest, quam quæ à templo S. Onuphrii ad portam S. Pancratii juxta Viam, quam nostri *Longaram* vulgo appellant, protenditur. Nobis interim utramque sententiam hic breviter indicasse sufficiat, quam tamen viris doctioribus ultro decidendam relinquimus.

Mart. epig. ... epig. 51.

11 Porro quod altera pars eorumdem collium, qui ad Milvium Pontem à D. Petri Basilica porriguntur, sub Vaticani nomine comprehendatur, Ciceronis ad Atticum verba satis perspicue docent: *Sed casu* (inquit) *sermo à Capitone de Urbe augenda, à Ponte Milvio ad Tyberim duci secundum montes Vaticanos, &c.* Totus itaque campus, qui hisce montibus subjacet, Vaticanus quondam appellatus est, ut ibidem sequentia Ciceronis ejusdem verba manifeste demonstrant, nempe: *Campum Vaticanum fieri quasi Martium campum.* Atque ita etiam una cum Vaticano luco, Areisque Vaticanis à Sext. Aurel. Vict. nominatur.

...c. ad Att. ...3 ep. 128. ...mpus ...ticanæ. ...ubi sup. ...cus Va... ...nus. ...Aurel. ...ex Vati... ...æ.

12 Fuere quidem ab antiquis temporibus, & in hanc usque diem hisce in campis figlinæ perseverant, in quibus ex argilla, & creta, quæ proximo è monte eruitur, vasa artificum manu fiebant. Has autem intellexisse Plinius videtur, cum dicit, *Vitellium ducentis sestertiis patinam condidisse, cui fornax in campis ædificata fuit.* Hinc quandoque fragiles montis ejusdem patellæ nuncupantur, de quibus Juvenalis ait:

...linæ in ...npo Va... ...no olim ...dieque ...stunt. ...nus.

Et Vaticano fragiles de monte patellas.

...sat. 6.

Vaticani quoque cadi apud scriptores notantur, de quibus Martialis:

Quid te Tucca juvat vetulo miscere phalerno
In Vaticanis condita musta cadis.

...rt. epig. ...lib. 1.

Et alibi:

Imputet ipse Deus, nectar mihi fiat acetum,
Et Vaticani perfida vappa cadi.

...ep. 49. ...12.

13 In campo itidem Vaticano, Julio Paulo Poëtæ illius ævi celeberrimo A. Gellius prædiolum fuisse scribit, in quo ambo simul ea, quæ philosophos decet, frugalitate sæpe convivari solebant: *In agro*, inquit, *Vaticano Iulius Poëta vir bonus, & rerum, literarumque veterum impense doctus, prædiolum tenue possidebat, eo sape nos ad sese vocabat, & olusculis, pomisque satis comiter, copioseque invitabat.* Plinius item annosæ cujusdam Ilicis Roma ipsa antiquioris (ut credebant) meminit, quæ confectum ex ære titulum Hetruscis characteribus præferebat, & summa quondam apud omnes in veneratione habebatur: *Vetustior Urbe*, inquit ille, *in Vaticano Ilex; in qua titulus æreis literis Hetruscis, religione arborem jam tunc dignam fuisse significat.* Hæc ille.

...dium ...i Pauli ...tæ. ...ell. noct. ...9. c. 7. ...in Va... ...o Urbe ...a anti... ...r. ...lib. 16.

14 Apud Vaticanum insuper, quo tempore vana Gentilium superstitio vigebat, duo insignia ac nobilissima Templa numerabantur; Apollinis videlicet ac Martis, ipsomet sita loco, ubi nunc B. Apostoli Petri Basilica magnificentissimo ambitu exædificata consurgit. Quæ quidem superstitionis gentilitiæ Templa Romani subinde Pontifices ab impio, profanoque Idolorum cultu expurgata, ac pio Religionis Christianæ ritu consecrata, in veri, æternique Dei honorem ac cultum sanctissime transtulerunt. At verò Apollinis Templum, cujus in gestis B. Petri Damasus meminit, uti veteres perhibent, insigne quoddam fuit circulari forma Sacellum, & postmodum B. Petronillæ virgini dicatum, quod olim, priusquam antiquum ejusdem Apostoli templum instaurandi gratia demolitum esset, ad dexteram majoris aræ partem conspiciebatur. Martis autem delubrum huic proximum erat, neque è recentioribus desunt, qui eo loco extitisse asserant, ubi nunc ejusdem Basilicæ sacrarium intuentibus patet, quod titulo Sanctæ Mariæ de Febribus postea decoratum fuit, à quadam nimirum Beatissimæ Virginis Imagine hujuscemodi desumpto vocabulo, quæ jugi ibidem fidelium venerationi exposita erat, & hac quoque nostra ætate in postremo novæ Basilicæ sacello, quod sanctissimo Crucifixo dicatum est, pari devotione colitur. Horum verò Templorum graphides, in Alpharani Ichnographia, & in libro, quem Severanus pariter de sacris septem præcipuarum Urbis Ecclesiarum memoriis inscripsit, commode inspici possunt.

Bina insignia Idolorum Templa in Vaticano, Apollinis alterum, alterum Martis. Quæ in Ecclesias postea consecrata fuerunt.

Apollinis Templum B. Petronillæ dicatur.

Et Martis Virgini Matri.

Sacrarium S. Mariæ de Febribus.

Sever. de sept. Eccles.

15 Nec interim desunt, qui antiquum Cybeles, quam Deorum omnium matrem insana olim antiquitas pronunciavit, Templum eodem in loco statuant: hac una ad id asserendum ratione permoti, quod quamplurima Crioboliorum, & Taurobodiorum simulacra, quæ in ejusdem Deæ honorem celebrabantur, cum nova Vaticanæ Basilicæ fundamenta hoc nostro sæculo aperirentur, ibidem inter effodiendum reperiri contigerit: ex quo pariter alio deducto argumento æream illam, ingentemque Pineam, quæ jam in medio Vaticanæ Basilicæ atrio extabat, & modo in proximis Summorum Pontificum hortis reservatur, usui quondam & ornamento ejusdem Deæ Cybeles Templo extitisse conjiciunt, cui arborem videlicet pinum gratam summopere, acceptamque Poetarum plerique, & Ovidius, ac Virgilius præ cæteris de more fabulantur. Verum assertionem hanc nulla, quod noverimus, scriptorum veterum auctoritate suffultam, nobis interim satis sit indicasse. Porro de memoratis hactenus simulacris quæ inter explorandum ibidem adinventa sunt, copiose utique in præcitato libro de sacris septem Ecclesiarum memoriis Severanus noster disseruit, quem, si libet, antiquitatum studiosus consulat.

Templum item Cybeles in Vaticano fuisse dicitur.

Pinea ærea in Vaticano reperta.

Pinus arbor Cybeli sacra.

Ovidius. Virgilius.

Sever. de sept. Eccl.

16 Celeberrima item priscis temporibus Naumachia apud Vaticanum extabat, à qua tota deinde illa regio, quæ sancti Peregrini ædem respicit, suam denominationem acceperat. Hæc suo itidem Patrono gaudebat, ut liquido ex Ecclesiasticis monumentis apparet, de qua infra prolixiori sermone enarrabitur. Præterea in Vaticano nobilissimus quidam Circus olim extitit, cujus ad hæc nostra tempora præter obeliscum nil residui cernitur.

Naumachia in Vaticano.

Circus Vaticanus.

Obeliscus.

Hunc autem inter tot vastitates, ac clades, quæ Urbi acciderunt, & inter ipsas magnificentissimorum operum, & constructionum, quæ ibi suspiciebantur, ruinas integrum, omnino, atque illæsum, Deo disponente, servatum fuisse, credere nobis par est, ut ad extollenda augustissimæ Crucis trophæa, nobiliori destinatus ministerio, in Vaticanæ Basilicæ titulum atque ornamentum pariter erigeretur; ante cujus vestibula hanc præcipue ob causam à Sixto V. Pont. Max. rebus feliciter, ac magnanimiter gestis domi, forisque præclaro ex perantiqua sede translatus miro opere, ac labore in Vaticano erectus, ac sacris ritibus expurgatus, totius nunc Urbis & orbis admiratione suspicitur. Hujus autem Circi, & Obelisci pariter frequens apud Plinium mentio occurrit, qui eum à Cajo in Circo collocatum fuisse disertis verbis asserit. Navigii insuper, quo ex Ægypto primum in Urbem advectus fuerat, vastissimam magnitudinem describit, quod postmodum sub Principe Claudio, qui in Imperio successit, ad fundandam, firmiterque stabiliendam Ostiensis portus molem, in mare projectum, demersumque est.

Plin. l. 16. c. 2. & 40. l. 37. c. 5. & l. 36. c. 2.

Navis, qua obeliscus advectus fuit.

17. Porro Vaticanæ, quod interjacebat, vallis spatium, à Nerone muro conclusum fuisse Tacitus in suis Annalibus docet, ut in amœno nimirum loco, dum regendis, exercendisque equis vacat, haud totius Romani Imperii habenis administrandis contentus, aurigæ fungeretur officio; quod clam primum, semotisque arbitris per seipsum præstitit; deinde vero populum hujus rei spectatorem, ac si theatro esset quid dignum, habere voluit; ibidemque suis in hortis ut delitiis crudelitatem efferatus ac barbarus homo misceret, miseranda pereuntium Christianorum spectacula, ludosque Circenses aurigæ indutus habitu ac plebi turpiter intermixtus, aliis lacrymas, sibi risum hujusmodi spectaculo comparans, & ipsos sanguine jocos respergens perditissimus, inter scurras edidit: quos item ludos in eodem Vaticano frequenter Claudius Imperator ediderat, teste Suetonio in ejus vita.

Ludi Circenses in Vaticano.

Tacitus Annal. in Neron.

Suet. in Claud. c. 21.

18. Heliogabalus quoque, ut Lampridius refert, quadrigas quaternis nonnunquam apud Vaticanum elephantis agitavit. Quamobrem, ne quid celebrandis, peragendisque hujuscemodi ludis impedimento foret, ipsa Vaticana sepulchra, quietem mortuis invidens, ac sepulchralia jura confringens, subvertit. Ex quo studiosus quisque Romanarum antiquitatum colligere potest, Triumphalem hanc viam, quæ ad Vaticanum ducebat, crebris utrimque sepulchris, sive monumentis obsitam fuisse. Ad id autem confirmandum, Æronis, qui inter veteres Horatii interpretes recensetur, fides & auctoritas accedit, qui Scipionis Africani tumulum in Vaticano extitisse ait, quamvis gentilitium ejusdem, ac familiæ sepulchrum, ut suo loco demonstrabimus, extra portam Capenam situm esset, quod uti præ cæteris magis conspicuum, pyramidalem formam præ se ferebat. Inde postea cum ejusdem ossa transvehi contigit, in porta quadam, quæ Carthaginem respiciebat, oraculi admonitu collocata fuere. Æronis autem verba hæc sunt: *Devicta Carthagine virtute Scipionis Africani, cum Afri adversus Romam denuo rebellarent, consulto oraculo responsum est, ut sepulchrum Scipioni fieret, quod Carthaginem respiceret. Tunc levati cineres ejus sunt, Pyramide in Vaticano constituta, & humati in sepulchro ejus in Porta Carthaginem respiciente.* Hanc vero Pyramidem nonnulli ipsammet fuisse asserunt, quæ non multis ab hinc annis haud longe ab Hadriani Mole erecta conspiciebatur: quæ deinde ob munitionem, ac securitatem Æliæ Arcis, dejecta, solo æquata fuit.

Lamprid. in Heliogabalo.

Vaticana sepulchra ab Heliogabalo subversa.

Vaticanus veterum monumentis ac sepulchris frequens.

Tumulus Scipionis Africani in Vaticano.

Æron. in Horat. Carm. od. 9. l. 3.

Pyramis Scipionis.

19. In Vaticano quoque à L. Vero Imperatore equo Prasino sepulchrum excitatum fuisse Julius Capitolinus asserit: quem adeo impense dilexit, ut aureum eidem simulachrum faciendum curaverit, quod veluti quid acceptissimum perpetuo apud se amoris ergo gestare consueverat. Hunc porro, dum adhuc viveret, omni fovere studio haud destitit, & ut in eodem nutriendo exquisitum quoddam diliciarum genus adhiberet, pro hordeo, quod jumentis de more apponitur, eum etiam passis uvis, nucleisque pascebat. Hæc sunt verba Capitolini: *Nam & volucri equo Prasino aureum simulachrum fecerat, quod secum portabat. Cui quidem passas uvas & nucleos in vicem hordei in præsepe ponebat, quem sagis fuco tinctis coopertum in Tiberianam ad se adduci jubebat. Cui mortuo sepulchrum in Vaticano fecit.* hactenus Capitolinus.

Sepulchrum equo Prasino excitatum a L. Vero Im...

Iul. Capitol. in Luc. Vero.

Iul. Capit. Luc. Vero.

20. Complura insuper quibusvis temporibus, & nostra etiam, ac majorum ætate, dum novæ Apostolorum Basilicæ fundamenta ponerentur, Ethnicorum monumenta reperta sunt, ac sepulchrales inscriptiones plane innumeræ. Subterraneæ pariter Ædiculæ una cum ossuariis ollis per excavata in parietibus foramina circumquaque dispositis inter effodiendum patuere. At præcipue, dum anno Domini 1574. turris campanariæ, quæ juxta Basilicæ ejusdem gradus extabat, fundamenta denuo jacerentur, ab effodientibus, ut Tiberius Alpharanus Vaticanæ Basilicæ Clericus Benefic. adnotatum reliquit, inter cætera perelegans quoddam cubiculum sacelli instar repertum est, in quo portæ, fenestrellæ, ac parietes diversi generis animalium effigie, coloribus affabre expressa exculti, ornatique apparebant. Visa insuper ibidem sunt ossa quamplurima sepulchris partim fictilibus recondita, quamvis inter hæc unum quoddam ex Tiburtino confectum lapide, cæteris magnitudine atque operis elegantia valde præstans intuentibus se ultro offerret; partim excisis in ipsa parietum crassitudine loculis inclusa adhuc perstare dignoscebantur. Marmoreæ ibidem nonnullæ arcæ extabant, cadaverum utique conditoria. Harum vna eximiæ pulchritudinis inter exsculpti operis ornamenta, quæ in marmoris ejusdem facie cernebantur, simulacrum Bacchi uvæ racemum manu gestantis repræsentabat; quam Gregorius XIII. Summus Pontif. Romanæ Urbis antiquitati consulens, in Vaticanum Palatium asportari fecit. Porro postremis quoque nostris hisce temporibus, dum Paulo V. Pont. Max. fundamentis memoratæ Basilicæ moliendis instaretur, permultæ id genus Arcæ apparuerunt, & ex his altera laboriosæ manus studio expressis, prominentibusque figuris eleganter incisa; quæ hodie in Burghesiana villa Collinam extra portam, sive Pincianam visitur.

Ædiculæ subterraneæ in Vaticano repertæ.

Plures item arcæ marmoreæ cadaveribus condendis inibi repertæ.

21. Ex quibus omnibus argumentis, ut opinor, sat intelligi potest, consuevisse viros Romana olim nobilitate conspicuos in Agro Vaticano sepeliri, qui Tyberino intermedio amne discretus, longe ab Urbe distabat, & ob insalubritatem aëris locus omni-

Veteres Romani in agro Vaticano sua sepulchra condebant. Nam is olim inhabitabilis ac incultus habebatur.

locus omnino incultus, atque desertus, habitatoribus vacabat. Quapropter sub ipso Claudii Principatu serpentem in Vaticano, cui nomen Boe, occisum fuisse Plinius scribit, tantæ videlicet magnitudinis, ut in ejusdem alvo totus integerque infans, quem ille deglutierat, visus fuerit. Verum ejusdem deinde agri pars ab incolis, præsertim pauperibus, ac infimæ sortis hominibus frequentari cœpit, quod toti item Transtyberinæ, quæ mendicis redundabat, regioni contigit, ut pluribus quidem locis Martialis innuit, ac nominatim de Vaticano asserit; cui Ammianus quoque Marcellinus subscribit. De Lampridio enim Urbis Præfecto loquens hæc habet: *Accitos*, inquit, *è Vaticano quosdam egentes, opibus ditaverat.* Quam etiam ob causam Tacitus de quodam Vitellii milite sermonem instituens, infamem utique Vaticanum appellat; hæc sunt autem verba: *Postremo ne salutis quidem cura infamibus Vaticani locis magna pars militum tetendit, inde crebræ in vulgus mortes.* hæc Tacitus.

Plin. l. 8. c. 14. Immanis in Vaticano serpens occisus. *Martial. l. epig.* *Ammian. Marcell.* Vaticanus olim infamis dictus & quare? *Tac. Annal. lib. 17.*

22 Verum perantiquo adhuc retento nomine, omine tamen in melius commutato, felicissimus merito dicendus ac omnium gentium, linguarumque præconio Vaticanus hic noster collis prædicandus est, qui non modo turpem sibi dedecoris notam ethnicorum monumentis inustam excussit, profanum illud solum in Apostolici obsequium sepulchri, & sacri decus Cœmeterii transferens, sed reliquorum septem Urbis collium, quorum jam fama toto in orbe vigebat, nobili titulo & singularis gloriæ prærogativa principatum obtinet. Ubi enim aër quondam insuavis & pestifer procul habitatores arcebat; ibi divinitus successorum Petri sede firmata, ejus qui Christi vices in terris gerit, præsentia dignatus, sacrisque jugiter religionis Christianæ, quæ ibi peraguntur, functionibus expiatus, mitis utique ac salubris incolentibus evasit. Et ut singulas ejusdem laudes hic brevi oratione perstringamus, id nobis trophæorum instar animadvertere licet, quod pro laureis, pro coronis, pro curribus ipsis, ac triumphalibus pompis, quæ per ejus olim agrum ducebantur, inde potentissimi nunc Reges, ipsique met invictissimi orbis terrarum Cæsares aurea Pontificum manu diademata, ac regia sceptra, augustissimi Principatus insignia accipiunt, & quod omnium admiratione dignum est, ubi huc è variis mundi regionibus advenere, suppliciter humo strati osculis sacrosancta Apostolorum limina lambentes, se, regna ipsa, suaque omnia venerabundi Vaticano offerunt, atque substernunt: &, ut locum hunc sanctitate conspicuum, quem fama loquente vel procul didicere, oculis etiam assequendo explorent, ac propius venerentur, è remotissimis terrarum finibus, nulli prorsus incommodo, ac labori parcentes fidelium quamplurimi supplices quotidie accedunt. Hic perantiquæ & superstitiosæ illius Ilicis vice, ampliori quidem tam nominis, quam gloriæ incremento, triumphale invictæ, ac vivificæ Crucis vexillum emicat, & nobilis Arbor illa, cujus peroptatus fructus perdito quondam mundo salutem intulit. Hic modo pro veteri gentilitiæ superstitionis luco, unde inanes Dii atque mendaces futilia & subobscura passim vaticinia proferebant, supremus Apostolicæ Cathedræ thronus defixus est, in quo æterni Verbi, ac veri, omnipotentisque Dei Vicarius perpetuo residet, è cujus ore certissima, ac prorsus infallibilia universo terrarum orbi oracula panduntur. Quid plura? Pro ipso Martis, atque Apollinis, necnon Deorum Matris fano (si unquam tamen ibi fuit) Pro ipsis insuper Circi, ludorumque Circensium, qui undique constrepebant, insanique populi clamoribus augustissimum Beati Petri Apostoli Templum consurgit; ad quod certatim pio fidelium studio concurritur, ac suavissimis jugiter Sanctuarium illud canticis, hymnodicisque Deum laudantium vocibus ad æmulandam cælestis Hierusalem hymnodiam personat.

Præclarus nunc idem ac nobilissimus est. Vaticanus recens cum ceteri collatus, Christianus cum gentili. Cæsares insignia Imperii in Vaticano nunc accipiunt. Vaticanum nunc omnes gentes venerabundæ invisunt. [Crux] cis annosæ locum vivificæ Crucis arbor inibi nunc obtinet. Pro obscœno Martis, & Apollonis fano augustum ibi Petri templum exurrexit.

23 Locus demum (ut uno verbo complectar omnia) ubi tot impiorum hominum sepulchra numerabantur, quæ profanis quondam cadaveribus totum fere Vaticani ambitum polluebant; æternis quippe cruciatibus infelices eorumdem animæ addictæ, inter ipsas dæmonum catervas consepultæ apud inferos sunt; locus, inquam, iste olim adeo profanus pretiosissimis nunc Martyrum pignoribus in eodem Cœmeterio quiescentibus, mirifice illustratur, qui suavi virtutum odore Ecclesiam perfuderunt, & quorum jam animæ cum Christo perenniter regnant, eorum exuviis, quasi tot radiantibus stellis terrestre hoc Cœmeterii Vaticani cælum coruscat. Taceo splendorem ac gloriam, quam ex Principis Apostolorum sepulchro, & tot Martyrum, ac Confessorum reliquiis hic collis sublimis Capitolino longe præferendus, hausit, quibus tam copiose area hæc omnium nobilissima ditatur, decoraturque, ut omnium sacrorum locorum cultu, ac veneratione haud impar, illud ad se accedentibus jugiter oraculum, quod Moysi Judæorum legislatori intimatum est, ingerat: *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Et quod Jacobo Israëlitarum Patriarchæ quondam iter agenti, dulcique somno interim correpto accidit; sibi quoque unusquisque accidisse gratulari possit, & merito dicere: *Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam, pavensque quam terribilis est*, inquit, *locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Quibus paucis Vaticani soli gloriam legentium animis exprimere voluimus: sed his interim præmissis ad Vaticanum Cœmeterium perlustrandum deveniamus.

Denique excisis impiorum sepulchris, innumeris modo Sanctorum pignoribus totus resplendet. Vaticanus nunc vere sacer, ac locus sanctus est. *Exod. c. 3.* *Gen. c. 28.*

CAP. IV.

De Cœmeterio Vaticano, ejusque origine.

1 Difficile admodum est, ac prope dixerim impossibile, in tanta rerum antiquarum caligine, quæ nostro huic sæculo accidit, dum in ipsa pomeridiana luce cæcutientes palpamus, uniuscujusque Cœmeterii, cum tot adnumerentur, originem assequi, ac pro certo statuere, à quo potissimum hæc sumpserint exordium, ac denominationem sortita sint. Quapropter in perquirenda reliquorum Cœmeteriorum origine, ubi quid certi deprehendi vix potest, haudquaquam nosmetipsos, lectoremque inani studio, ac labore gravabimus, ne oleum pariter & operam, ut proverbium fert, perdidisse videamur. Verum de hoc Vaticano (si conjecturæ locus concedendus est) haud temere affirmari à nobis posse arbitramur, Cœmeterii ejusdem sub Neronis Imperio initia extitisse, C. Lecanio Basso, & M. Licinio Crasso Coss. circa redempti orbis annum sexage-

Cœmeterium Vaticanum sub Nerone suum habuit principium.

sexagesimum sextum. Hoc enim tempore Neronianus gladius in Christianos primum sævire cœpit, commentitia nimirum in Christi fideles, qui Romæ morabantur, calumnia de Urbis incendio dolose promulgata, cujus quidem ipsummet Neronem permulti auctorem fuisse dixerunt: id autem eo potissimum consilio ab eodem effictum in Christianos volunt, ut inauditam immanitatem dum hoc naturæ portentum evomit, ac sanguinis humani sitim avidius explet, suam contegendo impietatem, scelus sceleri adderet, & nova veterem crudelitatem impietas superaret.

Neroniana sævitia.

Martyres in Neronianis ad Vaticanum hortis.

2 Occasionem igitur nactus exerendi gladii & exercendæ ad libitum carnificinæ, multiplicibus, iisdemque atrocissimis adinventis ad pascendos oculos tormentorum generibus in suis apud Vaticanum hortis, vel etiam in Circo dira insontes clade, veluti reipublicæ hostes, & ingenti Christianam religionem ignominia affecit. Quod totum Cornelius Tacitus his verbis describit: *Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat.* Et infra de variis pœnis quibus, in eosdem Christianos primum animadvertere Nero cœpit, hæc subdit: *Igitur primo correpti, qui fatebantur; deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat. Et Circense ludicrum edebat habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo insistens. Unde, quamquam adversus sontes, & novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in sævitiam unius absumerentur.* hæc ille, quibus deplorandam tunc Christianorum sortem, quæ ad commiserationem intuentium animos flecteret, & barbaram hominis mentem, quæ nullum sæviendi modum faceret, & insontium sanguine velut joco pasceretur, ethnicus scriptor patentibus notis expressit.

Corn. Tac. lib. 15.

Carnificina Neronis in Vaticano, occasionem inchoando ibi Cœmeterio Christianis dedit.

3 Quo igitur tempore horribilem hanc Christianorum in Vaticano carnificinam Nero exercebat, ut nobis haud improbabilis conjectura suadet, sanctissimi illi Religionis nostræ Patres, ac reliquorum Christi fidelium Duces, quorum pietas maxime erga beatorum Martyrum sepulturas enituit, cum acerbissima instaret calamitas, & pios quosque impeteret, secretam quandam propinqui Vaticani montis partem sibi delegerunt, in qua sacrum hoc Cœmeterium inchoandum, aperiendumque curarunt, ut collecta fidelium, qui passim mactabantur, corpora, clam deferentes tuto recepti loco sepulturæ, quo par erat, honore demandarent. Corporibus interim eodem in loco tumulos aptabant, hæc nimirum aut intra excavatos suamet ipsorum manu terræ sinus, aut in veteri aliqua crypta, vacuaque arenaria, quæ forte ibidem lateret, recondendo: nam id genus latebris, ac semotis recessibus haud montem hunc caruisse omnino credibile fit, siquidem ut jam supra lectori demonstravimus, inde argilla, atque arena ad circumjacentium figlinarum usum eruebatur; quod nunc quoque prærupta ex omni parte, aut potius præcisa montis latera intuentibus fidem faciunt. Loci pariter ejusdem opportunitas, eo quod ex se quidem satis aptus ad id videbatur, nec non ipsa vicinitas Christianos ad religiosum hoc Cœmeterium construendum invitabat.

Loci ejus ad sepeliendos martyres ibi passos opportunitas invitabat.

4 Illa vero potissimum rationibus, quas hactenus memoravimus, accedebat, quod inaudita grassantis tunc Neronianæ persecutionis rabies tam copiosam cadaverum multitudinem procul à cædis & carnificinæ loco asportari nullatenus permitteret. Cumque hi fortissimi martyres, Apostolorum discipuli essent, & primitiæ martyrum, quos ipsa Romana Ecclesia ad triumphum, immo ad cælum provexit, prout in sacris Martyrologiis nuncupantur, haud cujusquam menti dubium suboriri potest, quin venerabiles illi surgentis Ecclesiæ Patres devotissimo animi affectu eosdem honorifice, ut par erat, sepelire sategerint, & sacrum, in quo nobilium Christi Athletarum exuvias deponi contigit, sepulturæ locum, totumque pariter Cœmeterii ambitum pretiosis refertum pignoribus summo pietatis studio prosequi non destiterint. Immo quod ad sacri ejusdem loci cultum spectare videtur, ipsosmet sanctissimos Christianæ Reipublicæ Principes, & maxime Petrum una cum recenti illo, ac fidei candidato Christianorum cœtu huc sæpius ad sacras obeundas vigilias, ac divina peragenda mysteria convenisse credendum est. Satis quippe ex recolendis martyrum actis, & Ecclesiasticis eorumdem monimentis exploratum habetur, consuevisse Petrum, Romæ dum esset, Vaticanum collem frequenter adire; quod manifeste sancti Martialis acta ab Aurelio Lemovicensi Episcopo conscripta testantur: in quibus, ubi de præclarissimo Stephano duce, ab eodem Martiale ad Christi fidem traducto, agitur, qui in Urbe una cum suis ad impetrandam sibi Petri Apostoli benedictionem venerat, hæc leguntur: *Ingredientes verò Romam, invenerunt Apostolum in loco, qui dicitur Vaticanus, docentes multas populorum turmas.* Vides igitur lector beatissimi Apostoli præsentia Vaticanum collem, ac Cœmeterium præ cæteris apprime nobilitatum fuisse.

Discipuli Apostolorum, & primitiæ martyrum ad Vaticanum coronati.

Mart. 8. Kal. Jul.

Cœmeterium Vaticanum à B. Petro frequentatum.

Stephanus Dux D. Petrum in Vaticano invisit *Aurel. Episc. Lemovic.*

5 Præterea certum apud omnes, atque omnino indubitatum est, Vaticanum hoc Cœmeterium quicquid splendoris, ac gloriæ obtinet, id profecto ex glorioso Beati Petri Apostoli corpore, ac sepulchro, quod possidet, & quo nobiliter decoratur, promeruisse. Anacletus enim ab eodem Apostolo presbyter ordinatus, cum ad Pontificatum deinde evectus fuisset, non modo Beati ejusdem Petri sepulchrum extruxit, atque exornavit, sed Vaticanum insuper Cœmeterium, & locum pariter, ubi Romani Pontifices, Petri successores, post mortem deponerentur, ampliavit; quod totum Damasus in ejusdem gestis testatur, dicens: *Hic memoriam B. Petri construxit, & composuit, dum presbyter factus fuisset à B. Petro, seu alia loca, ubi Episcopi reconderentur, sepulturæ; ubi autem & ipse sepultus est juxta corpus B. Petri.* Idipsum in suo Martyrologio confirmat Beda iisdem fere verbis. Ac reipsa decem ibidem numero Pontifices, qui in ordine consequuntur, conditi fuere: Linus nempe, Cletus, Anacletus, Euaristus, Sixtus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Eleutherius, & Victor: quorum sepulturæ locum Damasus describens, & sacra pariter Martyrologia, dum de his mentionem faciunt, eosdem juxta corpus Beati Petri tumulatos fuisse asserunt.

Omnis splendor, ac gloria Cœmeterii Vaticano ex B. Petro profecta est.

Anacletus Papa sepulchrum Petri extruit, ac ornat.

Idem Vaticanum amplificat.

Damas. in Annal.

Pontifices in Cœmeterio Vaticano juxta B. Petri corpus sepulti.

6 Porro in idem postea Cœmeterium pietatis, & obser-

& observantiæ causa, quam Christiani erga eumdem beatissimum Apostolum præ se ferebant, alii item innumeri Martyres frequenter officiosa eorumdem manu illati fuere. Quia super re, etsi scriptis consignata nulla alia prorsus, quæ hactenus innotuerit, memoria superstes sit, nos tamen dubitare haud sinit traditio ipsa, quam velut per manus ab antiquis accepimus, & quæ ad nostra hæc usque tempora post longam interlapsorum sæculorum seriem convalescens, loci ejusdem venerationi mirifice adstipulatur; dum pro certo habet, ac palam asserit, totum subterraneum veteris Basilicæ ambitum sanctorum martyrum ossibus confertim olim fuisse, sed mediam præcipue navem, transversamque crucem (sic enim communiter appellant) thesauris hisce redundasse. Ab ipso videlicet Basilicæ capite ambitus ejusdem mensuram auspicando; ubi peculiaris quondam locus existebat, æreis circumseptus cancellis, qui vulgo Vaticanus dicebatur (perantiqui fortasse nomen Cœmeterii retinens) quo venerationis gratia ingredi mulieribus vetitum erat. Interim vero fama apud omnes vigebat, ut Petrus Manlius testatur, illic innumerabiles propemodum martyres conditos, ac sepultos fuisse.

Basilica D. Petri plena martyrum sepulchris.

7 Ad quod comprobandum, in eadem Vaticana Basilica extat, & ad hæc usque nostra tempora visitur Culcitra quædam satis ampla, quæ cooperiendis beatorum Martyrum cadaveribus, dum hæc post cædem recenti adhuc sanguine respersa, in Vaticanum Cœmeterium à fidelibus tumulanda deferrentur, inserviebat. In quodam autem manuscripto qui in ejusdem Basilicæ Archivo asservatur, hæc leguntur: *In Basilica S. Petri extat pannus, quo tempore persecutionis viri pii, & timorati utebantur ad sepeliendum SS. Martyrum corpora. Reliquia insignis, & maximæ devotionis.* Hæc vero Culcitra altero panno holoserico contecta est à Ludovico Blanchetto ejusdem Basilicæ Canonico, & Greg. XIII. cubiculi Præfecto: & summo venerationis cultu inter cæteras reliquias asservatur, & conspicienda populo, ac veneranda proponitur certis quibusdam solemnioribus diebus, sed præcipue festo Dominicæ Ascensionis die ingenti pompa, ac musico concentu, & usque ad primam mensis Augusti diem magna confluentium devotione invisitur ad consequendos sacrarum indulgentiarum thesauros, quos eam visitantibus Summi Pontifices elargiti sunt, ut Franc. Maria Torigius in suis Cryptis Vaticanis recenset.

Culcitra, qua mart. corpora cooperta ad Cœmeterium deferebantur in Basilica Vatic. servatur.

Fran. Mar. Torig. in Crypt. Vat. lib. 2.

Certis diebus festis populo veneranda exponitur. Die præsertim Christo in cælum ascendenti sacro. Eam visitantibus Indulgentiæ concessæ.

8 Illud insuper hic addi potest, quod & in pervetusto ejusdem Basilicæ archivio legitur, ubi de ingenti martyrum numero, quorum reliquiis sacer hic locus locupletatur, hæc subjunguntur: *Die 22. Iunii decem millia martyrum Habemus de eorum reliquiis, & eo die multitudo mulierum confluit ad Basilicam flexis genibus, & faculas accensas in manu gestantium.* Ex quibus facile conjici potest, quam copiosa olim BB. Martyrum multitudo extiterit, quorum corpora in hanc sacrosanctam Basilicam persecutionis tempore deferri, ac ibidem tumulari contigit; cum vel sub uno die decem millium mentio recolatur; & Culcitram, quæ dignum est pietatis Christianæ monimentum, ac sacris athletarum Christi exuviis nobilitatum, eorumdem obsequio inserviisse, & pretiosissimi sanguinis guttas hausisse, quæ à nobis hactenus recensita sunt, obtestentur.

Multorum millium martyrum reliquias Basilica Vat. possidet.

Die 22. Iunii decem millia martyrum in Basil. Vat. memoria recolitur.

9 Apud eandem Basilicam in Vaticanis cryptis quædam Petra asservatur, super qua innumeri fere martyres effuso sanguine martyrii agonem consummarunt. Hæc olim Petra Scelerata vulgo à gentilibus appellabatur. Cum hanc Christianorum sanguine jugiter madentem viderent, eam summopere detestantes, hoc nomine infamare conati sunt: verum summo eandem in honore Christiani semper habuerunt, & veluti rem sacram suspiciebant. Hæc autem inscriptio ibi legitur:

Petra Scelerata in Vaticano

Cur ita nominata?

SUPER ISTO LAPIDE MULTA
CORPORA SANCTORUM MARTYRIO
CÆSA SUNT.

Inscriptio petræ sceleratæ.

Erat in veteri Basilica ad lævam partem juxta sacellum Sanctissimi Sudarii: nunc vero juxta lustralis aquæ fontem ad dextram intrantibus sub Innocentio X. Pont. Max. omnibus veneranda exhibita est. In Patavina civitate alter similis extat lapis martyrum sanguine illustratus, & hujusmodi inscriptionis titulo exsculptus:

Eam loco decenti Innoc. X. publicæ venerationi exponi jussit.

Quam lapis hic pretiosus, ubi tot colla piorum
Martyrii titulo deposuere caput.

10. Quam deinde ob causam Iulius II. summus Pontifex, qui primam veteris Basilicæ demolitionem aggressus est, locum adeo venerabilem, ac religiosum haud ruinis opprimi, ejusdemque cultum obliterari sustinuit, sed nefas id esse ratus, ut sacræ, ac venerandæ antiquitati uno eodemque tempore prospiceret, eundem intra novi à se designati Templi terminos complecti voluit. Quin & deinceps glor. mem. Pontifex Paulus V. dum immensum recentioris fabricæ opus urgeret, & illud tandem absolvi cupiens, propensius instaret, nullam prorsus pavimenti partem, quod veteri Basilicæ inservierat, & tot (ut diximus) venerandis beatorum martyrum reliquiis ibidem reconditis refertum, excultumque erat, in profanæ usum areæ excludi passus est, sed hac una potissimum ratione sapientissimus ille Pontifex permotus, ultra præscriptam à Michaële Angelo Bonarota Ichnographiam, ejusdem novi Templi spatium protendi voluit: ut satis liquet ex inscriptione, quam idem Pontifex tamquam perenne Apostolorum gloriæ, & loci omni devotionis cultu dignissimi monimentum Basilicæ, cui erigendæ, exornandæque jugiter institit, hisce insculptis marmori notis appendit, videlicet:

Julius II. Basilicam D. Petri à Constantino extructam primus demoliri aggreditur.

PAULUS V. PONT. MAX.
VATICANUM TEMPLUM
A JULIO II. INCHOATUM,
ET USQUE AD GREGORII,
ET CLEMENTIS SACELLA
ASSIDUO CENTUM ANNORUM
OPIFICIO PERDUCTUM
TANTÆ MOLIS OCCASIONE
UNIVERSUM CONSTANTIANÆ
BASILICÆ AMBITUM INCLUDENS
CONFECIT
CONFESSIONEM B. PETRI EXORNAVIT
FRONTEM ORIENTALEM,
ET PORTICUM EXTRUXIT.


Inscriptio Basilicæ Vaticanæ à Paulo V. affixa.

11 Cæterum quod sub demolitæ Basilicæ solo, ac inferiori ambitu sacrum olim Cœmeterium extiterit, ipsa oculorum experientia comprobatum est. Ubi enim humus ad nova jacienda fundamenta è profundo sinu egereretur, fere innumera defunctorum sepulchra, oratoria, necnon cubicula, una cum loculis apte circumcirca dispositis, aliorum instar Cœmeteriorum, reperta fuere. Exornabantur autem cubicula hæc quibusdam sancto-

Cubicula aliaque loca subterranea Cœmeterii Vaticani.

Alpharanus rum imaginibus, & nonnullis, quæ ad Christianæ rei historiam pertinent, picturis, ut Alpharanus clericus Benef. S. Petri, partim habita à senioribus ejusdem Ecclesiæ notitia, partim vero ipsemet oculari fide posterorum memoriæ consignavit. Porro verisimile est hujuscemodi conditoria, atque sepulchra, majori saltem ex numero, beatorum martyrum corporibus inseruisse. In eorum enim quibusdam ut idem Alpharanus refert, spirans, ac vivus quodammodo sanguis repertus, ejusdem pro Christo effusi, ac perpessi pro fide martyrii manifestum intuentibus præ se ferebat indicium. Quinimmo Paulo III. regnante, dum eadem erigendæ fabricæ fundamenta instruerentur, nonnulla alia interim perfodientibus sepulchra apparuere, inter quæ, dum studiose cæmentarii pervestigant, ferreus forceps adinventus est ejusmodi forma.

Ferreus forceps in cœmeterio Vaticano repertus.



12 Instrumentum autem hoc, cui ungula olim nomen erat, excruciandis, excarnificandisque Christi martyribus adhibebatur, de quo nos alibi pauca attigimus, & ut videre est in eorumdem actis, passim scribitur. Cujus item apud Cyprianum libro de Lapsis, & sanctum Augustinum in epistola ad Marcellinum, tum etiam apud alios veteres Scriptores frequens admodum mentio recurrit. Variis autem in locis à Prudentio in ejus figuræ similitudinem describitur, sub qua modo à nobis typis exsculpta repræsentatur. Eandem ipse bisulcam denominat, eo quod ferreis utrinque armata dentibus, duplicique instructa acie, binos pariter uno, eodemque tempore in sacris martyrum membris sulcos imprimeret, ut hymno primo in honorem sanctorum Martyrum Hemisterii, & Calidonii idem in hunc modum cecinit:

Instrumentum pœnale ungula alias vocatur. *Cyprian. de Laps. S. Aug. ep. ad Marcell.* *Prudentius.* Ungulæ descriptio. *Prud. hym. 1*

Ille virgas, & secures,
Et bisulcas ungulas
Ultro fortis expetebat,

Idem hym. de S. Venan. Et hymno quinto de B. Venantio martyre.

Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis.

Et hymno decimo in S. Romano martyre. *Idem hym. de S. Rom.*

Costas bisulcis execandas ungulis.

Ejusdem quoque instrumenti, quod Martyrum cruciatui apud gentiles olim in usu fuit, Ecclesia frequenter meminit hymno, quem in Martyrum natalitiis recitat, ubi hæc verba:

Armata sævit ungulis
Tortoris insani manus.

De Ungulis mentionem facit Tertullianus, dum de Prissino quodam catechumeno, qui in tormentis à fide Christi defecerat, locutus, eundem vix ungularum ictibus excruciatum fuisse ait, cum protinus fidem abnegavit: *Ut paucis*, inquit ille, *ungulis titillatus, quem dominum confiteretur, interroganti Præsidi respondere non potuerit amplius.*

Prissinus ungulis cæsus fidem impotenter abnegat. *Tertull. lib. cont. Psych. c. 12.*

13 Quoniam vero opportuna hic ungularum mentio incidit, perquirendum nunc obiter est, quodnam supplicii genus esset ungula, dilaniandis olim martyrum membris adinventum, & tam frequenter adhibitum, & quidem Baronius noster in suis ad Mart. notis erudite disseruit, dum easdem bisulcas quidem fuisse affirmat, uti Prudentius loco supra citato appellare consuevit:

Quodnam genus supplicii ungula.

Et bisulcas ungulas.

Quam autem ob causam dirum, & pœnale hoc instrumentum ungularum nomen sortitum sit, eam potissimum rationem reddit quod nimirum ejusmodi instrumenta ferarum vestigia imitarentur, sed quæso ipsius Baronii verba hic repetamus: *Dictæ sunt ungulæ*, inquit ille, *quod ea instrumenta ferarum imitarentur vestigia, quorum cum referrent exemplum, eodem etiam dicta nomine invenies, l. 1. C. de emendatione servorum: Ferarum, inquit, ungulibus latera persecando. Sed in Cod. Theod. eo tit. sic: Ferarum vestigiis latera persecando.* Quo plane instrumento quamplures martyres dire affecti coronam promeruerunt, ut præcipue in Lycaonia S. ille Papa martyr insignis, de quo hæc leguntur in eodem Martyrologio: *In Lycaonia S. Papæ martyris, qui ob Christi fidem verberibus cæsus, ungulis ferreis laceratus, &c.*

Ungula bisulca. Ungulæ à ferarum vestigiis dictæ. *Bar. in not. die 16. Mar.* In Lycaonia S. Papa mart. ungulis enecatur.

14 Cur autem ungulæ, quarum mentio est, fidicularum quoque nomine interdum veniant, prout in Martyrum actis videre est, rationem eumdem apud Baronium congrue, apteque ad rei propositum Lector invenies, qui in hac re dilucidanda Isidori sententiæ subscribens, hæc ait: *Fidiculas enim idem esse quod ungulas, testatur Isidorus, cum ait: Ungulæ dictæ, quod effodiant: hæ & fidiculæ, quia iis rei in equuleo torquentur, ut fides inveniatur. hæc Isidorus. Cum itaque fidiculis æque ac ungulis finderentur latera hominis in equuleo distenti, easdem ungulas ea de causa dictas esse puto fidiculas, quod reorum latera finderent, sicque à findendo dictas fidiculas esse, quasi findiculas, vel à fodicando, quod illis latera reorum fodicarentur, dictasque esse fidiculas quasi fodiculas. Fodicare latera fidiculis usurpatum apparet ab Ammiano, ut dicemus paulo inferius. His in primis adstipulatur Prudentius hym. 10. Peristeph. in Romano, cum quas vocat fidiculas, easdem ungulas dicat. Sunt hæc verba Asclepiadis Iudicis:*

Cur ungulæ vocentur etiam fidiculæ? *Bar. in not. die 16. Mar.* Fidiculæ autem unde dictæ sint? *Prudent. in Perist. hym. 10.*

——— Vertat ictum carnifex,
In os loquentis, inque maxillas manum,
Sulcosque acutos, & fidiculas transferat,
Verbositatis ut rumpatur locus.

15 *Et paulo post per fidiculas Asclepiadem intellexisse*

Fidiculæ &

ungulæ idē tormenti genus est.

tellexisse ungulas, quæ mox auctor subdit, declarant hi versus:

Implet jubentis dicta lictor improbus
Charaxat ambas ungulis scribentibus
Genas, cruentis & secat faciem rotis,
Hirsuta barbis solvitur captim cutis
Ad mentum adusque vultus omnis scinditur.

Hæc Prudentius. Eodem sensu fidiculæ accipiuntur, l. Decuriones, C. de quæst. Nam fidiculis torqueri Imperator appellat cruentam conditionem. Sic apud Ammianum lib. 29. qui hæc genera cruciamentorum recensens, ait: Intercluduntur equulei, expediuntur pondera plumbea cum fidiculis, & verberibus. Cumque paulo inferius reorum majestatis latera dictis tormentis fodicata dicat, fidiculis id factum apparet. In hac eadem sententia accipere tam apud Senecam lib. 3. de ira, quam apud Valerium de patientia lib. 3. cap. 3. q. 5. & alios, nihil vetat. Et paulo post hæc ad rem nostram addit Baronius, de præmemorato supplicii genere loquens: *Invenies*, inquit, *equuleo junctas esse fidiculas, vel ungulas, ea nimirum ex causa, quod extento corpore in equuleo, fidiculis, vel ungulis à tortoribus membra sulcarentur, quibus aliquando succederet ignis tormentorum. Hæc cum habeas in nonnullis actis sanctorum Martyrum, S. Cyprianus demonstrat, dum ait lib. de lapsis: Nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret. Et Aug. ep. 59. ad Marcell. Non extendente equuleo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, &c. Eadem Hieronymus epist. 49. Prudentius sæpe & alii. Ante hos omnes Seneca lib. 3. controvers. 14. pluribus.* Hæc enarrasse sit satis de ungularum instrumento, cujus hic imaginem lectori ob oculos proposuimus; & de modo pariter, quo Christiani passim excruciabantur, dum quæstioni subjicerentur.

Bar. in not. 22. Ian.

Equuleo sæpe jungebantur fidiculæ.
Et fidiculis quandoque ignis adjungebatur.

16 Porro ungula, quam supra descripsimus, in lucem ex Vaticano Cœmeterio educta, in sacrarum Sanctuario Reliquiarum præmemoratæ Basilicæ religioso cultu, tanquam res omni pretiosior auro dignissime asservatur, & Christianorum populo videnda, ac veneranda proponitur, & his præcipue, qui ad detestandam tyrannorum sævitiam, admirandamque sanctorum Martyrum constantiam, eamdem suscipere ac contemplari cupiunt. Ejusdem autem adinventio in Ecclesiæ Archivio his verbis adnotatur: *Forceps ferreus, seu instrumentum ad torquendum Martyres repertum in sepulchris Martyrum, cum tempore Pauli Tertii noviter effoderentur fundamenta Basilicæ.* Hæc liber singularum continens ejusdem sacrarii reliquiarum catalogum, qui confectus est sub anno 1550. prout in Archivio Basilicæ S. Petri, fol. 219.

Ungula pœnalis martyrum in Basilica Vaticana religiose servatur.

17 Quoniam vero, quod jam superiori libro ostendimus, mos ille apud Christianos inoleverit, ut in monumentis Martyrum, ipsa quoque interdum martyriorum instrumenta reconderentur, ex pœnali hoc ungulæ ferro, quod è sepulchro in lucem redivivum prodiit, manifestum profecto legenti redditur, hunc antiquitus locum quamplurimis Martyrum sepulchris redundasse, quorum huc corpora post consummatum fortiter martyrii agonem, inter ipsas persecutionum procellas, piorum manu inferebantur. Et hinc pariter perspicuum fit ab augustæ memoriæ, ac nominis Imperatore Constantino intra Templi à se magnificentissime exædificati ambitum, eam saltem Vaticani Cœmeterii partem, quæ cæteris dignitate præstabat, conclusam fuisse; hanc nimirum quæ una cum beatissimi Apostoli corpore cæteros quoque omnes Pontifices sanctitate conspicuos, ac Martyres nobilissimos, qui juxta eum tumulati fuerant, tanquam inæstimabilis pretii thesauros suo excipiens sinu complectebatur. Quod plane & in Cœmeteriis beati Pauli, Via Ostiensi; sanctorum Marcellini, & Petri Via Lavicana, beatæ Cyriacæ in Agro Verano; supra invicti Martyris Laurentii corpus Via Tiburtina: beatæ Agnetis Via Nomentana; & compluribus aliis nobilium cœmeteriorum locis ab antiquis fidei cultoribus præstitum fuisse comperimus; ubi in superiori parte, quæ iisdem Cœmeterialibus cavernis imminet, amplæ, ut infra dicemus, ac miri splendoris Basilicæ, ad perenne Christiani nominis monumentum, ædificatæ sunt.

Mos instrumenta pœnalia in sepulchris puta martyrum corpora ponendi hinc probatur.

Primariam cœmeterii partem in ... Templi ambitum Constantinus Imp. complexus est.

Cœmeteriis aliorum martyrum Ecclesiæ superædificatæ.

18 Postquam vero à diutinis persecutionum procellis, ac sæva Tyrannorum rabie Ecclesia respirare cœpit, optatæque pacis tranquillitas Deo adspirante oborta est; Christiani haud destitere ob propensioris observantiæ cultum, quem beato Petro Apostolici senatus Principi deferebant, apud Vaticanum Cœmeterium, in quo Petrus ipse recondebatur, sepulturæ sibi locum deligere. Quapropter post majorem veteris Templi aspidem, quidam in idem Cœmeterium ingressus patebat, ipsi quodammodo monti incumbens, cui & oratorium superextructum erat, quod ex parte adhuc sub ipsa Maffæi Vegii tempora visebatur, ejusque ichnographiam, antequam penitus inter ruinas periret, Alpharanus diligenter extraxit, & Severanus in suis septem Ecclesiarum monumentis delineatam studiosis utique inspiciendam exhibuit. Præmemoratum autem oratorium dirutum omnino ac funditus eversum fuit, ut novæ Templi fabricæ loco cederet, cujus rei gratia partem quoq; ejusdem montis artificum manu proscindi, & solo æquari opus fuit, quo tempore fere omnes Vaticani Cœmeterii aditus præclusi, & quæ supererant, subterranearum viarum, ac cubiculorum vestigia suppressa penitus ac deleta sunt.

Pace reddita Ecclesiæ Christiani sepulturam in Vaticano certatim sibi deligunt.

Aditus in Cœmeterium Vaticanum.

Sever. in septem Eccles. urbis monument.

Quomodo ac quando aditus Cœmeterii Vaticani præclusi ejusdemq; vestigia deleta sint.

19 Reperiri item eundem intra ambitum contigit, cum ad jacienda novæ Basilicæ fundamenta, è profundis visceribus humus extraheretur, arcas complures lapideas eleganti quidem opere, ac miro artis studio elaboratas, quarum plerasque tum hic, tum alibi, quousque pavimentum antiquæ Basilicæ protendebatur, diversis quidem temporibus adinventas, & illas præcipue, quæ sacrarum exsculptis historiarum imaginibus insignitæ sunt, Bosius noster diligenti opera ac studio in unum collegit, earumdemque exemplar nullis parcendo impensis incidi curavit. Et nos, ut studiosi Lectoris desiderio plene satisfiat, selecto hujus libri capite peculiarem de veterum sepulchris Christianorum tractatum instituentes, hujuscemodi arcas cum suis imaginibus, atque ornamentis, prout suppetit facultas, describemus.

Arcæ marmoreæ ex Cœmeterio Vaticano erutæ.

20 Porro Cœmeterium Vaticanum sacro, ac salutari Baptismatis fonte decorabatur, quo sanctissimi quondam Pontifices, ac ipsemet fortasse Apostolus Petrus, ad Christi fidem ultro venientes, dum acerbiora instarent Ecclesiæ tempora, de more abluebant; ex quo nonnulli idem Cœmeterium, fontis utique S. Petri nomen sortitum fuisse existimarunt, inter quos præcipuus est Onuphrius Panuinus; neque aliud quidem Censium Camerarium, & Petrum Manlium intellexisse affirmant, cum inter reliqua Urbis Cœmeteria, hoc pariter sub titulo fon-

Sacer Baptismatis fons in Cœmeterio Vaticano.

Onup. Pan. Cent. Cam. Petr. Manl.

fontis S. Petri Cœmeterium recensent. Certe hic Baptismalem olim fontem extitisse novimus, qui, Liberio Ecclesiam regente, cum pene dirutus esset, ac temporum injuria corruptus: aquarum enim venæ, quæ uberrime ex proximo imminente colle illuc distillabant, rivulorum ductibus, fistulisque perfractis, sparsim per Cœmeterii ambitum delabebantur, atque in ipsamet sanctorum Martyrum sepulchra sensim defluebant; quibus sacra deinde ossa ingenti quidem detrimento labefactata jugiter irrigabantur. Quapropter Damasus, qui tunc apud Romanam Ecclesiam Presbyterali munere fungebatur, defluentibus aquarum venis in unum diligenter collectis, aptatisque cuniculis novum Baptismi fontem extruxit, ut ejusdem Damasi carmina indicant, quæ ipse tunc temporis in marmore incidi jussit. Hæc autem ad hanc usque diem apud sacrum B. Petri Confessionis locum perleguntur, etsi postremæ nonnullorum carminum syllabæ præ nimia vetustate consumptæ penitus, abolitæque sint: ex antiquis nihilominus Bibliothecæ ejusdem Ecclesiæ exemplaribus, in quibus eadem integra adhuc carmina perseverant, quod in marmorea inscriptione desiderabatur, à nobis hic de industria suppletum est. Hæc igitur ex Damaso lector accipe:

Damasus fontem Baptismalem in Cœmeterio Vaticano instaurat.

Versus ad fontem Baptismi à Damaso inscripti.

Cingebant latices montem, teneroque meatu
Corpora multorum, cineres, atque ossa rigabant.
Non tulit hoc Damasus, communi lege sepultos
Post requiem tristes iterum persolvere pœnas.
Protinus aggressus magnum superare laborem,
Aggeris immensi dejecit culmina montis,
Intima sollicitus scrutatus viscera terræ,
Siccavit totum quidquid madefecerat humor
Invenit fontem, præbet qui dona salutis.
Hæc curavit Mercurius Levita fidelis.

21 Id autem operis tunc potissimum à Damaso præstitum est, cum Liberius Summus Pontifex clam ab Urbe profugus ageret, ac se ab omnium oculis subducens, ad Constantii Imperatoris, Arrianorumque furorem, qui Sacerdotalis præcipue animi viros impetebat, declinandum, via Salaria in Cœmeterio latitaret; in ejus enim locum tunc Damasus Romanæ Ecclesiæ Vicarius institutus fuerat. Ad hunc deinde fontem accedens ipsemet Liberius, die festo Pentecostes innumeram hominum utriusque sexus multitudinem salutari Baptismo expiavit, ut in Actis ejusdem Damasi apud M. S. Cod. Vatic. legitur, & nos infra suo loco, cum de prædicto Novellæ Cæmeterio agetur, prolixius enarrabimus. In iisdem vero, quod ad præmemorati fontis extructionem attinet, hæc habentur: *Tertio die venit Damasus cum aliis Diaconibus ad B. Petrum Apostolum, erant enim monumenta, & super aqua denatabat. Fecit autem quasi concilium cum iis Damasus, & dixit: Date mihi opera ministerii, ut hæc aqua emundetur super cadavera hominum. Fecit autem cuniculos duos, & exinanivit locum illum, qui est ad dexteram introeuntibus in Basilicam Beati Petri Apostoli: habebat enim ibidem fontem, qui non sufficiebat, & cædit montem Damasus manibus suis, & introivit, plusquam consuetum est, & construxit fontem, &c.*

Quando & qua occasione fons hic Baptismalis à Damaso extructus fuerit?

Act. Damasi M. S. Cod. Vat. & Vall.

22 Hunc item fontem Prudentius in hymno, quem de Petri passione cecinit, copiosius atque elegantius carminibus illis describit:

Prud. perist. hymn. 12. de SS. Apost. Pet. & Paul.

Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum
Canens oliva, & murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus excitavit
Fontem perennem Chrismatis feracem.
Nunc pretiosa ruit per marmora, lubricatque clivum,
Donec virenti fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars est, ubi lapsibus sonoris
Stagnum navali volvitur profundo.
Omnicolor vitreas pictura superne tingit undas,
Musci relucent, & virescit aurum.
Cyaneusque latex umbram trahit imminentis ostri:
Credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves alit, ipse illic gelidi rigore fontis
Videt sitire quas fluenta Christi.

Quibus satis superque Prudentius ostendit ad sua usque tempora hunc in Vaticano Cœmeterio fontem fidelium usui perstitisse. Hac autem nostra ætate cum ipso Cœmeterio omnino dirutus ac subversus est; ita ut nullæ ejusdem (quod valde dolendum est) alicubi reliquiæ supersint: nisi forte quod circa posterioris crepidinem apsidis, & sub areæ Vaticanæ porticibus, etiam nunc aquarum scaturigines passim conspiciantur, quarum aliquot in limpidissimum fontem ac saluberrimum Urbanus VIII. fel. recordat. corrivavit, versibusque S. Damasum hac etiam ex parte æmulatus, exornavit.

Verum postremis temporibus, dum isthæc describimus, uberrimæ istæ aquarum venæ, quibus Vaticanum Cœmeterium irrigabatur, & quas olim in fontem per cuniculos B. Damasus direxerat, ac quibus S. Liberius Papa innumeros solemni die Pentecostes, ut diximus, sacro Baptismatis ritu abluerat hæ nimirum una cum antiquo aquæductu tandem sub Innocentio X. repertæ, ne tantæ unquam rei memoria aboleretur, in Apostolici Vaticani Palatii aream ad publicam commoditatem deductæ, in pulcherrimum fontem multis scatentem fistulis aptatæ sunt: & historia insuper Liberii Pontificis sacro populum abluentis Baptismate, marmori ibidem insculpta, & fidelium oculis contemplanda exhibetur, hujusmodi apposita ad perpetuum rei monimentum inscriptione.

Fons Liberii Papæ ac Damasi in aream Vaticani palatii ab Innoc. X. deductus, ac restitutus est.

Et ejusdem Liberii Baptismate populum abluentis imago marmori insculpta exhibetur.

AQUAM VATICANI COLLIS
INCERTO OLIM A CAPITE DEERRANTEM
A B. DAMASO INVENTA SCATURIGINE
AD LAVACRUM NOVÆ GENERATIONIS
IN FONTEM CORRIVATAM
RURSUS AMISSAM
INNOCENTIUS X PONT. MAX.
CONQUISITAM REPERTAMQUE,
AC MIRE PROBATAM
FONTI RECENS EXTRUCTO RESTITUIT,
UT IN URBE AQUIS PEREGRINIS
AFFLUENTE,
ÆDES VATICANÆ SUAM HANC HABERENT
GEMINA SALUBRITATE GRATIUS
HAURIENDAM
AN. DOM. M. DC. XXXXIX.
PONTIFICATUS SUI V.

Ejusdem Fontis ab Innoc. X. restituti inscriptio.

24 Id porro, quod ad ipsum Cœmeterium attinet, absque ulla controversia affirmari potest, in eo, reliquorum instar, quædam pariter cubicula extitisse, quod non modo ex iis, quæ supra hucusque diximus, verum etiam aperte ex ipso Bibliothecario in Sixti III. Papæ gestis colligitur, cujus moderationem animi admirandam, charitatemque mirum in modum suis etiam scriptis Bibliothecarius commendans, eundem ait propriis manibus Bassi viri illustris corpus, à quo acerrimam perpessus quondam fuerat persecutionis molestiam, in paren-

Sixtus Papa Bassi persecutoris sui corpus in sepulchro majorum suorum ad Vaticanum sepelit.

parentum suorum cubiculo in Vaticano sepelisse; sic autem inquit: *Bassus nutu divinitatis intra tres menses defunctus moritur: cujus corpus Sixtus Episcopus cum linteaminibus, & aromatibus manibus suis tractans, recondensque sepelivit ad B. Petrum Apostolum in cubiculo parentum ejus.*

...ibliot. in ...it. Sixt. 3.

25 Illud demum hic advertendum est, Cœmeterium hoc, quamvis ab Eusebio, Cincio Camerario, Petro Manlio, aliisque Scriptoribus, Vaticani appelletur nomine; à primis nihilominus Christianæ Religionis primordiis, variis quidem modis frequenter denominatum fuisse: quandoque enim nuncupatur *Memoria*, *Confessio*, *Martyrium*, *Petri Limina*, *Trophæum Apostolicum*, & aliis consimilibus titulis prænotatur, quæ omnia proculdubio ad ipsummet beatissimum Petrum Apostolorum Principem spectare videntur. Et sane rationi congruum, & æquitati consentaneum erat, ut quemadmodum reliqua Romanæ Urbis Cœmeteria insignium sanctorum nomine ut plurimum decorantur, quorum sacrata possident corpora: pari ratione Vaticanum, quod omnium est antiquitatis prærogativa nobilissimum, multiplices itidem, præclarosque gloriosissimo utique Apostolorum Principis ibidem quiescentis nomini, ac merito cohærentes titulos sortiretur. De cujus nunc martyrio, ac sepulturæ loco ut nonnulla hic subjiciamus, tempus ipsum nos ultro admonere, & lector pariter à nobis exigere videtur.

...seb. Camb. ...amer. ...tr. Manl.

...arii Cœ...eteri Va...cani no...ina.

CAP. V.

De martyrii, & sepulturæ loco Beati Petri Apostoli.

1 DE certo, ac peculiari loco, ubi Petrus Apostolus nobilissimum crucis patibulo martyrium consummavit, permultæ quidem scriptorum, quantumvis inter se pugnantium, sententiæ recensentur, quas jampridem in sacris septem Ecclesiarum monumentis à Severano in lucem editis, & volumine hoc jam sæpe citatis collectas, easdemque à Bosio item relatas, singulas prudentis lectoris judicio seorsim expendendas nunc repetere necessarium duximus.

...ariæ au...orum de ...co mar...rii D. Pe...i sen...ntiæ.

2 Sunt igitur, qui Petri martyrium in summo Janiculo contigisse arbitrantur, ubi nunc ejusdem Beati Petri, vulgo dicta in monte Aureo, Ecclesia extat, & in medio Cœnobii claustro, quod contiguum est, ædicula quædam formæ utique rotundæ, ac miro artis studio in ejus honorem à Philippo Secundo Hispaniarum Rege constructa suspicitur; quem ipsummet locum esse perhibent, in quo beatissimi Apostoli crux defixa fuit. Hujus vero sententiæ patroni eo potissimum argumento nituntur: quoniam descriptum legitur, Petrum videlicet prope Naumachiam cruci suffixum fuisse. Romanarum autem antiquitatum Scriptores Naumachiam in Transtyberina regione ad Janiculi radices ponunt. Traditionem insuper iidem pro se afferunt; qua nimirum totius Romani populi erga collem hunc pietatis, cultus, ac religionis obsequium adhuc viget. Præterea ad suam magis, magisque obfirmandam assertionem, Amadei, viri utique suo ævo propter singularem vitæ innocentiam probatissimi, revelationem recitant: hunc enim divinitus accepisse ajunt, collem prædictum nobilissimo Petri Apostoli martyrio illustratum fuisse.

...ii eum in ...niculo ...artyrum ...bisse a...nt.

...aumachia ...regione ...ansltybe...a.

3 Alii contra constanter asserunt, ac mordicus defendunt, Apostolum beatissimum in eodem Vaticani loco crucis patibulum subiisse, in quo deinde pia fidelium manu sepultus est, ac toto terrarum orbe celeberrima constructa ejusdem Basilica cernitur. Et quamvis his super rebus, quæ disputationi subjacent, & controversiam patiuntur, etsi probatos utrimque scriptores habeant, quorum auctoritate fulciantur, haud consilii nostri propositum sit pro certo quidquam statuere ac definire: maximam tamen Vaticani montis, de quo modo agitur, dignitati & gloriæ injuriam facere, & loci sanctitatem haud parum imminuere videremur, nisi rationes quamplurimas, quæ ab eis ultro afferuntur, ac nostro quidem judicio ad id convincendum solidiores, scriptoris muneri fideliter inservientes, in medium adduceremus. Si igitur traditioni innitendum nobis est, longe quidem antiquior, & apud omnes fere ad nostrum usque ævum, tot jugiter sæculorum decursu grata magis, ac majori recepta consensu traditio est, Petrum scilicet in Vaticano, ubi nunc ejusdem Templum attollitur, ligno quondam suffixum, ac sepultum fuisse. Ibi enim, ut à Julio Herculano memoriæ proditum est, locus extabat, qui communi omnium voce ad posteros usque transmissa, Crucifixionis B. Petri locus palam dicebatur; quo sub titulo maximæ apud fideles omnes venerationi erat. Quod vero ad argumentum illud attinet; à Scriptoribus pro se allatum, de Naumachia sub Janiculo posita; hæc quidem olim inibi fuit, quam Cæsar prope suos ad Tyberim hortos extruxerat; haud tamen inde sequitur, quod non alia sub Vaticano pariter esse potuerit, cum præsertim quinque, aut sex Naumachiæ, P. Victore teste, Romæ antiquitus exstiterint, & quidem plures à diversis constructas, atque in eis navalia frequenter prælia fuisse populo exhibita ex profanarum antiquitatum libris didicimus. Harum profecto unam iidem Antiquarii Naumachiam Vaticano adscribunt, Andreas Fulvius, Marlianus, L. Faunus, & alii; cujus Naumachiæ pluribus locis meminit Anastasius. De eadem quoque in Paschalis Papæ litteris mentio habetur, in quibus S. Peregrini Xenodochium in Naumachia utique nuncupatur. Quod olim quidem sub ipsomet Vaticano colle, & Basilicæ Sancti Petri proximum fuisse, ubi hac nostra ætate perexigua cernitur ejusdem S. Peregrini Ecclesia, exploratissimum est. His adde, quod in ipsius Basilicæ Archivio diplomata complura servantur, ex quibus satis clare Lector conjicere potest, omnem illam planitiem, quæ interjacet, ad Naumachiam quondam appellatam fuisse. Certe in ipsis Martyris Sebastiani actis de Zoe conspicuæ sanctitatis fœmina legitur, facto in eam impetu, cum ad B. Petri sepulchrum intensius oraret, Paganos irruisse, & ad regionis Naumachiæ patronum eandem illico perduxisse.

Alii Vaticanum Petri martyrio illustratum affirmant.

Colli Vaticano hæc martyr. Petri gloria adjudicanda videtur.

Ex veterum traditione.

Jul. Hercul. de mem. S. Petr.

Locus Crucifixionis B. Petri jam olim in Vaticano passim dictus.

P. Victor. Plures in Urbe olim naumachiæ erant.

Andr. Fulv. l. 3. c. 22. Marlian. l. 7. c. 10. L. Faun. l. 6. c. 2. Anastas.

Naumachia in Vaticano

Acta S. Sebast. mart.

4 Perspicuum igitur est hæc nostra legentibus, juxta B. Apostoli sepulchrum (ut opinari quidem licet) quandam antiquis temporibus Naumachiam extitisse, quam profecto ejusdem martyrii Scriptores, non autem alteram in Transtyberina sitam regione intellexerunt: idque vel ex eo magis convinci videtur, quod in B. Petri Apostoli gestis, quæ sub Lini nomine circumferuntur, non modo Petrum juxta Naumachiam, sed etiam juxta Nero-

Certum est Petrum passum ac sepultum juxta Naumachiam.

Neronianum obeliscum in crucem actum fuisse asseritur. Hæc autem ibi scripta habentur : *Pervenit denique una cum Apostolo, & apparitoribus populus infinitus ad locum, qui appellatur Naumachia, juxta obeliscum Neronis in monte.* Qua igitur ratione de Naumachia sub Janiculo existente intelligi id potuit, quæ tam longe ab hujuscemodi obelisco distabat? Hoc ipsum vero perspicue patet ex libro Græcis notis conscripto de passione B. Petri, qui apud Vaticanam Bibliothecam asservatur, ubi de ejusdem crucifixione ex Græcis utique Latine reddita isthæc recitantur : *Deducitur Petrus ad eam partem montis Vaticani, quæ arborem supra Terebinthum habet, & infra in subjecta planicie Naumachiam.* Ac statim de Apostolico sepulchro subjungitur : *Sustulerunt corpus S. Petri clam, & posuerunt illud sub Terebintho prope Naumachiam, in loco, qui dicitur Vaticanus.* En satis aperte his verbis (ut vides Lector) idem sepulturæ, & crucifixionis locus describitur, ac designatur, dum primo quidem Petrum in monte, ubi Terebinthus erat, affixum patibulo fuisse dicitur, & deinde in eodem, sub Terebintho sepultum fuisse subditur. Hoc vero haud obscure Damasus indicat, qui Petrum juxta locum, in quo crucifixus est, tumulatum fuisse ait, juxta Neronianum scilicet palatium in Vaticano, & juxta Territorium Triumphale.

Acta Lini Papæ. — *Lib. de pass. Petr. ex bibl. Vat.* — Damasus de loco martyrii ac sepulchri B. Petri mentionem facit.

5 Illud autem argumentum, meo judicio, magni quidem ponderis esse videtur, quod antiquus Romanorum mos fuit, ut in reos ac sontes homines extra Urbis mœnia animadverteretur : Janiculus vero jam inde ab Anco Martio quarto Romanorum Rege intra pomœrium conclusus, Urbi adjunctus fuerat; ut Plinius, Strabo, Eutropius, aliique permulti testantur : itaque juxta memoratam hanc Romanorum consuetudinem haud verisimile est, Petrum crucis supplicio in Janiculo addictum fuisse, qui ipsius olim Urbis pars erat : immo potius apud Vaticanum, de quo nunc agimus, utpote qui tunc temporis extra mœnia situs, longissimo ab Urbe intervallo disjungebatur. Hanc vero ob causam Petrus Comestor in Scholastica, quam scripsit historia, dum Apostolici locum martyrii certis quibusdam indiciis describere, ac digito quodammodo demonstrare conatur, Petrum non modo cruci affixum in Vaticano fuisse, ac ipsam extra Urbem diserte affirmat, sed in eo speciatim loco, ubi figlinæ antiquitus existebant, quæ inibi, ut supra demonstravimus, ad hæc usque tempora perseverant : *Petrus vero* (inquit Comestor) *crucifixus in Vaticano, in vico scilicet, qui extra Civitatem, ubi fiebant dolia.* His adde, quod cum impius Nero in votis maxime haberet, gestiretque, utpote hominum crudelissimus, suos Vaticanos hortos, & Circum populo nova exhibendo invisæ crudelitatis spectacula, innocentium Christianorum sanguine respergere, atque ob id apud posteros quoque in testimonium novi, ac inauditi facinoris insignem, ac memorabilem locum reddere, nobis quidem rem altius considerantibus credibile fit, barbarum hominem, Vaticanum hunc collem, ne quid ipsius immanitati, & Christiani nominis gloriæ deesset, Petri Summi itidem Sacerdotis sanguine insignire, atque illustrare voluisse; tum præsertim, quia nec Augustum forte, ut putamus, latebat, Christianum populum, ut jam diximus, consuevisse eodem in colle, in quem jugiter confluebat, illibata Christianæ fidei ac legis dogmata ab ipso Apostolorum Principe edoceri.

Veterum Roman. reos extra urbem plectendi mos. — *Plin. Strabo Eutropius.* — *Pet. Comest. Hist. Schol. Act. Ap. c. ult.* — Horti, & Circus Neronianus. — Petrum Christianorum Pontificem in Vaticano à Nerone ad Religionis dedecus cruci affixum fuisse verisimile est.

6 Pervetusta eidem sententiæ traditio suffragatur, quorundam etiam suffulta scriptorum adminiculo, quæ crucem, cui Petrus beatissimus Neronis jussu affixus est, duas inter metas erectam fuisse asserit; cum neminem profecto lateat, in ipsismet olim Circis metas extitisse. At si metas hoc loco sepulchrales utique Pyramides intelligi voluimus, maxime cum in perantiquis quibusdam picturis, necnon sculpturis, intermedia ibi Petri cruci affixio repræsentetur. Binas quidem Pyramides in hac Vaticani parte extitisse jam proculdubio novimus; unam, quæ Scipionis Africani dicebatur, de qua Aeron Horatii interpres supra à nobis allatus; & alteram haud longe ab ea, quam plebs Romana Romuli Memoriam appellabat; cujus mentionem facit Leo Papa Nonus in Diplomate, quo Basilicæ Vaticanæ privilegia Apostolica auctoritate confirmat : Cencius item Camerarius, qui eandem in Naumachia statuit : Benedictus Canonicus, qui eam juxta Templi ejusdem porticum ponit : & Jacobus Cajetanus Diac. Card. S. Georgii, in Opusculo, quod de anno Jubilei edidit. Et sane contigisse id potuit, ut beatus Christi Apostolus, vel has inter metas, quas nuper commemoravimus, vel potius inter alias hujuscemodi, quarum memoria etsi ad præsens omnino nos latet, veteribus tamen innotuit, ipsa carnificum manu crucifigeretur, tum maxime, quia inter cætera, quibus Vaticanum illustrabatur, id genus insignia haud defuere, ut ex jam supra recitatis studioso licet Lectori conjicere.

Crucem Petri inter binas metas erectam fuisse vetusta traditio est. — Pyramis Scipioni Africano. — Romuli memoria. — *Leo Non. Cenc. Cam. Ben. Canon.* — *Iac. Cajet. Card.*

7 Sed enim (ut quod verum est, fateamur) nil prorsus eorum videtur opinio subsistere, qui ut locum, quem ipsi proferunt, ac digito monstrant, Apostolorum principis martyrio consecratum in Janiculo mordicus tueantur, & binarum hunc intra spatium metarum concludant, unam ex illis computando accipiunt, quam Adrianæ moli proximam extitisse diximus, alteram vero C. Cestii Pyramidem supputant, quæ ad Trigeminam portam, & nunc sancti Pauli nomine nuncupatam, sita est, cum tamen loca hæc duobus passuum millibus inter se ut minimum distent.

Janiculum inter binas metas constituentium argumentum diluitur.

8 Minus vero probabilis eorum sententia æstimanda est, qui vel ipsammet Adriani molem, aut potius Vaticanum obeliscum unius loco metæ assignant, & alterius vice, ut rem apte conficiant, eandem Cestii Pyramidem constituunt. Nec Blondi hac super re opinio arridet nobis, qui dum Petri in cruce agonem duas inter metas ponere conatur, eo quidem in loco crucem defixam fuisse ait, ubi vetusta jampridem erat sanctæ Mariæ, vulgo Transpontinæ, Ecclesia : ea nimirum ad id asserendum ratione permotus, quod hic locus medius sit inter Pyramidem, quam Africano Scipioni attributam diximus, & inter recensitam hactenus Adrianæ molis arcem, quæ tamen nec ullam metæ formam intuentibus præ se fert, nec illo adhuc tempore ab eodem Imperatore constructa fuerat. Quamobrem, ut in ipso initæ quæstionis vestibulo præmisimus, ac Lectorem obtestati sumus, nil hac super re certi pro utraque parte pronuntiare, ac definire volumus, sed prudentis judicio Lectoris, quid apte magis ad rem, quidve probabilius videatur, relinquimus. Unum interim nobis sat fuerit, quod quidem instituti nostri præcipuum est, apud omnes fere certum, exploratum-

Aliorum molem Adriani & Cestii sepulchrum productis metis accipientium sententia reprobatur. — *Blondus.*

n Vatica- o primum . Petri ſc- ulchrum iſſe, indu- itatum eſt.

Iſidorus iſp. de it. & mar- ...c. 69.

tumque haberi, locum, ubi primum Petrus Apoſtolus beatiſſimus humatus eſt, collem Vaticanum eſſe, & ex nobili ejus deinde ſepulchro Cœmeterium, quod in eodem colle ſitum eſt, decus ac toto in orbe terrarum ſplendorem nominis ac venerationis cultum accepiſſe; quod quidem quam pluribus tum argumentis, tum rationibus cum ſupra à nobis valide comprobatum ſit, à nemine, ut arbitramur, in dubitationem revocari poteſt. Haud interim tamen prætereunda hic eſt S. Iſidori Hiſpal. auctoritas, qui ſatis clare ac diſtincte beati ejuſdem Apoſtoli ſepulchrum deſignat, dum illum ſepultum fuiſſe ait ad orientalem plagam, tertio ab Urbe milliario, quod ſane intelligendum videtur (ne ulla errandi ſuppetat occaſio) eadem milliaria à columna ſic dicta metiendo, quæ Romano olim in foro conſtituta erat. Iſidori autem verba hæc ſunt: *Sanctus Petrus ſepultus Romæ in Vaticano ſecus viam Triumphalem, tertio lapide ab Urbe, ad orientalem plagam.*



S. Cod. t.

i quidam noti cum arcello rpus D. tri aufe- nt, & in ticano eliunt.

9 In Actis vero Apoſtolorum Petri & Pauli ex M. S. Cod. Lateranenſi iſthæc leguntur: *Et hoc dicens S. Petrus emiſit ſpiritum. Statim apparuerunt ibi Viri ſancti, quos nemo unquam viderat antea, nec poſtea videre potuit. Iſti enim dicebant ſe propter ipſum de Hieroſolymis adveniſſe: & ipſi una cum Marcello illuſtri viro, qui crediderat, & relinquens Simonem Petrum ſecutus fuerat, abſtulerunt corpus ejus occulte, & poſuerunt eum ad Terebinthum, juxta Naumachiam, in locum, qui appellatur Vaticanus.* Porro Marcellus iſte, qui venerandum B. Petri corpus ſepulturæ tradidiſſe perhibetur, quandoquidem illuſtris viri nomine celebratur, is haud dubie fuiſſe à nobis exiſtimatur, quem S. Martialis Acta virum Conſularem nominant, qui domi ſuæ ipſum B. Petrum eundemque Martialem hoſpitio, apprime ex hoc nobilitandus receperat.

Petri cæ- terium m cum ticano antiquus bitum.

10 Sed validiſſimum, ac prorſus irrefragabile argumentum nobis ſuggerit Euſebius, dum hoc in Vaticano Cœmeterium ab Apoſtolorum principe cognomen atque appellationem tunc temporis, quo auctor ipſe vivebat, ſortitum & Petri inſuper Cœmeterium vocatum fuiſſe ſcribit: quemadmodum & aliud quod Oſtienſi via ſitum erat, S. Pauli denominatum eſt. Sed cum Rufinus Euſebii verba ſatis ample ſuo ex more reddiderit; Anglus autem interpres luxuriante verborum copia, hæc ipſa obumbraverit potius quam expoſuerit, ſic eadem ad verbum plano, ac fideli ſtylo expreſſa habentur, quæ Lector hic accipe: *Et Paulus quidem Romæ capite plexus, Petrus autem crucifixus eodem Nerone imperante traditur; & confirmat rem geſtam, quod Cæmeteria ibidem hucuſque Petri, & Pauli cognomen obtinent.* Quibus ſtatim bene conſtans Caji vetuſtiſſimi Scriptoris teſtimonium de Vaticano hoc ſepulchro ſubtexitur his verbis: *Quin & Cajus de locis, ubi eorumdem Apoſtolorum ſacra tabernacula depoſita ſunt, hoc aſſerit: Ego vero Apoſtolorum trophæa oſtendere poſſum. Si enim in Vaticanum, aut Oſtienſem viam ire velis, eorum, qui hanc Eccleſiam fundarunt, trophæa invenies.*

Euſ. hiſt. eccl. l. 2. c. 24.

Rufinus.

Caji vetuſtiſſimi ſcriptoris teſtimonium de ſepultura Petri in Vaticano. *Cajus anc. ſcript*

11 Horum igitur omnium, quæ à nobis hactenus dicta ſunt, præmiſſis rationibus, & ſcriptorum quo-

Locus ſepulturæ D. Petri.

quoque auctoritate satis evidenter ostenditur, beatissimum Apostolum Petrum in ipsomet loco post susceptam martyrii coronam piorum manu humatum fuisse, ubi hodierna die sacrosancta ejus Basilica subsistit, & totius orbis veneratione suspicitur. Quód vero ad conditorium attinet, in quo sacrum corpus depositum fuit, satis utique constat ex vetustissimis quibusdam picturis, quæ ad nostra usque tempora in ipsa porticus fronte antiquæ Basilicæ permanserant, totamque intuentibus rem mirifice designabant: hæ quippe lapideam arcam affabre coloribus exprimebant, intra quam post adeptam martyrii coronam devotorum manu discipulorum dignissimus Christi Apostolus reponebatur: cujus quidem recolendæ historiæ, & arcæ pariter, antequam una pariter cum porticu abolerentur, imagines quam diligenter artificum pennicillo exceptæ, ac artis subinde studio delineatæ, tanquam nobile venerandæ antiquitatis monumentum posteritati traditæ sunt, earumdemque exemplar in ejusdem Basilicæ Archivio servatur, quod tibi, amice lector, contemplandum proponimus.

12 Porro Arca hæc, quæ omni veneratione dignum Beatissimi Apostoli corpus continebat, in crypta quadam Vaticani montis perhonorifice fidelium manu tunc primum collocata fuit, quo loco, ut supra dictum est, Christiani acerba illa Neronianæ carnificinæ procella exagitati, ad tuto conveniendum persecutionis tempore, haud multo ante sacro initium Cæmeterio auspicati fuerant. Verum paulo post idem principis Apostolorum sepulchrum novis constructionibus à B. Anacleto Pontifice auctum, exornatumque est, dum ille adhuc presbyteri in Ecclesia munus obiret, ut ipsa Damasi verba, quæ præcedenti capite recensuimus, nimis clare significare videntur, videlicet: *Memoriam B. Petri construxit, cum Presbyter à B. Petro ordinatus fuisset.*

Sepulchrum B. Petri ab Anacleto Papa exornatum.

13 Ædificium autem illud, quod juxta celeberrimum B. Petri sepulchrum ab Anacleto extructum est, parvam ac perexiguam fuisse Ecclesiam nonnulli arbitrati sunt, prout ferebat illa temporum opportunitas, quidam vero Oratorium; etsi alii affirmare non dubitaverint quandam ejusdem Cœmeterii partem tunc potissimum ædificatam, quæ veluti peculiare quoddam Apostolorum Principis conditorium pio jugiter à fidelibus studio coleretur, usumque Oratorii pariter, & Ecclesiæ tunc temporis ob persecutorum metum ibidem delitescentibus exhiberet: quorum sententiæ, utpote quæ rationi valde consonat, nos quoque ultro, libenterque subscribimus. Nam cum Vaticanus sub ea potissimum tempora, ob ludos, ac spectacula, quæ in Circo, seu Naumachia frequenter edi consueverant, ipsomet Nerone illuc ventitante, ingenti hominum multitudine refertus esset; & cum nequissimus interim Princeps in omnem profusus libidinem, eodem loco promiscue in populum debaccharetur, & ad nova, exquisitaque spectanda tormentorum genera, quæ ingeniosus crudelitatis artifex adversus Christianos insontes excogitaverat, nemo Gentilium non avidissime concurreret, locum certe metus ac periculi expertem haud alicubi circa eum Collem fideles sibi seligere poterant, in quo Ecclesiam construerent, & ad sacras peragendas synaxes de more convenirent; quippe qui tamquam noxiæ, ac detestandæ superstitionis homines, facinorumque omnium rei, pœnis subjiciendi, undique perquirebantur, nisi ad secretiora quæque latibula confugiendo, in ipsiusmet montis viscera, & terræ cavernas sese quantocyus abderent. Postmodum vero, Nerone extincto, cum jam acerba persecutionis vis sopita esset, nobis, quod creditu facile est, suademus, aliquod ibi ædificium, quod supra terram attolleretur, commode à fidelibus extrui potuisse. Neque enim studiosum ecclesiasticarum rerum indagatorem latet, gentilitia sub variis quondam Imperatoribus superstitione regnante, permultis quidem locis Deo Optimo Maximo in Sanctorum honorem Ecclesias extructas fuisse; qui Religionis & obsequii cultus, ut nobis credere par est, Petro quoque visibili totius Ecclesiæ Capiti, atque Apostolorum Principi, ampliori sane titulo, ac jure delatus à fidelibus fuit.

Ædificium Anacleti prope Petri sepulchrum quale fuerit?

Nerone imperante subtus terram illud facile ab Anacleto constructum erat.

Nerone vero extincto, supra terram Petro oratorium extrui potuisse credibile est.

14 Hujus autem assertionis nostræ vis ex eo mirifice roborari videtur, quod in hunc sanctissimum locum antiqui illi, ac primævi Christianæ fidei cultores, dum adhuc acerba gentilitiæ persecutionis rabies in pios quosque grassaretur, Apostolici sepulchri invisendi, ac venerandi gratia, remotissimis è regionibus, nulli incommodo, ac labori parcentes, se ultro conferebant. Ex quo pariter id verisimile dijudicari potest, tunc ibi terræ supereminens quoddam, & spectabile orthodoxæ Religionis monumentum, quod venientibus innotesceret, extitisse. Hoc autem fortasse, cum in Christiani cujuspiam viri fundo consisteret, omnibus eadem Religione imbutis satis notum, perspectumque erat. Id certe, ut cætera sileamus, perspicue Caji antiquissimi inter Ecclesiæ Scriptores Theologi verba convincunt, qui Zephyrino Dei Ecclesiam regente, sub Severo & Caracalla Imperatoribus floruit. Is enim luculentam pro fide adversus Proculum hæreticum orationem scribens, digito, ut ita dixerim, gloriosa Apostolorum sepulchra, quæ nobiliori titulo Trophæa ab ipso nuncupantur, demonstrat; hæc autem inquit: *Ego Apostolorum Trophæa perspicue possum ostendere; nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in viam, quæ Ostiensis dicitur, te conferre Trophæa eorum, qui istam Ecclesiam suo sermone, & virtute stabiliverunt, invenies.* hactenus ille ad rem nostram.

Jam inde à principio sepulchrum Petri ab omnibus gentibus invisitur ac colitur.

Euseb. loc. cit. Baron. Annal. an. 215.

15 Quidam vero Apostolici sepulchri locum, de quo nunc sermo est, successivo temporum interlapsu ab Heliogabalo Imperatore subversum fuisse opinantur, tunc nimirum, quando hic, ut Lampridius narrat, quadrigis elephantorum spatia, quo commode absque ullo prorsus impedimento transirent, laxare cupiens, Vaticana sepulchra, quæ plura ibidem extabant, impie vastando disjecit. Addunt præterea, Christianos hujus demolitionis tempore, ut sacrum beatissimi Petri corpus ipsas inter ruinas inviolatum servarent, illud una cum B. Pauli corpore usque ad Catacumbas transtulisse: verum prolixius hac de re suo infra loco differendum erit, cum de ipsismet Catacumbis in Cœmeterii Callisti descriptione sermo instituetur.

Ab Heliogabalo sepulchrum Petri in Vaticano subversum esse nonnulli autumant.
Lamprid. in Heliogab.

16 Porro illud apud omnes indubitatum est, inde rursus beatissimi Petri corpus sublatum, & à Cornelio Papa in pristinam Cœmeterii Vaticani sedem restitutum fuisse; ubi & cæteri deinceps sanctissimi Pontifices, qui in Pontificatu successerunt, pari honore humati fuere; quod & Anastasius asserit in conscriptis ejusdem Cornelii gestis, hæc

Cornelius Papa corpus B. Petri Cœmeterio Vaticano restituit, unde prius fuerat sublatum.

hæc dicens: *Beatus verò Cornelius Episcopus accepit corpus B. Petri Apostoli, & posuit juxta locum, ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum Episcoporum, in Templo Apollinis, in monte Aureo, in Vaticano Palatii Neroniani.* Nec unquam in posterum loco idem venerandum corpus dimoveri contigit, quousque Romana in Urbe post insignem è Maxentio relatam victoriam, erecto victorioso Crucis vexillo, & Christi nomine toto terrarum orbe propagato, Vaticanum templum à Constantino Magno Imperatore magnificentissime excitatum est; ibique locato Principis Apostolorum sepulchro, illud religiosissimus princeps pro Constantiniana pietate ac munificentia exornandum, illustrandumque curavit, ut proximo Capite enarrabimus.

Anastas. in Cornel.

Ibique quievit usque ad tempora Constantini Imp.

Qui illud in Templo Vaticano à se erecto deposuit.

17 Quo autem devotionis cultu Vaticanum Collem, eamque præcipue Collis ejusdem partem Christiani prosecuti fuerint, in qua sacrum Petri corpus depositum est, jugis populorum concursus, antiquus peregrinationum ritus, assidua, & numquam hactenus intermissa sacratissimum hunc locum invisendi consuetudo, quæ à primis jam usque temporibus invaluit, probe testantur: sed quæ in Romano Breviario ad rem leguntur, hic potissimum nobis recensere fas sit: *Ex locis sacris, quæ olim apud Christianos venerationem habuerunt, illa celeberrima, & frequentissima fuerunt, in quibus condita sanctorum corpora, vel aliquod martyrum vestigium, aut monumentum esset. In quorum numero sanctorum locorum in primis semper fuit insignis ea Vaticani pars, quam S. Petri Confessionem appellabant. Nam eo Christiani ex omnibus terræ partibus, tanquam ad fidei Petram, & Ecclesiæ fundamentum convenientes, locum Principis Apostolorum sepulchro consecratum summa religione, ac pietate venerabantur.* hæc ex Ecclesiasticis tabulis lectori repetenda proposuimus.

Collis Vaticanus omnium gentium concursu ob Petri corpus inibi positum celebratur.

Eccl. Rom. Brev. die 18. Nov.

Quæ loca olim apud Christianos multo ac concursu præcipue celebrarentur?

Confessio S. Petri.

18 Quoniam verò sacræ Apostolorum Confessionis hic opportune mentio incidit, si quis recolendæ vestigia antiquitatis assequi vult, secum ipse recolat, quæ de Confessionibus Apostolorum Cassiodorus scribit his plane verbis: *Tenemus aliquid Apostolorum proprium, si peccatis dividentibus non reddatur alienum, quando Confessiones illas, quas videre universitas appetit, Roma felicior in suis finibus habere promeruit.* hæc Cassiodorus. Verum quid potissimum hoc Confessionis nomen insonet auribus, quod passim usurpari contingit, Baronius in suis ad Romanum Martyrologium notis erudite disseruit, ubi isthæc: *Confessio apud nos idem est, quod apud Græcos Martyrium, quamvis non idem prorsus apud illos, qui apud nos earum vocum sensus sit: nam Græci Martyrii nomine non numquam totam basilicam martyribus dicatam appellant, ut videre est ex Chalcedonensi Concilio, ubi sæpe de Martyrio S. Euphemiæ fit mentio, & apud alios sæpissime. Martyrium enim appellandum esse locum, in quo martyr sepultus sit, habetur ex l. ult. de sepulchro viol. C. Theod. Non tantum Ecclesiæ in honorem martyrum erectæ Martyrium dici consuevere, sed & aliæ.* Subdit autem idem Baronius: *Non igitur Latini basilicam Confessionis nomine aliquando intellexerunt, ut falso ex illo Canone nonnulli sunt arbitrati, sed magis ea significatione ea vox dicta reperitur, ut locus ille intelligeretur sub majori altari positus, quo reliquiæ sanctorum martyrum, seu integra ipsorum corpora conderentur: idque ex antiquo usu Ecclesiæ, & Apostolica traditione, secundum illud Apocalyp. c. 6. Vide sub altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, &c. Sunt & alia de his innumera loca, quæ brevitatis causa referre omittimus. In hoc utique sensu illa verba hic posita accipienda sunt, quibus dicitur: Cum oraret ad Confessionem B. Pauli, ad locum ipsum videlicet, ubi sacrum corpus ejus esset positum. Et Cajus antiquus Theologus ipsas, quas dicimus Confessiones Petri & Pauli, Apostolorum trophæa appellat apud Euseb. hist. lib. 3. c. 24.* hæc, & alia de Confessionis vocabulo in sacris Martyrum actis frequenter repetito ad rem nostram Baronius. Sed jam ad ulteriora Vaticanæ Basilicæ monimenta progrediamur.

Confessio Petri est quid Apostolorum proprium.

Cassiod. Var. lib. 10. c. 20.

Confessio quid significet?

Baron. in not. die 5. Jul.

Martyrium apud Græcos quid aliquando significet?

Confessio est locus sub ara primaria martyrum reliquias continens.

Confessiones Petri & Pauli trophæa Apostolorum.

CAP. VI.

Vaticana Basilica supra Cœmeterium à Constantino extruitur, ibidemque B. Petri corpus reponitur.

1 Cum Deus Opt. Max. *cujus natura bonitas, cujus voluntas, potentia, cujus opus* (ut S. Leo ait) *misericordia est*, Ecclesiam diris, acerbisque persecutionum procellis exagitatam respicere, ac suorum vota fidelium benignis excipere auribus decrevisset, utpote, quæ assiduis jejuniis, necnon vigiliis cumulata, toto terrarum Orbe, sed præcipue ad sacrum Beati Apostoli Petri Confessionem, ipsi in odorem suavitatis jugiter offerebantur; ad commiserandum tandem permotus: *Numquid enim in æternum projiciet Deus: aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas?* extemplo de tenebris mirabiliter fecit lucem splendescere; oculos quippe, quos diu insanæ idololatriæ, ac vani superstitionum errores miserandum in modum respersferant, Constantino Augusto, Constantii, & Helenæ filio divinitus reseravit, eumdemque Imperatorem salutari fonte Baptismatis ab omni labe expiatum, ac rerum supernarum luce perfusum, Ecclesiæ tutorem, vindicem, propugnatorem, assertorem fidei, fundatorem pacis, ac illibatæ demum Religionis eximium toto terrarum Orbe propagatorem constituit. Ut igitur Christiani nominis, ac Sacerdotii gloria longe lateque percurrens ubique diffunderetur, atque innotesceret, inter cætera augustissimi Imperatoris animo suggessit, ut primus in sui, ac sanctorum honorem magnificentissima Templa publice exædificaret, & lege item promulgata, religionis cultu ac pietate conspicuus, ab aliis ædificanda sanciret, nec enim ille contentus plures immortali Deo Basilicas insignis munificentiæ studio erexisse, ut in omnium manibus esset, quibusvis nationibus ac gentibus omnibus, qui Romano parerent Imperio, Deo extruendi templa ac Ecclesias exædificandi facultatem liberam fecit, magis in hoc Deum honorans, omnes videlicet ubique terrarum ad Religionis cultum Deo exhibendum lege sancita excitando, quam suis manibus templa ac Basilicas ædificando.

S. Leo ser. 2. de Nat. Domin.

Naviculæ Petri diris diu agitatæ fluctibus oritur tranquillitas.

Psal. 76.

Constantinus Imp. fidem amplectitur, & Ecclesiæ defensor efficitur.

Templa in honorem Christi, sanctorum que toto orbe palam exædificari jubet.

2 Verum præcipua inter Templa, quæ pius Imperator condidit, Vaticanum in primis extitit, quod super ipsummet Principis Apostolorum sepulchrum, necnon reconditas ibidem Sanctorum in ordine Pontificum, ac Martyrum reliquias mira operis celeritate excitavit. Dignissimus etenim Imperator die octava post suscepta Baptismalis aquæ Sacramenta supplex ad B. Petri Confessionem accedens, ibidem imperiali deposito diademate, regiam exutus chlamydem, humi provolutus uberrimis undique perfusus lacrymis Deum altissimum exoravit, persolutisque humiliter votis, fabricæ

Templum Vaticanum S. Petri à Constantino Imp. ædificatum.

Inchoandæ fabricæ primus omnium manus ipse admovet. Et duodecim cophinos terræ e fundamentis suomet collo extulit.

fabricæ protinus inchoandæ omnium primus manus admovit; siquidem sceptri vice, quod paulo ante deposuerat, ligone ad eruendam humum desumpto, in sanctorum duodecim Apostolorum honorem, duodenos terræ cophinos sua manu à fundamentis egessit, quos devotionis gratia, non jam Imperatorem, sed vilem bajulum agens, suis inde humeris asportare cæteris in hoc principibus gloriosior haud erubuit. Hæc quidem omnia in Actis S. Silvestri Papæ M. S. Vatic. S. Cæciliæ, & Vallic. his verbis leguntur: *Constantinus Imperator processit, albis depositis, totus mundus, & salvus, & veniens ad Confessionem Apostoli Petri, ablato diademate capitis, totum se planum projiciens in faciem, tantum illic lacrymarum effudit, ut omnia illa insignia vestis purpureæ infunderentur, dans voces inter amaras lacrymas, quibus se errasse, & peccasse, reumque se esse de persecutione sanctorum commemorans, non esse dignum ejus limina contingere cum ingenti gemitu exclamabat. Et subinde exuens se chlamyde, & accipiens bidentem, ipse primus terram aperuit ad fundamenta Basilicæ S. Petri construenda; deinde in numero duodecim Apostolorum, duodecim cophinos plenos suis humeris superpositos bajulans, de eo loco, ubi fundamenta Basilicæ Apostoli erant jacienda, &c.*

In act. S. Sil. M. S. Cod. Vat. S. Cæc. & Vall.

Lacrymas pietatis interea effundit.

Templo jam constructo, sepulchrum Petri ære Cyprio munit.

3 Hac deinde magnificentissime constructa, vetus beatissimi Petri sepulchrum ære Cyprio circumdari, & omni ex parte muniri, obfirmarique jussit, ne inde ullo unquam tempore sacratissima illa pignora dimoveri, aut a quoquam ulla in posterum ratione contingi, attrectarique possent; ipsumque intra sepulchrum crucem auream, corporis plane magnitudini coæqualem, reposuit, desuper autem Altare lapideum erexit, cui Ciborium quoddam argento & auro, gemmisque fulgentibus ornatum superaddidit, & donaria quam plurima, atque amplissimos redditus obtulit; quod & ipsimet Basilicæ eadem magnificentia præstitit; eamdem enim opulentissimis redditibus auxit, copiosaque admodum pretiosissimarum rerum supellectili ditatam mirifice illustravit. At impense profusam de Ecclesia utique optime meriti Principis liberalitatem, ornamentorumque ingentem tam numerum, quam pondus, cum plerique alii prolixius enarraverint, & Bibliothecarius præcipue in Silvestro quam copiose descripserit, hic consulto eadem repetere, ac recensere omittimus; cum nostri, ut jam diximus, instituti sit de Cœmeteriis, ac de iis dumtaxat agere, quæ ad sacra Urbis Cœmeteria quoquo modo pertinere videntur.

Idque pretiosissima supellectili, & redditibus amplissimis ditat.

Bibliothec. in Silvestr.

4 Sed ne hic interim, quæ ad rei propositum faciunt, ingrato silentio involvamus, ipsum, quæso lector, Baronium rerum Ecclesiasticarum scriptorem, sepulchrorum, & Basilicæ Apostolorum gloriam disertis, conceptisque verbis perorantem, & sacræ antiquitatis adstipulatorem fidelissimum audiamus: hic enim in suis ad Martyrol. Roman. notis, de Apostolorum sepulchris, & subinde de basilicis in eorum ibidem memoriam à Constantino Imperat. magnificentissime erectis, isthæc habet: *Longe antequam Apostolorum Basilicæ erigerentur, eo ipso tempore quo beatissimi Apostoli Petrus & Paulus glorioso martyrio coronati sunt, loca sepulchrorum ipsorum magna veneratione sunt habita, &c.* Verum mox ad eorumdem Basilicas sermonem inflectens, isthæc subdit: *Eadem loca frequenti Christianorum concursu celebrari solita docent acta martyrum, quorum meminimus: quæ postmodum à Constantino Imperatore amplissimis sunt illustrata Basilicis, eædemque ornamentis auctæ, atque ditatæ redditibus, ut docet libellus Damasi de munificentia Constantini conscriptus. Quod autem spectat ad Vaticanam Basilicam, in majori ejus arcu hi versus musivo opere exarati legebantur:*

Baron. in not. Mart. Rom. de 18. Novemb.

Jam inde ab initio martyrii Petri, ejus sepulchrum in veneratione habitum.

Idem postea amplissima ibi à Constantino erecta Basilica illustratur.

Quod duce te mundus surrexit in astra triumphans.
Hanc Constantinus Victor tibi condidit aulam.

Ex antiquis actis Silvestri Papæ illud compertum habetur, Constantinum Imperatorem in erectione Basilicæ S. Petri primum ante omnes ligone ad fundamenta jacienda terram fodisse, erutamque cophinis asportasse. Quid ni hæc præstiterit Christianissimus Imperator? cum & Vespasianum Augustum in restitutione combusti Capitolii hæc ipsa egisse auctor sit Suetonius, cujus in vita ipsius c. 8. hæc sunt verba: Ipse restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit. Hæc Suetonius.

Ad ejus fundamenta jacienda primus terram fodere cœpit.

Imitatus Vespasianum simile quid in restitutione Capitolii facientis.

5 Quanta autem earumdem Basilicarum sanctitas, & religio extiterit, audacter cum Moyse dicam, & inimici nostri sunt judices: nam licet extra murorum Urbis ambitum sitæ essent; eas tamen ut cæleste quoddam asylum divinitus præscriptum hostes fidei, ac Romani Imperii perduelles, Gothi inquam, cum in Urbem grassarentur, sunt reveriti, nullum illis, vel earum ministris negotium facientes: immo & ad illas confugientibus parcere inviolabile fuit, ut scribit Orosius hist. lib. 7. cap. 39. S. August. de civit. Dei lib. 1. cap. 1. & Procopius de bello Gothico tempore Iustiniani lib. 2. Accipe quid furens hæretica Theodora Augusta dederit in mandatis Anthemio Scriboni, cum de capiendo Vigilio Papa ad ipsum scribens, hæc ait: Exceptis omnibus, in Basilica S. Petri parce, nam si in Lateranis, aut in palatio, aut in qualibet Ecclesia inveneris Vigilium, mox impositum navi perduc eum usque ad nos, &c. Quod autem spectat ad limina Apostolorum, obtinuit antiquus usus, ut præ reverentia, aut religiosa quadam observantia, ipsæ Basilicæ limina Apostolorum vocarentur. Unde Claudianus ad Iacobum magistrum equitum hoc versu:

Ingens Vaticanæ Basilicæ sanctitas ac religio vel ipsis hostibus veneranda ac verenda semper extitit.

Per cineres Pauli per casti limina Petri.

Nec tantum postquam Basilicæ Apostolorum erectæ sunt, sed longe ante obtinuit hujusmodi loquendi usus.

Basilicæ ipsæ Apostolorum limina vocantur.

6 Unde in actis S. Alexandri Papæ hæc leguntur: Tu si ad limina S. Petri duxisses eum, &c. de ejusmodi nomenclatura exempla plura habes ex Fortunato, & in Carmin. de Partu Virginis his versibus:

Quos recipit sacra porta Petri, quos janua Pauli,
Postis ad Andreæ limen Achaja patet.
Matthæi Æthiopes, Ephesini valua Ioannis
Et quem quisque amat, hunc sua porta rogat.

Moris enim erat adeuntibus Basilicam, ante ejus ingressum, ad limina procumbere, postes deosculari, preces fundere. Unde idem Fortunatus hæc de Basilica Ravennate:

Rursus Apollinaris pretiosa limina lambe,
Fusus humi supplex, &c.

Hæc Baronius, qui plura interim subdit, quæ ad antiquam sacrorum liminum venerationem spectant, quibus postremo loco de Vaticana Basilica isthæc concinne ad rem nostram inserit: *At de ipsa Vaticana Basilica Sidonius Apollinaris lib. 1. ep. 5. ad Heronium hæc ait: Ubi priusquam vel pomæria contingerem, triumphalibus Apostolorum liminibus affusus, omnem protinus sensi membris male fortibus explosum esse languorem.*

Baron. in not. ad Mart. Rom. die 19. Nov.

7 Romam

Romam peregre venientes limina Apostolorum ante omnia invisunt.

7 *Romam venientibus primum omnium Limina Apostoli Petri adire usu receptum erat, ut colligitur ex Ennodio in defensione Symmachi Papæ. Ingredi ipsa Limina Apostolorum, ibique sacra facere, idem erat quod communicare Catholicæ Ecclesiæ, ut pulchre expressum habes ab Optato Milevitano lib. 2. contra Parmenianum, cum ait: Ad Petri memoriam non accedit, quasi Schismaticus, contra Apostolum faciens, qui ait: Memoriis sanctorum communicantes. Ecce præsentes sunt ibi duorum memoriæ Apostolorum. Dicite, si has ingredi potuit, ita ut obtulerit illic, ubi sanctorum memorias esse constat. Hæc Optatus, Addimus, quod Prudentius his versibus docet, Christianos sacra Apostolorum, ac martyrum limina exosculari solitos:*

Prudent. in Perist. hym. de S. Laurentio.

Ipse & Senatus lumina
Quondam Luperci, & Flamines
Apostolorum, ac Martyrum
Exosculantur Limina.

Hæc utique ex Baronio hic per extensum recensere voluimus, & veluti præclara quædam insculpta Vaticanæ Basilicæ trophæa, & perpetua sacri erga eandem cultus monimenta affigere, ut quisquis perlegerit, & venerandam religiosamque anteactorum seculorum antiquitatem pariter ac pietatem probe perspexerit, mirari desinat, si inter cætera orbis terrarum loca, quæ peculiarem sibi religionis cultum vindicant, Vaticana Basilica, de qua sermo est, Apostolorum meritis, & sepulchro nobilitata, merito principem locum obtineat.

Vaticana Basilica præ cæteris urbis in orbe locis apud homines religiosos semper extitit.

8 Verum nequaquam à nobis hic silentio prætereundum est, eandem Vaticanam Basilicam à summo Pont. Silvestro in honorem Apostolorum Principis XIV. Kal. Decembris dicatam fuisse, ut celeberrimus hujusce Dedicationis dies fidem facit, qui sacris in Martyrologiis quotannis solemni ritu recolitur. Tunc autem idem B. Silvester Altare majus, sub quo B. Petri corpus collacatum fuerat, sacri unctione Chrismatis delibutum, ad peragendum consecrationis ritum sacra olei infusione tunc primum adhibita institutaque, insigni ac celebri pompa consecravit. Porro præmemoratæ consecrationis, quæ tum Ecclesiæ, tum Aræ Beatissimi Pontificis manu peracta est, in perantiquo sermone de Basilicæ Lateranensis Dedicatione, mentio habetur, qui scilicet annuo ejusdem solemnitatis die recitari consuevit, & M. S. in ejusdem Basilicæ Archivio servatur, ubi isthæc: *Consecravit autem & idem venerabilis Papa Silvester Ecclesiam Apostolorum Principis in 14. Kal. Dec. quam etiam piissimus Imperator à fundamentis erexit, ex cujus apertura fundamenti ipsemet propriis humeris duodecim cophinos ex tellure fundamenti confectos in honorem duodecim Apostolorum asportavit. In qua & super corpus Apostoli altare constituit lapideum, & Chrismate perunctum (secundum morem, quem posteris tradidit observandum) benedixit & consecravit.*

Basilicæ Vaticanæ dedicatio à Silvestro solemniter peracta est.

Et Ara deinceps ab eodem consecrata.

Sermon. dedic. Basil. Lat.

M. S. Cod. ...

9 Hoc idem altare post longa revoluta annorum curricula nimia jam vetustate consumptum, ac deformatum Callistus Papa II. celebritate maxima, Cardinalibus, Episcopis, ac primariis viris quampluribus Ecclesiastica dignitate fulgentibus ibidem adstantibus, quos ille ex diversis regionibus Romam ad Concilium evocaverat, ingenti populorum lætitia, festivoque totius Urbis plausu restitutum, iterum ex Ecclesiasticorum canonum præscripto, VIII. Kalend. Aprilis consecravit ipsomet solemni Virginis Annuntiatæ die, impertita futuris quibusque temporibus ex thesaurorum Ecclesiæ promptuario trium annorum indulgentia iis omnibus, qui eadem recurrente die sacrosanctum locum hunc pie, ac devote inviserent, quod his plane verbis à Petro Manlio memoriæ traditum fuit: *Beatæ recordat. Callistus Papa Secundus, quoniam decorem domus Domini sicut Propheta plurimum dilexit, Altare B. Petri, quod nimia vetustate, & lapidum percussionibus quodammodo violatum videbatur, optimis marmoribus vestivit, & decoravit. Et in festo Annunciationis beatæ Mariæ cum toto Concilio lapidem Altaris satis honorifice, & devote consecravit. In qua videlicet consecratione, ut invenimus in libris nostris scriptum, fecit remissionem trium annorum annualiter ad eam devote venientibus.*

... jam ... col... à ... listo II. ... tuitur, ... enuo ... mni ... confe... ur.

Petr. Manl.

10 Porro, ut nil prorsus lectorem lateat, istæ lapidum percussiones, quæ, ut Manlius scribit, in antiquo templi Apostolici Altari suspiciebantur, devota peregrinorum manu illuc ex toto terrarum Orbe religionis causa frequenter accurrentium contigisse credibile est; hi quippe post delatum (ut par erat) Apostolorum Principis sepulchro obsequium, fragmenta hæc, reliquiarum loco, in longinquas regiones secum deferre gestiebant. Hæc eadem Callisti consecratio iisdem fere verbis à Maffæo Regio refertur, atque in pervetusto M. S. Martyrologio legitur, quod ad hanc diem in S. Petri Archivio asservatur, in quo peculiaria quædam ejusdem Basilicæ festa adnotantur; & sacra insuper actio, quam memoravimus, peracta describitur, Pontificatus Callisti anno quinto, Indictione V. qui annus numeratur à Virginis Partu 1122.

Vetus S. Petri Altare peregrinis ejusdem particulas religionis ergo auferentibus, tandem corruit.

Maffæus regius Martyr. M. S. Eccl. S. Petri.

11 At nostra hac ætate, cum novi Templi pavimentum altius deduci, & adæquari, propterea que ipsummet Callisti Altare extolli opus esset, glo. mem. Clemens VIII. intactum, immotumque eodem loco relinqui, novumque desuper Altare, & quidem magnificentius, amplioris utique formæ, erigi voluit: quod triginta, & octo Cardinalibus adstantibus, totius Romanæ Curiæ interventu, innumerabilisque populi concursu, ipsemet Pontifex solemni ritu consecravit, die Dominica 26. Julii 1594. in quo deinde idem Pontifex omnium primus incruentum Missæ sacrificium obtulit. Novissime demum sacrum idem Altare adhuc sublimiori situ dispositum, ac elevatum, Urbanus VIII. Pont. Max. solemni ritu una cum tota nova Vaticana Basilica, quam cæteri Pontifices per partes, veteri demolita, construxerant, eadem recurrente Dedicationis à B. Silvestro peractæ die, nempe decimoquarto Kal. Dec. anno Nativitatis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo sexto consecravit: ut in Romano Breviario his verbis legitur: *Eandem Basilicam vetustate jampridem collabentem, ac propterea multorum Pontificum pietate latius ac magnificentius à fundamentis erectam, Urbanus VIII. eandem die recurrente millesimi sexcentesimi sexti solemni ritu consecravit.*

Clem. VIII. super illud novum altare extruit, ac solemniter consecrat.

Lect. Brev. Rom. die 18 Nov.

12 Basilicæ Vaticanæ gloriam jam satis tibi, lector, in nostris hisce Subterraneæ Romæ paginis contemplandam delineavimus: pia item Christianorum ex toto illuc orbe jugiter confluentium studia descripsimus: restat nunc, ut hic vel obiter, etsi parum ab instituti proposito digredi videamur, religiosam Summorum Pontificum, totius Cleri, & Urbis ipsius pietatem, ac devotionis cultum Apostolorum Basilicis præstitum brevi orationis stylo

Summorum Pontificum, Cleri Romani, ac

Urbis in colendis Apostolorum Basilicis pietas.

stylo complectamur. Porro in quo honore apud omnes Christi fideles, ac eos præcipue, qui in Urbe degebant, non tantum Apostolorum Basilicæ, sed & festiva eorundem memoria haberetur, testis est Prudentius, qui natalitium eorundem diem Romæ solemnem jugiter extitisse, & à Summis Pontificibus ingenti studio, ac miro pietatis ardore celebratum fuisse affirmat. Sed Baronium de festivo Apostolorum natalitio die, & pariter de Vaticanæ Basilicæ cultu isthæc subtexentem gratis, si libet, auribus excipiamus: *Bis festa*, inquit, *dies hæc dicitur à Prudentio, atque in ea duplicare sacra vota consuevisse Roman. Pontificem testatur, cum ait:*

Baron in not. ad Mart. Rom. die 29. Iun.

Prud. hym. 12.

. . . Transtyberina prius solvit.
Sacra pervigil sacerdos;
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Utraque Apostolorum Basilica maxima populi frequentia semper celebrari consuevit. Maxime die ipsorum festo.

Ipsum populum frequentissimo cœtu utramque Basilicam, tam Petri in Vaticano, quam Pauli via Ostiensi ea die invisere solitum, idem auctor eodem hymno profitetur. S. Ambrosius in hymno hujus diei, non duabus tantum, ut ait Prudentius, sed tribus viis hujusmodi festum diem Romæ celebrari solitum, quasi tria loca à populo ea die visitarentur, testatur his versibus:

S. Ambr. hym. de Petr. & Paul.

Tantæ per Urbis ambitum
Stipata tendunt agmina,
Trinis celebratur viis
Festum sanctorum Martyrum.

Existimamus enim, non solum ipsas Basilicas Apostolorum hac die populum frequentasse: sed vel locum, ubi Petrus cruci affixus est, vel ubi Paulus capite truncatus, aut ipsum carcerem sacrosanctum redditum, ubi uterque diu detentus est (ut hodie videmus) adiisse, prædictæ enim omnes antiquæ memoriæ non solum in ipso natali die Apostolorum, sed & per octavas à cœtu fidelium in hanc diem ardenti pietatis studio visitantur.

Ad diem festum Apost. ingens hominum multitudo Romam confluere solita.

13 *Constat etiam ad eandem solemnem diem ex diversis Orbis regionibus innumerabilem hominum multitudinem religionis ergo Romam confluere consuevisse. Hinc Galla Placidia Augusta scribens ad Pulcheriam Imperatricem, cum reddit causam sui Romam adventus, hæc ait: Ut Romam frequentibus concursionibus adeoque desideremus inspicere, causa nobis est amplectendæ religionis, ut terminis sanctorum nostram exhiberemus præsentiam, quos certum est pro sua virtute in cælestibus constitutos, neque inferiora despicere. Nos itaque sacrilegum esse credimus, si solemnium ordinem denegemus, &c. Episcopos etiam hinc inde ad eandem solemnitatem olim confluere consuevisse, ex epist. 14. Paulini ad Severum, & 16. ad Delphinum, ubi solemnem hanc appellat consuetudinem, satis exploratum habetur. Ut autem semel in anno omnes Episcopi limina adirent Apostolorum, Anacleti, & Zachariæ Papæ decretis statutum est, de quo dist. 93. c. juxta sanctorum. Exegisse hoc ab Episcopis Siculis videtur S. Gregorius, scribens ad Petrum subdiaconum lib. 1. regist. ep. 70.* Hæc Baronius.

Ex Anacleti, & Zachariæ PP. decreto Episcopi semel in anno limina Apost. adire tenebantur

Quod à magnis viris diligenter olim observatum est.

14 Porro antiquam, ac laudabilem consuetudinem Christianorum, & Episcoporum præcipue Romam adeundi ad natalitium Apostolorum diem honore debito concelebrandum, ex Sanctorum gestis recolere unusquisque potest. Præ cæteris enim Cassius Narniensis Episcopus id singulis annis in Apostolorum honorem jugiter præstitisse Rom. Martyrologium ex lib. Dialog. S. Gregorii his verbis testatur: *Narniæ S. Cassii ejusdem Civitatis Episcopi, de quo S. Gregorius refert, quod nullus pene dies vitæ ejus abscedebat, quo omnipotenti Deo hostias placationis non offerret, &c. demum natalitio Apostolorum die, quo singulis annis Romam venire consueverat, &c. migravit ad Dominum.* Vir de Apostolorum obsequio deditissimus, illud antea divinitus oraculum acceperat de imminente sibi mortis die: *Age, quod agis: operare, quod operaris, natalitio Apostolorum die venies ad me:* quod eventus postea comprobavit. Et quidem S. Paulinus sæpius ad solemnem hunc recolendum diem in Urbem advenisse ipsemet ad Delphinum scribens, his verbis testatur: *Cum solemni consuetudine ad Beatorum Apostolorum natalem venissemus, tam blande, quam honorifice excepit, &c.*

B. Cassio Narniensi Episc.

A B. Paulino.

Paul. ep. 16.

15 Quam verò exactè annuæ devotionis tributum Apostolorum Basilicæ ab Episcopis persolvi consuetum Summi Pontifices exigerent; & ne umquam intermitteretur, satagerent, epistolæ Gregorii Papæ Episcopum Rhotomagensem acriter increpantis fidem faciunt, ubi mirus fidelium in hac re fervor simul exprimitur. Ait igitur: *Qui verò labor, aut quæ difficultas præ aliis dissuasit vobis per tantum spatii B. Petrum negligere, ubi & ab ipsius mundi finibus, etiam gentes noviter ad fidem conversæ student annue, tam mulieres, quam viri ad eum venire? &c.* Paribus item verbis Pontifex supra citatus Lanfrancum quendam Episcopum acriter per Epistolam increpavit, dum infirma licet valetudine Christianos ad limina venire consuevisse affirmat: *Non enim*, inquit, *labor, aut difficultas itineris te sufficienter excusat, cum satis notum sit, multos longe remotos, licet corpore invalidos, & infirmos, & lectulis vix valentes surgere, tamen B. Petri amore flagrantes ad ejus limina vehiculis properare.* Et hæc de cultu Vaticanæ Basilicæ, ac de natalitio Apostolorum die hic enarrasse sufficiat. Sed ad reconditos jam Vaticani Cœmeterii thesauros perscrutandos progrediamur.

Annuam liminum visitationem ab Episcopis Pontifices severe olim exigebant.

Greg. regist. lib. 9. ep. 1

Regist. l. 9. ep. 20.

CAP. VII.

Plurimorum Sanctorum corporibus, ac reliquiis Basilica, & Cœmeterium Vaticanum decorantur.

1 EX eo potissimum Cœmeterii, & Vaticanæ Basilicæ, quæ jure merito toto terrarum Orbe celeberrima semper extitit, splendor, & gloria augetur, quod scilicet, præter sacratissimum Principis Apostolorum, quod possidet, corpus, venerandis quoque Sanctorum plurimorum ibidem in Domino quiescentium pignoribus, tamquam pretiosissimis gemmarum thesauris, ac totidem terrestre hoc cælum stellis coruscans ditatur: quæ quidem sacra corpora, aut hic primum condita, vel in eamdem Ecclesiam à fidelibus delata sunt, ac si ad tutum religionis asylum, ac fidei orthodoxæ petram, ut Petro nimirum, cum quo divinæ rei symbolum, dum inter vivos degerent, communicaverant, vel ipsam post mortem quoque inseparabili amoris nexu conjungerentur, & sacris jugiter ejusdem cineribus adhærerent. De his nunc igitur à nobis, ut ipsius instituti ratio exigit, agendum est.

Sanctorum quorum corpora in Cœmeterio Vatic. quiescunt.

2 In hac igitur augustissima Urbis, immo Orbis Basilica (ut orationi vela pandamus) Sanctorum præcipue Apostolorum Simonis, & Judæ corpora conquiescunt, quæ quidem, dum veteri demoliendæ Basilicæ cæmentariorum manus admoveretur, ingenti ibidem omnium gaudio velut aurum in luto reperiri contigit; prima nimirum Octobris die, anno 1605. sub Altari eorumdem nomini

Corpora SS. Simonis, & Judæ.

nomini dicato, in media navi, qua ad sinistram ingredientibus Ecclesiam aditus patet, inter quintam, ac sextam olim in ordine columnam, in loculo marmoreis tabulis circumsepto, ac ferreis hastis superimposito, qui aliquantisper à terra, ne loci humore sacra corpora labefactarentur, attollebatur, quæ itidem ejusmodi situ locata fuerant, ut orientem ipsum respicerent. Antiqua verò apud omnes traditio vigebat, quod beatissima hæc pignora illic asservarentur, ibidemque fidelium quisquis accedebat, eadem pie venerari consueverat. Quocirca Benedictus Canonicus in relatione, quam edidit super thurificatione sacris Altaribus ipsiusmet Pontificis manu impertiri olim consueta, hæc ait: *Deinde incensat duo Altaria in media navi ad Crucifixos, ubi ab antiquis patribus audivimus requiescere Apostolos Simonem & Iudam.* Hæc demum sacra corpora translata fuere anno 1605. die 27. Decemb. ab Euangelista Pallotto S. R. E. Cardinali, tunc ejusdem Basilicæ Archipresbytero; decenterque sub Altari reposita, quod meridiem versus, & ad lævam pariter introeuntibus, ad ejusdem nunc Basilicæ apsidem conspicitur; & quidem eum in modum ibidem locata sunt, ut orientem, velut antea, situ nullatenus immutato, respicerent, capita nimirum ad ipsum Epistolæ cornu constituta fuere, pedibus subinde ad cornu Euangelii conversis. Porro eadem sacratissima pignora in plumbea quadam arca inclusa sunt, cum prius altera cypressina diligenter circumdata, obtectaque fuissent; ambæ tamen hujuscemodi arcæ marmoreo circumseptæ sarcophago incomparabiles binorum Apostolorum thesauros Urbi custodiunt, recentis depositionis interim, quam modo descripsimus, memoria plumbi laminæ diligenter hisce verbis insculpta:

[Locus ac ...us eo...ndem, ...Simonis ...Judæ ...rporum.]

CORPORA SANCTORUM SIMONIS,
ET JUDÆ APOSTOLORUM SUB ALTARI
ANTIQUISSIMO IN VATICANA BASILICA
EORUM NOMINI DICATO
AD MERIDIEM INTER V. ET VI.
COLUMNAM AB INGRESSU MEDIÆ
NAVIS I. OCTOBRIS ANNI
INFRASCRIPTI INTRA MARMOREAM
ARCAM JUXTA VETEREM
TRADITIONEM REPERTA CUM EA
PARS ECCLESIÆ RUERET
PAULI V. PONT. MAX. JUSSU
EUANGELISTA PALLOTTA
TITULI S. LAURENTII IN LUCINA
CARDINALIS CUSENTINUS
EJUSDEM BASILICÆ ARCHIPRESBYTER
IN NOVUM TEMPLUM TRANSTULIT
ET SOLEMNI RITU HAC SUB ARA
RECONDIDIT DIE XXVII. DECEMBRIS
FESTO S. JO. EUANGELISTÆ
ANNO MDCV. PONTIFICATUS
EJUSDEM S. D. N. ANNO PRIMO.

[...riptio ...s SS. ...onis & ...æ cor...bus ...sita.]

3 In hac item sacrosancta Basilica duorum insignium Ecclesiæ Doctorum corpora condita sunt, Joannis videlicet Chrysostomi, quod ex Altari ejus nomini in veteri Basilica dicato, ac demum è sacrario ad locum, in quo Canonici psalmodiæ ad præsens operam dant, translatum, sub Altari, quod vulgo Pietatis nuncupatur, depositum, fidelium venerationi patet: & quidem incomparabili celebris sanctitate viri Gregorii Nazianzeni corpus, quod ex Monasterio monialium B. Mariæ in campo Martio fel. record. Gregorius XIII. in Gregorianum sacellum à se magnificentissime extructum, solemni ritu, ac pompa transtulerat, sub majori sacelli ejusdem Altari sacris ibidem prius mysteriis de more peractis, plumbea inclusum arca idem Pontifex sua manu reposuit, die 12. Junii anno Dominicæ salutis 1580. pluribus eodem sub Altari reconditis sanctorum Martyrum reliquiis, quæ in argentea ibidem lamina (ne tantæ unquam rei memoria intercideret) descriptæ singillatim fuerunt. Vaticana item Basilica Gregorii magni, præclarissimi Ecclesiæ Doctoris sacris, venerandisque pignoribus decoratur: sed lectorem interim (ne tædium inferamus) ad ea, quæ sequenti capite à nobis dicenda sunt, remittimus, ubi de singulis Martyribus, cæterisque sanctitate conspicuis, & de summis Pontificibus ex ordine sigillatim sermo instituetur.

[...pus ...onis ...osto... / Gre... Na...eni.]

4 Subticere tamen hic haud possumus, quandoquidem de recolendis tot reliquiarum thesauris, quibus apprime Vat. Ecclesia cumulatur, opportune loquendi se offert occasio, S. Petronillæ corpus è Cœmeterio suo, Ardeatinam juxta viam sito, in Mausoleum ad ejusdem honorem olim erectum, quod in hac Basilica extabat, à Paulo Papa hujus nominis primo translatum fuisse, & in nobilissimo marmoreo labro conditum, hac utique inscriptione apposita: AUREÆ PETRONILLÆ DULCISSIMÆ FILIÆ. quam inscriptionem Tiberius Alpharanus se vidisse testatur. Sed Mausoleo ob novæ Basilicæ constructionem penitus diruto, sacrum corpus apud sacrarium aliquamdiu constitit, quousque Gregorio XIII. Pont. Max. jubente sub Altari sanctissimi Crucifixi veteris ejusdem Basilicæ religioso cultu asservandum ibidem illatum est. Demum, cum & hoc quoque postmodum destrui contigisset, in aliud sacellum ejus pariter nomini novo in Templo dicatum, solemni ritu translatum, perpetuæ illic sepulturæ traditum fuit, die xv. Januarii anno salutis 1606. cum hujusmodi inscriptione: CORPUS PETRONILLÆ. Caput verò lectissimæ virginis argentea inclusum theca apud ejusdem Basilicæ sacrarium una cum cæteris sanctorum reliquiis religiosissime asservatur.

[Sacrum S. Petronillæ corpus.]

[*Tiber. Alph. de Vat. Basil.*]

[Locus in quo corpus S. Petronillæ reconditum est.]

5 Nobilitatur præterea Templum hoc, ut singula pietatis monimenta, quæ ibidem extant, pio, studiosoque lectori suggeramus, sanctorum Processi, & Martiniani reliquiis. Paschalis enim primus è Cœmeterio Beatæ Agathæ, via Aurelia, eorumdem corpora in oratorium à se, juxta portam scilicet transversæ navis ad orientem, in eadem Basilica erectum transtulit: quod quidem æneis circumseptum cancellis, & mulieribus omnino impervium, maximæ apud omnes venerationi extitisse, idemque permultis aliorum sanctorum corporibus, illuc variis è Cœmeteriis ab ipsomet translatis, auctum Alpharanus testatur. Oratorio autem diruto, sanctorum eorumdem corpora in Altari ipsorum nomini dicato, sub veteris Basilicæ organo reposita fuere; & juxta illud eadem beatissimi Petri imago, quæ pio jugiter fidelium obsequio colitur, constituta est. Demum cum hæc etiam veteris pars Templi, ob novi constructionem, evertenda esset, porphyreticum illud labrum, in quo beata pignora servabantur, reseratum est, & in cypressina arca, quæ intus continebatur, sacrosanctæ martyrum eorumdem reliquiæ una cum ligneis quibusdam vasculis coagulato

[Sacris SS. Processi & Martiniani exuviis hoc Vaticanum Cœmeterium auctum, ditatumque est.]

[*Tib. Alphar. de Bas. Vat.*]

Locus ac situs corporum SS. Processi & Martiniani.

sanguine refertis, reperta sunt. Quæ omnia ab eodem Euangelista Cardinali Pallotto Archipresbytero in eorum recens extructum Altare, in apside ad Aquilonarem partem, è regione Altaris SS. Simonis & Judæ, solemni ritu condita fuere, ipsius translationis memoria laminæ cuidam plumbeæ in hæc verba consignata.

Inscriptio corporibus SS. Processi & Martiniani imposita.

CORPORA SANCTORUM
PROCESSI ET MARTINIANI MARTYRUM
A PASCHALE PAPA I.
EX COEMETERIO S. AGATHÆ
VIA AURELIA AD VATICANAM BASILICAM
HONORIFICE DELATA
AC IN SACELLO VERSUS MERIDIEM
AB SE MAGNIFICE EXTRUCTO
INTRA PORPHYRETICAM
HANC CONCHAM RECONDITA
NOVI DEIN TEMPLI GRATIA
A JULIO II INCHOATI
SACELLO IPSO DISJECTO
IN SUPERSTITE BASILICÆ PARTE
REPOSITA QUA COLLABENTE
ITERUM LOCO MOTA
PAULI V. PONT. MAX.
JUSSU EUANGELISTA PALLOTTUS
TITULI S. LAURENTII IN LUCINA
CARDINALIS CUSENTINUS
EJUSDEM BASILICÆ ARCHIPRESBYTER
IN NOVUM TEMPLUM TRANSTULIT
ET HAC SUB ARA AD SEPTENTRIONEM
SOLEMNI RITU CONLOCAVIT
DIE XXVIII. DECEMBRIS
FESTO SS. INNOCENTIUM
ANNO MDCV. PONTIFICATUS
EJUSDEM S. D. N. ANNO PRIMO.

Corpus S. Gabini in Basilica Vaticana quiescit.

6 Vaticana insuper Basilica præclari inter cæteros martyris Gabini exuviis nobilitatur. E Sardinia enim, ubi ille gloriosum pro Christo martyrium subierat, huc olim ejusdem corpus translatum, sub Altari in ejus honorem dicato, & à Gregorio III. consecrato, juxta Canonicorum Odeum, æneis pariter cancellis circumsepto repositum est. Cui jam ab antiquis temporibus celeberrimæ insularum Sardiniæ & Corsica annuum pendere tributum venerationis ergo consueverant.

Item SS. Tiburtii & Gorgonii martyrum.

7 Huc item velut in tutum religionis asylum, ubi inconcussa jugiter fidei orthodoxæ anchora subsistit, invictorum Tiburtii, & Gorgonii martyrum ossa ex Cœmeteriis sublata à Gregorio IV. Pontifice inferri meruerunt, & ab eodem sub Altaribus Oratorii, quod ipse in S. Gregorii Magni honorem extruxerat, sejunctim prope nuncupatam Judicii januam, ad lævam ingredientibus, collocata fuere.

Psal. 115.

8 Et hæc quidem sunt pretiosissimæ sanctorum exuviæ in sacrosanctæ hujus Basilicæ sinu quiescentium: quorum *pretiosa in conspectu Domini* vita pariter & *mors fuit*; & quorum nomina nobis innotescunt: eorum autem, quorum nomina in libro vitæ descripta, quæ in quampluribus antiquæ Basilicæ oratoriis, sacellis, arisque recondebantur, nemo est, ut ita dicam, qui numerare sufficiat. Siquidem in pervetusto B. Mariæ Sacello, & ubi sacræ quondam vacabant hymnodiæ Canonici, ut Manlius testatur, & in conscriptis Gregorii III. gestis ipsemet Anastasius refert, quam multa deposita olim fuere sanctorum corpora; & innumera prorsus sunt, quæ in altero ejusdem B. Virginis sacello asservabantur, quod de Cancellis, & Vaticanum itidem communi voce nuncupabatur; cujus idem Manlius his verbis meminit: *Quod sanctum Oraculum propter multa corpora sanctorum, quæ ibi sepulta sunt (nam Vaticanum locus dicitur) æneis cancellis clausit (Paulus nempe primus illius Oratorii conditor) unde usque ad tempora nostra locum illum mulieres non intrabant.*

Manlius. Anastas. in Vit. Greg. 3. Sacellum B. Mariæ de Cancellis.

9 Neque hic interim à quoquam ulla ratione ambigendum putamus, à Paschali videlicet Pontifice hujus nominis primo, quippe qui innumera sanctorum corpora suburbanis è Cœmeteriis transtulit, quamplura item in Oratoriis, Altaribusque in hac Basilica ab se extructis ob studiosum religionis obsequium honorifice ibidem fuisse recondita; quemadmodum etiam (quod & nobis credere par est) reliqui sanctissimi Pontifices sacella hic ab se constructa nobilissimis hujuscemodi thesauris incomparabili munificentia cumularunt. Et ut hæc nostra, quam prosequimur, assertio magis roboretur, quis nesciat, quod ex antiquis utique monumentis accepimus, à Bonifacio IV. maximam, confertamque sacrarum reliquiarum copiam in sacello, quod inter veteris Basilicæ portas Ravenianam, & Judicii appellatas extabat, repositam olim fuisse, ut ipsemet satis luculenter testatur in suis, quæ in Vaticano regesto asservantur, literis. Hanc porro inæstimabilem sacrarum reliquiarum congeriem, ossium nimirum & cinerum una cum lapide sanguine resperso, anno MDC.V. xx. Octobris in ejusdem sacelli, & altaris demolitione in lateritia quadam tumba reperiri contigit, ad quam descensus per gradus aliquot assiduis obsequentium fidelium genuflexionibus excavatos patebat. Translatæ demum eædem sanctorum reliquiæ in novam Basilicam fuere, & sub Altari, in apside, quæ ad meridiem respicit, in plumbea quadam arca asservandæ decenter collocatæ, anno post Christum natum 1606. die 20. Ianuarii hoc merito ad perpetuum rei monumentum addito inscriptionis titulo:

Manlius. Complures sanctorum corpora à Paschale in Basilica Vaticana translata sunt. Et à Bonifacio IV. Tumba lateritia cum sanctorum reliquiis Vaticano reperta. Eædem reliquiæ in novam Vat. Basilicam demum translatæ sunt.

CINERES MULTORUM SANCTORUM,
AC SANCTARUM
IN VATICANA BASILICA,
INTER PORTAS JUDICII,
ET RAVENIANAM
SUB ALTARE S. BONIFACII PAPÆ IV.
AC SUB EJUS CORPORE
INTRA LATERITIAM TUMBAM REPERTOS,
ET IN NOVUM TEMPLUM
PAULI PAPÆ V.
JUSSU ILLATOS
HIC JUXTA CORPUS EJUSDEM
S. PONTIFICIS LOCULO PLUMBEO
RECONDENDOS CURAVIT
EUANGELISTA PALLOTTUS
TIT. S. LAURENTII IN LUCINA
CARD. CUSENTINUS,
HUJUS BASILICÆ ARCHIPRESBYTER.
ANNO MDCVI. DIE XX. JAN.
PAULI PAPÆ V. ANNO PRIMO

Titulus sacris reliquiis in Basilicam Vat. translatis Paulo V. inscriptus.

10 Demum quoniam de sacris reliquiis sermo nobis opportunus incurrit, studiosus ac pius lector noverit, totum veteris Basilicæ pavimentum, ut alibi diximus, undequaque sanctorum refertum substratumque corporibus extitisse. Quam ob causam inter ejusdem Basilicæ ruinas, quo loci sanctitati consultum esset, & ne quid devotioni fidelium deperiret, illudmet omni ex parte integrum, illibatumque opportuno quidem consilio, ac Dei providentia servatum fuit, quod


Pavimentum Basilicæ veteris Vat. sanctorum oratoriis ac sepulchris refertum e[...]

quod idem Alpharanus his verbis testatur: *Unum inter reliqua mirabile, & maxima omnium exultatione dignum accepi, quod referre exulto, & omnibus patefacere conor; loca sacra, atque sepulchra sub antiquæ Basilicæ pavimento propriis in locis integra, & intacta Iulii II. Pont. Max. jussu permanere; quin etiam ipsum pavimentum integrum, & nullibi defossum, præterquam ubi novæ Basilicæ fundamenta jacta fuerunt. Et hoc non immerito, nam pius Pontifex audierat ipsius Basilicæ medianam navem, atque transversam, quam crucem vocant, sanctorum oratoriis, atque sepulchris refertas, à cunctis fidelibus magna veneratione coli. Idcirco illas præcipue partes illibatas reservandas, & Basilicæ novæ parietibus circumstruendas Bramanti Architecto districte mandaverat. Id sine cunctatione executum fuisse experimento comperimus. Præterea sepulchrorum cadavera in effossione reperta, omnia communi sepulchro; ad hoc specialiter elaborato, semper cum honore fuisse reposita, &c.* hæc ille, ex quibus constat quantam cunctis hoc verbum debeat devotionem inferre, & venerationem accedentibus ingerere: sed judex sit ipse, qui isthæc interim perlegit.

...ber. Alph.

11 Id ipsum hac quoque nostra ætate videre contigit. Etenim cum novi Templi construendi causa, vetus alicubi pavimentum aperire, ac submovere opus fuisset, haud pauca numero sub eo sepulchra, quæ etsi titulo ac inscriptione carerent, signis tamen quam certis sanctorum ibi martyrum extare ossa intuentibus dabatur intelligi. In quodam igitur tumulo, cunctis obstupescentibus, ossa recenti conspersa sanguine post longa revoluta secula mirum in modum visa sunt. In altero item sepulchro adolescentuli cujusdam corpus, ut ex ossibus conjici potuit, videndum se obtulit, super quo nigri coloris velum appositum erat, coagulatum adhuc, exsiccatumque in superficie cruorem exhibens, quem profecto fideles, qui ejusdem carnificinæ, ac martyrio interfuerant, de more, ut jam diximus, asservandum pietatis studio collegerant. Erat autem tumulus hic lateritius in hanc formam constructus.

...rima in molitio- pavi- enti vete- sancto- n sepul- a appa- runt. fil. Vat.



12 Sacra verò hujuscemodi corpora, & aliorum complurium, eodem sub pavimento tunc temporis reperta, in amplum quoddam Polyandrum hujus rei gratia extructum, haud longe ab augustissimo Principis Apostolorum sepulchro, condita fuere, hoc nobilissimo inscriptionis titulo prænotatum:

...yan- m in lica icana.

POLYANDRUM
HUC CONGESTA SUNT OSSA OMNIA,
SANCTA OPINIONE DEFUNCTORUM,
NOVI GRATIA TEMPLI ERUTA
E LOCULIS SUIS, UT COMMUNI
CONDITORIO REQUIESCANT. M D. XLV.

Eodem fere tempore, anno videlicet redempti orbis 1607. die 6. Julii, sub columnæ cujusdam basi, quæ minori veteris Basilicæ navi suffulciendæ inserviebat, sepulchrum ex parte marmoreum, & ex parte porphyreticum repertum est, in quo nonnulli, ut pie creditur, martyrum cineres continebantur. In basi enim columnæ ejusdem hæ insculptæ notæ legebantur.



Id est, LOCUS MARTYRUM CCLVIIII. IN CHRISTO. Et hæc satis de sanctorum corporibus in sacrosancta hac Basilica reconditis.

13 Venerandas vero sanctorum eorumdem reliquias, quæ in eadem Basil. asservantur, hic exponere consulto omittimus; cum de iis publicæ totius Urbis, & orbis venerationi sæpius expositis unusquisque per se facile notitiam assequi valeat, ac plures sint, qui tum de iisdem, tum de cæteris ad religiosum amplissimi hujusce Templi cultum spectantibus copiose, ac pro rei dignitate laudabiliter egerint, & noster quoque Severanus hæc fusius in volumine de sacris septem Ecclesiarum monumentis edito recoluerit.

14 Verum à B. Petri Sepulchro ad sacram, recolendamque ipsius Cathedram oculos, ac pedem convertamus. In Vaticana quippe Basilica, in qua Beatissimi Apostoli corpus regio plane cultu, ut vidimus, tumulatum, cunctarum gentium veneratione colitur, Cathedra lignea, in qua idem Apostolorum Princeps Romæ primum sedit, perhonorifice asservatur, in cujus honorem festiva quotannis dies 18. Januarii ab Ecclesia dicata est, quando ejus in Urbem adventus, & Pontificiæ hujus Cathedræ institutio recolitur, quæ sub Claudio Imperatore Christi anno 45. contigit. Insignibus autem à Deo miraculis eadem illustrari meruit, ut Romanorum Pontificum, qui successivo ibidem ordine, Dei providentia disponente, sedent, è cælo auctoritas comprobetur. Sed hic interim Ecclesiasticus in suis Annalibus scriptor à nobis consulendus est, qui de Petri Cathedra hæc ad rei propositum habet: *Cæterum ipsa prima Pontificia sedes Petri, Cathedra, inquam, lignea, dignum plane tantæ rei, eximiumque monumentum quam plurimis semper miraculis illustrata, à majoribus asservata, in ejusdem Petri Basilica Vaticana recondita hactenus custoditur, & certis diebus populo visenda exponitur. Consueverunt enim majores tanti memores beneficii, quod Apostolica prædicatione è tenebris, quibus erant offusi, ad lucem plane divinam evecti essent, etiam ipsas sedes ligneas, quibus Apostoli insedissent, summa omnium diligentia custoditas veneratione prosequi. Sit satis ad ejus exemplum Hierosolymorum Ecclesia, quæ licet tot, tantisque Iudæorum casibus fuerit exagitata, sedem tamen ipsam, cui ipsorum primus Episcopus Iacobus insedit, usque ad Constantini tempora integram esse servatam auctor est Eusebius. Id ipsum de sede Marci Alexandriæ factum esse suo loco dicemus.* Hæc Baronius.

Cathedra S. Petri in Vat. Basilica perhonorifice asservatur.

Ejus dies festus quotannis ab Ecclesia agitur.

Bar. t. 1. ann. 44.

Cathedra Petri lignea miraculis sæpius illustrata est.

Sedes Jacobi Apost. Hierosolymitana usque ad tempora Constantini integra servata. Et S. Marci Alexandrini.

15 Verum recensita hactenus enarrasse haud contentus, illud in notis ad Martyrol. subdit, non Cathe-

Sedis Pontificiæ Romanæ ac

Summi Pontificatus in Ecclesia institutionis dies celebrari solitus.

Cathedræ dumtaxat solemnem peragi hac die memoriam, verum etiam ipsiusmet Pontificiæ Sedis, & supremi Pontificatus institutionem recoli, quo Petrus Apostolus in Ecclesia eminet, ac divino præfulget oraculo; sed ipsius hic verba in medium proferamus: *Quo etiam usu & ratione Romana Ecclesia eam diem solemniter agere consuevit, quo Romanæ natalis est Cathedræ, quando, inquam, S. Petrus Romæ divino consilio primum sedere cœpit, translata illuc sede, quam septem annos tenuit Antiochiæ. Porro tanto celebrior hæc est solemnitas illa, qua Antiochiæ sedit, quod mobilis illa, vel ad tempus tantum, & quasi per transitum sita est, Romæ verò stabilivit, firmavitque Deus eandem in æternum in Petri successoribus permansuram; quam, ut tradit Irenæus lib. 3. c. 3. doctrina munitam, traditionibus locupletatam, meritis illustratam, dotibus auctam idem Apostolus una cum Paulo eam sanguine consecravit. Verum hac die non illa tantum solemnitas agi videtur, qua Petrus Romæ cœpit, sed etiam sacrosancta illa recollitur institutio, qua à Domino Petrus, petra fundamentalis Ecclesiæ constitutus, perpetuæ stabilitatis promissionem, & claves Regni cælestis accepit.* Et infra Apostolicæ Romanæ Cathedræ gloriam condignis præconiis celebrat:

Baro. in not. ad 18. Ian.

Sedes Petri in æternum Romæ stabilita, ac firmata est.

16 *Asservatur hactenus in Basilica Vaticana ipsa Cathedra lignea, in qua olim Petrus sedisse perhibetur. Nec quis hoc miretur: si enim sedes ipsa lignea, cathedra Iacobi Apostoli Hierosolymitani Episcopi, post tot tantaque Iudaici populi naufragia, post illud pavendum Hierosolymorum excidium, servata nihilominus est integra usque ad tempora Constantini Magni Imperatoris (ut scribit Eusebius hist. lib. 7. c. 14.) quam & successores Episcopi decenti honore custoditam sunt venerati; quid tam mirum, Apostolorum verticis cathedram pari saltem fuisse diligentia conservatam? ipsa enim qui supersederit, virtute miraculorum prædicat in ligno arido viridem gratiam curationum consecutam, eum per eam Deus divinam opem implorantibus beneficia præstare non desinat.* Hæc Baronius de venerabili Apostolorum Principis Cathedra, in qua, ut Joannes Pinadellus de Joanne Papa Quinto sermonem instituens asserit, ipsimet summi Pontifices, cum ad supremi Apostolatus votorum suffragio proveherentur, & Pontificiis infulis decorandi essent, sedere consueverant. Hæc autem sunt ejus verba: *Cum antea novus Pontifex solium ad Cathedram Petri deduceretur, cui insidens, possessionem acciperet.* Quinimmo annuo item recurrente Romanæ ejusdem Cathedræ institutionis die, iidem Summi Pontifices devotionis, ac mysterii gratia, dum Missarum solemnia peragerentur, in eadem Cathedra sub omnium oculis residebant, ut se veros, ac legitimos Petri successores, & in ejusdem Cathedræ throno, Deo annuente, locati, se ejusdem Petri vices, locum, ac omnimodam obtinere in terris potestatem protestarentur.

Cathedram Petri ligneam tot seculis integram conservari nil mirum.

Novorum Pontificum Cathedræ Petri lignæ insidentium antiqua consuetudo.

Ioannes Pinadellus lib. a. Quinario numero.

Die ejus institutionis festo in eandem coram populo quotannis olim ascendebant.

17 Verum quid hæc sacrosancta Cathedra adhuc post longa secula superstes intuentium oculis jugiter, ac menti cunctorum prædicat, nisi Apostolicæ fidei veritatem, & perennem Romanæ Cathedræ stabilitatem? quod olim Ignatius Martyr edocuit: *Una est*, inquit, *Ecclesia, quam suis sudoribus, & laboribus fundaverunt Apostoli à finibus terræ usque ad fines in sanguine Christi.* Id quod & Tertullianus disertis verbis edisserit: *Itaque tot, ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes.* Quibus omnes Ecclesias à Romana fidem accepisse, & ejusdem fidei unitate eidem copulari affirmat.

Cathedra Petri ligneæ adhuc superstes quid doceat?

Ignat. Mar. ep. 3.

Tertull.

18 Sed quid de mira hujus Apostolicæ Cathedræ prærogativa, ex qua toti terrarum Orbi Euangelium Christi illuxit, Cyprianus doceat, audiamus: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur, &c.* Et paulo post de fidei unitate loquens, ait: *Hanc unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Audiant ex Cypriano, qui fidem, & Euangelium Christi se habere jactant, & fidei unitatem novorum dogmatum varietate scindunt, & adversus Petri Cathedram insana temeritate recalcitrant, ac reluctantur. *Nemo*, inquit, *fraternitatem mendacio fallat; nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat.* Quam veritatem Cyprianus pro Petri Cathedra decertans validissimis sententiarum argumentis præmunire, ac comprobare non desinit, dum eum debere dici Catholicum asserit, *qui eidem Romanæ Ecclesiæ*, ut Baronius ait, *ac Petri sedi communione conjungitur; illum verò esse habendum hæreticum, qui ab ejusdem Cathedræ est communione divisus.* Quod idem Cyprianus semel atque iterum adversus Cathedram hanc obluctantibus inculcat; scribens enim ad Magnum, multis id verbis confirmat, cum dicit: *Ecclesia una est, quæ una & intus esse, & foris non potest: Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non erit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione succedit, & quem præter Sacerdotii honorem martyrio quoque Dominus glorificavit. Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest.* Cypriano egregie illis plane verbis Tertullianus consonat: *Habes*, inquit, *Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est.* Apud Petri igitur Cathedram, haud extra hanc Cathol. Ecclesia subsistit, apud hanc fides viget, extra hanc multiplex hæresum impietas oblatrando confunditur.

Cathedræ Petri unitas, & unitatis. Cypr. de unit. Eccl.

Catholicus quis, an hæreticus sit, Cathedra Petri manifestè arguit. Ecclesiæ unitas. Cyprian. ep. 76.

Tertull. l. de præsc. c. 36.

19 Sed & ipse Optatus Milevitanus egregie de Romana Petri Cathedra in hanc plane sententiam edisserit: *Igitur negare non potes, scire in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse locatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, unde & Cephas est appellatus; in qua una Cathedræ unitas ab omnibus servaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderet: ut jam Schismaticus, peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra unica, quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus, cui successit Linus.* Et post recensitam ex ordine, ut Baronius ait, Romanorum Pontificum successionem, schismaticos omnes Catholicam extra Ecclesiam esse convincit, quod nullus ipsorum Episcopus eidem Romanæ Cathedræ communicet: *Unde est ergo*, inquit ille, *quod claves regni vobis usurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri vestris præsumptionibus, & audaciis sacrilege militatis?* Et inferius: *Igitur de dotibus supra dictis Cathedra est, ut supra diximus, prima quam probavimus per Petrum nostram esse.* Et paulo post in hæc verba concludit: *Et per Cathedram Petri, quæ nostra est, & ceteras dotes apud nos esse convincitur.* Vides igitur, amice lector, quibusnam argumentorum signis legitimam Petri Cathedram scriptor isto cæcutientium oculis indicando, quasi digito præmonstrare videatur, & quibusnam verborum obsequiis hanc veluti Catholicæ fidei caput, veritatis asylum, & salutis anchoram prosequatur.

Opt. Milev. contr. Parm. lib. 1. & 2.

Cathedræ unitas.

Baro. to. 1. anni 45.

Cathedræ Petri Romanæ non communicans hæreticus, & schismaticus est.

Cum una Cathedra Petro omnes dotes virtus conjuncta est: extra quam nulla.

20 Verum,

20 Verum, si quis Romanæ Apostolicæ Petri Cathedræ (cujus hic mentio incurrit) honorem deferre, & cervicem adhuc inflectere detrectat, Hieronymum quæso ad Damasum isthæc scribentem, & pro supremo Petri primatu diserte, ac solicite perorantem audiat: *Ego nullum primum, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio: quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est: si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* hæc ille adversus reluctantes Petri Cathedræ, quot verba, tot jacula intorquet, quibus tandem infert: *Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Et sequenti epistola hæc pariter addit: *Ego interim clamito, si quis Petri Cathedræ jungitur, meus est.* Alienus igitur à fide, à regno extorris, procul à salute, qui à Petri Cathedra, à Rom. Ecclesiæ sinu, ab ipsius fidei unitate, ac veritate alienus est: idem enim plane purgatis credentium auribus sonat Romana, quod Catholica fides & Petri Cathedra quod sana fides, atque doctrina, quod vera Christi Ecclesia, cujus ille divino oraculo caput in universo terrarum Orbe constitutus est: quippe, ut Hieronymus valide Rufinum perstringens, ait: *Fidem suam quam vocat? eamne, qua Romana pollet Ecclesia? an illam, quæ in Origenis voluminibus concinnatur? Si Romanam responderit: ergo Catholici sumus, qui nihil de Origenis errore transtulimus.* Ad Romanam igitur Cathedram recurrat necesse est, qui Apostolicam assequi fidem cupit.

D. Hieronymus pro Petr. Cathedra decertans.
Hier. ep. 57.
Id. ep. 58.
Extra naviculam Petri omnes naufragant necesse est.
Romana Ecclesia eadem ac Catholica, vera, ac orthodoxa.
Hier. apol. advers. Ruf.

21 Nonne Ambrosius, ut Baronius asserit, vel uno hoc signo è Petri Sede petito, ex ipsius, inquam, Romanæ Ecclesiæ communicatione, quinam probi, ac veri Catholici habendi sint, constanter olim investigari consuevisse demonstrat, dum hæc de Satyro fratre scribit: *Advocavit ad se Episcopum, nec ullam veram putavit, nisi veræ fidei gratiam, percontatusque ex eo, utrum cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conveniret?* Augustinus item ex Petri Cathedra & per successionem subinde Rom. Pontificum demonstratam, Catholicos ab hæreticis discriminat: & id ipsum adversus schismaticos Donatistas, Catholicos occinere docuit.

Et per Cathedram Petri Catholici discriminantur ab hæreticis.
Ambr. de Satyr. fr.
Aug. ep. 165

22 Una igitur hæc tessera, inquit Baronius, hoc uno symbolo, hoc uno denique rogato, & reddito nomine, qui Catholici essent, quique hæretici, semper innotescere consueverunt: nempe ut ille absque alia controversia Catholicus censendus esset, qui se Romanæ Ecclesiæ communicare profiteretur, ac ille contra esset conclamandus hæreticus, qui ab eadem Petri Cathedra probaretur esse divisus. præter illa, quæ in eam sententiam ex antiquioribus Patribus recitata sunt, alia plane innumera de his exempla suppeterent: sed non patitur instituti ratio ut ea singillatim recensendo hic diutius immoremur.

Symbolum et tessera Catholicorum quæ sit.
Cathedra Petri divisus omnino hæreticus est.

23 Et demum is, ac tantus ut enarratis vel hoc unum coronidis loco inseramus Petri successoribus, qui Cathedræ ejusdem insidebant, certatim à Christianis honor deferebatur, ut vel gentilibus singularis Apostolicæ Cathedræ prærogativa, ejusque pariter splendor admirationi esset. Quapropter Prætextatus ille Romanorum nobilissimus, quem Proconsulatum gessisse in Oriente Valentiniani, & Valentis Impp. exordio, & Viventio in Urbana præfectura suffectum, aliisque magistratibus auctum fuisse constat. Hic, inquam, *Prætextatus* (ut ait. Hieronymus) *qui & Consul designatus postea mortuus est, homo sacrilegus & Idolorum cultor solebat ludens B. Damaso dicere? Facite me Romanæ Urbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Petri quippe successoribus, ac si Petro, immo ac ipsimet Christo, cujus illi vices gerebant, cuncti deferre, & veluti divinos plane homines, qui in Cathedra considebant, ipsimet gentiles suspicere consueverunt.

Cathedræ Petri prærogativa ac splendor fis gentilibus admirationi erat.
Prætextati ... consulis designati
ethnici de Pontificatu Roman. dictum.
Bar. t. 1. an. 367. n. 10
Hier. ep. 61.

24 Sed hic interim ipsius Augustini verbis venerandam Petri Cathedram, veluti pretiosis gemmarum monilibus exornare, aureisque ejusdem ore prolatis in medium notis eandem prænotare, ac prænotatam subinde quibusvis gentibus demonstrare, triumphalibusque instar tituli ad perpetui monimentum obsequii isthæc huic Cathedræ insculpere visum nobis est: *Tenet me*, inquit Augustinus, *in Ecclesiæ gremio ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, Sacerdotum successio.* Quibus quidem verbis quod majus ad Petri Cathedram quæ divinitus in Romana Ecclesia constituta est, dignoscendum argumentum, ac symbolum excogitari potuit? Quid ad orthodoxam Apostolicæ Cathedræ fidem, ac doctrinam toti Orbi obtestandam validius? quid denique ad jugem ejusdem cultum fidelibus commendandum efficacius, quam Augustinum ipsum, virum nempe tanti ingenii perspicacitate pollentem, Cathedræ huic adeo obsequentem percepisse?

Verba Augustini de Petri Cathedra.
Aug. contr. Manich. c. 4.
Jam inde à Petro usque ad præsentem Pontificem perpetua in Rom. Ecclesia summorum sacerdotum successio.

25 Nos vero obiter his sanctorum Patrum obsequiis Petri Cathedram consalutasse voluimus, dum Vatic. Basilicam una cum Cœmeterio perscrutantes invisimus. Nunc igitur accedat quisquis ille est, & ipsum Petri sepulchrum, quod adeo auguste in Urbe resplenderet, veneratus, hanc quoque Petri Cathedram, quantumvis ligneam, quantumvis rudem, recolat, suspiciat, veneretur: ut merito illud Psalmistæ oraculum adimpleatur: *Et in Cathedra seniorum laudent eum.* Jam enim ab ipso Petri sepulchro ad ipsius Cathedram oculos reflectens, devotæque mentis obtutum in hanc defigens, sibimet tacito dicat: Hic sedit, hic præfuit, hinc docuit, qui illic jacet, qui illic colitur, qui illinc miraculis jam toto in Orbe coruscat. Petrus quidem defunctus est, at Petri Cathedra adhuc superstes est, Primatus ejusdem perpetuo viget, ipse fundamentum, ipse fundamentalis Ecclesiæ petra est, ipsiusmet Christi oraculo constituta: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Adversus hanc insani, ac impii sectatores bella movere, jacula exerere, sed prævalere haud unquam potuerunt. Insurrexere tot hæreses, tot ab inferis dogmatum monstra prosiliere, tot subinde Ecclesia modis, ac machinis oppugnata, haud unquam tamen sub valido hujus Cathedræ propugnaculo expugnata est; *portæ* quippe *inferi*, ut Christus palam edixit, *haud unquam adversus eam prævalebunt.* Et hæc interim de Petri Cathedra pio, ac studioso lectori vel obiter propinanda fuere, plura autem si quis cupit, à nobis suo infra loco de Cathedris Pontificiis lib. 6. exponentur.

Parenesis ac invitatio ad recolendam, venerandamque Petri Cathedram.
Psal. 106.
Matth. c. 16
Petrus ac Cathedra ejus Romana immobile & inexpugnabile Ecclesiæ fundamentum est.
Matth. c. 16

26 Verum ab universo fidelium cœtu is religionis cultus Apostolicæ Petri Cathedræ, ac Apostolicis fidei dogmatibus delatus est, quæ nimirum ejusdem magisterio Cathedræ in toto terrarum Orbe veluti ab ipsomet fidei, & visibili Ecclesiæ Capite edocentur, ut idem plane apud omnes sit, Ca-

Dogmata e Petri Cathedra emanantia ut tuta, ac indubitata Catholici semper amplexati sunt

thedram Petri colere, ejusque fidei dogmata sectari, ac Religionem Catholicam profiteri. Quapropter Hippolytus ille Antiochenus pro tuendo Cathedræ hujus honore, fidem, quam eadem edocet, sub vitæ finem profitendo, nobili martyrio coronatus est, ut ex Martyrologio Romano ejusdem memoria his plane verbis recolitur: *Antiochiæ passio S. Hippolyti presbyteri, qui Novati schismate aliquantulum deceptus, sed operante gratia Christi correctus, ad unitatem Ecclesiæ rediit, pro qua, & in qua postea illustre martyrium consummavit. Hic rogatus a suis, quænam secta verior esset, execratus dogma Novati, eam fidem dicens esse servandam, quam Petri Cathedra custodiret, jugulum præbait.* Fuit vero hic presbyter sub Fabio Antiochiæ Episcopo, qui vixit temporibus Decii Imperatoris, ut ex Eusebio Baronius in Notis ad Martyrologium asserit.

S. Hippolytus pro tuenda Petri Cathedra martyrium subiit. Mart. Rom. die 30. Ian.

27 Præterea nunc invictos, ac recolendos jugiter Anglicanæ Ecclesiæ pugiles, qui sub immani Henrici Octavi impietate, dum se commentitium ejusdem Ecclesiæ caput, capite male sanus & actis dæmonis impulsu, constituerat, sibique ipsummet Petri Primatum temerario ausu vindicans, se Petri ejusdem in suo Regno locum, ac vices obtinere delirando jactabat: sub ejus, inquam, impietate trucidari potius, quam Regis temeritati connivere, & portentoso hujuscemodi capiti caput inflectere, imo capite potius plecti, quam insani hominis, vertex ejusdem Ecclesiæ caput agnoscere, ac eidem primatus honorem deferre maluerunt. Quis enim nesciat, innumeros plane martyrum greges pro tuendo Apost. Cathedræ primatu tunc ex omni genere crudelissime mactatos fuisse, quorum omnium antesignani viriliter in acie perstiterunt Cardinalis Roffensis, & Thomas Morus, dignissimus alterius Thomæ Cantuariensis Episcopi fidei æmulator, qui Petri obsequio, & Cathedræ ejus cultui addictissimi semper fuerant; primates, inquam, totius nobilissimi Anglicani Regni, atque acerrimi insuper Petri Cathedræ propugnatores, de quibus hæc Baronius in suis ad Mart. Rom. notis: *Vidtre meruit sæculum nostrum, hac etiam ex parte felicissimum, quamplurimos Thomas sanctissimos sacerdotes, aliosque viros Anglicanos, ampliori, licet dicere, martyrio coronatos, duplicisque tituli coronis auctos, cum non solum, ut Thomas, pro Ecclesiastica libertate, sed pro fide Catholica tuenda, restituenda, ac conservanda nobilissimo martyrio occubuerint.* Hæc Baronius de præclarissimis Angliæ martyribus.

Henrici VIII. Angliæ Regis se caput Ecclesiæ in suo regno constituentis insania.

Multi portentosum illud caput respuentes martyrio occubuere.

Antesignani martyrum illorum Card. Roffensis, & Thomas Morus.

Baron. in not. ad Mar. die 29. Decemb.

28 Porro Petri Cathedram ut suis Orthodoxi Patres scriptis, ita carminibus quoque certatim exornare præclari quique nominis Poëtæ studuerunt. Inter quos Jo. Baptista Mantuanus Carmelitani Ordinis hæc in ejus obsequium, Romanos ipsos interpellans aliquando cecinit:

Præclarissimi quique scriptores Cathedram Petri præconiis celebrarunt.

Io. Bapt. Mantuanus.

Ite reverentem solemni more Cathedram
Suspicite, antiquos ritus abolete deorum
Certantes olim quando regnabat Apollo.

Ambrosius item Novidius in lib. Fastorum, quem Paulo III. inscripsit, condignis Cathedram hanc præconiis prosequi non destitit: sic enim Petrum in hac olim Cathedra sedentem, & supplici populorum obsequio excerptum in hæc plane verba describit:

Ambr. Nov. lib. 2. Fast.

Oscula dant pedibus, spectant, adeuntque sedentem,
Et sancta accipiunt prospera signa manu.
Itur ad hanc, coeunt sacro matresque virique
Oscula dant memores, suppliciterque colunt.

Et plura idem prosequitur in Apostolicæ ejusdem Cathedræ laudem. Sed præ cæteris concinne magis Cathedram hanc Pierius Valerianus, qui sub Leone X. floruit, carminibus hisce illustrasse visus est, quæ nos in devoti animi obsequium ex Torrigio excerpta, eidem Cathedræ venerabundi affigimus:

Franc. Mar. Torrig. Vat. [illegible]

At surge tandem, surge, age; nam satis
Superque natis Antiochi datum,
Hinc Christianum extare nomen
Sancte senex Galilæe Simon.
Quid hic moraris? quid teris otia?
Te jam Seleuci regia non capit,
Non Laodicææ feraces,
Aut Asiæ, Syriæque campi.
Majora jam te celebrem vocant
Momenta rerum; te Capitolium
Arcesque septem, te universus
Orbis ad Imperium requirunt.
Cui nosse cæli numina Corpori
Inserta nostro est ante alios datum,
Arcana qui divum expedita
Voce palam intrepide reveles.
Quæ nulli amando cedis, & impiger
Devota morti pectora liberæ
Offerre, tortorem cruentum
Pro Domino impavidus subire.
Ergo hic docebis, quæ via, qui tenor
Vitæ supremos evehat ad Deos,
Mortale nil cognosse, amare
Quos superi docuere tantum.
Insanientem sic sapientiam
Demolieris, & scelera, & dolos,
Morumque, virtutisque veræ
Perpetuam hic statues Cathedram.
Nos hanc Sabæis undique honoribus
Fusam quotannis devenerabimur
Ad Templa Vaticanæ Romæ
Quæ pietas tibi dedicavit.
At tu tuis pro supplicibus Deum,
Cui semper astas assiduus comes,
Pacem, salubremque aërem ora
Auspiciis ineuntis anni.
Ne verberentur grandine vineæ,
Ne mentiatur fundus inaniter
Cultus, nec arva, agrosque iniqua
Sidera torruerint, faveto.

Hæc igitur sunt carmina, quæ hic vel obiter obsequentium pietati in Vaticanæ Cathedræ monimentum delibare voluimus. Interim, studiose Lector, dum hæc perlegis, remorantem in sacro itinere pedem excusato, & jam ad nostra revertimur. At nunc reliquum est, ut ad Pontifices Maximos, qui in eadem Basilica sepulturæ traditi, ejusdem Petri in Pontificia Cathedra Successores extitere, orationis stylum convertamus.

CAP. VIII.

De summis Pontificibus sanctitate conspicuis ac cæteris in Vaticano apud B. Petrum quiescentibus.

1 Cum incomparandæ vir pietatis, ac sanctimoniæ Anacletus, ut opportunus Summorum Pontificum sepulturæ locus pateret, Vaticanum, ut supra diximus, Cœmeterium ampliaverit, eorum plerique primævis illis Ecclesiæ temporibus juxta B. Petri Apost. Principis sepulchrum con-

Pontifices Romani quorum corpora in Vaticano quiescunt.

conditi fuere, quippe qui ejusdem & fidei, & Cathedræ consortium cælitus obtinuerant, ut scilicet *quos socios teneret Cælum* (quod alibi Gregorius Turonensis habet) *sepultorum hic corporum non separaret monumentum. Nihil enim* (Nazianzenus inquit) *est, qui sincero animi affectu Deum colunt, æque inter se conciliat, atque consentiens de Deo doctrina*, etsi demum hi, quorum cor unum fuit, & anima una, *sepulchro quoque uno, in ejusdem fidei testimonium*, ut Augustinus loquitur, *consocientur*. Hic tamen nonnullos excipere fas est, qui in variis Cœmeteriorum cavernis peculiaria sepulchra sortiti sunt, ut suo infra loco demonstrabitur.

Greg. Turon. 1. hist. Franc. 42. & de glor. conf. c. 31. Nazian. or. 12. quæ est 1. de pace. Aug. de cura pro mortuis c. ult.

2 Quamplures item in porticu ante ipsam Basilicam, Christianæ humilitatis gratia, & alii demum in interiori ejusdem Basilicæ ambitu sua humari corpora voluere, ea nimirum parte, seu ala, quæ ad lævam est ingredientibus, idque ab ejusdem summitate usque ad porticum, Pontificum propterea communi tunc vocabulo appellatam, ut Manlius quidem his verbis testatur: *Quis locus* (loquitur de Oratorio sanctorum Processi & Martiniani in eadem navi sito) *tanta veneratione est habitus, ut usque ad nostra tempora mulieres non intrarent locum illum. Nam in illo loco sunt sepulturæ sanctorum Pontificum, & deinde per directum* (scilicet per porticum Pontificum) *& usque ad Portam argenteam sunt aliæ sepulturæ sanctorum Pontificum, &c.* hæc ille. Tiberius quoque Alpharanus scriptum suis in monimentis reliquit, multa Pontificum corpora Pontificalibus ornata indumentis, tum ibi, tum apud sacram B. Petri Confessionem reperta fuisse, eo potissimum tempore, quando anno Dominicæ Salutis 1544. eodem in loco pavimentum instaurari contigit. At nunc summos Pontifices in hac sacra Basilica tumulatos nobis ex ordine recensentibus ab ipsomet B. Petro Apostolorum Principe enarrationis exordium desumendum est: Epitaphia insuper, quæ singulorum sepulchris apposita sunt, & quotquot ex Archivio Vaticanæ Basilicæ, ex Petro Manlio, & ex antiquis Grutheri præsertim Inscriptionibus in unum colligere potuimus, suis quæque locis inferemus.

Porticus Basil. Vat. Porticu Pontificum. Manlius. Tiber. Alphar. de Eccl. Vat. Multa Corpora Romanorum Antistitum in Porticu Pontificum reperta. Petr. Manl. Gruth. de inscrip. Vat. Basil.

Petrus igitur Apostolorum Princeps, & primus in ordine Romanorum Pontificum, cum gloriosum crucis patibulo sub Nerone affixus Martyrium consummasset, anno Christi 69. die vero 29. mensis Junii, in Vaticano Cœmeterio, ut supra vidimus, perhonorifice sepultus est, & inde victor in Cælum ascendens, totam Romanam Capitolii gloriam, victricibus ibidem corporis exuviis depositis, in Vaticanum transtulit, atque invexit.

S. Petrus Apostolorum Princeps, & Romanorum Pontificum coryphæus.

S. Linus martyr, qui secundus post Petrum Dei Ecclesiam rexit, & sub Imperatore Vespasiano effuso sanguine viriliter pro Christo decertavit, anno 80. die 23. Sept. juxta ejusdem B. Apostoli corpus in Vaticano sepelitur. Inde vero Ostiam ejus translatum fuisse corpus Petrus in Catalogo his verbis testatur: *Et licet corpus ejus primo in Vaticano sepultum, postea tamen à Gregorio Ostiensi Episcopo Ostiam translatum, & in Ecclesia majori S. Laurentii reconditum.*

S. Linus. Pet. in Cat. lib. 3 c. 10.

S. Cletus Pontifex, qui sub Domitiano martyrio coronatus fuit, anno Christi 93. die 26. April. juxta B. Petri corpus, sepulchri pariter ejusdem consortio auctus, reponitur.

S. Cletus.

S. Anacletus Pontificalibus item infulis, ac martyrii palma conspicuus, sub Trajano Principe anno à Virginis partu 112. die 13. Julii pro Christi fide interemptus, honorifice ibidem tumulatur.

S. Anaclet.

S. Evaristus, qui sub Hadriano Imperatore anno redempti orbis 127. die 26. Octobr. martyrii palmam adeptus est, eodem excipiendus loco in Vaticanum infertur. S. Evaristus

S. Sixtus hujus nominis Primus, invictus pro Christo martyr sub Antonino Pio, anno Christi 142. die 6. Aprilis Beato Petro, ac cæteris Pontificibus appositus est. Verum Paschalis Papa Primus eum inde in Oratorium à se extructum transtulit, prope majus ejusdem Basilicæ Altare, ut Anastasius in Paschalis vita testatur; quamvis alii, haud Sixti Papæ Primi corpus, immo potius Secundi, illuc translatum fuisse asserant: Anastasii tamen sententia probabilior videtur, quæ Petri etiam Manlii auctoritate fulcitur; cum ejusdem beati martyris Sixti Secundi corpus in Ecclesia ipsius nomini dicata, utpote è Cœmeterio Callisti translatum, pia nunc fidelium veneratione colatur. S. Sixtus I. Anast. in vit. Pasch. Pap. Petr. Manl. de Bas. Vat.

S. Telesphorus eodem sub Antonino martyr, anno salutis Dominicæ 154. die 5. Ianuarii apud S. Petrum pariter depositus in Christo quiescit; quemadmodum & quatuor reliqui Pontifices martyrio illustres, qui subsequuntur, nimirum. S. Thelesphorus.

S. Hyginus sub eodem Antonino, anno 158. die 11. Ianuarii. S. Hyginus.

S. Pius sub Marco Aurelio, & L. Vero, anno 167. die 11. Iulii. S. Pius.

S. Eleutherius sub Commodo, anno 194. die 26 Maji. S. Eleutherius.

S. Victor sub Severo, anno 203. die 28. Iulii. S. Victor.

S. Fabianus sub Diocletiano Imperatore martyrii corona auctus anno Christi 253. die 20. Ianuarii, in Cœmeterio Callisti sepultus est, ex quo postmodum loco Paschalis Primus eundem transtulit, & in Oratorio à se erecto, & supra à nobis descripto, una cum beati Sixti Primi corpore recondidit, quod Epitaphium sepulchro Sergii II ibidem sepulti affixum testatur, de quo infra suo loco agemus. S. Fabianus.

S. Leo Primus ob meritorum laudem, quibus in Ecclesia præfulsit, cognomento Magnus, qui primus item inter sanctos Pontifices non Martyres adnumeratur, anno 461. die xj. Aprilis haud tamen juxta S. Petrum una cum aliis de more sepultus est, sed in Basilicæ ejusdem vestibulo, ante Secretarium, in postrema nimirum ejusdem vestibuli parte ad lævam ingredientibus, cujus tumulum ab Agnello Presbytero subinde exornatum fuisse Vegius arbitratus est, id opinandi argumentum ex tumulo quodam nactus, quem ipsius ætate fortuito post veteris Basilicæ apsidem reperiri contigit; ubi Vaticani adhuc Cœmeterii reliquiæ extabant. Porro ipsius Vegii verba sunt hæc: *Sed quod ad Cæmeterium Christianorum pertinet, reperti sunt in eo plurimi nobiles marmorei tumuli, inter quos unus dicatus Leoni Papæ: quod ubi comperit magister, qui operi illi diruendo præerat, statim id renuntiavit Pontifici; Pontifexque tunc me illo ire jussit, cupiens quid esset, certius ex me intelligere. Porro ibi reperi tumulum alto marmoreo lapide coopertum, inscriptum quoque titulo unicum versum hujusmodi?* S. Leo I. cognomento Magnus. Vegius. Tumulus marmoreus S. Leoni I. dicatus reperitur.

SALVO PAPA LEONE,
AGNELLUS PRESBYTER ORNAT.

Putarim autem hunc Agnellum fuisse aliquem chariorem

rem ejus, & secretiorem contubernalem, ac bonum virum, qui ultimum, quem debuit, talis ac tanti heri ossibus honorem exhibuit; reconditumque ab illo prius ibi corpus ipsius diu jacuisse crediderim, propter epigramma, quod dixi tumulo ejus inscriptum. Nam certo constat à Sergio Papa divina visione quadam monito postea ipsum translatum fuisse. Hæc Vegius.

Nomina vita adhuc superstitum quandoque tumulis olim inscribebantur.

4 Verumtamen tumulum istum, quem Vegius accurate describit, alterius cujusdam viri sanctitate conspicui conditorium fuisse, quod deinde Agnellus Presbyter, Leone ipso adhuc vivente, exornaverit, illa verba utique innuere, ac suadere videntur: SALVO PAPA LEONE. hac quippe formula veteres in Inscriptionibus plerumque usi sunt, dum ii, quorum ibidem nomina prænotantur, adhuc inter vivos degerent, ut videre est in ea, quæ in Ecclesia S. Petri ad Vincula de Joanne Papa II. viventeii sdem fere verbis legitur: SALVO PAPA JOANNE, &c. Nisi quis forte asserere velit, eumdem tumulum è loco dimotum, ubi primum constiterat, à Sergio Primo illuc translatum fuisse, qui venerabile ejusdem S. Leonis corpus in oratorio ad dextram majoris apsidis, prope S. Petri Aram collocavit: de cujus translatione hæc Anastasius in Sergio Primo: *Hic corpus B. Leonis probatissimi Patris, atque Pontificis, quod in abditis interioribus secretarii prædictæ Basilicæ positum fuerat, sacra diligentius tumba in denominata Basilica publico loco, ut sibi fuerat revelatum, reposuit, ac locum ipsum ornavit.*

Anast. in Sergio I.

Tres item Sanctissimi Leones Summi Pontifices.

S. Leo II. S. Leo III. S. Leo IV.

Secundus scilicet hujus nominis,

Tertius, & Quartus eodem in oratorio conditi fuere, ibidemque anno Domini 1607. die 20. Maji, Paulo V. regnante feliciter adinventi sunt, eodem jubente Pontifice, simul beata quatuor eorumdem corpora in novam pariter inferenda essent Basilicam. Tunc enim disjecto Oratorii ipsius Altari, sacra eorumdem trium corpora in arca tabulis marmoreis compacta intuentibus apparuere; alterum tamen ex his in lignea ibidem inclusa arcula repositum erat, quod beati Pontificis Leonis IV. extitisse, ab omnibus procul dubio existimatum est: hoc enim præ cæteris integrum magis, minusque labefactatum erat. Hanc subter urnam lapidei interjectu pavimenti, & lignea altera arca reperta fuit ferreis quibusdam hastulis ab humo dissita, in qua S. Leonis Primi corpus omni quidem ex parte illibatum, ac ornamentis pontificalibus insignitum concludebatur; mitram nimirum, ut mos est, beatiss. Pontifex in capite gestabat; satis ampla, quod antiqui consueverant, casula cooperiebatur, sub qua complicatæ item manus conspiciebantur; pallio insuper, quod Pontificiæ plenitudinem potestatis exhibet, in superiori parte circumcingebatur, cujus quidem sacri pallii reliquias cernere adhuc dabatur, ex duabus præsertim, quæ extabant, perexiguis rubri coloris crucibus, & ex acu item aurea eidem planetæ infixa, quæ eidem retinendo pallio inservierat. Corpus autem longitudinis erat palmorum septem & trium palmi quadrantum. Quæ quidem sacratissima pignora post impensum, ut par erat venerationis cultum, simul eodem anno, die 27 Maji, velut quid haud ullo æquiparandum pretio in novam Basilicam translata sunt, in superiori utique extremo sacello, quod meridiem respicit, ibique in nobilissimo quodam affabre ex marmore elaborato, sacrisque historiis exsculpto sarcophago religiose condita fuere. Sancti Leonis I. nempe corpus in eadem arca lignea, quæ altera plumbea circumdabatur, aliorumque trium in arca cypressina, hastulis ferreis superposita, quo nimirum eorumdem ossa omni prorsus ex parte discreta, ac distincta à corpore S. Leonis Primi servarentur. Ipsi autem sarcophago in plumbi lamina hujusmodi memoria apposita est.

Eorum corpora ubinam, & quando adinventa fuerint.

Inventio corporis S. Leonis I.

Quo habitu ac cultu ornatum appareret?

Eadem in Basilicam novam Vat. translata

Corporum SS. quatuor Leonum Pontificum translationis monumentum.

CORPORA SS. LEONUM PRIMI, SECUNDI,
TERTII, ET QUARTI SUMMORUM
PONTIFICUM CONDITA IN PARTE
DEXTERA BASILICÆ, AD LATUS
MAJORIS ALTARIS
PRINCIPIS APOSTOLORUM
SUB ARA VETERIS ORATORII,
QUÆ SUPEREXTRUCTO PAVIMENTO
TEGEBATUR.
INDE PAULI V. PONT. MAX. JUSSU EDUCTA
EVANGELISTA PALLOTUS
TIT. S. LAURENTII IN LUCINA
CARDINALIS CUSENTINUS,
HUJUS BASILICÆ ARCHIPRESBYTER
SOLEMNI PROCESSIONE IN NOVUM
TEMPLUM EXTULIT, ET HAC SUB ARA,
IN EADEM MERIDIONALI PARTE
REPOSUIT XXVII. MAJI
DOMINICA INFRA OCTAVAM
ASCENSIONIS MDCVII.
PONTIFICATUS S.D.N. ANNO TERTIO.

Leonis I. præconia. *Die 11. Ap.*

At vero Leonis Primi præclarissimi Pontificis præconia retexere, cum sole sint clariora, superfluum est; certe à Martyrologio Romano condigne illis verbis concelebratur: *Romæ S. Leonis Papæ & Confessoris, qui virtutum excellens meritis dictus est Magnus.* Hic jure quidem optimo Pater Patriæ appellari potest: Urbem enim Romam, & Romanam Ecclesiam ab interitu vindicasse tunc potissimum visus est, quando *Rex Hunnorum Attila* (ut acta ejus ferunt) *cognomento flagellum Dei, in Italiam invadens, Aquilejam triennii obsidione captam diripuit & incendit: unde cum Romam ardenti furore raperetur, jamque copias ubi Mincius in Padum influit, trajicere pararet, occurrit ei Leo, malorum impendentium misericordia permotus: cujus divina eloquentia persuasum est Attilæ, ut regrederetur. Qui interrogatus à suis, quid esset, quod præter consuetudinem tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret; respondit, se astantem quemdam alium illo loquente saderdotalis habitu veritum esse, sibi stricto gladio minitantem, nisi Leoni obtemperaret. Quare in Pannoniam reversus est, Leo autem Romæ singulari omnium lætitia exceptus, paulo post invadenti Urbem Genserico, eadem eloquentiæ vi, & sanctitatis opinione persuasit, ut ab incendio infamiis, ac cædibus abstineret. Demum sanctissimus Pontifex in tribus Basilicis, Petri, Pauli, Constantini cameras extruxit, ædificavit monasterium vicinum Basilicæ S. Petri: sepulchris Apostolorum custodes adhibuit, quos Cubicularios appellavit.* Hæc ex lectionibus Breviarii in laudem tanti Pontificis, qui Vaticanam Basilicam jugiter coluit, studioso lectori suggerere voluimus. Cui illud postremo loco adjungimus, Innocentii X. Pont. Max. jussu ad recolendam Apostolici viri memoriam in Vaticana Basilica Sacellum in ejus honorem ad præsens aptari, ubi Equitis Alexandri Algardi Bononiensis manu, inter statuariæ artis sculptores primarii, in tabula marmorea idem Pontifex dum Attilæ occurrit ad liberandam Urbem exsculptus intuentium oculis exhibetur, & sacram Aram, sub qua ejusdem deinde corpus collocandum est, nobilissimæ instar picturæ splendide exornat.

Attilam Italiæ vastationi imminentem regredi jubet.

Et Gensericum Urbem invadentem ab incendio & cædibus cohibet.

Sacellum ei jussu Innocentii X. in Basil. Vat. erigitur.

S. Sim-

implicius S. Simplicius Papa, qui anno 483. die 2. Martii meritis plenus decessit, in Basilicæ Vaticanæ Porticu juxta Secretarium tumulatus est.

Gelasius S. Gelasius Secundus vir meritis ac sanctitate pollens anno Christi 496. die 21. Novembris eodem loco reponitur.

astasius. Anastasius quoque anno 498. die 21. Novembris ibidem sepultus cæteris Romanis Pontificibus aggregatus est.

ymma-us. S. Symmachus ob vitæ probitatem, ac virtutum merita spectatissimus ibidem anno 514. die 17. Julii in Basilicæ vestibulo humatus est.

Iormisda S. Hormisda cæteros inter Pontifices ob singularem vitæ sanctimoniam celebrandus anno 523. die 6. Augusti & ipse in Vaticano sepulturæ locum obtinuit.

oannes I S. Joannes Papa hujus nominis Primus diro quidem carceri mancipatus, multisque ærumnis confectus Ravennæ sub Theodorico Rege decessit, anno 526. die 27. Maji. At ejus corpus Romam postea translatum, ad Vaticanam Basilicam sepultura donatum est die 26 Junii. Memoria haud ulla tamen extat, in qua potissimum Basilicæ Vaticanæ parte conditum sit. Quapropter tam de ipso, quam de cæteris, quorum peculiaris sepulturæ locus ignoratur, firmissime tenendum est, inter sanctorum, quæ supra recensuimus, Pontificum corpora, à fidelibus tumulata fuisse.

ix IV. Felix Quartus anno 530. die 12. Octobris intra sacrum ejusdem Ecclesiæ ambitum repositus est: cujus deinde tumulus hujusmodi fuit inscriptione nobilitatus:

aphium cis IV.

Certa fides justis Cœlestia Regna patere,
Antistes Felix quæ modo lætus habet.
Prælatus multis, humili pietate superbus,
Promeruit celsum simplicitate locum.
Pauperibus largus, miseris solatia præstans,
Sedis Apostolicæ crescere fecit opes.

ifacius I. Ponifacius Secundus anno 531. die 17. Octob. in eadem Pontificum porticu sepultus est; cujus sepulchro insculptum Epitaphium hoc legebatur.

aphium facii II

Atria magnifici sunt membris plena sepulti
Sedis Apostolicæ Ponifacii Præsulis almi.

lius in f. Papæ Quod quidem Epitaphium in corrupto Manlii codice perperam Ponifacio Primo inscribitur. Ille enim via Salaria, non in Vaticano, ut in eodem præfertur titulo, & à nobis suo loco dicetur, conditus fuit.

nes II. Joannes Secundus, cognomento Mercurius, anno 535. die 24. Junii, in Vaticano cæteris Pontificibus appositus est. Cujus tumulum ab Agapito, qui ei in Pontificatu successit, hujuscemodi inscriptione prænotatum fuisse in antiquarum inscriptionum Appendice legitur:

aphium nis II.

Mente pia vivens, Christi nutritus in Aula,
Et sola gaudens simplicitate boni.
Plandus in obsequiis, & puro plenus amore,
Pacificam vitam jure quietis agens.
pend. .inscr.
Qui gratus populis, & celso dignus honore,
Sumpsisti meritis Pontificale decus.
Commissumque tibi pascens bonitate magistra
Servasti cunctum sub pietate gregem.
Pro quo rite tuum venerans Agapetus honorem
Præstitit hæc tumulo munera grata tuo.
Qui nunc Antistes Romana celsus in Urbe,
Sedis Apostolicæ culmina sacra tenet.

n. Ann n.533. Manlius tamen à Baronio relatus, ejusdem sepulchro Epitaphium, quod sequitur, inscriptum fuisse tradit:

Hic tumulus Vatis conservat membra Ioannis Aliud ejusdem Ioannis II epitaphium.
Ordine Pontificum, qui fertur jure secundus
Licet in extremis solers, fidusque minister
Claruit, & primus jure Levita fuit.
Missus ad Imperium vice Præsulis extitit auctor,
Hunc memorant Synodus, Pontificisque thronus.
Cum titulus fidei vigilantia quanta regendi
Commissas animas, ne lupus hostis oves
Carperet admixtus, premeretve potentior, unam
Iustitiam cunctas nixus habere pacem.
Providus, humanus, summus, verusque sacerdos
Nil temere, atque nimis pondere cuncta gerens.

S. Agapitus, qui omni virtutum laude ac sanctitatis gloria præcellens, Constantinopoli è vita decessit: haud aliorum sanctorum Pontificum in Vaticano quiescentium consortio privari meruit. Ejus etenim corpus Romam translatum in plumbea quadam arca anno 539. die 20 Sept. in Vaticanam Basilicam perhonorifice illatum est. S.Agapitus.

Vigilius Pontifex, qui dum Romam Constantinopoli rediret, anno 555. vita functus est, ibidem pariter sepulturæ locum obtinuit: nam venerandum ejusdem corpus Romam translatum, primum quidem in Cœmeterio Priscillæ via Salaria; inde vero in Vaticano conditum est, ut Manlius ex majorum traditione se accepisse refert; qui ipsius insuper sepulchrum juxta Altare S. Silvestri in transversa navi, & maximam juxta aram extitisse commemorat. Vigilius. Manl.invit. Vigilii.Pap.

Pelagius hujus nominis Primus anno 559. die 2. Martii, eodem Manlio teste, prope Secretarium sepelitur, qui nobile hoc ejus tumulo epitaphium inscribit: Pelagius I. Manlius in Bonif.Pap. II.

Terrenum corpus claudant hæc forte sepulchra Epitaphium Pelagii I Bar.Annal. 107.
Nil sancti meritis derogatura viri.
Vivit in arce poli cælesti luce beatus,
Vivit & hic cunctis per pia facta locis.
Surgere judicio certus, dextramque tenentem
Angelica partem se rapiente manu.
Virtutum numeret titulos Ecclesia Dei.
Quos ventura ut † sæcula ferre queat.
Rector Apostolicæ fidei veneranda retexit
Dogmata, quæ clari constituere Patres.
Eloquio curans errorum schismate lapsos,
Ut veram teneant corda placata fidem.
Sacravit multos divina lege ministros,
Nil pretio faciens immaculata manus.
Captivos redimens, miseris succurrere promptus,
Pauperibus numquam parta negare sibi.
Tristia participans, læti moderator opimus,
Alterius gemitus credidit esse suos.
Hic requiescit Pelagius Papa, qui sedit annos iiij. menses x. Dies xviij. Depositus iiij Nonas Martii.

Joannes Tertius anno 572. die 13. Iulii in Vaticano deponitur; Joannes III

Benedictus Primus anno 577. die 31. Iulii & Benedict. I.

Pelagius Secundus anno 590. die 5. Februarii sepulturæ pariter locum sortiuntur. Pelagius II.

S. Gregorius Magnus admirandæ vir sanctitatis, cæterisque Pontificibus ob eximiam virtutum gloriam, ac meritorum prærogativam æquiparandus, dignissimum Romanæ Ecclesiæ lumen, ac singulare Romanorum decus, anno 604. die 12. Martii in Cœlum evolavit; cujus sacrum corpus assiduis studiorum & solicitudinum laboribus, nec non variis infirmæ valetudinis incommodis, & S. Gregor. Magnus.

podagræ doloribus attritum, ac pene consumptum, *ante Secretarium conditum fuit, intra porticus columnas*, inquit Manlius, inde tamen à Gregorio IV. in Ecclesiam prope dictum Secretarium translatum, sub Altari reconditum est, quod nostra adhuc ætate juxta Portam, Judicii nuncupatam, visebatur: ibique cum in arca lignea repertum fuisset, anno 1606. die 8. Januarii, solemni pompa, ut tanti Pontificis merito par erat, in novam Basilicam delatum, in sarcophago marmoreo depositum est, sub Altari, quod è Gregoriani sacelli conspectu cernitur, ubi Gregorii Nazianzeni corpus requiescit, quod quidem Deo disponente, haud peculiari mysterio caruisse credimus, ut bina nimirum hæc, & præclarissima Christiani orbis lumina, atque ipsius Ecclesiæ Doctores, alter Latinus, & Græcus alter, se invicem benigne intra ejusdem Basilicæ ambitum complecterentur, & mutua addictissimi animi significatione ex ipsismet tumulis, ubi jacent, sese amice respicerent. Porro dignissimum tanto viro Epitaphium à Joanne Diacono hujuscemodi notis inscriptum est:

Manlius in vit. S. Greg. Magni.

Sacrum S. Gregorii Magni corpus ubinam depositum sit.

Epitaphium S. Gregorii Magni.

Io. Diacon. in vit. S. Greg. Mag. l. 4. c. 69.

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum,
Reddere quod valeas vivificante Deo.
Spiritus astra petit, lethi nil jura valebunt,
Cui vita alterius mors magis ipsa via est.
Pontificis summi hoc clauduntur membra sepulchro
Qui innumeris semper vivit ubique bonis.
Esuriem dapibus superavit, frigora veste,
Atque animas monitis texit ab hoste sacris.
Implebatque actu, quicquid sermone docebat,
Esset ut exemplum, mystica verba loquens.
Anglos ad Christum convertit mente benigna,
Sic fidei acquirens agmina gente nova.
Hic labor, hoc studium, hæc tibi cura, hoc Pastor agebas,
Ut Domino offerres plurima lucra gregis.
Hisque Dei consul factus lætare triumphis,
Nam mercedem operum jam sine fine tenes.

Hucusque Jo. Diaconus, qui immensas tanti viri de Ecclesia optime meriti laudes paucis verbis perstringere conatus est, & ejusmodi in honorem sepulchrali lapide inscripto, ibidem ejus olim monumentum fuisse testatur.

Io. Diac. loc. sup. cit.

Hic requiescit sanctus Gregorius Papa, qui sedit annos 13. mens. 6. dies 10. depositus IV. Idus mart.

In eodem vero marmoreo sarcophago postremæ depositionis memoria plumbi laminæ hunc in modum insculpta fuit:

Titulus tumulo S. Gregorii Magni appositus.

SANCTI GREGORII MAGNI PAPÆ
PRIMI CORPUS EX ALTARI
S. ANDREÆ SITO IN RELIQUA JAM
COLLABENTE VETERIS ECCLESIÆ
PARTE, PAULI PAPÆ V.
JUSSU MOTUM, ET IN NOVUM
TEMPLUM SOLEMNI PROCESSIONE
ILLATUM, SUB HAC ARA,
CASSA CYPRESSINA INCLUSUM
PILO MARMOREO COLLOCAVIT
EVANGELISTA PALLOTTUS
TIT. S LAURENTII IN LUCINA
CARDINALIS CUSENTINUS
HUJUS BASILICÆ ARCHIPRESBYTER,
ANNO MDCVI. DIE VIII. JANUARII,
DOMINICA INFRA OCTAVAM
EPIPHANIÆ, PONTIFICATUS EJUSDEM
S. D. N. ANNO PRIMO.

At sanctissimo huic Pontifici, qui Pontificias Infulas sanctitatis haud ullatenus æquiparandæ laurea illustravit, cui Urbs Roma, ejusdem patria, & universus pariter Orbis terrarum, paternis ab eo officiis, ac beneficiis jugiter devinctus, plurimum debet: nos quoque una cum cæteris, & ex nostris singuli nobiscum, singulari ejusdem patrocinio addicti multum debere fatemur: nostra quippe Vallicellana Ecclesia, in qua quotidie divini verbi semen administratur, S. Philippo Nerio Parente Optimo in primis adnitente, sub Deiparæ Virginis, ejusdemque S. Gregorii Magni, qui verbi dux extitit, titulo ab Alexandro Cardinali Mediceo, qui postmodum Leonis XI. nomine auctus, ad Pontificatus apicem evectus fuit, solemni ritu dicata est. Nostra insuper Oratorii Congregatio cum tutelarem hunc patronum se obtinere congaudeat, solemnis ejusdem anniversaria dies apud nos quotannis recurrit. Cujus sacris item reliquiis nobili argentea theca inclusis, pia Eminentiss. Cardinalis Spadæ Albanen. Episcopi munificentia locupletati sumus, quas ille solicite ad nos, dum adhuc Sedis Apostolicæ Nuncium apud Ludovicum XIII. Galliarum Regem ageret, publicis, ut par est, monumentis obsignatas in Urbem transmittendas, & condigno subinde conditorio, ob impensum erga Sanctissimum Pontificem pietatis, & erga Congregationem nostram benevolentiæ studium, nullis parcens impensis, includendas curavit. Memoratæ autem reliquiæ conspicuam venerandi capitis partem exhibent; & jure quidem merito in Urbe, quæ Orbis caput est, Beatissimi Gregorii caput, cui sub columbæ specie, ut Petrus Diaconus oculatus rei testis perhibet, Spiritus sanctus, ad suggerenda, quæ scriberet, sæpius insedisse visus est; jure, inquam, merito caput hoc venerandum cunctis, & nunc præcipue nobis recolendum exhibetur. Nos vero descriptis hactenus in Apostolici viri laudem elogiis nequaquam contenti, alterum hunc, haud sepulchralem, sed triumphalis instar tituli ad perenne Gregoriani nominis monimentum nostris hisce paginis, immo ipsiusmet Subterraneæ Romæ tabulis, quot notis, tot Beatissimi viri coronis, tot triumphis nobiliter excultum, ab ipsius nomine laudum præconia auspicantes, insculpimus.

Ecclesia Vallicell. S. Grego[rio] dicata est.

Patronus Tutelaris Congreg. Oratorii [in] Urbe.

Emin. Card. Spada de[ ] ejusdem re[li]quiis ad F[ra]tres Oratorii de Ur[be] misit.

Spiritus S. sub columbæ specie Gregorio Magno scribenda suggerit.

Elogium S. Gregorii Magni Pontificis.

O hospes! audis Gregorii nomen.
Ergo dum audis, dum legis nomen,
Omen augurare Pontificis.
Gregorius ergo Vigilans, ergo Pastor.
Terra futuro dedit nomen Pontifici,
Cælum homini, nomini detulit Pontificatum.
Hic Urbem patriam habuit,
Futurus Urbis, Orbis pariter, ac patriæ pater.
Senatum abhorrens, & claustrum ambiens,
Senatum
Non Urbis, sed Orbis supremo Senatui,
Senatorum paci, bono Reipublicæ, saluti omnium
comprobavit
Constantinopolim Roma legatum misit,
Volens, libens, gaudens
Exceptura redeuntem de legatione Pontificem.
Quippe
Ne tanti viri gloriæ theatrum,
Altera Roma deesset.
Haud patriam ille agnovit
Pontificias infulas offerentem, ovantem, plaudentem
Domesticos ratus hostes, cives domesticos,

Ne

Ne exoratus dignitatem acciperet,
Dignam inexoratus fugam arripuit.
Ne toti lateret mundo humilitas,
Humiles excogitavit latebras,
Non jam civis inter honores, at hospes, at hostis
Solus patrio è solo exiliens,
A longe patriam fugiens salutavit.
Quæ Gregorio haud Pontificatum deferre,
Sed conferre injuriam, inferre auxilium visa est,
Fugiens, speluncam receptaculum habuit,
Dum Romæ requirentis, gratulantis, excipientis
Blandas cavet, timet, horret insidias;
Novum triumphandi genus,
Quod antiqua semel sæcula viderunt,
Dum Gregorius nova arte, haud de capta,
Sed de contempta Roma vel fugiendo triumphat,
Fuga sine exemplo, exemplum non sine fuga.
Cælum fugientem haud celat,
immo latitantem prodit sub specu hominem,
Et igneæ columnæ indicio latentem
Suffulciendo orbi columnam indicat.
Tu columnam qui vides,
Herculeo Gregorianum majus opus,
Quod vides, arbitrare.
Quid dignum, quid magnum
Ibi inscriptum latet, si legis.
Audi, quid, Cælo teste, columna
Vel obmutescens loquitur:
Huc usque Gregorius, non plura ultra mortales.
Majus est ipse miraculum, quam columna.
Hic unus, dum meritas lue lueret
Roma scelerum pœnas,
Supplex abluere, diluere alienas
Propriis lachrymis culpas non destitit,
Factus vere Dei, & hominum reconciliator.
Pauperes quotidie,
Et Angelos item inter pauperes,
Commensales habuit pauperum Pater.
Et Pontificium thesaurum erogando,
Totum fecit pauperum esse patrimonium.
Anglos, quos Angelos appellabat,
Dum pius, dum lynceus transmisso Euangelii lumine
Lustrat, illustrat, vere fecit Angelos,
Factus ipse Anglorum, Angelorum Apostolus.
Dum unus præ omnibus, pro omnibus scribit,
Divinæ columbæ oraculo, signo numinis
insignitus est.
Haud enim alio, quam Columbæ columba,
Et columnæ columna indicio commendari debuit.
Tam multa, tam magna, tam mira
Infirmus jugiter corpore, animo tamen vegetus
Fecit, scripsit, docuit, perfecit.
Ut nisi infirmus, haud constasse corpore
crederetur,
Qui totus fuisse spiritus credi potuit.
Lector si plura vis nosse, quæ discas,
Si plura vis discere, quæ nescias,
Ex cognomento disce
Nil parvum
Sub Magno latere Gregorio.

His studioso Lectori in Sanctissimi Pontificis laudem prælibatis, cætera prosequamur.

[...]inianus. Sabinianus spectatæ morum probitatis Pontifex in eadem porticu jacet, anno 605. die 19. Februarii, hoc utique Epitaphio, teste Manlio, decoratus: [...]lius in [...]in. PP.

[...]aphium [...]niani.

Hic hominum vitia blando sermone removit,
Nec culpis judex, sed medicina fuit.

Bonifacius Tertius, anno 606. die 12. Novembris in Vaticano pariter tumulatur. Bonif. III.

S. Bonifacius hujus nominis Quartus, vitæ integritate, ac meritorum gloria conspicuus, hic sanctorum Martyrum obsequio deditissimus, innumeris eorundem corporibus è variis Romæ Cœmeteriis in Pantheon translatis, ut diximus, antiquum superstitionis gentilitiæ templum in Deiparæ Virginis, & sanctorum omnium honorem dedicavit; demum plenus meritis cum migrasset ad Dominum, intra B. Petri Ecclesiam prope Ravenianam Portam, anno 614. die 31. Maji depositus est, in cujus tumulo hoc olim elogium legebatur: S. Bon. IV. Baron. to. 8

Epitaphium S. Bon. IV.

Vita hominum brevis est, hanc certa terminat hora,
Sed vita æternæ deinde paratur iter.
Quo non indecora, aut rursum peritura videtur,
Sed pulchrum atque decens jam sine fine manet.
Dic igitur, quid Mors stimulis agitaris iniquis?
Quid feris incassum? quid furibunda geris?
Commoda nulla tibi poterunt tua fata referre,
Nec prodesse potest impetus iste tibi.
Gregorii semper monita, atque exempla magistri,
Vita, opera, ac dignis moribus iste sequens.
Quo hic terræ reputans, sunt hujus maxima vota,
Mittere ad astra animam, reddere corpus humo.
Saucia multiplici si quidnam membra dolore,
Rursus in antiquo pulvere versa manent.
Quæ conjuncta animæ stabilito in corpore surgant
Ad vitam æternam te pereunte magis.
Sancta fides merito, vitæ clementia Patris
Spem certam hanc famulos jussit habere suos.
Hic requiescit Bonifacius junior, qui sedit annos iiij.
Menses viij. dies xij. Depositus est viij. Idus Maji
Imperante Domino Heraclio, anno ejus v.

De eodem S. Bonifacio aliud hujusmodi epitaphium apud Manlium legebatur, quamvis ab eo perperam Tertio tribuatur: *Manlius de S. Bonif. PP.*

Gregorio Quartus jacet hic Bonifacius almus,
Hujus qui sedis fuit æquus Rector & ædis.
Tempore qui Phocæ cernens Templum fore Romæ,
Delubra cunctorum fuerant quæ Dæmoniorum,
Hoc expurgavit, Sanctis cunctisque dicavit,
Cujus natalis solemnia qui celebratis
Primis Septembris fert hoc lux quarta Kalendis.

Hoc idem Baronius in suis Annalibus refert, qui velut bene oculatus historicarum rerum arbiter, ac lynceus veritatis perscrutator, caute admodum lectorem monet, ex eo quod mensis September sepulchrali titulo inscribitur, non ad ejusdem obitum, sed ad diem, qua Summus Pontifex renunciatus est, referendum esse, quæ natalis utique dies antiquitus dici, ac celebrari consuevit. Hoc ipsum epitaphium in Altari Bonifacii Papæ VIII. exaratum inspeximus, qui, dum in eo corpus ejusdem sancti Bonifacii Quarti recondidit, duo eidem epitaphio, quæ sequuntur, carmina addidit, nempe: *Baron. to. 8. ann. 614.*

Octavus titulo hoc Bonifacius ossa reperta,
Hac locat erecta Bonifacii nominis Ara.

Referatum autem fuit sanctissimi Pontificis Bonifacii sepulchrum anno 1603. die 21. Octobr. ubi inventa sunt ejus ossa in duabus fictilibus ollis, & in vitreo quodam rotundo vase recondita. Quæ quidem omnia in novum translata sunt Templum, ibidemque posita in arca cypressina, & sarcophago marmoreo sub Altari, quod est in apside, meridiem versus, ejus memoria in plumbi lamina his notis inscripta: Corpus S. Bonif. IV. ubinam depositum sit.

Titulus tumulo S. Bonif. IV. inscriptus.

CORPUS S. BONIFACII PAPÆ QUARTI
EX ALTARI SITO IN VATICANA BASILICA
INTER PORTAS JUDICII, ET RAVENIANAM
A BONIFACIO PAPA OCTAVO
EJUS NOMINI DICATO, ORNATO,
ET DOTATO, IN NOVUM TEMPLUM
PAULI V. PONT. MAX.
JUSSU HONORIFICE TRANSLATUM,
HAC SUB ARA RITU SOLEMNI
COLLOCAVIT
EVANGELISTA PALLOTTUS
TIT. S. LAURENTII IN LUCINA
CARDINALIS CUSENTINUS
HUJUS BASILICÆ ARCHIPRESBYTER
ANNO MDCVI. DIE XVII JANUARII.
PRIMIS VESPERIS CATHEDRÆ S. PETRI,
SEDENTE PAULO PAPA V. ANNO PRIMO.

S. Deusdedit. Deusdedit anno 617. die 5. Novembris ad sanctum Petrum in Vaticano appositus est.

Bonifacius V. Bonifacius Quintus anno 625. die 21. Octobris Vaticani item sepulchri una cum cæteris Pontificibus consortium habere meruit, quorum virtutes studiose vir Apostolicus fuerat æmulatus: cui duo, quæ sequuntur epitaphia, tamquam nobilissima meritorum elogia, ab Honorio Successore inscripta leguntur in antiquis Inscriptionibus nimirum:

Epitaphium Bonifacii V *Antiq. inscript. pag. 1165. Habetur ap. Baron. to. 12. in Append. to. 8.*

Cur titulata diu torpuerunt jura sepulchri,
Et populi nullus perstrepuit gemitus?
Segnities, non culpa fuit, quicumque requiris,
Nam dolor inclausus plus lacerare solet.
Pande dolor gemitum, meritisque quiesce beatis,
Ut libeat summi gesta referre Patris.
Hic vir ab exortu Petri est nutritus ovili,
Sed meruit sancti Pastor adesse gregis.
Pura fides hominis votis mundata benignis
Exultat Christi cantibus hymnisonis.
Simplicitas sapiens, vivax solertia simplex,
Serpentina fuit simplicitate vigens.
Cumque quater denos compleret Presbyter annos,
Sera senectutis mens tamen alma fuit.
Culmen Apostolicum coluit tres ferme per annos,
Perfectum numerum terque quaterque gerens.
Hoc tibi pro meritis successor Honorius amplis
Marmore construxit munus epitaphii.

Item aliud:

Antiq. inscrip. apud Baron. ubi supra.

Da mecum gemitum singulti Roma doloris
Plena Sacerdotis luctibus egregii.
Cur? quoniam deflere solet mens acta periclis,
Plebsque orbata piis insuper officiis.
Hic vir inaccessis tenuit contraria factis
Hæc documenta bonis moribus apta suis.
Mitis in adversis positus, rebusque secundis,
Omnia grata ferens, altera pressa tenens.
Prævenit, ne nata forent delicta viritim,
Orta tamen secuit cum pietate gravi.
In commune bonus, Bonifacius inde vocatus,
Propria lucra putans publica subsidia.
Munificus, sapiens, castus, sincerus, & æquus,
Ista beatorum sunt pia suffragia.
Nam vidualis apex, pupillorumque phalanges,
Cæcorumque chorus dux tibi lucis erit.
Infremuit post fata suis mors saucia telis,
Respiciens meritum vivere posse virum.
Culmen Apostolicum, quinque, & bis mensibus annis
Rexit, & ad magni culmen honoris abit.

Honorius I Honorius hujus nominis Primus anno 638. die 12. Octobris, cum vitæ cursum dignis operibus consummasset, Vaticano item tumulo pro suis meritis honoratus est. In cujus laudem in iisdem antiq. Inscript. hi duo sepulchrales tituli inscripti recensentur:

Epitaphium Honorii I. *Antiq. inscrip. in Append. pag. 1165 Habetur ap. Baron. ibid.*

Pastorem magnum laudis pia præmia lustrant,
Qui functus Petri hac vice summa tenet.
Effulget tumulis nam Præsul Honorius istis.
Cujus magnanimum nomen, honorque manet.
Sedis Apostolicæ meritis nam jura gubernans,
Dispersos revocat, optima lucra refert.
Utque sagax animo divino in carmine pollens,
Ad vitam Pastor ducere novit oves.
Histria nam dudum sævo sub schismate fessa
Ad statuta Patrum teque monente redit.
Judaicæ gentis sub te est perfidia victa,
Sic unum Domini reddis ovile pium.
Attonitum patriæ solers sic cura movebat,
Optata ut populis esset ubique quies.
Quem doctrina potens, quem sacræ regula vitæ,
Pontificum pariter sanxit habere decus.
Sancti loqui semper in te commenta Magistri
Emicuere tui, tanquam fœcunda nimis.
Namque Gregorii tanti vestigia justi,
Dum sequeris cupiens, & meritumque geris
Æternæ lucis Christo dignante perennem
Cum Patribus sanctis posside jamque diem.
His ergo epitaphiis merito tibi carmina solvi,
Quod Patris eximii sim bonus ipse memor.

Item aliud:

Antiq. inscrip. apud Baron. ubi sup.

Quis mihi tribuat, ut fletus cessent immensi,
Et luctus animæ det locum vera dicenti,
Libet in lachrymis singultus verba erumpant,
De te certissime tuus discipulus loquor.
Te generositas minister Christi parentum,
Te munda actio Thomas monstrabat honestum,
Tecum virginitas ab incunabulis vixit,
Tecumque veritas ad vitæ metam permansit.
Tu casto labia pudica verba promebas,
Tu patiens jam parcendo pie docebas
Te semper sobrium, te recinebamus modestum
Tu tribulantum vera consolatio verax.
Errore veteri diu Aquilegia cæca
Diffusam cælitus rectam dum renueret fidem,
Aspera viarum ninguidosi montium calles
Calcans indefessus glutinasti prudens scissos.

Hi pariter, quos modo subteximus, inter alios summos Pontifices sepulturæ locum in Vaticana Basilica sortiti sunt: nempe,

Severinus anno 639. die 2. Augusti. Severinus.
Joannes Quartus, anno 642. die 12. Octobris. Joannes IV
Theodorus, anno 649. die 14 Maji. Theodorus
Eugenius Primus, anno 655. die 2. Junii. S Eugen. I.
Vitalianus, anno 669. die 27. Junii. S. Vitalian.
Adeodatus. anno 676. die 26. Junii. Adeodatus.
Donus, anno 678. die 11. Aprilis. Donus.
Agatho, anno 682. die 10. Ianuarii. S. Agatho.

Cujus tumulo epitaphium hujusmodi in Antiquit. Inscription. insculptum legitur:

Inscriptio sepulchralis S. Agathonis Papæ. *Antiq. inscrip. pag. 1166. Habetur ap. Bar. ibid.*

Pontificalis Apex virtutum pondere fultus
Ut jubaris radiat, personat ut tonitrus.
Quæ modo hoc peragit doctrinæ fomes & actor,
Format enim gestis, quos docet eloquiis.
Dum simul æquiparat virtus, & culmen honoris,
Officium decorat moribus, arte gerit.
Præditus his meritis Antistes summus Agatho,
Sedis Apostolicæ fœdera firma tenet.

En

En pietas, en prisca fides, insignia Patrum
Intemerata manent nisibus alme tuis.
Quis verò numeret morum documenta tuorum
Formula virtutum dum tua vita foret.

eo. II. S. Leo Secundus miræ innocentiæ, ac sanctitatis exemplar, cum meritis cumulatus anno 684. die 28. Julii migrasset ad Dominum, Vatic. Basilicæ gloriam apud S. Petrum depositus auxit. Ejus autem corpus in Oratorio, de quo supra, cum tribus aliis sanctissimis ejusdem nominis Pontificibus humatum est.

ened.II. S. Benedictus Secundus, in benedictionibus dulcedinis à Domino præventus, & ad cælestia præmia evocatus anno 685. die 7. Maji, apud Vaticanum B. Petro consociari meruit. Cujus sepulchralis urna hac inscriptione decoratur:

taphium ened II. tiq. inscr. Append. .1166. betur a- l Bar.

Magna tuis Benedicte Pater monumenta relinquis
Virtutum titulos, ô decus atque dolor!
Fulguris in speciem mentis splendore coruscas,
Plura sed exiguo tempore cœpta fluunt.
Cuncta Sacerdotum præstantia munia comples,
Et quo quisque bono claruit, unus habes.
Quippe quod à parvo meritis radiantibus auctus
Iure Patrum solium Pontificale foves.
Non hoc ambitio rapti tibi præstat honoris,
Indolis est fructus, quam comitatur honos.
Et quia solerter Christi regis agmina Pastor,
Percipe salvati præmia celsa gregis.

nnes V. Joannes Quintus, anno 686. die 2. Augusti.

non. Et Conon, anno 687. die 13. Octobris sepulchri locum ad Vaticanum obtinuere.

ergius I. S. Sergius Primus jure quidem optimo primos inter Romanæ Ecclesiæ Pontifices ob singularis vitæ specimen, ac probitatis exemplar suspiciendus; cum in Domino obdormisset, inter Argenteam Portam, & Ravenianam, eandem intra Ecclesiam sepelitur anno 701. die 9. Sept. Hujusmodi autem, ut Manlius refert, sepulchrali elogio decoratus est:

taphium ergii I. r. Man- habetur d Baron. . in Ap- d. to. 8.

Limina quisquis adis Petri metuenda beati,
Cerne pii Sergii, excubiasque Petri.
Culmen Apostolicæ sedis is jure paterno
Electus tenuit, ut Theodorus obit.
Pellitur Urbe Pater, pervadit sacra Ioannes,
Romuleosque greges dissipat ipse lupus.
Exul erat patria septem volventibus annis,
Post populi multis Urbe redit precibus.
Suscipitur Papa, sacratur, sede recepta
Gaudet, amat Pastor agmina cuncta simul.
Hic invasores sanctorum falce subegit
Romanæ Ecclesiæ, judiciisque Patrum.

nnes VI. Joannes Sextus, anno 705. die 10. Januarii in Vaticano sepelitur.

nn. VII. Joannes Septimus cum è vivis decessisset, ejus corpus ante Altare oratorii, quod ipse ad honorem B. Virginis erexerat, prope Portam, Guidoneam nuncupatam, dextra intrantibus, anno 707. die 18. Octobris conditum est.

nnius. Sisinnius, anno 708. die 7. Februarii in Vaticano tumulatur.

nstant. I. Constantinus Primus, anno 714. die 9. Aprilis ad sanctum Petrum sepulturæ traditur.

Greg. II. S. Gregorius Secundus cum sanctissime Dei Ecclesiam administrasset, nulli prædecessorum Pontificum pietatis ac religionis studio secundus, post vitæ cursum feliciter peractum cæteris Romanis Pontificibus singulari laudum præconio, in Pontificum Porticu nuncupata, anno 731. die 11. Februarii appositus est.

S. Gregorius Tertius prædecessoris sui vestigia æmulatus, ejusdemque virtutum dotes una cum nomine ac Pontificatu consecutus, postquam extremum vitæ diem obiisset, anno 741. die 28. Novemb. intra eandem S. Petri Basilicam monumento consignatur. Cui hujusmodi titulus inscriptus est: S. Greg. III

TERTIUS HIC PAPA GREGORIUS EST TUMULATUS.

S. Zacharias Pontifex, insigne Sacerdotis ac Prophetæ nomen, quod præferebat, suis quoque meritis dignissime cumulavit; vocatusque ad Dominum, in Pontificum Porticu anno 752. die 15. Martii reponitur. S. Zacharias

Stephanus Tertius, qui Secundus pariter dictus est, ibidem anno 757. die 26. Aprilis hoc inscripto titulo sepelitur: Steph. III.

SUBJACET HIC STEPHANUS ROMANUS PAPA SECUNDUS.

S. Paulus Primus Apostolici nominis & zeli pariter apostolici una cum nomine hæres, cum Pontificale munus digne ac laudabiliter obiisset, laborum mercedem à Deo recepturus, evolavit in Cælum; & ob honorem, quem Apostolo Paulo jugiter ac impense detulerat, primus in Basilica S. Pauli, apud quam pariter obierat, anno 767. die 29. Junii sepeliri se voluit: verum tribus postmodum mensibus elapsis in Vaticanum translatus, in Oratorio, quod ipse prope altare majus erexerat, honorifice conditus fuit. S. Paulus. I.

Stephanus Quartus, qui etiam Tertius dictus est, anno 772. die prima Februarii ad S. Petrum deponitur. Steph. VI.

Adrianus Primus admirandæ vir integritatis, meritisque refertus, post absolutum hujus vitæ curriculum anno 795. die 26. Decembris in Vaticanum infertur: ejus autem corpus in Oratorio depositum est, quod ipsemet vivens in transversa navi, ad apsidis dexteram, prope Altare majus construxerat, ubi à Carolo Magno sepulchralis loco tituli hujusmodi laudum præconio apud posteros celebratus est: Adrianus I.

Inscriptio sepulchro Adriani primi affixa: Apud. Bar. to. 2. an. 795.

Hic Pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclytus auctor
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita Deus, pietas lex, gloria Christus,
Pater Apostolicus, promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magna genitus jam gente parentum,
Sed sacris longe nobilior meritis.
Exornare studens devoto pectore Pastor,
Semper ubique suo templa sacrata Deo.
Ecclesias donis, populos & dogmate sancto
Imbuit, & cunctis pandit ad astra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate secundus,
Et pro plebe sacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Urbs caput orbis honor inclyta Roma tuos.
Mors cui nil nocuit, Christi quæ morte perempta est,
Ianua sed vitæ mox melioris erat.
Post patrem lacrymans Carolus hæc carmina scripsi,
Tu mihi dulcis amor: te modo plango Patrem.
Tu memor esto mei; sequitur te mens mea semper,
Cum Christo teneas Regna beata poli.
Te clerus, populus magno dilexit amore,
Omnibus unus amor, optime Præsul, eras.
Nomina jungo simul titulis, clarissime, nostra;
Hadrianus, Carolus; Rex ego, tuque Pater.

Quisque legas versus, devoto pectore supplex,
Amborum, mitis dic, miserere Deus.
Hæc tua nunc teneat requies, charissime, membra,
Cum sanctis anima gaudeat alma Dei.
Ultima quippe tuas donec tuba clamet in aures;
Principe cum Petro surge videre Deum.
Auditurus eris vocem, scio, Iudicis almam:
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tum memor esto tui nati, Pater optime, posco,
Cum Patre, dic, natus pergat & iste meus,
O pete regna Pater felix cælestia Christi,
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum sol ignicomo rutilus splendescit ab axe.
Laus tua, sancte Pater, semper in orbe manet.

Sedit beatæ memoriæ Hadrianus Papa Ann. xxiij. mens. x. D. xvij. obiit vij. Kal. Ian.

S. Leo III. S. Leo Tertius vigilantissimus utique invictique animi Pontifex, cum singulari prudentia ac pietate Romanæ Ecclesiæ Pontificatum administrasset, & cultum Vaticanæ Basilicæ summopere dilexisset, ac promovisset, ut etiam reliquarum Urbis Ecclesiarum, clarus meritis, anno 816. die 12. Junii obdormivit in Domino. Cujus venerandum corpus apud Primum & Secundum ejusdem nominis sanctos Pontifices depositum est; & una cum eisdem deinde ampliorem in locum, ut jam diximus, cultu, quo tantorum virorum meritis par erat, translatum est. Si quis res gestas tanti Pontificis assequi cupit, Baronium in suis annalibus consulat, ejus laudes luculento sermone perorantem.

Stephan. V. Stephanus Quintus, qui Quartus dictus est, anno 817. die 24. Januarii ad S. Petrum tumulatur.

Paschalis I. Paschalis Primus, anno 824. die 14. Maji ibidem.

Eugen. II. Eugenius Secundus anno 827. die 11. Augusti eodem loco.

Valentinus. Valentinus eodem anno 827. in Vaticanum infertur.

Gregor. IV. Gregorius Quartus anno 843. ibi pariter deponitur.

Sergius II. Sergius Secundus Pontifex hujus nominis laudatissimus ob Virtutum, quæ præferebat, insignia, anno 847. die 12. Aprilis in Vaticanæ Basilicæ Oratorio ponitur, quod à Paschale Primo ædificatum fuerat, & ubi ipse una cum sanctis Sixto, & Fabiano Summis Pontificibus, ut supra diximus, sepulturæ locum obtinuerat. Ejus autem tumulo epitaphium hujusmodi insculptum legebatur, quod præcipuarum tanti Pontificis laudum seriem, ac præconium legentibus præfert:

Epitaphium Sergii II. Pontificis.

Sergius en junior Præsul, & plebis amator
Hoc tegitur tumulo, qui bene pavit oves.
Spes patriæ, mundique decus, moderator optimus
Divinis monitis non fuit ille piger.
Romanos Proceres non tantum famine verbi,
Rebus & humanis nocte dieque fovens.
Utque Leo sanctus, Damasus quoque Papa benignus,
Hic ritum tenuit, instituitque gregem.
Egentum semper studuit recreare catervam
Proque poli ut caperet cælica regna libens.
Iam jam pro tanto tundamus pectora pugnis,
Pastore amisso, 2 ivat ut axe poli.
Nectitur ecce ptis Fabiano, & compare Xisto
Præsulibus, quorum spiritus astra tenet.

S. Leo IV. S. Leo Quartus dignissimus prædecessorum suorum hujus in Pontificatu nominis successor, qui optime Apostolico munere perfunctus, & de universa Ecclesia meritus, anno 855. die 17. Iulii in pace requiescens, in Oratorio Sergii Papæ Primi depositus; inde cum aliis ejusdem nominis Pontificibus translatus est.

Sed quoniam opportuna hic tanti Pontificis mentio incurrit, haud silentio obvolvendum est anno 848. ab eodem S. Leone Quarto Leoninam Urbem conditam fuisse, & intra Urbis ambitum, mœniis exstructis, ac propugnaculis adversus barbarorum irruptiones ædificatis, sepulchrum S. Petri, ac Vaticanam Basilicam, cujus gloriæ addictissimus fuit, conclusam fuisse, ut Anastasius Bibliothecarius his verbis fidem facit: *Prædictam civitatem, quæ à proprio conditoris sui nomine Leoniana vocatur, jussit circuiri.* Et Cardinalis Bellarminus idem narrat: *Anno 848. Urbem Leoninam condidit adversus irruptiones Saracenorum; ita Basilica S. Petri, quæ extra Urbem erat, intra Urbem esse cœpit.* Extant verò usque adhuc muri, ac mœnia haud obscura vigilantissimi ejusdem Pontificis monimenta, quibus totum spacium, quod ab Hadriani mole usque ad Vaticanum Templum longe lateque protenditur, ad munimentum loci conclusum est, & usque ad annum 1634. cum instaurari contigit, titulus à S. Leone inscriptus legebatur:

Urbs Leonina à Leone IV condita.

Anast. Bib. in vit. Leonis.

Muri Urbis Leoninæ.

Titulus muris Urbis Leoninæ inscriptus.

CIVITAS LEONIANA TEMPORIBUS
DOM. LEONIS PP. HANC PAGINE
ET DUAS TURRES
SINE MILITIA CONSTRUXIT.

Extabat autem præmemoratus hic lapis inter duas turres, nobilissimus recolendæ antiquitatis index: ubi lectori adnotare licet, quod vox *Pagine* in eodem inscripta lapide, propugnaculum designare videtur. Alius similis lapis in via, quam vulgo *Longaram* dicunt, juxta Ecclesiam S. Iacobi in Septimoriano, sive sub Iano, vel sub Ianiculo, extabat, in quo hæ insculptæ notæ legebantur:

HANC TURREM, ET PAGINE UNA
FACTA A MILITIÆ CAPRATORUM
TEMP. DOM. LEONIS QUAR.
EGO AGATHO CI...

Ne tantæ verò rei memoria deperiret, Urbanus VIII. dum muros quosdam vetustate collabentes instauraret, geminas has inscriptiones in prospectu porticus à Pio IV. erectæ, in area S. Petri affigendas præcepit, hoc utique titulo nobilitatas:

Inscriptio muris Civitatis Leoninæ ab Urb. VIII. instauratis affixa.

URBANUS VIII. PONT. MAX.
GEMINAS; HASCE INSCRIPTIONES
QUÆ OLIM A S. LEONE IV.
IN LEONIANÆ URBIS MONIMENTIS
POSITÆ FUERANT
EX OBSCURIORIBUS LOCIS
HUC TRANSTULIT
ANNO SAL. MDC. XXXIV.

Illud addimus, quod olim supra portam Leonianam, quæ alio interdum vocabulo porta S. Petri dicebatur, hæc carmina legebantur, quæ ex pervetusto quodam manuscripto in optimi Pontificis laudem hic nobis recensere visum est:

Inscriptio quæ supra portam Leonianam olim legebatur.

Qui venis, ac vadis, decus hoc attende viator.
Quod quartus struxit nunc Leo Papa libens.
Marmore præciso radiant hæc culmina pulchra.
Quæ manibus hominum facta decore placent.
Cæsaris invicti, quod isthic cernis honestum
Præsultantum, quod tempore gessit opus.
Credo malignorum sua numquam bella nocebunt,
Neve triumphus erit hostibus ultra suis.
Roma caput orbis, splendor, spes aurea Roma
Præsulis ut monstrat en labor alma tui.
Civitas hæc à Conditoris sui nomine
Leonina vocatur.

His

His plane verbis hujuſmodi inſcriptio concludebatur: cui & alteram ſtudioſo lectori contemplandam ſubtexere voluimus, quæ marmori olim ſupra portam Caſtri S. Angeli, quæ Porta Ænea dicebatur, & S. Petrum reſpiciebat, his notis exſculpta ſuſpiciebatur:

Inſcriptio Portæ olim Æneæ inſculpta.

Romanus, Francus, Barduſque viator, & omnis
Hoc qui intendit opus, cantica digna canat.
Quod bonus Antiſtes quartus Leo rite novavit
Pro patriæ, ac plebis ecce ſalute ſuæ.
Principe cum ſummo gaudens Lotharius heros
Perficit, cujus emicat altus honor
Quod veneranda fides nimio deduxit amore
Hoc Deus omnipotens præferat arte poli.
Civitas Leoniana vocatur.

Munimenta propugnacula Urbis Leonianæ. *Grimald. in M.S. Vat. Baſil.*

Porro quam bene inſtructa fuerint mœnia, & Urbis propugnacula, quæ S. Leo exædificavit, Grimaldus his verbis expreſſit: *Habebat turres magnas, & validas* 44. *è quibus hodie quatuor tantum ſuperſunt, cum propugnaculis, ſive merlis* 444. *à Nicolao Signorile deſcriptis in Cod. antiquo Biblioth. Vat. n.* 3851. Multis præterea turribus Romanam Urbem communivit, ſed duabus præcipue juxta Portuenſem portam ad ipſam Tyberis oram propter Saracenorum periculum, & ſalutem Romanæ Urbis, ut Anaſtaſius Biblioth. his verbis ſcribit: *Ipſas igitur duas turres non ſolum lapidibus, ſed etiam ferreis muniri curavit catenis, quatenus, ſi neceſſitas fuerit, per eundem locum nulla navis valeat tranſire.* Cujus rei memoria in pariete ad Tyberis ripam extabat, cum ſub Gregorio XIII. propugnaculum vetuſtate collapſum inſtaurari contigit: tunc enim Silvius Antonianus poſtea S. R. E. Cardinalis hæc marmori inſcripſit:

Binas turres ad portam Portuenſem S. Leo IV. excitat.

Inſcriptio Propugnaculi Leoniani à Greg XIII. reſtituti.

EX AUCTORITATE GREGORII XIII.
PONT. MAX.
S.P.Q.R. PROPUGNACULUM HOC
CONTRA BARBARORUM IMPETUS
A D LEONE IV. PONT. MAX.
JAM PRIDEM REFECTUM,
AC POSTEA VETUSTATE COLLAPSUM
FIRMIUS RESTITUIT.
CAMILL. RUSTICO, VINCENT. PARENTIO,
FABRITIO URSINO
COSS.

Hæc in S. Leonis Papæ IV. memoriam vel obiter prælibaſſe ſufficiat.

Bened. III.

Benedictus Tertius anno 857. die 16. Februarii in Porticu prope Argenteam portam nobili hoc inſignitus titulo ſepelitur:

Epitaphium Bened. III. *Petr. Manl.*

Quiſquis huc properas Chriſtum pro crimine poſcens,
Quam lacrymis dignus ſit, rogo diſce, locus!
Hac gelida Præſul Benedictus membra quiete
Tertius en claudit, quæ ſibi reddat humus.
Quodque foret tectus ſervat ſub tegmine ſaxi
Indignum ſanxit ſe ſociare piis.

Nicolaus I.

Nicolaus Primus, anno 867. die 13. Novemb. in eadem Porticu juxta portam Judicii conditus eſt: ubi hujuſmodi titulus in quibuſdam Manlii codicibus Nicolao Secundo perperam inſcriptus legebatur:

Epitaphium Nicolai I. [illegible]

Conditur hoc antro ſacræ ſubſtantia carnis
Præſulis egregii Nicolai, dogmate ſancto,
Qui fulſit cunctis, mundumque replevit, & Urbem.
Intactis nituit membris, caſtoque pudore.
Quæ docuit verbis, actuque peregit opime.
Sidereæ plenus manſit doctuſque ſophiæ,
Cælorum claris, quæ ſervat regna triumphis,
Ut regnet ſolis procerum per ſæcula natus.

Adrianus Secundus anno 872. die prima Novembris ibidem cæteros inter Pontifices ad diem noviſſimum tumulo deponitur. Adrian. II.

Joannes Octavus, anno 882. die 15. Decemb. prope Judicii portam, in eadem Vaticanæ Baſilicæ Porticu ſepultus hoc nobili epitaphio decoratur: Joan. VIII.

Epitaphium Joan. VIII. *Petr. Manl. habetur apud Bar. to. 10. ann. 882.*

Præſulis Octavi requieſcunt membra Ioannis
Tegmine ſub gelido marmorei tumuli.
Moribus, ut paret, fulſit, qui mente beatus
Altiſonis comptuſque actibus & meritis.
Judicii cuſtos manſit, pietatis amator,
Dogmatis & veri plurima verba docens.
De ſegete ac Chriſti pepulit zizania ſæpe,
Multaque per mundum ſemina fudit ovans.
Prudens & doctus verbo, linguaque peritus,
Solertem ſeſeque omnibus exhibuit.
Et nunc cælicolas cernit ſuper aſtra phalanges,
. . . .

Marinus Primus, anno 884. die 18. Januarii ad S. Petrum conditur. Marinus I.

Adrianus Tertius anno 885. die 9. Martii ibidem. Adrian. III.

Stephanus Sextus, dictus Quintus anno 891. die 21. Maji in eadem Vaticana Porticu cum hujuſmodi epitaphio ſepulturæ mandatur: Steph. VI.

Epitaphium Steph. VI.

Accedis quiſquis magni ſuffragia Petri
Cæleſtis Regni poſcere clavigeri,
Intentis oculis, compuncto corde locellum
Conſpice perſpicuum, quo pia membra jacent.
Hic tumulus Sexti ſacratos continet artus
Præſulis eximii Pontificis Stephani.
Bis ternis annis populum qui rexit & Urbem,
Et geſſit Domino quæ fuerant placita.
Suſcepit tellus conſumptum pulvere corpus,
Æthera ſed ſcandit ſpiritus almus ovans.
Unde peto, cuncti venientes dicite fratres:
Arbiter omnipotens da veniam Stephano.

Formoſus, anno 898. die 14. Decemb. Formoſus.

Et Romanus, anno 901. eodem loco ſepulturæ donantur. Romanus.

Theodorus Secundus eodem anno ibidem. Theod. II.

Joannes Nonus, anno 905. ante portam Guidoneam in Vaticano conditur, cui ad immortalem præclari viri memoriam, hujuſmodi inſcriptio appoſita eſt: Joann. IX.

Epitaphium Joann. IX. *Petr. Manl. apud Bar. t. 10. an. 905.*

Eccleſiæ ſpecimen, clariſſima gemma bonorum,
Et mundi Dominus hic jacet eximius.
Ioannes meritis qui fulſit in ordine Nonus,
Inter Apoſtolicos quem vexit Altitonans.
Conciliis docuit ternis qui dogma ſalutis
Obſervare, Deo munera ſacra ferens.
Temporibus cujus novitas abolita mali eſt,
Et firmata fides, quam ſtatuere Patres.
Qui moriturus eris, lector, dic: Papa Ioannes
Cum ſanctis capiat Regna beata Dei.

Benedictus Quartus, anno 907. eadem in Porticu hujuſmodi inſignitus epitaphio deponitur: Bened. IV.

Epitaphium Bened. IV. *Petr. Manl. apud Bar. t. 10. an. 907.*

Membra Benedicti hic Quarti ſacrata quieſcunt
Pontificis magni, Præſulis eximii.
Qui merito dignus Benedictus nomine dictus,
Cum fuerit largus omnibus atque bonus.
Huic generis decus, & pietatis ſplendor opimus
Ornat opus cunctum, juſſa Dei meditans.
Prætulit hic generale bonum lucro ſpeciali,
Mercatus cælum cuncta ſua tribuit.

Deſpectas

Despectas viduas, necnon inopesque pupillos
Ut natos proprios assidue refovens.
Inspector tumuli compuncto dicito corde:
Cum Christo regnes, ô Benedicte, Deo.

Christoph. Christophorus Pontifex, qui ab Apostolicæ sedis throno, quem occupaverat, vi exturbatus, in claustrum, tanquam in securitatis sinum, ac felicioris vitæ portum, se recipere compulsus, Manlio, acBaronio testibus, post mortem in hac Basilica conditus, hac plane inscriptione designatus est:

Manl. lib. rerum antiq. Vat. Bas. Bar. an. Chr. 908.

Hic pia Christophori requiescunt membra sepulti.

Sergius III. Sergius Tertius, anno 910. ad sanctum Petrum defertur.

Anast. III. Anastasius Tertius, anno 912. in Vaticana Basilica de more humatur, in cujus laudem hoc nobile epitaphium exaratum legitur apud Manlium:

Epitaphium Anast. III. Petr. Manl. apud Bar. to. 10. ann. 912.

Vatis Anastasii requiescunt membra sepulchro,
Sed nunquam meritum parvula claudit humus.
Rexit Apostolicam blando moderamine sedem,
Tertius existens ordine Pontificum.
Ad Christum pergens, peccati vincula sperat
Omnia clementer solvere posse sibi.
Undique currentes hujus ad limina Templi,
Ut præstet requiem poscite corde Deum.

Pontifices, qui hic ex ordine subsequuntur, apud Vaticanum pariter sepulchro donati, ceteris Pontificibus aggregati sunt:

Landus. Landus eodem anno 912.
Leo VI. Leo Sextus, anno 929.
Steph. VIII. Stephanus Octavus, anno 931.
Leo VII. Leo Septimus, anno 939.
Steph. IX. Stephanus Nonus, anno 943.
Martinus II. Martinus Secundus anno 946.
Leo VIII. Leo Octavus, anno 965.
Bened. V. Benedictus Quintus, dictus Sextus, anno 979.
Joan. XIV. Joannes Decimusquartus, anno 985. in Porticu Vaticana apud Joannem VIII. hujusmodi sepulchrali titulo inscripto deponitur:

Epitaphium Joan. XIV. Petr. Manl. apud Bar. t. 10. an. 985.

Præsulis eximii hic requiescunt membra Ioannis,
Extiterat dictus qui antea quippe Petrus.
Sedem Papæ blando moderamine rexit.
Imperatori Othoni dulcis fuit, atque præclarus,
Commissum populum Romanum moribus ornans
. . . .
Eloquio cunctis, præsertim dulcis amicis,
Subjectis placidus, pauperibusque pius.
Defunctus est Ioannes Papa, mense Augusti die 20.

Joann. XV. Joannes Decimusquintus spectatæ vitæ Pontifex, ac virtutum laude conspicuus, anno 996. in Oratorio B. Virginis Vaticanam intra Basilicam à Paulo Primo erecto, conditus, illustri hoc elogio post mortem laudari meruit:

Epigraphe sepulchralis Joann. XV. Petr. Manl. apud Bar. t. 10. an. 996.

Clauditur hoc tumulo venerabilis ille Ioannes,
Qui legis sacræ diffundere noverat amnes.
Egregius Doctor verbo quæcunque docebat,
Moribus & vita tribuens exempla gerebat.
Hunc à Canonici districto jure rigoris
Non timor, aut lucrum, non gratia flexit amoris.
Det Deus æternus cælesti lumine pasci,
Qui dat Romæ mori, dederat bene gaudia nasci.
Quando vir iste obiit, si vis cognoscere verum,
Septima lux Martii fuit illi meta dierum.

Gregor. V. Gregorius Quintus morum probitate, ac vitæ exemplo, dignus utique recensendus Petri successor, anno 999. ante Secretarium juxta Pelagium conditus, hoc laudum insculpto titulo posteritati commendatus est:

Epitaphium Gregorii V.

Hic quem tegit humus, oculis, vultuque decorum,
Papa fuit Quintus nomine Gregorius.
Ante tamen Bruno Francorum regia proles,
Filius Othonis de genitrice Iudith.
Lingua Theutonicus, Wangia doctus in Urbe
Sed juvenis Cathedram sedit Apostolicam.
Ad binos annos, & menses circiter octo,
Ter senos Februo connumerante dies.
Pauperibus dives, per singula sabbata vestes
Divisit, numero cautus Apostolico.
Usus Francigena, vulgari, voce Latina
Instituit populos eloquio triplici.
Tertius Otho sibi Petri commisit ovile,
Cognatis manibus unctus in Imperium.
Exuit & postquam terrenæ vincula carnis,
Æquivoci dextro substituit lateri.
Decessit duodecimo Kalendas Martii.

Petr. Manl. apud Bar. t. 10. an. 999.

Benedictus Septimus, dictus Octavus anno 1024. ibidem in Vaticano requiescit. Bened. VII.

Joannes Vigesimus, anno 1033. in Porticu Templi Vaticani, inter Argenteam portam, & Romanam deponi voluit; ubi hoc epitaphium legitur: Joann. XX.

Epitaphium Joann. XX. Petr. Manl. Onuphr.

Qui solers Domino placuit, qui mente modesta
Præsul Apostolicus orbis & omne decus.
Hic statuit tumulo claudi sua membra sub isto,
Hæc eadem sperans, ut sibi reddat humus.
Ardua qui fulsit cunctis ut sydera cæli,
Augustis charus gentibus, & tribubus.
Doctrinis comptus sacris, & dogmate claro
Per patrias sancta semina fudit ovans.
Nam Grajos superans, Eois partibus unam
Schismata pellendo reddidit Ecclesiam.
Principis hinc Petri sed quisquis tendis ad aulam,
Dic supplex, ut idem regnet in arce poli.

S. Leo IX. S. Leo Nonus sanctissimus quidem inter cæteros Romanæ Ecclesiæ Pontifex, omni virtute ac meritorum laude præfulsit, qui post varios exantlatos hujus vitæ labores ad supernam requiem evocatus, anno 1034. in Vaticana Basilica inter Portam Ravenianam & Argenteam tumulatus est. Sacrum deinde corpus in ejusdem Basilicæ demolitione, marmorea quadam inclusum arca sub Altari repertum est. Erat autem ejusdem cadaver miræ proceritatis, à capite nimirum ad pedes longitudine 9. palm. constans. Quod quidem in novam Basilicam anno 1606. die 18. Januarii translatum est, & sub Altari apsidis, quæ meridiem respicit, in plumbea quadam arca, altera pariter cypressina circumdata, conditum fuit, hac ad perennem sanctissimi viri memoriam inscriptione prænotatum:

Sacrum S. Leonis IX. corpus ubinam quiescat?

Epigraphe sepulchro S. Leonis IX. inscripta.

CORPUS S. LEONIS PAPÆ NONI,
VIRTUTUM ET MIRACULORUM GLORIA
INSIGNIS, SUB ALTARI
MORTUORUM SITO IN VATICANA
BASILICA, INTER PORTAS ARGENTEAM,
ET RAVENIANAM, DIE XI. MENSIS,
ET ANNI INFRASCRIPTI
INTRA MARMOREAM ARCAM
REPERTUM, CUM EA PARS
ECCLESIÆ RUERET, PAULI V. PONT. MAX.
JUSSU IN NOVUM TEMPLUM
PROCESSIONALI POMPA DELATUM,
HAC SUB ARA RITU SOLEMNI
COLLOCAVIT
EUANGELISTA PALLOTTUS
TIT. S. LAURENTII IN LUCINA
CARDINALIS CUSENTINUS,
DICTÆ BASILICÆ ARCHIPRESBYTER,
ANNO DOMINI MDCVI. EJUSDEM
PAULI PONTIFICATUS PRIMO,
DIE XVIII. JANUARII
FESTO ROMANÆ CATHEDRÆ
S. PETRI.

Urbanus II. Urbanus Secundus vitæ sanctimonia, ac rerum gestarum gloria Romanos inter Pontifices præcipuus,

puus, in transmarina expeditione, quam contra Saracenos indixit, sacra ab impiorum manibus loca vindicavit: ipsius enim sanctissimi Pontificis opera, ut historiæ perhibent, Asia minor, Syria, Palæstina, Mesopotamiæ pars, urbesque clarissimæ, Antiochia nimirum ac Hierosolyma una cum sacratissimo Christi sepulchro, quæ ante à Mahometanis occupatæ fuerant, feliciter recuperatæ sunt. Demum Pontifex rebus præclare gestis, ac meritis cumulatus Romæ decessit anno 1099. & in oratorio, quod ab Adriano Primo erectum fuerat, in transversa navi, ad dexteram apsidis depositus est, cujus tumulus nobili hoc olim titulo decoratus est:

URBANUS II. AUCTOR EXPEDITIONIS
IN INFIDELES.

Lucius Secundus, anno 1144. ibidem tumulatur, quamvis nonnulli eundem in Lateranensi Basilica sepultum fuisse asserant: Maffæus tamen Vegius ejus se vidisse in Vaticano sepulchrum apud Cælestinum III. testatur.

Eugenius Tertius Tybure quidem obiit anno 1153. sepultus autem est in Vaticano prope Altare majus.

Adrianus Quartus, qui Anagniæ anno 1159. diem obierat, in Vaticano tamen tumulatus quiescit. Corpus enim Romam translatum, in marmoreo sarcophago, prope Eugenium Tertium, repositum est: inde postea in Basilicæ navim delatum est, quæ Veronicæ nuncupabatur, ad dexteram scilicet intrantibus, ubi hac nostra ætate, arca marmorea conspiciebatur; qua sub anno 1607. in demolitione veteris Basilicæ reserata, ejusdem Adriani corpus adhuc ex omni parte integrum repertum est, casula serica nigri coloris, aliisque Pontificalibus indumentis de more exornatum. Quod postea una cum eadem arca subtus novi Templi pavimentum delatum fuit.

Gregorius Nonus, anno 1241. ibidem positus est.

Clemens Quartus, anno eodem, ibidem.

Nicolaus Tertius ex nobili Ursinorum familia, & illustrium Heroum prosapia Suriani quidem Viterbiensis Diœcesis, anno 1280. decessit. Ejus verò corpus Romam postea delatum, in Oratorio, quod ipsemet in honorem S. Nicolai erexerat, in marmoreo quodam tumulo conditum fuit: indeque novo iterum monumento illatum fuisse in Martyrologio Basilicæ Vaticanæ legitur his quidem verbis:

DECIMO SEPTIMO KAL. JUN.
EODEM DIE FACTA TRANSLATIO
CORPORIS SANCTÆ MEM.
D. NICOLAI PAPÆ TERTII
IN MONUMENTO NOVO.

Honorius Quartus, anno 1287. in Vaticanæ Basilicæ ambitu sepulturæ locum consecutus est.

Bonifacius Octavus singularis prudentiæ, scientiarum pariter, ac magnanimitatis laude inter Pontifices suspiciendus; Sextum quippe Pontificii juris Codicem (quem Decretalium dicunt) à viris doctissimis ingenti labore ac studio compilatum Pontificia auctoritate probavit, cunctorumque beneficio edidit. Primus solemne anni Centesimi recurrentis Jubileum in Urbe, quod nunc viget, & cæteri Pontifices prosecuti sunt, innumera, atque admiranda jugiter peregrinorum frequentia, indixit, & celebravit, ac demum rebus præclare gestis è vita decessit, anno 1303. die XI. Octob. & in Vaticana Basilica in Altari à se erecto in honorem S. Bonifacii Papæ Quarti, inter portas Argenteam, & Ravenianam depositus est; quo diruto, anno 1605. ejusdem corpus integrum repertum est; longitudinis utique pal. 7. cum dimidio circiter, & aliquot post sæcula incorruptum, Pontificalibusque de more indumentis ornatum, in arca lignea pretiosum digito annulum præferens, quem Paulus Quintus in gentilitii decoris monimentum Cajetanæ Familiæ dono dedit: quod magis mirandum est, ipsamet recurrente die in lucem venit, qua olim ibidem conditum fuerat: verum hoc in alia plumbea inclusum arca, & in marmoreo sarcophago depositum, in novam Basilicam translatum fuit, & sub ejusdem pavimento hac inscriptione apposita reconditum:

CORPUS BONIFACII OCTAVI
CAJETANI PONT. MAX.
EX VETERI IN NOVAM BASILICAM
TRANSLATUM, HIC REPOSITUM
JACET. DE QUO ILLUD MEMORABILE
ACCIDIT, QUOD EADEM DIE,
QUA OBIIT, QUINTO SCILICET
IDUS OCTOB. JAM INDE TERCENTUM
ET DUOBUS ELAPSIS ANNIS,
INTEGRUM ATQUE INCORRUPTUM
REPERTUM FUIT,
ANNO DOMINI MDCV.

Epigraphe sepulchri Bonif. VIII.

Urbanus Sextus, anno 1389. die X. Octob. inter altaria Annunciationis B. Virginis, & S. Blasii, ad lævam introeuntibus, marmorea urna conditus in Vaticano sepultus fuit: inde verò anno 1606. die 12. Septemb. translatus sub eodem novæ Basilicæ pavimento cæteris Pontificibus aggregatus est.

Bonifacius Nonus, anno 1404. die primo Octob. post obitum in Vaticanum infertur.

Innocentius Septimus ibidem anno 1406. die 6. Novemb. cujus sepulchrum à Nicolao V. ætate nostra instauratum conspiciebatur, in pavimento videlicet sacelli S. Thomæ, quod ad sinistram partem situm est, ejusdem ibi exsculpta imagine, & sepulchrali lapide his verbis prænotato:

INNOCENTIO SEPTIMO PONT. MAX.
CUM NEGLECTI EJUS SEPULCHRI
MEMORIA INTERIISSET,
NICOLAUS QUINTUS PONT. MAX.
RESTITUI CURAVIT.

Epigraphe sepulchro Innoc. VII. inscripta.

Qui quidem lapis una cum Pontificis corpore sub idem novæ Basilicæ pavimentum translatus fuit.

Eugenius Quartus anno 1447. die 23. Feb. in Vaticana Basilica in arca quadam marmorea depositus est, inter altare B. Virginis à se erectum, & altare S. Marci in postrema navi; ad sinistram introeuntibus, ubi quondam perillustre hoc epitaphium tanto Pontifice dignum legentibus ultro exhibebatur:

Eugenius jacet hic Quartus, cor nobile cujus
Testantur vitæ splendida facta suæ.
Istius ante sacros se præbuit alter ob ortu,
Alter ab occasu Cæsar uterque pedes.
Alter ut acciperet fidei documenta Latinæ,
Alter ut aurato cingat honore caput.
Quo duce & Armeni, Grajorum exempla secuti,
Romanam agnorunt, Æthiopesque fidem.
Inde Syri, ac Arabes, mundique è finibus Indi,
Magna, sed hæc animo cuncta minora suo.
Nam valida rursum Turcos jam classe petebat.
Dum petit, ast illum substulit atra dies.
Qui semper vanos tumuli contempsit honores,
Atque hæc impressa, condite dixit humo.
Sed non quem rubro decoraverat ille galero,
Non hoc Franciscus stirps sua clara tulit.
Susceptique memor meriti, tam nobile, quod nunc
Cernis, tam præstans surgere jussit opus.

Epitaphium Eugenii IV. Platina.

Porro Epitaphium hoc etiam apud Vegium legitur, penes quem & sequens, quod hausimus, studiosus

diosus lector accipiat, ab ipsomet videlicet, ut ait, ibidem appositum:

Dum studet Ecclesiam placida componere pace,
Actaque pars voti, pars quoque agenda fui
Eugenius Quartus moriens hic ossa reliquit,
Sic nece præruptum, quod bene cœpit opus.
Debuerant duræ tantisper ferre sorores,
Tardius & vitæ solvere pensa brevis.
Tunc ubi pax terris, quam miro ardebat amore
Reddita, tunc cælo restituendus erat.
Sed Deus ac tutum sedes ornare beatas,
Consultumque suis maluit ire bonis.

NicolausV. Nicolaus V. optimus Pontifex, ac singulari prudentia præditus anno 1455. die 14. Martii, in veteri Basilica prope Eugenium Quartum, in marmoreo quodam sepulchro tumulatur. Superiori autem ejusdem Basilicæ parte humi penitus dejecta, idem sepulchrum in partem inferiorem translatum est: ubi in postrema navi ad dexteram ingredientibus, una cum simulacro pariter ex marmore ad vivum confecto nostris hisce temporibus visebatur. Hoc demum anno 1606. sub eodem novæ Basilicæ pavimento inter alia Pontificum sepulchra repositum est. Porro in ejusdem olim sepulchro sequens inscriptio legebatur.

Epitaphium Nicolai V.
Hic sita sunt Quinti Nicolai Antistitis ossa,
Aurea qui dederat secula Roma tibi.
Consilio illustris, virtute illustrior omni,
Excoluit doctos doctior ipse viros.
Abstulit errorem, quo schisma infecerat orbem,
Restituit mores, mœnia, templa, domos.
Tum Bernardino statuit sua sacra Senensi,
Sancta Iubilei tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput Federici conjugis aureo,
Res Italas, icto fœdere, composuit.
Attica Romanæ complura volumina linguæ
Prodidit, en tumulo fundite thura sacro.

Vegius. Extat aliud Vegii hujuscemodi notis expressum:
Pontificis summi Nicolai hic condita Quinti
Ossa cubant: liber spiritus astra colit.
Æmulus ille Numæ pacem sibi prætulit armis,
Prætulit & diris cantica sancta tubis.
Miro idem studio ritus, cultusque sacrorum
Curavit, mira donaque sacra fide.
Alter & Augustus dictus, doctissimus ipse
Excoluit summa semper & auxit ope.
Extulit, atque altæ renovavit mœnia Romæ
Extulit ingentes, & renovavit opes.
Sæcula qui magni Iubilei læta sacravit,
Cæsareum rutilo cinxit & orbe caput.
Qui scissum Ecclesiæ Pastor compegit ovile,
Ad suaque errantes claustra reduxit oves.

Callist. III. Callistus Tertius, anno 1458. die 6. Augusti, in sacello, quod ipsemet in honorem sanctorum Andreæ & Jacobi erexerat, in subterranea ædicula, quæ in media sacelli ejusdem parte extabat, conditus est: ex quo loco, dum postea sacellum ipsum destrui contigit, translatus est, & post musicale organum, & inde demum anno 1606. inter recensita aliorum Pontificum sepulchra in Vaticano depositus fuit.

Pius II. Pius Secundus, qui Anconæ, anno 1464. die 14. Aug. decesserat, Vaticano illatus est. Romam enim ejus corpus delatum, post sacram SS. Andreæ, & Gregorii Aram in veteri Basilica, marmoreo ibi monumento honorificentissime extructo, humatus est: quo tandem diruto, corpus pariter sub novæ pavimentum Basilicæ translatum fuit. In eodem autem monumento hujusmodi olim inscriptio legebatur:

PIUS SECUNDUS PONT. MAX.
NATIONE TUSCUS, PATRIA SENENSIS,
GENTE PICCOLHOMINEA.

Hic S. Andreæ Apostoli capite, nobilissimo thesauro, Urbem ac Vaticanam Basilicam locupletavit.

Paulus Secundus, anno 1471. die 25. Julii in marmoreo pariter monumento conditus, ipse quoque demolitionis causa sub idem pavimentum alios inter Pontifices translatus est. Paulus II.

Sixtus Quartus, anno 1484. die 12. Augusti in ipsius sacelli medio, ubi sacrum olim Canonicale Odeum extabat, ad lævam introeuntibus, depositus est: ibidemque Julianus tit. S. Petri in Vinc. S. R. E. Cardinalis, ejusdem Sixti ex fratre nepos, monumentum æneum magnificentissimi operis extruxit: quod deinde una cum ejusdem corpore in veteris pariter Basilicæ Canonicorum Chorum: translatum & demum Urbano VIII. jubente amotum, quod sacris ibi functionibus impedimento esset, in sacello, quod è regione Chori ejusdem situm est, modo servatur.

Innocentius Octavus, anno 1492. die 25. Julii prope Altare à se erectum, ad dexteram intrantibus, in monumento itidem æneo tumulatur, cui ejusdem ad vivum superpositum est simulacrum, dextera lanceam manu tenentis; quod quidem in sacratissimæ memoriam Lanceæ præstitum est, qua venerandum Christi Domini latus Longini manu reseratum fuit, à Bajazette Turcarum Imperatore, tanto Pontifici dono transmissæ. Quod quidem nobilissimum monumentum una cum eodem simulacro ad hanc usque diem in navi ejusdem Ecclesiæ nuper in amplissimam formam exædificatæ ad sinistram introeuntibus, apparet. Inno. VIII.

Alexander Sextus, anno 1503. die 18. Aug. in sacello Callisti Tertii patrui sui, in eadem ædicula, de qua supra dictum est, conditus, cum eodem pariter sub idem pavimentum translatus est. Alexan. VI.

Pius Tertius, eodem anno 1503. die 18. Octob. juxta Pium Secundum patruum suum, marmoreo reclusus monumento, inde postmodum translatus alios inter Pontifices sub novæ Basilicæ pavimento depositus est. Pius III.

Julius Secundus anno 1513. die 27. Feb. in Vaticana Basilica (cujus decorem apprime dilexerat, & cujus extructioni piam manum admoverat) in Canonicorum Choro, juxta Sixtum Quartum patruum positus, inde quoque sub pavimentum ejusdem Basilicæ translatus est. Julius II.

Leo Decimus, anno 1521. die 2. Decembris primum in Vaticano sepultus, ac demum ad Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam translatus est. Leo X.

Adrianus Sextus optime utique meritus de Ecclesia Pontifex, anno 1523. die 14. Sept. in Vaticano prope Altare SS. Andreæ & Gregorii, inter Pii Secundi & Tertii monumenta depositus est: sed postea ad Ecclesiam S. Mariæ de Anima nuncupatam, nationis Germanorum, translatus, nobili pariter sepulchro, ac sepulchrali titulo decoratus est. Adrian. VI.

Clemens Septimus, anno 1534. die 25. Septembris in Vaticano primum cæteris Pontificibus aggregatus, inde postea ad Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam translatus est. Clem. VII.

Paulus Tertius sapientissimus inter Romanos Pontifices anno 1549. die 10. Novemb. senio ac laboribus pene consumptus decessit, & in veteri Vaticano Templo primum positus, deinde anno 1574. in novam Basilicam, quæ tunc extrui cœperat, translatus est: cui magnificentissimum quidem ab Alexan- Paulus III.

Alexandro Cardinali Farnesio ejus ex fratre nepote monumentum excitatum est, affabre ejusdem ex ære confectum intuentibus simulachrum exhibens, quod demum Urbani VIII. Summi Pontificis jussu, ad dexterum majoris apsidis latus, è regione monumenti, quod ipsemet Urbanus sibi vivens ponendum curaverat, collocatum est.

ulius III. Julius Tertius post celebratum quinquagesimi supra quingentesimũ ac millesimum jubilei annum, anno 1555. die 23 April. in lateritio quodam tumulo inter Pii Secundi & Tertii sepulchra deponitur; inde sub novi Templi pavimentum transfertur.

arcel.II. Marcellus Secundus anno 1555. die prima Maji sepulchro marmoreo reconditur, in ejusdem Basilicæ navi, quæ sanctissimi olim Sudarii nuncupabatur: quo ex loco recurrente anno 1606. die xv. Octob. sub novæ Basilicæ pavimentum translatus, altera ibidem marmorea urna exceptus est.

ulus IV. Paulus Quartus anno 1559. die 18. Augusti in Basilica Vaticana cæteros inter Pontifices depositus, & paulo post ad Ecclesiam sanctæ Mariæ supra Minervam, ubi Carasensium familiæ sacellum extat, in marmoreum sepulchrum Pii V. jussu paratum digne illatus est.

us IV. Pius Quartus, anno 1565. die decima Decembris in Vaticano juxta Sacellum Innocentii Octavi depositus, inde ad sanctæ Mariæ vulgo Angelorum in Thermis ecclesiam anno 1583. die 4. Ianuarii translatus est.

s V. Pius V. sanctissimus Pontifex cæteros omnes prædecessores virtutum merito, pietatis ardore, ac vitæ innocentia æmulatus, de Ecclesia Dei optime meritus, dierum ac meritorum plenus obdormivit in Domino, anno 1572. die prima Maji, & juxta Altare SS. Andreæ & Gregorii, nec non Pontificum Pii Secundi, & Tertii sepulchra depositus est; inde ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ ad præsepe translatus, in augustissimo Sixti Quinti Sacello, quod Christi Servatoris nostri cunabulis dicatum est, splendido monumento, Sixti Quinti liberalitate eidem erecto, conditus fuit.

g. XIII. Gregorius Decimustertius, piissimus inter Pontifices, ac singularis erga pauperes munificentiæ, anno 1585. die x. Aprilis in Sacello à se mira Pontificii animi celsitudine exstructo, quo novam Vaticanam Basilicam illustraverat, sepultus est.

us V. Sixtus Quintus rerum gestarum gloria conspicuus, & magnanimi principis laude nemini secundus, anno 1590. die 27. Augusti, in lateritio quodam tumulo Vaticanam apud Basilicam deponitur; inde verò ad sanctæ Mariæ Majoris Ecclesiam translatus, in Sacello, quod regali plane sumptu, ac miro artis studio vivens construxerat, è regione sepulchri Pii V. honorifice reconditur.

VII. Urbanus VII. brevis Imperii Pontifex, eodem anno 1590. die 27. Septemb. lateritio pariter tumulo, in navi sanctissimi Sudarii appellata, depositus, sub novæ Basilicæ pavimentum aliis aggregatus Pontificibus quiescit. Inscriptio autem hujusmodi à Sodalitate sanctissimæ Virginis Annunciatæ, quæ ab eodem ex testamento hæres nuncupata fuerat, grati animi ergo apposita est:

aphe hro VII. ota.

HOC PLUMBEO LOCULO CONDITUM EST
VENERABILE CORPUS
D. URBANI PAPÆ SEPTIMI ROMANI
EX FAMILIA CASTANEA, PONT. MAX.
QUI SEDIT IN PONTIFICATU
DIES DUODECIM: MIGRAVIT AD
DOMINUM XXVII SEPT. FERIA QUINTA,
HORA DUODECIMA, ANNO M.DXC.
NON SINE MAXIMO URBIS DOLORE,
ANTE SUÆ CORONATIONIS
INSIGNIA. VIXIT. ANNOS LXVIII.
MENS. I. DIES XXIII.
HIC IN PACE DEPOSITUS EST.
SODALITAS DEIPARÆ VIRGINIS
ANNUNTIATÆ SUPRA MINERVAM EX
TESTAMENTO HÆRES OPTIMO
BENEFACTORI POSUIT,
ET E VETERI IN NOVAM BASILICAM
TRANSFERRI CURAVIT,
ANNO MDCVI. DIE XXII. SEPTEMBRIS
PAULI V. PONTIFICATUS SECUNDO.

Gregorius Decimusquartus, anno 1591. die xv. Octob. apud Vaticanum in Gregoriano Sacello, è regione sepulchri Gregorii Decimitertii depositus est. Greg. XIV.

Innocentius Nonus eodem anno 1591. die 30. Decembris lateritio item tumulo, inter ossa Marcelli Secundi, & Urbani Septimi conditus: inde postea translatus, plumbea inclusus arca, & sarcophago marmoreo munitus, sub pavimento una cum aliis Pontificibus requiescit. Innoc. IX.

Clemens VIII. Pont. optime de Ecclesia meritus, singulari prudentia ac sapientia præditus, ac vitæ innocentia & religionis propagandæ studio præstans anno 1605. die 3. Martii in nova Vaticana Basilica, sinistra ingredientibus, tumulo depositus est, & proximis abhinc annis, ad Liberianam Basilicam translatus, cui Paulus V. grati animi gratia nobilissimum in Burghesiano Sacello sepulchri locum præparaverat. Clem. VIII.

Leo Undecimus magnæ pietatis ac prudentiæ vir, brevi quidem tempore Romano Pontificatu administrato, præter spem, quam omnium animis ingentem sui excitaverat, non absque civium Romanorum lacrymis è medio tollitur, eodemque anno 1605. die 27. Aprilis in eadem Vaticanæ Basilicæ navi sepultus, è regione Clementis VIII. cui quidem meritissimo Pontifici par ejus meritis sepulchrum nunc erigendum curavit Cardinalis Ubaldinus ejus ex sorore nepos. Leo XI.

Paulus V. Romanus Pontifex, justi, rectique amantissimus, mira vitæ ac morum innocentia præditus, sub quo aurea tam Urbi, quam Orbi propemodum sæcula illuxere, post longum Pontificatus decursum decessit anno 1621. die 28. Ian. & in nova Vaticana Basilica, quam ille magna ex parte, ut diximus, magnificentissime exstruxerat, sacra quoque beatissimi Petri Confessione regio plane cultu exornata, depositus est, anno verò sequenti, solemni pompa, & publica totius cleri supplicatione, ad S. Mariæ Majoris Ecclesiam in sacellum à se splendide, munificeque exstructum deportatus, ibidem conditus fuit. Paulus V.

Gregorius Decimusquintus meritorum gloria cæteros inter Pontifices merito & ipse recensendus anno 1623. die 7. Julii in eadem Basilica primum depositus, postmodum verò translatus est ad Collegii Romani Societatis Jesu Ecclesiam, reponendus ibidem in augustissimo Templo, quod S. Ignatio Loyolæ ejusdem Societatis Fundatori Ludovicus Cardinalis Ludovisius nepos magnificentissimo quidem opere, ac regio plane sumptu extruendum testamento mandarat. Quod ad hæc nostra tempora majori jam ex parte absolutum, completumque suspicitur, dignum plane sanctissimo Patriarchæ ejusque meritis ac nomini, qui Dei gloriam, vel hac una in re ambitiosissimus perpetuo quæsivit, illa tum corde, tum ore impressa jugiter verba præ se ferens: *Ad Majorem Dei Gloriam*, dignum, inquam, in Urbe & in Orbe theatrum. Greg. XV. Templum S. Ignatio Loyolæ in Urbe erigitur.

Demum Urbanus Octavus, qui postremis hisce tem- Urb. VIII.

Basilicam Vaticanam ornat.

temporibus Ecclesiæ præfuit, post longum Pontificatus decursum, quem nullus Pontificum tercentis abhinc annis æquavit, Vaticanam Basilicam summo jugiter studio excoluit: in primis enim sacram B. Petri Confessionem, cæteros sanctissimos prædecessores Pontifices æmulatus, nobilissimo Mausoleo ex ære Corinthio, auro super induto decoravit, statuisque ac multiplici ornamentorum genere universam templi faciem mirifice locupletavit. Et cum eandem Basilicam, quam primum Constantino Principe B. Silvester dicaverat, à Pontificibus prædecessoribus jam multis abhinc annis penitus instauratam solemni ritu, in hoc etiam munere, ut in diuturni Pontificatus decursu eidem B. Silvestro consors, consecrasset, tandem die 29. mensis Julii anno 1644. è vita decedens, in Vat. Basilica, in tumulo, quem sibi vivens ad Ecclesiæ apsidem juxta Pauli III. sepulchrum splendide extruxerat, appositus est. Sed sepulchralis loco tituli Vaticanæ Basilicæ cultum, splendoremque ab eodem Urbano mirifice vario ornamentorum genere propagatum, ipse lector ex notis hisce, quæ in Vaticanis parietibus trophæorum instar marmori inscriptæ sunt, intelliget, videlicet:

Inscriptio ornamenta Basilicæ Vat. ab Urban. VIII. addita indicans.

URBANUS VIII. PONT. MAX.
VATICANAM BASILICAM
A CONSTANTINO MAGNO EXTRUCTAM
A B. SILVESTRO DEDICATAM,
IN AMPLISSIMI TEMPLI FORMAM
RELIGIOSA MULTORUM PONTIFICUM
MUNIFICENTIA REDACTAM
SOLEMNI RITU CONSECRAVIT
SEPULCHRUM APOSTOLORUM
ÆNEA MOLE DECORAVIT.
ODEUM, ET SACELLA
STATUIS AC MULTIPLICIBUS OPERIBUS
ORNAVIT.

Et hæc de Romanis Pontificibus, qui tumulati apud S. Petrum Vaticani splendorem Templi condigno honore cumularunt, lectori breviter exposuisse sit satis.

Innocentius X. Pont. Max. Vat. Basilicæ exornandæ ultimam veluti manum admovet.

Nec verò Innocentius Decimus Pontifex Max. qui nunc in Petri Sede feliciter regnat, prædecessorum in Vaticana exornanda Basilica studiosissimus æmulator, suam tanto operi magnificentiam, in cujus constructione sæcula desudarunt, & quod sæculorum omnium miraculum est: haud suam, inquam, Basilicæ manum, liberalitatemque deesse passus est. Nam ipse quod cæteri Pontifices splendide incœperant, feliciterque tot annorum curriculis prosecuti fuerant, veluti perficiens, ne quid posthac desiderari contingat, suprema novissimæ Templi ejusdem fabricæ ornamenta conquisivit, dum Vaticanos hinc inde parietes, qui Sacella ambiunt, aptatis è vario colore marmoribus, miroque artis studio in unum compactis obtexit: ibique trophæorum instar, venerandas beatorum Pontificum, qui martyrii palma præfulgent, imagines marmori insculpendas curavit: ac demum Basilicæ ejusdem pavimentum versicolorato marmore substravit; ut recurrente hoc nimirum Jubilei anno quinquagesimo supra millesimum, sexcentesimum Vaticani Templi decus, & gloria omnibus fere numeris absoluta perennes Apostolorum in Vaticana triumphos nationibus ex toto terrarum orbe in Urbem confluentibus inculcet, venerationem ingerat, & intuentium oculis incomparabilem Pontificum Romanorum munificentiam tot notis, quot monimentis, perpetuo loquatur, & obtestetur. Illud postremo loco vel obiter subtexere visum est, quod & studiosum lectorem Ecclesiasticarum rerum antiquitati inhiantem latere noluimus: Innocentius enim prænominatus Pontifex, ut uno eodemque tempore, & exornandæ Basilicæ, & antiquitati simul prospiceret, eidem pavimento Rotam illam Porphyreticam, veluti nobile monimentum, restituendam curavit, cujus in cæremonialibus libris sæpe mentio recurrit, dum de Romanorum Imperatore coronando agitur: super hanc quippe porphyreticam Rotam coronandus sistebatur, ubi precibus ab Episcopo Cardinali solemniter repetitis, ad sacrum Confessionis Apostolicæ locum ducebatur. Hujus Rotæ in Paschalis Papæ gestis fit mentio: eundem enim Pontificem intra Vaticanam Basilicam Henrici dolis interceptum, supra eundem orbicularem lapidem vinculis quondam alligatum fuisse narratur. In Caroli item Magni Imperatoris diplomate Rota porphyretica veluti res notissima celebratur, cum dicitur: *Ad quatuor rotas*. Sed de his hactenus.

Interiores parietes vario colore marmore vestit.

Vastissimum pavimenti æquor marmore item eleganter substernit.

Rotam Porphyreticam suo loco restituendam curavit.

CAP. IX.

De Imperatoribus ac Regibus, qui apud Vaticanum sepulturæ traditi sunt.

Splendor ac gloria Basil. Vaticanæ.

1 QUantus Vaticanæ Basilicæ olim splendor extiterit, vel ex hoc palam, amice lector, comprobari videtur, quod præclarissimi Reges, ac Orbis terrarum Imperatores, singuli certatim ejusdem ambitu, hac una quidem in re ambitiosissimi, illustrari præoptarent, & Apostolici Templi obsequio se totos eum in modum addicerent, ut suamet corpora, nobilissimas veluti Piscatoris exuvias, & coronas, ac sceptra, trophæorum instar Apostolorum Principis tumulo suspendentes, aggregari voluerint. Quo quidem divinum illud oraculum adimpleri videretur: *Et Reges terræ afferent gloriam suam, & honorem in illam.* Ita plane, quod de Ecclesia Christi Sponsa loquendo prænunciatum est, id Vaticanæ Basilicæ mirifice consonat: in quam profecto ipsi terrarum Principes singularem honoris prærogativam refundere visi sunt, dum juxta Piscatoris tumulum tumulari cupientes, Vaticano Templo honorem non tam afferre, quam accipere, & à Piscatoris consortio illustrari se potius, quam eidem splendorem inferre testantes, se, regna, ac sua pariter omnia una cum corporibus suis, quæ inferebantur, se ultro illi accepta referre hoc patentissimo symbolo edocebant.

Principes mundi in ea tumulari ambiunt.

Apoc. c. 2[1]

2 Ipsimet igitur augustissimi quondam monarchæ, ac potentissimi Reges, qui purpuram, coronas ac stemmata ad Petri pedes, dum viverent, venerationis ergo humillime deponebant, sua itidem corpora ad ejusdem Principis Apostolorum sepulchrum, si quando in Urbe eis mori contigisset, tanquam victoriales populorum exuvias, & nobilissima trophæorum insignia deponenda mandarunt. Magno etenim hi se honore affici existimabant, si vel in ipsis Basilicæ Vaticanæ vestibulis sepulturæ locum obtinuerunt. Et certe, *Constantius Augustus*, ut ait Chrysostomus, *Constantinum Magnum ingenti se honore affecturum existimavit, si in vestibulis collocaret Piscatoris* (intellige de Templo Constantinopolitano) *quod enim in regiis janitores sunt Regibus, id in sepulchro Reges sunt Piscatoribus*, inquit ipse; *& præclare secum agi putant, si janua ipsis assignetur vestibularis.* Hæc ad rem nostram in Apostolicarum gloriam Basilicarum Chrysostomus.

Constantius patrem Constantinum in vestibulo templi S. Petri posse humare gloriæ sibi duxit.

Chrysost. hom. 26. in

3 Imperatores igitur, Reges, ac Reginæ pariter,

Imperatores, quorum corpora in Basil. Vatic. sepulta sunt

ter, quibus extremum Romana in Urbe diem claudere datum est, haud splendidiore loco, quam in Vaticano conditi fuere, ut exemplis quamplurimis comprobatum est, quorum hic quidem ex ordine seriem texere, ac singulorum nomina recensere haud nobis grave nec ipsimet lectori percurrere molestum videatur. Siquidem Honorius Augustus, Theodosii senioris filius, & Arcadii Germanus, qui Romæ anno Christi circiter 423. obiit, in Mauseolo quodam, in atrio Vaticanæ Basilicæ sepultus fuit, ut Paulus Diaconus his verbis edocet: *Honorius annis quindecim cum imperasset, & jam cum fratre antea annis tredecim, ac sub patre duobus regnasset, Rempublicam, ut cupierat, pacatam relinquens, apud Urbem Romam vita exemptus est; corpusque ejus juxta B. Petri Apostoli in Mauseolo sepultum est.* hæc ille

Honorius Augustus.

Paul. Diac. hist. miscell. lib. 4.

4 Valentinianus item Augustus, qui Romana in Urbe apud Campum Martium insidiis, ac Maximi Tyranni dolo interemptus fuerat, perhonorifice in Vaticano conditus fuit.

Valentinianus Augustus.

5 Otho Secundus, qui Romæ pariter vita functus est, anno Christi 983. & ipse in Vaticanæ Basilicæ atrio, porphyretico quodam labro depositus est: de quo hæc Leo Ostiensis in Chron. Cassinensi: *Ipse ad colligendum militem, bellumque instaurandum Romam rediens, eodem tempore defunctus est, atque in labro porphyretico sepultus in atrio Ecclesiæ B. Petri Apostoli, introeuntibus in Ecclesiæ ipsius paradisum, ad lævam.* Quod quidem labrum nostra etiam ætate eodem permansit loco, quousque veteri atrio penitus disjecto, in novam translatum Basilicam, sub pavimento collocatum est.

Otho II. Imperator.

Leo Ostiens. in Chron. Cassin. lib. 2. c. 9.

6 Quod vero Imperatores antiquitus in ipsis sacrarum ædium atriis sepulturam sibi deligere consueverint, ut ibidem quasi janitores ac ostiarii ad templi custodiam perpetuo excubarent, satis utique, ut opinor, in jam citato de septem Ecclesiarum sacris monumentis libello, quem Severanus noster edidit, demonstratum est.

In atriis templorum Imperatores olim sepeliebantur

7 Ceduàlla Saxonum occidentalium Rex, cum Romam devotionis gratia ad Apostolorum limina venisset, ibi sacro initiatus Baptismate, & in honorem B. Petri, ipsummet beatissimi Apostoli nomen adeptus, dum adhuc, ut antiquis Christianis mos erat, in albis degeret vestibus, in sanguine Agni dealbatus feliciter ad Deum migravit, ibique in atrio, ut Beda testatur, sepeliri voluit, hoc nobili sepulchrali titulo decoratus

Ceduàlla Saxonum Rex in Vaticano sepelitur.

Beda hist. lib. 5. c. 7.

Epitaphium Ceduallæ.

Apud Bar. to. 8. an. 682

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuvias, proceres, mœnia, castra, lares.
Quæque patrum virtus, & quæ congesserat ipse
Cedual armipotens liquit amore Dei:
Ut Petrum, sedemque Petri Rex cerneret hospes,
Cujus fonte meras sumeret almus aquas.
Splendificumque jubar radianti carperet haustu,
Ex quo vivificus fulgor ubique fluit.
Percipiensque alacer redivivæ præmia vitæ,
Barbaricam rabiem, nomen & inde suum
Conversus convertit ovans, Petrumque vocari
Sergius Antistes jussit ut ipse pater
Fonte renascentis, quem Christi gratia purgans,
Protinus albatum vexit in arce poli.
Mira fides Regis, clementia maxima Christi,
Cujus consilium nullus adire potest.
Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes per freta perque vias.
Urbem Romuleam vidit, templumque verendum
Aspexit Petri, mystica dona gerens.
Candidus inter oves Christi sociabilis ibit:
Corpore nam tumulum mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
Quem regnum Christi promeruisse vides.

Hic depositus est Ceadualla, qui & Petrus, Rex Saxonum sub die duodecimo Kalendarum Majarum, Indictione secunda, qui vixit annos plus minus triginta. Imperante Domino Iustiniano piissimo Augusto, anno ejus Consulatus Quarto. Pontificante Apostolico Viro Domino Sergio Papa secundo.

8 Conredus item Merciorum Rex, Christi amore succensus Regno se abdicans, cum ad limina Apostolorum devotionis gratia accessisset, ibidem à Constantino Papa benigne, ac perhumaniter acceptus, haud in patriam regredi voluit, sed intra monasterii claustrum juxta Basilicam Vaticanam humiliter se recipiens, ipse quoque post vitæ bonis, ac sanctis operibus excultæ cursum feliciter Romæ peractum, paupertate dives, ac meritis plenus, apud S. Petrum (quod semper in votis habuerat) sepulturæ locum obtinuit.

Conredus regno se abdicat.

In monasterium juxta Basilic. Vat. se abdit.

Et in Vaticano sepelitur.

9 Alii duo pariter dignissimi Saxonum Reges, quorum unus Offa appellabatur, cum ad sacra itidem Principis Apostolorum limina suis è regionibus se transtulissent, Romæ paulo post religiosissime vita functi, in Vaticana Basilica conditi fuere.

Offa item Saxonum Rex.

10 Præmemoratis Regibus pari virtutum laude adhæsit Ina Anglorum Rex, qui Ceduallæ, aliorumque vestigia æmulatus, ipse quoque Regno se abdicans, & Romam ad invisenda Apostolorum limina veniens, cum prius Regnum suum B. Petro tributarium fecisset, & annuum obolum per singula familiarum capita persolvi demandasset, mundo abrenuntians, intra monasterii septa apud S. Petrum factus ex Rege monachus privatim degere sustinuit: ubi post vitam miris virtutibus excultam, in Cœlum evolavit, & apud S. Petrum, apud quem vixerat, sepulchrum, quod concupierat, adeptus est. Sed interim pro sepulchrali lapide hæc ex Baronio subjiciamus: *Rex Occidentalium Saxonum sanctorum Regum prædecessorum suorum insignis pietatis æmulus, nolens illis se degenerem demonstrare, perpetuo pietatis monumento erga Romanam Ecclesiam, fidem suam voluit reliquisse testatam &c. Iste vero antequam Regno se abdicaret, voluit illud Ecclesiæ Romanæ vectigal jure perpetuo constituere, ut domus singulæ singulos denarios annuatim S. Petro solverent, sic devincire populum suum studens, ut annui census pensitatione cognosceret se subditum S. Petro, cujus & fidem firmam, illibatamque jugiter conservaret, &c. Ina nomen fuit huic Regi maxime pio: cujus uxor Regina nomine Eldiburga, licet in sexu fragili, haud imparem fortitudine viro suo se exhibuit; dum & ipsa de contemptu mundi egregium specimen dedit: monasticam siquidem vitam amplexa perpetuo se ergastulo mancipavit.* hæc Baronius, quibus hæc addit: *Mirandum autem illud accidit, quod ubi cessavit pendi vectigal, utcumque male redemptum, hæresum alluvione Anglicana Ecclesia absorbetur.*

Ina Rex Angliæ limina Apostol. visitat.

Regnum suum B. Petro tributarium reddit

Monachum induit.

In Vatican. sepelitur.

Bar. an. to. 9. an. 746.

Et uxor ejus Eldiburga perpetuo monasterii ergastulo se mancipavit.

Ut Anglia vectigal S. Petro pendere desiit ut fides, illic periit.

11 Maria Stiliconis filia, & Honorii Imperatoris sponsa, de qua fuse in suis annalibus Baronius agit, dignas ejusdem laudes recensens, præsertim Annal. Tom. V. cum satis laudabiliter extremum vitę diem clausisset, in eadem pariter B. Petri Basilica sepulturæ locum, tanquam optatissimæ quietis portum, consecuta est: cujus sepulchrum anno 1544. die 4. Februarii, dum sacrum Beatæ Petronillæ Templum ob novam Vaticani Templi constructionem demoliri contigit, ingenti omnium gaudio ibidem re-

Maria Honorii Imp. sponsa in Vaticano sepelitur.

 pertum

Ejus corpus pretiose exornatum reperitur.

pertum fuit. Extabat arca marmorea, altero circumdata marmore, ac circumsepta pariete, in qua ejus corpus aureis indutum vestibus inspicere dabatur: caput vero involucris pluribus, & aureo itidem velo obvolutum: consimili facies tegmine cooperta apparuit. Prolixior utique nobis sermo adhibendus esset, si gemmæ, crepundia, aliaque id genus ornamenta quamplurima cum corpore ibi reperta; describenda essent: quæ quidem ipsamet fuisse munera eidem ab Honorio Augusto sponso transmissa facile sibi quisque suadere potuit: de quibus Claudianus, cum de faustissimis Honorii, & Mariæ nuptiis loquitur, hæc eleganter cecinit:

Claud. de Nupt. Hon. & Mar.

——— Iam munera Nuptæ
Præparat, & pulchros Mariæ, sed luce minores
Eligit ornatus, quidquid venerabilis olim
Livia, divorumque nurus gessere superbæ.

Lucius Faunus de nupt. Honor. & Mar.

Eadem Lucius Faunus enumerat, & in M. S. Julii Herculani Cod. descripta habentur. Id porro Lectori exposuisse sit satis, ad magnificentissimam regii augustique cadaveris pompam dignoscendam: aurea autem ornamenta hæc igne conflata, ad 40 auri pondus redacta sunt.

Termantia Augusta

12 Termantia quoque Augusta, ejusdem Mariæ soror, & Stiliconis filia, eidem Honorio Imperatori post Mariæ obitum nupta, sed virgo etiam, ipsa feliciori reservata thalamo, paulo post decedens, ut Ammianus Marcellinus, Zozimus, & alii nonnulli asserunt, in Vaticano, condigna funerum pompa, condita fuit.

Ammianus Marcellinus Zozimus de Honorio.

Agnes Imperatrix.

13 Agnetem Henrici Secundi Imperatoris uxorem apud Vaticanum in celebri beatæ Petronillæ mausoleo sepultam ejusdemmet sepulchrum, quod ibi hujusmodi inscriptum titulo, prænotatumque reperiri contigit, liquido testatur:

Epigraphe sepulchro Agnetis Imperatricis inscripta.

ANNO MLXXVII. AB INCARNAT.
DOM. NOSTRI JESU CHRISTI;
INDICTIONE PRIMA, ANNO V.
PONTIFICATUS D. GREGORII PAPÆ VII.
AGNES IMPERATRIX AUG.
POST MORTEM VIRI SUI
HENRICI IMP. II.
ANNO XXII. DIE XIV. MENS. DEC.
ANIMAM BONIS OPERIBUS FOECUNDAM
LATERANIS SALVATORI SUO,
ATQUE OMNIUM BONORUM
DEO AUCTORI REDDIDIT;
ET HIC UBI ANTEA MILITAVERAT
CLAVIGERO CÆLI PRO CUJUS
AMORE IBIDEM PEREGRINATA
FUERAT QUINTA DIE MENSIS JANUAR.
EXSPECTANS SPEM
BEATÆ RESURRECTIONIS,
ET ADVENTUM MAGNI DEI
MEMBRA CARNIS COMMENDAVIT
IN PACE, AMEN.

Agnes Augusta Romam ad limina Apostolorum venit.

Baron. t. 11 an 1062. n. 86.

14 Sed quoniam præclaræ fœminæ opportunus hic sermo incidit, repete quæso, lector, quæ Baronius in suis Annalibus Ecclesiasticis anno Christi 1062. enarrat his plane verbis: *Hoc eodem anno ad finem dilabente pervenit Agnes Augusta Romam ad Limina Apostolorum, illic perpetuo permansura. Ita quidem casuum varietate mirum in modum agitata sapienter vitam instituit, ut sese totam divino obsequio manciparet; quod didicisset illud esse vere regnare, cum Dei servitute se, ipsi inhærendo, spontanee subjugaret, illud Propheticum mente retinens, ac ore concinens: Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exspectabo eum, &c.* De causa autem ejus adventus in Urbem multa ad rem subdit, quæ nos infra, videlicet: *De ipsa enim hæc habet B. Presbyter Pœnitentiarius in S. Anselmi Lucensis Episcopi rebus gestis: Huic nefariæ præsumptioni Cadaloi mater ejus Agnes Imperatrix interfuit; quæ S. Spiritus illustratione compuncta, apud ipsum Papam Alexandrum confessionem postmodum fecit, pœnitentiam accepit. Huic præ cæteris injunctum est, quatenus Romæ moraretur, ibique S. Petro vigiliis, orationibus, & jejuniis satisfaceret, ac prodesset Ecclesiæ consiliis, & auxiliis, prout valeret.* hæc ipse. Quæ quidem ab ipsa abundantissime præstita esse, quæ dicentur inferius, docent. De ejusdem vero abrenuntiatione sæculi extant S. Alphani Archiepiscopi Salernitani hujus temporis auctoris hi duo versus in prece metrica:

Præstantius quam antea serviendo Deo, regnare didicit.

Causa ejus Romam profectionis.

Deprecor Agnetis Reginæ fac memor ut sis,
Quæ regum Regi seque suumque dedit.

15 *Sic igitur*, inquit Baronius, *mentis firmato consilio, stabilitoque de sæculi hujus abdicatione proposito, festine in Urbem advolat, ut offerat Piscatori, quod acceperat Imperium à Piscatore, receptura cum fœnore a Christo cælestia Regna permansura perpetuo. Sed quæ de ipso Lambertus ejusdem temporis scriptor habet, rem à principio repetens, accipe: Imperatrix nec filium sequi, nec injurias suas jure gentium expostulare voluit, sed in propria recedens, privatè deinceps ætatem agere disposuit. Nec multo post tædium passa ærumnarum sæculi, domesticis quoque erudita calamitatibus, quam cito, & velociter exsufflante Spiritu Dei exsiccetur fœnum temporalis gloriæ, cogitavit sæculo renunciare, statimque ad explendum quod cogitaverat præceps abiisset, nisi in ea impetum spiritus, amici maturioribus consiliis inhibuissent.* Hæc ipse. At de profectione Romam ad Limina Apostolorum Sigebertus hæc habet: *Imperatrix necessitatem vertens in voluntatem, ut obstrueret os loquentium de se iniqua, non solum honore Regni, sed etiam honore sæculi rejecto, Romam ad Limina Apostolorum se contulit, ibique usque ad finem vitæ omnibus bonis exemplo, & miraculo fuit.* His ex Sigeberto enarratis subdit Baronius, quod Romam piissima Regina veniens, ibi Petrum Damianum Ostiensem Episcopum magni nominis, & sanctitatis virum nacta, in loco, qui dicitur Confessio B. Petri Apostoli, confessionem suorum omnium peccatorum fecerit, ut testatur idem ipse Petrus in Epistola ad ipsam postea scripta his plane verbis: *Sed ut hi*, inquit, *qui ad limina Apostolorum confluunt, sanctæ devotionis tuæ salubriter imitentur exemplum, sub arcana quoque B. Petri Confessione ante sacrum altare me sedere fecisti, ac per lugubres gemitus, & amara suspiria ab ipsa quinquennii infantia tenera adhuc, & nuper ablactata cœpisti, & tanquam illic ipse B. Apostolus corporaliter præsideret, quidquid subtile vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare visceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea subrepere potuit in sermone superfluum, fidelibus est relationibus evolutum. Ad quod mihi visum est, ut nullum aliud pœnitentiæ pondus injungerem, ut illud divinæ legationis oraculum iterarem: Age, quod agis, operare, quod operaris, &c.* Hæc Petrus Damianus in sua à Baronio recensita Epistola, in qua quot verbis, tot monumentis præclaræ fœminæ pia studia posteritati commendat.

Consilium de hoc sæculo abdicando init.

Romæ omnibus exemplo & miraculo est

Ejus sub B. Petri Confessione ab infantia admissorum generalis confessio.

16 Quam vero impense mulier hæc sanctissima Vaticanam jugiter Basilicam coluerit, ad quam venerat, & à qua vix ulla ratione divelli posse videbatur, cum dies, noctesque in ea frequens fundendis Deo precibus insisteret; testis est præmemoratus Petrus Damianus, qui miram Augustæ fœminæ pietatem, religiosumque animi studium conceptis verbis summopere commendans, ad eandem, dum Roma postmodum gravissimis de causis abscessisset,

Ingens Agnetis Augustæ in frequentanda Basil. Vat. pietas ac religio.

B. Pe-

fiſſet, epiſtolam hanc ſcripſit, quam veluti digniſſimum meritorum incomparabilis hujuſce fœminæ monimentum hic Lectori ob oculos ex Annalibus excerptam proponere voluimus.

ron.to. 11 . 1056.n.

DOMINÆ SUÆ AGNETI IMP.
Petrus Peccator monachus ſervitutem.

17 *Vix referre ſufficio, quanto cor meum mœrore confunditur, dum reditus veſtri lætitiam ſuſpenſis quotidie viſceribus præſtolatur. Heu me! cur itineris veſtri vecors & ſtolidum aſſenſum præbui? immo cur regredienti me ipſum non violenter oppoſui? cur non equorum fræna corripui, & curſum veſtrum vel obviis manibus, in quantum licuerat, non tardavi? In veſtri plane receſſus abſentia mœret Roma, Beati Petri luget Eccleſia, & tota per ſanctos viros, ac mulieres lamentatur Italia. Tu ſiquidem velut aureum ſidus terrena quærentium videbaris illuſtrare caliginem, atque ad Deum provocans micantis exempli refundebas te ſequentibus claritatem. Et ut multa prætercam, ego quoque te procul abeſſe ſuſpiro, Romana conſpicere mœnia perhorreſco. Revertere ergo, Domina mi, revertere, teque lugentibus feſtinam redde lætitiam, qui rutilantem cæli gemmam de capite mundi Roma quodammodo ploramus avulſam. Ingerat tibi nauſeam aula regalis Imperii, ſola tuis manibus ſagena redoleat Piſcatoris, illic cum Petronilla ſimul habere te libeat ſepulturam, ut inſignis ille pater geminam juxta ſe, carnis videlicet, & ſpiritus gaudeat requieſcere filiam, &c.* Hæc Petrus Damianus Agnetem Auguſtam ſuper reditu ad Urbem compellans, & erga S. Petri Baſilicam religioſum ejus ſtudium commendans, nec non ad eligendum ſibi apud B. Petrum ſepulturæ locum gravi ſermonis pondere exhortans, quod & egregie præſtitit, ut ſcriptores paſſim teſtantur, & præcipue Bertholdus Conſtantienſis hujus temporis ſcriptor, qui hæc habet: *Agnes religioſiſſima Imperatrix tum viginti annis in viduitate Deo devotiſſime ſerviens, nec filio ſuo Henrico contra Apoſtolicam Sedem in aliquo conſentiens, Romæ requievit in pace, ſepulta Romæ in Eccleſia S. Petronillæ.* hæc ipſe. De eadem Veſpergenſis Abbas agens, hoc anno eam defunctam eſſe affirmat, ſepultamque in Eccleſia S. Petronillæ apud S. Petrum: *Quod autem,* inquit Baronius, *ipſa apud Baſilicam S. Petri commorari ſolita, ubi ſedem, ut vidimus, fixerat, in Lateranis ædibus defuncta eſſe dicatur, exiſtimare poſſumus Gregorii Papæ charitate ægrotantem ad curationem in eaſdem Pontificias ædes fuiſſe tranſlatam: plurimum enim eandem Auguſtam à Gregorio Papa gratitudinis ergo religioſe excultam, quæ jam narrata ſunt, fidem faciunt.* hæc ex Baronio in laudem Auguſtiſſimæ fœminæ expoſuiſſe ſit ſatis.

oloris in- ex Epiſto- ex Impe- tricis ab be diſceſ-

ortatio Impera- cem ut deat.

e moritur omæ, & Eccleſia Petronil- ad S. Pe- um ſepe- ur.

ron. t. 1. . 1065.

18 Carola quoque Cypri Regina, quæ & ipſa Romæ anno 1487. die 6. Julii obiit, in Vaticana Baſilica inter ſacella ſancti Thomæ & B. Virginis, ad lævam intrantibus, tumulata eſt: ibique ejuſdem ſepulchrum, hac nobili inſcriptione prænotatum apparuit.

arola Cy- Regina.

CAROLA HIERUSALEM CYPRI,
ET ARMENIÆ REGINA.
OBIIT XVI. JULII
ANNO DOM. MCCCCLXXXVII.

19 Sed ne conſpicua tantæ fœminæ merita ingrato ſilentio obvolvantur, pauca interim, quod ad ejus res geſtas pertinet, ſubtexere congruum viſum eſt. Hæc igitur à fratre, qui ex illegitimo natus fuerat thoro, per ſummam injuriam ex hæreditario regno exturbata, ad Sixtum IV. Pont. Max: ſupplex in Urbem venit, à quo paterna utique charitate excepta fuit. Ut autem in ſuo quodam manuſcripto Jacobus Grimaldus teſtatur, magnam fortunæ, ac rerum humanarum inconſtantiam experta eſt: nam dum ſolemni ritu patris obitum Regni Cypri hæreditario jure coronam ſuſcipit, ipſo coronationis die funeſtum quid, ac tetrum lætitiæ admiſcetur, corona quippe ab ejuſdem capite in terram cadens, caſurum quamcito regnum, ac principatum illi denunciavit. Sed audi Grimaldum: *Carola Luſignana Ieruſalem, Cypri & Armeniæ Regina poſt mortem Ioannis inclyti Regis patris ſui anno 1458. ingenti hominum plauſu regali throno ſublimata, more majorum ſolemni ritu coronatur. In ejus porro coronatione infauſtum fore illius Imperium, brevique caſurum portentoſum illud oſtendit: nam dum ſolemniter poſt ſuſceptum diadema equitaret, regalis corona capite ſuo in terram decidit: quod ab omnibus infelix portentum (ſicut poſtea probavit eventus) judicatum eſt, &c. Multis demum rebellionis machinis à Iacobo Ioannis præfati Regis filio naturali excitatis Soldani Ægypti auxilio, validoque Mamaluchorum exercitu derepente conflato, Aloyſius, & Carola per ſummam tyrannidem ſpoliantur, ut latiſſime narrat Stephanus Luſignanus Ordinis Prædic. hiſt. Cypr. Atque poſt multas navigationes, quas Carola ſuſcepit, tandem Sixti IV. Pontificatus initio Romam venit, ab eodemque Summo Pontifice tanta benignitate, ac munificentia ſuſcipitur, ut præ incredibili admiratione, animique gratitudine in ejuſdem Pontificis laudem prorumpens, non ſolum ſatis eloquentiæ haud ſuppeditari, verum etiam animi vires ad eas explicandas ſibi defeciſſe videri faſſa fuerit. Secuti ſunt inclytam hanc Reginam in magna fortunæ iniquitate, ſumma fide, & conſtantia nobiliſſimi aliquot Cyprenſes.* Quibus enarratis, poſtea præ nimio animi angore ſubſecutum Reginæ interitum paucis deſcribit.

arolæ Je- ſalem & ypri Re- næ caſus.

Dum inaugaratur, corona regalis infauſto omine de capite illi decidit.

Iacob. Grim. in M. S.

E ſuo Regno à fratre ejicitur.

Perfugit Romam ad Sixtum. IV.

A quo benigne ac munifice excipitur.

20 *Sereniſſima,* inquit, *& inclyta Carola in magno animi ſui mœrore illud Davidicum experta: Nolite confidere in Principibus, neque in filiis hominum, poſt immenſos labores Romæ apud Baſilicam S. Petri vitæ ſuæ curriculum ſtatuit explere, ut pro terreno cæleſte regnum conſequeretur. In hujus itaque ſacræ Baſilicæ parochia habitare voluit: & quoniam ſpiritus triſtis exſiccat oſſa, Carola ex animi mœrore in paralyſim incidit, brevique ſe morituram ſentiens, teſtamentum condidit, in quo ipſi Vaticano Templo munus pie legavit, & Vaticanæ Bibliothecæ codicem manuſcriptum nobiliſſimum non parva impenſa inſigni pictura decoratum pariter reliquit. obiit 16. Iulii 1487. hora 13. Corpus inſigni pompa in Vaticana Baſilica ſepultum fuit humi prope ſacellum Sixti IV. Vixit annos plus minus 47. Ejus ad vivum expreſſa imago cernitur hodie inter alias picturas, quas Sixtus IV. Pont. Max. in Hoſpitali S. Spiritus pingi fecit.* hæc Grimaldus.

Prope Baſilic. D. Petri habitationem ex pietate ergaApoſtolum eligit.

Morti proxima Templo Vatic. munus & Bibliothecæ librum miniatum legat: In Baſilica Vat. ſepulturæ mandatur.

21 Verum anno 1610. cum Pauli V. Pont. Max. juſſu antiqua Vaticana Baſilica pro novo & auguſtiſſimo Templo abſolvendo ad terram dejiceretur, Carolæ Reginæ ſepulchrum apertum fuit, ut habetur in publico inſtrumento rogato per ſupradictum Grimaldum; corpus ejus redactum erat in pulverem. Præclaræ hujus Reginæ alii quoque paſſim ſcriptores meminere, Genebrardus in primis in ſuo Chronico, ubi iſthæc: *Sixtus IV. Reginam Cypri aluit Carletam* (lege Carlottam) *& Catharinam Boſnæ Reginas, regnis fortuniſque omnibus ſpoliatas, & ad ſe confugientes benigne ſuſcepit, ſuaque munificentia ſublevavit.* Onuphrius item Panuinus in rebus à Sixto IV. geſtis hæc recitat: *Carletam Cypri, Catharinam Boſnæ Reginas regnis, fortuniſque omnibus ſpoliatas,*

Genebrard. in Chron.

Panuinus in vit. Sixt. IV

tas,

Volaterran.

tas, & ad se supplices confugientes benigne suscepit. Idem quoque Volaterranus, qui eodem, quo hæc, vixit tempore, testatur. Hæc in hujus Reginæ ad Petrum, & Petri successorem confugientis, & apud S. Petrum hospitio, ac tumulo tandem exceptæ memoriam hisce nostris paginis inserere voluimus.

Mathilda comitissa de Apost. Sede egregie merita.

22 Præclarissimis hisce fœminis postremo loco, jure quidem merito coronidis instar, Mathildam Comitissam subteximus, munificis erga Sedem Petri, Romanamque Ecclesiam elargitionibus inclytam fœminam, Imperatorum neptem: quæ cum in monasterio S. Benedicti prope Mantuam à se fundato sepulta quievisset, tandem anno 1635. Mantuana ditione bellorum vi, armorumque procellis misere devastata, corpus ejus Romam asportatum, & in Vaticana Basilica conditum fuit, extructo ibidem marmoreo nobilissimi operis monumento ab Urbano VIII. summo Pontifice, qui spectabilis Heroinæ memoriam in celeberrimo orbis terrarum loco, condignoque Urbis theatro, marmorea subinde erecta statua, additaque hujuscemodi inscriptione æternitati consecravit.

Marmoream illi statuam in Vaticano Urbanus VIII posuit.

Inscriptio monumento ejus appensa.

URBANUS VIII. PONT. MAX.
COMITISSÆ MATHILDI
VIRILIS ANIMI FOEMINÆ
SEDIS APOSTOLICÆ PROPAGATRICI,
PIETATE INSIGNI,
LIBERALITATE CELEBERRIMÆ;
HUC EX MANTUANO S. BENEDICTI
COENOBIO TRANSLATIS OSSIBUS
GRATUS ÆTERNÆ LAUDIS
PROMERITUM MONUMENTUM
POS ANN. MDCXXXV.

Præclara Mathildis in Ecclesiã Romanam studia. *Baron. an. 1074. n. 10*

23 Si quis autem immortalia præclaræ fœminæ merita Rom. erga Ecclesiam nosse cupit, Baronium adeat, qui undecimo Annalium tomo liberalitatis ejusdem, pietatis pariter ac sanctæ devotionis studia Romanos erga Pontifices disertis verbis inculcat. Hæc enim eum in modum Romanam Ecclesiam coluit, ut ejus causa ipsummet consobrinum Regem longe posthabuerit, Sedem Apostolicam patrimonii, quod amplissimum erat, donatione insuper cumulaverit. Sed de donatione ab eadem Mathilde Romanæ Ecclesiæ præstita Domnizo presbyter tunc vivens, & qui præsens esse potuit, hæc suis in carminibus, ut Baronius refert, cecinit:

Patrimonio suo amplissimo Ecclesiam donat.

Domnizo in carm.

Posthabuit Regem, per tres tenuit pia menses
Gregorium Papam, cui servit ut altera Martha,
Auribus intentis capiebat sedula mentis
Cuncta Patris dicta, ceu Christi verba Maria.
Propria Clavigero sua subdidit omnia Petro,
Ianitor est cœli suus heres, ipsaque Petri,
Accipiens scriptum de cunctis Papa benignus.

Sed de eadem donatione temporis ejusdem scriptor sinceræ fidei Leo Ostiensis Episcopus hæc habet:

Leo Ostiens.

Anno Dominicæ incarnationis MLXXIX. Mathilda Comitissa Henrici Imperatoris exercitum timens, Liguriam, & Tusciam provincias Gregorio Papæ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ donatione obtulit: unde in primis causa seminandi inter Pontificem, & Imperatorem odii initium fuit. Hæc in laudem munificentissimæ matronæ erga B. Petrum, & Apostolicam Sedem hic subtexere voluimus.

Ejus in B. Petrum & Romanam Ecclesiam firma fides, fervensque charitas.

24 Quo autem studio pia fœmina erga Principem Apostolorum, ejusque Successores teneretur, satis constat ex his, quæ in Epistola ad Gregorium Septimum eadem scribit: ad suæ enim fidei constantiam erga ipsum significandam illud Apostoli usurpavit: *Quod non tribulatio*, inquit, *non angustia, non fames, non nuditas, non periculum, non persecutio, non gladius, neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque creatura alia poterit eam separare à charitate Petri in Christo Iesu Domino nostro.* hæc apud Bar. At condignis pietatem ejus præconiis idem Greg. rescriptis ad eam compluribus epistolis, commendavit, quibus eam frequenter charissimam B. Petri filiam appellat. Ejusdem curam sanctissimo viro Anselmo Lucensi Episcopo injunxit, ut testis est Domnizo Presbyter jam supracitatus hisce carminibus:

Luculenter commendatur elogiis à Gregorio Papa. *Greg. lib. ep. 47. 50*

Domnizo.

Inter quos fuit reverendus Episcopus Urbis
Lucensis, lucens Anselmus maxime prudens,
Lege Dei doctus, monachus bene religiosus,
Gregorius Præsul Romanus, ut egit Iesus
In cruce, qui moriens dat discipulo genitricem,
Commisit dominam sic Anselmo Comitissam,
Quam docuit dictis, regit, exemplisque benignus, &c.

Pro tuenda Ecclesia contra Reges stat in acie pugnatque. *Domnizo.*

25 Quanta autem animi alacritate invicta mulier pro tuenda Sede Apostolica contra ipsos Reges in acie perstiterit, auctor, qui supra, testatur:

Italiam rursum spatium post temporis unum
Ingreditur; terram totam maculabat, oberrans.
Sola resistit ei Mathildis filia Petri.
Rex exardescens contra quam concitat enses,
Prælia, terrores, & castri obsidiones.
Ad nihilum pugnat: nam hæc numquam superatur.
Insuperabilia sibi sunt loca plurima fixa,
Diligitur valde, villas defendit, & arces.

Et infra:

Corde pio flagrans Mathildis lucida lampas
Adversus binos Domini Crucis hos inimicos
Arma voluntatem, famulos, gazam propriamque
Excitat, expendit, instigat, prælia gestit.

Has utique notas in Mathildis Comitissæ æternis præconiis omnium ore celebrandæ monimentum ejus tumulo honoris ergo, haud ferro insculpere, sed calamo inscribere voluimus, ut qui perlegerit, merito apud B. Petrum in Vaticana Basilica post longa annorum curricula eandem grata Romanorum Pontificum manu sepulturæ locum obtinuisse gratuletur, quæ B. Petrum Apostolorum Principem vivens summopere coluit, Romanam Ecclesiam jugiter fovit, Romanosque Pontifices impense venerata, opera, & auctoritate in emergentibus quibusvis periculis præsto semper fuit. Et hæc satis.

CAP. X.

De viris illustribus in Vatic. conditis: & de sepulchris, sepulchralibusque inscriptionibus apud Vatic. Cœmeterium existentibus.

Viri nobilitate ac fama celebres in Cæmeterio Vaticano sepulti. *Alphar. de Bas. S. Pet.*

HAud cuiquam dubium est, præter tot Summos Pontifices, Imperatores, ac Reges, quorum corpora apud Vaticanum, ut supra exposuimus, conquiescunt, quamplurimos item S. R. E. Cardinales in eadem sacrosancta Basilica sepulturæ locum obtinuisse: ut enim Alpharanus refert, permulta eorumdem sepulchra, apud sacella præsertim S. Pastoris & S. Martialis, & Innocentii quoque Tertii, sub anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto perscrutantibus videre contigit. Quamplura item in novissima veteris Basilicæ demolitione ab his, qui tunc operi præerant, detecta, inspectaque sunt, quæ sub novi deinde Templi pavimentum humanda delata fuere. Sed cum antiquorum nulla prorsus memoria extet, recentiorum vero perexigua, his omnibus. lectoris venia, hic quidem de industria prætermissis, ad conspicuos tum nobilitate, tum pietate viros, qui in eodem Vaticanæ Basilicæ ambitu conditi sunt, orationis stylum convertamus.

Illustrium familiarum sepulchra in Vaticano.

2 In Vaticano igitur, ut rem ex ordine aggrediamur, illustrium olim ac præclarissimarum quarumdam familiarum sepulchra extabant, intra quædam nimirum cubicula, ac ædiculas subterraneas miro opere exstructa; alia quoque in superiori ipsius Templi parte locata, quæ è marmore confecta, pulcherrimisque sacrarum historiarum imaginibus insculpta accedentibus contemplanda patebant. Quas inter familias præstantissima illa fuit pari pietate pollens, quæ Bassorum antiquitus nuncupabatur; de qua isthæc Prudent. contra Symmachum cecinit:

Nobilissim. Bassorum familia.

Non Paulinorum, non Bassorum dubitavit
Prompta fides dare se Christo, stirpemque superbam
Gentis Patritiæ venturo attollere sæclo.

Prud. contr. Symm. lib. 1.

Junius Bassus Urbis Præfectus.

3 Porro ex illustri hujus familiæ stipite Junius ille Bassus neophytus, atque Urbis Præfectus originem traxit; cujus celeberrimum sepulchrum, apud sacram B. Apostoli Petri Confessionem, anno 1595. repertum fuit, dum fel. rec. Clemens Octavus eandem Confessionem ejusdem sub pavimento Basilicæ instauraret, exornaretque. Hujus autem sepulchri imaginem hic lectori delineavimus.

Eximius

Eximius iste Junii Bassi Sarcophagus, cujus simulacrum hic vides, Pario quidem è marmore, opere autem Corinthio elaboratus, sacras hasce quà veteris, quà novi Testamenti historias eleganter exculptas continet.

Gen.22, 10. I. In prima superioris ordinis ædicula sese contemplantibus offert Patriarcha Abraham, qui unigenitum suum Isaac Deo in holocaustum oblaturus, stricto gladio cervicibus ejus imminet; sed ab Angelo inhibitus, arietem divinitus sibi obvium, loco ejus deinde immolat. Sacramentum scilicet Dominicæ passionis, ne nude propositum gentibus tunc scandalo esset, hac Isaaci à Patre immolandi figura, qui Christum jam tunc Victimam à Patre concessum denotabat, obumbrabant. Aries autem, dimisso Tertull. de ligno Crucis puero, in vepre cornibus hærens, mactatur: & Christus, ut Tertullianus argute differit, *inhærens cornibus Crucis*, humano genere servato, oblatus est.

c. 13. Ioan.28.25. II. Petrus, qui in Palatio Pontificis à militibus detentus, & ex loquela Galilæus, atque illico unus de discipulis Christi agnitus, Dominum suum ignave nimis, ac abjecte se nosse negat.

III. Christus Dominus medius inter principes Apostolorum Petrum, & Paulum docenti similis in solio sedere cernitur.

Matth. 27. 26. Ioan.19.16. IV. Idem Dominus à satellitibus captivus sistitur Præsidi Romanorum in Judæa Pontio Pilato, qui cum inconditis Judæorum clamoribus obtusus, stimulisque ambitionis male actus sententiam mortis insontem sciens tulisset, haud sibi iniquissimam ejus damnationem imputandam esse pro tribunali palam contestando denuncians, manus sibi vecors lavat, dicitque: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus.*



Iob. c. 2. V. In ordine Sarcophagi ejusdem inferiori exhibetur nobile illud patientiæ exemplar Jobus, in sterquilinio sedens, deformis, extenuatus, ulceribus plenus, & à Sathana male mulctatus, cui nescio quis, panem in sartagine cruce signatum ei porrigens, adstare videtur: facta forsitan allusione ad similam illam oleo frixam, quam David, Arca fœderis ab hostibus recuperata, populo partitus est. At verò admirabilem Jobi tolerantiam, & in Deum fiduciam, iis, qui in dolore, ac luctu, durissimis illis persecutionum temporibus, versabantur, in consolationem, atque exhortationem ob oculos ponebant, ut pro fide certantes, Jobum, qui vestimenta sua scidit, stetitque nudus & audax in spiritale prælium, imitarentur, & post tentationis dispendium Iob. c 42. consolationum suffragia à Domino, qui ut sacer textus ait, *addidit omnia quæcumque fuerant Iob duplicia*, successura certo crederent.

Gen. 3. 24. VI. Protoparentes juxta lignum vetitum, cui malesuadus, ac versipellis serpens tortuosis amplexibus circumvolutus exprimitur, tristi, demissoque vultu, nuditatis suæ sero conscii, & jam laboribus, ærumnisque cum tota posteritate addicti, irrevocabili illa à Deo lata sententia: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo:* quod item sculptor significatum voluisse videtur manipulo illo spicarum, qui propter Adamum conspicitur, & lanigera pecude Evæ adstante; illi scilicet in terra, quò vescatur, desudandum: huic verò ad lanam & linum, quò amiciatur, manum admovendam esse innuens.

Matth. 21. 8. VII. Christus Dominus jumento insidens Hierosolymas ovans ingreditur, cui omnis populus vestimenta sua humi substernens, cum ramis palmarum, festivisque acclamationibus lætabundus occurrit: ita ut universa sancta Civitas usquequaque personaret illo Davidico *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.*

Dan 1. 16. VIII. Propheta Daniel in lacu leonum jussu Regis Nabuchodonosoris inclusus, manibus crucis in speciem expansis, incolumis auxilio divino ex faucibus bestiarum evadit. Eodem modo Christifideles in persecutionibus divinam sibi opem affuturam, & à leone, ac catulo leonis, hoc est à Diabolo, & filiis ejus gentilibus ac Judæis sese liberandos sperabant.

Act. 12. 3. IX. Petrus Apostolus, ni fallor, ligatus in carcerem conjicitur.

Sarcophagus autem in longitudinem undecim palmos, & quartam ejus partem, in latitudinem sex, in altitudinem verò quinque & fere dimidium obtinet.

Eusebius & Hypatius Coss. sub quibus Junius Bassus obiit. Notati insuper eodem in lapide extant Consules, sub quibus vir clarissimus obiit, Eusebius nimirum, & Hypatius, quorum Consulatus incidit in annum vigesimum Constantii Augusti, & Liberii Papæ VIII. salut. 359. Hujus quoque Junii Bassi Ammianus Marcellinus meminit, qui illum sub Præfecturæ initia decessisse asserit, quamvis satis errasse in describendo obitus tempore, vel ex hoc merito convincatur, quod contigisse eundem velit sub Consulatu, qui recensitos Eusebium, & Hypatium præcessit.

Bassus Exconsul.

Persequitur Sixtum III.

4 Antiqua pariter monumenta alium quendam Bassum Exconsulem conditum in Vaticano fuisse testantur, qui videlicet una cum Flavio Antiocho Consulatum gesserat. Hic quidem infestus quondam acriter Sixto tertio summo Pontifici extiterat, quippe qui eundem apud Valentinianum Imperatorem gravissimis ultro calumniis dolose perstrinxerat; verum haud paulo post, Deo Sacerdotis injuriam vindicante, exilio damnatus miserrime obiit; quem idem sanctissimus Pontifex Sixtus, acceptarum ab eo injuriarum prorsus immemor, suismet manibus in parentum suorum cubiculo miro Christianæ pietatis affectu pariter & exemplo tumulavit, ut in conscriptis ejusdem Sixti gestis Anastasius testatur his plane verbis: *Qui Bassus nutu divino intra tres menses moritur, cujus corpus Sixtus Episcopus cum linteaminibus & aromatibus manibus suis tractans recondidit, & sepelivit ad B. Petrum Apostolum in cubiculo parentum ejus.*

Deo vindice exul moritur.

A Sixto injuriarum immemori pie sepelitur.

Anast. in vit. Sixti III.

Bassorum familia nobilissima, & prima inter Romanos Christum amplexata Aniciorum gente oriunda.

5 Verum hic nobis adnotare licet, quod Bassus iste ex illustri Aniciorum familia oriundus erat, ut consularibus è fastis conjicitur, in quibus de Anicio Basso laudatissima mentio incurrit. Quam quidem nobilissimam familiam ab Ethnicis sæpius, & ab Ecclesiasticis quoque scriptoribus mirificis laudibus commendatam invenimus; meritoque inter Romanas nobilitate præstantes prima adnumeratur, quæ Christo nomen dederit, ut Prudentius asserit hæc dicens:

Prud contr. Symm. l. 1.

Fertur enim ante alias generosus Anicius Urbis
Illustrasse caput, sic se Roma inclyta jactat.

Porro ex quo immortalem suo nomini laudem promeruit, inde ab impio scriptore Zozimo per summam injuriam canino dente his quidem verbis carpitur: *Solum illorum familiam qui Anicii dicuntur, mordebant ea, quæ publice universis conducere videbantur, quod soli omnium prope dixerim, divitias possidentes, felicitatem permoleste ferrent.*

Zosim. lib. 6.

Aniciorum familia à Theodato Gothorum Rege præ cæteris laudata.

Cassiod. ep. Var. lib. 10. ep. 2.

Hieron. ep. 8. ad Dacium.

6 Dignissima autem hæc Aniciorum familia summis à Theodato Gothorum Rege laudibus extollitur in Epistola, quam ad Senatum, populumque Romanum scripsit, ut apud Cassiodorum Var. lib. 10. ep. 12. videre est, ubi familiam hanc *toto orbe prædicatam* appellat, eademque à D. Hieronymo insigni hoc encomio celebratur: *Illustris Aniciorum sanguis genus, in quo aut nullus, aut rarus non meruit Consulatum.* Perantiquus etiam ejusdem familiæ splendor ex epistola Secundini ad Augustinum conjici potest, quæ inter ejusdem opera Tomo 8. habetur his verbis: *Ego namque fateor non tali diligentia, nec tanta industria Anicianæ domus micare marmora, quanta tua scripta perlucent eloquentia.* Et eo magis Aniciorum prosapia scriptorum frequenter præconiis cumulata est, quia Consularem nimirum dignitatem, Præfecturam, ac omnem fere magistratum plerique viri clarissimi inde progeniti non semel, sed iterum atque iterum dignissime obierint. Pietas vero nobilissimæ ejusdem stirpis ex eo maxime commendatur, quod beatis martyribus, confessoribus, ac sacris virginibus, qui ex eadem originem traxere, Dei Ecclesiam mirifice illustrari contigerit.

Secund. ep. ad D. Aug.

Aniciorum familia plures martyres, aliosque sanctos in Ecclesia peperit.

Eadem Aniciorum gens ampla sibi in Vaticano sepulchra extruxerat.

7 Et sibi quidem inclyta hæc familia ad perpetuum utique pietatis Christianæ monumentum, satis ampla in Vaticano Cœmeterio cubicula, ac sepulchra extruxerat, ut supra ex Anastasio vidimus. Et sane olim juxta majorem veteris Basilicæ apsidem, ingens quoddam ædificium adinstar Templi suspiciebatur, eleganti structuræ opere elaboratum, miræque amplitudinis, marmoreis aliquot columnis suffultum, quod in honorem Probi Anicii Præfecti Prætorii à clarissima fœmina Proba ejus uxore erectum fuerat; ubi illa virum suum, quem unice diligebat, non absque lacrymis deposuerat, ibique & ipsa pariter post mortem viri tumulo consociari voluit; ut insculpta in columnarum epistyliis epitaphia legentem edocebant: quæ quidem à Maffæo Vegio, paulo ante quam idem Templum, seu ædificium demoliretur, divino quodam instinctu, descripta, hic interim libet Lectori conspicienda subjicere; sunt autem hujuscemodi carmina:

Probus Præfectus Prætorius.

Maffæus Vegius in Basil. Vat.

Epitaphium Probi.

Eximii resolutus in ætheris æquore tantum
Curris iter, cunctis integer à vitiis.
Nomine quod resonas imitatus moribus æque
Iordane ablutus, nunc Probus es melior.
Dives opum, clarusque genus, præclarus honore
Fascibus illustris, Consule dignus avo.
Bis gemina populos Præfectus sede gubernans,
Has mundi phaleras, hos Procerum titulos,
Transcendis senior donatus munere Christi,
Hic est verus honos, hæc tua nobilitas.
Lætabare prius mensæ regalis honore,
Principis alloquio, Regis amicitia.
Nunc propior Christo, sanctorum sede potitus
Luce nova frueris, lux tibi Christus adest.
O nunquam deflende tuis, cum vita maneret
Corporis, atque artus spiritus hos regeret.
Primus eras, nullique patrum virtute secundus,
Nunc renovatus habes perpetuam requiem.
Candida fuscatus nulla velamina culpa,
Et novus insuetus incola liminibus.
His solare tuos, quamquam solatia mœsta
Gratia non quærat, Gratia Christe tua.
Vivit in æterna paradisi sede beatus
Qui nova decedens muneris ætherii
Vestimenta tulit, quo demigrante Belial
Cessit, & ingemuit hic nihil esse suum.
Hunc tu Christe chorus jungas cælestibus, oro,
Te canat, & placidum jugiter adspiciat.
Quique tuo semper dilectus pendet ab ore,
Auxilium soboli, conjugioque ferat.

Juxta recitatum Probi Epitaphium, aliud carmine utrisque, viro scilicet, ac Probæ conjugi hunc in modum inscriptum legebatur:

Epitaphium Probi, & Probæ conjugis.

Sublimes quisquis tumuli miraberis arces,
Dices, quantus erat, qui Probus hic situs est!
Consulibus proavis, socerisque & Consule major
Quod geminas Consul reddidit ipse domos.
Præfectus quartum toto dilectus in Orbe,
Sed fama emensus quidquid in Orbe hominum est
Æternos heu! Roma tibi qui posceret annos,
Cur non vota tui vixit ad usque boni.
Nam cum sex denos mensis suspenderet annos
Dilecta gremio raptus in æthra Probæ.
Sed periisse Probum meritis pro talibus, absit
Credas Roma tuum, vivit, & astra tenet.
Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus
Parcus opum nulli, largus & ipse fuit.
Solamen tanti conjux tamen optima luctus
Hoc Proba sortita est, jungat ut urna pares.
Felix, heu! nimium felix dum vita maneret,
Digno juncta viro, digna simul tumulo.

Templum Probi.

Tiberius Alpharan. de Bas. S. Pet.

8 Hujusce autem templi ichnographiam ex ipsismet excerptam fundamentorum vestigiis exactissime Alpharanus descripsit, ut in sacris item Ecclesiarum monumentis jam supracitatis apud Severa-

num videre est. Disjecto deinde hujuscemodi templo à Nicolao Quinto ad constructionem novæ Basilicæ inchoandam, Probi corpus repertum est, quod aureis indutum vestimentis in Sarcophago quodam marmoreo, sacris undequaque imaginibus insculpto, jacebat. Hic porro spectatissimus lapis ad sancti Thomæ Oratorium translatus, sacro Baptismatis fonti inservit; quem usum nunc quoque, ut videmus, in nova B. Petri Basilica præstat, postquam variis dimotus è locis, demum in sacello, quod primum ad lævam ingredientibus occurrit, locatus est. Hujus autem iconem lectori diligenter inspiciendam per singulas ejusdem partes offerimus

Sarcophagus Probi, & Probæ.

9 Quis vero ac quantus vir Probus iste fuerit, certe ad id enarrandum prolixior à nobis subtexenda hic esset oratio: quod forte à propositi nostri instituto valde alienum lectori videri posset. Illud unum dixisse satis sit, virum hunc laudatum frequenter à laudatissimis quibusque Ecclesiæ Patribus fuisse, à S. Ambrosio videlicet, & S. Paulino in ejusdem Ambrosii gestis: ut dignissima interim Imperatorum rescripta prætereamus, quæ ad eundem Probum in Theodosiano Cod. recitantur, & ea omnia laudum præconia, quæ Marcellinus pluribus locis, id est, libro 27. 28. & 29. & Claudianus in suo Panegyrico de Probini & Olybrii Consulatu satis luculenter de eodem scripsere. Siquidem Marcellinus hæc de Probo: *Per hæc tempora Vulcatio Rufino absoluto vita, dum administrat ad regendam præfecturam Prætorianam, ab Urbe Probus accitus claritudine generis, & potentia, & opum amplitudine cognitus orbi Romano, &c.* Claudianus autem carminibus illis ejusdem laudes egregie prosecutus est:

Probus crebris SS. Patrum encomiis celebratus.

S. Ambros. S. Paulin. de Probi laudibus. Cod. Teodos.

Ammian. Marcell hist. lib. 27. 28. 29.

Vivit adhuc completque magis clamoribus aures
Gloria fusa Probi, quam nec ventura silebunt,
Lustra nec ignota rapiet sub nube vetustas.

Claud. in paneg. de Probini & Olybrii consulatu.

Et paulo infra ejus virtutes adumbrans ait:

——— *virtutibus ille*
Fortunam domuit, nunquamque levantibus alis
Intumuit rebus: sed mens circumflua luxu,
Noverat intactum vitio servare vigorem;
Hic non divitias nigrantibus abdidit antris
Nec tenebris damnavit opes: sed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut denso currentia munera nimbo,
Cernere semper erat: populis undare penates
Assiduos intrare inopes; remeare beatos:
Præceps illa manus fluvios superabat Iberos
Aurea dona vomens, &c.

Hæc insignis in Probi laudem poëta cecinit, quæ de illo huc afferre voluimus, idonea nobis oblata occasione ab ejus in Vaticano sepulchro, quo Proba lectissima ejus uxor condita fuit, ut supra laudata sepulchralis inscriptio binis hisce versiculis manifeste demonstrat:

Hoc Proba sortita est, jungat ut urna pares
Digna juncta viro digna simul tumulo.

10 Proba hæc spectatissimæ utique nobilitatis fœmina, Poëticæ quoque artis laurea, studioque præclarissima erat: cujus Centones è Virgilio desumpti in vetus, novumque Testamentum, ad hanc usque diem, tanti digna ingenii monimenta, non sine admiratione leguntur: ipsa quoque viro suo haud impar meritis totidem sanctorum Patrum tum lingua, tum calamo illustratur encomiis: sed præcipue ab Augustino, à Chrysostomo, ab Hieronymo epist. 8. ad Demetriadem, & à Cælestino Pontifice epistola ad Theodosium Juniorem. Unum autem præ omnibus ejus laudatorem Hieronymum excipiamus, qui loco supracitato hæc habet: *Proba illa omnium dignitatum & cunctæ nobilitatis in orbe Romano nomen illustrius, cujus sanctitas, & in universos effusa bonitas, etiam apud barbaros venerabilis fuit, quam trium liberorum Probini, Olybrii, & Probi non fatigarunt ordinarii consulatus.* Et ut meritam lectissimæ fœminæ laudibus coronam texamus, memoriam repetat lector, quibus præconiis ab ipsismet Ethnicis, à Claudiano scilicet loco supracitato, nec non ab aliis sit ad posteros jugiter commendata. Hic enim Poëta his egregias fœminæ dotes carminibus laudavit:

Proba poetices arte insignis.

A SS. Patribus laudatur.

Aug. ep. 121 & 235. Chrysost. ep. 268. Hier. ep. 8. ad Demetr. Cælest. Pont. ep. ad Theod. Jun.

Sic Proba præcipuo natos exornat amictu
Quæ decorat mundum: cujus Romana potestas,
Fœtibus augetur: credas ex æthere lapsam,
Stare pudicitiam, vel sacro thure vocatam,
Iunonem Inachiis oculos advertere templis;
Talem nulla refert antiquis pagina libris,
Nec Latiæ cecinere tubæ, nec Græca vetustas
Conjuge digna Probo? nam tantum cœtibus extat,
Fœmineis, quantum supereminet ille maritis.

Claudian.

Quamobrem silentio potius, quam verbis fœmina, cujus fama superstes adhuc vivit, à nobis recolatur, ne forte dicendo ejusdem laudibus demere potius, quam addere videamur.

11 Lector tamen interim noverit, quoniam opportunus sermo incurrit, eidem Probæ, quod Probo item conjugi ab antiquis præstitum fuerat, quam plures erectas statuas, dicatasque fuisse, ut ex multis inscriptionibus in Cæsiorum ædibus, Vaticano proximis videre quis potest: qui certe tituli statuas prememoratas juxta eorundem sepulchra sitas olim fuisse studiose perlegentibus innuunt.

Plures in Urbe statuæ Probo erant erectæ.

12 Et sane probabilis quædam conjectura nobis inter recolendum sacras antiquitates menti suggerit, sepultos ibidem pariter fuisse Olybrium, Probinum, & Probum Consules, Probi & Probæ filios, Julianam quoque Olybrii uxorem; cui D. Augustinus librum inscripsit de Bono Viduitatis, & ex qua deinde Demetrias orta fuit, ab iisdem Patribus, & Hieronymo præsertim summis laudibus celebrata: veroque simillimum arbitramur, eorum corpora in aliquibus ex jam descriptis Sarcophagis, una cum iisdem Probi & Probæ cadaveribus ibi repertis condita quondam fuisse. Baronius autem in suis passim Analibus egregia Aniciorum familiæ monimenta describit: *Ut in omnibus*, inquit ille, *sit venerandæ antiquitati prospectum, & in quo passa visa est detrimentum, ipsa restituatur antiquitas.*

Olybrius, Probinus, & Probi Consules Probi. & Probæ filii.

Aug. lib. de bono Viduit. ad Julian.

13 Studiosus interim lector noverit, quod cum plures marmoreos apud Vaticanum Sarcophagos sacris historiarum imaginibus decoratos vario temporum decursu adinvenire, ut diximus, contigerit, singulorum icones à Bosio graphice exceptæ, in libro Subterraneæ Romæ, qui hactenus Italico idiomate editus, vulgatusque est diligentissime repræsentantur, & in hoc quoque nostro Opere eædem ex ordine contemplandæ exhibentur.

Sarcophagus marmoreus Anicii Probi Præfecti Prætorii,& Probæ lectiſſimorum conjugum ſacris ab omni parte figuris inſignitus; cujus imaginem tribus ſejunctim ærariæ ſculpturæ tabulis exceptam hic contemplandam proponimus: & figuras, rerumque, quas continet myſteria paucis enarrare conabimur: non ea tamen aſſeveratione, ut cordatus, ac ſacra eruditione præſtans lector non liberum de iis, quid melius, veriuſque videatur, exiſtimandi arbitrium habeat.

In primaria igitur hujus ſarcophagi facie Chriſtus Dominus medius inter Apoſtolos conſpicitur, altera manu Crucem gemmis ornatam, altera vero Euangelii volumen præferens. Et certe Crucem, ſalutaris paſſionis inſigne, quæ omni regia corona præclarior, immo cunctis aſtris, ut canit Eccleſia, de membris Domini eſt facta ſplendidior, merito lapillis prætioſiſſimis exornare Chriſtiani veteres voluere

Genes. 2. Inſiſtere autem in quodam monte cernitur è cujus pede Nilus, Euphrates, Tigris, & Phiſon quatuor Paradiſi celeberrima flumina ſcaturire videntur. Enimvero quatuor flumina ab uno fonte de loco voluptatis egredientia, ſacra quatuor Euangelia ab uno Domino Salvatore, qui eſt fons vitæ, per univerſum mundum diffuſa, ex S. Cypriano, aliiſque Patribus eſſe docemur. Et hæc de propoſita nobis hic Chriſti effigie dixiſſe ſufficiat.

S. Cypr. ep. 73. ad Fabian. Theodoret. in Pſ. 45. S. Eucher. l. 1. in Gen. c. 3.

Pars ejuſdem Probi Sarcophagi poſterior, in qua Probi & Probæ inibi quondam reconditorum effigies conſpici dantur, complicatis amanter inter ſe dexteris, in argumentum fidei, ac concordiæ conjugalis, ut qui animo, affectuque, dum viverent, conjuncti erant, unum idemque ſepulchrum mortuis ſibi ex voto contigiſſe eo geſtu ac habitu teſtarentur. Quod item ſculptor deſignatum voluiſſe videtur appictis in ora ejus ſuperiori quaquaverſus columbarum ſeu turturum figuris. Columba enim viduæ continentiſſimæ atque integerrimæ, ut videre eſt in arcanis Ægyptiorum litteris, imago eſt, & ſymbolum dilectionis: in illo ſiquidem alite ſingulare continentiæ exemplum deprehenditur, quod marito fidem ſervet inviolatam, nec ei notum ſit adulterium Et turtur, extincta conſorte, perpetuum fertur colere cœlibatum. Quæ omnia in caſtiſſimo ac frugaliſsimo Probi & Probæ conjugio mirifice excelluiſſe jam dicta teſtantur.

Partes demum ejuſdem Probi Sarcophagi laterales, Apoſtolorum, aliorumque ſanctorum imaginibus, ut vides, exornantur. Calceati autem conſpiciuntur ſandaliis, quibus viles, & tenuioris fortunæ homines (quales in primis Dominus ſuos Apoſtolos videri volebat) in Palæſtina utebantur. At vero huic calceamentorum generi quid myſticæ ſignificationis ineſſe ſancti Patres dixere. Sandalia enim ſoleas ſubtus habent, deſuper autem aperta ſunt & ligata corrigiis, ita ut pes neque tectus ſit, neque nudus ad terram. Quorſum Euangelium, quod per calceamentum, ut S. Anſelmus aſſerit, in ſacris literis allegorice intelligitur, debet præcones verbi divini præmunire, & ab omni prorſus carneæ contagionis luto conſervare mundos, ſed audientibus, ad quos eunt, apertum ſit oportet.

Anſelmus in Matth. Hom. 3.

Inſignis autem hic lapis longus eſt palmorum decem cum dimidio, latus trium, totidemque palmi quadrantum, altus vero palmorum novem.

SARCOPHAGVS MARMOREVS PROBI ET PROBÆ
ex Vaticano Coemeterio effoßus



PROBI EIVSDEM SARCOPHAGI PARS POSTERIOR



PROBI EIVSD. SARCOPHAGI PARTES LATERALES





Ambæ, quas expressas hic vides, Arcæ marmoreæ sub pavimento Basilicæ Vaticanæ hactenus asservantur. In priori corpus Marcelli II. Pontificis collocatum est. Quinque autem in primaria sua facie insculptas continet figuras, quarum præcipua, quæ cœteris excelsior stare in quodam monte videtur, è cujus radicibus aquæ veluti manant, Christum Dominum repræsentat: reliquæ verò Apostolorum, aliorumve sanctorum effigies esse haud abs re conjicere quis potest.

Altera, cujus iconem hic quoque ob oculos ponimus, insignia quædam à Christo Domino patrata miracula intuentibus exhibet.

Ioan. 2. 6. I. Et primo quidem demonstratur initium illud signorum, quæ Christus Dominus ad gloriam & potestatem suam orbi manifestandam patravit, cum in nuptiis Canæ Galilææ aquam in vinum prodigiose convertit.

Ioan. 9. 6. II. Christus Dominus, qui luto adhibito oculos aperit illi, qui luminibus orbatus in mundum prodierat.

Ioan. 11. 14. III. Idem Dominus ad monumentum Lazari, quem post diem quartum quum exstinctus, sepultusque fuerat, è sepulchro ad vitam evocat.

IV. Unus aliquis brachiis in crucis speciem expansis, qui in hac forsitan Arca olim conditus quievit.

Matth. 14. 19. V. Christus Dominus manus imponens quinque panibus, & duobus piscibus, eos ad ingentem hominum multitudinem in deserto pascendam divinitus multiplicat.

Matth. 9. 20. VI. Mulier, quæ fluxu sanguinis per duodecim annos laboraverat, advoluta ad pedes Domini opem valetudinis, si vel fimbriam vestimenti ejus sibi tangere daretur, consecuturam se certo credens, fit voti compos.

VII. Denique vir ille juxta aram existens, qui panes quinque serpenti veluti porrigit, cujusmodi, & quisnam sit, haud facile fuerit conjectare. Itaque ne frustra comminisci quid velle videamur, mysterium hoc, atque alia quædam in cæteris deinceps Sarcophagis, & Cœmeteriorum tabulis obscuriora, & quæ ne Apollo quidem ipse nimis prompte divinaverit, intacta prorsus, atque iis, qui altam ac multiplicem scripturarum intelligentiam assecuti sunt, divinorumque ὑποφήταις indaganda, & pronuntianda relinquimus. Nobis interim, quibus per ingenii tenuitatem, temporisque angustias, majorem in præsens diligentiam præstare non licuit, ignoscat velim lector, & hunc qualemcumque conatum boni consulat.

Cæterum Arca prior longitudine pedes Romanos octo & trientem, ac latitudine duos & trientem exæquat. Altera verò in longitudinem pedes octo, in latitudinem quatuor & semis, in altitudinem denique duos obtinet.

Duæ hæ marmoreæ Arcæ anno nonagesimo supra sesquimillesimum ex Cœmeterio Vaticano erutæ fuerunt. Earum imagines opera Ciacconii & Vinghii primum delineatæ sunt; quas ab illis deinde acceptas hic contemplandas subjicimus.

Exod. 31. 18. I. In prima, cui anguli utrimque binò figurarum ordine distincti sunt, in primis conspici datur divinus Hebræorum legislator, qui in monte Sinai legem digito Dei marmori inscriptam è cælo veluti accipit.

Ioan. 27. II. Sub illo Christus Dominus existit, qui in Cana Galilææ, ni fallor, aquam in vinum vertit.

Matth. 20. 34. III. In anguli lævi parte superiori Petrus Apostolus prostare videtur, de constantia ac fortitudine sua vane sejactans: cui Dominus trinam ante gallicinium negationem prædicit.

Exod. 17. 6. IV. In infimo atque ultimo angulo habetur Moyses, qui mirifica sua virga affluentes è Petra aquas sitienti populo producit.

V. In meditullio ejusdem Arcæ Pastor ille bonus, Christum Dominum mystice designans, pedo innixus, & gregi suo veluti invigilans cernitur.

In altera hic opposita, nullæ figuræ, ut vides, habentur, nisi unum aliquod è primitiva Ecclesia par conjugum; quorum corpora procul dubio inibi quondam recondita fuere. Hi dexteris peramanter invicem junctis, ad indicium fidei, concordiæque servatæ, exsculpti sunt: volumina autem illa in manipulum composita quid, nisi Euangelica scripta, quibus illi crediderant, denotare dicemus?

Cœterum in ejusdem operculo bini hinc atque hinc delphini visuntur, qui piscis in veterum Christianorum picturis ac tabulis est admodum frequens, adeoque mysterio illum carere haud nobis par est credere. De hoc, aliisque Christianorum hieroglyphicis sexto libro locupletior habebitur sermo.

SARCOPHAGI MARMOREI EX VATICANO COEMETE. EFFOSSI



SARCOPHAGI MARMOREI EX VATICANO COEMETE. EFFOSSI



Arca marmorea, quæ anno hujus ſeculi ſeptimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum, XIX. Kalend. Septembr. in Cœmeterio Vaticano, dum ad jacienda ejus Baſilicæ fundamenta humus effoderetur, reperta eſt, prope arcum ſcilicet, quà è veteri Templo in Novum patebat ingreſſus. Hic autem animadvertendum eſt, quod figuræ illic inſculptæ abſque ſandaliis, & excalceatæ conſpiciantur: nam, ut videre eſt, perfunctorie, atque oſcitanter incœptæ illæ potius, quam elaboratæ ſunt.

Intra hanc Arcam cadaver quoddam multiplici linteaminis circumplexu involutum erat; quod collocatum deinde fuit in Polyandro: Arca verò ſub pavimento ejuſdem Baſilicæ conſervanda repoſita eſt. Sacræ autem, quas præ ſe fert, hiſtoriæ hæ ſunt.

I. Chriſtus Dominus, qui parvulo manus imponit.

Matth. 9. 20. II. Mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, contacta Dominici veſtimenti fimbria, valetudinem conſequitur.

III. Chriſtus Dominus binos inter Apoſtolos, monti inſiſtens, è quo quatuor Paradiſi terreſtris flumina emanant: Illi adſtat agnus exculptus, eundem Dominum, qui eſt Agnus occiſus ab origine mundi, Apoc 13. myſtice ſignificans. Volumen autem uni ex Apoſtolis iccirco apertum veluti porrigit: quia Chriſtus Luc. 24. dicitur aperuiſſe illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas.

Matth. 20. 34. IV. Chriſtus, qui prædicit Petro trinam ejus negationem.

Matth. 16. 16. V. Idem Dominus, qui Principi Apoſtolorum ſummam in Eccleſia ligandi atque ſolvendi poteſtatem per binas claves confert.

In longitudinem pedes novem & ſemis, in latitudinem duos, & beſſem, & in altitudinem tres habet.

In eodem pariter Cœmeterio Vaticano hæc Arca marmorea reperta eſt: in præſens autem probe Eccleſiam S. Marthæ viſitur, ſed abſque operculo. Pluribus quà veteris, quà novi Teſtamenti hiſtoriis eleganter inſculpta eſt.

I. In primis enim illic triumphalis Chriſti introitus in ſanctam civitatem repræſentatur, cui Hebræorum pueri, veſtimentis ſuis humi ſubſtratis, occurrunt, identidem acclamantes: Hoſanna in excelſis.

Matth. 16. 8. II. Proximus illi Zachæus exprimitur, qui, ut Chriſtum prætereuntem videret, in ſycomorum aſcenderat: à quo comiter appellatus, hoſpitem illum ſuis ædibus excipere meruit.

III. Chriſtus Dominus medius inter Apoſtolorum Principes, ſtans in viſo jam toties monticulo, è quo flumina quatuor egrediuntur. Ad pedes ipſius in eodem monte exſculptus videtur agnus cum cruce, aliæque inferius oviculæ circumſtant. Agnus quidem ille verum nobis per legem Agnum, nempe Chriſtum Deum, demonſtrat: oviculæ autem ſunt diſcipuli ejus, aliive fideles, ſæpius à Domino ovium nomine nuncupati.

IV. Dominus inter lictores captivus coram Præſide Pilato, qui dum iniquiſſimam in eum mortis ſententiam fert, manus ſibi tanquam innocens ſtolide lavat.

Dan. 3. 1. V. In operculo autem ejuſdem Arcæ viſitur Nabuchodonoſor coram aurea ſtatua, quam ab omni populo adorandam erexerat: ſed eam tres pueri ſpernentes, in fornacem ardentem mittuntur.

Matth. 3. 1. VI. Deus infans in præſepio recubans, quem tres Magi adorant, & magnis muneribus oblatis Dominum veluti ſuum clientelarem profitentur.

Hæc Arca marmorea, dum Baſilicæ Vaticanæ fundamenta ponerentur, inter effodiendum reperta eſt anno MDXCII. & in præſens extat in ædibus quibuſdam privatis ad montem Jordanorum, quas Bononienſium Orator olim habitaſſe dicitur. Sacris item novi tantummodo Teſtamenti hiſtoriis, ut vides, eleganter ornata eſt.

Matth. 20. 34. I. Primo, Chriſtus Dominus illic exprimitur, qui Petro ſe inaniter jactanti prædicit: Antequam gallus cantet, ter me negabis.

Matth. 14. 19. II. Idem Dominus, qui de quinque panibus, & duobus piſcibus ſatiat quinque millia hominum.

III. Chriſtus Dominus iterum inter duos Apoſtolorum Principes, monticulo inſiſtens, è quo quatuor Paradiſi flumina procedunt.

Luc. 14. 7. IV. Colloquium Chriſti Domini cum Samaritana ad puteum.

Marc. 7. 26. V. Denique idem Chriſtus, cui quædam mulier oſculatur manum, forte Syrophœniſſa, rogans eum, ut dæmonium ejiceret de filia ejus.

Longitudo ejus Arcæ novem palmos, latitudo duos ac dodrantem, altitudo autem ſeptem palmos æquat.


SARGOPHAGVS MARMOREVS IN VATICANA REPERTVS BASILICA


SARCOPHACVS MARMOREVS EX VATICANO COEMETÉ EFFOSSVS


SARGOPHAGVS MARMOREVS EX VATICANO COEMETÉ EFFOSSVS

Inter effodienda Vaticanæ Basilicæ fundamenta anno M. DCVII. reperta fuit hæc Arca marmorea: quæ ubinam modo extet, ignoratur. Sacris item figuris, ut hic apparet, est scite insculpta.

I. In medio siquidem Christus Dominus iterum in monte, unde quatuor Paradisi flumina procedunt, exprimitur, cui adsunt quatuor Apostoli, quorum uni, qui Paulus esse creditur, volumen apertum in manus tradit. Hic enim Apostolus, ut ipse de se testatur, in Euangelio plus cæteris laboravit, & nomen Christi prædicatione latius circumtulit. Inferius ad pedes Domini dextra, lævaque vir & mulier conspiciuntur, quorum corpora dubio procul in hac Arca olim condita quievêre.

Matth. 27. 26. Ioan. 19.16. II. Sed & in angularibus hinc atque hinc ædiculis Christum Dominum captivum coram Judice stare haud abs re quis dixerit. Et dextrorsum quidem coram Anna, vel Caipha, qui eo gestu, & habitu exsculptus est, ut aliquo Christi sermone percelli, atque offendi videatur. Sinistrorsum verò Pilatus veluti dicta, factaque ejus exquireret, expressus est.

Longa est palmorum novem cum quadrante, alta verò trium.

Multis abhinc annis, dum nova Basilica Vaticana exstrueretur, insignis iste marmoreus Sarcophagus in lucem prodiit; qui postmodum in quodam horto prope Ecclesiam S. Marthæ collocatus est Sacris undique figuris peregregie nobilitatus atque insignitus apparet: cujus iconem tribus proximis inferioribus tabulis lectori subjicimus: & figuras hic, quoad licet, enarramus.

In anteriori siquidem ejus parte Imago illa in medio, quæ monticulo insistit, unde quatuor illa sæpius jam dicta Paradisi terrestris flumina promanant, Christum Dominum repræsentat. Reliquæ verò sunt Apostolorum effigies. Dominus autem una manu docentis in morem sublata, altera verò volumen apertum Paulo, ut creditur, porrigere videtur. Cur autem huic præcipue Apostolo? ea poterit esse ratio, quod iste an- *Act 9.15.* te alios portaverit nomen Christi coram gentibus, ac regibus: & in verbo Dei promulgando plus cæteris laboraverit (Ego enim, dicit Dominus, ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.) Atque hinc non temere neque frustra imaginem ejus cum cruce humeris imposita veteres Christiani sæpius expressere. Inferius denique vir ille & mulier, qui prostrati videntur ad pedes Domini & illum veluti adorant, eos esse credibile est, qui hanc Arcam corporibus suis tumulandis olim extrui curarunt.

Longus est hic Sarcophagus palmorum undecim, latus quinque, altus verò sex.

Præsens hæc tabula faciem Sarcophagi præcedentis posteriorem contemplandam hic exhibet. In ejus meditullio bonus ille Pastor, qui animam suam pro ovibus posuit, conspicitur, pedum pastorale una manu tenens, altera verò uni ex duabus oviculis, quæ illi adstant, abblandiri, illaque contra capite exporrecto blanditias Pastoris gratas sibi, jucundasque esse monstrare videtur Imagines autem illæ, quæ in binis utrimque angulis exsculptæ sunt, duos Apostolos esse dicas licebit.

Par-

SARGOPHAGVS MARMOREVS EX VATICANO COEMETERIO EFFOSSVS



SARGOPHAGVS MARMOREVS EX VATICANO COEMETERIO EFFOSSVS



SARCOPAGI EIVSDEM PARS POSTEPIOR



Partes denique proximi ejuſdem ſuperioris Sarcophagi laterales, quas oculis hic ſubjicimus, ſacris etiam, iiſque veteris dumtaxat Teſtamenti, hiſtoriis graphice ſane elaboratæ ſunt.

4. Reg. 2. 11. I. Et quidem in priori ejus parte producitur Elias ignea quadriga impoſitus, qui ad ſuperna jam transferendus, pallium, quo paulo prius aquas Jordanis, quem illic etiam expreſſum videas, diviſerat, ſuper Eliſeum ponit. In typo videlicet jam tunc deſignabat ille Chriſtum Dominum, qui (ut Rupertus Abbas diſſerit) ex mundo ad Patrem tranſiturus, officium ſimul, & ſpiritum ſuum Apoſtolis dedit. Rupert. Abb de Trin & op. l. 5. c. 15.

Exod. 32. 19. II. Moyſes accipit tabulas legis à manu Dei.

Gen. 22. 9. III. Admirabilis illa, & omnium ſæculorum fama decantata Abrahæ obedientia, qua Dei nutu unicum ſuum in holocauſtum immolaturus erat.

Partes autem hæ laterales in longitudinem palmos ſex, & dimidium; quinque autem in altitudinem obtinent.

Hæc Arca marmorea ſacris Chriſti & Apoſtolorum imaginibus inſignis, ex Cœmeterio Vaticano multis abhinc annis fuit eruta. Intrinſecus per ambitum habet prominentiam quandam, tabulæ imponendæ excitatam, quò corpora, ſi plura inibi locari contingeret, invicem ſepararentur. Ea nunc ſub pavimento Vaticanæ Baſilicæ, venerandis ſanctorum quatuor Leonum Pontificum corporibus inibi reconditis, aſſervatur. Illic exſculpta quoque cernitur amœna viridantibus pampinis, uvarumque ſertis undique pendentibus vitis, quam haud temere, nec abſque myſterio hic, & alibi ſæpius ab antiquis Chriſtianis exhibitam eſſe dicendum eſt. Primùm enim per illam Chriſtum Dominum, qui de ſe dixit: Ego ſum vitis, vos palmites, hieroglyphice deſignabant: tum etiam Eccleſiam, quæ in ſacris literis per vineam Dei electam ſæpius adumbratur. (Pſal. 79. Eſai. 5.) Sed & ſimilitudine vitis, quæ uvas maturas jam, ac coctas, dulcedine plenas, & aureo purpureove colore nitentes attulit, animam maturitate prudentiæ, ſplendore fidei, confeſſionis decore, juſtitiæ pulchritudine, ubertate miſericordiæ, veluti quibuſdam monilibus, exornatam intelligi luculenter Ambroſius aſſerit. (Ambroſ. in Hexam. lib. 3. c. 12.) Et Bernardus fructum vitis, ſanguinem Chriſti, & Martyrum, tanquam rubentia muſta torcularibus calcata, poculis cæleſtibus per tormenta expreſſum peregregie dixit. (Bernar. in Cant. ſer. 6.)

Longa eſt palmis decem, & dodrante, lata quinque cum dodrante, alta verò quatuor & ſemis.

Partes


SARCOPHAGI EIVSDEM
PARTES LATERALES


SARCOPHAGVS MARMOREVS EX VATICANO COEMETERIO EFFOSSVS

Partes Arcæ marmoreæ proximæ superioris laterales antiquæ tantummodo legis historiis insculptas hac tabula spectandas subjicimus.

I In iis enim videre est Eliam, qui ignea quadriga in cælum rapitur, & quasi in quodam triumpho victor ascendit. Victor enim, ut inquit Ambrosius, extiterat non gentium barbararum, sed sæcularium voluptatum. Ad eundem vero modum Ecclesia, cujus typum etiam gerebat Elias, rapietur, ait idem Doctor, argumento deducto ex Apostolo Paulo, dicente: Rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra.

4. Reg. 2 18 *S. Ambros. ser. 2. de Eliseo.* *Id. in cap. 3. Luc. l. 2.*

II. Moyses, qui accipit à Domino in monte Sinai duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.

III. Abraham unigenitum suum Isaac in holocaustum offerre Deo paratus est.

Reliquis illis tribus figuris, quæ post Abrahamum exsculptæ visuntur, divinandis, Oedipo opus est conjectore.

Sarcophagus iste marmoreus ex Vaticano Cœmeterio erutus, olim in Basilica D. Petri visebatur; nunc autem in ædibus Cæsiorum in Urbe Leonina Positis reperitur. Duodecim Apostolorum imagines præ se fert: in quorum medio gemmatæ Crucis forma conspicitur, cui sacrosanctum Christi nomen, binis Græcorum characteribus expressum, impositum est. Familiarissimum sane ac solemnissimum antiquis Christianis signum; & sine quo vix ullum opus aggredi solebant, ut ex illo toties, totque rebus, quæ subtus supraque terram in præsens adhuc extant, insculpto, appictove luculenter apparet. Didicerant enim ex Apostolo, dicente: Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi.

Ad Coloss. 3.

Hæc Arca marmorea in eodem Cœmeterio Vaticano reperta est; atque inde translata fuit in atrium monasterii Patrum Cassinensium, quod ad montem Quirinalem è regione Palatii Pontificii tunc temporis habebatur. Nunc autem in ædibus Eminentiss. Cardinalis Mazarini in eodem monte sitis extat. Pluribus cum veteris, tum novæ legis admirandis historiis insculpta est.

Exod. 31. 18 I. In primis enim illic visitur Moyses percutiens petram, è qua largissimæ fluunt aquæ.

Io. 2. 7. II. Fecit Jesus initium signorum in Cana Galilææ, aquam in vinum vertens.

III. Mulier illa in medio cujusmodi, ac quænam sit, quis divinaverit? nisi dicamus imaginem illius, quæ hanc Arcam corpori suo tumulando construi curavit.

Io. 9. 6. IV. Christus, qui cæco nato largitur oculos.

Matth. 14. 19. V. Idem Dominus, qui famescentes in deserto turbas quinque panibus divinitus multiplicatis satiat.

Io. 11. 44. VI. Christus Dominus, qui Lazarum quatriduanum à mortuis excitat, ad cujus pedes Martha provoluta, & illum veluti adorans cernitur.

Longa est palmis decem & dodrante, alta vero duobus & dodrante.

Qua-

SARCOPHAGI EIVSDEM PARTES LATERALES



SARCOPHAGVS MARMOREVS EX VATICANO COEMETERIO EFFOSSVS



SARCOPHAGVS MARMOREVS EX VATICANO COEMETERIO EFFOSSVS



Quatuor hæc Sarcophagorum fragmenta è Vaticano Cœmeterio eruta, haud indigna quoque visa fuere, quæ typis exprimerentur, atque adeo operæ pretium esse existimavimus, ut ea in publicum hujus operis theatrum contemplanda producantur: singula enim singulis divinæ legis historiis adornata sunt. Et in primo quidem, quod in atrio domus veteris Matthæiorum extat, bis Christus Dominus repræsentatur, semel medius inter duos Apostolos, & iterum in habitu Pastoris, qui ovem erroneam suis humeris ad gregem reportat.

Ionæ 3. 2.1. Alterum fragmentum, quod in Transtyberina regione ad Janiculi radices visitur, historiam Jonæ Prophetæ, quem immanis balena deglutit, præ se fert

Reliqua duo habentur in ædibus olim Matthæi Laurelli, sitis in vico Burgundionum *Ioan. 5. 8.* vulgo dicto. In priori conspicitur Christus Dominus, qui paralytico sanitatem restituit, *Gen. 3. 24.* eumq; cum grabato suo domum remittit. In altero Adam, & Eva, quamvis sola Eva, & lignum vetitum serpenti involutum illic extent, nam Adam cum illa parte, quæ desideratur, ut apparet, decidit. Visuntur item duæ aliæ illic figuræ, quæ cujusmodi, ac quænam sint, haud facile deprehendere potuimus, adeoque illas aliis expendendas relinquimus.

Insignis hæc atque elegans Arca marmorea, cujus simulacrum binis hic seorsim tabulis spectandum subjicimus, in Vaticano quoque reperiri contigit: & in Cœnobio Patrum Theatinorum S. Andreæ à Valle nuncupato diu postmodum extitit. Nuper autem in Villam Pamphiliam, eidem inter alia plura id genus antiqui operis monimenta decori, ac ornamento futura, deportata est. Anterior ejus facies octastylos, per cujus intercolumnia sacræ ubique figuræ graphicè sculptæ prostare visuntur: & quod mireris, longa vetustate nulla ex parte diminutæ, aut deturpatæ, sed integræ prorsus, illæsæque conservatæ sunt.

I. In mediana igitur columnarum intercapedine, quæ cæteris ex proba, decentique eustylorum symmetria paululum patentior concinnata est, Christus Dominus inter Apostolos, quorum uni, qui Paulus esse creditur, volumen apertum veluti tradit, disserentis in morem præsidere cernitur.

Gen. 22. 9. II. In angularibus vero hinc atque hinc intercolumniis, dextrorsum quidem Pater credentium admirabili obedientia unicum suum immolaturus conspicitur, sed Angelo interpellante, arietem divinitus sibi obvium deinde offerens, sacrificium perfecit. *Matth. 27. 24.* Sinistrorsum verò Christus Dominus captivus sistitur ad tribunal Pilati, qui inter ferendam mortis in eum sententiam manus sibi lavat.

Longitudine est palmorum novem, & dodrantis, latitudine quinque, altitudine verò trium, & semis.

Eadem hæc forsitan Arca est, cujus Alpharanus in suis notis meminit.

Utraque Arcæ proximæ superioris latera, quæ ædium quarundam simulacra graphicè elaborata præ se ferunt, oculis præsenti tabula subjicimus. In illis præterea sacras aliquot veteris & novi Testamenti figuras videre est.

Matth. 10. 24. I. In primis enim Christus Dominus in medium producitur, qui vanam Petri jactantiam castigans, futurum prædicit, ut, antequam gallus, quem ibi quoque in columna adstantem videas, cantet, ab illo ter negetur. Verum Domino oculos in illum postmodùm conjiciente, facti conscientia commotus, flevit amarè, ut apparet in exsculpto illic Petro, qui indice oculis admoto, lacrymas præ animi angore ac dolore sibi manare veluti innuit. Atque ita quidem prioris, ut vides, ejus Arcæ lateris sculptura disposita est.

Exod. 31. 18. II. In altero verò latere Moyses repræsentatur, qui sitibundo in solitudine populo è petra aquas affatim educit.

III. Deinde Christus Dominus exhibetur iterum, cujus pedibus mulier, sive illa sit Martha, sive Syrophœnissa, vel alia quæpiam, provoluta conspicitur.

Binæ

SARCOPHAGI MARMOREI IN VATICANO REPERTI





SARCOPACVS MARMOREVS EX VATICANO COEMETERIO EFFOSSVS



SARCOPHAGI EIVSDEM PARTES LATERALES



Binæ hæ marmoreæ Arcæ facro eodem Cœmeterii Vaticani loco effoffæ funt. Prior conquaffata, fractaque per medium vifebatur olim in ædibus quibufdam privatis è regione Palatii Magni Ducis Hetruriæ in Campo Martio pofitis. Figurarum autem, quas continet, enarrationem hanc fubjungimus.

Act. 12. 3. I. In prima ejus ædicula vir quidam captivus ducitur, quem Petrum Apoftolum effe ajunt.

II. Chriftus Dominus inter Principes Apoftolorum medius, qui Crucem gemmis undique adornatam dextra præferre, & monticulo, è quo quatuor illa Paradifi terreftris celeberrima flumina fcaturiunt, infiftere videtur.

Matth. 27. 24. III. Idem Dominus, qui à lictoribus captivus fiftitur Judeæ Præfidi Pilato, qui impiæ Hebræorum voluntati obfequens, illum condemnat: cujus tamen fententiæ iniquitatem ad fe neutiquam pertinere palam profeffus, manus fibi excors lavat.

Longa eft palmos novem, alta vero tres.

In altera hic appofita arca videas licet boni Paftoris præclara fymbola, illis, qui facris litteris eruditi funt, fatis cognita. Pifcem infuper ab una parte, ab altera verò anchoram illic exfculptam videre eft. Et primùm quidem per pifcis imaginem fepulchris affixam veteres Chriftiani videbantur innuere, eum, qui inibi reconditus erat, ex illis effe pifcibus, qui juxta parabolam Evangelicam, in vafa eligentur ab *Matth. 13.* Angelo. Per pifcem enim, ait Origenes, fanctus quifque intelligitur, qui intra retia fidei conclufus, *Orig. hom. 7. in Levit.* bonus pifcis à Salvatore nuncupatur. Altera verò pifcis allegorica interpretatione fidem invifibilium *c. 10. Beda in Luc. c. 12. l. 3.* intelligi docet Beda, vel propter aquam Baptifmi, inquit ille, vel quia de invifibilibus locis capitur: & ficut pifcis, ut Eucherii verbis utar, crebris maris fluctibus tunditur, nec perimitur: ita fides firma quan- *Eucher. form. fpir. c. 4.* tiflibet adverfantis mundi preffuris impugnatur, inconvulfa perfiftit; nec fæculi eam unda demergit.

Sed quid Anchora? Sapienter equidem illam pifci appofitam confpicimus, quorum alterum fidei, *S. Ambrof. in Hebr. 6.* fpei alteram fymbolum præ fe ferre jam novimus. Nam fides, inquit Ambrofius, quæ fpe, veluti facra anchora, roborata, nulla infidelitate mergi poterit, dum cœleftia abfque ulla dubitatione credit, & fperat, & amat. Candidæ item ac timoratæ confcientiæ fignificationem habere anchoram hifce verbis ait *Chryfoft. Conc. 4. in Lazar.* Chryfoftomus: Confcientiæ increpatio, facra eft anchora, quæ nos nequaquam finit in peccatorum profundum abforberi. Sed hæc pauca hic libaffe fufficiat, plura de hoc aliifque id genus fymbolis libro fexto dicentur.

Longa eft hæc Arca pofterior palmos novem; alta vero non amplius duos.

Prior è duobus hifce Sarcophagis in Villa olim Bofii, nunc vero facri atque inclyti Ordinis Hierofolymitani, ad montem S. Valentini fita, Via Flaminia inter varias è Cœmeteriis acceptas infcriptiones calce firmatus extat. Hiftorias, quas continet, paucis hic exponere libuit.

Exod. 17. 6. I. Mirificus igitur Hebræorum Legiflator hic fefe primus contemplantibus offert, qui percuffa petra in deferto largiffimas inde populo elicit aquas. Plurima autem ex hac à Moyfe percuffa petra fancti *1. Cor. 10.* Patres myfteria haurire affolent. Et primum quidem ad hæc Apoftoli verba: Petra autem erat Chri- *S. Hieron. in. 7. in pf. 77.* ftus, fontem baptifmi nobis, ac martyrii eadem petra oftendi afferit Hieronymus: De latere enim Chrifti, inquit ille, cum percuffus eft, fanguis & aqua proceffit, quod Baptifma, & martyrium figuravit. *Iuft. colloq. cum Triph.* In folitudine vero petra aquas effudit, in terra videlicet, ait Juftinus, gentium cognitionis Dei expertium, fontem omnis gratiæ ac fapientiæ fcaturire fecit Chriftus.

Act. 12. 3. II. Petrus Apoftolus, ut alibi fæpius jam vidimus, ni fallor, in carcerem conjici videtur.

Ioan. 5. 8. III. Chriftus Dominus paralyticum fanitati reftitutum cum grabato in humeris domum remittit.

IV. Mulier brachiis expanfis orantis in fpeciem.

Matth. 14. 19. V. Chriftus Dominus, qui quinque panibus, & duobus pifcibus ingentem hominum multitudinem in deferto pafcit.

Io. 11. 44. VI. Iterum Chriftus Dominus, qui Lazarum à morte ad vitam revocat: Martha autem Domini pedibus advoluta illum adorare videtur.

Longus eft palmis decem: altus vero duobus, & quadrante.


Alter, cujus imaginem hic quoque fubjicimus, extabat in ædibus quibufdam privatis propter Ecclefiam SS. duodecim Apoftolorum.

I. In ejus meditullio effigies quædam confpicitur, ejus fortaffe, cujus corpus in hoc Sarcophago olim conditum quievit. Deinde bonus ille Paftor, qui baculo paftorali incumbens, gregi fuo veluti advigilat, illic quoque eleganter effictus eft.

Io. 11. 44. Exod. 17. 6. II. Cæterum in binis hinc atque hinc ædiculis angularibus: hic quidem Chriftus Dominus Lazarum exfufcitat: illic vero Moyfes percutit in eremo petram, & populo producit aquas.

Minor

SARCOPHAGI DVO MARMOREI IN VATICANO REPERTI





SARCOPHAGI DVO MARMOREI IN VATICANO REPERTI





Minor illa Arca marmorea, quæ bino figurarum ordine conſtat, in præſens reperitur ante ædes Mutorum in platea ex adverſo Eccleſiæ S. Joannis à Pinu vulgò dictæ. Variis quà veteris, quà Novi Teſtamenti prodigioſis hiſtoriis adornata eſt.

Exod. 17.6. I. In primis enim illic viſitur divinus Hebræorum legiſlator Moyſes, qui nutu Dei mirifica ſua virga petram percutit, ex qua continuo ingens aquarum motus effluit.

Matth. 14. 19. II. Habetur etiam ibidem Chriſtus Dominus, qui fameſcentis in deſerto multitudinis miſericordia motus, quinque panes, & duos piſces ad illam ſatiandam divinitus multiplicat.

Matth. 26. 57. III. Paulò ulterius idem Dominus repræſentatur, in quem Judæi manus injiciunt, & captivum veluti abducunt.

IV. In medio proſtat mulier quædam explicatis brachiis orantis in morem.

Gen. 3. 24. V. Sequuntur deinde Protoparentes juxta lignum vetitum, qui Dei præcepto jam violato, mœſti, vultuque demiſſo ſerò ſe nudos eſſe agnoſcunt.

Gen. 22. 10. VI. Proximus illis, qui obedientiam temere abjecerant, nec Deo paruerant, obedientiſſimus Patriarcha Abraham expreſſus eſt, qui unigenitum ſuum in holocauſtum offerre Deo paratus eſt.

Io. 11. 44. VII. Denique Chriſtus Dominus, qui Lazarum à mortuis excitat.

Matth. 2. 11. VIII. In ordine ejus inferiori conſpici datur in ſinu Virginis Matris Deus infans, quem tres Magi adorant.

Gen. 9. 11. IX. Cernitur item illic Noë in Arca, qui, aquis diluvii jam ceſſantibus, columbam cum ſurculo olivæ reverſam, pacis iræ cæleſtis nunciam, excipit.

Io. 3. 2. 1. X. Propheta Jonas ex navi in Mare projicitur, & alvum ingentis Ceti ingreditur: ſed triduo poſt in terram redditus, ſub umbraculo cucurbitæ recubare videtur.

In longitudinem hæc Arca obtinet palmos quinque cum dimidio, in latitudinem duos, in altitudinem item duos, & unciam.

Altera vero major, & quæ nil niſi ſacroſanctum Chriſti nomen binis Græcorum elementis expreſſum præ ſe fert, modo viſitur in atrio D. Angeli incoronati, è regione Eccleſiæ S. Marcelli.

Longa eſt palmis octo, & ſemis, lata tribus & quadrante, alta vero duobus.

Prior ex his Sarcophagis extabat in domo Presbyterorum S. Iuonis vulgò ad Scrofam. Sacræ, quas præ ſe fert, figuræ, earumque myſteria, ut quidem videtur, ſic ſe habent.

Ezech. c. 37. 7. I. Repræſentari in primis illic creditur admirabilis illa viſio, quæ in divinis litteris objecta legitur Ezechieli Prophetæ, qua ſibi in ſpiritu viſus eſt evocari in campum oſſibus mortuorum vehementer aridis plenum: illo autem vaticinante viſa ſunt accedere oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam, carnibus indui, animari, ac demum revixiſſe. Per iſtam quidem reſurrectionis parabolam, ut D. Hieronymus cum Gloſſa diſſerit, qua oſſa arida, & multa vetuſtate confecta videntur reſurgere, reſtitutionem populi Iſrael, in captivitatem ducti, & toto Orbe diſperſi, Prophetæ Dominus indicabat. At vero Chriſtiani hoc ſibi ob oculos poſito divinæ potentiæ myſterio, ad quævis perferenda tormenta, atque ipſam mortem ſubeundam fortiores multo, & alacriores reddebantur, certiſſima ducti ſpe, fore ut à Domino, cujus amore ſanguinem profundebant, omni mœrore ac miſeriis liberentur, & in vitam meliorem, atque immortalem afferantur. (*D. Hieron. in Ezech. c.* 37.)

Matth. 2. 11. II. Tres Magi, qui verum Judæorum Regem Chriſtum recens natum adorant, & magnis oblatis muneribus Dominum ſuum profitentur.


Longus eſt palmis quatuor, altus vero uno dumtaxat & ſemis.

III. In altero hic ſubjecto Sarcophago mulier quædam exſculpta eſt, juxta quam nonnullæ columbarum ac turturum imagines effictæ viſuntur. Ad deſignandam, opinor, ejus innocentiam, manſuetudinem, ac puritatem. Hæc etenim avis, quæ etiam naturaliter felle caret, innocens, ac manſueta, vitam ſine alterius gravamine peragit: & in nullum animal, ut cum Caſſiodoro loquar, fellica voluntate conſurgit; nec eſcis ſordidis ullatenus acquieſcit. (*Caſſiod. in pſ.* 54.)

IV. Paſtor bonus, qui ovem erraticam ſuis humeris ad ovile reportat.

Longitudine eſt palmorum quatuor, altitudine vero non amplius uno cum dimidio.

SARCOPHAGI DVO MARMOREI IN VATICANO REPERTI



SARCOPHAGI DVO MARMOREI IN VATICANO REPERTI



Arca hæc marmorea è Cœmeterio Vaticano eruta, in ædibus Martii Milesii inter alia antiqui operis pretiosa monimenta olim servabatur. Complura, quæ Christus Dominus mortalibus beneficia divinitus præstitit, contemplantibus suspicienda exhibet.

Matth. 9. 26. I. Viris duobus, qui luminibus orbati magna voce Christum Dominum compellabant, tetigit pariter ac aperuit oculos.

Matth. 9. 20. II. Mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, advoluta Domini pedibus, valetudinem certam, si vel fimbriam vestimenti ejus sibi tangere daretur, se consecuturam confidit, nec lusa fiducia est.

Io. 5. 8. III. Christus, qui Paralytico sanitatem restituit, & cum grabato in humeris dimittit.

Matth. 21. 8. IV. Triumphalis ejusdem Christi Domini introitus in sanctam Civitatem, cui obviam Hebræorum pueri cum ramis palmarum occurrunt.

Longitudo ejus palmos novem, altitudo autem duos & dimidium æquat.

Hæc Arca marmorea, cujus iconem præsenti tabula subjicimus, aliquot abhinc annis, dum fundamenta Basilicæ Vaticanæ ponerentur, effossa in lucem prodiit. Modò conservatur in ædibus quibusdam privatis in civitate Leonina sitis. Figuræ autem ex sacris utriusque Testamenti literis petitæ, quibus duplici ordine distincta, & ornata est, sic se habent

Matth. 21. 8. I. Christus Dominus principiò illic visitur, qui jumento insidens sanctam Civitatem ovans ingreditur, & ab omni populo, vestimentis humi stratis, festivisque acclamationibus excipitur.

Ib. 14 19. II Iterum Christus Dominus, qui populum in deserto divinitus multiplicatis panibus pascit.

Exod. 14. 22. III. Moyses, qui per mare Rubrum, aquis prodigiose divisis, & instar muri cujusdam crystallini dextra, lævaque erectis populum ducit; quos cum Pharao idem iter ingressus persequitur, aquis iterum coëuntibus, cum omni exercitu absorptus periit. Laudabilis ac certissima apud omnes SS. Patres, divinorumque interpretes figura, & imago Baptismi est ille transitus per mare Rubrum. Ibi enim, ut disserunt, Israëlitæ per aquas maris Rubri ducti, servitute Ægyptiaca liberantur: hic autem per aquas Baptismi, Christi sanguine rubicundas, ex servitute peccati in libertatem filiorum Dei asserimur: ibi Pharao cum exercitu in profundum demersus extinguitur: hic autem diabolus cum peccatis exscinditur, ac deletur. *Beda.* Sed hæc eadem mysteria ipsismet, totidemque venerabilis Bedæ verbis, si placet, audiamus: Rubrum mare significat, inquit ille, Baptismum, Christi sanguine consecratum. Virga autem, qua mare tangitur, Crux Christi est, quam per Baptismum accipimus. Inimici sequentes cum Rege, qui à tergo moriuntur præterita peccata sunt, quæ diluuntur, & diabolus in spirituali lavacro id est Baptismo, suffocatur.

Exod. 17. 6. IV. In ordine inferiori cernitur iterum Moyses è petra aquas eliciens.

Matth. 20. 34. V. Negatio Petri illic exhibetur à Domino ipsi prædicta, & dolor, quem facti conscientia commotus, continuò habuit.

Ib. 2. 11. VI. Tres Magi Christum recens natum adorantes.

Dan. 6. 16. VII. Daniel in lacu leonum.

Gen. 3. 24. VIII. Protoparentes juxta arborem vetitam.

Ib. 22. 10. IX. Sacrificium Abrahæ.

Ib. 8. 11. X. Noë, qui columbam cum oliva reversam pacis præconem excipit.

Longa est palmis quinque, lata duobus quinta parte minus, alta verò duobus.

SARCOPHAGVS MARMOREVS IN VATICANO REPERTVS



SARCOPHAGVS MARMOREVS IN VATICANO REPERTVS



* Prior è duabus his Arcis marmoreis, quarum simulacra hic habes, fragmentum potius Arcæ, vel operculi ejus videtur esse. Extat in anteriori pariete cujusdam domus in platea vulgari vocabulo della Regola nuncupata. In ea exsculpti visuntur tres Pueri in fornace Babylonica Item Noë, qui columbam cum ramusculo olivæ reversum excipit.

Altera verò reperitur in atrio domus Comitum de Marsciano, prope Turrim Militiarum vulgo dictam. Sed accidit illi, quod nonnullis aliis ejusmodi Arcis, quæ superiorum temporum inertia in usum profanum conversæ fuerunt. Verùm exculta hac nostra ætate aliquas conspicuo, decentique loco jam positas videmus; idque non Principum modò nutu, sed & privatorum quorumdam studio, nominatim unius è nobili, & antiqua Gualdorum Ariminensium gente Francisci Gualdi Equitis S. Stephani, qui nonnullas è tenebris, quibus involutæ, abjectæque diu jacuerant, in lucem asserere, & per porticus principum Basilicarum disponere gloriæ sibi, ac honori meritò duxit. Indignum enim probi, ac sagacis vir ingenii arbitrabatur, ut marmorea hæc monimenta, quæ veterum Christianorum, id est, sanctorum (tales enim nascentis Ecclesiæ fideles erant) corpora intra se quondam complexa sunt, & quæ instar cujusdam autographi Christianæ fidei mysteria exarata præ se ferunt, profanari, ac alieno usu polluti, & non potius ad rerum maximarum contemplationem, venerationemque mortalium animos identidem, ut nata sunt, excitandos in publico Orbis conspectu collocari. Sed hæc hactenus. Figuræ autem, quas præsens Arca continet, ut vides, hæ sunt

Dan. 1. 16. I. Daniel in lacu Leonum

Exod. 3. 5. II. Moyses, qui ad colloquium Dei accessurus, primùm sibi jussu divino exuit calceamenta.

Io. 9. 6. III. Christus Dominus, qui oculos largitur cæco nato.

IV. Effigies nescio cujus brachiis expansis orantis in morem.

Io. 5. 8. V. Christus Dominus, qui paralyticum sanitati restitutum cum grabato in humeris domum dimittit.

Marc. 7. 27. VI. Iterum Christus Dominus, ad cujus pedes mulier quædam provoluta cernitur, forte Syrophœnissa, rogans eum, ut dæmonium ejiceret de filia ejus.

Longa est palmis sex & semis, lata duobus totidemque unciis, alta verò duobus, & triente.

Sarcophagus iste marmoreus, cujus iconem hic oculis subjicimus, ex Vaticano, ubi illum inter effodienda Basilicæ Principis Apostolorum fundamenta reperiri contigit, ad Hortos Mediceos in monte Pincio translatus est. Sacris tum veteris, tum novi Testamenti historiis exornatur.

Io. 11. 44. I. In primis enim illic visitur Christus Dominus, qui Lazarum quatriduanum è mortuis excitat. Martha verò ad ejus pedes provoluta, illum veluti adorat.

Exod. 17. 6. II. Moyses, qui percussa in deserto Petra, largissimas inde populo sitibundo divinitus producit aquas.

Ionæ 2. 15. III. Videas quoque licet Jonam Prophetam ter illic exsculptum, semel, ubi è navi projicitur in mare, & fauces balenæ ingreditur: iterum, dum illum immanis bellua triduo post in terram evomit: tertiò denique sub umbraculo recubare videtur.

Longitudo ejus palmos quinque, & dodrantem, latitudo tres & unciam, altitudo autem duos & dimidium æquat.

13 Per-

SARCOPGI DVO MARMOREI IN VATICANO REPERTI





SARCOPHAGVS MARMOREVS IN VATICANO REPERTVS



Complures alii Sarcophagi hodieque reperiuntur.

13 Permulti itidem hac nostra ætate inter effodiendum Sarcophagi reperiuntur, qui etsi non omnes sacris imaginibus insculpti sunt, ex eorumdem tamen satis ampla, præstantique forma, & ex pretiosis item defunctorum indumentis, quæ sæpissime in iis haud penitus consumpta videre est, insignium quidem illa virorum sepulchra extitisse constat. Ex quibus omnibus merito quis colligere potest, quam illustre quondam ac celebre Vaticanum Cœmeterium fuerit. Etenim si minima tantum ex parte, quam conspici datum est, cum novæ fundamenta Basilicæ effoderentur, tot insignia, suspiciendaque monumenta apparuere, certe quidem his multo plura & nobiliora forte adhuc extare credendum est in ampliori parte ejusdem Cœmeterii, quæ superest, & necdum à quopiam, præclusis cuniculis, perscrutando tentata est.

Christianæ religionis signa, ejusque symbola in tumulis reperta.

14 At verò præter Sarcophagos, de quorum sacris imaginibus, earum significationem exploraturi, quarto hujus operis libro pertractabimus, hactenus diligenter observatum est, in eorum plerisque signum sanctissimæ Crucis, & sacrosanctum Christi nomen variis modis appositum, expressumque fuisse, hac ratione ac forma, quam lectori intuendam hic proponimus:





Et ut ad rem nostram quid enarremus: cum opportune hic anno 1607. die vigesima quinta Maji plurimos sub veteris Basilicæ pavimento Sarcophagos ab immo terræ sinu extrahi contigisset, ubi scilicet ob novi Templi fundamenta, humum egeri opus erat, unus præcipue effodientium manu detectus est, in quo defuncti corpus indumentis aureis egregie exornatum jacebat, quibus nimirum sacrosancti Altaris olim ministri uti consuevere, cruciculam autem auream intus vacuam habebat, quæ in summitate annulum quendam præferebat hac forma:



ad eam scilicet devotionis gratia è collo suspendendam, quam olim sanctorum reliquiis refertam fuisse credere par est. Aureas item capsulas, quæ nil prorsus continebant, aptato in earumdem summitate annulo in Vaticanis sepulchris, anno millesimo, quingentesimo septuagesimo primo adinventas fuisse non ignoramus: quas Alpharanus deinde exacte describens, in eisdem sacrum Christi nomẽ ex una parte, hoc plane modo fuisse inscriptum ex altera verò aliquot columbarum pullos insculptos pariter fuisse asserit.

Tib. Alphar. de Bas. S. Petr.





Sarcophagi aqua pleni cum ossibus mortuorum in saxa duratis reperti.

15 Alii item Sarcophagi purissima aqua omni ex parte redundabant, ex qua defunctorum ossa, quæ ibidem recondebantur, quovis solidiora marmore evaserant. In plerisque aliis lapideis urnis cernere licebat corpora, quæ regium in morem opobalsamo uberrime condita, institis sive fasciis infantium instar obvoluta erant. Tunc verò pariter adnotatum est ab his, qui rem omnem oculis assecuti sunt, eadem corpora eo loci situ composita, ut facie ad Orientem respicerent. Hinc unum præ cæteris cadaver anno millesimo sexcentesimo sexto die quinta Julii in marmorea quadam arca, institis involutum, colligatumque, quod ad orientem respiciebat, repertum fuit, in cujus arcæ operculo exsculpta hujusmodi inscriptio legebatur:



CONSTANTI LO
CUS QUI ADHUC COS
TAT.

Quod quidem corpus sub novæ Basilicæ pavimento juxta altare olim sanctorum Pontificum Leonum in altera pariter marmorea arca conditum est.

Quam plurimi lateritii Sarcophagi effossi.

16 Porro innumeri fere lateritii Sarcophagi ibidem visi fuere, in quibus defunctorum corpora fasciis seu institis modo, quo supra descripsimus, obvoluta servabantur: ac permultæ quidem sepulchrorum inscriptiones legentium oculis objiciebantur; quarum insigniores dumtaxat, Consulibus prænotatas, describendas hic duximus; hæ autem sunt, quæ sequuntur:

Inscriptiones sepulchrales in Vaticano repertæ.

BENEMERENTI IN PACE PROCLO QVIBIXIT
ANNVS XVI DISPOSITVS VI IDVS OCTOBRIS
DD. NN. HONORIO AVGVSTO VIII ET
THEODOSIO CC. SS.



Et certe octavus hic Honorii Consulatus in præmemorata inscriptione una cum Theodosii tertio adnotatus contigit anno redempti orbis quadringentesimo nono, Innocentio Primo summo Pontifice; tunc temporis videlicet, cum Alaricus Urbem obsedit. In quodam autem fragmento, anno 1610. inter effodiendam humum pro novæ Basilicæ fundamentis reperto, hujusmodi titulus extabat.

TARRESES. REQVIESCIT. IN PACE......
ANNOS XXX. DEPOSITVS. NONV.
KA.... DIE SATVR' ORA' PRIMA DN
FL........... SIO AVG' IIII. CONS.

Fragmentum è fundamentis Basilicæ Vat. erutum.

Porro Quartus iste Theodosii Consulatus anno 411. sub eodem Innocentio Primo contigit. In altero autem quodam fragmento ibidem eodem sub anno reperto, hujuscemodi verba erant exsculpta:

..... CE' V̄.C. CŌN. SD̄. III. ĪD. OCTB.
DE IN PACE ALBINA. C. F.

Aliud fragmentum ibidem repertum.

Ultima verò illa, quæ superest syllaba C.F. commode hoc modo ad omnimodam verborum significationem hauriendam supplenda videtur: *Consulis Felicis nomine*, qui videlicet una cum Tauro anno 428. sub Cœlestino Papa, Theodosio ac Valentiniano Imperatoribus Consulatum gessit. Alius item sepulchralis titulus anno millesimo, sexcentesimo nono è fundamentis, hujusce tenoris in lucem prodiit:


HIC

E marmore tabula in iisdem fundamentis inventa.

HIC REQVIESCET IN SOMNO PACIS ☧ MALA QVI VIXIT ANNOS XXXVIIII. M. V. DV. ACCEPTA APVT DEVM Iv. IDVS JVNIAS ÆTIO CONL'.

Atqui Ætii Consulatus, cujus in eodem titulo mentio fit; quater in Consularibus Cassiodori Fastis adnotatus reperitur. Si hic utique primus, qui appositus in annum 432. sub eodem Pontifice, iisdemque Imperatoribus incidit.

17 In minori veteris Basilicæ navi, ad quam per portam Judicii nuncupatam accedentibus ingressus patebat, in octavæ columnæ basi hujusmodi inscriptio legebatur:



Verum Theodosii Consulatus xv. & Valentiniani quartus anno Salutis 431. sub Sixto Tertio summo Pontifice recensendus est. Hujus autem Felicis ossa longo jam temporis decursu pene absumpta, & fere in cinerem redacta, in marmoreo quodam Sarcophago condita sunt, & recurrente salutis anno 1607. die 6. Junii sub novæ Basilicæ pavimento deposita.

18 Subsequens itidem inscriptio inter cæmenta anno 1610. in eadem veteri Basilica reperta fuit:

Inscriptio ex eisdem Basilicæ fundamentis effossa.

☧ LC. JOANNIS. ALICENSIS SE VIBO CONPARAVIT PC. VIATORIS.

Sed enim Viatoris Consulatus anno Christi 495. Gelasio Summo Pontifice, Anastasio Imperatore, & Theodorico Rege contigit. Quocirca hic annus cum post ejus Consulatum adnotetur, necesse quidem est anni sequentis 496. initio contigisse: tunc enim Paulus, qui hoc anno Fastis adscribitur, nondum fortasse Consul renuntiatus fuerat.

19 Aliud hic subteximus sepulchralis tituli fragmentum anno 1610. effossum:

Fragmentum tituli sepulchralis.

HIC REQVIESCIT CATELLVS NO .... QVI VIXIT ANN. PLM. X. DEP. IN PA....... AVIENO JVN. VC. CON....

At Consulatum Avieni Junioris anno Christi 502. Symmacho summo Pontifice, Anastasio Imperatore & Theodorico Rege contigisse constat. Fragmentum aliud mense Octobri anno 1608. dum novæ Basilicæ fundamenta ponerentur, erutum, lector accipe.

Aliud fragmentum.

☩ FL MAXIMO VC CON..... CONCESSVM LOCVM PE....... ROME EX TRB VOLVP...... ET CONJVGI EJVS JOHAN ...... PAPA HORMISDA ET TRA.... PRAPST. BASC. BEATI PETRI.......

Tribunus voluptatum in Magistratu Romano qui diceretur.

Ad cujus tituli intelligentiam, illud legentibus hic nosse opus est, quod videlicet Tribunus Voluptatum, cujus in hac inscriptione mentio fit, in Notitia Romani Imperii inter eos olim Magistratus recensebatur, qui Urbis Præfecto suberant. Et quamvis ipsemet Tiberius Imperator nonnulla quædam instituerit munia, quæ à voluptatibus nuncupata sunt, quorum Suetonius in Tiberio his quidem verbis meminit: *Novum denique officium instituit à voluptatibus. Præposito equite Romano Tito Cæsonio Prisco.* Cum tamen Tribunus ille, qui in inscriptione recitatur, sub Hormisdæ Pontificatu vixerit, jure quidem merito opinari quis posset aliud omnino ejus fuisse munus ab iis, quæ ethnici antiquitus instituerant; nisi formula, quæ memorato voluptatum Tribuno servanda præfigebatur, ut apud Cassiodorum videre est, etiam tunc temporis scenicorum turbæ, ac ludicris eorumdem artibus moderatorem quendam ac judicem pariter præfuisse satis superque ostenderet.

Suet. in Tib. c. 42.

Cassiod. l. 7. nar. ep. 10.

Nemo in Va. Basilica sepeliri nisi ex peculiari Rom. Pontificis indulto potuit.

20 Ex eadem insuper inscriptione aperte colligitur, haud cuipiam in Vaticana Basilica sepeliri permissum, nisi ex speciali Romani Pontificis indulto. Quod quidem liquido comprobari videtur ex concessione quadam ab ejusdem Basilicæ Canonicis cuidam Ægidio Roffredi anno 1294. die 25. Octob. sub Cælestino V. impertita, quæ in ejusdem Basilicæ Archivio adhuc asservatur, capsula C. fasciculo 165. fol. 284. In ea etenim facultatis sibi à Cælestino Quinto factæ concedi jus dicitur, ut in sacello sanctæ Agathæ, in eadem Basilica à se erecto sepeliri queat.

21 Sed alia hic interim à nobis Inscriptio subjicienda est, quæ antiquitus in pariete alæ minoris extabat, ubi sacra Christi Salvatoris Imago Veronicæ manu excepta servabatur, est autem ejusmodi:

Inscriptio antiqua in pariete alæ minoris.

GABINA CAUDENTIA H. F. IN QUA FUIT INIMITABILIS CASTITAS INPROBISSIMA VERECUNDIA INCOMPARABILIS INNOCENTIA PERPETUA QUIESCIT IN PACE Q VIXIT ANN. XVIII M. XI. D. XXI. VARIUS VICTOR COJUGI B. M. D. XII. KAL. AUG.

Huic alter sepulchralis lapis eodem loco anno 1610. repertus subnectendus est:

EUSTACHIUS SE VIBO FECIT.

Neque verò silentio à nobis obvolvendus est alius item lapis his notis consignatus, qui in Vaticanæ Basilicæ porticu eodem anno repertus est.

LOC. DULCITI ET EUTICHITIS. NOT. ECCL. ROM. Q C. P. R. B. R.

Lapis marmoreus in Porticu S. Petri repertus.

☧ LOCUS PETRI SUBDIACONI SANCTE ECCLESIÆ ROMANÆ. REG. PRIMÆ QUEM COMPARAVIT ☧ SE BIVUM.

Notarii Regionarii.

Porro Subdiaconi, ac Notarii Regionarii munus, quorũ hic mentio incurrit, ab ipsis Ecclesiæ primordiis institutum fuit. Siquidem sanctiss. Pontifex Clemens (ut jam enarravimus) Notariis 7. Urbis Regiones distribuit, singulas videlicet singulis assignans, qui martyrum acta, quorum tunc ob Imperatorum persecutiones frequens erat numerus, diligentissime conquisita, ne memoria exciderent, literis demandarent. S. Fabianus item septem subdiaconos creavit, qui res pariter martyrum gestas à Notariis conscriptas in unum colligerent: & hanc ob causam utrique Regionarii appellati sunt. Quorum officium in ord. Rom. & antiquis Ecclesiæ Ritualibus late distribuitur, & diu in Ecclesia sub hoc eodem titulo eorum munus viguit, ut prolixius lib. 1. disseruimus.

Diaconi, & Subdiaconi Regionarii.

 22 Sane

Prima Urbis Regio. P. Victor. Sextus Rufus.

22 Sane prima Urbis Regio, cujus in præmemorato ſepulchrali titulo fit mentio, juxta id quòd Publius Victor, Sextus Rufus, & ex antiquis alii aſſerunt, ad portam Capenam, nunc vulgo ſancti Sebaſtiani, erat. Negotium tamen aliquid faceſſere nobis ſeptena hæc diſtributio videtur: certum quippe eſt à Publio Victore, Sexto Rufo, cæteriſque probatiſſimis Romanarum antiquitatum ſcriptoribus in Regiones quatuordecim Urbem diviſam fuiſſe. Sed probabile nobis fit à ſummis illis Pontificibus ex quatuordecim regionibus in ſeptem dumtaxat redactas fuiſſe, unaquæque ſcilicet earum propinquiori adſcripta. Quod etiam uſque ad Gregorii Magni tempora in uſu exſtitiſſe ſeptiformes ab eodem Litaniæ inſtitutæ perſpicue demonſtrant. Ex quo illud commode affirmari poſſe videtur, primæ videlicet Regionis ſubdiacono ſecundam itidem Cælimontanam, quæ proxima erat, injunctam, commendatamque fuiſſe.

Urbis Regiones in 14 olim partitas Pontifices in ſeptem redegerunt.

23 At de urbanarum regionum diviſione his breviter enarratis, proferenda in medium hic eſt Inſcriptio, quæ olim in marmoreæ ſedis Pontificiæ gradibus ad majorem Baſilicæ apſidem his quidem verbis legebatur:

AD SANCTVM PETRVM APOSTOLVM ANTE REGIA·
IN PORTICV COLVMNA SECVNDA QVOMODO INTRAMVS
SINISTRA PARTE VIRORVM·
LVCILLVS ET IANVARIA HONESTA FEMINA·



At verò inſcriptio hæc antiquiſſimum illum ac laudabilem ritum nobis innuit, quo viri à mulieribus loco ſecerni in Eccleſiis conſueverant, Templi adinſtar Hieroſolymitani, uti Joſephus Hebræus prolixe deſcribit. Quem item ritum ſatis aperte inſinuare videtur S. Clemens Romanus Pontifex, qui Eccleſiarum formam, earumque ambitum circumſcribens, portas, per quas viris in eaſdem aditus patebat, ab his, qua mulieres ingrediebantur, diverſas utique exſtitiſſe aſſerit. Præerant autem inter fœminas huic ſpecialiter muneri Diaconiſſæ, uti apud viros Oſtiarii: quinimmo inter ipſaſmet fœminas gradus quidam conſtituti erant, virginum ſcilicet, nuptarum, viduarum, ac matronarum. Ex quo liquido interim hæc legentibus, ac recolentibus ſuppetit, quam rite, quam caute in ſervandæ caſtimoniæ ac modeſtiæ cultu priſci illi Chriſtiani inſiſterent, tunc maxime, cum in Eccleſiis cum Deo, ſacris muniis intenti, verſarentur. Atqui digna hæc ac laudabilis conſuetudo aſſertores habet Cyrillum Hieroſolymitanum, Gregorium Nazianzenum, Microloġum, Anaſtaſium, Bibliothecarium, & nonnullos alios. Quibus ſanctiſſimi Patres Chryſoſtomus & Ambroſius inhærentes addunt, diviſionem hanc inter viros ac fœminas intermediis olim tabulatis fieri conſueviſſe. Juxta quem ritum cum Juſtinianus Imp. celeberrimum S. Sophiæ Templum Conſtantinopoli reſtauraret, in eo locum mulieribus à viris diſcretum aptavit. Sed de his hactenus, cætera ad ſcriptores, qui hac de re ex profeſſo agunt, remittentes: alias interim inſcriptiones in Vaticano repertas referamus. In primis marmor, quod nunc quidem in atrio Eccleſiæ S. Angeli in Civitate Leonina viſitur, ſed propediem in priſtinum ſuum in Vaticano locum reſtituendum ajunt, hiſce notis inſcriptum:

Viri à mulieribus in Eccleſiis loco olim ſecernebantur. Joſeph. Hebr. Jud. b. 1.

Inter ipſas mulieres locorum erat diſtinctio.

Cyrill. in præf. ad Catech. Naz. de ſomn. Anaſt. Microl. de off. Eccl. Bibl. in Greg. III. S. Ambr. ad Virg. lapſ.

Inſcriptio è Cœmeterio Vaticano eruta.

✝ SEPVLCHRVM EVGENII NOT. CVM SVIS.
✠ IMPIA MORS RAPIENS TENERIS TE NATE SVB ANNIS
INVIDIT MERITIS ↘ CRISCERE MAGNA TVIS
TE EORALE DECVS PRIMO CVM CARMINE CEPTO
DOCTOREM DOCTOR VIDIT ET OBSTIPVIT
VICISTI PRISCOS LONGEVA ETATE PARENTES
ANNIS PARVE QVIDEM SED GRAVITATE SENEX
NON LVXVS TIBI CVRA FVIT NON GRATIA PONPÆ
DOCTILOQVM CVPIDVS CARMINIS ARDOR ERAS
TV MERITIS ORNATE TVIS MONVMENTA RELINQVIS
QVÆ RECOLENS SEMPER SIT SINE FINE DOLOR
MORTE TVA GENETRIX OPTAVIT SVMERE MORTE
SE QVOQVE FELICEM SI POTERITVR AIT
TER DENOS PRIMVM QVAM LVNA RESVMERET IGNES
CONJVNCXIT MEMBRIS MEMBRA SEPVLTA TVIS
NVNC COMMVNE NOBIS CVSTVS TV SERVA SEPVLCHRVM
QVE NOS HEC TECVM MOX TEGET ORNA SIMVL

✝ DEPVTAVIMVS IN ISTA SEPVLTVRA NOSTRA EX TM PAGINMI. AD OBLATIONES VEL LVMINARIA NOSTRA ORTI TRANSTIBERINI VNCIAS SEX FORIS MVROS JVXTA PORTA PORTVENSE QVOD FVIT EX JVRE Q̄D MICINI CANCEL. IN LVRBS PD PATRIS MEH

✝ SET QVATVOR. VNCIAS FVNDI. EVCARPIANI QVOD EST CONSTITVM JVXTA· S̄C̄M· CYPRIANVM VIA LABICANA INTER· AFFINES FVNDI CAPITINIANI JVRIS. SCE· ECC̄L. ROM. SED ET FVNDI FLAVIANI JVRIS PVBLICI JVXTA SABINIANVM EXPLICIT·

✠ DEP. EST BOETIVS. CL. P. OCT. KAL. NOBR. INDICT. XI. IMP. DOM. N. JVSTINO. P̄P̄. AVC. ANN. XII. ET TIBERIO CONST. CAER. ANN. III. ☧ DEP. EST IN PAC. ARGENTEA MAT. SS. XIII. KAL. DECEM̄B. QVI SS. BOETIVS VIXIT ANN. XI. M. VIIII. Ð. XXIII. ET MAT. EJVS VIXIT AN̄N. XXXVI. M. II. Ð. XII.

Pia olim bona Eccleſiis legandi conſuetudo

24 Hac perantiqua utique inſcriptione, pia pariter ac frequens conſuetudo illa comprobatur, qua agri, ac bona Eccleſiæ ex teſtamento addicebantur, ad perficiendas in Eccleſia ſolitas oblationes,

ad oblationes & luminaria.

lationes, & luminaria ibidem jugiter concinnanda. At vero cum ex recitatis verbis luminaria nostra nuncupentur, illa utique luminaria subintelligenda esse putamus, quæ in eorundem defunctorum anniversariis de more accendebantur. Conjicitur ex his præterea Ecclesiam via Lavicana S. Mart. Cypriano dicatam, extitisse, cujus antehac nullum prorsus vestigium, aut memoria superest.

rus Diaius in t. Basilisepultu-... cum inet.

25 In eadem quoque Vaticana Basilica præter alios celeberrimos viros, quos ibidem tumulari contigit, sepultura donatus est insignis ille & fatis nunquam laudandus Petrus Diaconus, quem sanctus Gregorius in suis Dialogis interlocutorem inducit: conditus autem fuit in sacello, quod Gregorius Tertius in honorem B. Virginis erexerat, juxta ejusdem Gregorii Tertii sepulchrum.

ingardus n Saxonm Regis ator.

26 Wingardus quoque Oswi Regis Saxonum ad Vitalianum orator cum muneribus missus, cum anno Christi 665. defunctus in Urbe esset, in hac Basilica depositus est, quod ipsemet Vitalianus eidem Oswi rescribens, testatur hæc dicens: *Itaque qui hæc obtulit munera, de hac subtractus est luce, situsque ad limina Apostolorum, pro quo valde sumus contristati, quod hic esset defunctus.* Habentur hæ litteræ apud Bedam & Baronium.

da hist. l. c. 29. & .c. 21. r. Annal. an. 665.

27 Ambrosius quoque Notariorum ille Primicerius in hac eadem Basilica sepultus requiescit; qui sub Zacharia Pontifice semel atque iterum ad Luitprandum Longobardorum Regem legatione pro Sede Apostolica functus; & denuo à Stephano Papa Tertio ad Astulphum ejusdem gentis Regem una cum Paulo Diacono missus: & demum cum in Gallias ipsum Stephanum secutus fuisset proficiscentem, ut à Pipino Rege auxilium peteret, in monasterio sancti Mauritii anno 758. diem obiit. Ejusdem corpus Romam Paulo Primo summo Pontifice translatum anno 760. ut ex ejusdem epitaphio colligitur, in SS. Processi & Martiniani sacello repertum postea fuit.

pitaphium mbrosii imiceris.

Hunc tumulum conspicite cuncti Ambrosii Primicerii Notariorum
Ecclesiæ sanctæ, jam funus est hoc tumulatus solo
Benignus semper existens in moribus aptus
In creditam sibi rem fidelissimus dispensator
Ex hac urbe processit suum secutus Pastorem
Roma salvandam utrisque petebant regno tendentes Francorum
Sancta perveniens loca B. Mauricii aulæ secus fluvii Rhodani
Litus ubi vita noviliter doctus finivit mens. decem Indict. vii.

EP DN ẼF PP

id est, Tempore Domini Stephani Papæ.
Soboles audiunt intrinsecus gemunt de tali, tantoque doctore
Privati, simulque sodales de tali funere lugent
Rivulos lacrymarum fundunt cum caterva sequipedum
Pietatem noscentes tanti magistri
Conspicientes tumulum domestici domus sæpius
Suspirant facta bona tanti viri noscentes
O beata mors disjunxit, qui nullum reservat
Honore cui longa exspectabat via detenuit in hora
Post sex curricula annis remotus de exilio
Ad propria corpus redivit humandum,
Quem sui amatores filii cum magno reduxerunt honore
Pristinæque patriæ reddiderunt.
En placuisti Deo Ambrosie alme, ut in gremio sanctæ
Ecclesiæ matris reversus affavilis esses
Ianitori cæli commendo tua membra jam redacta favillis
Quæ resurrectura in fine mundi te credo.
Hic requiescit in pace Ambrosius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Primicerius, qui vixit annis plus minus sexaginta.
Depositus est Mense Septembris Indictione tertiadecima tempore ter beatissimi Domini Pauli Papæ.

28 Verum de Primicerii nomine ac munere plura quidem à nobis dicenda hic essent, cum variæ præsertim sint hac super re scriptorum sententiæ: sed quod ad nostri spectare videtur instituti rationem, illud unum cum Baronio dixisse satis sit, in Notis ad Martyrologium 19. Maji, ubi hac de re prolixe; eum videlicet Primicerii nomine appellari consuevisse, qui primarium quovis in munere locum teneret. Secundicerium autem dictum, qui in eodem munere secundus esset. Quapropter & ipse D. Stephanus Martyrum Primicerius ab Augustino, seu Fulgentio in sermone, quem habuit in ejus laudem, nominatur. Cum igitur Ambrosius Notariorum Primicerius appelletur, illum inter eosdem principem certe sortitum fuisse locum dicendum est.

Primicerius qualis sit.

Bar. in Martyr. Rom. 19 Maji.

Secundicerius quis diceretur?

Aug. in ser. de S. Stephano.

29 Id ipsum de Christophoro quoque Primicerio, ac Sergio ejus filio Secundicerio in Ecclesia quondam Romana potentissimis, & de eadem optime meritis affirmandum est: qui pariter Adriani Primi jussu in hac Basilica sepulti sunt, ipso teste Anastasio in ejusdem Adriani vita, his plane verbis: *Post hæc jussit ante fatus beatissimus Papa abstolli corpora Christophori, & prænominati Sergii ejus filii, eaque cum honore in Ecclesia beati Petri sepeliri.*

Christophorus Primicerius, & Sergius filius Secundicerius.

Anast. in vit. Adr.

30 Eberardus Episcopus Constantiensis cum Romam una cum Henrico secundo Imperatore venisset, ipsamet die, qua summa omnium lætitia Urbem ingressus est, inopinato quidem casu ex hac vita decessit, & in Vaticanæ Basilicæ Porticu, anno 1046. tumulatus est.

Eberardus Episcopus.

31 Amauricus vir nobilissimus Comes Monfortis, & in Regno Galliarum Comestabilis, strenuissimus utique miles, qui pro tuenda Catholica fide sæpe adversus Albigenses hæreticos egregie decertaverat; cumque à Saracenis demum in bello captus, postliminio inde reversus, in patriam iter arripuisset, apud Hydruntum decessit, ejusque corpus cum delatum Romam fuisset, in eadem Basilica conditum est.

Amauricus Comes Monfortis.

32 Tandem præclarissimus vir Fr. Petrus Raymundus Zacosta magnus Rhodiensis Militiæ Magister in hac eadem Basilica juxta sacellum S. Andreæ sepultus est, quod Platina testatur his verbis: *Paulus vero compositis hoc modo Italiæ rebus, cum intelligeret Militiam Rhodiorum Militum ob inopiam ad nihilum redigi, eorum Magistrum, ac primates regionis, corrigendi erroris causa ad se vocat, qui post frequentes conventus apud S. Petrum hac super re* habi-

Platina.

habitos, tædio animi, & senio confectus moritur, sepeliturque in Basilica S. Petri haud procul à sacello S. Andreæ Apostoli. Inde postea corpus ejus in novæ Basilicæ pavimentum, una cum sepulchrali lapide delatum, honorifice ibidem conditum fuit.

33 Proposuimus en tibi, amice Lector, ob oculos antiquorum sepulchrorum imagines, quibus olim Vaticanum Cœmeterium splendide exornabatur, utinam & ejusdem Cœmeterii omnium nobilissimi hic tibi, una cum sepulchralibus lapidibus, exemplar delineare potuissemus, sed valde dolendum est, quod ob novæ Basilicæ constructionem, Cœmeterio penitus diruto, ac sacris pariter, quæ ibidem extabant, antiquæ Christianorum pietatis monimentis intra oblivionis tenebras consepultis, ingens religio detrimentum perpessa sit. Verum ne antiqui Cœmeterii memoria apud posteros penitus aboleretur, illud præstandum fuit, quod suos Christus Apostolos quondam præmonuisse legitur: *Colligite*, inquit, *fragmenta, ne pereant.* Ita plane fragmenta sepulchralium lapidum studiose perquirenda, colligenda, & thesaurorum instar servanda fuere, ne inter rudera recolenda sacræ antiquitatis memoria periret. Illud interim lectorem monemus, à Paulo V. Pont. Max. solicite præstitum fuisse, ut Vaticani Cœmeterii loco, qui subter Ecclesiæ ambitum continebatur, subterraneas nunc specus, atque cavernas sacris pignoribus refertas, ac singulari jugiter devotionis ardore excultas Vaticana Basilica possideret, quæ à subterraneo altari, quod juxta Confessionem Beati Petri situm est, & sub quo veneranda BB. Apostolorum corpora tumulata sunt, suum initium desumunt. Quo autem in honore hæc sacra loca apud fideles sint, illud satis inculcat, quod mulieribus semel dumtaxat in anno sub anathematis sententia illuc intrare à summis Pontificibus vetitum sit, ut inscriptio, quæ sacrarum cavernarum ostio apposita est tenoris hujusmodi, fidem facit:

Antiqua Cœmeterii Vat. monimenta per extructionem novæ Basilicæ detrimentum passa sunt.

Subterranea Basilicæ Vat. loca Cœmeterii nunc vicem obtinent.

Mulieribus non nisi semel in anno illuc intrare licet.

HUC MULIERIBUS INGREDI NON LICET,
NISI UNICO DIE LUNÆ
POST PENTECOSTEM,
QUO VICISSIM VIRI INGREDI
PROHIBENTUR, QUI SECUS FAXINT,
ANATHEMA SUNTO.

Si quis vero thesauros, qui apud Vaticanas specus religiose servantur, & recolendæ antiquitatis monimenta, quæ ibidem extant, nosse cupit, Jo. Franc. Torrigium in libello, quem de cryptis hisce inscripsit, consulat. Et hactenus ea, quæ ad insigniora Vaticani Cœmeterii, & Basilicæ pariter monimenta spectant, lectori exposuisse sufficiat, jam ad investigandas præcipuarum viarum semitas progrediamur.

CAP. XI.

De Viis Aurelia & Cornelia, & de profanarum antiquitatum monumentis ibidem existentibus.

1 Vaticano à nobis Cœmeterio utcunque perlustrato, ad reliqua nunc perscrutanda antiquitatis vestigia properandum est, ac primo quidem iter juxta Janiculum montem peragentes, ad ipsius tandem summitatis partem deveniemus, ubi porta sita est, quæ modo Sancti Pancratii, à plerisque autem Romanarum antiquitatum scriptoribus Aurelia nominatur. Quamvis, ut in sacris Ecclesiarum monumentis à Severano editis probatum est, porta ipsa Aurelia olim prope Hadriani molem fuerit, quæ alio item nomine S. Petri dicebatur, eo quod nobilissimo ejusdem Templo proxima esset. Huic sententiæ inprimis adstipulatur Procopius de bello Gothico agens, qui funestam Urbis obsidionem describens, sic ait: *Unde peractum est, ut portæ aliæ duæ infestæ ab hoste essent, Aurelia scilicet, quæ sancti Petri, ut ei templo propinqua, nuncupatur, & altera, quæ trans flumen est sita.* Hæc ille. Quod autem his verbis alteram S. Pancratii subintelligere voluerit, aperte ex iis patet, quæ ipsemet paulo ante dixerat, nempe: *Inter hæc Bessas, qui Prænestinam portam custodiendam acceperat, ad Belisarium misit, qui nunciavit teneri ab hostibus Urbem per portam aliam ingressis, quæ supra Tyberim est, & S. Pancratii dicitur.* Et post pauca: *Ad portam vero Pancratianam, quæ trans Tyberim est, cum hostium copia pervenissent, ob loci difficultatem nihil per eos gestum est memoria dignum: est namque locus acclivis & ea murus è regione ad invadendum haud facilis &c.* Postea vero de plebeis loquens, qui tunc temporis arma sumpserant, ait: *Hos tamen omnes ultra portam Pancratianam super Tyberim positam, phalange, facta locavit.*

Porta Aurelia.

Severan. ... sept. Eccl.

Procop. de Bell. Goth. l. 1.

Porta S. Petri.

Id. loc. sup. cit.

2 Distinguit igitur Procopius Aureliam portam à Pancratiana, illamque sitam esse innuit juxta Hadriani molem, non autem in ipsa Janiculi summitate, ubi ista, de qua modo agimus, cernitur; quamvis nonnulli putarint, & inter hos ipsemet Bosius, librariorum errore in Procopii textu mendum irrepsisse, & pro Ælia, quæ altera est juxta molem Hadriani porta, Aureliam æquivoco desumpto vocabulo, scriptam esse: verum in Græco M. S Codice, qui inter Bibliothecæ Vaticanæ libros asservatur, duobus quidem locis perspicue nomen Aureliæ exaratum apparet, hoc videlicet modo Αὐρηλίαν. Porro si portam hanc, quæ Procopii ætate Pancratiana dicebatur, Aureliam quoque olim dictam fuisse quis velit, illud quoque fateri necesse est, quemadmodum duæ quondam Aureliæ viæ recensebantur, ita duas pariter ejusdem nominis portas extitisse; & hanc, de qua agimus, priori utique abolito, ab omnibus recentiori nomine vulgo appellari. Atque ad asserendum id eo magis inducimur, quod Martio intra pomærium campo incluso, mœnibusque ad Tyberis ripam hac parte protensis, novas quoque portas novis nominibus indigitari opus fuerit: cumque facilior ac brevior ex nova illa Urbis parte transitus in Aureliam Viam per pontem Triumphalem, vallemque figlinarum juxta Vaticanum suppeteret, inde & portæ, & recenti Aureliæ Viæ inditum fuisse nomen existimamus: quod & novæ Salariæ eandem ob causam contigisse infra studioso lectori demonstrabitur. Cum autem nova ista Aurelia ob opportunitatem situs frequentius à viatoribus tereretur, populari voce sola sibi Aureliæ nomen retinuit, veteris nimirum germanæque Aureliæ nomine vel desuetudine abolito, vel ex celeberrimo S. Pancratii Martyris templo, ad quod illac itur, immutato. Hoc enim templum extra eandem Aureliam portam, & ipsamet Aurelia via situm esse exploratissimum est; ut ex enarrandis sequenti capite palam fiet.

Portæ Aureliæ à Pancratiana distinctio.

Porta Ælia.

Ex M. S. Cod. bibl. Vatic.

Via Aurelia.

Præmemoratæ autem Portæ, & viæ pariter, quisnam primo nomen dederit, incertum omnino est. Quidam enim ab Aurelio Imperatore nomen hoc desumpsisse asserunt: alii ab Aurelio, viro illu-

Porta & via Aurelia à quo nomen suum sumpserit?

illustri & Consulari: nonnulli vero (quod & nobis probabilius videtur) ab Aurelio illo, à quo in transtyberina Regione haud procul ab eadem porta forum & tribunal, quod Aurelium dicebatur, erectum fuisse profani antiquitatum Romanarum scriptores enarrant. Cujus quidem Tribunalis, ejusdemque graduum quamsæpe Cicero meminit, in Oratione præsertim, quam pro Cluentio in ejus Præfectura habuit, hæc dicens: *Ante annos octo eosdem gradus novos extitisse.* Ex quo consequens fit, gradus ejusdem à Cajo Aurelio Cotta, vel certe à Marco Aurelio exstructos fuisse, qui unus post alium Consules tunc temporis renunciati fuere, anno nimirum ab Urbe condita 678. & 679 Inde etiam longe ante M. Aurelii Imperatoris tempora, Aureliæ nomen inditum eidem fuisse compertum fieri videtur.

Forum & tribunal Aurelium.

Cicero orat. pro Cluentio

4. Præterea idem Cicero ipsiusmet Aureliæ viæ rursum meminit, dum Catilinæ iter describens, hæc habet: *Unum etiam nunc concedam, exeant, proficiscantur, ne patiantur desiderio sui Catilinam miserum tabescere. Demonstrabo iter, Aurelia Via profectus est, si accelerare volent, ad vesperam consequentur.* Alibi etiam de eadem via loquens: *Tres Viæ*, inquit, *sunt ad Mutinam; à supero mari Flaminia, ab infero Aurelia; media Cassia, usque ad Alpes maritimas, ingentes agri sunt, hique fertiles & silvosi.* Ex Suetonio autem eandem hanc Viam, Vitelliam aliquando nuncupatam fuisse deducitur, à Vitellia scilicet familia; vel saltem, quod ab ipsamet Aurelia Porta, alia item via dirigeretur, eidem Aureliæ conjuncta, cui Vitelliæ postea nomen inditum est. Sic enim inquit Suetonius: *Indicia Vitelliæ stirpis diu mansisse constat: Viam Vitelliam ab Ianiculo usque ad mare, itemque coloniam ejusdem nominis &c.* hæc ille.

Cic. in Catil.

Sueton. in Vitell. Imp.

Via Vitellia

5 Hanc ipsam & Trajanam insuper nonnulli appellatam fuisse affirmant, à Trajano nimirum Imperatore, qui eam quondam instauraverat. Et duas quidem Vias sub hoc nomine recensitas fuisse legimus; ut antiqua monimenta testantur: quod vero in hac Urbis regione extiterint, nullus profecto est, qui id asserat. Sane in Beatorum Martyrum Actis frequens admodum mentio habetur Trajanæ cujusdam Formæ, aquæ ductus videlicet, qui inibi extabant: quinimmo & in pervetusto quodam lapide, & apud Publium Vict. de Aqua Trajana mentio incurrit. Quocirca verisimile nobis fit, Trajanum Imperatorem hujuscemodi aquæductus, viamque cum eis pariter instaurasse, iisdemque restitutis suum utrique nomen imposuisse.

Via Trajana

Forma Trajana seu Aquæductus Trajani.

Aqua Trajana. Publ. Vict. [illegible]

6 Verum ipsimet Trajani Aquæductus, alio vocabulo Forma Sabbatina appellati sunt, iisdemque in Atrium Vaticanum aqua deferebatur: quam etiam ad suæ Naumachiæ, hortorum, ac Transtyberinæ usum regionis Augustus ab Alsietino lacu longo in Urbem tractu deduxit; ex quo Alsietina pariter, & Augusta aqua hæc appellata quondam fuit. Quam nuper fel. record. Paulus V. veteribus ejusdem aquæductibus instauratis, novisque constructis in Urbem iterum invexit, ut inscriptæ marmori notæ lectorem edocent.

Forma Sabbatina.

Naumachia in regione transtyberina.

PAULUS V. ROMANUS PONT. OPT. MAX.
AQUÆDUCTUS AB AUGUSTO CÆSARE
EXTRUCTOS ÆVI LONGINQUA
VETUSTATE COLLAPSOS,
IN AMPLIOREM FORMAM RESTITUIT
ANNO SALUTIS M. DC. IX. PONT. V.

Restitutis igitur aquæ Alsietinæ, seu Augustæ ductibus, & nobili structura in ipsius Janiculi summitate in Urbis prospectu excitata, derivatis subinde in unum uberrimis aquarum venis, ac fontibus miro artis studio concinnatis Urbi aquarum penuria laboranti prospexit, ut inscriptus lapis testatur.

PAULUS V. PONT. MAX.
AQUAM IN AGRO BRACGIANENSI
SALUBERRIMIS FONTIBUS
COLLECTAM, VETERIBUS AQUÆ
ALSIETINÆ DUCTIBUS
RESTITUTIS, NOVISQUE ADDITIS XXXV.
AB MILLIARIO DUXIT.
ANNO DOM. M. DC. XII. PONT. X.

Iisdem pariter aquis Urbem, & Leoninam præsertim civitatem idem Pontifex locupletavit, ut videre est ex fontibus ibidem munifice, eleganterque dispositis. Eadem vero Aurelia Via Galbæ Imperatoris quondam hortos extitisse, in quibus ipse deinde sepultus est, Suetonius, in ejus vita his verbis testatur: *Sero tandem & hoc, & cæterum truncum in privatis ejus hortis Aureliæ viæ, sepulturæ dedit.*

Horti Galbæ Imp.

Suet. in Galba.

7 Plurimorum item illustrium virorum sepulchra eandem juxta Viam sita olim fuisse, sepulchrales eorundem lapides ibidem reperti, ædiculæque complures cum ossuariis ollis gentilium more exstructæ, quas passim ab effossoribus, & his præsertim temporibus, dum celebris Pamphiliorum Villa construeretur, detegi contigit, satis aperte docent.

Sepulchra sita Via Aurelia.

Hæc insuper Via, ut & celebriores reliquæ, suum olim Curatorem habuit, quod ex inscriptionibus in medium mox proferendis satis testatum habetur: in quarum prima de duabus pariter Viis Aureliis, nova videlicet ac veteri, jam supra indicatis expressa mentio fit. Et Tybure quidem in quodam Ecclesiæ sancti Pancratii pariete lapis characteribus hisce notatus suspicitur:

Curator viæ Aureliæ.

C. POPILIO C. F. QUIR. CARO PEDONI
COS. VII VIRO EPULON.
SODALI HADRIANALI LEGATO
IMP. CÆSARIS ANTONINI AUGUSTI PII
PROPR. GERMANIÆ SUPER.
ET EXERCITUS IN EA TENDENTIS
CURATOR. OPER. PUBLICOR. PRÆT.
ÆRAR. SATUR. CURATORI VIARUM
AURELIÆ VETERIS ET NOVÆ CORNELIÆ
ET TRIUMPHALIS, &c.

Altera autem inscriptio, quæ ab Onuphrio pariter inter cæteras in ipsa Urbe Romana recensentur, hujusmodi tenoris est:

Onuphr. Panuin. de Inscript.

M. F. GAL. PRIMUS XVIR. STL. JUD.
TRIB. LEG. VII. GEM. FELICIS HISPAN.
CITERIORIS Q. URBANO.
ÆDILI CURULI PRÆTORI CURAT.
VIÆ AURELIÆ, &c.

8 Quinimmo, ubi supra de Triumphali Via egimus, de alio item Aureliæ ejusdem Viæ Curatore meminimus; Caji nimirum Sallii Aristæneti, qui hujusce, & Corneliæ simul, ac Triumphalis Curator extiterat. Quæ quidem tres viæ, ut ex sanctorum Martyrum Actis colligitur, eum in modum inter se nexæ, ac dispositæ erant, ut Aurelia inter Triumphalem & Corneliam medium teneret locum; Cornelia vero juxta Portuensem viam consisteret, & sanctæ Rufinæ, ac Silvæ candidæ Episcopatum versus protenderetur: quamvis nonnulli Corneliam Triumphali, atque Aureliam intermediam fuisse putent.

Via Cornelia. Via Portuensis.

CAP.

CAP. XII.

De Calepodii Cœmeterio, & Ecclesia D. Pancratii, quæ Via Aurelia sita sunt.

Cœmeterium S. Calepodii.

1 CElebre Calepodii Cœmeterium, suum utique nomen à beato Calepodio Presbytero, ac Martyre sortitum est, qui sub Alexandro Severo, & Callisto Papa nobili Ecclesiam triumpho decoravit; à quo ejusdem corpus è flumine, in quod ab impiis persecutoribus projectum fuerat, ingenti pietatis studio levatum, in isto, de quo nunc agimus, Cœmeterio religiose conditum est, ut in M.S. ejusdem Callisti Actis Cod. S. Petri, S. Cæciliæ, & Vallicell. satis expressum habetur his verbis: *Tenuit autem & B. Calepodium, quem fecit occidi gladio, & corpus trahi per Civitatem sub die Kalendarum Majas. Cujus corpus jactari præcepit in Tyberim, & ante insulam Lycaoniam. In ipsis diebus fugit B. Callistus cum decem Clericis, & abscondit se in domum cujusdam Pontiani, & noctu rogat piscatores, quos invenit, qui invenerunt corpus Calepodii, quem levantes de flumine, nuntiaverunt B. Callisto. Tunc gaudio repletus est, quod corpus sanctum acceptum recondidit cum aromatibus, & linteaminibus, cum hymnis, & sepelivit in Cœmeterio ejusdem vj. Id. Majas.* Idipsum apud Adonem, & Bedam in eorumdem Martyrologiis legitur: in quibus tamen additur: *Sepelivit in Cœmeterio ejus, tertio ab Urbe milliario vj. Idus Maji.* Hi autem dictionem *Ejus* ad Calepodium, non ad Callistum referunt: non enim in Cœmeterio Callisti, ut Petrus de Natalibus hujusmodi interceptus æquivoco scriptum reliquit, sed in hoc Calepodii, de quo agimus, sacrum Martyris corpus conditum fuit.

Acti Callisti Cod. Vat. M.S. S. Cæcil. Vallic. — *Martyr. Adonis, & Bedæ de S. Calep.* — *Petr. de Nat.*

Cœmeteria variam sortiuntur denominationem.

2 Illud quidem incertum nobis est, an ipsemet beatus Calepodius primus Cœmeterium hoc extruxerit, vel certe instauraverit, an potius ejus dumtaxat nomine insignitum fuerit; eo quod venerandum ejusdem corpus ibi sepultum fuerit, quod sacris plerisque Cœmeteriis contigit, ut jam supra à nobis dictum est: quæ nimirum à Martyribus ibidem conditis, vel certe ab eorum instauratoribus denominationem plerumque sortita sunt, ut infra videbimus, cum de Callisti Cœmeterio sermo à nobis instituetur. Porro illud certissimum est ante consummatum Calepodii martyrium, alios quoque Martyres eodem in Cœmeterio tumulatos fuisse; inter quos præcipuus est Sanctus Julius Senator, & Martyr sub Commodo Imperatore, qui Alexandrum in principatu præcessit; de quo hæc in Martyrologio Romano xiv. Kalend. Septemb. habetur: *Romæ S. Iulii Senatoris, & martyris, qui Vitellio judici traditus, &c. jubente Commodo Imperatore tamdiu fustibus cæsus est, donec emitteret spiritum. Cujus corpus in Cœmeterio Calepodii Via Aurelia sepultum fuit.* Idipsum apud Bedam, & Adonem, & in Actis SS. Eusebii, & sociorum Martyrum apud Surium, his quidem verbis: *Hæc audiens Vitellius, jussit fustibus cædi, qui dum cæderetur, emisit spiritum. Cujus corpus præcepit ante Amphitheatrum jactari. Noctu vero collegerunt corpus ejus Eusebius, Pontianus, Peregrinus, & Vincentius, & sepeliverunt in Cœmeterio Calepodii sub die xiv. Kal. Sept.* Antoninus pariter, qui sub eodem Imp. Commodo cum truculentissimus esset Martyrum carnifex, & Angelum nimio fulgore divinitus coruscantem, eorumdemque beatorum Martyrum sanguinem spongia extergentem vidisset, se quoque Christianum esse libera voce protinus exclamavit: quapropter comprehensus ipse quoque Martyrio coronatus occubuit; cujus deinde corpus in eodem Calepodii Cœmeterio conditum fuisse, eorumdem Acta M.S. Petri his quidem verbis testatur: *Eadem hora jussit Vitellius Antoninum capitis subire sententiam, qui ductus Via Aurelia juxta Formam Trajani decollatus est undecimo Kal. Septembris.*

Martyres tumulati in cœmeterio Calepodii. — S. Julius Senator. — *Mart. Rom. 14. Kalend. Sept.* — *Sur. to. 4. 25. Sept.* — S. Antoninus martyr. Videt Angelum sanguinem martyrum colligentem. — *M.S. act. S. Petr. de S. Antonin.*

3 Post beatum vero Calepodium, quem hactenus memoravimus, sanctissimum quoque Pontificem & Martyrem Callistum conditum ibidem fuisse in ipsius Callisti Actis M.S. Cod. S. Petri, Vallicell. & S. Cæciliæ hunc in modum legimus: *Hoc audiens iterum Alexander iracundia plenus, eo quod audisset militem baptizatum, misit & fecit militem Privatum plumbatis deficere: Callistum vero Episcopum per fenestram domus præcipitari, & ligato ad collum ejus saxo, in puteum mergi, & in eo rudera cumulari. Post dies vero decem & septem veniens presbyter ejus, nomine Asterius, cum clericis noctu, & veniens ad puteum, levavit corpus B. Callisti Episcopi, & sepelivit in Cœmeterio Calepodii, via Aurelia, sub die pridie Id. Octob.*

S. Callistus Papa. — *Act. S. Callist. & M. Cod. S. Petr. Vallic. & Cæc.*

4 Idipsum in Callisti Papæ gestis Anastasius testatur, dicens: *Qui etiam sepultus est in Cœmeterio Calepodii, Via Aurelia, milliario tertio, prid. Id. Octob.* Verum Petrus de Natalibus hoc addit; juxta illum videlicet sepultum quoque fuisse Privatum Martyrem: qui cum vidisset beatum Calepodium mira undique luce circumfusum, Callisto in carcere detento apparuisse, protinus in Deum crediderat; & ab eodem Callisto baptizatus, ac sanatus, plumbatis cæsus, martyrio insuper coronatus fuerat. *Cujus corpus*, inquit Petrus, *Asterius Presbyter juxta corpus B. Callisti sepelivit, decimo quinto Kal. Novembris.*

Anast. in vit. Callist. — *Pet. de Nat. de S. Callist.*

5 In eodem Calepodii Cœmeterio conditos item fuisse ex antiqua traditione fertur Palmatium Consulem una cum Uxore ac Filiis, ac duobus & quadraginta ex Familia: Simplicium quoque una cum Uxore, & ex Familia septuaginta octo: Felicem item cum Uxore sua Blanda; qui omnes primum manu Callisti sacro Baptismate abluti, deinde sub eodem Alexandro martyrio coronati fuerant. Mos etenim antiquis Christianis extitit, ut uno eodemque sepulchri loco conjungerent, qui pari agone consummati martyrii palmam adepti fuissent. Condita ibi pariter fuere corpora Sanctorum Victoris, & Coronæ Martyrum sub Antonino; & Pancratii invictissimi Martyris, qui anno ætatis suæ xiv. sub Diocletiano martyrium consummavit, de cujus glorioso certamine ac sepultura in M.S. Codd. S. Petri, Later. Vatican. & S. Cæciliæ isthæc habentur: *Tunc superatum se videns à puero Diocletianus, indignatus jussit eum capitalem subire sententiam. Ductus itaque est beatissimus Athleta Christi Pancratius in Viam Aureliam, atque, ut jussum fuerat, decollatus; martyrium constanter excepit. Tunc corpus ejus ab Octavilla sublatum est occulte noctu, & conditum aromatibus, & dignissimis linteaminibus involutum, sepultum est in sepulchro novo, quarto Id. Maji.* Et juxta ipsum deinde, ut verisimile est, Dionysius quoque ejus patruus conditus fuit: *Cujus studio*, inquit Beda, *idem Pancratius & baptizatus, & in timore Dei confor-*

S. Palmatius & soc. mart. — S. Simplicius cum sociis. — S. Felix. S. Blanda. — SS. Victor & Corona. S. Pancratius. — *M.S. Cod. S. Pet. Lat. Vat. & Cæcil.* — *Beda in Martyr.*

confortatus ad martyrium animatus est. Et quamvis in citatis Pancratii Actis eidem exhibitæ in hoc cæmeterio sepulturæ expressa mentio non habeatur, Ecclesia tamen in ejusdem honorem supra Cœmeterium constructa, ubi sacrum ejus corpus requiescit, omnem prorsus ambigendi rationem è medio tollit. Quamobrem apud Cencium Camerarium, & Petrum Manlium in Cœmeteriorum Catalogo hoc de eo annotatur: *Cœmeterium Calepodii apud sanctum Pancratium.*

[margin: enc Camer. Petrus anl in ca. l. Cœm.]

6 Ipsi demum Ecclesiæ tranquillitatis pace suborta, sedatisque barbaris persecutionum procellis, sanctus Julius Papa anno Christi 52. in hoc eodem Cœmeterio conditus est: quod Anastasius in ejus Vita his verbis testatur: *Qui etiam sepultus est Via Aurelia in Cœmeterio Calepodii, milliario ab Urbe tertio, pridie Idus Aprilis.* In Martyrologiis quoque Adonis & Bedæ sanctissimi ejusdem Pontificis depositio in eodem Cœmeterio describitur: quod item tertio ab Urbe milliario distare perhibent: etsi in quibusdam sancti Callisti Actis secundo dumtaxat distare milliario enarretur, idem fere in quibusdam Martyrologiis, ubi de sancto Pancratio agitur: sed utraque hæc lectio facile conciliatur, si milliario quidem secundo distare, pertingere autem vastum loci ambitum ad tertium usque fateamur. Major interim consideranti difficultatis nodus, ex ipsius nimirum loci distantia, suppetere videtur, quæ nunc duobus passuum millibus longe minor ab Urbis mœnibus, seu à Porta sancti Pancratii ad usque Calepodii Cœmeterium intercedit. At non ab ipso mœnium Urbis circuitu, neque à porta, quam memoravimus, sed ab ipso foro Romano iter à nobis dimetiendum est: à columna etenim, quæ milliaria dicebatur ibidem constituta, antiqui viarum spatia, & ipsa milliaria metiebantur. Si inde igitur descripti initium itineris desumatur, ipsamet procul dubio Lectorem experientia docebit, duorum, eoque amplius milliariorum iter confici, maxime ad veterem Romanorum dimensionem respiciendo, quæ profecto hac recentiori nostrorum temporum longe minor supputatur.

[margin: Julius Papa.] [margin: Anast. in Vit. S. Jul. P.] [margin: Martyr. Adonis & Bedæ.] [margin: Varietas ac difficultas de milliaris.] [margin: Columna milliaria nuncupata.] [margin: Milliaria nunc majora sunt quam olim erant.]

7 Præter Martyres autem, quos supra recensuimus, haud alios subinde in hoc Cœmeterio sepultos legimus. Nemini tamen dubium sit, innumeros plane pia fidelium manu conditos illic fuisse, maxime ob celebritatem loci, amplitudinemque admirandam, quam Bosius, illuc sæpesæpius per varios aditus ingressus, se comperisse testatur: cujus quidem ambitum, ac formam aliis Cœmeteriis superiori libro delineatis consimilem, ille quam exacte hoc modo describit. Est nimirum Cœmeterium hoc profunda satis humo excavatum, viis frequentibus, iteratisque distinctum vicis, altitudinem humanæ staturæ respondentem alicubi exhibentibus, qui tamen alibi superiori è parte paulo altius protenduntur; alibi vero (quod & passim contingit) eum in modum sunt humo depressi, ut eos, qui illuc pia curiositate attracti penetrare voluerint, incurvato corpore, & non raro humi quoquo modo prostratos, repere magis quam ambulare opus sit. Præterea ibidem in parietibus hinc inde sepulchra cadaverum excavata sunt, unum videlicet supra aliud. Extant itidem parva quædam cubicula omnino inculta, & absque ullo prorsus ornamentorum genere, aliquibus dumtaxat exceptis, quæ calce illita, ac dealbata sunt: verum hoc nil quispiam admiretur: idem enim Cœmeterio huic, quod & plerisque, infortunium, longo præterea temporum decursu, atque impia Longobardorum manu per summam injuriam magna ex parte devastatis, obtigisse compertum est. Quapropter ut ipsemet Bosius enarrat, nullas inter perscrutandum in eo picturas repererit, ornamenta nulla, sepulchra vero (ut videre interdum contigit) haud reclusa, sed omnino patentia, paucis admodum exceptis, quæ in effodienda humo, ac viis ad ulteriora subterranea loca aperiendis casu reperta fuere, fictilibus nimirum tegulis calce obfirmatis adhuc obstructa. Sepulchrales tamen inscriptiones, uti mos est, nullibi apparebant, præterquam quod in marmoreis quibusdam lapidibus, humi jacentibus, qui Consulum, recentioris ævi, nominibus prænotabantur: ex quo, ut conjicere unusquisque potest, etiam post sedatas persecutionum procellas, adeptamque à fidei sectatoribus securitatem, devotionis studio permoti Christi fideles, in hoc sacro Cœmeterio tumulari consueverant. Hi porro sepulchrales lapides, eorumdemque fragmenta, sternendo pavimento postea Ecclesiæ desuper erectæ inservierunt, & nostra etiam ætate, antequam eadem Ecclesia splendide instauraretur, ingredientium pedibus substrata conspiciebantur. Quod autem in præmemorato hoc Cœmeterio singulare est, jugis inde crystallinæ aquæ vena emanat, quæ sub acerba persecutionum tempora sanctos apud Martyres non ad potandum dumtaxat, verum etiam ad salutare impertiendum Baptismatis lavacrum his, qui ad fidem traducebantur, usui quondam extitisse, credere par est.

[margin: Descriptio Cæmeterii Calepodii.] [margin: Cæmeterium Calepodii dirutum ac deturpatum ex parte.] [margin: Nullæ in eo nunc picturæ ac ornamenta.] [margin: Aqua salutifera in cæmeterio Calepodii.]

8 Cæterum beatissimorum Martyrum Callisti ac Julii Pontificum, nec non Calepodii Presbyteri corpora, quæ olim hic, ut diximus, condita fuerant, in ejusdem postmodum Callisti titulum translata honorifice sunt, in Ecclesiam videlicet Sanctæ Mariæ trans Tyberim ubi in hanc usque diem eorumdem imagines musivo opere expressæ in majori Ecclesiæ apside suspiciuntur.

[margin: Translatio corporum SS. Callisti, Julii, & Calepodii.]

9 Porro Sigebertus in Chron. B. Callisti corpus in Gallias translatum fuisse tradit, sub anno Christi 884. hæc autem inquit: *Hoc tempore Rodulphus quidam corpus S. Callisti Papæ & Martyris Romana Urbe in Franciam transfert.* Frodoardus vero à Baronio citatus illud ab Apostolica Sede Everardo Comiti dono impertitum asserit: à quo subinde in monasterio, quod suo ipse in agro construxerat, condigno honoris cultu conditum est; ac demum sub vitæ finem illud ab ipso una cum eodem monasterio Ecclesiæ sanctæ Mariæ Rhemensi, eodem qui supra atteslante, traditum fuit. Qua super re Molanus Meyerium in Annalib. Franc. secutus, hæc de hujusmodi translatione recitat: *Sancti Callisti Papæ reliquiæ Cysonium ad Abbatialem Ecclesiam Sancti Callisti sunt allatæ per Sanctum Everardum loci fundatorem. Quod factum scribit Meyerius anno octingentesimo quinquagesimo quarto; sed nunc Romæ habentur ad Sanctam Mariam.* Id autem non de toto corpore, sed de ejusdem reliquiis subintelligendum est; quod & beati Martyris Pancratii Reliquiis contigisse novimus, quæ ditarunt complures ac pariter nobilitarunt Christiani

[margin: Sigeb. in Chr.] [margin: Baron. Ann. to. 10. an. 893.] [margin: Sententia quorundam de translatione corporis S. Callisti Papæ in Gallias.] [margin: Molan. in Indicul.]

ni orbis Ecclesias : siquidem sanctissimum Pontificem Gregorium Magnum easdem Palladio Episcopo Santonensi tradidisse legimus, ut ex Registr. habetur Indict. 14. ep. 1. l. 5. Constantio item Episcopo Mediolanensi lib. 7. Indict. 2. ep. 87. & Decio Episcopo Lilibetano lib. 8. Indict. 3. ep. 63. Exploratum insuper est, Vitalianum quoque Romanum Pontificem Oswino Saxonum Regi, teste Beda, & S. Wandregesilo Abbati, ut in recensitis apud Surium Actis, venerandas ejusdem beatissimi Martyris Pancratii reliquias dono transmisisse. Gregorius item Turonensis de eisdem meminit à Pelagio Pontifice in Gallias missis, quarum virtute Diaconus, qui easdem deferebat, una cum cæteris eo navigio mare transfretantibus, à sæva, quæ ventorum vi oborta fuerat, tempestate divinitus liber evasit.

Greg. in regist. Indict. 14. ep. 1. l. 5. — *Idem Greg. l. 7. Ind. 3. ep. 63.* — *Bed. hist. l. 3. c. 22.* — *Su. to. 4. 21. Iul.* — *Greg. Tur. de S. Panc.*

S. Pancratii mart. Altare

10 Venerandæ igitur Pancratii Martyris reliquiæ pluribus quidem, ut jam vidimus, dono concessæ sunt. Corpus vero, iis demptis, & sacro capite, quod modo apud Basilicam Lateranensem extat, in pervetusta ejusdem sanctissimi Martyris Ecclesia, summa veneratione asservatur; sub maxima nimirum Ara, ob crebra miracula, quæ in perjuros præsertim divina ibi virtute patrare invictus Christi Martyr consueverat, toto terrarum orbe celeberrima, eodem Gregorio Turonensi his verbis id attestante : *Est etiam haud procul ab hujus Urbis muro & Pancratius Martyr, valde in perjuris ultor. Ad cujus sepulchrum si cujusquam mens insana juramentum inane proferre voluerit, priusquam Sepulchrum ejus adeat, hoc est, antequam ad cancellos, qui sub arcu habentur, ubi clericorum psallentium stare mos est, accedat, statim aut arripitur à Dæmone, aut cadens in pavimento emittit spiritum. Ex hoc enim quisque fidem cujuscumque rei ab alio voluerit elicere, ut verum cognoscat, non aliter, nisi ad hujus Basilicam destinat. Nam ferunt plerosque juxta Basilicas Apostolorum, sive aliorum Martyrum commanentes, non alibi pro hac necessitate, nisi templum expetere B. Pancratii, ut ejus severitatis censura publice discernente, aut veritatem audientes credant, aut pro fallacia judicium Martyris beati experiantur.* Hæc Turonensis in beatissimi Martyris laudem testatur.

S. Pancratius miraculis clarus — Et maxime in perjuris castigandis. — *Greg. Tur. Miracul. l. 1. c. 39.*

11 Merito igitur Gregorius Magnus sanctissimus Pontifex Aram hanc, & ipsammet Ecclesiam impense veneratus est, ubi pariter ipso natalitio B. Pancratii die Homiliam 27. in cap. 15 Joannis habuit; & cum illius cultum à Clericis ibidem residentibus negligi omnino adverteret, eam Monachis custodiendam tradidit, eorumdemque Abbati Mauro quamplurimum commendavit : hæc præcipue verba in quadam epistola illi rescribens : *Sed & hoc præ omnibus curæ tuæ sit, ut ibi ad sacratissimum corpus B. Pancratii quotidie opus Dei peragatur.* Hæc Gregorius.

Gregorius Magnus Aram & Ecclesiam S. Pancratii veneratur. — *Greg. hom. 27. in c. 15. Io.* — *Greg. Magn. ep. 18. l. 3. Ind. 18.*

12 Sed si quis insuper, quæ à nobis hucusque enarrata sunt & martyris hujusce merita recolens, quantis hæc olim in Ecclesia prodigiis (ut diximus) præfulserint, nosse cupiat, adstipulantem Baronium in suis ad Martyrol. Roman. notis habet, ubi isthæc de signis, ut præmisimus, ad ejus sepulchrum divinitus fieri consuetis : *De miraculis ejus*, inquit, *adversus perjuros fieri solitis agit Greg. Turon. de glo. Mart. c. 30. extat vetus memoria ejusdem via Aurelia, ubi S. Gregorius Papa habuit hom. 27. in Euang. Ibidem & venerandum corpus ejus sepultum est, unde hæc ibi in fine : Ad martyris tumbam consistimus, cui ad cæleste regnum ex qua morte pervenerit, scimus, &c. Abstulit olim eam Ecclesiam idem S. Gregorius Presbyteris negligenter curantibus, deditque Monachis, qui, ut ait, ad sanctissimum martyris corpus quotidie opus Dei peragerent. Extat de his epistola* 18. *lib.* 3. *registr. De ejusdem reliquiis idem lib.* 7. *ep.* 86. *& lib.* 8. *epist.* 63. *Porta Ianiculensis, seu Aurelia antiquitus dicta ex ejusdem sancti nomine appellata est Porta S. Pancratii : nec id noviter, sed antiquitus, ut constat ex Procopio lib.* 1. *de bello Gothico. De reliquiis ejusdem sancti in Gallias translatis agit Gregorius Turon. lib. de gloria Mart. c.* 83. *Scripsit de S. Pancratio epigramma Bonad. in Menol.* 63. *lib.* 2. hæc ad rem nostram in præmemorati martyris laudem Baronius. Illud addimus, quod paucis abhinc annis prædictam Ecclesiam Innocentius X. Pont. Max. cum ejus curam negligi animadverteret, in Abbatialem, ut olim erat, titulum redegit, & uni ex sacro Cardinalium collegio commendavit, qui religiosum ejusdem Ecclesiæ cultum curet, ac promoveat, remotis inde monachis S. Ambrosii, quibus eadem Ecclesia commissa fuerat.

Baron. in Mart. Rom. die 12. Maji — Porta Aurelia eadem quæ S. Pancratii.

13 Quod vero nunc ad Ecclesiam super Calepodii Cœmeterio extructam attinet, incertum quidem est, quo potissimum tempore, vel à quonam exædificata fuerit. Sane id Anastasius Symmacho tribuere videtur, dicens : *Eodem tempore fecit Basilicam S. Pancratii, ubi & fecit arcum argenteum, qui pensat libras quindecim. Fecit autem in eodem loco balneum.* Sed præterquam quod vox illa *Fecit* apud Anastasium frequenter pro *instauravit* usurpata invenitur, apud eundem utique legimus in gestis Felicis Papæ Primi, & Secundi, qui longe Symmachum præcessere, ambos eadem hac Aurelia via, & secundo pariter ab Urbe milliario Ecclesias erexisse : & quidem si tunc temporis nulla hic sacra ædes extabat, haud alio eas loco, quam supra celeberrimum hoc Cœmeterium Pontifices illos ædificasse, vel unam certe earumdem, quam alter jam ædificaverat, instaurasse, credendum est. Quapropter Symmachus non auctor, sed potius instaurator, ut pariter Honorius, dicendus est, qui & eandem ipsemet meliorem in formam redegit, ut idem Anastasius in ejus gestis testatur, ubi etiam verbum illud *fecit*, haud pro alio ponitur quam pro *instauravit*.

Ecclesia S. Pancratii. — *Anast. in Symm.*

14 Plura interim de hac Ecclesia à nobis dicenda hic essent, quæ consulto omittimus, ne Lectorem Cœmeteria, non autem Ecclesias perlustrare cupientem, in ipsamet via ab incepto itineris tramite remorari contingat. Satis autem prolixe de eadem Ugonius disseruit in lib. de Stat. Urbis, ad quem studiosos Ecclesiasticæ antiquitatis indagatores remittimus.

Ugon. lib. de Stat. Urb.

CAP. XIII.

De Cœmeterio S. Iulii Papæ Via Aurelia.

1 Anastasius ille à nobis jam sæpe laudatus in conscriptis B. Julii Papæ gestis, tria ab eo Cœmeteria constructa fuisse affirmat : hæc autem inquit : *Fecit autem & Cœmeteria tria ; unum Via Flaminia ; & aliud Via Aurelia, atque aliud Via Portuensi.* Verum cum de Cœmeterio, quod Via Aurelia exædificasse dicitur : nullibi præterquam apud ipsum Anastasium mentio habeatur, ex consueta ejusdem Anastasii phrasi, dicen-

Cœmeteria à Julio Papa instaurata non facta dicendum est. — *Anast. in vit. S. Iulii Papæ.*

dicendum potius videtur, illum non quidem fecisse, sed antiquum Calepodii Cœmeterium tantummodo instaurasse, in quo ipsemet postea tumulatus est. Si enim ipse aliud, ut præfertur, eadem Via aperuisset, & veteri præmemorato veluti primus auctor novum insuper addidisset, profecto cæteros imitatus, in illo à se constructo, non autem in hoc, quod ipse devotionis ergo dumtaxat instauraverat, depositus de more fuisset: nisi forte ab ipsomet Julio Pontifice aliam novam veteri ac priori Cœmeterio partem pro Christianorum sepultura superadditam fuisse, eamdemque Julii auctoris jure merito obtinuisse nomen, asserere quispiam velit. Et hæc interim de Cœmeterio S. Julii satis sint.

CAP. XIV.

De Cœmeterio SS. Processi & Martiniani, vel S. Agathæ in agro Lucinæ, Via Aurelia.

[Cœmeterium à Lucina Apostolorum discipula extructum]

1 COemeterium istud anno redempti orbis sexagesimo nono suum desumpsit exordium, quo potissimum tempore Petrus Apostolorum Princeps, & Paulus Doctor gentium nobile pro Christo martyrium subiere. Extructum autem idem fuit à conspicuæ nobilitatis, ac sanctitatis matrona Lucina eorumdem Apostolorum discipula, Christianæ religioni apprime dedita, ac martyrum sepulturæ studiosissima, quæ jure merito in Romano Martyrologio insigni hoc, quod à nobis supra recensitum est, elogio celebratur: *Romæ Sanctæ Lucinæ Apostolorum discipulæ, quæ de facultatibus suis sanctorum necessitatibus communicans, Christianos in carcere detentos visitabat, ac Martyrum sepulturæ inserviebat, juxta quos & ipsa in crypta à se constructa sepulta est.* Quippe ob impensum beatis martyribus devoti ministerii ac sepulturæ obsequiũ eorundem martyrum meruit obtinere consortium.

[Martyr. rol. Rom. prid. Kal. Iul.]

[Cœmeterium Processo & Martiniano mart. primo consecratum est.]

2 Hanc porro cryptam, seu cœmeterium Via Aurelia in suo agro tunc temporis pia fœmina extruxit, cum Processus, & Martinianus pro Christo viriliter decertantes, ipsa potissimum exhortatrice, post agonem martyrio coronati sunt: quos etiam festivo gaudio perfusos, hilari facie, ac constanti animo ad subeundum martyrium properantes ipsamet consequi voluit; & demum sacra eorum corpora pretiosis unguentis delibuta, in agro suo eundem juxta locum, in quo eos perpeti contigerat, honorifice sepelivit. Quod quidem in M.S. eorumdem Actis, & in quodam Cod. qui apud S. Cæciliam servatur, his præsertim verbis enarratur: *Erat autem ibi quædam Matrona nobilissima fœmina, nomine Lucina, quæ stabat ante eos* (dum scilicet torquerentur) *quæ etiam confirmabat eos, & dicebat eis: Milites Christi constantes estote, & nolite metuere pœnas, quæ ad tempus sunt.* Et infra de pio eisdem exhibito ministerio, dum in Mamertini carceris custodia detinerentur, isthæc: *Matrona vero venerabilis fœmina Lucina incessanter ministrabat sanctis martyribus in custodia.* Et demum de eodem invictorum Christi militum martyrio, ac sepultura hæc habentur: *Tunc Præfectus data in eos sententia, jussu ejus educuntur de custodia, & ducti foras muros Romæ in viam, quæ Aurelia nuncupatur, ibi gladio capita eorum sunt amputata. Beatissima autem Lucina cum hoc videret, sequebatur eos cum familia sua, usque dum pervenirent juxta Formam Aquaductus* (Trajanam scilicet, de qua supra) *ubi etiam decollati sunt.*

[M. S. Cod. S. Cæcil.]

3 Apud Surium quoque & Adonem Acta eorumdem, etsi paulo breviora, recitantur. Postmodum vero in præmemoratorum Christi martyrum honorem erecta ibidem fuit Ecclesia, in qua D. Gregorius Homiliam habuit 32. in Matth c. 16. ubi sanctissimus Pontifex quamplura miracula enarrat, quæ devote eamdem visitantibus Dei munere obtigere, & quædam insuper ab eisdem sanctis piissimæ cuidam matronæ grati animi indicia exhibita commemorat: sed ipsummet his quidem verbis hæc referentem audiamus Gregorium: *Ad sanctorum martyrum corpora consistimus fratres mei. Nunquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certissime constitisset esse vitam, pro qua mori debuissent? Ecce qui ita crediderunt, miraculis coruscant. Ad extincta namque eorum corpora viventes ægri veniunt, & sanantur; perjuri veniunt, & à dæmonio vexantur; dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodo ergo vivunt, illic, ubi vivunt, si in tot miraculis vivunt hic, ubi mortui sunt? Rem fratres dico brevem verbo, sed non parvam merito, quam religiosis quibusdam senioribus narrantibus agnovi: Gothorum tempore matrona quædam fuit valde religiosa, quæ ad horum martyrum Ecclesiam crebro veniebat. Quadam die, dum ex more ad orandum venisset, egrediens duos stantes sub peregrino habitu monachos invenit, peregrinos credidit, dari eis aliquid eleemosynæ præcepit: sed prius quam ejus erogator eis ad largiendum eleemosynam propinquasset, astiterunt illi vicinius, & dixerunt: Tu nos modo visitas, nos te in die Iudicii requiremus, & quidquid possumus, præstabimus tibi. Quo dicto ab oculis ejus ablati sunt. Territa illa ad orandum rediit, seseque in lacrymis prolixius effudit, & facta est post hoc tanto præstantior in prece, quanto certior de promissione. Si autem juxta Pauli vocem, est fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium, nequaquam jam dicimus, ut venturam vitam credatis, quia ecce ipsi, qui in illa vivunt, humanis obtutibus visibiliter præsentantur.* hæc ille.

[Sur. to. 4 2. Iulii. Ecclesia SS. Processi, & Martiniani.]

[In ea Homiliam habet Greg. Magnus.]

[Greg. hom. 32. in cap. 16. Matth.]

[Miracula à SS. Processo, & Martiniano patrata.]

[Matronæ cuidam apparent, & in die Iudicii se illi adfuturos spondent.]

4 Gregorius Papa Tertius hanc eandem Ecclesiam instauravit, dum adhuc sacra eorumdem ibi corpora requiescerent, Anastasio teste in ipsius Gregorii gestis, ubi sic ait: *Item tectum Basilicæ sanctorum Processi, & Martiniani à novo construxit, suppposita pila fabricis fortissimis post eorumdem sanctorum veneranda corpora ad firmandum murorum Basilicæ.* Sacra postmodum eorumdem beatorum Martyrum corpora à Paschali Primo translata fuere in Oratorium, quod ipse in Vaticana Basilica, ut jam diximus, erexerat: quam deinde translationem Petrus Manlius referens, educta illa fuisse ait è Cœmeterio S. Agathæ; verba autem ipsius sunt hæc: *Hic beatissimus Præsul Paschalis Primus detulit corpora sanctorum Processi & Martiniani martyrum de Cœmeterio S. Agathæ in Ecclesiam Beati Petri, in quorum honorem construxit Oratorium summæ pulchritudinis, in quo satis honorifice corpora eorum recondidit concha porphyretica.*

[Greg. III. eorundem Ecclesiam instaurat.]

[Anastas. in vit. Gregor. 3.]

[Petr. Manl.]

5 Hac vero de causa nomen sanctæ Agathæ cœmeterium hoc sortitum fuisse creditur, vel quia SS. Processi, & Martiniani Ecclesia supra idem Cœmeterium, ut diximus, erecta, sub titulo quoque S. Agathæ diceretur, quod compluribus item Romanæ Urbis Ecclesiis contigit, vel certe quia juxta eamdem alia pariter in honorem B. Agathæ con-

[Cœmeterium S. Agathæ.]

constructa fuerit. Hujus itidem Ecclesiæ Anastasius in Symmacho meminit dicens : *Hic fecit Basilicam beatæ martyris Agathæ in fundo Lardario, & à fundamento cum fonte construxit, ubi posuit arcus argenteos duos, &c.* Ejusdem quoque meminit in Leonis Papæ IV. gestis, quippe qui amplissimis eamdem muneribus cumulavit, atque exornavit.

Anast. in Symm.

6 Ab hac igitur Ecclesia Cœmeterium hoc sanctæ Agathæ nomine nuncupatur : juxta quod erat locus ille, qui vulgo appellabatur *Girolus*. In Cœmeteriorum enim apud Cencium Camerarium Catalogo, & à Petro Manlio hoc ipsum Cœmeterium his fere verbis prænotatur : *Cœmeterium B. Agathæ ad Girolum.* Et ipse, qui supra Camerarius, quædam circa Urbem loca commemorans, de eodem mentionem facit, dicens : *Via Aurelia juxta Girolum.* Sic pariter Manlius : *Via* (inquit) *Aurelia est illa, qua vadit juxta Girolum.* Cujus nominis etymon, ne nostra longius aberret oratio, Lectori utique divinandum relinquimus.

Girolus. *Camerarius Manl.* *Manlius.*

7 De Lardario pariter fundo, in quo B. Agathæ sita olim erat Ecclesia, difficile admodum est apte locum ipsum circumscribere ac designare, aut certam ejusdem nominis rationem afferre. At ex Archivi S. Petri monimentis domum quandam, quæ Lardaria nuncupabatur, ibidem antiquitus extitisse colligitur, à qua & fundum ipsum ejusmodi præditum fuisse denominatione credendum est : ut dicitur in Bulla quadam Innocentii Tertii expedita anno Salutis 1198. sed præ omnibus idem clarius patet ex Bulla Leonis Quarti, qua Monasterio B. Martini apud Basilicam S. Petri, eadem S. Agathæ Ecclesia cum fundis, Cœmeterio, ac pertinentiis suis in hæc verba conceditur : *Immo etiam & fundum unum in integrum, qui Cleandris cum Ecclesia Sanctæ Martyris Christi Agathæ. Insuper casam, quæ dicitur Lardaria, nec non & fundum Adtalianum cum casis, vineis, seu terris, campis, pascuis, cultum vel incultum si ....gnato esse videtur cum thermis, cryptis & monumentis positis foras portam S. Petri Apostoli via Aurelia.* Et in alia item Leonis Papæ Noni Bulla sub anno Pontificatus ejusdem quinto, in qua cæteræ omnes donationes eidem hactenus monasterio, à Leone Quarto præsertim concessæ, Ecclesiæ videlicet S. Agathæ his verbis confirmantur : *Concedimus etiam fundum unum in integro, quod vocatur Cleandris, cum Ecclesia S. Martyris Agathæ posita in colle Pino. Insuper casam Lardariam milliario ab Urbe secundo, & fundum Adtalianum cum casis, vineis, terris, sicut designatum esse videtur, cum thermis, cryptis, monumentis, positum foris portam B. Petri Apostoli Via Aurelia.* Quæ quidem Bullæ in Archivo pariter Ecclesiæ S. Petri servantur: & ex eisdem certus ipsius Cœmeterii locus designatur; ubi scilicet nonnulla adhuc Ecclesiæ S. Agathæ vestigia apparent; ibique eodem sub nomine idem fundus, seu ruralis possessio, & casale, ut vulgo ajunt, Basilicæ S. Petri ad hanc usque diem extat; cujus termini consuetis ejusdem Basilicæ signis, clavibus nimirum in lapide incisis, ad prænotandam ipsius loci ditionem, intuentibus apparent; quamvis Cœmeterium hoc ipsemet Bosius diligentissimus abditarum rerum indagator, nullo prorsus adinvento aditu; quo sibi via ad inferiorem loci ambitum perscrutandum pateret, omni deposita spe, perquirendum aliis reliquerit : quapropter & nos Cœmeterium hoc cum adhuc in tenebris delitescat, haud in lucem illius descriptionem, sicuti reliquorum, proferre possumus, sed devoto dumtaxat silentio illud honorare atque à longe salutare compellimur.

Fundus lardarius. Domus Lardaria. *Bulla Innoc. Papæ 3* *Bulla Leonis Papæ 4.* Fundus Cleandris, & Adtalianus. Bulla Leonis Papæ 4.

CAP. XV.

De quamplurimis Martyribus, qui Via Aurelia pœnis affecti, vel sepulturæ traditi fuere.

1 VT hic interim, quod proposuimus, beatos illos Martyres recenseamus, quorum sanguine ac triumphis, vel certe sacris; venerandisque eorumdem post martyrium exuviis Via hæc nobilitata fuit. Certum quidem illud est, in Arenario quodam, quod inter Vias Triumphalem & Aureliam extat, insignes alioqui Martyres Eusebium, Vincentium, Peregrinum ac Pontianum conditos fuisse, qui cum inauditam hactenus impietatem, insanamque Commodi Imperatoris mentem, qui se ab omnibus Herculem Deum appellari præceperat, æquo animo ferre haud possent, publicasque terentes Urbis vias, ludicra ista Commodi deliramenta subsannantes, summopere detestarentur, illis martyrii pro Christo subeundi, quod summopere peroptabant, occasio suppeditata est, ut in M. S. eorumdem Actis Cod. S. Petri his verbis habetur : *Eodem tempore erant viri Christiani in quodam loco, in vico, qui appellatur Lanarius* (Sic plane legendum, quamvis in aliquibus codicibus, & apud Surium legatur Carnarius, nullus enim Romæ erat nominis hujusce vicus, at vici Lanarii apud Victor. & Sext. Ruf. duo leguntur, quorum alter tertia in Regione erat, quæ Isidis & Monetæ dicta est, alter vero in regione septima, Via Lata, qui dictus est Lanarius vicus ulterior) *Inter quos erant viri religiosi, Eusebius, Vincentius, Peregrinus, & Pontianus servi Dei, & Domini nostri Iesu Christi, qui facultatem suam pauperibus erogaverant, & Domino servire consuluerant. Hi cum audissent, quod Commodus fecisset, deridebant, & per omnem civitatem prædicabant populo, dicentes : Date honorem Domino Iesu Christo, & recedite à fallacia diabolica, & credite in Deum Cœli, Patrem omnipotentem, & Iesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, & agite pœnitentiam, & baptizamini in nomine ejus, ut deleantur vestra peccata, ne simul pereatis cum Commodo Domino vestro.* Hæc ibi.

Arenarium inter vias Triumphalem, & Aureliam. SS. Eusebius Vincentius Peregrinus & Pontianus. M. S. Cod. S Petri. *Surius.* *Pub. Vict. & Sext. Ruf.*

2 In præmemoratis deinde actibus lectio subtexitur, qua videlicet Julium quendam Senatorem iisdem beatissimis viris Christum populo annunciantibus, ac pœnitentiam suadentibus, ad Deum ex corde conversum, fidei ultro amplexandæ manus dedisse, ac pro ejusdem confessione martyrium invicto animo consummasse enarratur : quo peracto iidem Eusebius ac socii in Calepodii Cœmeterio eundem, ut supra à nobis dictum est, perhonorifice sepeliendum curarunt. In iisdem item Actis Antonii carnificis conversio, ac martyrium describitur, quod eadem Via Aurelia obtigisse perhibetur. Simplicii quoque, qui carcerum custodiæ præerat, recolenda confessio; hic cum Lupulum Jovis Capitolini sacerdotem, qui oculis tenebatur, à S. Rufino Presbytero divinitus luce perfusum vidisset, protinus in Christum credidit, & ubi corpus Antonii Martyris projectum subsisteret, ultro indicavit, quod sextum post diem, integrum, illæsumque repertum, ab eodem Rufino quadam in crypta juxta Calepodii Cœmeterium religiose conditum fuit.

S. Julius Senator. Antonii carnificis conversio & martyrium.

3 Demum

3 Demum de martyrio, ac sepultura Eusebii ac Sociorum ibidem hæc, quæ sequuntur, lector habes: *Qui ducti ad Petram Sceleratam, cum plumbatis sub voce præconis necati sunt. Quorum beatorum Martyrum corpora, Eusebii videlicet, Vincentii, Peregrini, & Pontiani, collegit B. Rufinus, & sepelivit non longe ab Urbe Roma, milliario sexto, in Arenario, inter Viam Aureliam & Triumphalem, 8. Kal. Sept. Quos perduxit quædam matrona impositos in birotis vehiculo, &c.*

[...]rtyrium, sepultu[...] Eusebii [...]ocio[...]

4 Jam supra (si bene lector meminit) sanctissimum Pontificem Felicem hujus nominis Primum hac eadem Via Ecclesiam erexisse narravimus, quam supra Calepodii Cœmeterium exstructam fuisse, ex eo potissimum nobis conjectari licet; quoniam Ado in suo Martyrologio ejusdem locum sepulturæ describens, isthæc habet: *Romæ Via Aurelia in Cœmeterio Natalis sancti Felicis.* Illud utique perspicuis verbis aperte indicans, quod subobscure tamen in Anastasio legitur, nimirum: *Hic fecit Basilicam Via Aurelia, ubi & sepultus est milliario secundo ab Urbe Roma 3. Kal. Iunii.* Incertum omnino lectori relinquens, num de Via loquatur, an de Basilica, in qua ejusdem corpus conditum fuit. Utcumque tamen sit, ex hoc loquendi modo vel Cœmeterium, vel ipsamet Via, aut certe Ecclesia, quæ ibidem sita est, ejusdemque sancti decorata ac consecrata corpore subintelligitur.

Felix I. [...]pa.

[...]doo in [...]rt. [...]silica Via [...]relia exstructa à S. [...]lice.

5 Hac eadem Via Aurelia viriliter item in agone pro Christo decertarunt nobilissimi Martyres Basilides, Tripodes, Mandales, & alii viginti sub Imperatore Aureliano, quorum in Martyrologio Romano 4. Id. Junii, atque etiam apud Bedam, & Adonem mentio habetur, qui duo scriptores satis in hoc inter se cohærentes martyrii insuper locum his verbis describunt: *Romæ Via Aurelia milliario tertiodecimo natalis sanctorum Basilidis, Tripodis & Mandalis sub Aureliano Imperatore, Platone Præside, & aliorum viginti Martyrum.*

[...] Basili[...]s, & alii [...]inti [...]artyres. [...]art. Rom. [...]id. Iunii. [...]da. Ado.

6 Basilides quoque alter hujus nominis, Cyrinus, Nabor, atque Nazarius milites ipsamet Via Aurelia in Diocletiani ac Maximiani persecutione martyrio coronati sunt; de quibus isthæc Rom. Martyrol. exponit: *Pridie Id. Iunii Romæ Via Aurelia natalis SS. Martyrum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii militum, qui in persecutione Diocletiani, & Maximiani sub Aurelio Præfecto ob Christiani nominis confessionem detrusi in carcerem, & scorpionibus lacerati, capite truncati sunt.* Beda itidem martyrii locum designans, eorumque sanctorum corporum translationem describens, hæc inquit: *Romæ Via Aurelia, milliario quinto passio SS. Mart. Basilidis, Cyrini, Naboris, Nazarii: quorum Naborem & Nazarium simul cum Gorgonio Martyre transtulit à Roma in Galliam Grodegandus Metensis Episcopus, permittente Paulo Papa Romano, anno Dominicæ Incarnat. 765. & collocavit prædictus Episcopus sanctum Gorgonium in monasterio, quod dicitur Gorzia: sanctum verò Naborem in monasterio, quod dicitur Novacella; sanctum quoque Nazarium in monasterio, quod dicitur Lorethain, ubi signa & miracula in sanitate infirmorum, & debilium sæpius fiunt.* Hæc Beda ibi.

[...]silides [...]ter, & so[...] marty[...]s. [...]art. Rom. [...]eda.

7 Idem prorsus Rhebanus & Notherus in Martyrol. asserunt, ac præstitæ eorumdem in Galliam translationis an. Salutis nostræ 765. Marianus Scotus, Conradus, Abbas Huspergensis & Sigebertus in Chronico legentibus ultro fidem astruunt. Porro sub eadem immanissima Diocletiani persecutione gladio item Via Aurelia consummati sunt Artemius carceris custos, Candida uxor, & Paulina eorum filia, qui à S. Petro Exorcista ad fidem traducti, & à S. Marcellino presbytero baptizati, Sereni vicarii jussu crudeliter interempti, martyrii palma donari meruerunt: dignissimum autem eorum certamen, & sepultura in Martyrol. Rom. 8. Id Junii his quidem verbis exponitur: *Romæ S. Artemii cum uxore sua Candida & filia Paulina; qui Artemius ad prædicationem & miracula S. Petri Exorcistæ in Christum credens, & cum omni domo sua à S. Marcellino presbytero baptizatus, jussu Sereni Iudicis plumbatis cæsus, gladio percussus est: uxor verò ejus, & filia in cryptam impulsæ, lapidibus, ruderibusque sunt obrutæ.* Prolixius autem hæc in SS. Marcellini & Petri Actis recitantur; ubi præcipue lectu digna sunt hujusmodi verba: *Tunc Iudex jussit mitti ad Artemium carcerarium, & uxorem ejus Candidam, & filiam eorum, nomine Paulinam Virginem. Quos cum vidisset, jussit eos coarctari, ut sacrificarent Diis: Artemius verò & uxor ejus Candida una cum filia Paulina sic dixerunt: Nos D. Iesum Christum confitemur Filium Dei vivi, & ideo nulla ratione sacrificiorum possumus pollui ritu. Quibus auditis Vicarius Serenus totos insimul jussit immenso pondere ruderum obrui in Via Aurelia. Factum est autem hora, qua ad passionem pergerent, in eodem loco cum omnes Christiani occurrerent S. Marcellino presbytero, & Petro Exorcistæ, videntes officiales tantum populum, fugerunt. Sed currentes post eos juniores de populo Dei tenuerunt eos, & blandis sermonibus cœperunt hortari ad fidem. Illi autem dum nollent credere, tamdiu à populo custoditi sunt, quousque Missam faceret S. Marcellinus in Crypta, in qua puniendi venerant sancti. At ubi completa sunt, quæ sunt Dei, abscessit jussu Presbyteri omnis populus; cumque silentium factum fuisset, Marcellinus cum Petro steterunt dicentes ad eos, qui credere nolebant: Ecce in potestate nostra fuit, ut cæderemus vos, sed non fecimus: in potestate nostra fuit, ut tolleremus vobis Artemium, & Candidam, atque Virginem eorum, sed nec hoc fecimus: nunc autem in nostra potestate est, favente Dei gratia, ut abscederemus, nec hoc fecimus: quid vobis? Ad hæc illi frementes in Dei hominibus, Artemium gladio percusserunt, S. verò Candidam atque Virginem Paulinam per præcipitium, id est, per liminare cryptæ jactantes, lapidibus obruerunt.*

[...]hebanus & Mother. [...]n Martyr. [...]arian. [...]cot. Conra[...]dus Sigeb. [...]n Cronico.

SS. Artemius, Candida, & Paulina.

Mart. Rom. 8. Id. Iun.

Act. SS. Marc. & Petr.

Eorum constantia, & martyrium.

8 Quod autem hic, *per liminare Cryptæ* Candidam & Paulinam præcipitatas fuisse dicitur in M.S. Codd. S. Pet. & S. Cæc. *per luminare Cryptæ* legitur: quæ quidem lectio rei significandæ magis accommodata videtur: optime enim id consuetæ Cœmeteriorum structuræ quadrat, in quibus alicubi per quædam foramina introrsum lumen admittitur: & hæc quidem foramina, ut jam supra diximus, D. Hieronymus eorumdem Cœmeteriorum tenebras describens, ad vivum his verbis repræsentasse videtur, quæ nunc repetere lectoris instruendi gratia haud pigebit: *Et rarò,* inquit ille, *desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes.* Et Prudentius, item in suis Carminibus eleganter cecinit:

Luminaria Cryptæ, seu foramina ad lumen captandum.

D. Hieron.

Inde ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura loci per specus ambiguum,
Occurrunt cæsis immensa foramina tectis,
Quæ jaciunt claros antra super radios.

Prudent.

9 Hanc verò Cryptam verisimile est, ampliorem aliquam Cœmeteriorum, quæ hac Via Aurelia com-

computabantur, partem extitisse, cum iisdem in Actis Marcellinus Presbyter sacra ibi altaris mysteria peregisse coram populi multitudine legatur: cujus quidem numerosæ gentis crypta nullatenus capax fuisset: utcumque verò se res habeat, id utique exploratum est, locum illum à Christi fidelibus maximæ jugiter venerationi habitum fuisse, quousque eorumdem SS. Corpora à Paschale I. in Ecclesiam B. Praxedis translata fuere, uti marmorea ibidem tabula affixa legentibus ultro testatur: quamvis postea sacra SS. Artemii & Paulinæ corpora à Sergio II. Summo Pontifice in Equitii titulum à se exornatum, deportata fuerint, ut pariter in quodam lapide parieti affixo prope majorem ejusdem Ecclesiæ Aram videre est. In Martyrologio item Romano SS. Fortunati & Restituti IV. Kal. Junii mentio habetur; qui ambo hac eadem Via Aurelia martyrii palmam, datis pro Christo cervicibus, consecuti sunt.

Mart. Rom. 4. Kal. Iun.

S. Felix II. Papa.

10 Demum Felix Papa Secundus, hac eadem Via in civitate Ceri XVIJ. ab Urbe lapide gloriosum passionis certamen feliciter complevit: cujus corpus, ut in ejusdem legitur actis, primum in Urbem relatum, permultis clericis, ac fidelibus summa illud veneratione comitantibus, clam juxta muros Urbis ad Formæ Trajanæ latus, iij. id. Oct. conditum est: & exinde noctu à Presbyteris, & clericis raptum una cum Damaso presbytero in Basilica, quam ipsemet Felix Via Aurelia construxerat, sepultum fuit, xij. Kal. Decem. milliario ij. quamvis in Martyrologio Romano ejus dies natalis IV. Kal. Aug. recenseatur.

Mart. Rom. 4. Kal. Aug.

Basilica S. Felicis Papæ.

11 Porro Ecclesiam, seu Basilicam, in qua sacrum corpus conditum est, eam putamus, quam supra ab eorum altero vel constructam, vel certe instauratam fuisse jam lectori exposuimus. Ejusdem Basilicæ mentio in quodam sepulchrali lapide habetur, qui in pavimento Ecclesiæ S. Cæciliæ trans Tyberim ad hunc usque diem cernitur, & his quidem verbis:

GAUDIOSA DEPOSITA
IN BASILICA
DOMNI FELICIS.....

Vocabulum etenim illud, *Domni*, Papam innuere nemo est, qui ignoret; & id vel frequens Ecclesiæ usus in sacris Deo precibus pro ipso Papa offerendis satis aperte convincit.

Corpus S. Felicis II. in Ædem SS. Cosmæ, & Damiani translatum.

12 Ipsum autem Felicis Papæ Corpus in SS. Cosmæ & Damiani Ecclesiam in foro Romano tandem translatum fuit, quamvis hujuscemodi translationis tempus omnino lateat. Ibidemque hac nostra ætate, anno scilicet Christi 1582. divinitus plane adinventum est: cujus recolendæ inventionis seriem lectu dignissimam Baronius his verbis enarrat: *Cum ingressus Felicis absque controversia à majoribus fuerit existimatus iniquus; & de exitu ipsius eadem inter se pugnantia scripta nutent: inde & accidit, ut temporibus Pontificatus Gregorii XIII. dum de emendatione Rom. Martyrologii à viris eruditis, ad hoc delectis, frequenter haberentur conventus, & de Felice non levis controversia incidisset: expungendusne esset ob vitiosum ingressum ejus, vel absque martyrii titulo relinquendus; deque his diu multumque altercatum esset, & ego in eam sententiam pedibus irem, ut Felicis nomen expungendum esset; eoque argumento volumen haud breve scripsissem, cui faverent, adstipularenturque complures viri eruditi Urbe tunc existentes, accidit plane, veluti divino miraculo, ut cum in Diaconia SS. Martyrum Cosmæ & Damiani in foro, ad Templum Pacis posita, quidam male consulti, sed non sine divina providentia, clam altare unum à dexteris positum suffoderent, ut thesaurum invenirent (quem acceperant, nescio quo revelante, ibi esse repositum) in marmoream arcam inciderent, in cujus altero latere Tabulæ lapideæ, interstitio ab altero distincto, repositæ invenirentur Reliquiæ SS. Martt. Marci, atque Marcelliani, & Tranquillini: in altero vero arcæ latere, corpus S. Felicis, de quo agimus, una cum lapideo laterculo, ibidem intus posito hisce literis exarato:*

Baron. Ann. to. 3. ann. 457 n. 50.

Controversia de nomine S. Felicis Papæ e Martyrologio expungendo & quare?

Sed corpore ejus miraculose invento ipse quasi ad suam causam agendam redivivus prodiit.

CORPUS S. FELICIS PAPÆ
ET MARTYRIS QUI DAMNAVIT
CONSTANTIUM.

Quod accidit pridie ejus diei, quo ejusdem S. Felicis in Ecclesia natalis dies agi consuevit Kalend. Augusti, anno Domini 1582. cum de ejus meritis disceptatio magna esset, jamque pene ob innumeras contrariasque assertiones, causa cadere videretur: quando opportune ipsemet Felix visus est admiratione omnium redivivus comparuisse pro se, suam ipse causam acturus, cum jam valde stylo contradicentium esset oppressus. Hæc Baronius, qui hæc insuper addit: *Tantæ rei non nihil tunc ipse una cum aliis admiratione perculsus &c. stylum modestia Christiana repressi, quem zelo veritatis acueram, vincique à Felice felicissime accidisse putavi, cedereque Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Iulio Antonio Sanctorio S. R. E. amplissimo Cardinali, simulque disertissimo viro, qui egregie pro Felice susceperat patrocinium, me cum ipso triumphum magna gloria agere existimavi, ipsa veritate in utroque vincente.* Huc usque de Felicis Papæ historia ad rem nostram Baronius, ex quibus videre est, qua ratione mira Dei providentia totius Ecclesiæ Regimini jugiter præsit, & ubi opus est, miraculis editis fideles suos à quovis aberrandi periculo præservet: portentosum quippe censendum est, quod de invento Felicis Papæ corpore hactenus enarravimus, dum de ejusdem tollendo è sacris dipticis nomine serio ageretur; sed hæc satis.

Baron. loc. sup. cit.

Et causam ipse suam vicit S. Felix II.

CAP. XVI.

De præcipuis Martyribus, qui pro Christo corona, vel sepultura donati, Corneliam Viam illustrarunt.

Via Cornelia.

1 Corneliam reliquas inter vias antiquitate præstantem, multorum quoque Christi Martyrum triumphis cumulari, ejusque gloriam dignissimis eorumdem trophæis plurimum augeri contigit. Inprimis autem via hæc celeberrimo SS. Rufinæ & Secundæ sororum certamine insignita est. Ambæ etenim hæ sacræ Virgines cum Christi amore succensæ repudium sponsis dedissent, post multa tormentorum genera, quæ viriliter pro fidei confessione perpessæ sunt, altera gladio percussa, altera cæsis ultro cervicibus, (ut in Martyrol. Rom. 6. Id. Jul. legitur) eadem via feliciter tandem vitæ ac certaminis cursu peracto pari in Cælum consortio ad Sponsum migravere. Ambæ autem coronatæ sunt in loco, vulgo Buxo nuncupato, in Silva, quæ Nigra quondam communi voce appellabatur: at ex illustri deinde ipsarum martyrio splendorem accipiens, & duplici virginitatis candore decorata, jure optimo Silva Candida denominata est; sepulta quippe ibidem earumdem corpora fuere à Plautilla primariæ nobilita-

Mart. Rom. 6. Id. Iul.

Fundus Buxus.

Silva Nigra.

Silva Candida.

Plautilla matrona.

tis

tis matrona, ipsismet beatis virginibus noctu illi per visum apparentibus, & ut sepulturæ sibi obsequium impenderet, suadentibus, juxta id quod in M. S. earumdem Actis, Cod. S. Petri, & S. Cæcil. & apud Surium his verbis legitur: *Tunc Archesilatus jussit eas duci in silva in Via Cornelia ab Urbe Roma milliario decimo, in fundo, qui vocatur Buxo, vel Buxeto, & unam illi: cædi capite, aliam percuti, & sic earum corpora inhumata derelinqui luporum morsibus comedenda, sed Domini gratia non defuit in Christo credentibus nec defunctis. Denique Plautilla matrona, in cujus prædio hoc factum est, vidit eas in visu sedentes gemmatas in thalamo, & dicentes sibi: Plautilla desine à flagitiis Idolorum & ab incredulitate impia cessa, & credens Christo veni in rem tuam, & corpora nostra invenies ibi: eadem corpora, ubi invenire potueris, sepelies. Exurgens autem Plautilla pervenit ad locum, & inveniens SS. Virginum corpora sine fœtore, & sine aliqua læsione, adoravit & credidit, & fabricavit sepulchrum Virginum Christi. In quo loco beneficia orationum earum fructum magnum virtutum ostendunt.*

Cod. S. S.Cæc. Sur.to.4. Jul. tyrium pultura Rufinæ, Secundæ.

2 In eandem hanc silvam, sæviente in Christi cultores impio Imperatore Diocletiano, S. Marcellinus Presbyter, & Petrus Exorcista deducti, ibique obtruncato capite martyrii palmam assecuti sunt, ut eorum acta proloquuntur, nempe: *Cumque Vicarius omnia, quæ gesta fuerant, cognovisset, jussit eos duci in Silvam Nigram, quæ hodie in honorem Sanctorum, Candida appellatur, & in eadem ambos pariter decollari. Cumque ventum fuisset in media silva, ipsi sibi manibus suis mundaverunt locum à spinis, orantes simul, & dantes sibi pacis osculum, genu posito decollati sunt.*

Marcellinus & Petrus Exorcista. — Acta SS. Marcellini & Petri exor.

3 Præclarissimis igitur beatorum istorum Martyrum (quorum nuper meminimus) trophæis loco isto insignito, ac atra funestaque silvæ (cujus quondam nomen præferebat) nigredine in puræ, ac sinceræ fidei candorem commutato, eo quod scaturientem ibi è venis innoxium tot Martyrum sanguinem suo sinu exceperat, S. Julius Papa divino afflatus spiritu, in honorem SS. Rufinæ, & Secundæ ibidem Ecclesiam exstruere cœpit: quam ejus postea successor Damasus perfecit, ut M. S. ejusdem Damasi acta Cod. Vat. S. Petri, S. Mariæ ad Mart. & Vallic. his verbis testantur: *Perfecit quoque Basilicam SS. Rufinæ, & Secundæ, quam Julius Marci successor incœperat in territorio Silvæ Candidæ, ubi sepulta fuerunt corpora sanctorum Marcellini, & Petri.*

Ecclesia SS. Rufinæ, & Secundæ. — Cod. Vat. & ...

4 Hæc postmodum Ecclesia sede quoque Episcopali aucta, ac illustrata fuit, quæ & sub titulo Silvæ Candidæ, & SS. Rufinæ, & Secundæ in veterum Conciliorum actis sæpissime recensetur. Quinimmo sedes ipsa, ex his præcipue una fuit, cui Episcopi quondam Cardinales præficiebantur: huic enim Episcopo Basilicæ sancti Petri, & Leonianæ item urbis moderandæ regimen, ac jurisdictio demandata olim fuit, ut legenti quamplurima Summorum Pontificum diplomata fidem faciunt, & illud Joannis præsertim deciminoni, datum anno tertio sui Pontificatus, & Petro Episcopo Silvæ Candidæ inscriptum, ubi isthæc leguntur: *Item concedimus, & confirmamus vobis fundum in integrum, qui vocatur Buxus, in quo Basilica SS. Rufinæ, & Secundæ constituta esse videtur.* Idem plane testatur Diploma Victoris Secundi, datum anno pariter sui Pontificatus tertio, indictione decima, ubi sic inquit: *Concedimus, & confirmamus tibi, & pro te, atque propter te in perpetuum reverendæ Ecclesiæ sanctarum Virginum, & Martyrum Rufinæ, ac Secundæ, quæ nominatur Silva Candida in fundo, qui vocatur Buxus, quicquid auri, argenti, pallii, seu ceræ, vel quarumcumque rerum omnino jactatum, vel positum fuerit, vel oblatum in toto altari majori S. Petri, sive in ejus venerabili Confessione.*

Eadem decoratur sede Episcopali. — Jo. Pap. 19. — Diploma Vict. 2.

5 Celeberrimam hanc postmodum Silvæ Candidæ Ecclesiam Callistus secundus Portuensi sedi junctam, annexamque esse voluit: quocirca qui eidem præest, Portuensis nunc & Silvæ pariter Candidæ Episcopus appellatur. Venerabilis autem Ecclesiæ memoria in quodam Hospitalis S. Spiritus prædio ad hanc usque diem perseverat, quod hactenus S. Rufinæ titulo nuncupatur. Sacra verò Beatarum Rufinæ & Secundæ corpora inde ad Lateranensem Basilicam translata in Sacello juxta Constantinianum Baptismalem fontem, earumdem imaginibus ornato condita fuere; ubi hodie sub Altari ab Anastasio Quarto in ipsarum honorem erecto pia fidelium veneratione coluntur: quod in M. S. Cod. Later. sic Joannes Diaconus enarrat: *Retro Basilicam Salvatoris quatuor sunt oratoria, unum quod habet apsides duas: sub una est Altare sanctarum Virginum Rufinæ, & Secundæ, sub quo recondita sunt pretiosa earumdem virginum corpora, quæ inventa sunt ab Anastasio Papa IV. fel. mem. antequam Apostolica dignitate sublimaretur, & post ipsarum inventionem fabricato Altari ad honorem earumdem, propriis manibus consecravit ipsum Altare, astantibus nobis omnibus, & præsentibus Canonicis Basilicæ Salvatoris, & quamplurimis tam de Urbe, quam extra Urbem.* Hoc verò Sacellum, seu Oratorium SS. Rufinæ & Secundæ Episcopo Portuensi & Silvæ Candidæ à Gregorio Nono concessum fuisse reperimus, ut in ejus Bulla edita anno salutis 1236. in hæc verba legitur: *Item concedimus Ecclesiam SS. Rufinæ & Secundæ sitam Romæ juxta Palatium nostrum cum omnibus pertinentiis suis.*

Ecclesia SS. Rufinæ & Secundæ unita sedi Portuensi postmodum fuit. — Jo. Diac. Cod. M. S. Later. — Bul. Greg. 9.

6 Porro in Actis SS. Martyrum Dignæ & Emeritæ in M. S. Cod. Vat. & S. Cæciliæ hac eadem Via Cornelia sepulturæ traditum fuisse legitur venerandum B. Afræ earundem Virginum collactaneæ corpus: sed quia hujuscemodi Acta cum B. Afræ Augustanæ Actis confunduntur, de hac Romana, ubinam sepulta olim fuerit, haud quid certi definire, ac pronunciare audemus: suo tamen loco de eisdem Virginibus Digna, & Emerita (ubi opportunus, inquam, sermo occurret) ex professo agemus, quarum beatissima corporum pignora Romæ adhuc religioso fidelium cultu asservantur.

Sancta Afra.

7 Eademmet Via Aurelia 13. ab Urbe lapide, in loco, qui dicitur ad Nymphas Catabassi, quod ibi forte Catabassi alicujus fontes quondam existerent, pro Christo in agone feliciter ad sanguinem usque decertarunt nobilissimi Martyres Marius & Martha conjuges, Audifax & Abacum filii: quorum insigne martyrium in Romano Martyrologio hunc in modum describitur: *Romæ Via Cornelia SS. Martyrum Marii & Marthæ conjugum, & filiorum Audifacis & Abacum nobilium Persarum; qui Romam temporibus Claudii Principis ad orationem venerant: è quibus post toleratos fustes, equuleum, ignes, ungues ferreos, manuumque præcisionem, Martha, in Nympha necata est, cæteri verò sunt decollati, & corpora eorum incensa.* In eorumdem verò Actis M. S. Cod. Later. Vatic. & S. Cæc. hæc præterea adduntur: *Eadem die dedit sententiam, ut decollarentur, qui dum*

Nymphæ Catabassi. — SS. Marius, Martha, & filii. — Martyrol. Rom. 14. Kal. Feb. — Acta M. S. SS. Marii & Marthæ.

dum ducti fuissent via Cornelia, milliario 13. ad Nymphas Catabassi, ibi in eodem loco decollati sunt sub Arenario Marius, Audifax, & Abacum; Martha verò in Nympha, necata est. Quorum corpora jussit incendi ne sepulturam haberent. Matrona verò nomine Felicitas rapuit corpora eorum, & in prædio suo sepelivit. Martham verò levavit de puteo, & junxit corporibus sanctis sub die 14. Kal. Feb.

Ubinam sacra eorundem Martyrum corpora recondita sint.

8 Ipsorum demum SS. corpora in Urbem translata, & in Ecclesia S. Praxedis reposita fuisse vetus Inscriptio docet, quæ usque nunc in eadem Ecclesia legitur: verum sanctorum Marii & Marthæ corpora in Diaconia S. Adriani à Greg. IX. anno Christi 1228. unà cum aliis SS. Martyrum corporibus inter explorandum reperta fuisse publica & omni fide digna marmoreæ insculpta tabulæ inscriptio in ejusdem Diaconiæ apside constituta legentibus ultro fidem exhibet, in qua pariter disertis verbis enarratur, eorumdem videlicet BB. Marii & Marthæ corporum majori quidem ex parte reliquias, ibidem (in Confessione scilicet) pio fidelium obsequio depositas; reliquam eorumdem partem ab ipsomet Gregorio in eadem Ecclesia, quam paulo post Deo dicaverat primario sub Altari perhonorifice fuisse reconditam. Quæ quidem venerandæ reliquiæ nuperrime, anno videlicet Christi 1600. cum Augustinus Cardinalis Cusanus ejusdem Ecclesiæ Diaconus Confessionis exornandæ opus aggrederetur, iterum repertæ ad manus, & in lucem venerunt, simulque cum eis aliorum sanctorum Martyrum corpora, quorum omnium plumbeæ, lapideæque tabulæ inscriptæ, locupletissimi sacræ antiquitatis indices erant. Dum igitur in Ecclesia S. Praxedis, vel in Ecclesia S. Jo. Calybitæ, vel certe alibi horum exstare corpora frequenter legatur, de eorumdem profecto reliquiis subintelligendum est. Idque satis perspicue apparuit, dum in eadem S. Adriani Ecclesia eadem sanctorum Corpora reperta prorsus integra erant, ipso Cæsare Cardinali Baronio oculato tunc rei, & deinceps locupletissimo in suis Annalibus teste. Sed jam ab Aurelia ad Portuensem Viam pariter, & Portam pedem convertamus.

Bar. tom. 2. an. Ch. 270.

CAP. XVII.

De Portuensi Via, ac Porta, de Romano Portu, & de profanæ antiquitatis monumentis ibidem existentibus.

1 NUnc quæso Lector, postquam extra Urbis ambitum, venerandæ antiquitatis monimenta perlustrando aliquantisper vagati sumus, Ad aureliam Portam, unde jam exivimus, concito gradu, si libet, redeamus, à qua novum subinde iter aggredientes, cætera, quæ exstant rerum antiquarum vestigia, perscrutaturi juxta ipsius Urbis mœnia atque Pomœrium descendendo, ad Janiculi radices prope Tyberis alveum devenie-mus, ubi inspicienda & contemplanda nobis occurret Porta una cum Via, qua inde iter agentibus patet egressus, Portuensis nimirum, quæ sic vulgo nuncupata est, eo quod ad celeberrimum Portum, qui quondam ibi ab Imp. Claudio exstructus fuerat, recta euntem ducit, ut Suetonius his verbis testatur: *Portum Ostiæ exstruxit circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo jam solo, mole objecta: quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.* Hæc Suetonius.

Porta Portuensis.

Portus Romanus.

Sueton. in Claudio Imp.

2 Verum antiquis temporibus Navalis Porta hæc ob Tyberis proximitatem appellabatur, ut Sex. Pompejus asserit, hæc dicens: *Navalis Porta à vicinia navalium dicta.* Christiani verò feliciori fane omine ac titulo à celebri Beati mart. Felicis Cœmeterio hac Via sito (de quo infra agemus) *S. Felicis Portam*, appellare eandem non dubitarunt; quam postea Arcadius & Honorius Imperatores unà cum cæteris Portis, ac Romanæ Urbis mœnibus instaurarunt, ut posita in portæ ejusdem prospectu inscriptio satis edocet.

Porta navalis.

Sex. Po.

3 Portuensis autem Via merito inter alias celebriores à Publio Victore numeratur, in qua præcipue amœnissimi Cæsaris Dictatoris, juxta ripam Tyberis, extabant horti: per quam onerariæ quoque naves, à jugalibus illas bobus trahentibus, in Urbem, Procopio teste, invehi consueverant; hæc autem sunt ejus verba: *Hoc in portu* (fluminis scilicet, qui olim Navale, modo Italice Ripa nuncupatur) *naves ex composito onerariæ adstant, & boum vis ingens parata quamproxime: nam mercatores, cum ex alio Orbis tractu in portum hunc se navibus conferunt, oneribus in actuarias naves, & ad fluminis naturam constructas depositis, per Tyberim Romam adnavigant, non velis usi, vel remis, quandoquidem nullo vento impelli hæc possunt navigia, circumflectente, & crebrò quidem, flumine, & ad multum spatii tortuosis finibus dilabente; & remorum in eo nullus est usus adversis undis navigantibus, sed laqueis ad onerarias illigatis, & boum deinde ad colla suspensis, veluti plaustra, Romani via Portuensi has pertrahunt.*

Horti Cæsaris Dictatoris.

Procopius de Bell. Goth. lib. 1. in fin.

4 In Portu demum Romano nonnulli Templum Portumni extitisse arbitrantur, quem portuum custodem ac præsidem Gentiles suo more delirantes effinxerant: in cujus etiam honorem Portumnia festa celebrata olim fuisse iidem asserunt. At verò Portuensem civitatem Saracenis ereptam, atque iterum in liberam Christianorum potestatem redactam, S. Leo Papa Quartus Corsicæ insulæ populis, à se prius instauratam, præmunitamque, ultrò incolendam tradidit, Anastasio in ejus gestis id attestante. Verum nunc civitas illa penitus deserta ac desolata jacet, cathedrali ibidem Ecclesia S. Luciæ, ac domo dumtaxat Episcopali superstite. Jugiter tamen celebris apud posteros fama ejusdem erit tot nobilissimorum Martyrum sanguine illustrata, qui in ea, vel eidem adjacenti circuitus ambitu, aut certe eadem via aut Martyrium subierunt, aut saltem ibidem sepulturæ locum obtinuere; de quibus mox opportune hic nobis sermo erit. Interim verò paucis verbis gloriam Portuensis Viæ, ac Portæ præconia perstrinxisse sufficiat.

Templum Portumni.

Civitas Portuensis.

Ea populis insulæ Corsicæ ad habitandum tributa.

Anastas. in S. Leone Papa 4.

CAP. XVIII.

De Cœmeterio Sancti Felicis Via Portuensi.

1 POrtuensi hac Via, ut diximus, Ecclesia olim sita erat, in B. Felicis Martyris honorem Deo dicata, à quo Cœmeterium ejusdem Viæ merito nomen accepit; quinimmo ipsamet Via sic plane ab Æthico pervetusto scriptore appellatur, qui in sua Cosmographia Romani olim cursum Tyberis exacte describens, post enarratam ejusdem divisionem juxta Tyberinam Insulam, hæc ait: *Post iterum ubi unus effectus per pontem Lepidi, qui nunc abusive*

Ecclesia & Cœmeterium S. Felicis.

Via S. Felicis.

Æthicus in Cosmographia.

abusive à plebe Lapideus dicitur, juxta forum Boarium, quem lacum dicunt, transiens, adunatur gratissimo sono depictis vorticibus suorum turbinum, & maritimas naves suscipiens, & mediterraneas adducens de Etruria, vel Sabinis, ingressus per Divi Apostoli Petri portam, juxta Ostiensem portam, quæ est D. Pauli, & viam Portuensem, quæ est S. Felicis Martyris, Urbem egreditur. Hæc ille. Albertus quoque Magnus in libro, quem de natura locorum scripsit, ubi de amne Tyberino agit, viam hanc S. Felicis nomine nuncupat.

Albertus Magnus de nat. locorum dist. 3. c. 2.

2 Verumtamen à quo potissimum S. Felice, cum plures ejusdem nominis in Martyrologio Romano recenseantur, eam denominari contigerit, incertum prorsus est. At si ad rem hanc definiendam conjecturis agere velimus, veri simile quidem satis videtur ab illo nedum Viam, sed & ipsam Ecclesiam, ac Cœmeterium appellationem accepisse, qui unà cum S. Hippolyto Portuensi Episcopo martyrio coronatus est: cujus in Romano Martyrologio mentio fit XI. Kal. Sept. vel quod nobis fortasse probabilius arridet, à Felice Papa Secundo, qui è Sede à Constantio expulsus, in suo prædiolo, quod hac Via possidebat, aliquandiu latitavit, prout in M.S. jam supra citatis ejusdem Actis his quidem verbis legimus: *Et depositus est sanctus & beatissimus Papa Felix de Episcopatu suo, & habitavit in prædiolo suo, quod est via Portuensi.* Et quamvis Anastasius, ut supra diximus, ejusdem corpus Via Aurelia conditum fuisse asserat; in Actis tamen Liberii illud Via Portuensi in suo prædio depositum esse perhibetur. Idem quoque constantissime asserunt Ado & Beda in suis Martyrologiis die 22. Decemb. hæc conscribentes: *Romæ via Portuensi depositio S. Felicis Episcopi.* Porro haud absurdum est dicere Via quidem Aurelia sanctissimum Pontificem hunc primo conditum, & ad Portuensem deinde translatum fuisse, in eum videlicet locum, ubi ipsiusmet prædium constitutum erat, ibidemque postea in ejusdem memoriam Ecclesiam erectam fuisse, ut ubi quondam ob Christi fidem profugus delituerat vivus, in Christo quiesceret pariter defunctus, innotesceret, ac coleretur. Sed utcunque se res habeat, nullius menti dubium subest, hac scilicet Portuensi via Cœmeterium simul, & Ecclesiam sub invocatione sancti Felicis antiquitus exstitisse, à quo tum Porta, tum ipsamet Via nomen sibi desumpsere. Idque ex Anastasio comprobatur, qui ab Adriano Pontifice instauratam fuisse Ecclesiam, & à Nicolao itidem Pontifice Via Portuensi Cœmeterium S. Felicis martyris pristino decori redditum in conscriptis eorum gestis affirmat.

[...]res eorum Felicis [no]mine [...]cti appellantur. [...] quonam Felice [...], Cœmeterium & Ecclesia [no]men [...]np. se[...]it.

[M]art. Rom. [...] Kal. Sept.

[Ac]ta S. Felicis Papæ.

[A]nast. in [Li]be.

[A]do & Beda.

[An]astasius [in] Adriano [P]ontif. ce & [in] Nicolao.

3 Nobilissimi ejusdem Cœmeterii apud Petrum Manlium, & Cencium Camerarium frequens admodum mentio incurrit, à quibus unà cum cæteris sacris locis, quæ extra Urbem sita sunt, recensetur. Franciscus quoque Herculanus in libro de mirabilibus Urbis, quem Julio Secundo Pontifici inscripsit, ejusdem expresse his verbis meminit: *Cœmeterium ad Insalatas* (sic illud appellat) *Via Portuensi apud Ecclesiam sancti Felicis.* Hujus tamen Ecclesiæ, ac Cœmeterii merito quidem Bosius vehementer dolet, & queritur nullibi se vestigia adinvenisse. Quod & aliis pariter Cœmeteriis hac eadem Via existentibus contigisse refert: quorum nonnulla, quæ ab effossoribus reperta fuere, eum in modum excisa, subversa, ac desolata, & monumentis hinc, & inde orbata eum in modum apparuere, ut mutata omnino loci facie, non modo, à quonam è sanctissimis viris nomen, & initium habuerint, certo quis nosse, sed nec divinari quidem id ulla ratione potuerit, uno dumtaxat excepto, de quò à nobis infra suo loco agendum est. Ex quibus compertum fit, quam ingentem sacra Cœmeteriorum loca cladem acceperint, cum in avaras, ne dicam impias effossorum manus, loci sanctitatem penitus ignorantium, & lucrum dumtaxat, non lutum, non lapides, non demortuorum ossa respicientium, miserabiliter inciderunt: illud dixisse postremo loco sufficiat, eos lapideo prorsus corde homines imbutos fuisse, & merito lapidibus è Cælo tamquam sacrilegos plectendos, qui nec lapidi, nec mortuis parcere didicerunt, ut, captando ex lapidibus lucrum adversus posteritatem contumeliosi, solam dumtaxat expleant avaritiam: contra quos, etsi homines taceant, ipsi lapides eruti, ut Christus in Euangelio, ait clamabunt.

[P]etr. Manlius Cencius Camer.

Cœmeterium ad Insalatas. Franc. Herculanus l. 6. de mirab. Urb.

CAP. XIX.

De Cœmeterio Pontiani, vel Sanctorum Martyrum Abdon & Sennen ad Ursum Pileatum Via Portuensi.

1 Cœmeterium, de quo nunc sermo à nobis instituitur, Pontiani olim nuncupatum, cujusnam Pontiani opera exstructum, vel qua potissimum de causa sic appellatum fuerit, incertum omnino adhuc remanet. Onuphrius quidem in suo Cœmeteriorum Indiculo, hujuscemodi denominationem à Pontiano Pontif. sortitum fuisse arbitratur: sed nullum prorsus ab eodem, ut in ipsius gestis legitur, Cœmeterium exædificatum est: neque is Romæ, sed in Sardinia martyrium consummavit; inde enim ejus postea corpus translatum à Fabiano Pontifice in Cœmeterio Callisti conditum fuit. Sunt nonnulli, qui probabilibus fortasse rationibus adducti, hoc exstructum fuisse asserant à Pontiano illo Romanorum nobilissimo, qui Alexandri Severi tempore in Urbe floruit, suasque ædes in eadem Transtyberina regione possidebat; de quo in actis S. Callisti Papæ, his verbis mentio fit: *In ipsis diebus fugit B. Callistus cum decem clericis suis, & abscondit se in domum cujusdam Pontiani.* Et infra locus, in quo ejusdem domus sita erat, describitur: *Ab eodem die cœpit Alexander curiose quærere B. Callistum Episcopum; & divulgatum est ei, quod esset trans Tyberim in domo Pontiani juxta Urbem Ravennatum.* Verisimile autem satis est, Portuensem extra Portam prædium aliquod possedisse, in quo præmemoratum deinde Cœmeterium Christianorum obsequio exstruxerit. Christianus quippe erat vir iste, & curandæ SS. Martyrum sepulturæ studiosissimus: cujus opera atque auxilio Callistus Pont. qui in ejusdem domo latebat, piscatoribus postmodum adhibitis, sacrum B. Calepodii corpus ex aquis extractum, honorifice sepeliendum curavit.

A quonam Pontiano Cœmeterium denominationem sumpserit? Onuphrius in Indic. Cœmet.

Pontianus Romanus.

Ædes ejusdem trans Tyberim.

Cod. S. Petri. S. Cæcil. Vallic. 1 9.

2 Præterea Cœmeterium hoc Ursi itidem nomen sortitum est, qua præsertim ratione à Cencio Camerario, & Petro Manlio denominatum legimus: *Cœmeterium*, videlicet, *Ursi ad Portesam*, id est, *Portam Portuensem*, quam *Portesam*, pariter appellatam novimus. Alio quoque nomine Cœmeterium ad Ursum Pileatum dici consuevit: quo potissi-

Cœmeterium ad Ursum Pileatum via Portuensi. Cencius Camer. Petr. Manlius. Cœmeterium ad

Ursum Pileatum in Exquiliis. *Mart. Beati Notheri.*

potissimum titulo in quibusdam Martyrologiis, & B. præcipue Notherii, nuncupatum fuisse legitur, nempe: *Romæ in Cœmeterio Pontiani ad Ursum Pileatum, nativitas sanctorum Abdon & Sennen.* Hujusmodi nimirum denominatione ab aliquo, quod ibidem existeret, signo desumpta, quod & de alio ejusdem plane nominis Cœmeterio in Exquiliis sito adnotatur, de quo à nobis erit suo loco dicendum. Ab ipsismet etiam Sanctis Martyribus Abdon & Sennen, qui illic tumulati sunt, Cœmeterium hoc non raro apud antiquos appellatum invenimus.

Cœmeterium Sanctorum Abdon, & Sennen.

3 Porro vetustissimum hoc inter reliqua Cœmeterium fuit, quod ipsiusmet Claudii Imperatoris tempore extabat, sub quo nobilissima martyrii palma donatus fuit Quirinus ille, qui sepultus ibi conquiescit: de quo isthæc in Martyrologio Rom. VIII. Kal. Aprilis: *Romæ sancti Quirini Martyris, qui sub Claudio Imperatore post facultatum amissionem, post carceris squalorem, post multorum verberum afflictionem gladio interfectus est, & in Tyberim projectus, quem Christiani in insula Lycaonia invenientes, in Cœmeterio Pontiani condiderunt.* Idem prorsus tum apud Bedam, tum in ejusdem Actis, seu potius sanctorum Marii, Marthæ & sociorum, quorum potissimum opera sepulturæ traditus fuit, his quidem verbis legitur: *Invenerunt quendam Presbyterum nomine Pastorem, qui narravit eis omnia, quæ facta fuerant, quomodo noctu interfectus fuisset sanctus Quirinus gladio, & in Tyberis alveo corpus ejus jactatum, & inventum esset in insula Lycaonia; & pergentes noctu unà cum familia, & B. Pastore presbytero collegerunt corpus ejus & sepelierunt eum in Cœmeterio Pontiani in crypta viij. Kal. Aprilis.*

Sanctus Quirinus. *Mart. Rom. VIII. Kal. Apr.* *Beda in Mart.* *Act. SS. Marii, Marthæ, &c.*

4 Hæc eadem Acta apud Canisium habentur antiq. lect. lib. 1. & Quirinalia sunt nuncupata; quæ insignis ille Poëtarum Metel. Tegers. qui circa Christi an. 1060. floruit, eleganti carmine cecinit: ex quibus nonnulla, quæ ad nostræ institutum historiæ spectant, hic referre haud alienum à proposito erit. Sic igitur Metell.

Acta Quirinalia apud Canisium.

Regressus Urbem cum sociis fidelis
Vir ille Persarum Marius supremus
Quæsivit in castris relictum
Carcerem trans Tyberim Quirinum.
Gemebat, ac tristis doluit nimis,
Quod ut prius non huic valet obsequi,
Cui Presbyter Pastor vocatus,
Omnia gesta refert patenter.
Videlicet noctu jugulata membra
Rapi fluentis in Lycaoniam,
Festinus illo Persa tendit
Presbyter it simul ipse Pastor.
Amabilem prædam rapiunt citi,
Carina gratum fert onus ad locum
Qui Pontiani tunc Cymitron
Dicitur, exequias vocabat.
Sepultus illic Martyr honestius
Apud Deum se vivere prodidit
Cunctis opem præbens salutis
Qualibet improbitate captis.
Ibi peregre tempora plurima
Jubar medelæ mirificum procul
Genti togatæ dans coruscæ
Ausoniæ venerandus omni.

Metell. Tegers. in Quirin. apud Canis. Ant. lect. lib. 1.

Hæc in præclarissimi Martyris memoriam Christianus Poëta nobilis ingenii monimenta reliquit. Subtexit autem idem Metellus memorati ejusdem sacri corporis sub Zacharia Summo Pontifice translationem in Bavariam, quæ alio nomine Noricum ab antiquioribus nuncupata est, & plurima item miracula, quæ in ipsamet translatione, ac depositione divinitus edita sunt, prosequitur; quæ consulto hic quidem exponere omittimus, sed lectorem eadem nosse cupientem ad eundem Canisium amandamus.

Metellus Tegers in quirin. *Apud Canis. antiq. lect. lib. 1.*

5 Hoc igitur Pontiani Cœmeterium via Portuensi juxta Tyberim situm erat, & illuc eorumdem SS. Martyrum Abdon & Sennen corpora translata fuere, quæ post eorumdem martyrium domi abscondita quendam apud virum Quirinum nomine substiterant, qui juxta amphitheatrum & locum, ubi iidem gladio interempti fuerant, morabatur. Sacra igitur pignora tamdiu ibi delituere, quousque sub Constantino Magno divinitus patefacta fidelibus innotuerunt, ut videre est in eorumdem & S. Sebastiani Actis his plane verbis: *Tunc Valerianus furore plenus jussit gladiatores introduci cum tribus dentibus* (vel tridentibus, ut in Cod. Vat. legitur) *gladiorum, ut ipsi eos interficerent, qui cum percussi fuissent, ligaverunt pedes eorum ex jussu Valeriani, & traxerunt, & jactaverunt eos ante simulacrum Solis juxta amphitheatrum, & jacuerunt corpora eorum ad exemplum Christianorum tribus diebus. Post triduum venit quidam Quirinus Christianus subdiaconus, qui manebat juxta amphitheatrum, & collegit noctu corpora, & recondidit in arca plumbea in domo sua* III. *Kalend. Aug. Postea verò latuerunt corpora sanctorum Abdon & Sennen Martyrum per multos annos usque ad tempora Constantini Imperatoris; de qua re factum est, ut Christo revelante beatos Martyres* (in aliis autem codicibus sic scribitur: Ut ipsi beati Martyres revelarint se) *temporibus Constantini à Christianis levata sunt corpora, & translata in Cœmeterium Pontiani.* Hæc ibi. In pervetusto autem Bibliothecæ nostræ Vallicell. Codice post enarratam sacrorum corporum in Cœmeterio Pontiani depositionem subditur: *Postea verò Gregorius Papa transtulit ea inde intra Urbem in Basilicam S. Marci Papæ, & ibi honorificè collocavit, in quo loco multa beneficia exuberant usque in hodiernum diem.*

Sancti Abdon & Sennen. *Cod. Val. 4. S. Petri. B C. Vallic. 8. S. Cæcil.* *M. S. Cod. Bibliot. Vallicel. 8.*

6 Porro Gregorius iste, Quartus videlicet hujus nominis fuit, qui eandem S. Marci Ecclesiam instauravit, atque exornavit; cujus imago musivo opere expressa in majori ejusdem Ecclesiæ apside usque adhuc visitur, unà cum aliorum sanctorum imaginibus, qui illic sub Ara maxima tumulati quiescunt. Verum in Actis S. Zenobii sacra eadem corpora à Pontifice Damaso dono illi data fuisse his verbis legitur: *Sed redeamus ad Zenobium nostrum, cui Papa Damasus præclarum munus, duo corpora sanctorum videlicet Abdon & Sennen dono dedit, quasi mutuæ inter se amicitiæ futurum posteris monumentum. Quæ in majori Ecclesia, videlicet Salvatoris sub altari Zenobius cassa plumbea collocavit.* Quod quidem de sacris eorumdem reliquiis dubio procul intelligendum est. Nam vel longe post Damasi Pontificatum ipsamet beatorum Martyrum corpora ex eodem Cœmeterio in Ecclesiam S. Marci translata, reconditaque fuisse, quæ à nobis supra recitata sunt, acta testantur.

Gregorius IV. Ecclesiam S. Marci instaurat, & corporibus SS. Abdon, & Sennen ditat. *Act. S. Zenob. apud Sur. to. 3. 15. Maji.*

7 In eodem quoque Cœmeterio B. Pigmenii Presbyteri ac Martyris corpus sub Juliano Apostata illatum est; de quo isthæc Ado & Beda in eorum Martyrologiis: *Cujus corpus* (nempe Pigmenii) *inventum, & collectum, sepultum est in Cœmeterio*

S. Pigmenius Presbyter & martyr. *Ado & Beda in Mart. 24. Martii.*

rio Pontiani non longe à sanctis Abdon & Sennen.

8 In M.SS. verò ejusdem Actis Cod. S. Mariæ ad Martyres prolixiori sermone martyrii ac sepulturæ locus his verbis indicatur: *Tunc iratus Iulianus jussit Pigmenium apprehendi, & duci ad eum pontem lapideum, quem omnes Pontem majorem appellant, & per medium pontem jussit eum in fluvium præcipitari cum ipso puerculo, qui eum per manum trahebat. Quorum corpora collecta sunt de fluvio à quadam matrona, nomine Candida, juxta littus fluvii Porta Portuensi, & sepelivit eum in Crypta in Cœmeterio Pontiani, in prædio suo ad ursum Pileatum, juxta corpora sanctorum Abdon & Sennen, duodecimo Kal. Martii.* Quamvis eadem Acta in nonnullis, quæ ibidem recensentur, alicujus notæ censura indigeant, ut ipsemet Baronius docet; eo præsertim loco, ubi de Juliano sermo incurrit, quem quidem perfidum Imperatorem haud unquam Romam advenisse satis constat, etsi usus deinde obtinuerit, ut quæ Imperatorum ministri quandoque agerent, hæc eadem ipsimet Imperatores præstitisse dicerentur, ut in Alexandro, Diocletiano, aliisque Romanis Imperatoribus obtigisse compertum est. Quod autem iisdem in Actis habetur, à Candida nimirum venerandum Pigmenii corpus sepulturæ demandatum in suo ad Ursum Pileatum prædio; certe in ipso codice mendum irrepsisse suspicamur, quamobrem consulto quidem asserimus, paucis mutatis ibidem reponendum esse: *In prædio sito ad Ursum, &c.* cum ibidem Cœmeterium longe ante hæc tempora, quibus Candida vixit, ut vidimus, exstructum fuerit, nisi forte dicamus, quod ipsi veritati repugnat, prædium aliquod postea juxta ipsummet Cœmeterium, vel certe in loco eidem adjacente fœminam hanc possedisse.

[M]S. Cod.S. [M]ar. ad [M]art. — *[C]andida [m]atrona.* — *[L]ocus ad [U]rsum Pi[le]atum via [P]ortuensi.*

9 Porro in honorem sanctorum Abdon, & Sennen, ac Candidæ Ecclesiam in hoc Cœmeterio erectam fuisse Willelmus Malmesburiensis egregius rerum Anglicarum scriptor affirmat, qui & perantiqua Romanæ item Urbis monumenta, quæ sua adhuc ætate extabant, exacte descripsit, de quo à nobis infra.

[E]cclesia SS. [Ca]ndidæ, [Ab]don, & [Sen]nen. [Wi]llelmus [de] rebus [An]glorum.

10 At quænam fuerit mulier hæc nomine Candida in hoc Cœmeterio condita, quæ unà cum sanctis Abdon & Sennen præmemoratæ Ecclesiæ nomen dedit, hactenus apud nos incompertum omnino habetur. Tres etenim præclaræ ejusdem nominis fœminæ in sacris fastis recensentur; nempe Candida uxor sancti Artemii, & mater Sanctæ Paulinæ martyrum, de qua in Martyrologio 8. Id. Junii: item Candida virgo 4. Kal. Septemb. & denique Candida Martyr Kalendis Decembris. Verum si rem conjecturis definire qui velit, hanc, de qua nobis modo quæstio est, illam profecto putamus, & in hoc utique Cœmeterio, conditam fuisse asserimus, quæ uxor quondam Artemii, & mater Paulinæ una cum iisdem longe ante Pigmenium martyrio coronata fuit: hic enim anno Christi 362. sub Juliano; illa verò anno 302. sub Diocletiano gladio consummata est. Quorum omnium venerandæ imagines, sanctorum quoque Marcellini Presbyteri, ac Petri Exorcistæ, à quibus ad Christi fidem traducti, & salutari Baptismo initiati fuerant, in eodem Cœmeterio, ut infra suo loco dicemus, expressæ ad vivum exhibentur. Neque vero à veritate dissonum, ut nobis ratio suadet, atque absurdum est dicere, matronam eandem nomine Candidam, quæ Juliani ævo floruit, ob insigne pietatis studium, quo præclarissimam nominis ejusdem Martyrem prosequebatur, ipsius ac sociorum pariter corpora solicite illuc transferenda curasse, & in eorumdem honorem Ecclesiam insuper nobili futuram monimento exstruxisse. Conjectari item jure merito quis potest, hujuscemodi locum sub ditione quondam familiæ Candidæ exstitisse, ex qua nobilissima hæc matrona, cujus nunc mentio incurrit, ortum duceret. Quidquid tamen illud sit, Ecclesiam, de qua agimus, sitam hic olim fuisse apud omnes exploratissimum est: ac de ea præter Malmesburiensem Bibliothecarius quoque in Adriano Primo diserte meminit: ubi post enarratam Cœmeterii instaurationem Via Portuensi, ejus potissimum studio præstitam, hæc leguntur: *Simulque & Basilicam sanctorum Abdon & Sennen, atque Beatæ Candidæ unà cum cæteris sanctorum Cœmeteriis in id ipsum pariter renovavit.*

[Res eo]rum Can[didæ] nomi[ne] in Actis [rec]ensen[tur]. — *[Ca]ndida [uxo]r S. Ar[te]mii. [Ca]ndida [vir]go. [Ma]rt. Rom. [8.] Id. Iunii. [Ka]l. 4. [Ka]l. Sep. Candida [Ma]rtyr.* — *Malmesburiensis de Rebus Anglorum. Anastasius Bibl. in Hadriano I.*

10 Ejusdem quoque Cœmeterii instauratio apud eundem in Nicolai Papæ Primi gestis his verbis legitur: *Nec non eadem Via* (Portuensi videlicet) *ad Ursum Pileatum, ubi corpora Sanctorum Christi Martyrum Abdon & Sennen requieverunt, jam in ruinis positum, pulchro ac miro restauravit honore.* Hæc ibi Bibliothecarius. *Quieverunt autem*, inquit Anastasius, *quia tunc temporis eorumdem corpora in Ecclesiam Sancti Marci à Gregorio IV. translata fuerant.*

Nicolaus I. Papa Cœmeterium ad Ursum Pil. instaurat. Biblioth. in Nicolao Papa.

11 Ex quibus omnibus manifeste quidem apparet, Cœmeterium Via quondam Portuensi ad Ursum Pileatum extitisse, longe tamen diversum ab altero ejusdem nominis, quod in Exquiliis ad S. Bibianæ Ecclesiam extabat. Hic interim verò lector admonendus est, quod ubi apud Bibliothecarium de Anastasio Primo legitur: *Qui verò sepultus est in Cœmeterio suo ad Ursum Pileatum.* Et de Innocentio Primo: *Qui etiam sepultus est ad Ursum Pileatum.* Id neutiquam de Cœmeterio in Exquiliis, sed Portuensi Via sito proculdubio intelligendum est. In pervetusto enim quodam M.S. codice Bibliothecæ Vatic. olim monasterii Cavensis, Indiculus locorum habetur, ubi summi quondam Pontifices conditi sunt, atque hi duo quidem in memorato Viæ Portuensis Cœmeterio ad Ursum Pileatum una simul depositi leguntur. Hæc autem expressæ sunt ibidem notæ.

Cœmeterium ad Ursum Pileatum Via Portuensi. Biblioth. in Anast. I. & In Innoc. I. M.S. Codex Vaticanus.

AB URSU PILEATU PORTU
ANASTASIUS
INNOCENTIUS.

12 Id autem, quod modo asseruimus, satis utique ex inscriptione quadam comprobatur, quæ in pervetusta S. Praxedis Ecclesia legentibus patet, ubi Paschalem Primum illuc beati Anastasii corpus una cum aliis sanctis ex Cœmeteriis, quæ jam diruta fuerant, transtulisse perhibetur. Bibliothecarius autem in Paschalis ejusdem gestis satis aperte hujuscemodi translationem præstitam è Cœmeteriis fuisse asserit, quæ tunc extra Urbem sita erant. Sic autem inquit ille: *Hic sanctissimus Præsul multa corpora sanctorum requirens invenit, quæ etiam diligentius intra civitatem recondidit.* Et paulo infra de eorumdem translatione in præmemoratam S. Praxedis Ecclesiam verba faciens: subdit: *Hic beatissimus, & præclarus Pontifex multa corpora sanctorum in Cœmeteriis jacentia, pia solicitudine, ne remanerent neglectui, quærens, atque inventa recolligens, magno venerationis affectu in*

Paschalis I. Papa. Biblioth. in Paschal. I. Anast. Vbi supra.

S. Martyris Praxedis Ecclesiam, &c. Quamobrem si Anastasii Papæ corpus in Exquilias translatum fuisset, quem certe locum intra Urbis ambitum contineri novimus, quorsum hactenus asserta corporis ejusdem translatio? Idipsum plane de S. Innocentii Papæ corpore affirmandum nobis est, quod à Sergio Secundo (ut idem Bibliothecarius testatur) in Equitii titulum translatum fuit, & una cum ipso postmodum (ut in inscripto ibidem lapide legitur) ejusdem S. Anastasii corpus repositum est, ut quæ in eodem simul Cœmeterio Via Portuensi jacuerant, hic pariter ambo contumulata quiescerent.

Biblioth. in Sergio. 2.

13 Demum, ut assertæ propositum sententiæ magis, magisque comprobetur, sacra beatorum eorumdem Pontificum corpora in jam descripto Portuensi Cœmeterio deposita simul fuisse apertis verbis præcitatus Willelmus Malmesburiensis edocere videtur, qui sanctorum corpora, quæ extra Urbem ætate sua permultis locis, & hac præsertim Via Portuensi, quiescebant, commemorans, inter alia beatorum Anastasii, & Innocentii meminit. Hæc autem inquit: *Tertiadecima Porta Portuensis dicitur, & Via, ibi prope in Ecclesia sunt Martyres Felix, Alexander, Abdon & Sennen, Simeon, Anastasius, Pollion, Vincentius, Milex, Candida, & Innocentius.* hæc ille.

Anastasii, & Innocentii Pont. corpora in Cœmeterio Portuensi.

Willelmus Malmesbur. de gest. Ang. 4. c. 2.

4 Pollionis autem, Vincentii & Milis hic recensitorum corpora, eodem reposita fuisse Cœmeterio ex eorumdem sacris imaginibus ibidem inter perscrutandum, ut infra dicemus, repertis satis perspicue constat; & ex eorumdem etiam corporum in Ecclesiam S. Praxedis translatione, quam è Cœmeteriis jam pene dirutis à Paschale Primo institutam fuisse inscriptus ibidem lapis evidenter legentibus testatur. Quod verò à Malmesburiensi S. Felix primo quidem loco recenseatur, inde à studioso lectore conjici facile potest, Cœmeterium hoc illud ipsum esse, quod S. Felicis nomine nuncupatum jam supra vidimus. Et sane, ut ipso ex Bibliothecario deprehenditur, sacra eadem Cœmeteria contigua unum alteri fuere, quæ postmodum successu temporum, ut pluribus contigit, facili negotio inter se copulari, atque protendi potuere. Sed ad alia Cœmeterialia loca perscrutanda properemus.

Pollio, Vincentius, & Milex.

CAP. XX.

De Cœmeterio Generosæ ad Sextum Philippi Via Portuensi.

1 Coemeterium, quod Generosæ titulo ad Sextum Philippi nuncupatur, ignotum prorsus de nomine ac facie Cencio Camerario, Petro Manlio, Onuphrio, atque aliis fuisse videtur, qui de Cœmeteriorum Urbis numero satis luculenter in suis Commentariis scripsere; cætera enim ex ordine adnumerantes, ac circumscribentes, istud omnino præterierunt; quamvis, ut in præcipuis sanctorum Martyrum actis videre est, frequens de eo legenti mentio occurrat. Cum præsertim quamplures hic beatorum Martyrum pia fidelium manu conditi recenseantur: inter quos præcipui sunt Simplicius & Faustinus, quorum marmoream arcam, in qua depositi primum fuerant, in sacrario Basilicæ S. Mariæ Majoris, inscriptione hac prænotatam, diligenter olim suspeximus, videlicet:

Locus ad Sextum Philippi. *Cencius Camer. Petr. Manlius Onuphrius Pan.*

SS. Simplicius & Faustinus.



MARTYRES SIMPLICIUS ET FAUSTINUS
QUI PASSI SUNT IN FLUMEN TIBERE, ET
POSITI SUNT IN CIMITERIUM
GENEROSES
SUPER PHILIPPI.

Inscriptio Sepulchro SS. Simplicii, & Faustini affixa.

2 Antiquissimæ autem huic inscriptioni mirifice adstipulantur, quæ de eisdem insuper Ado refert, & in eorumdem actis M. S. Cod. Vat. S. Petri, & Vallic. prolixius recitantur, in quibus & de nobilissimo eorumdem martyrio, quod sub Diocletiano contigit, necnon de sepulturæ itidem loco hæc perleguntur: *Sancti Simplicius & Faustinus pro nomine Domini nostri Iesu Christi post multa, ac diversa supplicia, quæ illata sunt iis à carnificibus, jussi sunt capitalem subire sententiam, & corpora eorum ligato saxo in colla eorum sic mitterentur per pontem, qui vocatur Lapideus in Tyberinis rheumatibus. Quorum corpora Dei nutu inventa sunt juxta locum, qui appellatur Sextum Philippi, Via Portuensi. Tunc beata Beatrix unà cum Crispo & Ioanne Presbyteris, & cum aliis Christianis levaverunt corpora sanctorum Martyrum Simplicii & Faustini de fluvio, & sepelierunt ea ibi in Sexto Philippi iv. Kal. Aug.* & paulo infra, ubi de martyrio, ac sepultura Beatricis matronæ agitur, quæ eorum corpora in supra memorato Cœmeterio decenti honore condiderat, hæc apponuntur: *Tunc jussit eam Lucretius carceris custodiæ mancipari, quousque de ea cogitaret. Cumque in Dei nomine perstitisset, fecit eam ambitiosus Lucretius præfocari noctu à servis suis: & sic tradidit spiritum Domino. Quam etiam sancta, ac venerabilis Lucina unà cum suis sanctissimis fratribus ibi in Sexto Philippi sepelivit iv. Kal. Aug.*

Ado de SS. Simplicio & Faustino.

Cod. Biblio. Vat. & Va.

Sancta Beatrix.

3 In hoc eodem Cœmeterio corpora SS. Crispi, & Joannis Presbyterorum tumulata sunt, qui unà cum piissima fœmina Beatrice beatos Simplicium & Faustinum sepulturæ tradiderant; de quibus hæc Ado in suo Martyrologio die 18. Augusti: *Romæ in Sexto Philippi natalis beatorum Presbyterorum Ioannis & Crispi, qui in persecutione Diocletiani & Maximiani multa sanctorum corpora sepeliverunt. Quorum meritis & ipsi postmodum sociati gaudia vitæ meruerunt.* Neque verò improbabile etiam est, si quispiam asserat, pia sanctorum eorumdem Presbyterorum manu (quippe qui in immani illa Diocletiani Imperatoris persecutione Martyrum sepulturæ toto animi studio vacabant) alia quoque plura beatorum Martyrum corpora in hoc eodem Cœmeterio recondita fuisse.

SS. Crispus & Joannes.

Ado. in Martyr. die 18 Aug.

4 Quod verò ad Generosæ nomen Cœmeterio huic inditum attinet, probabile quidem & rationi consonum arbitramur, hanc ab insigni quadam hujus nominis matrona denominationem sumpsisse: & pari item ratione hunc Sexti Philippi titulum, nuncupatum fuisse existiamus, ab agri videlicet domino, ubi Cœmeterium situm erat, qui hoc fortasse nomine appellabatur; vel certe quod Cœmeterium ibidem exstructum sexto ab Urbe lapide distaret; quamvis haud longe ab Urbis Romanæ portu, atque Ostiensi civitate illud extitisse, ex Æthici à nobis hactenus citata Tyberis descriptione conjiciatur, prope insulam videlicet, quam ipsemet Tyberis placido inter fluendum murmure in

A Generosa Matrona Cœmeterium ejus nominis denominatum.

Locus ad Sextum Philippi unde nomen sumpserit.

in duos aquarum ramos partitus designat atque constituit. Rem autem sic Æthicus exponit: *Hic*, nempe Tyberis, *iterum circa Sextum Philippi, quod prædium Missale appellatur, geminatur, & in duobus ex uno effectus insulam facit inter Portum Urbis, & Ostiam civitatem, ubi populus Romanus cum Urbis Præfecto, vel Consule castrorum celebrandorum causa egreditur solemnitate jucunda &c.* Hac utique explanatione omnis difficultas elucidari potest, nisi quis, ut controversiæ hujusce nodum eludat, ultro affirmare velit, tantæ olim Cœmeterium hoc amplitudinis extitisse, ut à sexto Urbis lapide ad loca, quæ hactenus descripta sunt, protenderetur, quod mihi non parum duntaxat veritati constans, sed nec verisimile quidem esse videtur.

...thicus.

5 Porro Sanctorum Simplicii, Faustini, & Beatricis corpora, quæ S. Leo Secundus in Ecclesiam à se in honorem S. Pauli erectam, juxta S. Bibianæ templum transtulerat, hac subinde temporum injuria diruta, in S. Mariæ Majoris Basilicam, una cum ipsa marmorea arca, ubi asservabantur, delata, pio ac religioso fidelium cultu deinceps custodienda deposita ibidem fuere.

...S. Simpli-...i & Fau-...ini corpo-... in Basil. Mariæ ...ajoris as-...rvantur.

CAP. XXI.

De Cæmeterio sancti Iulii Papæ Via Portuensi. De sacris ejusdem Viæ ac Portus Romani monumentis: necnon de Martyribus, qui ibidem coronati, vel sepulti sunt.

1 JAm supra ex Anastasio à sanctissimo Julio Papa tria numero extructa fuisse Cœmeteria comperimus; quorum unum potissimum hac Portuensi Via extitit. Cum autem nulla prorsus ejusdem Cœmeterii alicubi mentio subeat, nec ullum vestigium extet, credendum utique est, sanctissimum eumdem Pontificem, quoddam ex supra recensitis potius instaurasse, vel certè in ampliorem formam redegisse, quam novum veteribus jam descriptis addidisse. Eo igitur prætermisso, sacra ejusdem Viæ monumenta, quæ supersunt, hic inter percurrendum studioso Lectori suggerere aggrediamur.

...œmete-...um S. Ju-...i Papæ.

2 Celebris hæc Via non tantum nobilissimis sanctorum Romanorum Martyrum exuviis, quæ jam recensuimus, insignita est, sed pretiosissimis item exterorum Martyrum reliquiis locupletatur, quas in eamdem transferri contigit; & sanctorum præsertim Cyri, & Joannis, qui cum Alexandriæ quondam sub Diocletiano martyrium subiissent, inde postmodum eorum corpora sub Honorio, & Arcadio Imperatoribus, anno Christi 414. in Urbem translata, in Ecclesia S. Praxedis, Innocentio Primo Summo Pontifice, reconditæ fuere. Cujus recolendæ translationis historiam à Sophronio Hierosolymitano Episcopo conscriptam ex M. S. Cod. præsertim S. Mariæ in Via Lata, hic in studiosi lectoris gratiam recitandam ultro duximus. Est autem ejusmodi verborum tenor.

...ia Portu-...nsis, multis ...artyrum ...eliquiis in-...ignita.

...S. Cyri & ...oannis ...orporibus ...llustratur.

...orundem ...ranslatio-...is Romam ...istoria.

Incipit Translatio Sanctorum Martyrum Abba Cyri & Joannis, qualiter Romam applicuerunt corpora.

...ophr. Hie-...osol. M. S. ...odex S. Ma-...iæ in Via ...ata.

3 *Temporibus Honorii & Arcadii, qui religiosissimi Imperatores fuerunt, Sancto Innocentio Papa existente, beatissimorum Martyrum corpora Abba Cyri & Ioannis à Catholicis duobus monachis, Grimaldo & Arnulpho translata sunt, videlicet ab Alexandriæ civitate usque ad Urbem Romam. Erat autem illo tempore inter Saracenos, & civitatis Alexandriæ incolas dissensio maxima, usque adeo, quod ipsi barbari cum perfidia magna super Alexandriam civitatem equitarint. Postea vero undique tam maximum ingerentes bellum, quod ad ultimum proculdubio superata est. Res enim gesta testatur, uti verum est, quod Prælatus illius civitatis, scilicet Patriarcha, cum pluribus terræ habitatoribus in captivitatem ducti sunt.*

Alexandria Romam corpora SS. Cyri & Joannis delata sunt.

4 *Fuit igitur omnipotentis Dei voluntas, ut præfatis monachis, Grimaldo utpote & Arnulpho, visio quædam apparuit. Enimvero suprascripti Martyres illis in nocte apparentes, talia eis verba intulerunt: Tollite quippe corpora nostra hinc, & deferte ad Urbem Romam, illic ubi divina Dei clementia vobis insinuaverit, ibidem nos collocate. Ipsi autem hoc in dubium habentes, oblivioni tradiderunt. In secunda vero nocte eadem illa visio eis apparuit. Postmodum autem mane venientibus illis in capitulo, & existentes, visionem, quam viderant, ad invicem enucleaverunt. Unus autem illorum, nomine Grimaldus, confratri suo talia inquit: Oremus ad Dominum Deum nostrum Iesum Christum, ut si hæc visio vera est, vice tertia nobis ostendat: superveniente namque nocte tertia hujus rei sancti Martyres verba fantes talia apparuerunt: Visionem quam vidistis nempe veram credatis, & ne in dubium habeatis, quemadmodum his qui bellatores, atque victores erga urbem hanc extiterunt, computati sunt corpora nostra igne cremare. Illi quidem his mandatis obedientes, porphyreticum vas aperientes, SS. Martyrum corpora acceperunt, ac deinceps humili oratione suis mulis intromiserunt.*

A Grimaldo & Arnulpho eorumdem monitu peregrinatio in somnis visionem.

5 *Itaque Alexandrinam navem introeuntes, navigio deducti Constantinopolim applicuerunt, ibi vero apud quandam mulierem viduam nomine Iulianam hospitati sunt. Illic equidem quidam infirmus filius mulieris præfatæ paralyticus jacebat. Extemplo illi monachi misericordia commoti, orationem ad Dominum fuderunt: Domine Iesu Christe tuam exoramus clementiam, quatenus ob amorem horum sanctorum Abba Cyri & Ioannis ægrotus iste sanetur. Finita vero illorum oratione, ab infirmitate illico curatus est; & non solum dilectione illorum miraculum istud operatus est Deus ibi, verum etiam multa alia, quæ longum est enarrare. Postea vero de Constantinopolitana civitate exeuntes, divina Dei adminiculante industria hac utique applicuerunt. In civitate autem illa duorum hominum corpora à dæmonibus possessa sanaverunt, & cujusdam membra claudi erexerunt.*

Grimaldus & Arnulphus cum sacris reliquiis Constantinopolim appellunt.

Et mulieris hospitis eorum filius infirmus virtute Martyrum curatur.

6 *His taliter miraculis peractis prosperum iter suum jussu Dei versus Romam direxerunt, atque in civitate Transtyberina apud quandam Senatricem religiosissimam viduam, nomine Theodoram, hospitati sunt. In ipsa vero nocte illi beatæ mulieri sancti Martyres Abba Cyrus & Ioannes apparuerunt, atque talia verba intulerunt: Corpora nostra omnipotentis Dei voluntate accipe, atque cum his fidelibus Christi famulis, quos hospitata es, monachis defer in templum, quod ad honorem Domini & Sanctæ Praxedis Virginis ædificasti, ibi fidelissime quodam in conclavi repone. Vidua nempe brachium S. Praxedis à Rom. Urbis Papa acquisierat, ac prope Viam Portuensem, domum ad honorem Dei & S. Virginis dedicaverat. Post hæc eadem vidua ante Grimaldi & Arnulphi præsentiam advenit, eisque visionem, quam viderat, recitavit. Ipsi autem tale quid audientes, prorsus denegarunt, dicentes: Nos omnia,*

Romam perveniunt.

Excepti hospitio à Theodora. Cui iidem Martyres in somnis videndos objiciunt.

Visionem Theodora Grimaldo & Arnulpho indicat Qui primo ignorare se rem fingunt. At illi divinitus rem innotuisse videntur. Eidem omnem eventum patefaciunt.

nia, quæ de ore tuo audivimus, ex toto ignoramus. Illa equidem eos investigando quidnam de tali re ambo sentirent, firmissima ratione sæpe recitans illud quod dixerat, uti ratum erat, in veritate probabit. Videntes autem sancti monachi eam in tanta manere constantia, cernentes, quia Deus vult suis fidelibus sua aperire secreta: cœperunt illi insinuare hujusmodi verba proferentes: Audi mulier bona sancto Flamine completa, quod tua mens gliscit videre, oportet et nos competenter aperire. Adsunt hic duorum Martyrum Christi corpora Abba Cyri & Ioannis videlicet, ab Alexandrina civitate jussione Dei transmissa, qui multa pro Christi nomine pericula sustinuerunt. Nam fidem Christi ab adolescentia firmiter credentes, ac magno conamine intrepidi multos alios ad viam veritatis egregie cohortantes, usq; adeo quod pro Christi nomine martyrio coronari meruerunt. Enimvero apud Alexandriæ civitatem capita sanctorum Abba Cyri & Ioannis pro fide Christi cujusdam præcepto tyranni amputata fuerunt. Atque ibi corpora Sanctorum à Catholicis viris cum maxima reverentia usque modo collocata manserunt. Postea vero civitas à barbarorum gentibus obsessa, & crudeliter ab eis superata, denudata, dissipata permansit.

Regio transtyberina SS. Cyri & Joannis reliquiis ornata juxta & munita dicitur.

7 *Fuit igitur omnipotentis Dei visio, & sanctorum admonitio Martyrum utique, ne infideles sanctorum patrocinia in potestatem haberent, ut ab Alexandria horum corpora martyrum Abba Cyri & Ioannis per nos in hanc Transtyberinam civitatem translata fuissent. Angelica namque elocutione nobis visum est in vera visione illis nobis apparentibus; & quemadmodum duo primates in Ecclesia Dei, videlicet Simon Petrus utique, & B. Paulus civitatem Romanam ex utroque latere custodierunt; ita & isti sancti Martyres Cyrus & Ioannes à dæmonum incursionibus, atque aliis quampluribus adversitatibus civitatem Transtyberinam observant. Audiens autem talia illos eloquentes Theodora, Deo gratias referebat, ac flexis genibus coram Martyrum sanctorum corporibus devotissime in oratione manebat.*

Innocentius Papa ut audivit earum adventum, accedit & veneratur.

8 *Tantus adeo adventus Martyrum per totam Romanam civitatem divulgatus fuit, quod Papa Innocentius cum plerisque Cardinalibus, & maximo Romanorum cœtu illuc citissime convenerunt, ac deinceps corpora sanctorum Abba Cyri & Ioannis devotis precibus veneraverunt. Insuper vero redolentia martyrum corpora multo thure & myrrha dignissime adornaverunt. Post hæc Innocentius Papa cum supradictis monachis Grimaldo & Arnulpho, seu cum famula Dei Theodora & cum multis Romanæ Ecclesiæ Prælatis corpora Martyrum acceperunt.*

Et eas in Ædem S. Praxedis defert.

9 *Itaque viam inchoantes corpora sanctorum deferendo in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus Deo jubilaverunt, membra beatorum Martyrum Abba Cyri & Ioannis in templum detulerunt, quod ad honorem S. Praxedis Virginis consecratum fuerat. Ibi enim cum omni reverentia corpora sanctorum quodam in conclavi secretissime à Papa & monachis, excepto capite sancti Abba Cyri recondita, & taliter consolidata sunt, quod impossibile est ab aliquo ea usque ad finem mundi nullatenus dimoveri posse. Postea vero Apostolicus Innocentius cum suis Cardinalibus, & multis Romanæ Ecclesiæ Prælatis talem fecit absolutionem, ut omnes ad beatorum Martyrum Abba Cyri, & Ioannis, ac S. Virginis Praxedis festum humili prece venientes, à quarta suorum scelerum parte dissolvi mererentur. Caput enim S. Abba Cyri argenteo vase collocatum super altare digne posuerunt, ut omnes variis infirmitatibus oppressi devota mente quamcitius intuerentur, illico ab omni infirmitate liberati fuissent. Tanta quippe miracula sancti Martyres ibi operati sunt, quod cæcos illuminabant, leprosos mundabant, dæmones effugabant, surdis auditum, claudis gressum reddebant.*

Invisentibus eas munera cælestia largitur Pontifex.

Innumeris miraculis eidem SS. Martyres clari.

10 *Vidua vero illa Theodora, de qua superius fuit mentio; cui sanctorum corpora Martyrum vera visione revelata fuerunt, omnia sua bona ob amorem Dei ac beatorum Martyrum Ecclesiæ, quam ædificaverat juxta Portuensem Viam, dedit, terras scilicet circumstantes Ecclesiæ, & multa alia beneficia ibi fideliter ordinavit, & usque ad exitum vitæ suæ ibidem Christo tantum famulata est, quousque animam suam commendavit. Illi vero beati monachi Grimaldus & Arnulphus, à quibus sanctorum martyrum corpora translata fuerunt, post multum temporis ibi Domino famulantes manserunt. Tanta utique reverentia fuit, quod sine aliqua intermissione Dominum Iesum Christum pro sanctæ Matris Ecclesiæ filiis semper interpellabant. Nimirum viri religiosi, sobrii, pudici, bonis moribus ornati, in omnibus patientes, quod sibimetipsis, hoc & aliis cupientes, in servitio Dei assidue constantes erant. Dum itaque illis monachis mundana vita superstes fuit, humili famulatu Christo, & sanctis martyribus ibi servierunt, usquequo à Domino vocati regnum cæleste scandere meruerunt, ubi cum Domino sine fine manebunt. Hactenus de beatorum adventu martyrum ea, quæ vera scivimus, retaxati sumus. Sed quam longum est omnia illorum miracula in hoc scripto dinumerare, cum in multis aliis codicibus descripta nitescant, ea quæ de illorum adventu diximus, nobis sufficiant. Collaudemus igitur invisibilem Dominum omnipotentem, qui suis in sanctis est mirabilis, ut eorum meritis, atque omnium sanctorum auxiliis vitam mereamur obtinere contemplativam. Collocata sunt corpora sanctorum Martyrum Abba Cyri & Ioannis juxta Viam Portuensem à Papa Innocentio secretissime in templo S. Praxedis Virginis vij. Kal. Aug. ad omnium gaudium, quod ipse præstare dignetur, cujus regnum & imperium permanet in sæcula sæculorum Amen.* Hactenus recolenda horum sanctorum Martyrum depositionis historia, quam prolixiori sermone enarratam in studiosi Lectoris gratiam referre nobis visum est.

Theodora omnia sua bona Ecclesiæ martyrum attribuit.

Grimaldi, & Arnulphi virtus, ac pietas.

Locus in quo corpora SS. Cyri & Joannis locata sunt.

Alibi est 12 Kal.

11 Extat adhuc præmemorata hæc S. Praxedis Ecclesia prope Tyberim, è regione videlicet Basilicæ S. Pauli, secundo circiter ab Urbe lapide, quæ nunc corrupto vocabulo vulgo *sancta Passera* appellatur: ubi adhuc beatorum eorundem Martyrum imagines conspiciuntur, & ipsemet Confessionis locus apparet, ubi sacra quondam corpora condita fuerant: quæ hoc nimirum loco deposita fuisse vetus in marmore incisa inscriptio attestatur, quæ supra ejusdem Ecclesiæ januam in hunc modum legenda exhibetur:

Ecclesia S. Praxedis prope Tyberim extra Urbem.

CORPORA SANCTA CYPRI RENITENT
HIC ATQUE JOANNIS,
QUÆ QUONDAM ROMÆ DEDIT
ALEXANDRIA MAGNA.

12 Hujus Ecclesiæ Jo: Diaconus meminisse videtur in gestis S. Greg. sic inquiens: *Cumque presbyter Monachus Lucido Episcopo tam dirum nuncium revelare timeret, tacere autem penitus non auderet, monasterio se tandem proripuit, & ad domum Episcopi non longe à flumine Tyberi, regione videlicet juxta Basilicam sanctorum Cyri & Ioannis positam, somnium nunciaturus, accessit &c.* Si vero Joannis verba attentius expendantur, Ecclesiam nimirum, de qua ipse loquitur, domui Lucidi Episc. proximam fuisse, apud quem è Lateranensi Patriarchio, ubi

Io. Diaconus in vit. S. Greg. lib. 4. cap. 92.

ubi Papæ adstare consueverat, abscedens, se recipiebat, & S. Gregorii pariter monasterio, cui ipse præerat; certe nimis durum, atque improbabile apparebit illius domum Episcopi tam longo à Lateranis ædibus intervallo distare; deserto quodammodo eodem ab habitantibus loco, cæterisque domibus vacuo, ac consuetis functionibus penitus incongruo atque incommodo. Quare ut sincerum ipsiusmet historiæ sensum attingere valeamus, vero similius nobis fit, non de hac quidem Ecclesia Joann. locutum fuisse, sed de alia sub eorundem SS. invocatione, quæ olim haud procul ab Ecclesia S. Mariæ in Porticu extabat, cujus adhuc vestigia juxta Pontem S. Mariæ nuncupatum contemplanda supersunt, eorumdemque sacras ibi se vidisse imagines unà cum Ugonio Bosius testatur.

[Margin: ...ia eorun... m Eccle... prope ...dem S. ...ariæ in ...orticu.]

1 Porro magnus olim erat singulis quibusque annis ad S. Praxedis Ecclesiam Via Portuensi, ipsomet festivo ejusdem recurrente Virginis die, vigesima prima scilicet Julii, Romani populi concursus. Itemque in anniversario eorundem beatorum Martyrum translationis, quæ die 31. Januarii contingit. Quapropter in perantiquis quibusdam Martyrologiis, & in Romano præsertim hac ipsamet die Natalis eorundem inscribitur his quidem verbis: *Romæ Via Portuensi sanctorum Cyri & Ioannis, qui post multa tormenta pro confessione Christi capite truncati sunt.* Ex quo nonnulli hos quidem Romæ Via Portuensi martyrium subiisse opinati sunt.

[Margin: ...emor a ...rum quot ...nis in Ec... ...esia S. ...axedis ...m age... ...tur.]

14 Hac eadem Via vetustissimam quoque in honorem B. Petri Apostolorum Principis Ecclesiam fuisse erectam Bibliothecarius in Adeodato Papa his verbis testatur: *Hic Ecclesiam B. Petri, quæ est Via Portuensi, juxta Campum Meruli, ut decuit restauravit, atque dedicavit.* Ejusdem quoque Blondus in libro, cui titulus est, *Roma instaurata*, meminit; cujus adhuc ætate, licet ruinis patens, & jam semidiruta, extabat. Verba autem ejus hæc sunt: *Ecclesia S. Petri, quæ Via Portuensi ad Pontem Meruli dirupta cernitur, Adeodati Primi Pontificis opus fuit.* Campus autem, sive Meruli Pons, de quo hic sermo incurrit, duodecimo ab Urbe lapide distabat, ut videre est in quadam Joannis XIX. bulla, ad Benedictum Episcopum Portuensem transmissa, in qua post enarratas prædiorum donationes, atque earundem Ecclesiæ Portuensi confirmationes, hæc habentur: *Simulque pratum in integrum cultum, & ad solatum situm in campo, qui dicitur Meruli, in Via Portuensi, milliario ab Urbe plus minus duodecimo.*

[Margin: ...clesia S. ...tri Via ...rtuensi]

[Margin: *...blioth. in ...deodato ...pa 1.*]

[Margin: *...ondus in ...ma in...urato*]

[Margin: *...lla Io. 19. ...d Benedi...um Epi...pumPort.*]

15 Celebris igitur antiquis temporibus inter reliquias Urbis, Via hæc Portuensis fuit, quæ tot tantisque rerum sacrarum monumentis illustris reddita, tot Ecclesiis, ac Cœmeteriis pariter aucta, Martyrum insuper exuviis, triumphis, ac sanguine apprime nobilitata est. Haud minori tamen veneratione Romanus itidem Portus suspiciendus videtur. Quippe qui compluribus Martyribus, eorumque sepulchris uberrime ditatur; etsi non pauca eorundem Martyrum corpora à Christianis post martyrium viriliter peractum ad Cæmeteria Urbi proximiora, quæ eadem Portuensis Via continebantur, delata fuisse, ipsamet nobis ratio persuadet.

[Margin: ...rtus Ro...anus.]

16 Inter cæteros enim Christi martyres, profecto novimus sanctum Hyacinthum, qui jam sub Trajano Principe apud Portum Romanum martyrio coronatus fuerat, Romam à Julia matrona translatum fuisse, ut in Romano Martyrologio, & apud Adonem fusius his verbis describitur: *Romæ in Portu natale sancti Hyacinthi sub Consulari Leontio Luxurio Primo civitatis Terracinæ tradente: qui missus in ignem, nullo modo lædi potuit: inde præcipitatus in validissimum torrentem incolumis ereptus est ad littus. Nunciatur hoc Consulari Leontio, & misit spiculatorem cum militibus, ut eum comprehensum gladio ferirent. Tunc quædam matrona religiosa, nomine Iulia, veniens nocte cum servis suis, collegit corpus ejus, & cum honore sepelivit in prædio suo, juxta Urbem Romam.* In Actis autem ejusdem Martyris apud Surium hæc subduntur: *Porro matrona quædam religiosa, Iulia nomine, veniens nocte cum servis suis, collegit corpus ejus, & in primis honorifice sepelivit in prædio suo, quod erat juxta Urbem Romam, ubi etiam cubiculum sibi construxit, juxta sepulchrum beati Martyris, ubi consequuntur beneficia omnes credentes in Christo.* Hæc Surius.

[Margin: ...yacinthus ...artyr.]

[Margin: ...lia Ma...ona.]

[Margin: *Martyrol. Rom. 7 Kal. Aug. Ado. de S. Hyacintho Mart.*]

[Margin: *Sur. 7. Kal. Aug.*]

[Margin: Cubiculum Juliæ Matronæ.]

17 Ut uno denique verbo, quæ ad antiquissimum Portus Romani splendorem spectant, breviter perstringamus, illustris profecto toto terrarum orbe locus hic redditur martyrio potissimum, ac sepulchro beati Hippolyti Portuensis Episcopi, ac Martyris præclarissimi, necnon Scriptoris inter cæteros Ecclesiasticos celeberrimi, cujus dignissima laudum præconia Romano in Martyrologio his notis exprimitur: *In Portu Romano sancti Hippolyti Episcopi eruditione clarissimi, qui sub Alexandro Imperatore ob præclaram fidei confessionem, manibus pedibusque ligatis in altam foveam aquis plenam præcipitatus, martyrii palmam accepit. Cujus corpus à Christianis apud eundem locum sepultum fuit.* Sepulturæ autem locus in Martyris ejusdem Actis his verbis describitur: *Christiani vero nocte levaverunt pretiosum illud corpus de puteo occulte, & cum hymnis, & laudibus, omnique veneratione sepelierunt in eodem loco, non longe ab ipsa fovea, quasi pedes plus minus sexaginta in insula, quæ uno latere, littore maris, & à duobus divisione alvei Tyberis cingitur prope ejusdem fluminis ripam habens passus quasi quinquaginta, vigesima secunda die mensis Augusti, ubi quotidie præstantur Christi beneficia, & fructus orationum sancti Martyris exuberant usque in præsentem diem.* Huc usque recolendi Martyris acta.

[Margin: Hippolytus Episcopus Portuensis.]

[Margin: *Martyrol. xi. Kal. Sep.*]

[Margin: *Acta S. Hippolyti.*]

18 Ibi postmodum in ejus honorem Ecclesia erecta fuit, cujus Bibliothecarius meminit in conscriptis à se Pontificum gestis, qui eamdem dignissime sub vario temporum interlapsu exornarunt, ac multiplicibus muneribus impertitis munifice cumularunt, quod præsertim à S. Leone Tertio præstitum fuisse enarrat; cujus ætate hactenus descripta martyris Ecclesia extabat. Porro isthæc de illo Biblioth. ait: *Fecit autem idem almificus Pontifex in Basilica beati Hippolyti martyris in Civitate Portuensi vestes de stauraci duas, unam super corpus ejus, & aliam in altari majori.* Præterea & duos alios martyres, qui sub Alexandro Imperatore Tyberina apud Ostia martyrium pro Christi fide consummaverant, ut suo infra loco dicemus, hoc eodem loco pia fidelium manu sepulturæ demandatos fuisse.

[Margin: Ecclesia S. Hippolyti Episcopi.]

[Margin: *Biblioth. in Vit. S. Leonis 3.*]

[Margin: Bini Martyres Via Portuensi sepulti.]

19 In Portu item Romano cum acrius instaret persecutionis procella, impiorum gladio percussi ad optatum beatæ quietis portum feliciter appulere Martialis, Saturninus, Epictetus, Maprilius & Felix unà cum sociis, quos Ado & Beda peregrinos vocant: quippe qui peregrinationem ad veneranda Apostolorum Limina eodem sub Alexandro devotionis ergò susceperant. Hi omnes pro Christo in Portu Romano cæsi & coronati sunt, & post consumptum

[Margin: SS. Martialis, Saturninus, Epictetus, Maprilius, & Felix.]

[Margin: *Ado & Beda de SS. Martiali, Epicteto Maprilio, & Felice M.M.*]

Martyr. XI. Kal. Sept.

sumptum optati cursum itineris per aquam & ignem transeuntes in locum refrigerii, vitæ pariter ac vitæ terminum, datis pro Christo cervicibus, feliciter invenire meruerunt. Quorum in Martyrologio mentio fit his verbis: *Item in Portu Romano sanctorum martyrum Martialis, Saturnini, Epicteti, Maprilii, & Felicis cum sociis eorum.*

Milites quinquaginta Martyres.

20 Quinquaginta item milites ad Christi fidem Bonosa exhortante traducti, & deinde à S. Felice Primo, salutari baptismate expiati, post varia laborum tolerata certamina cum ultro, constanterque fidei testimonium effuso cruore dedissent, utpote invicti Christi milites, in Portu tandem Romano omni prorsus naufragandi metu soluti, à Domino palmam adepti sunt: de quibus isthæc in eodem Martyrologio: *In Portu Romano sanctorum quinquaginta militum martyrum, qui in confessione S. Bonosæ ad fidem adducti, & à B. Felice Papa baptizati, in persecutione Aureliani occisi sunt.*

Martyrol. 8 Id. Iul.

SS. Bonosa, Eutropius, & Zozima.

21 Hos vero ad certandum pro Christo viriliter veluti strenuissimos in acie ductores paulo post secuti fuere, eadem Bonosa, Eutropius ejusdem frater & soror Zozima, quorum pariter gloriosa memoria in Martyrologio recolitur Idibus Iulii his verbis: *In Portu Romano natalis SS. martyrum Eutropii, Zozimæ & Bonosæ sororum.* De iisdem hæc in M. S. eorum Actis ex Cod. Vaticano excerptis recensentur: *Et crediderunt in illa die quinquaginta milites in Dominum Iesum Christum & baptizati sunt à B. Felice Urbis Romæ Præsule. Quos omnes B. Bonosa de sacro fonte suscepit.*

Martyrol. Idib. Iul.

SS. Paulus, Heraclius, Secundina, & Ianuaria.

22 Alii insuper in Martyrologio adnumerantur apud præmemoratum Portum Romanum invictæ fidei, & constantiæ Martyres. Inter quos præcipui sunt Paulus, Heraclius, Secundina, & Ianuaria, sexto Nonas Martii. His adscribitur Vincentius, qui nono Kal. Iulii ad martyrii coronam feliciter pervenit.

Mart Rom. sexto nonas Martii.

S. Nympha

23 In Romano item Portu inter tot recolendorum Martyrum trophæa, floret jugiter & adhuc perseverat dignissimæ Christi martyris Nymphæ memoria; in cujus honorem erectam quondam fuisse Ecclesiam Bibliothecarius testatur, isthæc in gestis S. Leonis Quarti referens: *Obtulit vero & in Ecclesia B. Nymphæ martyris, quæ esse videtur in civitate Portu usi, vestem de fundato unam.* Ejusdem porro Ecclesiæ, quæ celebris utique olim fuit, nunc solo æquatæ nonnulla adhuc, quamvis exigua, ad contemplandum vestigia subsistunt. Acta autem Nymphæ Martyris in Cod. Vat. & S. Mariæ ad Martyres recitantur; in quibus hæc præcipue: *Et navigantes* (Mamilianus nempe & Nympha cum sociis) *pervenerunt ad Pharum Romani portus, & permanserunt ibi nocte illa; & ecce Angelus Domini apparuit S. Mamiliano in somnis, dicens: Exite de navi diluculo, & pergite ad locum situm juxta Bucinam, quem multitudo paganorum inhabitat: ibi videbitis altam pinum, & sub ea cryptam pulchre constructam, in qua Proculus & Eusthatius commorantur. Sanctus autem Mamilianus audiens de discipulis suis, qui persecutionem metuentes secesserunt, glorificavit Dominum. Mane igitur facto valedicentes nautis, arripuerunt iter eis à Domino præmonstratum, & cum pervenissent ad cryptam, ingressi sunt, & repererunt sanctos, qui in pacis osculo salutantes, pariter permanserunt.* Prolixa vero ibidem narratio subtexitur de eodem Mamiliano una cum B. Nympha Apostolorum Limina adeunte, ac inde postea in eandem

Biblioth.

Ecclesia S. Nymphæ.

SS. Nympha & Mamilianus.

Codex Vat. & S. Mariæ ad Mart.

cryptam regresso; de ipsius item obitu tunc subsecuto; ac sex post menses Proculi pariter, Eusthatii & Goboldei in Domino obdormitione, quorum ibidem corpora à sancta Nympha sepulturæ commendata fuere. Demum felicissimus ipsius Nymphæ transitus hunc in modum describitur: *In magna jucunditate migravit ad Dominum mensis Novembris die 12. Christiani vero plorantes, & valde tristes sepeliere corpus ejus juxta corpora aliorum sanctorum, ubi & Ecclesiam construxerunt ad honorem Domini Iesu Christi viventis in sæcula sæculorum.* Hæc in M. S. ejusdem Actis S. Mariæ ad martyres, & Vaticanæ ac Vallicell. Biblioth. in aliis vero, Baronio teste in suis ad Martyrolog. notis 4. Idus Novemb. eandem diem obiisse quadam in crypta juxta Suanam enarratur, ubi S. Mamiliani Panormitani Episcopi reliquiæ depositæ sunt, quem eodem loco defunctum, sepultumque fuisse ejus acta testantur. Quænam vero acta ex descriptis hactenus sinceriora à nobis habenda sint, prudentis id judicio Lectoris deferimus: ut interim tamen quid hac de re sentiamus, libere fateamur; nobis quidem magis arrident, quæ supra enarrata sunt, cum præsertim veneranda in hoc antiquitas suffragetur, & conjecturæ ipsismet templi eidem B. Nymphæ in Portu Romano dicati vestigiis valide obfirmentur.

SS. Proculus, Eusthatius, & Goboldeus.

Bar. in not. ad Mart. 4. Idus Novembris.

24 Sed præstat nunc totidem hic verbis coronidis instar, ut studioso cumulatius Lectori satisfiat, recensere, quæ de eadem, & recolendis Portuensis Ecclesiæ monumentis luculento sermone Baronius recitat: qui se ad illa invisenda, lynceisque oculis contemplanda avidissimus Ecclesiasticarum rerum explorator contulerat. Sic igitur eadem sacra loca temporum injuria jam fere abolita, ac memorias eorundem deperditas vehementer explorat: *Locus,* inquit ille, *ad Nymphas dictus, inter Viam Corneliam, & Portuensem situs est, qui corrupto nomine vulgo hodie dicitur sancta Nympha: ubi adhuc antiquæ Ecclesiæ visuntur vestigia: insunt & nobilissimi subterranei aquæductus, ut conjici possit ex aquarum abundantia consecutum esse nomen locum illum, ut diceretur, ad Nymphas, quem nos vidimus: nam opportune his contigit ferme diebus, ut Ecclesiasticarum antiquitatum cupidissimus Illustriss. & Reverendiss. D. Gabriel Paleottus S. R. E. Card. Episcopus Albanen. optimi Præsulis dignum exemplar, ad celebrata illa scriptorum monumentis in portu Romano loca, & sacras præsertim sanctorum memorias invisendas una me secum adjungeret. Sed plane accidit desertum videre locum, littusque relictum: quo sane factum est, ut ingemisceremus recordatione florentissimæ olim Portuensis Ecclesiæ, jam penitus solo æquatæ: nec non amplissimarum sacrarum ædium S. Hippolyti Portuensis Episcopi, cujus gloria tum ex martyrio, tum etiam ex præclarissimis lucubrationibus comparata toto illuxit orbe terrarum. Vix esse reliquam altissimam sacram turrim, antiquæ gloriæ tristem indicem, ac juxta eam celebrem illum puteum, olim ejus martyrio illustratum, jam modo usque ad summum terra repletum. Sed & frustra sunt perquisita aliorum Portuensium martyrum monumenta: nulla enim ibi penitus vestigia Eutropii, Zozimæ atque Bonosæ, nec illorum gloriosorum quinquaginta militum, qui in S. Bonosæ certamine ad fidem conversi, martyrium subiere: quos omnes S. Felix Papa sacro baptismate abluit, & ad pugnam pro Christo reddidit fortiores, ecclesiasticis chartis tantum notos. Sed nec SS. martyrum Martialis, Saturnini, Epicteti, Maprilis, Felicis & sociorum, quorum in Actis ejusdem Hippolyti est cla-*

Descriptio loci ad Nymphas & Ecclesiæ ibidem existentis.

Bar. Annal. To. 2. ann. 272. n. 14. & seq.

Portuensis olim florentissima Ecclesia.

Martyrum Portuensium monumenta nulla hactenus superesse sunt.

ra

ra mentio, memoriæ aliquid residui erat: sicut nec Pauli, Heraclii, Secundinæ & Ianuariæ, neque Vincentii, quos in eodem Portu Romano esse passos tabulæ Ecclesiasticæ docent. Sed & frustra quæsita sunt vestigia nobilissimi Xenodochii, quod S. Pammachius, cujus immensæ charitati angustior visa Urbs, & tardior adventus pauperum, extendens usque ad mare propagines misericordiæ suæ, in eodem Portu Romano constituit; ut è navi pauperibus descendentibus, ipse eos parato suscepturus hospitio, primus occurreret. Verum una hæc erat communis consolatio, quod egregii operis structura apud S. Hieronymum viveret ejusmodi immortalitatis elogio: Audio te Xenodochium in Portu fecisse Romano, & virgam de arbore Abraham in Ausonio plantasse littore. Quasi Æneas nova castra metaris, & super undam Tyberis, ubi ille, cogente quondam penuria, crustis fatalibus, & quadris patulis non pepercit, tu viculum nostrum, id est, domum panis ædificas, & diuturnam famem repentina saturitate compensas. Horum, inquam, saltem meminisse juvabat, & præteritorum læta memoria calamitatem nostrorum temporum solabamur. Hæc Baron. de sacris, recolendisque jugiter apud posteros Portuensibus monumentis jam fere oblitteratis peroravit, quibus venerandæ antiquitati jam inter oblivionis cæmenta consepultæ lacrymabundus parentasse visus est, & quæ nostris hisce scriptis veluti corollarium subtexere operæ pretium duximus, & repetita eorundem memoria enarratis jam toto hoc capite supremam manum imponere. Reliquum nunc est, ut sacra Cœmeteria, quæ Bosius hac eadem Portuensi Via diligenter perquirendo assecutus tandem perlustravit, & quæ in eisdem notatu potissimum digna reperit hic studioso lectori exhibeamus.

[Xenodochium S. Pammachii.] [Hieronym. ep. ad Pammach.]

CAP. XXII.

De Cœmeteriis à Bosio Portuensi Via repertis, ac perlustratis.

1 Diu quidem nulli vel impensæ, vel labori parcens sedulam se navasse operam Bosius fatetur, ab anno videlicet redempti Orbis millesimo sexcentesimo usque ad M.DC.XVIII. in sacris cœmeteriis, ac subterraneis cryptis via Portuensi inquirendis, perscrutandisque: verum post assiduos labores, desiderio ac spe haud omnino frustratus, toto interlapsu temporis duos dumtaxat ad Cœmeteria aditus adinvenire valuit. Alterum quidem in villa, quam Antonius Rabbius quondam possidebat, juxta locum, qui vulgo dicitur Pozzo Pantaleo: per quem prima quidem facie satis angustum, arctumque nimis aditum una cum sociis introgresso conspiciendum sese primo quoddam cubiculum obtulit; in cujus hinc inde parietibus, ferro utique excavata defunctorum sepulchra apparebant. Cubiculi autem ejusdem tholum picturis olim de more exornatum fuisse ex quibusdam indiciis contemplanti intelligi dabatur: quod præsertim ex quadam evangelici Pastoris imagine, ovem super humeros deferentis, quæ ibi ad vivum expressis coloribus repræsentabatur, conjici satis potuit.

[Locus Pozzo Pantaleo vulgo dictus.]

2 Alterum vero aditum, quo subterranea, abditaque, loca perscrutaturus penetraret, in vinea Antonii Bassani reperit, quæ haud longe ab ipsa Portuensi porta distat. Recta igitur aliquantulum procedens, ac primo dextrorsum occurrente diverticulo publica è Via deflectens, ad eminentiorem quendam ejusdem vineæ situm pervenit. Hic primò illi Cœmeteriales aliquot semitæ se obtulere, quæ exoptantem ultro ad ingrediendum allicerent, iterque ad secretiores loci sinus perscrutandos panderent. Apparuerunt haud multo post intra ipsum loci ambitum cubicula quædam, etsi dealbatis hinc inde parietibus, penitus tamen inculta, ac omni ornamentorum genere destituta. Visæ hic interim sunt nonnullæ dumtaxat sepulchrales marmoreæ inscriptiones, seu potius dixerim inscriptionum fragmenta: hæ etenim fere omnes confractæ, humique projectæ jacebant, nec ullus ex iisdem litterarum elici sensus poterat; quamvis Christianorum olim sepulchris ejusmodi lapides inseruisse, ex variis, consuetisque Christianæ Religionis signis, quæ ibi adnotabantur, satis innotesceret; & præsertim ex communi illa, ususque recepta formula his verbis expressa:

[Forma ac facies quorundam Cœmeteriorum Viæ Portuensi.]

DEPOSITUS IN PACE.

Porro in superiori ejusdem Cœmeterii parte foramen adhuc extabat quadratam præ se ferens formam, ex quo lumen introrsum subterranea loca reciperent, & quà ibi ob metum insectantium demorantibus, ubi opus esset, ad fovendam vitam necessaria suppeditarentur. Sed ipsum quæso Bosium hic audiamus:

[Luminare quo lumen in Cœmeterium admittebatur.]

3 *Desponderam*, inquit ille, *animum, cum nullum aliud antiquitatis vestigium Via Portuensi mihi exploranti suppeteret, nec latentis, ac penitus inter ipsas ruinas oblivione sepulti Cœmeterii umbram dumtaxat oculis deprehendere valerem: jamque ab ulterius inquirendo, explorandoque defatigatus pene destiteram, cum ecce recurrente anno MDCXVIII. nuncius ad me repente de crypta quadam in villa Collegii Anglicani reperta mittitur, quæ certum proculdubio ad subterranea Cœmeteria aditum indicabat. Nulla igitur interposita mora die vigesima secunda Iulii, ipsomet festo die B. Mariæ Magdalenæ quam citissime iter illuc arripui; etsi tempus maxime æstivum ad hujuscemodi perlustranda loca prohiberet, absterreretque. Extra Urbem igitur Portuensi egressus Porta, rectaque Via ad illud usque sacellum, quod media situm est Via; progrediens, inde vero dextrorsum pedem ad secundum diverticulum deflectens, dum per arctam satis angustamque viam iter pergerem, tandem ad collis summitatem ascendi, qui vulgo Rosatus nuncupatur, & quidem, ut verum fatear, non absque ingenti labore ad eandem Collegii Anglicani villam perveni, ubi juxta domum è regione Basilicæ ipsius Beati Pauli Apostoli cryptam quandam conspexi, quam cum continuo ingressus fuissem, aliam pariter loco inferiori sitam reperi, atque in ea cuniculum quendam perangustum Tyburtinis circumseptum lapidibus, & aquæductus formam exhibentem facie contemplari licuit, per quem haud exiguo quidem incommodo ac tædio pariter arreptum aliquantisper prosequens iter, invicto tandem animo peroptatum diu Cœmeterium, illudmetipsum, quod hactenus tam anxie perquirebam, offendi.* Cujus formam ab eodem perscrutatore quam exacte descriptam nos hic enarrabimus. Excavatum igitur hoc erat aliorum instar in subterraneis Arenæ fodinis: arena autem, utpote flavi coloris, haud facile subsistit: quapropter pluribus quidem in locis ruinarum moles, ac ruderum signa apparebant, ejusdemque semitas ipsamet collapsa desuper arena obstruxerat. Alicubi interim sustentacula quædam vali-

[Bosii Cœmeteria Via Portuensi perquirentis narratio.] [Collis Rosatus.] [Cœmeterii à Bosio reperti descriptio.]

dis compacta, constructaque lateribus extabant, arcus præterea nonnulli ad parietes, tholosque suffulciendos affabre elaborati; sepulchra insuper utraque ex parte in parietibus excisa conspiciebantur; in quibus defunctorum corpora, uti mos est, passim locata jacebant. Arcuata vero monumenta ibidem nulla; in quodam tamen sepulchro ex recensitis hactenus insculptum vivificæ crucis signum cernebatur: in altero quædam vitri fragmenta deprehensa sunt, in quibus venerandæ adhuc beatorum Apostolorum Petri, & Pauli imagines coloribus utique expressæ apparebant. Porro hoc unum tantummodo Epitaphium ex omnibus integrum, Græco utique idiomate exaratum, ac perexiguo marmori insculptum supererat, nempe:

Epitaphium in Cœmeterio Via Portuensi repertum.

ΣΟΦΡΟΝΙΟΣ.

Imagines sanctorum Pollionis, Marcellini, & Petri.

4 Cum vero sepulchralium inscriptionum fragmentis quamplurimis omnino perfractis, comminutisque nullus inde legendo verborum sensus percipi posset, ulterius incœptum Bosius iter prosecutus, locum quendam invenit, ubi tholus muris validissimis suffulciebatur, in quorum summitate juxta eundem tholum perexigui quidam arcus extabant, & per alterum ex his, qui ad lævam patet, adscendendo, en tibi aliæ item Cœmeteriales semitæ concurrunt, per quas tamen, obstructo hinc parietibus aditu, haud libera incedere volentibus facultas suppetit. In ipsa vero parietis facie nonnullæ extant Sanctorum imagines coloribus ad vivum expressæ; sancti nimirum Pollionis, qui medium locum tenet, hinc ad ipsius dexteram S. Marcellini Presbyteri; ad lævam autem B. Petri Exorcistæ martyrum. Porro sub sacra beati Pollionis imagine parva quædam fenestrella existit, mensuram palmorum duorum longitudinis, totidemque latitudinis obtinens, qua obvius quandam ad cryptam aditus exhibetur, quæ cubiculi formam præ se fert, ubi quondam, ut credere nobis par est, Beati ejusdem Pollionis sepulchrum extitit. Porro in sinistro cubiculi pariete gemmata crux picta conspicitur, ad cujus dexteram veneranda B. Pigmenii, ad sinistram S. Milis ad vivum pariter expressa imago extat; sub qua alia itidem fenestrella in figuram arcus exstructa visitur, latitudinis palmorum duorum, altitudinis vero trium, per quam ad alteram ejusdem formæ cryptam aditus præbetur. In quem locum beati Pigmenii translatum olim fuisse corpus, præterquam quod conjecturæ docent, ipsamet ratio suadere videtur.

Imago sancti Milis.

S. Pigmenius.

Mart Rom. 1. v. Non. Junii de SS. Martellino & Petro. De S. Pigmenio 4. Kal. Maii. De S. Mil. episc. Mart. Rom. x Kal. Maji.

5 Porro ex his quinque martyribus, quos supra memoravimus, tres dumtaxat Romæ martyrium consummasse, atque in Romano Martyrologio recensitos novimus; Marcellinum videlicet, & Petrum IV. Non. Junii, Pigmenium autem IX. Kal. Aprilis. Pollionem vero, cujus IV. Kal. Maji memoria celebratur, neutiquam Romæ, sed in Pannonia, & Milem Episcopum in Perside X. Kal. Maji martyrio coronatos fuisse legimus. Quapropter imagines, quas supra memoravimus, horum nullatenus fuisse credere par est, sed potius militum Romanorum ibidem reconditorum, ut ex infra dicendis satis probabiliter conjicere unusquisque potest. Siquidem sacra eorundem corpora à Paschale Primo è Cœmeteriis, quæ jam devastari contigerat, in S. Praxedis Ecclesiam translata fuisse, perantiqua, quæ hactenus ibi extat, inscriptio edocet, in qua ipsorum nomina simul insculpta recitantur; nimirum militis, Pollionis: & recolendum Pollionis ejusdem nomen in pervetusta insuper marmorea tabula, quæ apud Ecclesiam S. Martini in Montibus conspicitur, notatum apparet, quò demum ex Ecclesia S. Praxedis à Sergio Secundo Summo Pont. deportatum fuit.

S. Pollio Martyr.

Inscriptio Imaginibus SS. Marcellini & Petri apposita.

6 At sub venerandis sanctorum Marcellini, & Petri imaginibus, hujuscemodi inscriptio in pariete exarata legitur:

EUSTATHIUS HUMILIS PECCATOR
SERVITOR
B. MARCELLINI MARTYRIS.

Reliqua vero præ nimia vetustate deleta omnino, & consumpta sunt. In alio vero latere hæc adnotata legentibus exhibentur:

DIE IIII. T SCI MILIX N̄. MAJI.

Ex cujus quidem varia natalitii diei supputatione, hunc alium profecto ab eo esse arguitur, qui nobilem jam in Perside pro Christo martyrium subierat. Illius etenim memoria, ut diximus, mense Aprilis, istius vero IV. Non. Maji in Romano Martyrologio recolitur. Sed citra omnem ambigendi, ac tergiversandi scrupulum ipsa rei veritas palmam obtinuit, & hunc haud eundem cum illo esse satis perspicue comprobatum est, cum in sepulchro sanctorum Abdon, & Sennen, ut mox enarrabitur, sacram ejusdem imaginem non Pontificali, sed laico depictam habitu contemplari intuentibus contigit.

Cœmeterium Pontiani.

7 Interim vero ex his Sanctorum imaginibus, quas hactenus memoravimus, & hic Bosius contemplatus fuerat, serio secum ipse cogitare cœpit, hoc ipsummet Cœmeterium esse, quod Pontiani dicitur, ubi sanctos eosdem Abdon & Sennen fuisse olim reconditos ex Malmesburiensi supracitato didicerat: negocium tamen isthæc cogitanti facessere videbantur pictæ ibidem sanctorum Marcellini, & Petri imagines, quos Via Aurelia pro Christi fide coronatos martyrio fuisse indubitatum est. Verumenimvero cum beati Pontiani Cœmeterium in summitate jam descripti collis, non procul ab eadem Aurelia Via situm sit, probabilis conjecturæ argumento deduci potest, hoc ipsum Cœmeterium ad ipsammet Viam protendi, eandemque cryptam suo insuper amplo, ac spatioso ambitu continere, in qua sancti Artemius, Candida, & Paulina martyrium pro fide subierunt, iidemque beati Marcellinus, ac Petrus sacrosancta altaris mysteria celebrarunt, populumque frequenter divini eloquia verbi edocuere, qui illuc cœlestis vitæ pabula ab eorum ore, salutisque monita excerpturus jugiter confluebat; ut in eorundem actis legitur: eoque magis id confirmari videtur, cum idem Malmesburiensis sacra beatorum Artemii, & sociorum corpora in Pontiani Cœmeterio condita fuisse diserte asserat.

Explorat, perquiritque subterranea loca Bosius.

8 Hac igitur Bosius, quam conceperat, spe mediocriter fretus, certiora tamen explorandi indicia consecuturus, quibus veluti manu ductus, Cœmeterium, quod summopere peroptabat; tandem assequeretur, se ad eundem locum iterum contulit, ubi primum sacras illas imagines, & præsertim B. Martyris Pigmenii expressam suspexerat, quem haud longe à sepulchro sanctorum Abdon & Sennen tumulatum fuisse, ejusdem Acta loquuntur. Illuc igitur festinanter ingressus, cuniculos, ac singula pariter diverticula, quæ loco proxima erat, diligenter

ligenter perlustrans, atque obstructos, latentesque hinc inde aditus adaperiens, diu non absque gravi labore per angustiores semitas prostrato corpore incedens, vel ut melius dicam, humi serpens, tandem Deo favente ad locum satis amplum devenit, ubi præcipuus olim cryptæ aditus extiterat; sed tunc temporis lapidibus, cæmentisque usquequaque obstructus manebat. Patet hinc in Cœmeterium, quod in interiori parte situm est, descensus; & hic quidem tholo contectus ac insuper dealbatus, nec non alicubi picturis quoque apte exornatus cernitur: verum imagines ibidem in parietibus affabre pictas majori ex parte tempus edax rerum, omnino absumpserat. In media tamen parte ipsius tholi sacra adhuc Christi Domini Servatoris effigies mira venustate pictoris manu expressa, coloribusque adumbrata visitur; quæ splendorem quendam divinitatis ipso aspectu præ se fert, & condignum venerationis obsequium infert, suadetque animis intuentium. In eodem item descensu à sinistro latere beatorum trium Puerorum in fornace psallentium imagines adumbrantur. Ad extremam vero præmemorati descensus partem, illic e contra perexiguum reperitur sacellum arcuato desuper fornice, altitudinis palmorum sex, totidemque latitudinis, profunditatis vero palmorum circiter trium: ubi sacrum altare extat, & super ipsum in parietinis gemmata crux coloribus expressa exhibetur, ex qua pictæ pariter hinc inde pulcherrimæ germinant rosæ: in externa autem parte supra sacelli arcum, quod protenditur, picta itidem in pariete sanctissimi Joannis Baptistæ Præcursoris Christum baptismalibus aquis in Jordanis alveo abluentis historia exprimitur. Ad dexteram vero ejusdem loci partem, ubi recolenda ejusmodi historia, ut diximus, repræsentatur, in pariete, qui ad lævam descendentibus occurrit, mira & inenarrabili tandem animi exultatione, quod diu à Bosio perquisitum, peroptatumque fuerat, sanctorum Martyrum Abdon & Sennen sepulchrum ultro sese contemplandum obtulit. Lateritius ibi Sarcophagus extabat, longitudinis palmorum septem cum dimidio, altitudinis quatuor, profunditatis totidem, in cujus anteriori prospectu pictura quædam Christum Redemptorem nube circumfusum præ se ferebat, qui ambabus manibus invictos Martyres Abdon & Sennen ibidem pari arte pictos, suisque nominibus prænotatos coronat: hi autem præclarissimi martyres stantes ibidem repræsentantur, & præter diadema, quod nobile sanctitatis insigne est, pileolum quendam Persarum more capiti impositum gestant.

[Margin: ...omini ...lvatoris ...nago. | ...rium pueRorum in ...rnace ...agines. | ...rux gemmata. | ...ptismus ...hristi Domini. | ...epulchrum SS. ...bdon, ...nnen. | ...nagines ...i. Abdon, Sennen.]

9 Porro in eodem Sarcophago juxta sanctum Abdon beati quoque Milis imago apposita cernitur, laicali, ut jam diximus, veste induti, & juxta sanctum Sennen adest imago B. Vincentii Levitæ, qui Ecclesiasticis de more indumentis decoratur. In ejusdem vero Sarcophagi labro inscriptionem appositam fuisse, ejusdem vestigia præ nimia jam vetustate penitus consumpta designabant: in ejusdem autem inscriptionis initio hæc verba dumtaxat perlegi potuere, nempe: *ONIS DIE*, quæ divinando potius quam explanando, hic interim nobis describere, ac recensere fas erit, ut iste nimirum sit verborum sensus: *Depositionis, seu Translationis die*; isthæc nimirum ad tempus referendo, quando sacra beatorum Martyrum corpora ibidem deposita, vel certe translata fuere.

[Margin: ...nago S. ...ilis. | ...nago S. ...incentii.]

10 Nullus igitur ambigendi posthac locus cuiquam relictus est, quin Pontiani hoc ipsummet cœmeterium fuerit, quod olim quidem in Urbe tam celebre apud Christianos extitit. In eo enim, ut scriptæ historiarum paginæ perhibent, beatorum Abdon & Sennen corpora tumulata quieverunt: & juxta eosdem corpus insuper S. Pigmenii, quæ singula in præmemorato Pontiani Cœmeterio condita esse exploratissimum est. Hoc insuper Cœmeterium (ut singula, quæ rem convincunt, inferamus) Tyberino fluvio proxime adjacet, prout Metellus Tegersensis in suis Quirinalibus supra citatis de eodem loquens, apte & luculenter describit.

[Margin: Cœmeterium Pontiani. | *Metellus Tegers. in quirinal.*]

11 Unum dumtaxat à nobis discutiendum est, an videlicet unus, & idem sit Milex, qui juxta Abdon, & Miles, qui prope S. Pigmenium depictus cernitur, cum eorundem nomina haud uno eodemque modo inscribantur, & ambigendi vis ex eo præsertim augeatur, quod ille, qui S. Pigmenio adstare cernitur, diaconali quidem (ut in Ecclesia mos est) veste, hic autem militari indutus chlamyde exhibeatur. Verum si quæ interim re super ambigua conjecturis fides præstanda est, haud duos profecto, sed unum, eundemque utrobique coloribus exprimi, ac repræsentari consuevisse probabiles nobis rationes persuadere videntur. Ut enim rem argumentorum vi expendamus, ambo eandem plane ætatem, juvenilem scilicet præ se ferunt; & quamvis illic diaconus, istic miles exhibeatur: si ad tempora ipsa respiciamus, haud quid absurdi erit asserere, eundem primo quidem militem, subinde vero Levitam egisse, & una cum beato Vincentio è Perside simul cum sanctis Abdon, & Sennen Romam advenisse, & ambos tum mortis, tum sepulchri consortio sociatos eidem fuisse.

[Margin: Quomodo B. Milex binis tabulis varioque indutus habitu repræsentetur.]

12 In subobscura nihilominus re, & quæ problematice se habere videtur, prudentis Lectoris judicio relinquitur, quid potissimum asserendum, definiendumque sit. Hoc unum interim nobis dixisse, ac demonstrasse satis fuerit, Cœmeterium videlicet, de quo nunc agimus, illud idem esse, quod Pontiani, nec non sanctorum Abdon & Sennen, ad Ursum Pileatum Via Portuensi, & item S. Felicis eadem Via multiplici nominum inscriptione prænotatur. Quod quidem loci ambitu satis amplum esse, nec à se totum ob multiplicia viarum, in quæ subdividitur, diverticula perlustratum, & ob viarum semitas omnino præclusas, quæ iter prohibent, Bosius ipse fatetur. Ejus autem post obitum cum per Gasparem Bertum, qui cæterarum facultatum studio, sed matheseos præcipue scientia apprime eruditus, nonnullis abhinc annis decessit, & Franciscum Continum Architectum laudatissimum, Cœmeterii ejusdem, aliorumque iconographiam delineandam Severanus noster curaret, cubiculum quoddam ipsimet Bosio hactenus ignotum, à prædictis viris, locum diligentius perscrutantibus reperiri contigit, cujus hic formam, post quatuor Imaginum, quas eodem in Cœmeterio reperiri contigit, Tabulas, studioso Lectori, vel oculis has inter paginas explorandam, describendamque subjicimus.

[Margin: Cœmeterium Pontiani SS. Abdon, & Sennen: ad Ursum Pileatum & S. Felicis unum & idem est.]

Tabula prima, quæ in Cœmeterio Pontiani Via Portuensi venusto excellentis artificis penicillo expressa conspicitur, hæc continet. In medio quidem Tholi sacra Christi Domini effigies divinam quandam ac supra mortales Majestatem spirans exhibetur. A sinistro autem latere trium Puerorum in Fornace Babylonica psallentium imagines adumbratæ sunt.


TABVLA PRIMA COEMETERII PONTIANI VIA PORTVENSI.





TABVLA SECVNDA COEMETERII PONTIANI VIA PORTVENSI






Simulacrum Tabulæ secundæ, quæ eodem in Cœmeterio Pontiani Via Portuensi extat, oculis subjiciendum hic quoque duximus. Et quidem Crux illic gemmis insignita, ex qua pulcherrimæ hinc inde rosæ veluti germinant, super altare inibi ædificatum, coloribus eleganter efficta cernitur. In externa autem Sacelli parte supra ejus arcum depicta itidem in pariete sanctissimi Præcursoris Salvatorem in Jordanis alveo baptismo inaugurantis imago exhibetur.


Ta-

Tabula tertia in præmemorato Pontiani Cœmeterio reperta Christum Dominum nube circumfusum præ se fert, qui præclaros Abdon, & Sennen illic adstantes, suisque nominibus prænotatos, floreis corollis adauget: hi autem præter diadema, sanctitatis scilicet insigne, pileolos Persarum in morem gestare videntur. Porrò Beatorum Milis, & Vincentii Levitæ imagines ibidem quoque conspiciuntur; hic quidem Ecclesiasticis exornatus indumentis juxta sanctum Sennen; ille vero laicali indutus veste sancto Abdon appictus est.

TABVLA TERTIA COEMETERII PONTIANI VIA PORTVENSI



TABVLA QVARTA ET VLTIMA COEMETERII PONTIANI VIA PORTVENSI



Tabula quarta, & ultima Imaginum, quas in eodem Pontiani, & SS. Abdon, & Sennen Cœmeterio reperiri contigit, sanctorum aliquot effigies contemplandas exhibet. Et quidem in ipsa parietis facie S. Pollio medius inter SS. Marcellinum Presbyterum, & Petrum Exorcistam coloribus ad vivum exprimitur. Ad lævam verò parietis partem Crux magnifica, ac gemmis pretiosè ornata conspicitur, ad cujus dexteram B. Milis; ad sinistram verò B. Pigmenii imago, ut vides, prostat.

Cubiculum unicum, quod in Cœmeterio Pontiani post Bosii obitum repertum est, describitur.

Descriptio Cubiculi in Cœmeterio Pontiani reperti.

13 Cubiculum hoc, cujus descriptionem aggredimur, haud longe ab ostio, quo aditus nunc in Cœmeterium patet; in quod, postquam alterum quis cubiculum præterierit, pervenitur, & omni quidem ornamento ac picturis caret, attamen Polyandro satis amplo, defunctorum ossibus referto, cumulatur. Porrò in arena flavi coloris excavatum est, quæ ad levissimum quemque contactum facile solvitur: quapropter ejusdem cubiculi Ostium arena undique illapsa eum in modum depressum, depravatumque cernitur, ut cujus olim formæ extiterit, ex prospectu conjici nullatenus possit; quod & primario parieti contigit, qui supra ostium attollitur,& cæterorum more ad tholum usque pertingit: tres reliquæ parietum partes contectæ calce ad superficiem, atque, uti mos est, dealbatæ supersunt. Porro memorati cubiculi longitudo palmorum quindecim, altitudo totidem, latitudo decem cum dimidio supputatur. Unicum arcuatum Monumentum ibidem è regione ostii cernitur, quod mensuram longitudinis palmorum septem latitudinis & altitudinis pariter trium & semis, profunditatis quatuor exhibet, atque ab humo & sursum palmis duobus & dimidio prominet. Sub ipsius Monumenti arcu picta olim navis aspiciebatur, quæ forte recolendam Prophetæ Jonæ historiam repræsentabat: verum deinde exigui cujusdam tumuli causa, qui ibidem in superiori parietis parte aptatus est, eandem picturam ferro aboleri contigit, cum tamen navis ejusdem prora ac puppis duntaxat contemplanda supersit.

Polyandrum.

Ostium Cubiculi.

Monumentum Arcuatum.

Pictura ejusdem Cubiculi.

14 In eodem cubiculo alia decem numero monumenta extant, haud tamen, ut nobiliora hæc, arcus formam præ se ferunt: tria nimirum hinc inde in quolibet ex duobus integris parietibus; unum autem supra monumentum arcuatum patet; & tria insuper lateritia in ejusdem cubiculi planicie excisa, ac lapidibus contecta sunt: quorum unum, quod è conspectu arcuati cernitur, longitudinis est palmorum circiter septem, latitudinis trium; reliqua longitudinis ejusdem ac latitudinis, hinc inde ab ipsiusmet arcuati monumenti lateribus, portam respicientia existunt.

Monumenta decem vulgaria.

15 Porro cubiculi ejusdem Tholus multiplicibus picturis exornatur: in media enim parte veneranda euangelici Pastoris imago dilectam oviculam super humeros gestantis coloribus expressa conspicitur. In quatuor ejusdem tholi partibus quatuor itidem anni tempora imaginibus quibusdam pictorum manu ingeniose illic adumbrata intuentium oculis exhibentur. In singulis verò ipsius tholi angulis angelorum quædam imagunculæ suspiciuntur, quæ altera manu frondes ibi passim existentes contingunt, altera verò quidpiam continent. Quas quidem imagines in unum collectas unica hæc, quæ tibi, lector, proponitur, tabula repræsentabit.

Tholus, ejusque pictura.

A. Ostium Cubiculi.
B Tholus Cubiculi picturis exornatus.
C. Monumentum arcuatum.
D. Monumenta vulgaria.
E. Monumenta lateritia in pavimento.

EXPLICATIO TABULÆ UNICÆ CUBICULI UNICI COEMETERII PONTIANI VIA PORTUENSI.

Præsenti hac Tabula figuræ, quæ in jam dicti Cubiculi tholo depictæ sunt, contemplandæ subjiciuntur. Sunt autem hujusmodi.

I. Euangelicus Pastor, qui ovem erraticam suis humeris ad ovile reportat.

II. Puer in medio cujusdam horti, qui altera manu lilium, agnum altera, ni fallor, præfert, primam anni tempestatem hieroglyphicè designans.

III. Unus aliquis, qui falce segetem veluti demetit, symbolum scilicet æstatis præ se ferens.

IV. Ille autem, qui scalas arbori applicuit, ac fructibus jam maturis colligendis immunere videtur, autumnum significat.

V. Denique quidam juvenis medius inter arborem frondibus orbatam, & ignem luculentum, dextra manu nescio quid veluti calfaciens, sinistra verò facem gestans accensam, pro simulachro hyemis dubio procul est illic effictus.


VI. Figuræ puerulorum aligeræ, vel certè Angeli, brachiis expansis, frondibusque, quæ illos circumeunt, innixis.

VII. Puerulus item alatus, qui læva virgam continet, dextræ verò indice porrecto Cœlum ostendit.

VIII. Quartus denique puer, seu Angelus dextera quidem foliis inniti, à sinistra autem virgas, seu sagittas in manipulum coactas complecti videtur.

Sed hasce, atque alias Tabularum figuras, earumque mysteria, ac symbolica significata sexto & ultimo hujus Operis libro fusius, si Deo placet, enarrabimus.

CAP.



TABVLA VNICA CVBICVLI VNICI COEMETERII PONTIANI VIA PORTVENSI



CAP. XXIII.

De Iudæorum Cœmeterio Via Portuensi.

1 Apud cujusvis conditionis homines notissimum vulgo est, ac pietati valde consonum Axioma illud, quod in omnium ore percrebuit: *Haud* ullatenus *sacra* (videlicet) *miscenda profanis*; quod ultro fateri jubetur, quisquis illibatam Christi fidem ac sanæ cultum religionis tenet: & nos pariter, qui venerandæ antiquitatis historiam teximus, inviolabili jure id inter enarrandum omnimodo ratum, ac fixum volumus. Quorsum igitur (inquies amice lector) sacrorum Cœmeteriorum præ manu narratione suscepta, profana utique Iudæorum loca, ac monumenta iisdem intermisces? Et quænam communicatio, adjicies, lucis ad tenebras? Quæ conventio sepulchrorum Christi, Christianorumque ad Iudaicæ perfidiæ tumulos, & ad ipsius Belial monumenta? nulla prorsus. Sed hac una potissimum ratione (ut quod res est, fateamur) permoti, ne sacra videlicet profanis misceantur, operæ pretium duximus, omni adhibito studio, impiorum, perfidorumque hominum Cœmeteria à sacris,

Iudæo-[rum] Cœ-[me]terio, [cur] aga-[tur]?

sacris, religiosisque sejungere. Exploratum quippe est, Judæos olim Romanam Urbem diutius incoluisse, & tunc temporis patriæ religionis ac sectæ cultores, jam defunctos extra Urbis mœnia extulisse, suoque ex more sepulturæ demandasse. Verum enimvero si peculiari eosdem conditorio caruisse dixerimus (quod est absurdum credere, & affirmare omnino execrandum videtur) nobis ultro fateri necesse est, nostra quoque ejuscemodi hominibus Cœmeteria usui fuisse, quæ tamen, ut infra à nobis ipsa luce clarius, Deo adjuvante, demonstrabitur, illibata jugiter à tam profani commercii labe, atque dedecoris nota substitere, nec unquam ab infidelium cadaveribus, loci, tumulique consortio polluta ac constuprata sunt.

Peculiare ac diversum à Christianis Cœmeterium Judæis olim erat.

2 Miro igitur divinæ providentiæ nutu contigit, ut cum Bosius Cœmeteriorum enarrationem hanc subtexeret, adornaretque, & Subterraneæ interim Romæ loca studioso labore perquireret, ipsummet Judæorum Cœmeterium offenderet, quo à sacris videlicet hoc unum, quod profanum est, sejungeretur; ac uno eodemque temporis momento os iniqua, ignotaque pariter loquentium obstrueretur, temere, inquam, asserentium in Cœmeteriis olim Christianorum corpora unà cum ethnicorum, atque infidelium corporibus promiscue eodem sepulturæ ambitu recepta, depositaque fuisse. Et sane Judæos, quibus defunctorum cadavera profano gentium more igni comburere, eaque intra Urbem recondere ex legum præscripto vetitum erat, pro eisdem juxta consuetum religionis patriæ ritum tumulo inferendis sanctissimos patres suos, ac nostros pariter æmulatos, qui in speluncis ac sepulchris inibi in petra excisis sepeliri consueverant, peculiare aliquod Romana in Urbe Cœmeterium nactos fuisse, quo patriis tum legibus, tum ritibus satisfieret, nobis procul dubio fatendum esse videtur. Et quidem, ut hujus nostræ assertionis magis magisque vis eluceat, longe ante quam sacra venerandaque Christianorum Cœmeteria instituerentur, quinimmo ante ipsiusmet Christi Domini adventum, id apud eos præsertim usu receptum fuisse, qui in Urbe morabantur, quisquis ille est, qui historicam probe rem calleat, negare nullatenus audebit. Judæos enim jam olim Romam incoluisse, Judæa ipsa à C. Pompejo Magno debellata, & sub potentissima Romanorum ditione, onere injuncto vectigali, redacta, anno scilicet ante Christi ortum 96. in suis Annal. Baronius, Plutarchus in Pompejo; Tacitus, Ammianus Marcellinus, Joseph. Hebræus apertissimis utique verbis testantur. Idemque è nostris affirmant Hegesippus; Orosius, & Hieronymus præcipue ac Augustinus, quos, ut eorumdem auctoritas assertioni nostræ magis suffragetur, afferre nunc in medium præstat. Hieronymus igitur Comment. in Danielem satis locuples veritatis hujusce testis accedit: *Supervenit Cneus Pompejus* (inquit ille) *dux Romani exercitus, captaque Hierusalem, usque ad adyta Templi, quæ vocabantur Sancta sanctorum, vinctumque Aristobulum Romam misit servandum triumpho suo, & Pontificatum Hyrcano fratri ejus tradidit. Tunc primum gens Iudæorum Romanis facta est tributaria.* Augustinus verò hæc insuper habet: *Pompejus ergo Iudæam cum exercitu ingressus, civitatem cepit, confirmatoque Hyrcani Pontificatu, & subjugatæ genti imposito custode Antipatro, vinctum secum Aristobulum duxit, in triumpho nempe, quem prius Romam miserat: & ex illo Iudæi etiam Romanis tributarii esse cœperunt.*

Judæorum Cœmeterium.

Judæa à Pompejo Magno debellata.

Bar. Anno To 1. an. 36. Tac. Annal. lib. 2. Ammian. l. 14. Ioseph. Heb. antiq. l. 14. cap. 3. Hegesip. l. 1. c. 16. & 17. Oros. l. 6. c. 6.

Hieronym. Comm. Dan. l. 1. c. 9.

Aug. de Civ. l. 18. c. 45.

3 In sua igitur triumphi pompa Pompejus ille triumphis æque ac spoliis captivorum onustus, innumeros fere Judæos captivos Romam perduxit, quibus postea libertate donatis, ut Romæ, & terrarum ubique juxta patrias leges, ac religionis antiquæ ritum vitam agerent, ultro permissum est. Quod idem Hieronymus in suis Comment. hisce pariter verbis testatur: *Cajus Cæsar, & Octavianus Augustus & Tyberius succesor Augusti leges promulgarunt, ut Iudæi, qui erant in toto Romani Imperii orbe dispersi, proprio ritu viverent, & patriis cæremoniis deservirent, &c.* Hæc diserte ad rem nostram Hieronymus.

Judæis patrias juxta leges vivere Romæ permittitur.

Hieronym. Comm. Ep. ad Gal. l. 3. c. 16.

4 Ergo jam tum illo ex tempore Synagogam Romana in Urbe Judæi patrio more possidebant, in quam ex Legis præscripto, quod illis solemne erat, omnes pariter convenirent; & collectas quandoque ibidem peragere consueverant, quas ad victimas deinde Hierosolymitano in Templo immolandas, instaurandasque mitterent. Quinimmo augustissimo religionis Mosaicæ Templo, priusquam cultu destitueretur, honorem quam maximum ipse in primis Augustus detulit: nam victimas singulis illic diebus pro se immortali Deo propriis expensis munificentissimus Imperator offerri voluit: eidemque Templo ab ejusdem militibus nobilissima frequenter donaria ad animi pietatem ultro obtestandam transmittebantur. Quæ quidem singula luculenta satis oratione Philo Judæus enarrat: ubi enim de sua ad Cajum legatione agit, hæc habet: *Ipsum Augustum nunquam inflatum talibus obsequiis, nec dissimulans probari sibi Iudæos, alioquin non passus fuisset trans Tyberim bonam Urbis partem teneri à Iudæis, quorum plerique erant libertini, quippe qui belli jure in potestatem redacti, ab heris suis manumissi fuerant permissi jure majorum vivere. Hos sciebat habere suas proseuchas ac Synagogas, in quibus cœtus facerent, præsertim sabbatis, juxta religionem patriam. Sciebat eos collectas primitiarum mittere Hierosolymam, & certos homines, qui pro ipsis offerrent victimas; eos tamen nec Urbe jussit excedere, nec mulctavit jure civium, quandoquidem nec in Palæstina quidem exstinctam volebat eorum religionem, & rempublicam, nec circa proseuchas quicquam novavit, nec cœtus, in quibus leges discerentur, fieri vetuit, nec solennem modum primitiarum offerendarum ullo edicto sustulit, sed tam sancta nostra sacra habuit, ut pene omnium ejus domesticorum dona extant in Templo nostro, in quo mandavit quotidianas mactari victimas suis sumptibus Deo votas altissimo. Domi quoque quoties menstruas pecunias, frumentive distributiones populus acciperet, Iudæorum rationem haberi voluit; quæ liberalitas si in sabbatum incidisset, quando nostris nec dare licet, nec accipere, nec operis quicquam facere, præsertim quæstus gratia, jubebantur distributores Iudæis in posterum reponere publicum beneficium.* Hæc Philo.

Hebræorum Synagoga Romæ.

Judæi collectas Roma ad Templum Hierosol. mittunt.

Augustus in Templo Hierosol. victimas pro se offerri voluit.

Philo, Iudæus orat. de legatione ad Cajum.

5 Hac igitur benigna Augustorum clementia, Iudæorum populus ubique exceptus, in Urbe potissimum ad eum usque numerum multitudo excrevit, ut è Hierosolymis Romam deinde Legatis ad eundem Augustum advenientibus, Iudæorum tunc Urbem incolentium plus quam octo millia occurrerent. Quod totum his plane verbis Iosephus in suarum libris antiquit. edocet: *Erantque legati* (inquit) *quinquaginta, quibus aderant Iudæorum Urbem incolentium plusquam octo millia.* Nec verò mirum cuipiam

Ingens Judæorum in Urbe olim multitudo per clementiam Augusti.

Ioseph. Iudæus l. 17. antiquit. cap. 12.

cuipiam videatur, tam benigne, inquam, ac perhumaniter apud Augustum Iudæos acceptos fuisse; quippe qui jam probe noverat, eosdem apud C. Cæsarem quoque acceptissimos quondam extitisse, ac unice ab eo dilectos. Quamobrem ipsi quoque præ cæteris, utpote singulari beneficiorum nexu devincti, principis de Iudaica republica optime meriti obitum uberrimis lacrymis prosecuti sunt, dum palam concepti animo doloris haud obscura in ejus funere signa exhibuerunt; ut Suetonius in Iulii Cæsaris vita hunc in modum scribit: *In summo publico luctu exterarum gentium multitudo circulatim suo quoque more lamentata est; præcipueque Iudæi, qui etiam noctibus bustum frequentarunt.*

æi cæ- n Julii afaris ent.

t. in Iul. ære.

6 Verum Tiberius Cæsar post plura eidem genti ultro impertita beneficiorum munera, ex his, qui in Vrbe degebant, quatuor numero millia in Sardiniam ablegavit; quod ab eodem Iosepho hunc in modum describitur: *Erat quidam Iudæus, qui ne legibus pœnas daret, metu solum verterat, vir modis omnibus pessimus. Is Romæ agens gerebat se pro Mosaicæ legis interprete, adscitis in societatem tribus aliis per omnia sui similibus. His cum se in disciplinam dedisset Fulvia nobilis mulier, amplexa legem Mosaicam, persuaserunt ei, ut purpuram & aurum in Hierosolymitanum Templum mitteret, quæ accepta in proprios usus verterunt, quod ante destinaverant. Id postquam Tiberius ex amico suo Saturnino ipsius Fulviæ marito, de injuria conjugi facta cognovit, jussit universos Iudæos ex Urbe pelli; ex quibus Consules, delectu habito, quatuor millia militum miserunt in Sardiniam; plurimos etiam, qui ob patriam religionem detrectabant militiam, affecerunt pœnis gravissimis. Itapropter quatuor sceleratos omnes Iudæi coacti sunt Urbe cedere.* Ipse quoque Tacitus in suis Annal. id ipsum confirmat, qui insuper eosdem libertinos genere fuisse addit. Sic autem inquit: *Actum & de sacris Ægyptiis, Iudaicisque pellendis, factumque Patrum consultum, ut quatuor millia libertini generis, ea superstitione infecta, queis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur, coërcendis illis latrociniis, & si ob gravitatem cœli interiissent, vile damnum, cæteri cederent Italia, nisi certam ante diem prophanos ritus exuissent.*

læi à Tiio able- in Sar- iam.

antiq. 3. c. 8.

ssi Ro- ob do- Templo inata oro- m u- con- sa.

Annal.

7 Porro hoc idem Suetonius referens in Tiberii Cæsaris vita, hæc ad rem subjicit: *Externas ceremonias, Ægyptios, Iudaicosque ritus compescuit, coactis, qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum omni instrumento comburere. Iudæorum juventutem per speciem sacramenti in provincias gravioris cæli distribuit: reliquos gentis ejusdem, vel similia sectantes, Urbe submovit sub pœna perpetuæ servitutis, nisi obtemperassent.* Extorres igitur Iudæi ac profugi fuere, cum primò ab Vrbe expulsi, aliò divertere usque ad Sejani necem, Philone teste, coacti sunt, *Calumniis*, ut Philo ait, *ejusdem Seiani à Tiberio hunc in modum exagitati; qui demum, comperta Iudæorum innocentia, res illorum in feliciorem statum restituit, atque multa in eosdem contulit beneficia.*

dæi ab ilio in bem re- tuuntur.

8 Verum cum Romam deinde Iudæi immutata rerum facie revocati fuissent, en Claudii Imperatoris jussu, Christi videlicet anno quinquagesimo primo, iterum exulare coguntur, eoquod crebris rempublicam altercationibus perturbantes, tumultus jugiter contra illibatos Christi cultores cierent, quos infenso semper animo prosequi, ac quibusvis modis impetere vix unquam destitere; ut idemmet Suetonius in Claudio his plane verbis testatur: *Iudæos, impulsore Christo* (nimirum Christi fidei occasione) *assidue tumultuantes Roma expulit.* Quod etiam refert Orosius, & in ipsis Apostolorum Actibus satis expresse describitur. Cæterum haud Iudæos duntaxat à Claudio Vrbe excedere jussos fuisse, scriptorum auctoritate, ut jam diximus, exploratum est, sed & ipsius quoque Lucæ Euangelistæ testimonio perspicue comprobatur, ac certum omnino fit, Christianos pariter, qui ex Iudæorum semine progeniti, Christi fidem sectati erant, Romana procul ab Vrbe pari sententia amandatos fuisse. Lucas enim de ipso Pauli Corinthum adventu agens, de quodam Aquila Pontico meminit, Iudæo quidem, quod ad genus attinet, Christianæ autem religionis viro; de quo isthæc ad rem nostram in Apostolicis actibus: *Venit Corinthum, & inveniens quendam Iudæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam uxorem ejus, eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma, accessit ad eos &c.*

d iterum ma ex- lluntur Claudio.

Suet. in Claud. Aug.

Orosius l. 7. c. 6.

Paulus Apost. Corinthi reperit Aquilam & Priscillam ex Urbe pulsos.

Act. Apost. c. 19.

9 Quod nuper verò asseruimus, eos potissimum Christianos Imperatoris edicto Vrbe exire compulsos, qui ex Iudæis, patria, ac Mosaicæ legis religione contempta, Christo nomen dederant, Hieronymi præsertim auctoritate convinci videtur: *Quicunque enim*, inquit ille, *circumcisus erat, licet in Christum crederet, quasi Iudæus habebatur à gentibus: qui verò absque circumcisione se non esse Iudæum præputio præferebat, persecutionibus tam Gentilium, quam Iudæorum fiebat obnoxius.* Hæc ad rem nostram Hieronymus.

Hier. ep. ad Galat. 3. c. 6.

10 Claudio autem Cæsare subinde extincto, cum Nero eidem in Imperio suffectus fuisset: hic quidem sui principatus initio se ultro Iudæis mitem, ac fautorem exhibuit: eorumdem etenim gentem tam facili, promptoque animo complexus est, ac beneficiis jugiter eum in modum sibi promeruit, ut Agrippæ ipsorum Regi, Galilææ partem, ac nonnullas insuper urbes dono concesserit. Quapropter ipso rem publicam Romanorum administrante, iidem Vrbem iterum tuto ac pacifice incoluere, quod item in actibus à se conscriptis Lucas testatur, cum de Paulo Romæ carceri mancipato, his verbis loquitur: *Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite. Post tertium autem diem convocavit primos Iudæorum; cumque convenissent, dicebat eis &c.* Et hac quidem ratione, postquam hi in Vrbem recepti fuerant, aliis subinde Imperium administrantibus, degere ibidem permissi sunt. Nam sub Domitiano principe Iudæos Romæ agentes novo gravissimarum exactionum jugo divexatos fuisse Suetonius in ejusdem Domitiani gestis perspicue docet: *Præter cæteros*, inquit, *Iudaicus fiscus acerbissime actus est, ad quem deferebantur, qui velut professi Iudaicam intra Urbem viverent vitam, vel dissimulata origine tributa non pependissent.* Qua de re studiosus antiquitatum lector Baronium ad annum Christi XCIV. prolixe satis, & erudite differentem consulat. Lampridius verò ipsum asserit Alexandrum sua Iudæis privilegia confirmasse, hæc verò habet: *Mechanica opera plurima instituit, Iudæis privilegia reservavit, Christianos esse passus est.*

Nero donat Agrippæ partem Galilææ.

Act. Apost. c. 28.

Fiscus Iudaicus Romæ.

Suet. in Domit.

Bar. Christi an. 94.

Lamprid. Alex. Imp. Baron. ann. Christi 72.

11 Et quidem Iudæorum nationem ubique terrarum profugam, ubique patriam sibi adscivisse, & veluti hominum fæcem omnibus odiosam in singulis coaluisse regionibus, ac sedem fixisse Ru-

Iudæi toto orbe exules, vagi ac profugi.

tilius ille Clementianus poëta satis expressit in suis carminibus. Hierosolymorum cladem toti terrarum orbi injuriosam harum gentium dispersione vastitatem intulisse deplorat, sed ipsius carmina excipiamus:

Atque utinam nunquam Iudæa subacta fuisset.
Pompeji bellis, imperioque Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Quod item Seneca, ut Augustinus affirmat, vehementer indoluit: *Cum interim*, inquit, *usque eo sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit, victi victoribus leges dederunt.*

Mart. l. 6. 1. epig. 35. in Cæcil.
Aug. l. 16. de Civit. Dei c. 11.

12 Hæc autem de Iudæis esse intelligenda, non de Christianis, qui à gentilibus sæpe sæpius Iudæi dicti reperiuntur, fidem faciunt ea, quæ ab eodem Augustino de Seneca dicta sunt & in primis de Christianis his verbis: *Christianos tamen jam tunc Iudæis inimicissimos in neutram partem commemorare Seneca ausus est: vel ne laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra forsitan suam voluntatem: de illis enim Iudæis cum loquitur, ait: Cum interim, &c.* ubi verba, quæ à nobis supra recitata sunt, affert. Sed & Prudentius Iudæos, postquam patrio solo eliminati sunt, dispersos ubique terrarum fuisse satis apte carminibus suis cecinit:

Cur Seneca Christianos non memoraverit?
Ammian. Marcel. in Marc. l. 2.
Prudentius.

——— *Extirpata per omnes*
Terrarum, pelagique plagas sua membra feruntur,
Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Iudæus, postquam patria de sede revulsus.
Supplicium pro cæde luit, Christique negati,
Sanguine conspersus commissa piacula solvit.
En quo priscorum virtus defluxit Avorum.

Profecto divinum illud prophetæ vaticinium adimpletum videtur: *Ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei: sed disperge illos in virtute tua, & depone eos.* Divino autem nutu in vindictam perpetrati Iudæorum facinoris id obtigit, ut sparsim ubique Iudæi, haud tamen cæteris adjuncta gentilium nationibus degerent: quippe, ut Augustinus adnotavit, cum cæteræ nationes ubi à Romanis devictæ, in eorum ditionem venerant, ita eisdem adhæsere, ut & Romanis uterentur legibus, Romanorum more viverent, ac Romanum pariter nomen obtinerent, Iudæis duntaxat exceptis, qui Iudæi semper extitere, leges ac ritus patrios mordicus retinentes haud unquam Romanorum nomine donati sunt.

Iudæi Romano jure ac nomine donati nunquam.

13 Prætereo, quod cum ubique terrarum eorundem nomen male oleret, ab omnibus publicis muneribus interdicti sunt, & eis privilegiis expertes facti, quibus etiam barbari quique in servitutem redacti potiebantur. Verum quid mirum, si male oleret Iudæorum nomen apud gentes, cum & ipsi intolerabilem jugiter fœtorem è corporibus efflantes male olerent, ut Marcellinus testis est, cum de Marco Antonino Imperatore loquitur: *Ille enim*, inquit, *cum Palestinam transiret Ægyptum petens, fœtentium Iudæorum, tumultuantium sæpe tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse: O Marcomanni, ô Synadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis deteriores inveni.* Hæc Ammianus, quibus isthæc ex Annalibus subjicienda videntur: *Sic igitur videas*, inquit, *non dicam Christianorum sententia (quorum est omnium misereri, & nemini insultare) sed ethnicorum omnium per singula sæcula de Iudæorum infelicitate elogia esse decantata, natura ipsa in eos inclamante, unaque omnium sententia confirmatum, eos cunctorum mortalium esse miserrimos.* Plura prosequitur de misera Iudæorum conditione, qui toto terrarum orbe velut Cain vagi & profugi divino impellente Numine acti jugiter sunt.

Judæi publicis muneribus, & privilegiis interdicti.
Judæi male olent.
Baron. to. 1. an. Chr. 72.

14 Et justissimo quidem Dei consilio, & mira pariter ejusdem providentia, ut hæc vel obiter subtexamus, Iudæorum gens ab Ierosolymis exturbata per totum terrarum orbem dispersa est, ut nimirum fides Christi divinarum, quas iidem deferunt, testimonio scripturarum valide, constanterque ubique comprobetur. Egregie D. Bernardus in rem præsentem adnotavit in epistola, quam ad Henricum Moguntinum Archiep. adversus Radulphum Eremitam inscripsit, qui cum in Germanorum provincia sub Christi an. 1146. sacri belli pro Hierosolymorum ditione de manu Saracenorum vindicanda à Christianis arma expedirentur, temerario vir iste ausu Germanorum præsertim gladios adversus eosdem vibrandos esse monuerat: cui S. Bernardus totis animi viribus incunctanter se opponens, contra exerentem impiæ ultionis gladium, apologeticum satis acute pro Iudæis calamum exacuit, quippe Iudæos haud ullatenus è medio tollendos, sed potius dispersos ubique tolerandos esse, Deo sic volente, pronunciat; sed ipsius hic verba, si libet, gratis auribus excipiamus: *Non ne copiosius*, inquit ille, *triumphat Ecclesia de Iudæis per singulos dies vel convincens, vel convertens eos, quam si semel & simul consumeret eos in ore gladii? Nunquid incassum constituta est illa universalis oratio Ecclesiæ, quæ offertur pro perfidis Iudæis à solis ortu usque ad occasum, ut Deus & dominus auferat velamen de cordibus eorum, ut ad lumen veritatis à suis tenebris eruantur? Nisi enim eos, qui increduli sunt, credituros speraret, superfluum videretur & vanum orare pro eis. Sed considerat oculo pietatis, quod dominus habet respectum gratiæ apud eum, qui reddit mala pro bonis, & dilectionem pro odio. Ubi est ergo illud, quod dictum est: Videas ne occidas eos? Ubi est: Cum plenitudo gentium intraverit tunc omnis Israël salvus fiet? Ubi est: Ædificans Hierusalem dominus, dispersiones Israëlis congregabit? Tunc es ille, qui mendaces facies prophetas, & evacuabis omnes thesauros pietatis, & misericordiæ Iesu Christi? &c. O monstruosa scientia, ô sapientia infernalis, & contraria prophetis, & Apostolis inimica submersio pietatis, & gratiæ.* Hæc Bernardus in Radulphum verborum jacula pro salute Iudæorum intorquet.

Cur Iudæorum gens per Orbem dispersa sit?
D. Bernardus pro Judæis Apologiam.
Psal. 58.
Rom. 11.
Psal. 146.

15 Quod disertis plane verbis idem sanctissimus Doctor in epist. ad Episcopum, clerum & populum Spirensem inculcare non desinit; ubi districtos jam, dæmone prorsus instigante, & præmemorato Radulpho suadente, gladios intra vaginam deponendos esse his plane verbis hortatur: *Non sunt persequendi Iudæi, non sunt trucidandi, sed nec effugandi quidem. Interrogate eas divinas paginas. Nosti, in psalmo legitur prophetatum de Iudæis: Deus ostendit mihi (inquit Ecclesia) super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. Vivi quidem apices nobis sunt, repræsentantes dominicam passionem. Propter hoc dispersi sunt in omnes regiones, ut dum justas tanti facinoris pœnas luunt, testes sint nostræ redemptionis. Unde & addit in eodem psalmo loquens Ecclesia: Disperge illos in virtute tua & depone eos protector meus domine. Ita factum est, dispersi sunt, depositi sunt, duram sustinent captivitatem sub principibus Christianis. Convertentur tamen ad vesperam & in tempore erit respectus illorum. Denique cum introierit gentium multitudo tunc omnis Israël salvus erit,*

Judæos non persequendos sed nec effugandos esse à Christianis.
Ber. ep. 322. ad episcopum Spir.
Psal. 58.
Judæi vivi apices Dominicæ passionis & testes nostræ redemptionis.
Psal. 58.

[...]m. 11. *erit, ait Apostolus, &c.* Plura interim in hanc fere sententiam Bernardus prosequitur.

16 Ex quibus palam vides amice lector Judæorum nationem ubique terrarum profugam justo Dei consilio innumera calamitatum genera in antiquorum scelerum vindictam perpeti jugiter consuevisse, crebrasque eisdem clades in patrati criminis, quod omnium acerbissimum extitit, pœnam obtigisse. Sed hic interim res ipsa, prout gesta est in Annalibus Ecclesiasticis à Baronio descriptam videre est, cui Otho Frigensis hujus temporis scriptor de Judæorum clade, quam hactenus enarravimus, his plane verbis suffragatur: *Inter hæc*, inquit ille, *Radulphus monachus, vir quidem Religionis habitum habens, Religionisque severitatem solerter imitans sed litterarum notitia solerter imbutus, eas partes Galliæ, quæ Rhenum attingunt, ingreditur, multaque populorum millia ex Agrippina, Moguntia, Wormatil, Spira, Argentina, alisque vicinis civitatibus oppidis, seu villis ad accipiendam crucem accendit. Hoc autem doctrinæ suæ non vigilanter interserens, quod Iudæi in civitatibus, oppidisque manentes tamquam Christianæ Religionis hostes trucidarentur. Quod doctrinæ semen in multis Galliæ, Germaniæque civitatibus, vel oppidis tam firmiter radicem figens germinavit, ut plurimis ex Iudæis hac tumultuosa seditione necatis, multi sub Principis Romanorum alas tuitionis causa confugerent, &c. At præfatus Claravallensis Abbas hujusmodi doctrinam præcavendam docens, ad Galliæ, Germaniæque populos nuncios, seu litteras destinavit, quibus ex authoritate sacræ paginæ luculenter ostendit, Iudæos ob scelerum suorum excessus, non occidendos, sed dispergendos fore &c.* Isthæc Otho in Judæorum strage enarranda expressit. Petrus item Cluniacensis Abbas, ut Baronius affirmat, dum ad Ludovicum Francorum Regem, pro sacri belli expeditione promovenda conscriberet, de Judæis pariter agens eosdem, haudquaquam occidendos esse pronunciat. Verum ut his potissimum temporibus, vel antiquioribus etiam sæpius contigit, Judæi apud omnes cunctis exacrabiliores hominibus haberentur, præter antiquam contempti Numinis maledictionem, cui omne eorum genus æquo judicio addictum est, recentia multiplicium culparum probra, ac vincula accessere, quæ cum Orbi innotuissent, fideles omnes acriter adversus eosdem incensi insiliere. Quæ si quis nosse cupit, Baronium in Annalibus suis hæc describentem consulat. Sed hæc interim vel obiter enarrasse sufficiat.

[...].2. Ann. 46.

[...]tho Frig. gestis [...]id. lib 1. 37. [...]adulpho [...]onacho [...]citante [...]dæi tam- [...]am Reli- [...]onis ho- [...]s truci- [...]ntur.

[...]tr. to. 12. [...]m. 1146. 17.

17 Porrò (ut ad nostra redeamus) quam potissimum Urbis regionem Iudæi olim sub ethnicis Imperatoribus incoluerint, jam satis aperte Philonis testimonio suffulti, Transtyberinam videlicet, & ipsius Augusti permissu ab eis inhabitatam fuisse demonstravimus, quam insalubrioris utpote aëris, & à nobiliori reliquæ Vrbis ambitu dissitam quique infimæ sortis homines utplurimum tenere consueverant. Quocirca ad rem nostram canit Martial. Epig. in Cæcil.

[...]egio [...]ansftybe- [...]a Iudæis [...]habitan- [...]attribu-

Urbanus tibi Cæcili videris.
Non es, crede mihi: quid ergo? verna es.
Hoc quod Transtyberinus ambulator,
Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat vitreis.

Ibidem autem Poëta noster de Iudæis proculdubio loquitur, sulphurariam hujuscemodi artem jam tum tamquam hominum vilissimis exercentibus, quod alio item loco idem Martialis docet Epig. 46. ad Spartum hæc dicens.

A matre doctus, nec rogare Iudæus,
Nec sulphuratæ lippus institor mercis.

Quod & alio item loco, Epig. nimirum 3. ad Priscum innuere videtur.

Quæ sulphurato nolit empta ramento
Vatiniorum proxineta fractorum.

Martial. lib. 10. p. 3 ad Prisc.

Iudæi artem Sulphurariam ut hodie, sic olim etiam exercebant.

Statius quoque in suis Silvarum libris, Kal. Decemb. Saturnal. satis consone Martiali loquitur.

Illic agmina confremunt Syrorum,
His plebs scenica, quique comminutis
Permutant vitreis gregale sulphur.

Statius Silu lib. 1.

18 Quod verò Iudæi, qui in Vrbe morabantur, Transtyberinam regionem habitaverint, ex M. T. Cicerone colligitur, qui in oratione pro Flacco Lælio id exprobrat, quod ad conciliandam sibi Iudæorum gratiam forum, seu gradus Aurelios (in hac utique regione, ut supra diximus, constitutos) elegerit. Sic autem ait: *Sequitur auri illa invidia Iudaici. Hoc nimirum est, quod non longe à gradibus Aureliis hæc causa dicitur: ob hoc crimen hic locus abs te Læli, atque illa turba quæsita est. Scis quanta sit manus, quanta concordia, quantum valeat in concionibus.* Huc usque Tullius. Quinimo eosdem illuc incolas diutissime perstitisse, & propiora hæc nostra sæcula attigisse Iudæorum quidam, qui provectioris jam ætatis sunt, ultrò diserteque fatentur; se nimirum ex antiqua traditione à majoribus suis accepisse de peculiari loco, ubi eorundem Synagoga sita quondam erat, hoc est, prope Ecclesiam, quæ hodie S. Salvatoris in Curte seu in Curtis dicitur; quam idcirco ejusmodi nomine nuncupatam fuisse ajunt, vel quod regionis illius Curia ibidem existeret; vel certe, ut quæ probabiliora sunt, loquamur, ab eisdem Iudæis in eo loco demorantibus hoc nomen derivatum est, quippe qui à gentibus vulgò Curti, hoc est, circumcisi appellabantur; quamobrem Horatius præsertim in suis carminibus isthæc cecinit:

Iudæi trans Tyberim.

Gradus Aurelii.

Cic. pro Flac.

Synagoga Hebræorum trans Tyberim.

Iudæi appellati olim Curti.

Horatius Ser. lib. 1. sat. 9.

Ajebas mecum memini bene; sed meliori
Tempore dicam, hodie tricesima sabbata vinctu
Curtis Iudæis oppedere.

Iudæos autem in Vrbe potissimum Synagogam de more possedisse, velut quid certi apud neminem in controversiam vertitur: haud enim in Iudæa tantum, verum & in cæteris orbis terrarum provinciis Synagogas obtinuisse Apostolorum Acta pluribus in locis contestantur, nimirum cap. 9. 13. 14. 17. 19. sed præcipue cap. 15. ubi sanctissimum Iacobum Apostolum hæc dixisse legitur: *Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbatum legitur, &c.*

Acta Apost. c. 9. 13. 14. 17. 19.

Act. Apost. c. 15.

19 Cum igitur ex jam dictis evidentissime constet, Iudæorum quamplurimos Romæ antiquitus existentes regionem Transtyberinam incoluisse, moresque insuper, ac patrios ritus quantum illis fas erat, illibatos servasse; hoc item fateri ultro opus est, selectum videlicet eosdem Cœmeterium extra unam regionis illius portam, ut patriis in hac quoque re ritibus satisfacerent, sortitos fuisse. Cumque via, quæ Portuensis dicitur, planitiem præferens ad manus exeuntium, Vrbi proximior sit quam Aurelia via, quæ quidem arcta, ipsoque ascensu difficilis existit, Cœmeterium à Bosio repertum, illud idem Iudæorum esse, de quo in præsens agimus, ratio ipsa, ac situs

Iudæi Romæ peculiare habent Cœmeterium.

Quod via, Portuensi situm est.


ejusdem opportunitas facile suadere videntur. Nec verò levis aut contemnenda ad id confirmandum conjectura accedit: quippe ad hanc usque diem in Transtyberina eadem regione, etsi intra Urbis mœnia, haud procul tamen ab ipsa porta, selectum quendam locum Judæi obtinuere, quò humanda suorum cadavera ex more deferrent. Sed ne longius ab instituti proposito oratio aberret, ad ipsiusmet Iudaici Cœmeterii inventionem ac descriptionem pariter deveniamus.

Judaici Cœmeterii inventio.


20 Anno igitur redempti orbis millesimo sexcentesimo secundo, quartadecima mensis Decembris die Bosius, utpote reconditos terræ meatus, qui Cœmeteriali quondam usui deservissent, indagandi, perscrutandique avidissimus, iterum una cum sociis Collem, qui Rosatus dicitur, ascendit, & Villam ingressus est, quam tunc hæredes Mutii quondam Victotii possidebant, in cujus extremo sinu, qui Tyberim fluvium respicit, cryptam quandam perangustam satis offendit, in quam cum nulla interposita mora descendisset, ob incommodum loci ambitum demisso humi corpore incedens, ad Cœmeterium tandem in topho, etsi alicubi parum solido, subsidentique, incisum pervenit. Porro ejusdem forma, ut singula perscrutanti innotuit, aliorum instar erat: sepulchra enim hinc inde in parietibus existebant, nonnullis exceptis, quæ in pavimento ipso effossa, substrataque conspiciebantur. Structura interim ejusdem Cœmeterii admodum rudis, ac bina tantum in eo cubicula, parva tamen & satis rudia, ne dicam rustica, reperiri contigit. Cœmeterium verò omni quidem ex parte incultum; in eo quippe haud ulla, ut in reliquis Christianæ religionis indicia, ac signa apparebant; Mosaici tamen Candelabri, quod lucernis septem compactum, ac distinctum erat, figura coloribus expressa, & in ipsomet viæ cujusdam termino miræ utique magnitudinis eadem pariter depicta hunc in modum intuentibus se offerebat.

Ejusdem Cœmeterii Judaici descriptio.

Mosaici Candelabri in eo figura.



Lucernæ quoque fictiles ibidem numero haud paucæ, hæ tamen fere omnes confractæ, una dumtaxat excepta, quæ Candelabri ejusdem imaginem, quam hic subjicimus, satis affabre figuli manu effictam exhibebat,



Sepulchralium pariter inscriptionum fragmenta ibi quamplurima in lateribus rubeo colore, Græco tamen idiomate prænotata extabant. Ex lateribus autem calce tantummodo oblitis clausa olim sepulchra eadem fuisse quivis facile intelligere poterat: ex iisdem verò epitaphiis tam enormiter perfractis, ac humi jacentibus nullus unquam, etsi maximo adhibito studio, verborum sensus deprehendi, atque elici potuit, hoc excepto, quod in singulorum fere initiis legebatur.

Epitaphia Hebræorum idiomate Græco.

ΕΝ ΘΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ.

Et in monumento quodam hoc nomen.

ΑCΑΠΡΙΚΙΙ.

Porro vox illa ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ, hoc est *In pace*, in quampluribus ibidem existentium epitaphiorum fragmentis legitur: quæ loquendi formula quamvis Christianorum peculiaris sit, utpote manifesta in Christo quiescentium nota; hi tamen ab Hebræis eandem mutuati fuere, apud quos phrasis hæc jam erat frequenter usu recepta, ut quampluribus sacræ Scripturæ locis id satis evidenter comprobari videtur.

Phrasis hæc sepulchrorum, *In pace*, Christianis & Hebræis communis.

21 Tandem Cœmeterium hoc Hebræorum olim fuisse, præter ea, quæ supra ad id convincendum recensita à nobis sunt, indicia, aliud profecto ad rem validiori argumento confirmandam patens magis, ac manifestum in cujusdam Inscriptionis fragmento, quod Græco charactere prænotatum erat, apparuit signum hunc quidem in modum.

CΥΝΑΓΩΓ.

Hoc est, *Synagoga*; quæ quidem vox cum peculiaris Hebræorum sit, nullatenus verò Christianorum, locum pariter quorumnam fuerit, & quibus nationibus ad Cœmeterialem usum inservierit, satis superque designat, ac veluti digito indicat.

Quomodo & quare Hebræi Epitaphia sua Græce scripserint.

22 Nec mirum lectori videatur, quod Hebræi Græcis quandoque literis sepulchrorum suorum epitaphia inscripserint; cum iidem non in Palæstina duntaxat, verum & in variis orbis terrarum regionibus degerent, ac varia proinde linguarum genera probe nossent; de quibus longe lateque

per

per universum fere orbem dissitis hæc Philo & ipse Judæus in lib. quem scripsit de Legat. ad Cajum : *Hierosolymam*, ait; *esse metropolim non unius regionis Iudeæ, sed & multarum propter colonias inde olim deductas, vel propius in finitimam Ægyptum, Phœniciam, Syriam, tum citeriorem, tum eam quæ Cœle cognominatur, vel longius in Pamphiliam, Ciliciam, plerasque Asiæ partes usque ad Bithyniam, & Ponti sinus intimos; pari modo Europæ Thessaliam, Bœotiam, Macedoniam, Ætoliam, Argos, Corinthumque, Peloponnesi partes præcipuas : nec tantum continentes provinciæ plenæ sunt coloniis Iudaicis, sed & insularum celeberrimæ, Eubœa, Cyprus, Creta, ne quid dicam de Euphratensibus : excepta enim parva parte Babylonis, & aliarum præfecturarum, omnes urbes, quæ bonum agrum habent, à Iudæis incoluntur. Itaque si exorat mea patria tuam clementiam, præter ipsam alias civitates demereberis plurimas, sitas in diversis orbis tractibus, Asia, Europa, Africa, insulares, maritimas, mediterraneas.* Hæc Philo.

Phil. in lib. de lege ad Caj.

Hebræi in omnibus Orbis Regionibus inveniebantur.

23 His, quæ hactenus ex Philone in medium prolata sunt, certior utique, ac firmior D. Lucæ scriptoris Euangelici authoritas accedit, in Apostolicis nimirum Actibus, ubi de Apostolis post divini Spiritus illapsum, multiplici linguarum idiomate loquentibus disserens, ait : *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est.* Et infra isthæc : *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus, Parthi & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ, quæ est circa Cirenem, & advenæ Romani, Iudæi quoque & Proselyti, Cretes & Arabes, &c.* Ad id pariter magis valide comprobandum, opportune quidem prima B. Apostoli Petri epistola facere videtur, quæ hujuscemodi titulo prænotatur : *Petrus Apostolus Iesu Christi electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ &c.* Et certe quod ad Judæos Galatiam incolentes attinet, eos tunc temporis Hierosolymis adfuisse, cum Christus Dominus cruci suffixus pro communi salute mortem subiit, satis aperte innuisse Apostolus videtur, dum in Epist. ad Galat. eosdem conceptis verbis acrius perstringens, ait : *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus est?*

Hebræos per orbem sparsos ex Act. Apost. probatur.

Act. Apost. cap. 2.

Epistola 1. Petr. ad Hebr.

Paul. epist. ad Galat. 3

24 Idem quoque perspicue ex Jacobi epistola hoc plane titulo inscripta comprobatur : *Iacobus Dei, & Domini nostri Iesu Christi servus duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione salutem.* Quamvis Baronius noster in suis Annal. Apostolos, quos modo recensuimus, Petrum videlicet & Jacobum haud aliam dispersionem subintellexisse existimet, quam illam, quæ post obrutum lapidibus, ac interemptum Protomartyrem Stephanum subsecuta est, quandoquidem cum Judæi ab antiquis temporibus nemine prorsus impellente, sed sua sponte in varias Asiæ, Africæ, & Europæ provincias habitaturi transmigraverint, nunquam ab iis; qui res probe Judaicas sermone historico prosecuti sunt, eosdem dispersos, vel ex dispersione collectos, sed colonos, atque indigenas appellari contigit. Nihilominus illud hic nobis demonstrasse satis fuerit, ante ipsummet videlicet Christi in orbem adventum, varias orbis provincias Judæos cæterarum gentium more incoluisse. Et quidem Philo diserte, ac prolixe subortam Græcos inter atque Hebræos, qui tunc Alexandriæ commorabantur, seditionem exponens, ob quam ipse ad Cajum legatione perfunctus est, eorundem ad decies centena millia habitasse Alexandriam asserit; Antiochiam pariter quamplurimos incoluisse, eosque unà cum Græcis civitate donatos Josephus de bello Judaico scribens testatur. Sed ex iisdem Apostolorum Actibus à Luca conscriptis cap. 17. jam perspicue Athenis Hebræos Synagogam obtinuisse novimus, in qua frequenter cum ipsis agens Paulus Apostolus disputabat.

Iac. Epist. Canon.

Dispersio illa apud Iacobum & Petrum Apostolos quomodo intelligenda.

Ioseph de Bello Iudaico l. 7. c. 21

25 Inter Græcos igitur Judæi pariter demorantes, Græcè utique, haud Hebraice, loco sermonem aptantes, loquebantur. Quapropter hi, qui Palæstinam potissimum incolebant, cæteros hujuscemodi Judæorum Hellenistas, sive Græcissantes, nuncupabant, quòd Græco nimirum idiomate uterentur. Nec quid vero absurdum videatur, si forte quispiam dixerit Titulum, quo Crux Domini prænotata est, non Hebraice dumtaxat, & Latine, verum etiam Græce inscriptum fuisse, ut ab Hellenistis videlicet Iudæis, qui Hebræorum linguam ignorabant, commode legi, atque intelligi posset. Quamvis sublimiora divinorum arcanorum mysteria in hac eadem inscriptione à sanctis Patribus & Theologis passim adnotari contigerit. Quod autem Græcum Iudæi sermonem inter loquendum communiter usurparent, satis aperte ex eorundem scriptis conjicere quis valet. Quamplures enim & præcipuos quidem Iudæorum scriptores Græcis literis sua scriptorum monimenta exarasse compertum est : Flavius quippe Iosephus, Iudaici historiam belli à se Romæ Græco sermone conscriptam, non Romanorum dumtaxat Imperatoribus Tito, & Vespasiano, sed & quamplurimis item Iudæorum Romæ tunc degentibus legendam obtulisse pronunciat : *Qui Græca*, inquit ille, *eruditione videbantur imbuti.* His adde Philonem, Iustum Tiberiensem, Aristobulum, & cæteros, quorum nomina ex Eusebio de Præparat. Euangelica, & ex eodem Fl. Iosepho contra Appionem huc commode referri queunt.

Judæi Hellenistæ sive Græcissantes.

Hebræi libros lingua Græca conscribunt.

Iosephus Heb. de bello Iudaico.

Philo Iustus Tiberiensis Aristobulus Euseb. de præparat. Euang.

26 Nullum porro propositæ nuper assertioni negotium facessit, quod, etsi Iudæi, qui inter Græcos olim vitam ducebant, Græco uterentur idiomate, hi tamen, qui incolæ Romanæ Urbis erant, si hæc ratio subsisteret, Latino potius, vel saltem Hebraico uti sermone debuissent. Quippe, ut nuper diximus, Romæ innumeri hujus farinæ homines adnumerabantur, inter quos nulli prorsus dubium est, Hellenistas itidem extitisse, quorum sepulchris Græca item inscribi, atque apponi epitaphia congruum erat. Ut autem magis magisque veritatis ratio subsistat, hoc unum postremo loco adjicimus, Græcum videlicet idioma eum in modum aliquando in orbe terrarum viguisse, ut nullus inter viros eloquentia præditos recenseretur, qui Græcam pariter literaturam non optime calleret. Quare ipsimet Romani ut eandem probe addiscerent, Athenas plerumque contendebant, vel Græcos sibi magistros domi, ut omnem eloquentiam excolerent, adsciscere satagebant. Augusto enim, ut ipse testis est Suetonius, Apollodorus Græcus vir magni nominis præceptor adfuit. Et quamplurimum item Oratorum Cicero meminit, qui Græci præsertim sermonis peritia præstantissimi inter cæteros fuere; ita ut eorum non pauci libros quosque omni erudi-

Lingua Græca in pretio olim habita & apud Romanos maxime in usu erat.

Suetonius in Augusto.

Cicero.

tione redundantes Grȩcè à se conscriptos ediderint: inter quos jure quidem merito Albinus ille Conf. celebratur, qui suam Græco idiomate historiam promulgavit: Claudius quoque, eodem Suetonio teste, haud minori cura ac labore Græcorum studia sectatus, ejusdem linguæ nitorem, atque præstantiam, ubicumque se illi præbuit occasio, professus est. Tertullianus item lib. de Pallio, Græcum sermonem in Latio usitatissimum fuisse scribit. Cujus rei rationem reddit Hieronymus in suo Procem. Comment. ad Galat. his verbis: *Ipsa Italia à Græcis populis occupata, major quondam Græcia vocabatur. Certe quod negari non potest, Romani de Æneæ Asiani hominis stirpe generati sunt; ex quo evenit, ut & in occidente Græci sæpe acuminis experiantur ingenia; & in oriente stoliditatem barbaram redoleant &c.* Hæc Hieronymus.

Suetonius in Claud. — *Tertullianus lib. de pallio c. 3.* — *Hieronym. Comm. l. 2. ad Gal.*

27 His autem nos quoque ultro, libenterque assentimur, de Hebræorum scilicet epitaphiis Græco idiomate inscriptis, ac de Cœmeterio eorundem, quod à Bosio in Vrbe repertum est, de quo nil certi hactenus affirmare ausi, aliis probabiliora sentientibus, totam rem hanc maturiori consilio definiendam relinquere statueramus; sed vir plane eruditus Lucas Holstenius, Vaticanæ Basilicæ Canonicus, qui à nobis honoris ac gratitudinis causa hic nominatim recensetur; scripta enim hæc nostra consueta animi benignitate recognoscere dignatus est: ille, inquam sua auctoritate omnem penitus, qui animo inerat, hæsitanti scrupulum exemit, & tum nostram, tum ipsius quoque Bosii de Judaici Cœmeterii assertione sententiam satis aperto ac luculento Benjamini Tudelensis Judæi scriptoris testimonio in medium prolato confirmavit. Perantiquus enim hic auctor in Itinerario, quod sane quingentos ante annos conscripsit, cum nonnulla rerum Judaicarum vestigia à se, dum Romæ erat, diligenter prænotata commemorasset, postquam de Titi Imperatoris Arcu sermonem fecit, quem amarulento animo Cryptam appellat, hæc de Judaico Portuensi Cœmeterio subjungit: *Est & alia Crypta in monte ad fluminis Tyberis ripam, ubi sepulti decem Iusti laudatæ memoriæ, qui sub regno tyrannico occisi fuere.* Quibus sane verbis Cœmeterium, de quo agimus, ejusdemque situm exacte ad rem nostram & quidem adeo graphice describit, ut ad illud quasi digito præmonstrandum, vix quidquam ultra à studioso Lectore desiderari queat. Nam & cryptam proprio, usitatoque nomine appellat, eandemque in colle, seu monte, qui Tyberi imminet, extare affirmat. Quod vero ibidem de decem Justis sub regno quondam tyrannico mactatis enarrat, id profecto Cœmeterii ejusdem antiquitatem inculcat, commendatque, & tum Judæos, tum etiam Christianos sepeliendis, condendisque defunctorum corporibus iisdem fere cæremoniis usos fuisse coarguit. Constat enim & suos Hebræos Imperatoris licet jussu mucronis gladio æquissime addictos, à superstitionis Judaicæ cultoribus Martyres utique, etsi commentitios ipsius Satanæ, habitos fuisse, eorundemque memoriam apud perfidos haud cultu, & veneratione quondam caruisse. Verum quia nunc apud Judæos omnia subobscura, & obcæcati illius populi caligine respersa, ignorantiæ tenebris addicta sunt, idem Holstenius, cui opportunum historicæ veritati assequendæ, Benjamini scilicet indicium acceptum merito studiose lector referre debes, ille, inquam, post longam accuratamque impensam rei indagandæ operam, se nil certi de decem istis pseudomartyribus apud modernos Mosaicæ religionis sectatores assequi potuisse conqueritur.

Benjamini Tudelensis de Judæorum Cœmeterio testimonium. — *Benjamin Tudel. Iudæus in suo Itinerario.* — De decem justis à Benjamino Judæo memoratis quid sentiendum? — Judæorum pseudomartyres.

28 Porrò quæ ab iisdem diligenter investigando haurire tandem potuimus, his paucis accipe, & primo quidem constans omnium sententia est, decem istos Iustos, sive ut illi vulgo, sed perperam, Martyres appellant, Imperatorum jussu ultimo supplicio animadversos mulctatosque fuisse, sed de singulorum nomine, de tempore, ac de supplicii genere, quo perfidi isti merito affecti sunt, haud una est apud omnes sententia. In libro enim Iudaicarum precum inscripto, quem Iudæi communi vocabulo Manzor vocant, hi quidem sub Hadriano Imperatore gravissimis pœnis exagitati dicuntur, videlicet: R. Ismael filius Elissar: R. Simeon F. Gamalielis. R. Hacchina F. Iosephi. R. Hanina F. Zeradionis. R. Hozpid Interpres. R. Eleazar F. Samuha. R. Zeuda F. Dama. R. Isbau Scriba. R. Iuda F. Hachinai: & varia ibidem suppliciorum genera, quæ tunc singulis, inflicta sunt, recensentur.

Decem Hebræorum pseudomartyres sub Adriano necati. — *Lib. Iudaicarum precum inscriptus i, seu Manzor apud Iudæos.*

29 Chronologicus vero Hebrȩorum Seder Ecalud, eosdem sub Lupino Imperatore mulctatos fuisse docet, quod quidem insolitam apud Iudæos, & apud illos maxime, qui posterioribus sæculis vixere, externarum rerum ignorantiam ultro indicare videtur. Liber autem de Becais dictus in tractatu Michez, decem istos pseudomartyres uno eodemque tempore addictos patibulo, sed sub diversis Imperatoribus affirmat. Rabbi Abraham Ben David in libro traditionum, R. Simeonem, & R. Ismaelem sub Tito Vespasiano: R. autem Hacchina cum reliquis sub Hadriano Imperatore gladio interemptos fuisse scribit.

Chron. lib. Hebræor. Seder Ecalud. — Scriptorum Hebræorum de decem illis suis Justis sententia. — *Lib Heb. Bechais dictus.*

30 Horum tamen omnium frequens in Thalmudico opere apud Hebræos celeberrimo incurrit mentio, sed hic interim loca singillatim in medium afferre haud operæ pretium est: id unum dumtaxat postremo loco addimus, istorum videlicet pseudomartyrium in Meghil ad Zaanid, seu libro jejuniorum Iudaicorum partim sub die 25. & partim 27 Iunii recenseri. Hæc ad explanandum, quem supra recitavimus, Benjamini locum, & ad Portuense Hebræorum Cœmeterium, de quo modo agimus, validis argumentis communiendum, ac luce ab antiquis accepta illustrandum attulisse sufficiat.

Thalmud crebro illorum meminit. — Et Meghil ad Zaanida.

31 Cum idem vero Benjaminus in suo jam recensito Itinerario, aliquot à se Hebræorum sepulchra visa fuisse describat, quibus isthæc nostra ad amussim Cœmeteria circumscribi ac delineari videntur; opportunum quidem duximus, nonnulla hujusce argumenti ex eodem desumpta, lectori prælibanda offerre, valde, inquam, iis, quæ jam supra differendo exposuimus, consonantia; Christianos nimirum ab ipsismet Iudæis funeralium ritus erga defunctorum corpora mutuatos fuisse. Præcitatus igitur auctor quampluribus omissis recolenda antiquorum Patriarcharum sepulchra, quæ in valle Hebron sita erant, hunc plane modum describit: *Aperitur ibi*, inquit ille, *porta ferrea, quæ jam inde à beatorum Patriarcharum temporibus confecta fuit. Huc qui descendit facem ardentem manu tenens, nihil in prima spelunca deprehendit, nec in secunda, donec in tertiam perveniat; ubi sex sunt sepulchra,*

Christiani ritus funeralium ab antiquis Hebræorum patribus accepere. — *Benjamin Iud. in suo Itiner.* — Descriptio sepulchrorum Patriarcharum in valle Hebron.

chra, Abrahami, Isaaci, Iacobi, Saræ, Rebeccæ, & Leæ, quæ sibi invicem opposita, singula litteris incisis obsignata sunt, ut sepulchro Abrahami hæc incisa legantur: Hoc est Abrahami beati patris nostri sepulchrum. Similiter super Isaaci sepulchro, immo singulis sepulchris hujusmodi inscripta erant. In spelunca lampadam accendunt, quæ die nocteque ad sepulchra ardeat. Hæc ille de antiquis Patriarcharum monumentis posteritati expressit. Alibi vero miram ejusdem Cœmeterii amplitudinem his plane verbis describit: *In Rama civitate olim permagna tres sunt Iudæi. Hic magnum quoddam Israelitarum Cœmeterium ad duo usque milliaria extenditur.* Alio item loco hæc subdit: *In Monte Tsion* (sic eum appellat) *in conspectu Ierosolymorum tria veluti Cœmeteria Israelitarum sunt, ubi diebus priscis mortuos suos sepeliebant.* Et infra: *In Tsionis autem monte familiæ Davidicæ extant sepulchra; Regumque, qui post eum regnarunt. Sed locus ignotus est.* Ibidem autem enarrat cujusdam muri delapsi eodem in monte ruinam, cujus quidem deinde instaurandi causa prægrandi quodam erecto, amotoque saxo abditissimæ ostium speluncæ repertum est. Quapropter ejusdem speluncæ os, quod ante omnino latebat, ingressi, per subterraneos illos reconditosque ambitus deambulando tandem ad magnum quoddam palatium devenere, columnis marmoreis exædificatum, argento auroque obductum: in cujus conspectu mensa erat, sceptrumque aureum unà cum aurea pariter corona, quod nimirum sepulchrum quondam fuit gloriosissimi Davidis Israelitarum Regis. Ad sinistram aliud pariter sapientissimi Regis Salomonis extabat, ac omnium itidem aliorum selecta ibi Regum sepulchra cernebantur, qui è nobilissima stirpe Judæorum progeniti honorifice isthic humati jacebant. Aderant ibidem & nonnullæ arcæ diligenter clausæ, in quibus quid servandum contineretur, nemo novit. Hæc omnia citatus refert Benjamin ex relatione Abrahami cujusdam Pharisæi, qui Constantinopolitani potissimum Patriarchæ jussu, duos illos viros, ad singula hæc diligenter exploranda, allocutus fuerat.

[Cœmete-[rium] Patriar-[ch]arum in [i]lle Heb-[ro]n amplitu-do.]

[Sepulchrum Davidis [Re]gis.]

[Sepulchrum Salomonis [et] aliorum [Re]gum Is-[rae]l.]

32 Porro hanc à nobis prolixioribus verbis recitatam de augustissimis Regum sepulchris narrationem Constantinus l'Empereur in suis ibidem notis veluti commentitiam, ac prorsus fabulosam rejicit. Ait enim thesauros in Templo reconditos olim fuisse. Idcirco enim Machab. 2. c. 3. legitur, Simeonem ad Apollonium thesauros eidem indicaturum abiisse, Heliodorumq; tunc evocasse, qui omnia sacrilega manu inde quantocyus abriperet, & ad Seleucum regem sacris inhiantem pecuniis deferret, licet vir ille sacrilegus manifesta divini Numinis vi ab incepti proposito resilire postmodũ coactus fuerit.

[[Th]esauri in [Te]mplo [Hi]erosol. [re]conditi. [M]achab. 2. c. 3.]

33 Illud item, quod ibi legitur, Hircanum è Davidis potissimum sepulchro, cum aliunde non suppeteret, ingentem pecuniam congessisse, quam in proprios deinde usus verteret, ut Josephus lib. 1. c. 2. enarrat: *Nec dubium*, inquit, *quin si alicubi in spelunca sceptrum, mensaque aurea, & corona aurea, aurum & argentum fuisset, Davidis sepulchrum ingressus non fuisset.* Insuper de urnis, vel certe speluncæ arcis, quas descripsimus, & de pretiosis ibidem asservatis, aurea videlicet mensa, & corona, auro insuper & argento, quibus sepulchrale palatium, ut ipse ait, eandem intra speluncam contegebatur, nihil prorsus ex his omnibus, quod fide dignum sit, pronunciat.

[Hircanus thesaurum e sepulchro Davidis accepit. *Ioseph. lib. 1. c. 2.*]

34 Verum Constantinus hac in re quam maxime hallucinatur, & historicæ auctoritati detrahendo, gravissimam ipsimet Benjamino injuriam facit, dum relationem ab eodem excerptam ut futilem, mendacemque perstringit, & mordicus aculeatis verbis exagitare non dubitat. Haud hic tamen silentio prætereundum est, ut veritas magis ex jam assertis lectori pateat, sepulchralem hanc cryptam à Zuallardo in fine libri 4. descriptam fuisse; sed & ad rem nostram Fr. Bernardinus Amicus eandem à se omni adhibito studio inspectam lib. de ædificiis Terræ sanctæ cap. 46. delineavit. Qui præstantissimum, admirandumque hoc opus inter cætera terrarum Orbis miracula jure optimo referendum censet: idemque prorsus judicium proferet æquissimus quisque rerum arbiter, qui exactam ejusdem descriptionem, & ichnographiam litteris expressam, oculis perlustrare voluerit. Quod vero ad thesauros immensos proculdubio ibidem reconditos, & ad illud pariter aurum intra terræ viscera, unà cum Regum tumulis consepultum attinet; id notissimum utique est ex antiquissimo gentium more, ut supra diximus, ipsosmet Barbaros unà cum Regum cadaveribus opes munifica interdum manu condidisse. Et Epiphanius, ac Dorotheus scriptores probatissimi alioqui, ac omni fide digni, Æthiopicum ibidem à Salomone aurum reconditum fuisse scribunt. Quo deinde ex loco ingentes istos thesauros Hircanus proculdubio depredandi avidissimus abstulit, cum fama de auro atque argento illic abscondito veluti constans apud omnes jam satis invaluisse videretur. Demum quæ hactenus enarravimus, probatissima quoque Epiphanii, Chronici Alexandrini, aliorumque auctoritate comprobari queunt. Sed hæc studioso Lectori satis sint, dum nos interim secundo huic libro finem imponimus, ut ad reliqua subinde perlustranda Urbis Cœmeteria progrediamur.

[*Zualardus lib. 4. hist.*]

[Thesauros una cum Regum corporibus sepeliendi mos antiquus.]

[*S. Epiphanius. Dorotheus.*]

ROMA SUBTERRANEA

SIVE

DE SACRIS ROMÆ COEMETERIIS

LIBER TERTIUS.

Vt cœptum jam ſacræ peregrinationis iter, Deo votis feliciter annuente, proſequamur, ad reliqua nunc religioſæ antiquitatis monimenta properantibus, & Cœmeteria, quæ citra Tyberim ſita ſunt, perluſtraturis, à Trigemina porta cæterarum omnium antiquiſſima initium deſumendum eſt. Et congrue quidem hinc tertius Subterraneæ Romæ Liber exordium auſpicatur; pari quippe Porta hæc triumpho ab Apoſtolo Paulo, ac Triumphalis à Petro nobilitatur. Inde enim invictus Chriſti pugil Apoſtolus beatiſſimus, martyrii laurea coronandus in arenam progreſſit, & ſepulchri locum, quod totius nunc Orbis veneratione ſuſpicitur, non longe ab eadem Porta conſecutus eſt. Quapropter jure merito Porta hæc, & Via toto terrarum Orbe celeberrima extitit, ob martyrium videlicet, ac ſepulchrum Apoſtoli, & adeo innotuit, ut Cajus ille antiquus Theologus, dum Romæ olim cum Proclo hæretico pro fide altercaretur, Oſtienſis Portæ hujus, ac Viæ gloriam adumbraſſe, & velut digito demonſtraſſe viſus ſit: *Apoſtolorum trophæa*, inquit, *perſpicue poſſum oſtendere; nam ſi lubet in Vaticanum proficiſci, aut in Viam, quæ Oſtienſis dicitur, te conferre, trophæa eorum, qui iſtam Eccleſiam ſuo ſermone & virtute ſtabiliverunt, invenies.* Ab hac igitur Porta, unde Paulo properanti ad martyrium via ad Cælum patuit, aditus nobis ad ſacra Cœmeteria, quæ eadem Via ſita ſunt, perſcrutanda aperitur.

CAPUT I.

De Porta, & Via Oſtienſi, ac de his, quæ olim memoratu digna ibidem conſpiciebantur.



Porta Trigemina.

Trigemina quidem Porta, quæ inter cæteras Urbis antiquitates celebris extitit à Tergeminis Horatiis fratribus, qui inde cum Tergeminis quondam Albanis Curiatiis pro publicæ rei, ac patriæ libertate dimicaturi in aciem prodiere, hoc merito vocabulum ſortita eſt. Hæc autem inter Aventinum collem, ac Tyberim fluvium ſita olim erat, eo prorſus loco, ubi nunc Salinarum officinæ extant, temporis vero interlapſu, Aventino intra Urbis pomœrium recluſo ſub Imperatore Claudio, ad ejuſdem itidem radices, ubi interjacens Teſtacei collis planities panditur, eandem quoque transferri portam contigit: quæ demum à Beliſario novis exſtructis mœnibus, ibi conſtituta eſt, ubi in præſens cernitur. Eadem & Oſtienſis, quod ad Oſtia Tyberina duceret, ab Ammiano Marcellino Procopio, & aliis nuncupatur. Noſtris vero temporibus vulgo Porta S. Pauli ab ejus proxima Baſilica appellatur: quod item nomen multis abhinc ſæculis obtinuiſſe Bibliothecarius teſtatur, qui in Vigilii Papæ geſtis de Totila Vrbem ingrediente ſermonem inſtituens, hæc ait: *Die autem tertiadecima introivit civitatem Romanam indict.* XV. *per Portam Sancti Pauli.*

Porta Oſtienſis. *Ammianus Marcellinus.* Porta S. Pauli. *Biblioth. in Vigilio Papa.*

2 Ex antiquis vero ſcriptoribus quampluresRomanæ hujus Portæ meminerunt, & præ aliis Jul. Frontinus libro de urbanis Aquæductibus, ubi de aqua, quæ Appia dicitur, verba faciens: *Ductus ejus*, inquit, *habet longitudinem à capite uſque ad ſalinas, qui locus eſt ad Portam Trigeminam, paſſuum undecim millium.* Livius quoque de Porticu ab Ædilibus ibidem exſtructa loquens, *Ædiles extra portam Trigeminam & Aventinum, porticum ſtraviſſe* affirmat. Et infra: *Ædilitas inſignis eo anno fuit M. Æmilii Lepidi, & L. Æmilii Pauli. Multos pecuarios damnarunt: ex ea pecunia clypea inaurata in faſtigio Iovis ædis poſuerunt. Porticum unam extra Portam Trigeminam, emporio ad Tyberim adjecto.* Et de alia item Porticu à M. Tuccio, & P. Iunio Ædilibus Curulibus erecta: *Iudicia*, inquit, *in fæneratores eo anno multa ſevere ſunt facta, accuſantibus privatos Ædilibus Curulibus M. Tuccio & P. Iunio Bruto. De multa damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio poſitæ in Cella Iovis, ſupra faſtigium ædiculæ, & duodecim clypea inaurata & iiſdem Porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt.* Hæc Livius.

Iul. Front. l. 1. de urbanis aquæductibus.

Liv. Dec. lib. 5.

Porticus à Porta Trigemina ad Aventinum

3 Porrò Via, quam ab hac potiſſimum porta quis egre-

egrediens iter facturus obit, Ostiensis dicitur, nec quidem illa ad longum nimis spatium protenditur, cum ad Tyberina dumtaxat Ostia se extendat. In hac ex jam citatis Livii auctoritatibus, celebrem quondam Porticum, & Emporium pariter juxta Tyberim fuisse colligimus. Lignarios item Fabros ibidem extitisse comperimus; ob Ilerni fortasse Luci propinquitatem; Ilernus enim lucus eandem prope Viam ab antiquarum rerum scriptoribus recensetur. De quo sic Ovidius:

Adjacet antiquus Tyberinæ lucus Ilerni,
Pontifices illuc nunc quoque sacra ferunt.

4 Eandem quoque juxta Portam spelunca quondam Caci suspiciebatur, eodem Frontino teste loco supracitato: *Cacus*, inquit, *habitavit locum, ubi salinæ nomen*, & *Trigemina Porta, &c.* Eandem Virgilius Æneid. his plane carminibus describit.

Lustrat Aventini montem: ter saxea tentat
Limina nequicquam; ter fessus valle resedit.
Stabat acuta silex præcisis undique saxis,
Speluncæ dorso insurgens, altissima visu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, & imis
Avulsam solvit radicibus; inde repente
Impulit impulsu, quo maximus insonat æther.
Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis
At specus & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & umbrosæ penitus patuere cavernæ.

Porro extra eandem à nobis hactenus memoratam urbis portam, à Romano populo statuam Minutio Augurino erectam fuisse Plinius scribit, eo quod ille ad assem panis pretium redegerit.

5 Figlinæ pariter juxta Tyberim extabant; quod rem probe consideranti Testaceus ipse mons in ipsamet loci planicie ex vastissima vasorum fictilium massa congestus, apertissime oculis intuentium contestatur. Figuli enim circa loci ejusdem ambitum demorantes, quævis testarum fragmenta in eum projicere locum consueverant. Ibi itidem antiquitus religiose Veneris Murciæ, vel Myrtheæ Fanum colebatur, quod Varro inter figulos fuisse ait. Sextus quoque Pompejus verb. Murcia Deorum, & Publ. Victor reg. XI. idem asserunt, Fanum videlicet sub Aventino monte, & in reg. XI. extitisse. Aliud quoddam insuper gentilitiæ superstitionis Fanum ibidem adnumerabatur 2. ab Urbe milliario cum præcelsa pariter arbore, quam unà cum Fano ipso atque ara S. Felix, qui illuc pro Christo capite plectendus ab impiis ductus fuerat, solo vocis imperio, divina virtute radicitus diruit, ac evertit, ut nos infra narrabimus. Prope Trigeminam portam Herculis quoque Victoris, seu Olivarii Templum eodem Publio teste, patebat.

6 Celebris insuper illa & quidem integra ad hæc usque tempora non absque admiratione ad Ostiensem portam, Cestii Septemviri Epulonum Pyramis, saxis utique ingentibus quadratis ac candidis exstructa subsistit, quæ demum ipsa intra Urbis mœnia, ut videre est, à Belisario inclusa fuit. Quam quidem trecentum & triginta dierum spatio exstructam fuisse legimus, ut ex ejusdem inscriptione conjicitur, his quidem verbis concepta:

OPUS ABSOLUTUM EX TESTAMENTO
DIEBUS CCCXXX.
ARBITRATU POMPEJI P. F.
CLOMELÆ HÆREDIT.
ET P. OST. LO.

Hæc autem quamvis C. Cestii in prænotato inscriptionis lapide nomen præ se ferat; ita enim ibi legitur:

C. CESTIUS L. F. POB. EPULO
PV. IV. PL. VII. EPULONUM.

Commune tamen reliquorum omnium Epulonum sepulchrum fuisse creditur. Qui quidem Epulones sacerdotes quondam epulis, ludis, ac sacrificiis epularibus præfecti erant: *Nam epulas*, inquit Sext. Ver. *Epulones indicendi Iovi, cæterisque Diis potestatem habebant.* Eorundem insuper ex Blondo peculiare munus illud erat, curare videlicet, ut ejusce modi epulæ ab aliquo ipsis testamenti tabulis decretæ, operi demandarentur. Si forte enim quandoque legatarii id præstare diu neglexissent, eorundem bona, ac jura pariter collegio Epulonum ex legum præscripto cedebant. Hi sub ipsis Romanæ Reipublicæ primordiis, anno scilicet ab Urbe condita 558. cum tres tantum deligerentur, & Tullio teste de Orat. ac Livio Decad. 4. Epulones Triumviri dicebantur. Hi pariter prætextæ togæ deferendæ, ut & cæteri Pontifices, privilegio gaudebant. Quare quosdam ex his eundem apud Livium nonnunquam Triumviros appellatos legimus, & præsertim P. Manlium eadem Decad. lib. 10. hi autem postmodum ad septenarium aucti numerum, Septemviri Epulones nuncupati sunt. De quibus Gellius lib. 1. c. X. isthæc: *Item cujus pater Flamen aut Augur, aut Quindecimvir sacris faciundis, aut qui septemvir Epulonum, aut Salivi est.* Et Lucanus lib. 1.

Septemvirque epulis festis, Titiique sodales.

7 In hanc vero, quam modo describimus, Pyramidem ad singula acute perscrutanda ingressus Bosius, satis amplum in ea cubiculum contemplatus est: in cujus tholo, qui gypso egregie delinitus erat, ejusdem olim Cestii effigiem extitisse ex ipso loci aspectu probe conjecit: in singulis autem ipsius tholi angulis famas (ut dicunt) mira arte, studiosaque pictorum manu, ut peritorum sane judicium ferebat, elaboratas, haud satis mirari non potuit. At quidam aurum forte eodem loco unà cum Cestii corpore sepultum latere arbitrati, inviso inhiantes thesauro pulcherrimum eundem tholum violenta manu perfringere conati sunt, sed frustra ob materiei soliditatem, ex qua compactus erat, quod proposuerant, perficere valuerunt: cum igitur antiquissimam ibi imaginem devastassent, re omnino infecta, suaque spe omnino frustrati abiere.

8 In hac item Via, & extra eandem Trigeminam Portam pauperes olim stipem à prætereuntibus petere ethnicorum tempore consueverant, ipso auctore Plinio lib. 34. c. 5. ubi hæc ait: *Item P. Minutio Præfecto annonæ extra portam Trigeminam, unciaria stipe collata &c.* Plautus *Capitiv.* inquit:

Vel extra portam ire Trigeminam ad sacculum licet,
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum est.

Verum cum beata postea Christianorum tempora Orbi illuxere, & Vrbs sanæ, illibatæque fidei, ac Christi jugo colla subjecit, potiori titulo, & majori quidem numero, Via hæc mendicantium ac pauperum catervis teri frequentius cœpit: eo maxime, quod cum apud eandem sacrum beatissimi Apostoli Pauli corpus deponi contigit, stipem à frequentissimo Christianorum cœtu, qui jugiter

Hh

Marginal notes: [...]ticus, & [...]porium. — [...]cus Iler[ni]. — [Ov]id. Fast. — [Sp]elunca [Ca]ci. — [Fro]nt. lib. [de] Vrbanis [A]quæduct. — [Vir]gil 8. [Æn]eid. — [Min]utius. — [Fig]linæ. — [Mo]ns Testaceus. — [Fa]num Veneris Myrtheæ. — [Va]rro lib. 4. [de] ling. Lat. — [Sex]tus Pompejus verb. [Mu]rcia — [Pu]bl. Vict. [Reg]ion. XI. — [Sep]ulchrum [Ce]stii. — Epulones qui ac quales olim dicerentur? — Sext. Ver. — Blondus l. 2 Rom. anor. triumphor. — Tullius l. 3. de orat. Livius dec. 4. l. 3. — Gellius lib. 1. c. X. — Lucan. l. 1. — Descriptio Pyramidis seu sepulchri Cestii — Pauperes Via Ostiensi stipem olim postulabant. — Plin. lib. 34. cap. 5. — Plautus Capitivus.

ter idem ſepulchrum devote adibant, ſuppliciter efflagitare conſueverant.

9 Extra hanc Portam Apoſtoli beatiſſimi educti ſunt ad martyrium, ut traditio ipſa, Baronio in ſuis Annalibus teſte, comprobare videtur, cujus hic verba repetenda nobis ſunt: *Habet inſuper*, inquit ille, *traditio potius quam certa aſſertione antiquorum ſcriptorum veritas confirmata (nam quæ de his legitur, à quibuſdam Dionyſii Areopagitæ nomine edita ſcriptio non probatur) ipſos Apoſtolos ſupplicium mortis ſubituros è carcere ſimul eductos, extra portam Trigeminam perductos eſſe. More ſiquidem majorum id actum fuiſſe videtur: nam reos extra Urbem percuti ſolitos in Martyrologio Romano notavimus. Cur autem extra illam potius portam, ad ſubeundum ſupplicium ducti ſint, quid certi affirmare poſſimus, nihil eſt, niſi quod conjectura tenuibus quibuſdam rimulis monſtrat. Certum eſt enim extra portam Trigeminam, quæ & Oſtienſis dicitur, agere conſueviſſe mendicos, vileſque perſonas, illicque eoſdem accipere ſtipem, quod quidem, &c.* Et paulo infra de mendicis loquens: *In Vaticanum poſtea horum ſedem fuiſſe tranſlatam Ammianus annuere videtur, dum ait, Accitos à Vaticano quoſdam egentes opibus dicaverat magnis. Sic dicens de Lampadio Urbis Præfecto, qui pecuniam, quam alii expandere conſueverant in publicorum munerum editionem, ipſe in pauperes erogaſſet.* Hæc in Oſtienſis viæ commendationem Baronius.

Extra portam Trigeminam Apoſtoli ducti ad martyrium.
Baron. t. 1. an. 69. n. 9.

10 In ea itidem Solonio in agro Pomonal extitiſſe Cicero ad Atticum ſcribens teſtatur: & Sex. Pompejus Ver. Pomonal, dicens: *Pomonal eſt in agro Solonio, Via Oſtienſi ad duodecimum lapidem diverticulo milliario octavo.* Duodecimo item ab Urbe lapide Oſtienſis civitas, ab Anco Martio Romanorum Rege quondam exædificata fuit; ibidemque Jovi Feretrio Templum extructum fuiſſe teſtatur Livius Decad. 1. ſic inquiens: *In ore Tyberis Oſtia Urbs condita, ſalinæ circa factæ; egregieque rebus bello geſtis, ædes Iovi Feretrio amplificata.* Hic Tyberini pariter Idoli domum ſcriptores extitiſſe aſſerunt, de quo hæc Virgil. Æneid. lib. 8.

Pomonal.
Cicero ad Atticum.
Sextus Pompejus verb. Pomonal.
Oſtia civitas.
Templum Jovis Feretrii.
Livius dec. 1 l. 1.
Idolum Tyberinum.
Virg. Æneid lib. 6.

Cæruleus Tyberis cælo gratiſſimus amnis,
Hæc mihi magna domus, celſis caput urbibus exit.

Quod item deſcribit Ovidius Faſtorum lib. 4.

Ovid. Faſt. l. 5.

Fluminis ad flexum veniunt Tyberina priores
Atria dixerunt, unde ſiniſter abit.

Huc quoque poſt diutinam navigationem Æneam appuliſſe Rutilius Itiner. l. 1. affirmat, his quidem carminibus.

Appulſus Æneæ in Italiam.
Rutilius Itin. lib. 1.

Tunc demum ad naves gradior, qua fronte bicorni
Dividuus Tyberis dexteriora ſecat,
Lævus inacceſſis fluvius vitatur arenis
Hoſpitis Æneæ gloria ſola manet.

11 Apud Oſtienſem inſuper Civitatem illud quondam prodigium accidit, ut hiſtoriæ perhibent, Turritæ videlicet Cybelis ſimulachri, quod occulta dæmonum opera è navi, qua tunc è Phrygia Romam advehebatur, nullo prorſus conatu, aut arte à quoquam extrahi potuit, niſi à Claudia Veſtali Virgine, quod totum egregie quidem Ovidius Faſtorum l. 4. hunc in modum enarrat:

Simulacrum Cybelis.
Ovid. lib. 6. Faſt. 4

Oſtia contigerat, qua ſe Tyberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.
Omnis eques, mixtaque gravis cum plebe ſenatus
Obvius ad Thuſci fluminis ora venit.
Procedunt pariter matres, natique virique
Quæque colunt ſanctos virginitate focos.
Sedula fune viri contento brachia laxant:
Vix ſubit adverſus hoſpita navis aquas.
Sicca diu fuerat tellus: ſitis uſſerat herbas,
Sedit limoſo preſſa carina vado.
Quiſquis adeſt operi, pluſquam pro parte laborat,
Adjuvat & fortes voce ſonante manus.
Illa velut medio ſtabilis ſedet inſula ponto,
Attoniti monſtro ſtantque paventque viri.
Claudia Quinta genus clauſa referebat ab alto,
Nec facies impar nobilitate fuit.

Et infra:

Dixit, & exiguo funem conamine traxit,
Mira (ſed in ſcena teſtificata loquor)
Mota Dea eſt, ſequiturque ducem, laudataque ſequendo
Index lætitiæ fertur ad aſtra ſonus.

Livius autem in ſuis hiſtoriarum paginis id Publio Cornelio adſcribit: *Publius Cornelius*, inquit ille, *cum omnibus matronis Oſtiam obviam ire juſſus; iſque cum de nave acciperet, & in terram elatam, traderet ferendam matronis. Poſtquam navis ad oſtium amnis Tyberini acceſſiſſet, ſicut erat juſſus, in ſalum nave evectus, ab ſacerdotibus Deam accepit, extulitque in terram. Matronæ primores, inter quas unius Claudiæ Quintæ inſigne eſt nomen, accepere: cui dubia, ut traditur, ante fama, clariorem ad poſteros jam religioſo miniſterio pudicitiam fecit.*

Liv. Dec. 3. l. 9.

12 Hanc demum Oſtienſem civitatem frequenti hiſtoriarum præconio ſatis celebrem Gregorius Quartus jam pene collapſam, ac dirutam reſtituit, muriſque adverſus barbarorum impetus atque incurſiones validiſſimis, Bibliothecario teſte, communivit, qui & Nicolaum Primum Romanum item Pontificem, eandem turribus ac novis extructionibus, munitionibuſque inſtauraſſe pronunciat. Eccleſia vero haud impari honorum tumulo, ac dignitatis titulo, quam Portuenſis, aucta gaudere promeruit: quippe quæ primaria Cardinalium Epiſcoporum Sedes Romanorum Pontificum decreto conſtituta eſt: cujus potiſſimum Epiſcopo, à quo Summus deinde Pontifex conſecratur, ſanctus Marcus Papa, ut pallio quoque uteretur, ſingulari privilegio indulſit, ſed ſane ipſamet Portuenſi via illuſtrior hæc Oſtienſis redditur, triumphali videlicet Apoſtoli Pauli martyrio conſecrata, ſacriſque tot Cœmeteriis ibidem exiſtentibus mirum in modum aucta pariter ac nobilitata; de quibus hic modo à nobis ex ordine ſingillatim enarrandum eſt.

Oſtia inſtaurata.
Biblioth. in Greg. 4.
Privilegium ac prærogativa Epiſcopi Oſtienſis.

CAP. II.

De loco martyrii, ac ſepulchro Beatiſſimi Pauli Apoſtoli, & de antiquo Lucinæ Cœmeterio.

1 CUm apud Romanos in more olim poſitum eſſet, quod jam ſupra expoſuimus, ut in reos, ſonteſque viros gladio extra urbis mœnia ex legum præſcripto animadverteretur: hanc certe ob cauſam beatiſſimos Apoſtolos Petrum, & Paulum mortis ſententiam ſubituros, Trigeminam extra Portam, ut nonnulli aſſerunt, deductos pariter fuiſſe traditio eſt: haud tamen ambo uno, eodemque loco, ſupplicio affecti ſunt: ab his enim, qui eoſdem ad patibulum ducebant, mutato ſubinde animi conſilio, ſejuncti ab invicem fuere: locus autem in quo id præſtitum eſt, ad hanc uſque diem Oſtienſi Via, haud longe ab ejuſdem beatiſſimi Apoſtoli Baſilica viſitur. Mutua igitur ibidem prius ſaluta-

Mos Romanorum ſontes extra Urbem plectendi.
Locus ubi Apoſtoli ad martyrium pergentes ſejuncti ſunt.

salutatione, in osculo sancto Christianorum more, impartita, uterque ad martyrii coronam festivus atque exultans, ad locum neci destinatum deducitur. Petrus quidem Apostolus in Janiculum, ut aliqui affirmant, vel quod probabilius arridet, ut jam præmisimus, in Vaticanum. Paulus vero ad Aquas Salvias à Satellitibus rapitur. Quæ vero inter eundum contigerint, in ejusdem actis, quæ Lini nomine inscribuntur, magna quidem ex parte ad vivum expressa recitantur: & hæc eadem ad Ostiensem, de qua modo agimus, illustrandam viam hic recensere nobis haud pigebit.

[Margin: Petrus in Janiculum ...ductus. — Paulus ad Aquas Salvias.]

2 Paulus itaque, cum ad martyrii locum pergeret, innumeris populorum turmis comitantibus, ubi ad portam Urbis ventum est, præcipuæ nobilitatis matronam, Plautillam nomine, obviam habuit, quam cum flentem, ac ejulantem sui causa vidisset Apostolus, ab ea velum, quo feriendus gladio, oculos, uti mos erat, obduceret, instanter petiit; Judæos autem fascia eorum, qui capite plectendi essent, velare consuevisse Josephus testatur lib. de Bello Jud. quod illa ultro postulanti liberaliter præstitit, ipsummet, ut erat pollicitus, sacro insignitum, nobilitatumque contactu postmodum receptura, quod præclarissimæ fœminæ ab eodem Apostolo divinitus apparente præstitum est. Hoc autem velum, cujus mentio incurrit, illud merito esse creditur, quod Constantia Augusta tota animi contentione à S. Gregorio Pontifice efflagitavit: qui quidem sanctissimus Pontifex haud petenti id concedi posse, eo quod unà cum ipsiusmet Apostoli corpore clausum sepulchro asservaretur; illudque reserare proculdubio temeritati adscribendum foret, redditis ad eam epistolis, se excusando respondit.

[Margin: Plautilla matrona ...ulo ad martyrium ...nti obvia. — ...ea velum obve...di ocu...petit. — Josephus de Bello Jud. ...c. 14. ...accipit. — ...em illud Apostolus ...t mortem resti...]

3 Ille autem locus juxta Ostiensem portam, ubi isthæc peracta sunt, hujus rei gratia nobili ab antiquis erecto monumento consecratus est. Cum igitur beatissimus Christi Apostolus cervicem mox daturus ad locum properaret, tres numero milites ex his, qui ex Imperatoris vulgo apparitoribus dicebantur, eodem adhortante, fidem Christi suscepere, Longinus scilicet, Acestus, & Megistus, qui & constanter postmodum sub eodem Nerone martyrium die 2. Julii subiere. Ad locum tandem Apostolus supplicio destinatum, tertio ab urbe lapide, qui dicitur ad Aquas Salvias, & alio nomine ad Guttam jugiter manantem adductus de quibus infra; ibi primum humillimis omnipotenti Deo oblatis precibus, alacri, libentique animo invictus Christi athleta haud jugulandus, sed consecrandus & laureandus jugulum præbuit: verum cum interim impia carnificis manu sacrum caput obtruncaretur, non tam fluenta sanguinis sectis è venis, quam candidissimi lactis rivuli uberrime defluxerunt.

[Margin: ...us de...ationis Pauli. — ...ex ab... Pauli ...ice]

4 Portentum autem adeo mirum, non ex memoratis dumtaxat Apostolici martyrii Actis, verum & complurium scriptorum auctoritate comprobatur. Ambrosius enim in suis sermonibus de re tam celebri locutus, isthæc habet: *De Pauli vero cervice cum eam persecutor gladio percußisset, dicitur fluxisse lactis magis unda quam sanguinis:* Et idem infra: *Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Cor. 1. 2. ait, Lac vobis potum dedi, non escam.* Et infra denuo: *De cervice ergo Apostoli pro sanguine lac manavit.* Et Chrysostomus orat. in Apostolorum laudem: *Qualis locus tuum Paule sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in ejus veste, qui te percußit; qui quidem sanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, ut ipse unà cum sociis ad fidem traduceretur, ita effecit.*

[Margin: ...ressius ...8. — ...ambos — Chrys. or. de Apostol. Pet. & Pau.]

5 In ipso autem martyrii loco tres adhuc perexigui jugiter fontes melliflui saporis emanant, qui tunc primum erupisse dicuntur, cum sacrum Apostoli caput jam præcisum ter saltu prosiliit. Horum primus cæteris dulcior, saporem lactis aliqua ex parte haurientibus præ se fert: reliqui fontes, etsi haud longe à primo distent, non tamen eundem omnino haurientium palato saporem exhibent; ob eam nimirum, ut omnes inquiunt, rationem, quod abscisso è capite lac venæ purissimum primo fluxu, subinde sanguinem effuderint. Qui quidem locus Trium Fontium vulgo nuncupatus, frequenti Christianorum concursu ac veneratione colitur: & demum eundem præ vetustate collabentem Petrus Cardinalis Aldobrandinus, Clementis VIII. Nepos, nostra hac ætate instauravit, ac decenter, & munifice, ut par erat, exornavit. Verum ut loco, qui apud Christianos præcipua veneratione colitur, & perenni aquæ manantis jugiter miraculo, hoc est, trium exuberantium fontium monimento illustratur, hic titulum devotionis ergo inscribamus, carmina hæc Marthæ Parthenopensis Virginis manu, quam supra laudavimus, exarata postremo loco sacris hisce fontibus insculpimus:

[Margin: Locus trium Fontium.]

Aurea dum sævus præcidit guttura lictor,
Mortua vox Iesum ter geminata sonat.
Exstincto manant vivi de corpore fontes,
Lucrum cui mors, cui vivere Christus erat.
Dum Christo fudit lactis pro sanguine rivos,
Ad superos Paulo lactea facta via est.

6 Adhuc marmorea quædam columna ferro undique circumsepta ibidem asservatur, supra quam beatissimum eundem Christi Apostolum capite obtruncatum fuisse pia apud fideles traditio viget. Quod vero hic martyrii locus extiterit, aperte satis ex S. Gregorii Papæ Registro comprobatur, ubi ipsummet prædium ad Aquas Salvias nuncupatum, ab eodem Pontifice Basilicæ S. Pauli dono attributum his quidem verbis legitur: *Valde incongruum, ac esse durißimum videretur, ut illa ei specialiter possessio non serviret, in qua palmam sumens martyrii, capite est truncatus, ut viveret; utile judicavimus eandem massam, quæ Aquas Salvias nuncupatur &c. cum Christi gratia, luminaribus deputare.*

[Margin: Greg. Regist. lib. 12. c. 9.]

7 Demum Beati Apostoli corpus à Lucina clarissima fœmina, quæ senatorii erat generis, & Apostolorum discipula, inde sublatum, in ipsiusmet prædio Via Ostiensi dignissimo, ut decebat, tumulo depositum fuit. Quod sacrum quidem sepulchrum haud minori veneratione à Christi fidelibus habitum jugiter fuisse novimus, quam ipsummet beatissimi Apostoli Petri in Vaticano; utrumque enim Christiani è remotissimis terræ finibus in Vrbem peregrinationis gratia confluentes, pari devotionis obsequio adire consueverunt. Inde usitata frequenter illa loquendi formula Apostolorum Limina jam olim appellata sunt, quod & nostris quoque hisce temporibus ab Episcopis, Apostolorum Limina certo, statutoque tempore adeuntibus omnino servari compertum est. Quinimmo & dum ipsa persecutorum rabies acrius desæviret, nullo unquam terrore ac metu præpediti, Apostolicum hoc sepulchrum invicti Christianæ fidei sectatores

[Margin: S. Lucina Matrona. — Sepulchrum S. Pauli. — Limina Apostolorum]

pie, devoteque adibant. Quapropter Tranquillinus ille sanctorum Marci, & Marcelliani parens, dum ad idem sepulchrum oraret, sub impio Imperatore Diocletiano martyrio coronatus legitur. Quod hunc in modum in Romano Martyrologio pridie Non. Julii describitur: *Romæ S. Tranquillini martyris &c. Is cum ad Confessionem B. Pauli die octava Apostolorum oraret, sub Diocletiano Imperatore à paganis tentus, & lapidatus martyrium consummavit.* Jam verò eorundem sanctorum Apostolorum trophæa conspicua fuisse longe ante hæc tempora, ac fidelium venerationi patentia jam alibi satis comprobatum est, cum de Caji vetustissimi Theologi disputatione contra Proclum habita meminimus, quæ profecto sub Zephyrino Pontifice, & Severo Imperatore contigit.

Martyrolog. Rom. prid. Non. Iul.

Trophæa Apostolorum.

8 Haud semper tamen sacrum beatissimi ejusdem Apostoli corpus eodem loco perstitit; nam aliquandiu, ut ipsæ historiæ perhibent, una cum Petri Apostolorum Principis corpore Via Appia ad Catacumbas delituit, ut nos quoque suo loco narrabimus, quousque Lucinæ, alterius videlicet hujus nominis matronæ, precibus sanctissimus Pontifex Cornelius illud inde sublatum, in suum pristinum locum honorifice transtulit, Anastasio teste in ipsius Cornelii gestis, his plane verbis: *Hic temporibus suis rogatus à quadam matrona Lucina, corpora Apostolorum Petri & Pauli de Catacumbis levavit noctu. Primum quidem corpus beatissimi Pauli beata Lucina posuit in prædio suo Via Ostiensi, ad latus, ubi decollatus est, &c.*

Corpora Apostolorum in Catacumbis.

Lucina Matrona.

Anast. in Corn. Pap.

9 Alteram hanc insignem ejusdem nominis, Lucinam diximus, neque enim una ac eadem esse potuit cum illa, quæ primo sacrum illud corpus sepulturæ commendavit, cum ab Apostolorum martyrio usque ad Cornelii Pontificatum ducentos circiter annos interlapsos fuisse, ex diligenti numerorum supputatione exploratum reddatur. Hanc tamen præclarissimæ prosapiæ fœminam ex prima illa oriundam, eique jure prædium illud hæreditario obvenisse credimus. Quapropter cum illa tam nobili thesauro, suo olim in agro defosso, diutius carere nollet, pristinum in locum sacrum corporis pignus reducendum summo studio curavit, & Cœmeterium insuper ibidem ab ea exstructum ad aliorum Martyrum sepulturam, munifica matronæ sanctissimæ pietas, atque ipsa pariter ratio suadet: nisi quis forte afferat, Lucinam videlicet, quæ tot præcessit annis, eidem Cœmeterio initium dedisse, eidemque novissimam ab hac postea manum fuisse impositam. Verum utcumque se res habeat, certe celeberrimum sub Lucinæ nomine Cœmeterium ibidem existere haud ab ullo in dubium revocari potest: præcipua autem pars, quæ beati Apostoli corpus continet, magnificentissimæ Ecclesiæ ambitu à Constantino postmodum Imperatore in Apostoli honorem erectæ conclusa est, & ad sinistram adhuc apsidis partem haud longe ab ipso odeo in ejusdem Ecclesiæ pavimento pars quædam tessellato quidem opere, ac vermiculato exornata conspicitur, ubi quoddam olim in honorem B. Lucinæ erectum altare, hujusmodi inscriptione apposita, extabat.

Plures eodem nomine Lucinæ.

Cœmeterium Lucinæ ubinam situm sit?

SUB HOC PAVIMENTO TESSELLATO
EST COEMETERIUM S. LUCINÆ
MATRONÆ,
IN QUO PLURIMA SANCTORUM
MARTYRUM CORPORA
REQUIESCUNT.

Cujus exemplar hac nostra quoque ætate veluti nobile, ac recolendum sacræ antiquitatis monumentum ibidem legitur.

10 Ad Cœmeterium autem, de quo modo agimus, non multis abhinc annis ab oratorio S. Juliani aditus patebat; quod in media transversæ alæ parte, è conspectu apsidis, immo in ipsomet Confessionis loco situm erat, ad quod per aliquot gradus descendebatur; sed ipso oratorio jam penitus diruto; & dum cella media Sixti Quinti deinde jussu instauraretur, obserato aditu adire volentibus impervium omninò redditum est.

Aditus ad Cœmeterium Lucinæ.

11 Nobilissimi hujus Cœmeterii gloriam inscriptiones quamplurimæ, quæ in Ecclesiæ pavimento visuntur, ex eodem proculdubio Cœmeterio erutæ tacite loquuntur. Una autem ex his, lapide duas in partes diviso, atque ex parte quidem mutilo, in cella adhuc media, haud longe ab aræ maximæ gradibus conspicitur. Est autem hujusmodi:

Inscriptiones sepulchrales in pavimento Basilicæ D. Pauli.

NOMINE DEI PATRIS OMNIPOT | S ET DOMINI NOSTRI IESV ☧ FIL
ANCTI PARACLETI EVSEBIVS INFA | OVAVIT CYMITERIV TOTV
OLVMNAS IN PORTICOS PICTVR | VAS IN RVINIS ERAT TOTA SE
TV CVM TEGVLAS ET TABL | N ET ACVTOS ET MATERI
TOTA BALINEV MARMO | QVE MINVS ABVIT ET SCAMN
TRAS SPECLARA ITEM IN S | ERIORA MARMORAVIT PAL
COSTRA INCINOS ET CLABE S | OSVIT VT POTVIT VSQVE D
SET IN SECVLO FECIT RELIQV | ABRICA QVANDO EXIVIT D
CVL OR EMISIT ALVMNIS SVI | CVNIA ET IPSI FABRICAVE
RVNT INTROITV AT MARTYRES | ODEST IN PVBLICV FVNI
BRICABIT MESAS AT MARTYRES | OTAS FECIT AQVAM IN VALIN
PER MAGNANA FECIT AT CON | A CVBICVLV ET CANCELLV FE
CAVSA FVRES FECIT CIAMVL | A LA FACENT ITEM SART
A SVSCEPIT SIGILLA INQVE IN POR | OSVIT COMPODIOLA

12 At vero incompertum nobis est, quisnam Eusebius hic fuerit, qui Cœmeterium, & sancti Pauli Basilicam instauravit, cujus in dignissima hac inscriptione mentio peragitur verbis illis:

De Eusebio Basilicæ D. Pauli instauratore.

EUSE-

EUSEBIUS IN FA....

Quæ sane verba hunc in modum interpretanda ducimus:

EUSEBIUS INDIGNUS FAMULUS.

Porro si verba ad Eusebium Pontificem referamus, profecto recitata à nobis hactenus inscriptio vetustissima esse comprobabitur: sedit enim Eusebius anno Domini 309. Constantino Imperatore regnante, antequam optata Ecclesiæ pacis tranquillitas illuxisset. Nec verò absurdum fuerit asserere, ante Constantinianæ Basilicæ constructionem eodem in loco ædificium aliquod extitisse, supra ipsum videlicet Apostoli sepulchrum, adinstar Oratorii seu Ecclesiæ, exædificatum, quod idem præmemoratus Pontifex pro temporis opportunitate exornaverit; cum ibidem, & in Vaticano pariter conspicua quondam, ut jam diximus, amborum Christi Apostolorum sepulchra fuerint, Trophæa nimirum Apostolorum inter acerbiora persecutionum tempora celebri, vulgatoque titulo nuncupata. [ophæa ostolo- n.]

13 Quis tamen Eusebius hic fuerit, haud ullum lectori negotium facessat: satis enim nobis interim est, ex eadem inscriptione legentibus palam fieri, Cœmeterium illic celebre, atque insigne antiquis temporibus extitisse, in quo cubicula picturis affabre, veluti in cæteris, exornata conspiciuntur. Ex marmorea insuper inscriptione, quam recitavimus, & ex illis præsertim verbis: [lebre a Ostien- olim œmete- m.]

INTROITU AD MARTYRES,

constare ultro videtur, quondam ibidem aditum ad Cœmeterium, vel saltem ad certum aliquem ejusdem Cœmeterii locum, qui ob Martyrum sepulchra insigniori cultu haberetur, patuisse. Cæteræ hic à nobis afferendæ in medium essent Cœmeteriales, quas novimus, inscriptiones: verum sequenti capite easdem in unum collectas lectori singillatim ob oculos proponendas duximus, ubi tum de Ecclesia, tum de inscriptionibus ejusdem pavimento insertis prolixius agemus.

CAP. III.

De Basilica S. Pauli supra Lucinæ Cœmeterium extructa. De martyribus ibidem conditis. De Cœmeterialibus sepulchrorum titulis, ac de marmoreis sarcophagis in eadem olim Basilica existentibus.

1 DE celeberrima Apostoli Pauli Basilica ab ipsomet Constantino Magno ad perenne Christianæ fidei ac religionis monimentum magnificentissime quondam exstructa, atque unà cum ejusdem Apostoli sepulchro ab eodem Augusto, condigno, ut par erat, cultu exornata, plura quidem à nobis, pro ejusdem Basilicæ dignitate, enarranda hic essent. Verum cum haud pauci luculenter hac de re scripserint, & noster præcipue Severanus in sacris septem Ecclesiarum monumentis, quæ jam sæpe citavimus, prolixo sermone de singulis disseruerit, & modo nostri argumenti sit propositum, non ipsas Ecclesias exactè, sed Cœmeteria duntaxat describere, satis utique referre hic erit; quæ de eadem Anastasius Bibliothecarius in gestis B. Silvestri Papæ his quidem verbis enarrat: *Eodem tempore*, inquit ille, *Constantinus Augustus fecit Basilicam beato Paulo Apostolo ex suggestione Silvestri Episcopi: cujus corpus sanctum ita recondidit in ære, & conclusit, sicut beati Petri, & dona obtulit. Nam omnia vasa sacra aurea, vel argentea, vel ærea ita posuit, sicut in Basilica beati Petri Apostoli, & ita beati Pauli Apostoli Basilicam ornavit, sicut illam; sed & crucem auream super loculum B. Pauli Apostoli posuit pensantem libras centum quinquaginta.* [asilica D. auli à Constanti- o excitata.] [Biblioth. in est. Silv.]

2 Præ cæteris verò scriptoribus Procopius de Constantiniana B. Pauli Apostoli Basilica satis aperte in hæc verba meminit: *Extat autem Pauli Apostoli templum Romanis procul à mœnibus stadiis decem, & quatuor, juxta quod Tyberis fluit; ubi nullum patet munitum esse præsidium.* Porro quod ad hujus gloriam Basilicæ paucis adumbrandam, ac summatim perstringendam spectat, Baronius in suis ad Mart. Notis consulendus est, qui isthæc ad rei propositum de Basilica à Constantino erecta inculcat: *Erexit idem Imperator Basilicam S. Pauli via Ostiensi: quæ cum ob loci angustiam inter Tyberim amnem & ipsam viam positi non in eam amplitudinem, ut par erat, excitata videretur: Valentinianus Iunior Imperator de alia ibidem cum via Ostiensis detrimento amplioribus spatiis excitanda Basilica scripsit ad Sallustium Urbis præfectum. Gessit is præfecturam urbanam Honorio, & Evodio Coss. ut constat ex lege 18. de pictoribus Cod. Theodos. Est is annus à Christo 386. Eam tunc cœptam postea Honorius Imperator absolvit. Extant de his litteræ Valentiniani Imperat. in Biblioth. Vatic. decerptæ ab iis, qui egerunt de septem Urbis Ecclesiis. Postea autem Leo magnus Pontifex eandem Basilicam majori arcu ingentibus columnis subnixo suffulsit, exornavitque sacris picturis opere musivo compactis, quæ hactenus perseverant. De his etiam Hadrianus Papa in epist. ad Carolum magnum Imperatorem de imaginibus sic scribit: In Basilica B. Pauli Apostoli arcum ibidem majorem faciens, & in musivo depingens Salvatorem Dominum nostrum Iesum Christum, & secum viginti quatuor seniores nomine versibus decoravit, & à tunc usque hactenus fideliter à nobis venerantur. Hæc Hadrianus Papa. Ejusdem Leonis Pontificis esse videtur contestatio illa dexteræ columnæ majoris arcus incisa, & non Leonis Tertii, ut alii existimarunt, ad quos confutandos hæc pluribus scribimus. Nam Leonis I. qui vixit temporibus quartæ Synodi œcumenicæ, illud opus esse idem Hadrianus aperte testatur. Hactenus insigne monumentum tanti Pontificis integrum perseverat: musivum autem opus nonnihil sensit detrimenti in aliquibus imaginibus viginti quatuor seniorum.* Hæc Baronius in perpetuum Basilicæ S. Pauli monimentum in suis ad Mart. Notis exculpsit. [Procop. lib. 2. de Bell. Got.] [Valentiniani Imp. de Basilica D. Pauli amplificanda consilium.] [Baronius in Mart. Rom. die 28. Nov.] [Cœptam à Valentiniano Honorius absolvit.] [Leo Pontifex eandem auxit & ornavit.]

3. Et quidem istæ duæ, quæ Apostolorum corporibus illustrantur, Basilicæ, ornamenti instar, ac munimenti Romanæ Urbi jugiter extitere, nam ut Fortunatus appellat: *A facie hostili duo propugnacula*; imo veluti binæ, ut idem ait, *fidei turres in Urbe orbis capite à Deo constitutæ sunt.* Hæ quippe Urbem validissima veluti propugnacula ambiunt, & Tyberinis undis ita ab invicem sejunguntur, ut Vaticana Basilica ex una Tyberis ripa, ex altera vero Ostiensis Ecclesia Urbem respiciat, juxta id, quod jam in suis carminibus Prudentius cecinit. [Munimento pariter ac ornamento Urbi Basilicæ Apostolorum.]

Dividit ossa duum Tyberis sacer ex utraque ripa,
Inter sacrata dum fluit sepulchra. [Prudentius in Perist. hymn. 12 de SS. Apostol.]

Quantum igitur splendoris Romanis mœnibus, ac tutelaris præsidii Apostolorum sepulchra conferant, & quem sibi honoris cultum vindicet beatissimi Apostoli Pauli corpus ipse Chrysostomus illis verbis insinuasse visus est: *Nullus ex Romanis* Regi-

Regibus tanto in honore fuit, quanto unus Paulus; Imperator quidem foris alicubi jacet abjectus: hic autem Urbis medium velut vivens, & regnans tenet. Urbem igitur Romam Apostolus beatissimus suo obsequio addictam beneficiis devinxit, & cum binos quondam Roma fratres, etsi alterius sanguine polluta, fundatores murorum habuerit, geminos item Apostolos, Petrum videlicet, & Paulum, patronos atque expugnatores divino munere sortita, tranquillitatem pacis, securitatemque eorumdem auspiciis stabilitam possidet, ut ipsamet Urbs hoc inscriptionis insculpto titulo sibi jure merito gratulari possit:

Baron. to. 3. ann. 324. Grut. Inscr. pag. 1170.

Ianitor ante fores fixit sacraria Petrus,
Quis neget has arces instar & esse poli.
Parte alia Pauli circumdant atria muros,
Hos inter Roma est, hic sedet ergo Deus.

Ubinam corpus D. Pauli reconditum sit?

Enarratis hactenus & illud Lectoris venia addere nobis liceat, sub maxima hujus Basilicæ Ara gloriosissimi ejusdem Apostoli corpus conditum esse, vel si vulgatæ apud omnes traditioni innitamur, dimidiata utrorumque Apostolorum corpora, Petri scilicet, & Pauli, deposita ibidem fuisse affirmandum est.

Corpora SS. Apost. partim in D. Pauli, partim in D. Petri Basilica asservantur.

4 Porrò quod corpora sanctorum Apostolorum pro medietate, tam in hac Basilica, quam in ipsamet D. Petri tumulata extent, ipsimet inscriptionum tituli, qui adhuc leguntur, intuentibus fidem exhibent, nam ut videre est in D. Pauli Basilica, cujus mentio agitur, ad altare majus sequens inscriptio extat:

SUB HOC ALTARI
REQUIESCUNT GLORIOSA CORPORA
APOSTOLORUM PETRI ET PAULI
PRO MEDIETATE,
RELIQUA AUTEM MEDIETAS
REPOSITA EST IN ECCLESIA S. PETRI:
CAPITA VERO IN LATERANO.

Lapis in quo Corpora Apostolorum divisa fuerint.

Ad quod magis perspicue comprobandum, in Vaticana nunc Basilica lapis quidam, qui olim in Vaticanis cryptis asservabatur, recurrente An. Jub. 1650. sub Innocentio X. Pont. Opt. Max. publicæ confluentium venerationi expositus est, in quo, ut antiqua traditio fert, ipsamet Apostolorum corpora sub Silvestro Papa divisa fuere, in præmemoratis utique Basilicis tumulanda: extat autem ad lævam intrantibus juxta fontem lustralis aquæ his Longobardorum characteribus exsculptis nobilitatus.

SUPER ISTO LAPIDE
PORPHYRETICO FUERUNT DIVISA
OSSA SANCTORUM APOSTOLORUM
PETRI ET PAULI
ET PONDERATA PER B. SILVESTRUM
PAPAM
SUB ANNO DÑI. C. C. C. XIX.
QUANDO FACTA FUIT IN
ECCLESIA.

De quo lapide, ut Franciscus Maria Torrigius in cryptis Vaticanis refert, quammulti scriptores meminere: in cujus item tituli dilucidationem, ut scribit Joannes Beleth, cum sacra Apostolorum ossa ab invicem dignosci & secerni haud possent, adhibitis precibus, ac jejuniis re à Deo explorata, divinitus revelatum est, grandiora videlicet ossa B. Pauli Apostoli, minora verò B. Petri Apostoli esse: quapropter utrisque ex æqua portione pensatis à B. Silvestro Pontifice, tam sub altari Basilicæ Vaticanæ, quam sub ara Ecclesiæ D. Pauli solemni ritu recondita fuere, ibique ad hanc usque diem pio populorum concursu, ex quo phrasis illa emanasse postea noscitur, ut Vaticana Basilica, *Ad limina Apostolorum* appelletur. Verum quoniam hic sacrorum pignorum, quæ in hac B. Pauli Apostoli Ecclesia servantur, mentio incurrit, haud silentio prætereundum à nobis est, quod sub altari quidem Sanctæ Brigittæ, quod ipsi aræ maximæ proximum est, corpora sanctorum Timothei, Juliani, Basilissæ, Celsi pueri, & Martianillæ martyrum requiescunt; quæ in subterranea olim Apostoli Confessione, & S. Juliani Oratorio condita fuerant; ubi & hæc inscriptio legebatur:

Francisc. Torrigius de crypt. Vat. Lib. de div. off. c. 138.

Corpora SS. Timothei, Juliani, Basilissæ, Celsi & Martianillæ.

HIC REQUIESCUNT OSSA
BEATA SANCTORUM CELSI JULIANI
CUM BEATA
BASILISSA ET MARTIANILLA
SUPERIUS VERO
CORPUS S. TIMOTHEI MARTYRIS
SUB TARQUINIO.

Horum autem sanctorum Martyrum in diplomate Nicolai Papæ Quarti de indulgentiis eidem Basilicæ ab eodem imperitis mentio habetur.

5 In hac item sacrosancta Basilica S. Felicis Papæ Tertii corpus conditum olim fuisse Bibliothecarius ipse testatur, isthæc de eo referens: *Hic sepultus est in Basilica S. Pauli Apostoli.* Cæterum innumera prorsus in augustissima hac Basilica sanctorum Martyrum corpora requiescunt; quæ olim, dum immanis gentilium in Christianos furor grassaretur, & Christi Ecclesiam vehementius impeteret, in proximo Cœmeterio deposita fuere.

S. Felix Papa III.

6 Quod verò ad sepulchralium titulorum lapides ex eodem Cœmeterio erutos attinet, iisdem licet confractis, nec non fragmentis quoque loco dissitis, totum fere Basilicæ pavimentum satis ruditer substratum, respersumque conspicitur. Quos tamen titulos ingenti labore ac studio, ut ipse fatetur Bosius, hinc inde perscrutatus, magna ex parte ita simul composuit, ut legi, intelligique valeant. Horum hic nonnullos, insigniores præsertim, describemus, & ut optime temporum rationi, & historicæ veritati consulatur, ne quid interim errare contingat, eos in medium proferemus, qui Consulibus sunt prænotati. In media igitur Ecclesiæ navi ad lævam ingredientibus, haud longe à majori porta sequens inscriptio adhuc integra legitur:

Tituli sepulchrales è Cœmeterio Via Ostiensi.

MANDROSA HIC NOMINE OMNIUM GRATIA PLENA &
FIDELIS IN XPO EJUS MANDATA RESERVANS
MARTYRUM OBSEQUIIS DEVOTA TRANSEGI FALSI SECULI
VITAM VNIUS VIRI CONSORTIO TER QVINUS CONIVNCTA
PER ANNOS & REDDIDI NVNC DNO RERVM DEBITVM
COMMVNEM OMNIBVS OLIM & QVÆ VICXIT ANN. PL. M.
XXXIII. DP V VIIII. KAL. FEBRVARIAS CONS. AGINANTI
FAVSTI VC.

Quatuor Fausti nomine Consules in fastis.


Quatuor autem sub ipso Fausti nomine descripti in fastis Consules recitantur. Primus unà cum Gallo collega sub Diocletiano, redempti orbis anno ducentesimo nonagesimo octavo. Theodosii

alter

alter Imperatoris in Consulatu XVI. collega, anno Christi quadringentesimo trigesimo octavo. Tertius unicus fuit sub Zenone anno 488. Postremus, qui festus Avienus Junior dictus est, unicus secundum Cassiodorum; at verò, si Marcellino fidem præstare velimus, hic unà cum Longino anno 490. Consulatum iniit.

7 Si illa igitur recitata hactenus verba: MARTYRUM OBSEQUIIS DEVOTA, de his potissimum Martyribus intelligere atque interpretari quis velit, qui tunc temporis coronati fuere, & de persecutorum impetu tunc pariter contra Ecclesiam acrius desæviente, hic quidem procul dubio Consulatus Fausto, quem primo loco recensuimus, adscribendus erit: verum si ibidem mentionem fieri quis afferat de sacris Martyrum corporibus in hoc eodem Cœmeterio conditis, quibus deinde, suborta Ecclesiæ pace, devoti animi obsequia, religiosumque cultum Mandrosa præstitit; postremus utique Consul, qui absque collega à Cassiodoro recensetur, in eadem inscriptione adnotatus, fuisse subintelligendus est. Quæ quidem sepulchralis inscriptio vetustissima merito comprobatur: Pontificatus enim Felicis Papæ Tertii ibidem, nec non annus salutis nostræ 490. recitatur. Eadem in navi hæc item inscriptio insculpta marmori legitur:

...sti con... ...u sub ...cleta... ...acris ...istiano... ...persec... ...o.



Theodosii autem Consulatus tantum legitur, perfracto nimirum lapide, ea parte, ubi numerus forte adnotatus fuerat; ex Fausti tamen nomine, qui ejusdem collega fuit, cum decimumsextum Consulatum Theodosius gereret, Anastasii ejusdem obitum anno humanæ Salutis 438. septimo autem Sixti Papæ III. ipsiusque Theodosii 31. & Valentiniani 13. contigisse palam fit. Alia eadem in navi sepulchralis inscriptio:

✠ HIC REQUIESCIT IN PACE SABINUS ŪS PREF. ANN. QUI BISSIT ANNUS LIIII. ET DIES XXIIII. DP XVI. KAL. AUGUSTAS CONS. SYMM. ET BOETIO ŪC CONSS.

8 Porro verba illa: VS PREF. ANN. hac plane ratione à nobis interpretanda esse ipsemet verborum contextus suadere videtur: *Vir spectabilis Præfectus Annonæ.* Quod quidem urbanum munus in Romani Imperii notitia primo loco inter reliquos reipublicæ administratores, ac magistratus Præfecti Vrbis imperio subjectos recensetur. Cujus quidem muneris formula apud Cassiod. habetur lib. 6. Vat. ep. 18. quemadmodum de Spectabilis titulo & dignitate Jacobus Grutherius agit lib. de offic. Dom. Aug. 9. quamvis Præfecti Annonæ dignitas parum admodum in pretio esset; quippe quæ circa ea tempora jam viluisset: unde Boëthius lib. 3. de Cons. Plut: *Si quis quondam populi curasset annonam, magnus habebatur: nunc à Præfectura quid abjectius?* Symmachi verò & Boëthii Consulatus anno Domini 522. Hormisdæ 9. Justiniani Imperatoris 5. contigit. In eadem media ala alter hic sepulchralis titulus legendus exhibetur:

...efectus ...onæ, & ...offi... ...n. — ...siodorus. ...var. ... — ...therius ...off. Dom. ...g. c. 9 — ...th. l. 3. de ...s. Plut.

HIC REQUIESCIT IN PACE
DULCIS ROMULUS
QUI VIXIT ANN. IX. MENS. IX....
DEPOSITUS SUB DIE PRIDIE
ID. SEPTEMBR.
LAMPADIO ET ORESTE
CONSULIBUS.

Lampadii & Orestis Consulatus anno Christi Servatoris nostri 530. Felicis Papæ IV. 5. Justiniani 4. adnotatur. In eadem alter sepulchralis titulus tenoris ejusmodi præfertur:

LOCVS TIMOTHEI ARCHIATRI ET PAVLINÆ.

9 Verum quinam fuerint hi Archiatri, quorum mentio incurrit, ipsa vox è Græco sermone latinitati reddita edocet principes nimirum medicorum. Quapropter D. Augustin. in lib. de Cevit. Dei, Archiatrum vocat ipsum quondam Æsculapium, à gentibus Deum medicinæ, moderatorem atque arbitrum insanis delirantium hominum, fabularumque commentis vulgari existimatione creditum, ac nuncupatum. Porro in suprema Imperatoris aula, sacri Palatii Archiatri adnumerabantur; quorum Alciat. meminit in tit. C. de Comitibus & Archiatris lib. 2. qui quidem haud medicorum principes, sed ipsorummet Principum medici habebantur. Quod optime ad rem nostram Cassiodorus, Comitis Archiatrorum formulam describens, apertis verbis comprobare videtur, dum isthæc habet: *Indulgeto quoque Palatio nostro, habeto fiduciam ingrediendi, quæ magnis solent pretiis comparari. Nam licet alii subjecto jure serviant; tu rerum domino studio præstantis observa: fas est tibi nos fatigare jejuniis: fas est contra nostrum sentire desiderium, & in locum beneficii dictare, quod nos ad gaudia salutis excruciet: Talem tibi denique licentiam nostri esse cognoscis, qualem nos habere non probamus in cæteros.* Denique in Codicibus Justin. & Theodosian. de Comitibus & Archiatris sacri Palatii, nec non alibi describuntur. In eadem ala hic quoque sepulchralis titulus extat:

Archiatri. — *Augustinus l. 3. de civ. Dei cap. 17* — Archiatri sacri Palatii — *Alciatus l. 2. tit. c. de comitibus & Archiatris.* — *Cassiod. l. 6. form. 19.* — *Codices Justin. Imp. tit. 14. l. 12. Theod. tit. 16. l. 16. tit. de comit. & Archiatris Palatii.*

10 Porro

HIC PAX QVIESCET EVCARIDVS SCVT.
SCOL SECVNDQVIMIL FT VET AN P M XC IIII BIARCVS
VIXIT AN P M XXXV DEPOSITVS DIAE PRIDIAE IDVS
IVNIAS

Scutarii. 10 Porro verba illa: SCUT. SCOL. SECUND. hunc in modum interpretanda videntur: *Scutarius Scholæ secundæ* Scutarius autem dicebatur scutorum, seu clypeorum fabricator. Unde Plautus: *Id videtur ut materies suppetat scutariis.* Erant autem in Romana militia multiplicium armorum artifices, inter quos scutarii quoque adnumerabantur à Vegetio de re mil. ubi isthæc: *Habebant enim fabricas scutarias, loricarias, arcuarias, in quibus sagittæ, missilia, caßides, omniaque armorum genera tornabantur.* Variæ autem erant hujusmodi armorum scholæ, quæ à vario ac multiformi armorum genere varia item nomina sortiebantur, eædemque scholæ unum deinde contubernium conflabant, quod Falicense appellabatur. Falicensium autem in Novellis Iustiniani mentio habetur; & in Codice Theodosiano tituli quamplures extant, in quo Theodosiano Codice lege nona de civicis armis, & præcipue de hactenus memorata scutariorum schola agitur.

Plautus. — *Veget. de re mil. l. 2. c. 11.* — *Falicense contubernium.* — *Novellis Iust. Imp. 8 Cod. Theod. tit. 22. l.*

11 Illud interim lectori sciendum est, quod Biarchi olim dicebantur, administri quidam ex schola agentium in reb. qui victui in Urbe Præfecti erant ut ipsummet nomen indicare videtur: Βίος enim vitam, seu victum significat. Horum mentio fit l. 3. C. de agent. in reb. & l. ult. Cod. de off. P.P. Afric. Eorundem meminit S. Hieronymus ad Pammachium scribens. Ipsum quoque illorum munus Biarchia vocatur l. 1, C. de offic. mag. offic. inde Alciat. ad d. l. 3. de agent. in reb. Alter sepulchralis titulus in eadem Ecclesiæ ala:

Biarchi qui nam olim essent, & unde dicti. — *L. 3. c. de agen. in reb. & l. ult. Cod. de off. PP. Afric. L. 1. c. de off. mag. off.*

HIC IACET NOMINE MATRONA C. F IN PACE
VXOR CORNELI PRIMICERI CENARIORVM
FILIA PORFORI PRIMICERI MONETARIO
RVM QVE VIXIT P L M AN XXIII QVE RECESSIT
DIE MERCVRIS ORA VIII ET DEPOSITA DIE
IOVIS IDVVM MAIARVM IN CONTRA
COLVMNA VII CONS FL. HERCVLANI V.C.

12 Verum inscriptionem hanc haud in Cœmeterio, sed in ipsamet Apostoli Basilica olim extitisse, satis liquet, cum ejusdem ibi signatim locus describatur, è regione nimirum columnæ septimæ. Haud tamen prætermittendum duximus quod legitur, *Primicerius Cenariorum*, id est, *Scenariorum.* Sic enim, si nobis interpretari fas est, supplendum, legendumque existimamus, Norit interim lector, Cornel. illum, aut principem extitisse, vel certe primarium in præmemorato Scenariorum Collegio, & inter Scenarum fabricatores locum obtinuisse. Quæ quidem scenæ vox apud Græci sermonis professores non theatrales duntaxat, quas dicimus, scenas, sed pelles, & castrensia tabernacula æque significat, quæ olim è pellibus conficiebantur. Quare Paulus Apostolus, qui Scenofactoriam artem exercebat, pellio appellabatur. Hinc nobis verisimile fit, *Sinnichium* idem esse, quod modo vulgari sermone appellant *Confalone*; & quod in sacris, solemnibusque supplicationibus à nobiliorum Basilicarum clero de more erectum defertur, quasi *Sceniculum*, corrupto deinde vocabulo sonet, est enim castrensis adinstar tabernaculi. Ut autem conjectari fas est, Cornelius, de quo mentio est, ea potissimum de causa sepulturæ sibi locum pietatis, devotique animi gratia apud D. Paulum delegit; quia idem beatiss. Apostolus scenarum item artifex extiterat, quorum ipse modo veluti Primicerius digniorem præ cæteris locum obtinebat. Nonnulli verò imperitia, seu sculptorum incuria lapidi insculptum fuisse Cenariorum pro Cellariorum nomen, & hac plane ratione legendum arbitrati sunt. Horum quidem mentio agitur. l. 24. ff. de manum. test. & l. 12. c. de di. off. ac cellæ penuariæ præpositi erant: unde & cellaria pro annonis usurpata interdum legimus, ut l. ult. Cod. Theod. de off om. Jud. & apud Sulp. Sev. l. 2. hist. sacræ. Cornel. autem iste haud dubie in palatio, sive domo Cæsarum eo potissimum munere tunc temporis fungebatur, cum è vita decessit. At hic Flavii Hercul. Consul. qui à Cassiodoro unà cũ Asporatio seu Sparatio jungitur, si temporis ratio habenda est, certe anno Christi 452. S. Leonis Papæ 13. Valentiniani 28. & Marciani 5. contigit. Porro lapis, qui in ala minori ad lævam ingredientibus patet his notis exsculptus est:

Primicerius Scenariorum. — *Ars Scenofactoria D. Pauli quæ, ac qualis esset?* — *Sinnichium quid sit?* — *Leg. 24. ff. de manum. test. l. 12. c. de dir. off. L. ult. Cod. Theod. de off. om. jud. Sulpit. Sever. l. 2. hist. sacr.*

HIC REQVIESCIT IN PACE DEVS DET QI VIXET ANNVS P M XX
DEPOSITVS EST XV KAL MAIAS ITERVM POS CON PAVLINI
LC. APAT LAVRENTI QEM SI VIVO COMPARAVIT SOL. TRIS ET TRIMISSE

Quis Paulinus Consul. hoc loco sit dicendus?

13 Super quo si Fastos Consulares nobis, ut par est, consulere licet, plures utique Consules, Paulini nomine nuncupati fuere: qui verò in inscriptione nuper recitata prænotatus est, eum

fuisse

fuisse conjicimus ex aliarum inscriptionum temporibus, quas alibi lectori exhibuimus, qui scilicet unà cum Joanne Scita anno redempti orbis 398. Consulatum gessit. Quapropter cum hujusmodi inscriptio hæc sonet verba: ITERUM POST CONSULATUM PAULINI, altero nimirum post ejusdem Consulatum anno id proculdubio contigisse asserendum est, anno Christi 500. Symmachi Papæ 2. & Anastasii Imperatoris decimo. Prætere in inscriptione hac, amice lector, adnotandum est, ipsummet pretium exprimi, quo sepulturæ locus coemptus fuisse dicitur. Alia in eadem minori Constantinianæ Basilicæ ala Inscriptio ejusmodi se offert:

...tium ...o sepul- ...æ locus ...ptus est, ...di in- ...bitur.

SIMPLICIUS
EX RATIONABILIBUS VITA,
INNOCENTIAQUE OMNIBUS COGNITUS:
QUI VIXIT ANNIS XLI. MENS. VIII.
D. XXVIIII.
DEPOSITUS IN PACE DIE PRIDIE
IDUUM SEPTEMB.

14 At Rationales, de quibus hic mentio incurrit, administri erant Imperatoris; & alio item nomine, ut Alciatus de magistratibus loquens edocet, procuratores Cæsaris, procuratores fisci, & patrimonii procuratores appellabantur: qui pluribus quidem in locis Romanorum ditioni, imperioque subjectis, & in Urbe præsertim constituti erant. Quare in Cod. Theodos. tit. de Appellat. lib. 14. quoddam refertur Constantini Imperatoris rescriptum: *A. Victori Rationali Urbis Romæ.* Eorumque mentio apud Lampridium repetitur in Alexand. Jul. Capitol. in Cod. Albino, & in Gordianis, Ammian. lib. 18. & alios. In transversa autem ala prope Altare majus sepulchralis hic titulis extabat:

...ionales, ...umque ...cium. ...atus de ...gistr.

...l. Theod. de appel. l. ...mprid. in ...x. Iul. ...itol in ...l. Alb. ...Gordin. ...m. l. 18.

HIC POSITVS EST BENEMERITVS EL...
...ESTITOR IMPERATORIS QVI VIX...
...EPOSITVS DVIIII KAL. SEPTEMBR...
DOMINI HONORI AVG. VI CC SS.

Porro sextus Imperatoris Honorii Consulatus, de quo in præcitato lapide incidit mentio, anno salutis dominicæ 404. Innocentii Papæ 3. & ejusdem Honorii & Arcadii decimo contigit. In eadem transversa ala, ubi isthæc lapidi insculpta leguntur:

HIC REQUIESCIT IN PACE
CELERINUS V. D. SCRINIARIUS INL.
PATRICIÆ SEDIS
DEP. IIII. ID. NOVEMB.
QUI VIXIT ANN. XXXIII. P. L. M. DN.
PL. VALENTINIANO VII.
ET ANIENO V. CS.

15 At verba illa, quæ concisa & breviata leguntur: V. D. &c. hoc prorsus modo intelligenda arbitramur, ut plena ac consona eorundem significatio à studioso lectore hauriatur: VIR DOCTUS SCRINIARIUS INLUSTRIS PATRICIÆ SEDIS. Quod quidem Scriniarii nomen in perantiquis legalibus Imperatorum rescriptis divulgatum sæpissime reperitur, & in Justiniani præsertim Cod. & ejusdem Novellis; atque etiam in Codice Theodos. ex quibus profecto conjici potest, complures olim diversorum quidem Magistratuum Scriniarios fuisse, non fori duntaxat civilis, sed & militaris: & de iis speciales in eisdem Justiniani, ac Theodosii Codicibus tituli inscribuntur; ubi præsertim de sedis excelsæ Scriniariis agitur; de quibus pariter in Imperatorum Theodosii, & Valentiniani rescripto ad Isidorum Præfectum Prætorii sermo est, quod in eodem Cod. Theodos. tit. 1. 1. l. 6. recitatur. Scriniarii autem dicti sunt, à sacris videlicet scriniis, ubi præcipue leges, rescripta, & sacratæ Imperatorum sanctiones asservabantur: erantque ex eorum numero nonnulli Magistri scriniorum, quidam verò Principes scriniorum; de quibus pariter tituli inscripti leguntur, eorumdemque Lamprid. in Alex. meminit. Ejusmodi autem munus viri tantum doctrina insignes, & legum peritia præstantes obibant; qui assessores quodammodo, consultoresque Imperatoribus aderant, in causis potissimum, quæ ad sacram eorumdem audientiam de more discutiebantur. Quocirca, ut idem Lampridius refert, Alexander Imperator ad id munus viros apprime doctos; ac litteris optime exsculptos, & inter hos Ulpianum legum peritia ac fama notissimum, sibi delegit. At verò Consulatus, qui ad ejusdem inscriptionis calcem subnotatur, Placidi Valentiniani septimus, & Anieni anno à partu Virginis 450. Leonis Papæ 15. Theodosii Imperatoris 43. & Valentiniani 26. contigit. Insuper in eadem ala prope Sacrarium iste olim titulus legendus exhibebatur:

...iniarii, ...eorum ...inus.

L. Scriniarios c. de test. mil. l. ult. c. de castren. ære l. 12. l. scriniarios c. de numer. actu. & c. eod. lib. 12. &c. Theod l. 15. & 16 de num act lib. 14. de div. off. l. 3 de indict. tit. 3. l. 11. c. Iust. & tit. 1. l. 8. c. Theod. l. 3. de indict. c Iust, & tit. 11. lib. 6. c. Theod.

Scriniarii *Lampridius in Alexand.*

Scriniarii munus viris doctis tantum tribuebatur.

PRESBYTER HIC.... LIX IN
P.... CUJUS PURA FIDES, PROBITAS,
VIGILANTIA PONTIFICUM CLARO
PLACUIT SIC N.... POST LAPSUM
UT REPARANS VENERANDI CULMINA
TEMPLI.
HUIC ONERIS TANTI RENOVA...
DEPOSITUS VII. IDUS MAJAS,
LEONE AUG. III. MARTIUS DULCIS
VIXIT ANN. III. M. VI.

16 Verum cum hic de tecti hujus Basilicæ instauratione mentio occurrat; hoc nimirum epitaphium illius Felicis presbyteri extitisse crediderim, cui unà cum Adeodato levita à S. Leone Papa hujusce instaurationis cura injuncta fuit, ut vetus inscriptio testatur, quæ olim quidem in Basilicæ porticu, nunc verò intra eandem Basilicam his verbis legitur, nempe:

Felix presbyter instaurat tectum Basilicæ D. Pauli.

Exultate pii lacrymis in gaudia versis,
Et protectori reddite vota Deo.
Cujus sic tenuit resolutum dextera tectum,
In vacuum ut caderet tanta ruina solum.
Solum ut invidiæ princeps tormenta subiret.
Qui nullum ex ampla strage tulit spolium.
Nam potiora nitent reparati culmina Templi,
Et sumpsit vires firmior aula novas,
Dum Christi Antistes cunctis Leo partibus ædes
Consulit, & celeri tecta reformat ope.
Doctorem ut mundi Paulum plebs sancta beatum
Intrepide solitis excolat officiis.
Laus ista Felix respicit te presbyter,
Nec te levita Adeodate præterit.
Quorum fidelis atque pervigil labor,
Decus omne tectis ut redderet, institit.

Verba autem quæ in primo ejusdem epitaphii versu desiderantur, ne mutila remaneant, hunc in modum supplenda putamus:

PRESBYTER HIC PLACIDA FELIX IN PACE QVIESCIT

Quemadmodum & ea quæ tertius exhibet versus:

PONTIFICVM CLARO PLACVIT SIC NOTA LEONI.

Leo 1. Papa. Leo verò hic præmemoratus inter Pontifices hujus nominis primus merito recensendus est. Consulatum enim Leonis Augusti eodem titulo prænotatum, anno Christi 466. Hilarii Papæ 6. ejusdemque Leonis Imperatoris 10. contigisse constat, quinto propemodum à sancti Leonis Magni obitu recurrente anno. Quod autem sic se res habeat, ut præmisimus, accedit & characterum similitudo epitaphii hujus cum recitata hactenus inscriptione, & epitaphii alterius, quod hic pariter subtexitur. Adeodati nimirum levitæ, qui ejusdem Felicis in Basilicæ instauratione socius extiterat; quod confractum pariter in eadem ala legebatur:

GRATA MARIA
CORDA TVORVM
QVE RELINQVENS
RANDA FIDELIS
MQVE MARITVS
MORS TIBI SV STVLIT VLLVM
DEPOS. VIII. KAL. OCTOBR ADELF IO. VC. CONSVLE

☧ SEDIS APOSTOLICAE LEVITES SVMMVS IN ISTA
MENTE PETENS XPM MEMBRA RECONDIT HVMO
IN SIGNIS MERITIS CLARVSQVE PER OMNIA MILES
ENITVIT TANTI DIGNVS HONORE LOCI
ADEO SIC DATVS ALTARIS FVIT ILLE MINISTER
NOMEN VT AEQVARET VITA DECORA VIRI
DEPOS. VII. IDVS MAIAS LEONE IVNIORE AVG. PRIMVM CONSS

Hoc quidem lapide bina olim epitaphia continebantur, duorum scilicet, qui uno eodemque loco tumulati fuerant. Illud autem ex his, quod primo loco recensetur, alterum annorum aliquot intervallo antecedit. Adelphius consul. Adelphius etenim in Consulatu Marciani Augusti Collega fuit, anno redempti orbis 451. Leonis Magni 12. Marciani ejusdem 2. & Valentiniani Collegæ 27. Consulatus verò Leonis Augusti junioris, secundo Adeodati epitaphio inscriptus, contigit anno Christi 474. Simplicii Papæ 7. Leonis Augusti senioris 18. & ultimo, ab obitu dicti Leonis Magni annis 23. Ex quibus lector perspicue conjicere potest, præmemoratam tecti instaurationem à S. Leone hujus nominis primo, non autem à Tertio, qui sedit anno 496. ut aliqui opinantur, præstitam fuisse. In eadem transversa olim Ecclesiæ ala, eodemque lapide titulus hic legebatur:

LEVITÆ CONJUNX PETRONIA FORMA PUDORIS
HIS MEA DEPONENS SEDIBUS OSSA LOCO ❧
PARCITE VOS LACRIMIS DULCES CUM CONJUGE NATÆ
VIVENTEMQUE DEO CREDITE FLERE NEFAS
DP IN PACE III NON OCTOB. FESTO VC CONSS.
HIC REQUIESCIT IN PACE
PAULA CLF DULCIS BENIGNA GRATIOSA FILIA SS
DP... KAL. SEPT. VENANTIO VC CONSS.
HIC REQUIESCIT DULCIS MUSTELLA GORDIANUS FILIUS SS
DP V IDUS SEPT. SYMMACHO VC CONSS
HIC REQUIESCIT ÆMILIA SAC. VG DP V ❧ ID DEC.
PROBINO VC CONSS.


17 Quatuor epitaphia uni lapidi inscripta. Quatuor unus, idemque lapis legentibus inscriptiones ad varios spectantes exhibet, quos nimirum diversis temporibus eodem inferi sepulchro contigit, ut ex prænotatis ibidem Consulibus videre est. Festi namque Consulat. qui primo loco inscribitur, in annum incidit redempti orbis 472. Simplicii Papæ 5. Leonis Imperatoris 16. Artemii 6. Venantii autem in annum Christi 484. Felicis Quarti 2. Zenonis Imperatoris 11. & Odoacri Regis 9. Consulatus porro Symmachi absque Collega, in subsequentem annum 485. referendus est. In inscriptione verò Æmilianæ virginis Deo dicatæ, quæ quarto loco exponitur, sic enim interpretanda ducimus verba illa: SAC. V. id est SACRA VIRGO. Consulatus Probini

Probini cum Eusebio adnotatur, qui anno Christi 487. sub eisdem Felice Quarto, Zenone & Odoacre Consul renunciatus est. Idem verò Probinus in sequentis epitaphii fragmento recensetur, quod in eadem olim Basilica extabat, nempe:

PETRONIUS IN PACE XVII. KAL. MS.
QUI VIXIT LXVI. CONSULA....
PROBINO V.V..CC.

HIC REQUIESCIT IN P... E BIBA
FECIT BISOMUS \ACAT.

Memoria hic interim lectori repetendum est, quod Bisomus, de quo hic mentio fit, genus quoddam tumuli apud Christianos erat, bina simul continens defunctorum corpora; quemadmodum Trisomus tria; Quadrisomus verò quatuor cadavera excipiebat, ut supra lib. 1. diximus. In eadem:



POST MORTEM SI VIVIT AMOR SI GRATIA PRISCA
DURAT IN ARCANUM MENTIS ADACTA BONUM
QUAMVIS LUCTIFICUM FRATRIS TAMEN ACCIPE CARMEN
NE MALA SIT TUMULIS EXTERA LINGUA TUIS
TE NATURA PARENS OMNI DEPINXERAT ARTE
MORIBUS INGENIO CORPORE MENTE FIDE
PURUS AMICITIÆ CULTOR SERVATOR HONESTI
ELOQVIO MISEROS ❧ VEL PIETATE FOVENS
HINC EST QVOD TOTO SEMPER TE FLEBIMVS ÆVO
QVOD FVERIT JUVENI VIS TIBI MVLTA SENIS
TE GENETRIX FRATRESQVE SIMVL TE COMPARE LVCTV
PERPETVIS LACRIMIS PLANGIT AMATA DOMVS.

HIC REQVIESCIT IN PACE B M ❧ PETILIVS PROCESSIVS VS
TOGATVS IN LL PP QVI VIXIT PLM ANN XXXVIII DEPOSIT ❧ E ❧
SVB DIE VIII KAL JVN ❧ PROBO JVN. VC CONS.

Collegium Togatorum. l. 152. de Dejuri C. Theodos. 18 De Togatorum cœtu. seu Collegio in Arcadii & Honorii rescripto ad A A. Africanum Cod. Theodos. His verbis mentio habetur: *Nequis corpore Togatorum provinciales suscipiat functiones; scilicet ut ambientibus claudatur ingressus, & invitis necessitas auferatur.* De eodem Theodosii rescripto l. devotum Cod. de metatis lib. 12. & 41. relat. in Cod. Justiniani juxta Cujacii interpretationem d. l. devotum: qui Cujacius idem esse ait Togatum ac Patronum causarum. Probi autem Consulatus in præmemorato sepulchrali titulo inscriptus, in annum Redemptoris 513. Symmachi Papæ 15. & Anastasii Imperatoris 3. incidit. In monasterii atrio ex eodem Cœmeterio erutus lapis, hac inscriptione insculptus, ad hanc usque diem cernitur.

l. devotum de metatis l. 12. & 41.

SUSANNA COMPARAVIT MEMORIAM
QUIEVIT DIE VII KAL AUGUSTAR CONSS.
CÆSARIO ET ATTICO.

Porro hic Cæsarii & Attici Consulatus anno Christi 397. Siricii Papæ 13. Arcadii & Honorii Imperatorum 3. adscribendus est. In media ejusdem Basilicæ cella duo fragmenta, quæ hic quoque subjicimus, extant.

LOCVS SALLIS PONTII O'INIET FLAVI ECVS TATIE IN CRISTO
HIC REQVIESIT IN PACE INNOCENS PETRVS QVI VIXIT ANNOS
DVOS DEPOSITVS D VIII IDVS SEPTENB

IC QISCET CVTINVS IN PACE QVI VIXIT ANVS P M XXÇ MÇ DEPOSIT
ONORIO AÇVSTO C. LAVRENTIVS AMICVS DO LISI SCRIBET

In eadem cella media, hi qui sequuntur, tituli quoque existunt.

LOCVS BASILI PRESB ET FELICITATI EIVS
SIBI FECERVNT

LOCUS PUPE

XORTACI

LOCUS FILICITATES

LEUPARDUS


SE BIBU

FECIT

SABBATIUS DEP NONIS DECB
DOR IN PACE

DP STERCORES
III KAL OCT IN P.

19 Complura interim ex eodem Cœmeterio hic in medium afferenda ac recitanda essent sepulchralium titulorum fragmenta, quæ modo in ejusdem Basilicæ pavimento sparsim leguntur: sed cum in eisdem Consulum nomina desiderentur, & tempus investigando deprehendi haud facile possit, libenter omittimus, ne frustra isthæc perlegendo studiosum lectorem tædio potius, quam curiosa voluptate afficiamus. Porro ex iis, quæ hactenus recensuimus, satis liquet in hoc Cœmeterio viros pariter ac fœminas generis nobilitate, & virtutum merito præstantes humari consuevisse: cujus rei Sarcophagi nonnulli marmorei, miro artis opere ac studio elaborati, fidem faciunt, quos ibidem reperiri, alioque deinde transferri contigit; quorum exemplaria in hoc eodem Opere, nuper Italico idiomate edito, descripta atque expressa habentur, & nos hic utcunque describere haud pigebit.

Cœmeterium S. Pauli illustrium virorum sepultura clarum.

Sub Ara maxima, quæ in Ostiensis Basilicæ apside suspiciebatur, marmoreus iste Sarcophagus olim extabat, ex Cœmeterio erutus, in quo aliquot SS. Innocentium corpuscula condita fuerant, quæ unà cum eodem Sarcophago, Sixto V. Pont Max. jubente, in S. Mariæ Majoris Basilicam postmodum translata anno Domini 1586. & sub altari eisdem beatis Martyribus Innocentibus dicato, in sacello ibi ab eodem Sixto V. magnificentissimè erecto, summa veneratione recondita sunt. Sarcophagus iste altitudinis palm. 5. latitudinis 9. profunditatis quatuor, sacras historias affabre exsculptas, ac duobus ordinibus distinctas exhibet.

I. In superiori quidem parte exprimuntur imagines Christi Domini Lazarum à mortuis excitantis: & Marthæ ejusdem Christi manus deosculantis.

II. Petri, cui Dominus abnegationis culpam, quam erat subinde perpetraturus exprobrando prædicere videtur: & ejusdem Petri de admisso erroris piaculo intimum animi dolorem, tristitiamque præ se ferentis.

III. Moysis è manu Dei sacras Legis tabulas accipientis.

IV. Insculpta insuper sanctissimi Abrahæ Isaac immolare volentis imago repræsentatur, qui deinde ab Angelo vocis, ac manus ministerio prohibetur.

V. Pilati demum in Judæa Romanorum Præsidis, manus de more abluentis, dum Christum Dominum per summam injuriam morti addicit.

VI. In inferiori autem ordine cernere est ejusdem Moysis silicem virga percutientis imaginem.

VII. Christi Domini à Judæis crudeliter vincti.

VIII. Danielis in lacu leonum illæsis omnino corporis artubus demorantis.

IX. Moysis iterum sacra legum volumina populo exhibentis.

X. Zacchæi supra sicomorum existentis.

XI. Christi Domini, cæco à nativitate oculorum lumen mirabiliter impertientis: & panem unà cum piscibus ad exsaturandam famelicorum turbam divinitus multiplicantis.

Duo Sarcophagi, seu eorumdem potius fragmenta. Quorum primum quis merito dixerit alterius Sarcophagi operculum extitisse, quod nunc in mediana Basilicæ ala, haud longe ab ejusdem porta conspicitur. Est autem longitudinis palm. 9. altitudinis unius. Jonæ Prophetæ ex immani alvo ceti in lucem prodeuntis, & sub cucurbitæ umbra suaviter quiescentis historiam repræsentat. Illic verò hujusmodi inscriptio legitur:

Hic requiescit Dominus Theobaldus Episcopus Hostiensis.

Quæ tamen inscriptio vetustioris Cœmeterialis loco, quæ abrasa omnino est, superinsculpta fuisse videtur. Porro Theobaldus hic Gallus, Cluniacensis quondam monachus, in sacrum Cardinalium collegium cooptatus, & Episcopus Ostiensis à Lucio Tertio creatus, obiit die 4. Nov. an. 1188.

Alterum Sarcophagi fragmentum, ejusdem videlicet pars anterior, latitudinis palm. 9. altitudinis circiter duorum, Christum Dominum præ se fert, quendam supra montem stantem, ex quo subinde quatuor paradisi flumina emanant: ad Redemptoris autem pedes agnus, crucem in capite gestans, subsistere cernitur: utrimque verò exsculptæ sacræ BB. Apostolorum imagines adsunt, & præcipue Petri cæterorum omnium Principis, volumen quoddam explicitum è Christi manu accipientis.

Præ-

SARCOPHAGVS MARMOREVS IN COEMETERIO LVCINÆ EFFOSSVS






SARCOPHAGI DVO. É COEMETERIO LVCINÆ EFFOSSI.



+HIC REQVIESCIT DNS TEO
BALLVS EPS HOSTIHEN
SIS







Præsens Sarcophagus ex eodem Lucinæ Cœmeterio in lucem prodiit, qui apud ecclesiam S. Mariæ in monte Aventino translatus nunc visitur. Est autem hic longitudinis palm. circiter novem, profunditatis undequaque palm. 3.


I. Insculptos autem exhibet duos illos primævos fratres, Abel, & Cain sacrificium Altissimo offerentes.

II. Adam item & Evam humani seminis progenitores: nec non inter sacras hasce rerum historicarum figuras Christum Dominum.

III. In medio autem cujusdam itidem mulieris effigiem apertum manu librum tenentis præ se fert, quæ utique beatissimæ Virginis imago creditur, in qua singula adimpleta sunt de altissimo Incarnationis mysterio sacrarum Paginarum, Prophetarumque oracula.

IV. Præterea quædam hinc inde à Christo Domino edita miracula repræsentantur, uti est Paralytici lectulum super humeros deferentis: cæci lumine divinitus perfusi: Lazari pristinæ vitæ restituti.





In prima præcedentis Sarcophagi laterali parte signum illud admirandum exprimitur, quo Christus, ut famelicam hominum turbam reficeret, panes divinitus multiplicavit: cophini autem unà cum panibus cruce signatis insculpti apparent. In altera vero ejusdem parte Eliæ in cælum raptus igni currus ministerio adumbratur.

His

20 His interim ad pia antiquitatis vestigia, quæ delitescebant, studioso perscrutanda lectori, præmissis; reliquum nunc est, ut summorum Pontificum, & aliquot virorum illustrium monumenta, eorum videlicet, qui in hac Basilica conditi sunt, hic brevi sermone recenseamus.

21 Ut igitur à summis Pontificibus enarrationem aggrediamur; Paulus Papa hujus nominis Primus, æstivos urbis calores devitare cupiens, in proximum hujus Basilicæ monasterium, quod illi satis commodum, atque opportunum videbatur, secesserat; ubi lethali morbo correptus, brevi dierum spatio vivendi finem fecit, anno Christi 767. ibique conditus est: tribus vero postmodum mensibus interlapsis in Vaticanum, cæteris aggregandus Romanis Pontificibus, translatus fuit, quod Bibliothecarius in conscriptis ipsius gestis, his quidem verbis enarrat: *Hic dum in Ecclesia B. Pauli Apostoli, æstivo tempore, pro valido caloris fervore, demoraretur, corporali præoccupatus ægritudine, illic vitam finivit, ubi & sepultus est. Illicque fere trium mensium spatio humatum permansit funus. Postmodum vero congregati omnes Romani cives & aliæ nationes, ejus corpus per flumen Tyberis navicula transfretantes, ad beatissimum Petrum cum psalmodiæ honore deputaverunt.*

22 Joannes Decimustertius, qui anno humanæ salutis 972. decessit, in hac eadem Basilica devotionis gratia condi voluit; in media scilicet navi, ubi adhuc, quod sequitur, epitaphium parieti exsculptum legitur:

Epitaphium Joannis XIII.

Pontificis Summi hic clauduntur membra Ioannis,
Qui prudens Pastor persolvens debita mentis.
Istic præmonuit moriens sua membra locari,
Quo pietate Dei resolutus nexibus atris
Egregii Pauli meritis conscendat in æthra
Inter Apostolicos cælorum gaudia metat,
Gaudeat, exultet sociatus cœtibus almis.
Dicite corde pio relegentes carmina cuncti:
Christe tui famuli misertus scelera purga,
Sanguine qui sancto redemisti crimina mundum.

Hic vero summus Pontifex Ioannes
in Apostolica sede sedit
Annos vii. Depositionis ejus dies viii.
Idus Septembris, ab Incarnatione Domini
Ann. DCCCCLXXII.

23 Petrus Leo primariæ vir nobilitatis, Romanosque inter proceres satis vel ipso ex nomine conspicuus, Anacleti II. Antipapæ genitor, cum circa annum redempti orbis 1144. diem extremum clausisset, in Basilicæ Atrio, marmoreo quodam sarcophago depositus est, ejuscemodi sepulchrali titulo adjecto, quod acrosticis carminibus constat; ipsiusque nomen primo cujusque versus elemento, perlegentibus ultro indicatur.

Petrus Leo. *Baron. Annal. to. 12. an. 1144.*

PRÆTERIT UT VENTUS PRINCEPS SEU REX OPULENTUS
ET NOS UT FUMUS PULVIS ET UMBRA SUMUS
TOT TANTISQUE BONIS POLLENS PETRUS ECCE LEONIS
RESPICE QUAM MODICO NUNC TEGITUR TUMULO
VIR FUIT IMMENSUS QVEM PROLES GLORIA CENSVS
SVSTVLIT IN VITA NON SIT VT ALTER ITA.
LEGVM SERVATOR PATRIÆ DECVS VRBIS AMATOR
EXSTRVXIT CELSIS TVRRIBVS ASTRA POLI
OMNIA PRÆCLARA MORS OBTENEBRAVIT AMARA
NOMINIS ERGO DEI GRATIA PARCAT EI
IVNIVS IN MVNDO FVLGEBAT SOLE SECVNDO
SEPARAT HVNC NOBIS CVM POLVS ATQVE LAPIS.

In labro autem ipsiusmet lapidis, quo sarcophagus obserabatur, hi quoque legebantur versus:

TE PETRUS ET PAVLVS CONSERVENT PETRE LEONIS
DENT ANIMAM CÆLO QVOS TAM DEVOTVS AMASTI
ET QVIBVS EST IDEM TVMVLVS SIT GLORIA TECVM.

24 Plurimos vero præstantissimos viros in agro juxta eandem Ecclesiam humatos fuisse haud dubium est, quod tunc præsertim temporis contigit, cum intra Ecclesiæ ambitum tumulari quemquam legum præscripto veritum erat, quod jam supra de B. Petri Apostolorum Principis Basilica diximus: quamvis in præsens non absque ingenti rerum antiquarum injuria, ac detrimento pariter eorundem nomina desiderari merito quis conqueri, ac dolere possit. Attamen ex D. Gregorio, Regest. lib. 3. ep. aperte conjicitur in eodem potissimum agro sepulturæ demandatos fuisse viros utique pietate, ac religione conspicuos: quorum corpora nocturno tempore Græcos, qui in Vrbem advenerant, effodisse, & secum in Orientales plagas deferre veluti sacra Martyrum pignora tentasse idem Gregorius his verbis asserit: *Nam quidam monachi huc ante biennium venientes, nocturno silentio juxta Ecclesiam sancti Pauli corpora mortuorum in campo jacentia effodiebant, atque eorum ossa recondebant, servantes sibi dum recederent. Qui cum deprehensi, & cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt, quod illa ossa ad Græciam essent tamquam reliquias sanctorum portaturi, &c.* Ex quibus plane verbis Cœmeterium subter proximum agrum, qui extra ambitum Ecclesiæ patet, latiori spatio protensum extitisse agnoscimus. Et hæc interim de celebri B. Lucinæ Cœmeterio enarrasse sufficiat.

D. Gregor. regist. lib. 3 ep. 30.

CAP.

CAP. IV.

De Cœmeterio sanctorum Felicis & Adaucti, vel Commodillæ.

1 COemeterium, quod S. Felicis titulo nuncupatur, ab ipsomet Beato Felice, qui ibidem tumulatus est, nomen desumpsit, quamvis longe ante consummatum ejusdem martyrium, ut mox à nobis palam fiet, eodem loco Cœmeterium Commodillæ prænotatum, celebratumque nomine extiterit: quod quidem infra à nobis clarius exponendum erit. Jam igitur alibi diximus, si bene Lector meminit, cum de rebus antiqui sæculi
Fanum Via Ostiensi. Via Ostiensi studiose recolendis ageremus; eadem Via, secundo ab Urbe lapide, Fanum quoddam unà cum simulacro & ara, atque excelsa insuper arbore quondam recensitum fuisse, ad quam sanctus vir Felix Presbyter, post varia eidem inflicta
Martyrium SS. Felicis. & Adaucti. tormentorum genera, capite mulctandus à satellitibus deductus fuerat, ut in ejusdem Actis apud Mombritium legitur Tomo primo; & apud Surium Tom. 4. 30. Augúst. & prolixius in Codd. M. S. S. Petri, & S. Cæcil. &. Vallic. his plane
Sur. & Cod. M. S. S. Pet. & Vallic. verbis: *Tunc furore repletus Præfectus, jussit eum duci juxta murum Urbis Via Ostiensi ad locum, qui in secundum milliarium ab Urbe erat, & ibi eum sacrificare in eodem loco, quia illic arbor excelsa stabat, compelli fecit. At ubi S. Felix adductus fuisset in memorato loco, & nefandissimis sacrificiis in arborem vota reddere compelleretur, figens genua sua oravit.*
S. Felice orante arbor mire corruit, & aram cum idolo comminuit. *Exsurgens vero de oratione, insufflavit in arborem ingentissimam, & ait: Præcipio tibi in nomine mei Iesu Christi, ut à radicibus tuis corruas, & Templum & simulachrum, vel Aram ejus funditus comminuas, ut amplius per te animæ nullatenus decipiantur. Quæ statim ad verbum servi Dei à radicibus eversa est, & templum vel simulachrum, atque Aram ejus ita comminuit, ut nihil ex ipsis penitùs remaneret, &c.* Subtexitur vero ibidem ejus martyrii narratio, & socii pariter Adaucti certamen deinde adjungitur: *Corpora autem eorum inhumata relicta sunt; sed Christiani nocte venientes, ibi in eodem loco, in quo Arbor steterat, quia nimirum terræ altitudinem aperuerat eversio ejus, ibi eos sepelierunt. Alia vero die volentes pagani ex nimia rabie corpora eorum effodere, quicunque tentavere manus ibidem mittere, à diabolo arrepti sunt; sicque factum est, ut pœna in ædificationem S. Confessionis proficeret. Ubi postea pacis tempore Basilica fabricata est, &c.*

Ecclesia SS. Felicis & Adaucti. 2 Hoc igitur loco à Christianis in beati Felicis Martyris honorem nobilis Ecclesia erecta fuit. Sepulchrum autem à Vero Presbytero Damasi Pontificis jussu exstructum, atque ab ipsomet sanctiss. Pontifice aureis hisce carminibus exornatum est:

Epitaphium SS. Felicis, & Adaucti.
O semel atque iterum vero de nomine Felix
Qui intemerata fide contempto Principe mundi,
Confessus Christum cœlestia regna petisti;
O vere pretiosa fides! cognoscite fratres,
Antiq. inscript. in append. pag. 1171. n. 18. *Qui ad cœlum victor pariter properavit Adauctus.*
Presbyter his verus, Damasus rectore jubente,
Composuit tumulum, sanctorum limina adorans.

3 Porro hanc eandem Ecclesiam deinde à S. Leo-
S. Leo III. instaurat Ecclesiam SS. Fel. & Adaucti. *Anast. in S. Leon Papa.* ne Papa Tertio instauratam fuisse Anastasius in ejus vita testatur, dicens: *Itemque renovavit sarta tecta beati Felicis & Adaucti Martyrum, juxta sanctum Apostolum.* Ejus autem vestigia, ut multi haud improbabiliter existimant, parietinæ quædam sunt, quæ in monachorum S. Pauli vinea ibi è regione monasterii ad hanc usque diem conspiciuntur.

4 Cœmeterium vero, quamvis ab eodem Anastasio in Joannis Papæ Primi gestis, qui sedit anno salutis 523. sanctorum Felicis & Adaucti titulo appelletur his verbis: *Hic Papa Ioannes renovavit Cœmeterium Felicis & Adaucti.* Revera tamen longe *Anastas. in Ioan. I.*
ante ipsorum martyrium, ut diximus, ibidem extabat; quod apertissime ex Actis M. S. Codd. Vat. SS. Dignæ & Emeritæ
S. Cæcil. & Vallic. sanctarum Dignæ & Emeritæ comprobatur, quæ sub Imperatoribus Valeriano & Gallieno martyrium consummarunt, longe antequam Felix & Adauctus sub Diocletiano Imperatore martyrio coronati fuissent. In iis igitur sic legitur: *Quas* (Dignam nempe & Emeritam) *deponi jussit, &c. sepelierunt in Cœmeterio Commodillæ ad S. Felicem & Adauctum Via Ostiensi.* Ex quibus satis perspicue patet, ante hæc tempora ibidem Cœmeterium Commodillæ titulo nuncupatum perstitisse, ejus forte opera ac studio ædificatum, in quo venerandæ virgines effervescentium quondam persecutionum metu exagitatæ latitarunt, ut iisdem in Actis his plane verbis legitur: *Cod. Vat. & S. Cæc. Vall. 7. 10.*
Similiter & duæ Sorores nobilissimæ Digna & Emerita in antro Via Ostiensi secundo milliario juxta B. Paulum latuerunt. In iisdem autem Actis Commodillæ Cœmeterium ad sanctos Felicem & Adauctum appellatur, quia sub ea potissimum tempora, quibus scriptor hic floruit, ob eorum corpora ibi condita, hoc vulgo apud omnes nomen sortitum fuerat.

5 Porro recolenda beatarum virginum Dignæ atque Emeritæ pignora inde in Urbem translata, in Translatio corporum SS. Dignæ & Emeritæ
titulum videlicet B. Marcelli, Paulo Primo Pontifice jubente, honorifice reposita fuisse fertur in earundem Actis M. S. Cod. sanctæ Cæciliæ, à Benedicto quodam presbytero ejusdem tituli digestis, ut ex præfatione liquet his verbis: *Charissimis omnibus consacerdotibus de titulo S. Marcelli Martyris* M. S. Cod. S. Cæcil.
atque Pontificis, qui ponitur in Via lata, & cunctis servitoribus ejusdem Ecclesiæ, seu religiosis laicis, & devotis Deo fœminis, Benedictus exiguus Presbyter in Domino salutem, &c. Qui & celeberrimam earundem virginum translationem lectu quidem dignissimam prolixo sermone describit; & nos hic ex parte saltem historiam hanc recensere, velut instituti proposito satis congruam, haud abs re duximus. Hæc autem sunt verba: *Stephanus Papa* Idem ibid.
in afflictione positus propter sanctorum Cœmeteria, quæ absque Dei cultu erant, cœpit intra hanc Urbem construere in domo patris sui monasterium in honorem sanctorum Dionysii, Rustici & Eleutherii, Monasterium S. Dionysii à Stephano Papa inchoatum.
ubi sanctorum corpora reconderet. Sed dum fundamenta ipsius Ecclesiæ poneret, ab hac luce subtractus est. Tunc populi Romani communi consensu elegerunt & ordinaverunt fratrem ejus virum venerabilem Paulum. At ubi ordinatus est, perfecit atque complevit Et à Paulo ejus fratre perfectum.
monasterium, quod frater suus Stephanus inchoavit. In quo monasterio multa sanctorum corpora recondens, & perquirens diligenter sanctorum corpora per diversa Cœmeteria, & multa inventa sunt. Tunc cœpit per diversos Titulos, & Diaconias ea distribuere. Factum est autem, dum requireret corpora sanctarum Virginum & Martyrum In eo corpora SS. Dignæ & Emeritæ collocare tentat.
Dignæ & Meritæ in Cœmeterio Commodillæ Via Ostiensi ad sanctos Felicem, & Adauctum, invenit ea; & dum deferrentur Romam cum maxima veneratione & honore

nore adducens cum hymnis, & laudibus, cereis atque lampadibus, venientibus ante fores Ecclesiæ, quæ est in porticu Tituli Sancti Marcelli Martyris atque Pontificis, ibi se defixerunt, & ex loco illo penitus movere non potuerunt. Mirabilis quippe Deus, ut ait Propheta, mirabilis Deus in Sanctis suis. Ecce & hic operatus est Deus aliud novum miraculum, quod de sancta Lucia legitur, dum vellent eam trahere ad lupanar. Tanto pondere eam fixit Spiritus sanctus, ut virgo Domini immobilis permaneret. Sed istud dissimile, quia hoc ad honorem. Tunc in ipso loco prædictus Papa construens altare, & recondens in eo corpora sanctarum Virginum Dignæ & Meritæ, missaque celebrata, unusquisque cum gaudio ad propria rediit. Quod non absque Dei providentia actum est, qui prævidet, & scit omnia, antequam fiant. In quo loco multa beneficia operatur Deus quotidie usque in finem sæculi. Denique infirmi, & variis infirmitatibus oppressi, & qui ex maleficio ligati sunt, & quicunque ibidem venerint, salvi recedunt ab omni infirmitate. Hæc de recolenda SS. Virginum Dignæ & Emeritæ translatione in M. S. earundem actis recensentur.

6 Contigit autem hæc die 12. mensis Maji, ut in Rubrica eorundem Actorum initio apposita prænotatur, & ut verisimile nobis fit, anno Christi 757 primo videlicet Pontificatus ejusdem Pauli Primi, quo Bibliothecarius in ejus gestis à se conscriptis eundem Pontificem Sanctorum corpora è Cœmeteriis jam dirutis transtulisse affirmat, eodemque fere anno monasterium, de quo in ejusdem relationis textu agitur, perfecisse pronuntiat, quod primum Stephanus Papa germanus ejusdem frater in paterna domo inchoaverat; ubi nimirum Ecclesia extat, quæ S. Silvestri in Capite vulgo nuncupatur.

7 Porrò eadem beatarum virginum corpora ad hanc usque diem perhonorifice apud memoratam sancti Marcelli Ecclesiam, in porphyretica quadam arca sub altari in earundem honorem erecto asservantur. Ubi insigne quoddam portentum, æternaque concelebrandum memoria, & divina prorsus virtute præstitum Christiano orbi innotuit: anno videlicet Dominicæ salutis 1598. cum Tyberis immaniter inundans, Ecclesiam, totamque ferme Urbem immensa confluentium aquarum copia miserandum in modum obducens, beatis Virginibus honorem deferens, earum tumulum ab aquis illæsum, atque omnino illibatum reliquit: cujus portenti, ut ipsa luce clarius innotesceret, locupletes testes pulvis, & aranearum telæ, quæ ibidem, posteaquam Tyberis aquæ inundantes desierant, intuentibus suspiciendæ circa sacrum tumulum apparuere.

8 Reliquum nunc esset, ut studioso lectori ipsummet Cœmeterii locum digito præmonstraremus, sed cum de eodem quid certi vix assequi, & asseri queat, illud dumtaxat nobis conjicere licebit, hoc nimirum haud longe ab Ecclesia S. Pauli situm fuisse, ubi quædam Ecclesiæ S. Felicis, ut jam diximus, vestigia adhuc extant, cum in recensitis hactenus sanctarum Dignæ, & Emeritæ Actis secundo ab urbe milliario sita fuisse describatur, quo item ab urbe intervallo sacra B. Pauli Apost. Basilica distat.

Ecclesia [S.] Marcelli [e]undem [vir]ginum [cor]pora [hi]c asser[van]tur.

[Tum]ulum tu[m]ulus ab [inu]ndatio[ne] mire [con]servatur.

CAP. V.

De Cœmeterio S. Cyriaci Via Ostiensi.

1 SAcrum Cyriaci Cœmeterium inter alia insignia Urbis Romanæ Cœmeteria à Cencio Camerario adnumeratur lib. de Censibus, his profecto verbis: *Cœmeterium S. Cyriaci Via Ostiensi.* Et à Petro Manlio, dum de Vaticanæ Basilicæ excellentia agit, idem plane asseritur, qui insuper ejusdem nominis Ecclesiam ibi extitisse affirmat: *Cœmeterium*, inquit, *S. Cyriaci est Via Ostiensi, ubi est Ecclesia S. Cyriaci.* Verum apud alios scriptores, quos noverimus, nulla prorsus hujus Cœmeterii mentio præfertur: ejusdem vero Ecclesiæ, sub qua olim Cœmeterium extabat, sæpius Bibliothecarius ipse meminit, in gestis nimirum Honorii Papæ Primi, ubi ait: *Fecit & Ecclesiam B. Cyriaco martyri à solo, Via Ostiensi, milliario septimo, ubi & donum obtulit.* In Leonis item Papæ Tertii gestis isthæc repetit: *Immo & in Ecclesia S. Cyriaci posita Via Ostiensi fecit vela, & quadrupulo numero quinque habentia historiam Salvatoris vocantis discipulos de navi: & super sanctum altare ipsius martyris posuit vestem defundato.* Et in vita Benedicti pariter Tertii: *Item venerabilis & præclarus Pontifex fecit in Ecclesia B. Cyriaci martyris, quæ ponitur Via Ostiensi, vestem defundato unam.*

[Ce]ncius Ca[m]er. lib. de [Cen]sibus.

Petrus Manlius de Vat. Basil.

Ecclesia S. Cyriaci via Ostiensi.

Biblioth. in Honor. Papa Primo in Leone Tertio & Bened. Tert.

2 Quæ quidem Ecclesia unà cum Cœmeterio solemni ritu Deo dicata fuit in honorem beatissimi illius martyris Cyriaci, qui cum Largo, & Smaragdo; & aliis viginti sub Maximiano pro fidei confessione datis cervicibus martyrio coronatus est: quorum recolenda jugiter memoria in Martyrologio Romano iterato laudum præconio celebratur, natalis nempe 17. Kalend. Aprilis, & translationis VI. Idus Augusti: cum S. Marcellus Papa è Via Salaria eorundem corpora in Lucinæ matronæ prædium, Via Ostiensi, septimo ab Urbe lapide, transtulit, ut eorundem testantur Acta M. S. Cod. Later. Vatic. S. Petri, & Vallic. his quidem verbis: *Veniens autem sanctus Marcellus Episcopus cum Lucina Matrona Christianissima, condivit corpora sanctorum cum aromatibus & linteaminibus, & imposuit nocte in pavone cum eunuchis suis, & sustulit, unde commendata fuerant. Translata sunt cum sancto Cyriaco in prædio suo Via Ostiensi milliario ab Urbe septimo, ubi requiescunt in Sarcophagis lapideis, quos sua manu recondidit beata Lucina in pace sexto Idus Augusti.*

SS. Cyriacus, Largus & Smaragdus.

Mart. Rom. 17. Kalend. Apr. 6. idus Aug.

M. S. Cod. Lat. Vat. &c.

3 Lucina autem, cujus hic mentio incurrit, ipsamet esse creditur, quæ sacra beatorum Apostolorum corpora è Catacumbis, ut jam diximus, transferenda curavit: à Cornelii enim Pontificatu usque ad Marcellum quinquaginta dumtaxat anni interfluxere. Hæc igitur matrona pari pietate, ac nobilitate conspicua in ipso suo prædio Cœmeterium exstruxit, quod deinde beati Cyriaci titulo nuncupatum est, ibique ejusdem Cyriaci & sociorum corpora humata perstitere, donec Paschalis Papa Primus in sanctæ Praxedis Ecclesiam eadem sacra pignora transtulit: ex quo postea loco à Sergio Secundo Pont. Max. in Equitii titulum, qui hodie Ecclesia sancti Martini in Montibus nuncupatur, translata fuisse vetusta ibidem posita inscriptio testatur. Caput tamen beati Martyris Cyriaci in Diaconia sanctæ Mariæ in Via Lata unà cum aliis eorundem Sanctorum Reliquiis fidelium nunc venerationi patet: quibus Martyrologium Romanum Sexto Idus Augusti his quidem verbis adstipulatur: *Romæ sanctorum Martyrum Cyriaci Diaconi, Largi, & Smaragdi cum aliis viginti, qui in persecutione Diocletiani, & Maximiani passi sunt decimo septimo Kal. Aprilis. Eorum corpora à Ioanne pres-*

Lucina Matrona.

Translatio corporum SS. Cyriaci, Largi, & Smaragdi.

presbytero Via Salaria sepulta sanctus Marcellus Papa in prædium Lucinæ Via Ostiensi hac die transtulit, quæ postea in Urbem delata, in diaconia S. Martæ in Via Lata recondita fuerunt.

4 Et quidem verisimile admodum est, easdem venerandas martyrum beatorum reliquias in præmemoratam diaconiam è vetustissimo sancti Cyriaci Titulo translatas fuisse, qui una cum monasterio eidem proximus atque contiguus erat; cujus apud D. Gregorium in Reg. l. 9. ep. 22. fit mentio. Hac autem nostra ætate perantiquæ, ac celebris Ecclesiæ sancti Cyriaci, nec non Cœmeterii nonnulla eadem Via Ostiensi juxta Tyberim vestigia septimo propemodum ab Urbe lapide ipsas inter ruinas perscrutantibus contemplanda exhibentur.

CAP. VI.

De Cœmeterio S. Timothei Via Ostiensi.

S. Timotheus Antiochenus. 1 COemeterium, de quo nunc sermo instituitur, à B. Timotheo Antiocheno nomen desumpsit, qui Romæ sub Constantino Magno, antequam idem Imperator Christi fidem amplecteretur, & sacris baptismi aquis de more ablueretur, martyrio coronatus fuit. Ejus autem corpus à matrona quadam, Theona nomine, vel, ut quidam asserunt, Theodora, in horto quodam Via Ostiensi, prope sepulchrum B. Pauli Apostoli conditum fuit; ut conscripta ejusdem Acta, M. S. Codd. Vat. & Vall. hisce verbis testantur: *Quadam autem nomine Theon* (in Codice Vatican. Theona; in aliis, Theodora) *Christianissima fœmina non longe à sepultura beati Pauli Apostoli, ejus corpus in horto suo suscepit: quod factum omnibus Christianis valde placuit, ut hujus nominis Martyrem vicinum exciperet, qui Paulo Apostolo, ut quondam Timotheus, adhæreret.*

[Margin: Theona Matrona. — *M. S. Cod. Vat. & Vall.*]

Cœmeterium S. Timothei. 2 Ibi postmodum pia fidelium opera Cœmeterium extructum fuit, quod etsi beatæ Lucinæ Cœmeterio ita contiguum est, ut ambo simul juncta haud loco disjungi, ac secerni valeant: pars tamen illa, quæ sacrum martyris Timothei corpus continet, primævo titulo nunquam abolito, Timothei Cœmeterium appellatur; quod peramplo ipsiusmet Apostoli Pauli Basilicæ ambitu circumscribi credimus. Quocirca Honuphrius in Indiculo Cœmeteriorum Urbis, quem ipse edidit, illud ènumerans, hæc ait: *Cœmeterium S. Timothei presbyteri, Via Ostiensi, intra Basilicam S. Pauli Apostoli, in quo ipse jacet.* Et quidem indubitatum apud omnes est, ejusdem corpus in eadem requiescere Basilica. Et hæc interim de B. Timothei Cœmeterio enarrasse sufficiat.

[Margin: *Honuph. in Indic. Cœm.*]

CAP. VII.

De Cœmeterio S. Zenonis Martyris ad S. Anastasium, ad Aquas Salvias.

Aquæ Salviæ. 1 LOcus hic, qui ad Aquas Salvias communi vocabulo dicitur, ubi Apostolum Paulum Neronis jussu nobili coronatum martyrio vidimus, & ubi celebre Cœmeterium extat, de quo agimus, à Salvia illustri Romanorum familia nomen istud accepisse fertur: ex qua deinde Otho, & Julianus Imperatores oriundi fuere, & Salvius ille Julianus laudatissimus Jureconsultus, ipsius Juliani Imperatoris nepos, si Eutropio credimus. Ad eandem quoque olim familiam spectasse quidam opinantur Massam illam, quam D. Gregorius ad luminaria Basilicæ ejusdem Apostoli alenda, ac concinnanda jugiter attribuit, ut jam supra dictum est. Quo pariter loco Villam quandam extitisse traditio est, ad quam vili, abjectoque rusticorum servitio relegatam fuisse sanctissimam fœminam Marinam Gordiani Martyris Uxorem legimus in ejusdem Actis M. S. Codd. Lateran. Vatic. S. Petri, & S. Cæciliæ his fere verbis: *Uxorem autem S. Gordiani Marinam in quadam villa, quæ vocatur ad Aquas Salvias in servitio rusticorum opprimi jussit.* Apud Surium etiam; sed ibi depravatè ad *Aquas Silvias* pro *Aquas Salvias* excusum legitur. Locus enim quidam ibidem erat è jugi interlabentis aquæ stillicidio, *Gutta jugiter manans* nuncupatus: ubi gloriosissimi quondam Zenonis, ac sociorum militum haud satis unquam celebrandum martyrii certamen obtigit, quorum in Romano Martyrologio perennis est memoria his plane verbis: *Romæ ad Guttam jugiter manantem natalis sanctorum Martyrum Zenonis, & aliorum decem millium ducentorum trium.* Horum beatissimorum Christi militum ossa tanquam pretiosa latentium thesaurorum pignora, & nobilissima Christiani nominis trophæa in subterraneo oratorii cubiculo, vulgo ab omnibus *Scala Cœli* nuncupato, simul coacervata religiose asservantur, & fidelium illuc accedentium oculis conspicienda patent: quo potissimum tunc temporis translata fuisse quidam autumant, cum vetus proximum Cœmeterium temporum injuria obliteratum excidit.

[Margin: Familia Salvia. — S. Marina. — *M. M. Codd. Lat. Vat. 8. 9. & S. Cæc.* — *Surius t. 10. maji.* — Gutta jugiter manans Martyrium SS Zenonis & sociorum. — *Mart. Rom. 9. April.* — Oratorium vulgo dictum Scala Cœli.]

2 Quod quidem à fidelibus hoc potissimum loco sub deploranda debacchantium persecutionum tempora exstructum fuisse, ob recolendam jugiter Apostolici Martyrii memoriam, & ad recondendas tot triumphales beatorum millium Martyrum militum exuvias, qui ibidem quondam trucidati fuerant, haud ab aliquo in dubium revocari potest. Etsi autem in vetustioribus Martyrum Actis nulla prorsus ejusdem Cœmeterii mentio occurrat, nec quidquam apud Anastasium legatur; immo vero nec inter alia Urbis Cœmeteria à Cencio Camerario, & Petro Manlio ullatenus recenseatur. In quodam tamen Lateranensi Codice, ubi solemnis supplicatio describitur, quæ à Clero Lateranensis Basilicæ fieri consueverat quarta feria, post quartam videlicet Quadragesimæ Dominicam, ejusdem Cœmeterii expressa mentio his propemodum verbis fit: *Feria quarta in hebdomada, quando Clerici vadunt cum Cruce, stationali scilicet, per Cœmeterium ad sanctum Paulum, & S. Anastasium.* Quæ verba duplici quidem sensu accipi possunt, ut nimirum Clerus Basilicæ Lateranensis ad S. Pauli, seu Lucinæ Cœmeterium ordinatim procederet, deinde vero ad Cœmeterium S. Anastasii se conferret; vel certe ut ad præmemoratum hoc invisendum devotionis ergo de more pergeret, ita tamen ut S. Pauli Cœmeterium singuli pertransirent, & sic uno eodemque itineris contextu utraque simul, utpote quæ juncta sunt, quod credibilius videtur, ab accedentibus devotissime perlustrarentur.

[Margin: Solemnis Cleri Lateranensis supplicatio per Cœmeterium. — *Cod. Lateran.*]

3 Sacrum autem hoc Anastasii Cœmeterium ab eo nomen accepit, qui in Perside glorioso pro fide martyrio coronatus fuit; cujus beata reliquiarum pignora Romam primum translata, in celebri monasterio ad Aquas Salvias nuncupato honorifice collocata sunt. Hujusce translationis Ado ipse in suo

[Margin: Translatio corporis S. Anastasii.]

suo Martyrologio die 22. Januarii his verbis meminit: *Ad Aquas Salvias natalis S. Anastasii martyris, & monachi de Perside, qui post plurima tormenta carceris, verberum & vinculorum, quæ in Cæsarea Palæstinæ perpessus fuerat, à Persis postremo in Perside multa pœna affectus, atque ad ultimum decollatus est à Rege eorum Chosroe cum aliis septuaginta. Reliquiæ corporis ejus primo Hierosolymis ad monasterium suum, deinde Romam delatæ, venerantur in monasterio ad Aquas Salvias.* Et in Chronico isthæc: *Reliquiæ quoque beati Martyris Anastasii primo ad monasterium suum, deinde Romam advectæ venerantur in monasterio sancti Pauli Apostoli, quod dicitur ad Aquas Salvias.* Quæ singula apud Bedam iisdem fere verbis expressa recitantur.

do in Mar- rol. 22. n.

em in ron. et an. Chri- 604.

CAP. VIII.

De Martyribus Ostiensi Via coronatis, vel sepultis. De Tyberinis Ostiis, ac recolendis sacris ibidem monumentis.

1 SAne inter loca, quæ pio fidelium cultu celebranda sunt, præcipuo quodam jure Ostiensis Via, ac Ostia Tyberina, pretioso beatorum Martyrum cruore, qui ibidem uberrime effusus est, omni veneratione dignissima, & sacris eorundem pignoribus satis superque nobilitata recensentur. Ut enim de eorum gloria quid pro dignitate loquamur, sanctorum quamplurimi magno fidei ardore succensi hac eadem Via martyrium ultro subeuntes, tam sub Alexandro, seu potius Ulpiano Urbis Præfecto acerrimoque Christianorum hoste, quam sub aliis, ut infra exponetur, brevi atque expedito itineris cursu ad perennes cælestis Capitolii triumphos, cum Christo laureati pervenire.

rtyres Via O- nsi co- ati sunt.

2 Inter quos palmam merito sibi vindicat invicti illa animi, ac Romanæ nobilitatis laude præstantissima virgo Martina, quæ eodem sub Alexandro Imperatore, Ostiensi Via, decimo ab Urbe lapide, capite pro Christo obtruncata, nobile martyrium consummavit, ut in M. S. ejusdem Actis Codd. Vat. S. Petri, & sanctæ Mariæ ad Martyres his verbis legitur: *Ducta est igitur beatissima Martyr foris Romam Ostiensi Via in milliarium ab Urbe plus minus decimum, & ibi sanctum ejus amputatum est caput, primo mensis Ianuarii die; quo ipsius quotannis celebratur martyrium, sicque corpus ejus relictum est insepultum; Christianus autem quidam ad Rhetorium Episcopum, qui in conceptaculis latebat* (sive, ut alibi legitur, inter cryptas latitantem) *venit; & ei qualiter Virgo Martina suum agonem compleverat, secreto nuntiaverat. Rhetorius igitur Pontifex sumptis quibusdam fidelibus occulte Clericis & Laicis, eum, qui hoc sibi nuntiaverat, secutus est. Postquam vero ad locum, ubi sacrum corpus jacebat, ventum est, duas Aquilas, alteram caput, alteram vero corpus custodientem, invenerunt. Sanctus vero Rhetorius Episcopus, & qui cum eo venerant, fodientes pretiosissimæ Martyris sepulchrum flentes pariter & gementes, Domino Iesu Christo gratias agentes cum laudibus, quibus poterant, & aromatibus eam sepelierunt.*

Martina.

M. S. 7. S. A. S. ad rs.

3 Depositum verò beatissimæ ejusdem virginis corpus aliquandiu in ipsomet martyrii loco delituit, ubi postmodum Christi cultores pio devotionis studio permoti, in ejusdem honorem Ecclesiam exædificarunt; cujus tamen sub hæc nostra tempora nullum penitus vestigium extat. At subinde sacrum venerandumque pignus Romam translatum, in Ecclesia, quæ sub B. Martinæ titulo dicata est, juxta triumphalem Septimii arcum ad clivi Capitolini radices, una cum sanctorum Martyrum Epiphanii & Concordii corporibus, tanquam dignissimum Christianæ religionis, ac fidei monumentum, ac tutissimum Romanæ Urbis propugnaculum, reconditum est.

clesia. rtin. Via ensi.

Ecclesia S. Martinæ intra Urbem

4 Quam quidem Ecclesiam Alexander IV. summus Pontifex, qui in Petri cathedra anno redempti orbis 1200. sedit, solemni ritu consecravit, eorundemque Epiphanii & Concordii reliquias ibidem reposuit, ut in quadam lapidea tabula ad perennem ibi memoriam notis insculptis legitur: in qua tamen de B. Martinæ corpore nullum prorsus verbum exprimitur: ex quo haud temere aliquando quorundam menti suspicio obreperat, alio nimirum idem esse translatum; tum maxime, quia illud se Placentini possidere palam prædicant, ac gloriantur.

SS. Epiphanius & Concordius

5 Verum singulari divinæ providentiæ nutu contigit, ut hac nostra ætate, Urbano VIII. Pont. Max. Dei Ecclesiam regente, nono Kalend. Novembris, anno humanæ salutis 1634. sacra corpora, etsi frustra summo olim studio perquisita, tandem sub altari Confessionis ejusdem Ecclesiæ adinventa, longa post annorum curricula iterum rediviva in lucem prodierint, & sub eodem altari, loco deinde decentius ornato, & in meliorem formam redacto, reposita sint, septimo Idus Januarii anno 1635.

Inventio corporis S. Martinæ sub Urbano VIII.

6 Sub eodem Imperatore Alexandro, & Ulpiano pariter Urbis Præfecto, apud Ostia Tyberina Cyriacus Episcopus Ostiensis, Maximus presbyter, & Archelaus diaconus unà cum sociis strenue in agone pro Christo usque ad sanguinem desudarunt: de quibus in M. S. eorum Actis Codd. Later. & S. Petri isthæc leguntur: *Romulus tunc iratus jussit eos exspoliari, & fustibus cædi. Illi autem cum cæderentur, dicebant: Gratias tibi agimus Domine Iesu Christe, quia meruimus fieri socii sanctorum tuorum. Eadem hora præcepit eos adduci ad Arcum ante Theatrum* (civitatis scilicet Ostiæ) *& ibi decollari. Tunc omnes quasi ex uno ore dixerunt: Domine Deus omnipotens in pace suscipe spiritum nostrum: & decollati sunt in eodem loco. Sanctus vero Cyriacus Episcopus decollatus est in carcere; ubi jussu Romuli vicarii missus fuerat. Eusebius presbyter in specula positus, noctu collegit corpora sanctorum, & digno honore sepelivit.*

SS. Cyriacus, Maximus, Archelaus, & socii.

M. S. Cod. Lat. & Vat. S. Petri.

7 Hæc quidem omnia explicite magis in Cod. Vallic. enarrantur, ubi & de Theodoro Tribuno & Herculano Martyribus sermo subtexitur, his propemodum verbis: *Et decollati sunt in eodem loco, gratias agentes Deo: beatum vero Cyriacum jussit in custodia capite truncari. Tunc beatus Eusebius presbyter collegit noctu corpora sanctorum Cyriaci Episcopi, Maximi presbyteri, & Archelai diaconi, & cum omni diligentia sepelivit. Corpora vero sanctorum militum, qui in mare præcipitati fuerant, beatus Eusebius solicite colligens à littore maris, in campo Ostiæ abscondit; quos & sepelivit juxta Urbem in crypta Via Ostiensi, VI. Idus Augusti. Taurinum vero & Herculanum in Portu Romano abscondit. Beatum vero Theodorum Tribunum posuit myseleo suo, & omnes alios collegit, & posuit juxta corpora Sanctorum Cyriaci & Maximi sub die 10. Kal. Sept.*

SS. Theodorus & Herculanus Cod. Vall.

8 Cum vero ibidem B. Aurea gloriosum pro fide

de martyrium postridie consummasset, à S. Nonno Portuensi Episcopo, qui Hippolytus item nuncupatur, obsequentis ministerio manus sepulturæ tradita est. De qua isthæc in Martyrologio aureis litteris consignata sunt: *Apud Ostia Tyberina S. Aureæ virg. & mart. quæ saxo ad collum ligato in mare demersa est, cujus corpus ad littus ejectum B. Nonnus sepelivit.*

S. Aurea.

Martyr. 9. Kal. Sept.

9 In M.S. autem Actis Codd Lat. & Vall. nobilissimum ejus martyrium, & sepulturæ locus prolixius his verbis describitur: *Lapis magnus ligetur ad collum ejus, & demergatur in mare. Cujus corpus sanctum pervenit ad maris littus, quod B. Nonnus collegit, qui etiam Hippolytus nuncupatur, & cum omni diligentia sepelivit in prædio suo, ubi habitaverat, nono Kal. Sept.* Quod quidem prædium tantæ virginis præsentia nobilitatum, prope civitatis mœnia extitisse, & in eodem, cum ab Urbe Romana extorris ageret, lectissimam Christi virginem vixisse iisdem ex Actis colligitur, ubi id legitur: *Iratus itaque jussit eam levari à terra Claudius, vinctam catenis in Ostiam deportari cum viris religiosis, & sacris virginibus, & cum omni familia sua. Postquam autem illuc pervenit, cœpit habitare foras muros Ostiæ civitatis in loco, qui vocatur Evaristi, in prædio suo, & ibidem die & nocte jejuniis & orationibus epulabatur.*

Martyrium & locus sepulturæ S. Aureæ M.S. Codd. Lat. & Val.

10 Eodem plane loco haud longo temporis interlapsu Sabinianus quoque martyr conditus fuit; de quo in ejusdem sanctæ Aureæ Actis hæc habentur: *Tunc iratus Romulus jussit teneri quendam Sabinianum, & cœpit quærere ab eo facultates B. Aureæ, dicens: Declara nobis facultates sacrilegæ Aureæ, & adora Deos, quos adoramus. Respondit Sabinianus, & dixit: Facultates quas requiris, B. Aurea per manus pauperum in cœlum transmisit, ubi modo cum electis virginibus lætatur. Me vero scias non blandimento, non terroribus, atque tormentis idolis vestris humiliari. Habeo enim Dominum Iesum Christum, cui sacrificium meipsum offero. Tunc Romulus jussit eum in equuleo levari & torqueri; dehinc flammas ad latera ejus dari, & exuri. Quem sic Deus Martyrem fecit. Cujus corpus presbyter Concordius noctu colligens, juxta corpus Beatæ Aureæ sepelivit.* In aliis tamen conscriptis de ejusdem martyrio codicibus, eundem Sabinianum in puteum projectum fuisse narratur; & inde à S. Concordio presbytero extractum, & apud sacrum Beatæ Virginis Aureæ corpus conditum, ut in jam recitatis sanctorum Cyriaci, Maximi, & Archelai Actis M. S. Cod. Lateran. videre est, in quibus & natalitius ejusdem dies his plane verbis exprimitur: *Cujus corpus jussit in puteum jactari, quem B. Concordius noctu levavit de puteo, & sociavit B. Aureæ martyri v. Kal. Sept.*

S. Sabinianus. Act. S. Aur.

11 Celebris adhuc horum Martyrum memoria viget Tyberina apud Ostia, ubi & cathedralis extat Ecclesia dignissimo B. Aureæ dicata nomini, ejusdemque vel ipso auro pretiosioribus ditata reliquiis: quam à sancto Leone Papa III. instauratam fuisse in ejusdem Leonis Papæ gestis narrat Bibliothecarius: *Sarta vero tecta*, inquit ille, *Ecclesiæ B. Aureæ sitæ in Ostia omnia noviter reparavit.*

Ecclesia S. Aureæ ad Ostia Tyberina.

12 Eandem porro Ecclesiam nobili supplicantium cœtu solemniter comitatus S. Leo Papa Quartus adivit, atque in ea sacro altaris mysterio devote peracto, divinissimo Eucharistiæ Sacramento refecit duces Christianorum exercitus, ac milites, qui contra Saracenos præliaturi mare transfretabant, ut ipsemet Bibliothecarius in ejusdem Leonis Papæ gestis affirmat, ubi prolixo sermone victoriæ palmam non tam armis, quam precibus, è cælo divina opitulante virtute, à Christianis militibus revectam, ac profligatum eorundem Saracenorum exercitum, & usque ad internecionem mirabiliter deletum enarrat.

S. Leo Quartus.

Biblioth. vit. Leon. IV.

13 Sub eodem Imperatore Alexandro, cum sanctissimus presbyter Asterius in Tyberim, ut supra diximus, impiorum hominum manu projectus fuisset, eam scilicet ob causam, quod B. Callisti corpus sepulturæ, ut par erat, perhonorifice demandasset, ipsius postea corpus apud Ostia Tyberina inventum, quo defluentium aquarum impetu asportatum pervenerat, tumulo ibidem pio fidelium obsequio de more exceptum fuisse, ejusdem Callisti Acta M.S. Codd. S. Petri, S. Cæcil. & Vall. his verbis enarrant: *Post dies autem aliquot tenuit Alexander Asterium Presbyterum, quem præcepit per pontem præcipitari. Cujus corpus inventum est in Ostia, & à quibusdam Christianis sepultum in eadem Civitate sub die duodecima Kal. Novemb. in pace.* Reliquiæ vero beati ejusdem martyris Romam deinde à Sergio Secundo Pont. Max. translatæ in Equitii Titulo ab eodem condigno honore conditæ sunt, Bibliothecario teste in Sergii Papæ gestis, ut vetusta quoque inscriptio marmoreæ cuidam tabulæ insculpta edocet, quæ in eodem adhuc Titulo legitur.

S. Asterius.

M.S. Cod. Pet. S. Cæc. Vall.

Translatio corporis S. Asterii.

Biblioth. Sergio Pap.

14 Sub Claudio Principe priscæ nobilitatis, ac sanctitatis eximiæ virgo Romana, Prisca nomine, eadem Via Ostiensi, decimo ab Urbe milliario capite obtruncata est, eodemque primum loco venerandum ejus corpus depositum fuit, exstructa ibidem à devotis Christi fidelibus in honorem recolendæ Virginis Ecclesia, quæ perenne nobilissimi apud posteros martyrii monimentum existeret. Sacrum vero pignus Romam deinde translatum, & in Ecclesia sanctarum Aquilæ, & Priscæ, seu Priscillæ in monte Aventino, qui hodie communi, frequentique vocabulo *Sancta Prisca* nuncupatur, religioso conditum obsequio fuisse, M. S. ipsius Acta Cod. Later. legenti fidem faciunt his plane verbis: *Perducta est B. Prisca Virgo & Martyr Via Ostiensi milliario ab Urbe plus minus decimo, & ibi eam carnifices decollaverunt, & sic inhumatam dimiserunt. Tunc quidam Christianus nuntiavit hoc factum Episcopo Urbis Eutychiano, qui manebat absconsus ob nimiam Claudii persecutionem. Accedens ad locum eum ipso, qui ei nuntiaverat, invenit corpus B. Virginis & Martyris illæsum & incontaminatum. Erant custodientes illud duæ aves, quæ vulgo Aquilæ vocantur, ne ab aliqua bestia tangeretur. Episcopus vero, & qui cum eo venerant, coaptantes sepulchrum ejus, ibi eam sepelierunt.* Et paulo infra hæc de ejusdem translatione recitantur: *Passa est B. Prisca virgo, & martyr sub Claudio Cæsare, mense Ianuario, die octava decima. Pauco vero transacto tempore fabricata est illic Ecclesia à fidelibus populis, & servientes Domino ibi demorati sunt per plurima annorum curricula. Postquam autem placuit Omnipotenti Deo suæ Ecclesiæ pacem tribuere, Romanus Pontifex fecit conventum clericorum, & laicorum fidelium, & sicut ei revelatum fuit, perrexit cum ipsis ad locum, ubi B. Prisca sepulta fuerat: & illic invenientes ejus venerabile corpus, summa devotione & veneratione levaverunt illud cum hymnis & canticis spiritualibus deducentes pervenerunt usque ad Arcum Romanum, & ibi in Ecclesia sanctorum martyrum Aquilæ &*

S. Prisca.

Ecclesia S. Priscæ Viæ Ostiensis.

Ecclesia S. Priscæ in Monte Aventino. M.S. Cod. Lat.

Translatio corporis Priscæ.

& Priscæ in sarcophago miræ pulchritudinis, digno honore sanctum corpus ejusdem virginis deposuerunt. hæc ex actis.

tempo- ... anssla- ... is cor- ... s S. ... cæ quid ... ndum

15 Illud verò de B. Priscæ sepulchro adnotandum est, quo nimirum tempore Acta isthæc, quæ hactenus recitata à nobis sunt, Priscam Martyrem sepulturæ traditam fuisse perhibent, tunc illum adhuc presbyterum, seu alicujus Ecclesiæ Episcopum, non autem Pontificem Maximum extitisse. Eutychianus enim in Pontificii regiminis culmine quadriennio post Claudii obitum sedit, sub quo (ut scribitur) martyrio affecta B. Prisca, & tumulata est. Quapropter Petrus in Catalogo hanc evadere scrobem inoffenso pede cupiens, nomen Pontificis de industria subticuit, qui eandem post martyrium sepultura donavit, & ab Eutychiano Pontifice in Urbem postea translatam asserit; hæc autem inquit: *Tempore autem Eutychiani Papæ corpus B. Priscæ eidem divinitus revelatur, & locus per visionem ostenditur, ubi ipse cum clero & populo effodiens, & corpus inveniens, ipsum inde levavit, & ad Urbem deducens in Ecclesia sanctarum Aquilæ, & Priscillæ venerabiliter tumulavit.* Quod iis, quæ in conscriptis de translatione ejusdem Actis exhibentur, prorsus repugnare videtur: ibi enim dicitur, pacis tranquillitate Ecclesiæ reddita, reliquias ejusdem translatas fuisse: sub Eutychiani verò tempora, magnis Ecclesia Dei persecutionum fluctibus nullo tuta loco jactabatur, sub Aureliano nimirum Imperatore Christianorum nomini infensissimo: ob quam certe rationem ab alio tunc temporis Romano Pontifice, cujus nomen eisdem in Actis desideratur, sacrum B. Priscæ corpus Romam translatum fuisse probabilius quidem asserendum videtur.

...us in ...al. l. 2. ...6.

16 At quoniam eorum potissimum Martyrum hic memoriam recolimus, quorum triumphis locus iste illustratus est, haud silentio à nobis involvendum est, immani illa Diocletiani persecutione, quarum nulla acrior extitit, apud Ostia Tyberina sanctorum martyrum Maximi, & Claudii fratrum, Præpedignæ uxoris ejusdem Claudii, & Alexandri, & Cutiæ filiorum reliquias in mare projectas fuisse, quæ mirabiliter incendio superfuerant; quorum his verbis Ado in suo Martyrologio meminit: *Sanctorum martyrum Claudii, & uxoris ejus Præpedignæ, & filiorum Alexandri, & Cutiæ, & fratris Claudii B. Maximi, qui cum essent præclarissimi generis, agente fratre eorum Gabino presbytero, baptizati sunt à B. Cajo Pontifice Romano, & postmodum tenti sunt, jubente Diocletiano, à Iudice impio Iulio. Et Claudius quidem cum uxore sua, & filiis deportatus est in exilium: deinde incendio concremati, odoriferum sacrificium martyrii Deo reddiderunt, ac sic postmodum apud Ostiam in Rheuma jactati, quorum reliquias Christiani perquisitas, juxta civitatem sepelierunt.* Verum in Martyrologio Romano 12. Kalend. Martii eorundem beatorum martyrum reliquias in flumen, non autem in mare demersas fuisse his verbis exponitur: *Apud Ostia Tyberina sanctorum Martyrum Maximi, & Claudii fratrum, & Præpedignæ uxoris Claudii cum duobus filiis Alexandro & Cutia, qui cum essent præclarissimi generis, jubente Diocletiano tenti sunt, atque in exilium deportati: deinde incendio concremati odoriferum martyrii sacrificium Deo ipsi obtulerunt, quorum reliquiæ in flumen projectæ, & à Christianis perquisitæ juxta eamdem civitatem sepultæ sunt.* Eorumdem pariter mentio fit in præclaræ virginis ac martyris Susannæ Actis.

Maxi- ...s, Clau- ...s, Præ- ...igna, ...xander, ...Cutia.

Ado in ...rt. 18. ...r.

...rt. Rom. ...Kal. ...rt.

17 Pro Christo item strenue Tyberina apud Ostia tanquam in nobilissimo orbis theatro fortissimi athletæ Demetrius & Honorius decertarunt, de quibus in Martyrologio XI. Kal. Decemb. & alter pariter ejusdem nominis Demetrius, unà cum Honorato & Floro XI. Kalend. Jan. sub quibus tamen tyrannis eosdem gladio confici contigerit, haud exploratum est.

SS. Demetrius & Honorius.

Mart. Rom. 11 Kal. Decemb. Id. Mart. 11 Kal. Ianua.

SS. Honoratus, & Florus.

18 Hic denique locus toto Christiano orbe jure quidem merito suspiciendus, ac jugi laudum præconio celebrandus est ob præclarissimi martyris, qui eandem regionem quondam incoluit, haud satis unquam pro dignitate prædicanda meritorum exempla. Ut enim in beatorum Joannis & Pauli Actis legitur, Gallicanus ille præcipuus Romanæ militiæ dux, & postmodum laudatissimus Christi martyr, contemptis novo prorsus exemplo Consularibus infulis, ac divitiis, quibus affluebat, sæculique oblectamentis constanti animo rejectis, apud Ostia Tyberina Ecclesiam erexit, ac domum pariter religiosæ pietatis vir extruxit; ubi cum S. Hilarino degens, peregrinos omnes ac pauperes, qui illuc Urbem adeundi gratia appellebant, hospitio benigne excipiebat, & miro Christianæ charitatis affectu fovebat; quod apud Surium prolixo utique encomio his plane verbis enarratur: *Cum vellet autem privatus abscedere, rogatus ab Augustis Consul processit, & in fascibus positus, quinque millia servorum libertate donavit, & cives Romanos fecit: prædia quoque & domos eis largitus est, omnesque facultates suas, iis exceptis, quæ filiarum erant, distrahi, & pauperibus erogari jussit, manensque in Urbe Ostiensi S. viro Hilarino se adjunxit, ejusque ædes auxit ad suscipiendos peregrinos, quos permultos recipiebat. Adhæserunt autem ei multi ex servis suis, quos manumiserat, & divulgata est fama ejus per totum orbem; ita ut ab Oriente & Occidente venientes viderent virum ex Patricio & Consule, qui erat Augustis amicissimus, lavantem pedes, ponentem mensas, aquam manibus effundentem, languentibus solicite ministrantem, & cætera sanctæ servitutis officia exhibentem. Ipse primus in Ostiensi Urbe extruxit Ecclesiam, & ditavit officia clericorum.* Et paulo infra de ejusdem prædiis isthæc memorat: *Cum autem decedenti Constantino Iulianus successisset, legem is tulit, ne Christiani quicquam in hoc mundo possiderent. Porro Gallicanus in pago Ostiensi quatuor casas habebat, quarum pensiones in eos, quos diximus, conferebat usus, adeoque Dominum meruit habere defensorem, ut quicunque in eas ingrederetur ad fisci titulos constituendos, aut pensiones exigendas, statim à diabolo obsideretur, & quisquis actorum ejus esset exactor, leprosus fieret, &c.* Sed præstat nunc viri de Christiana religione optime meriti laudibus coronam imponere, ipsomet, præconio, quo idem à Romano Martyrologio his plane verbis celebratur: *Alexandriæ S. Gallicani martyris viri Consularis, qui triumphalibus infulis sublimatus, & Constantino Augusto charus, à sanctis Ioanne & Paulo ad fidem Christi conversus est: qua suscepta cum S. Hilarino ad Ostia Tyberina secedens, hospitalitati & infirmorum servitio totum se dedit. Cujus rei fama in toto orbe divulgata, multi undique illuc venientes videbant virum ex Patricio & Consule lavantem pauperum pedes, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus solicite ministrantem, & cætera pietatis officia exhibentem; qui postea sub Iuliano Apostata inde expulsus, Alexandriam perrexit; ubi cum à Ranciano judice sacrificare cogeretur,*

S. Gallicanus.

Acta beatorum Mart. Io. & Pauli.

S. Hilarinus.

Sur. to. 3. 26 Iun. in SS. Paul. & Ioan.

Prædium S. Gallicani.

Rom. Mart. 25. Iunii.

retur, & contemneret, percussus gladio Martyr effe-ctus est.

Translatio corporis S. Hilarini.

19 In eisdem autem Actis Hilarinum Aretii martyrio coronatum; & sacrum ejus corpus ad Ostia Tyberina translatum fuisse subtexitur, quod pariter Romanum Martyrologium his verbis docet: *Aretii in Tuscia natalis S. Donati Episcopi & Martyris, qui inter cætera virtutis opera, ut scribit B. Gregorius Papa, fractum à paganis calicem sanctum orando instauravit. In persecutione Iuliani Apostatæ à Quadratiano Augustali comprehensus, cum idolis sacrificare renuisset, gladio percussus martyrium consummavit. Passus est etiam cum eo B. Hilarinus monachus, cujus festivitas 17. Kalend. Augusti celebratur, quando ejus corpus ad Ostia Tyberina translatum fuit.*

Mart. Rom. 17. Kal. Aug.

S. Monica.

20 Tyberina item apud Ostia, sanctissima illa fœmina sancti Augustini dupliciter mater, Monica videlicet, cui tota Christi Ecclesia plurimum debet, dum in patriam iter parat, lethali ibidem morbo correpta, feliciter in Cælum evolavit, anno dominicæ salutis 389. quo subinde loco venerandum ipsius corpus depositum est. Cujus in Martyrologio Romano incurrit mentio 4. Non. Maji, his quidem verbis: *Apud Ostia Tyberina natalis S. Monicæ matris B. Augustini: cujus ille præclaram vitam in libro nono Confessionum testatam reliquit.* Clarissimæ autem fœminæ corpus à Martino Quinto Pont. Max. redempti orbis anno 1430. Romam solemni ritu translatum, in ejusdem beati Augustini Ecclesia perhonorifice conditum fuit: cujus item memoria in eodem Martyrologio v. Idus Aprilis hoc plane modo recolitur: *Romæ translatio corporis S. Monicæ, matris B. Augustini Episcopi, quod in Ostiis Tyberinis Martino Quinto Summo Pontifice in Urbem delatum, in Ecclesia ejusdem B. Augustini honorifice reconditum fuit.*

Mart. Rom. 4. non Maji.

Translatio corporis S. Monicæ.

Idem 5. id. Apr.

Anastasius in Constantino Magno.

21 Tandem Anastasius in conscriptis Silvestri Papæ gestis, Constantinum Magnum Imperatorem ejusdem Silvestri monitu, amplissimam ad Ostia Tyberina Ecclesiam in honorem Apostolorum exstruxisse refert; ejus autem hæc sunt verba: *Eodem tempore fecit Basilicam Constantinus ex suggestione Silvestri in civitate Ostiensi, juxta portum Urbis Romæ beatorum Petri & Pauli, & S. Ioannis Baptistæ, ubi & donum obtulit.* Alterius item Ecclesiæ ibidem in honorem beatissimorum pariter Apostolorum erectæ, & à Dono Papa instauratæ idem Anastasius his verbis meminit: *Sed & Ecclesiam Apostolorum sitam Via Ostiensi, ut decuit, restauravit atque dedicavit.* Et hæc de Ostiensis Viæ monimentis, ac de Tyberinis pariter Ostiis, quæ tot recolendæ antiquitatis vestigia exhibent, & ad perscrutandam totidem insignium martyrum memoriam manu ducunt, ac viam pariter & ostium pandunt, lectori prælibasse sufficiat.

Ecclesia Apostolorum ad Ostia Tyberina.

Anast. in Silv. Papa.

Idem.

CAP. IX.

De Cœmeteriis à Bosio Via Ostiensi repertis.

1 INgenti Bosius noster desiderio tenebatur, quippe qui, tanquam effodientes thesaurum, totus jugiter fuit in sacris antiquæ religionis, ac Martyrum memoriis perquirendis, & peculiari, ut ita dixerim, pietatis Christianæ stimulo eumdem intensius perurgente ad assequendum, perscrutandumque celeberrimum illud B. Lucinæ Cœmeterium, quod sub augustissima Apostoli Pauli Basilica; uti jam diximus, è sacro rerum historicarum promptuario extare didicerat. Quamobrem, ut præconcepti voti compos tandem evaderet, qua potissimum ratione sibi ad inferiores loci latebras aditum patefaceret, anxius secum ipse meditabatur; & cum è vastis rupium crepidinibus, quæ ipsius è conspectu Basilicæ conspiciuntur, aliquod ibidem latere Cœmeterium haud temere conjiceret, dum manum operi admovet, utpote cupidum, anhelantemque sacrarum antiquitatum indagatorem nullatenus opinio fefellit. Cum enim haud ulla interposita mora die 24. Februarii, anno Domin. Salutis 1595. villam adiisset, quæ è regione Basilicam eandem respicit, perlustrato loci ambitu, brevi interlapsu temporis, sua spe neutiquam frustratus; sub ea, quæ intuentium oculis se offert, ut jam diximus, rupe Cœmeterium excisum reperit, cujus ad ima descensus satis amplus, ac profundus prima quidem facie apparuit, tectorio desuper fornicatus, qui tamen fumo usquequaque obductus, ac denigratus fuerat. In ipso ostii limine excavata hinc inde sepulchra reperit, necnon consueto Cœmeteriorum more arculas, in quibus insculptæ quædam palmarum grandiores formæ extabant: à læva autem ipsius descensus, cubiculum seu sacellum quoddam gentilitium, quod ethnicorum forte conditorium extiterat, perscrutanti sese obtulit: haud ullum enim ibi Christianæ religionis vestigium, aut signum apparuit; in quod olim forte (ut conjicere nobis licet) Christiani Cœmeterium effodientes, inciderunt. Ulterius verò, etsi avidissimus, ipso penitus obstructo aditu, haud progredi Bosius valuit. Re tamen ejusdem Basilicæ monachis collata, cum studiosissimus vir vehementius doleret, aditum sibi ad tam insigne, quod pro sacra tunc antiquitate agebatur, negotium præcludi, hoc unum ab eisdem monachis pro responso magno sibi futurum solatio accepit; viros videlicet nonnullos per ipsummet aditum alias omnino pervium, reseratumque ad usque sanctissimi Apostoli Confessionis locum pertigisse; dum olim Sixto Quinto Pont. Max. transversæ ejusdem Basilicæ alæ instaurandæ, exornandæque sedula artificum manu opera daretur.


Cœmeter. à Bosio d[…] tecti desc[…]ptio.

2 Haud tamen hujuscemodi accepto responso animum Bosius despondit; verum inter ipsas, quæ se offerebant, difficultatum ambages indefessus, acriores præ se ferens spiritus, eandem rursus Ostiensem Viam usquequaque pervestigaturus adivit, si quem alicubi aditum ad Cœmeteria pervium offenderet, sed cum mentis propositum assequi nullatenus potuisset, mutato consilio Viam illam excurrere ac perlustrare cœpit, quæ ab ejusdem B. Apostoli Basilica ad S. Sebastiani protenditur, & dum singula lynceis oculis, ac toto animi studio explorat; en tibi ad Viæ ejusdem lævam, excavatum locum quendam juxta vineæ cujusdam sepem visu assequitur; ubi cryptam latere suspicatus, eò se quantocyus intromittit. At cum ad inferiorem loci partem descendisset, suscepti mercedem laboris, Deo adspirante, sortitus, ingentique gaudio perfusus sepulchralia hinc inde loculorum indicia, & quamplures arctas quidem, depressasque viarum semitas conspexit. Ulterius autem iter incœptum prosequenti locus amplior sese obtulit, ubi cryptæ sepulchralibus loculis

Novum à Bosio detectum Cœmeterium.

loculis refertæ, & ex his altiores quædam, nonnullæ autem depreſſiores. Recondita ibidem extabant pleriſque in locis defunctorum oſſa, quæ tamen labefactata jam fere emarcuerant. Singulas autem viarum ſemitas deinde perluſtravit, quæ haud longo protendebantur ſpatio, & quidem non eam ob cauſam, quod cæmentis, vel ruinis obſtructæ forent, ſed quoniam topho integro, quod ſemitæ adhuc interjacet, iter præcludente, ultra volentibus neutiquam progredi daretur. Hoc igitur Cœmeterium anguſtum eſt, quod brevibus viarum ſemitis viginti circiter definitur, ac circumſcribitur. Aliorum item Cœmeteriorum inſtar excisis hinc inde ſepulchris inſtructum eſt; quæ fere ſingula patentia ac disjecta, abſque ullo prorſus inſcriptionis titulo ſubſiſtunt, quamvis literulæ quædam in calce alicubi inciſæ appareant, ſed quarum ſignificationis ſenſum nemo legendo aſſequi valeat. Conſueta tamen Chriſtiani nominis ſigna ibi conſpiciebantur, hujuſmodi

[...]ſdem [...]meterii [...]criptio.



At verò cum loculum quendam clauſum ac terra penitus obrutum Boſius ſingula perſcrutando offendiſſet, ubi eum aperuit, nil aliud in eo præter exiles ac tenues conſumptorum oſſium reliquias, quæ vix quidem apparebant, admirabundus invenit. Porro Cœmeterii aditus, de quo ſermo eſt, & per quem ingrediendi via, ut ſupra, Boſio adeunti patuit, juxta nonnullorum deſcriptionem, Via Laurentina ponitur: Cœmeterium autem ad Oſtienſem Viam protendi videtur. An verò hoc celebris Lucinæ Cœmeterii, vel certe Felicis & Adaucti, aut quædam alterius pars recenſenda ſit, incompertum nobis omnino eſt. Id tamen unum perſpicue conſtat, quod idem diſcretum, ac ſejunctum ab aliis, ſuiſque contentum, ac circumſcriptum finibus apparet.

[...]mete- [...]n S.Cy- [...]i.

2 Verum his omnibus, quæ manu oculiſque aſſecutus jam fuerat, nullatenus Boſius acquieſcens, eandem rurſus Oſtienſem Viam perluſtrare excogitat, ut perantiquum ſaltem B. Cyriaci Cœmeterium, quod ipſamet Via, ſeptimo ab Urbe lapide extare didicerat, curioſius inveſtigaret. Anno igitur à partu Virginis ſexcenteſimo ſeptimo ſupra milleſimum, menſe Majo, conſtanti animo iter aggrediens, ad locum tandem pervenit, qui, ut à loci ejuſdem incolis accepit, S. Cyriaci prædium nuncupabatur. Porro hoc juxta Tyberim ſitum erat, in cujus ſiniſtro Prædii latere exiguus mons quidam, ſeu collis attollitur, ubi in jugi medio, per vetuſtæ S. Cyriaci Eccleſiæ veſtigia conſpiciuntur, & in ipſiuſmet collis ſummitate collapſorum ruinæ inſignium ac prægrandium ædificiorum conſpiciendæ exhibentur: locus verò adhuc beati Cyriaci nomen obtinet. Nullus autem, etſi omni inter perſcrutandum ſtudio adhibito, Cœmeterii aditus adinveniri potuit; adnotare tamen juxta prænominatæ Eccleſiæ ruinas licuit, Cryptam quandam calce oblinitam ſubſterni, quæ duabus columnis ſeu pilis ſuffulcitur, quadriforme in tholi medio foramen præ ſe ferentem. Quæ quidem crypta an alicujus quondam Cœmeterii pars fuerit, aut potius cubiculum quoddam colligendis in unum, conſervandiſque aquis veterum Romanorum opera atque induſtria deſtinatum, penitus latet. Quamvis, etſi aquis illam excipiendis, ſervandiſque uſui olim extitiſſe aſſeratur, nil minus obſtet, quin & eadem pariter Cœmeteriali Chriſtianorum uſui poſtmodum inſervire, eidemque adjungi potuerit. Id certum interim eſt, Cœmeterium ibidem exiſtere; ut ipſemet Boſius ſe ab ejuſdem loci incolis accepiſſe fatetur, detectos nimirum ibidem fuiſſe aliquando ſecretos quoſdam, ac abditos terræ hiatus, per quos nonnulli inferiorem terræ ſinum penetrantes, ſe quamplura defunctorum oſſibus referta ſepulchra vidiſſe teſtati ſunt, ut in aliis, quæ tot adnumerantur, Cœmeteriis quivis unus videre ac contemplari conſuevit. Et hæc de Oſtienſi Via, quæ ſanctorum martyrum triumphis atque exuviis apprimè nobilitatur, enarraſſe lectori ſatis ſit.

[...]yriaci [...]ædium.

[...]leſia S. [...]riaci.

CAP. X.

De Via Appia, atque Ardeatina, & de perantiquis earumdem monimentis.

1 JAm cœptum, ut vides, amice lector, iter proſequimur, & Urbis Romæ mœnia nobis circumeuntibus à Trigemina porta ad Capenam, quæ proxime occurrit, deveniendum eſt. Hanc verò hoc potiſſimum nomine appellatam fuiſſe auctore Solino didicimus, ab antiqua nimirum ejuſdem nominis civitate, prope Albam ſita, ad quam obvium eandem extra portam, expeditumque iter olim patebat. Quamvis Servius in illa Virgiliana carmina Æneidos lib. VII. *Lucoſque Capenos*, portam hanc à Capenis ſilvis hauſiſſe nomen affirmet. Camœnam nonnulli eandem, à Camœnarum videlicet Templo vocant, quod extra ipſam ſitum fuerat. Nunc verò communi omnium voce D. Sebaſtiani porta, à proxima ejuſdem Eccleſia nuncupatur.

Porta Capena.
Civitas Capena.
Solin. de via Ap.
Servius in l. 7. Æneid.
Luci Capeni.
Porta Camœna, & Camœnarum Templum.
Porta S. Sebaſtiani.

2 Ab hac igitur porta duæ olim Viæ, eædemque celeberrimæ protendebantur, Appia nimirum, & Ardeatina, quamvis Appia apud omnes cæteris longe celebrior habita ſit. Quapropter Stat. Silv. lib. ad Pallium, eandem merito Viarum Reginam appellat hiſcemet verbis:

Via Appia.
Via Ardeatina.
Stat. Silv. lib. ad Pal.

———— *qua limite noto*
Appia longarum teritur Regina Viarum.

3. Porro Via hæc, Appia dicta eſt ab Appio Claudio Cenſore, cognomento Cæco, qui eamdem ſtravit, atque munivit, ut Livius refert Decad. I. lib. 9. his verbis: *Et Cenſura*, inquit, *clara eo anno Appii Claudii, & C. Plautii fuit: memoriæ tamen felicioris ad poſteros nomen Appii, quod viam munivit, & aquam in Urbem duxit.* Et Cicero Orat. pro Milone: *Hæc enim ſæpè ab iſtis dicitur, perinde quaſi Appius ille Cæcus Viam munierit, non qua populus uteretur, ſed ubi impune ſui poſteri latrocinarentur.* Pomponius item Iureconſultus lib. 2. ff de orig. Iur. hujus Viæ meminit: *Poſt hunc Appius Claudius ejuſdem generis maximam ſcientiam habuit, hic Cæcus appellatus eſt. Appiam viam ſtravit, & Aquam Claudiam induxit.* Sed præ cæteris omnibus magis perſpicue S. Hieronymus de loc. Hebraic. aſſerit Appii forum, ac Romani hujus fori nomen ab Appio quondam Conſule derivaſſe, à quo & Via Appia cognominata eſt. Quamvis non abſque alicujus erroris nota ex celebri quondam oppido in Pomtinis paludibus ſito, Romanum forum derivando effingat.

Via Appia dicta ab Appio Claudio.
Livius decad. I. lib. 9.
Cic. pro Mil.
Pompon. Iureconſ. l. 2. ff. de orig. Iur.
Hier. de locis Hæbr. de act. Apoſt.

4 At quidam memoratæ hactenus Viæ à Septimii Septizonio initium ſtatuunt, aſſertionem ſuam Spartiani auctoritate obfirmantes, qui de Getæ Imperatoris

Septizonium Septimii.

Spart. in Geta.

peratoris funere loquens: *Illustratusque*, inquit, *majorum sepulchro, hoc est, Severi, quod est in Appia Via, euntibus ad portam dexteram, specie Septizonii exstructum, quod sibi ille vivus ornaverat.* Verumtamen Sextus Pompejus à Camœna porta viam hanc extendi cœpisse, his quidem verbis pronunciat: *Appia Via, & Aqua ab Appio Claudio est appellata, cujus initium est à Porta Capena.* Idipsum Julius Frontinus de Aquæd. lib. 1. asserit: *Appia*, inquit, ille, *Aqua M. Valerio Maximo & P. D. Murena Coss. anno vigesimo post initium Samnitici belli inducta est ab Appio Claudio Censore, cui postea Cæco fuit cognomen, qui & viam à porta Capena usque ad Urbem Capuam muniendam curavit.*

Sext. Pom. — *Iul. Front. l. 1. de aquæd.*

Procop. de Bell. Got.

5 Id pariter Procopius de bello Got. lib. 1. ubi ad rem nostram prolixius eandem Viam his plane verbis describit: *Tum ille via Latina exercitum deduxit, Appia ad lævam dimissa, quam Appius Romanorum tunc Censor nongentis prius jam annis construxerat, ex seque illi indiderat nomen. Appiæ viæ longitudinem quinque dierum spatio emetiri expeditus vir aliquis poterit. Ab Urbe Roma hæc Capuam pertinet: sed ea longitudine patet, ut plaustra duo ex adverso invicem occurrentia libere hac queant pervadere: & sane hæc est præter cæteras omnes Via quidem spectatu dignissima. Appius siquidem ex alia & longinqua tunc regione ut reor, excisos lapides, & hos quidem siliceos, ac suapte natura durissimos, in hanc viam vehendos curavit: quos complanatos, & leves postea redditos, quadratosque circumcidendo factos, invicem collocavit, metalli nihil, vel rei alterius interserendo. Sunt autem ita connexi, & inter se tam valide condensati, ut speciem præ se ferant visentibus non compactos esse, sed natura sic editos. Et quamvis diuturno hi tempore atterantur, plaustrisque frequentibus, & quibusvis animantibus continenter pervii sint, suo tamen ex nexu ne parumper quidem discedunt, vel comminuti franguntur, nec sui quicquam amittunt nitoris.* Quæ quidem studiosa artificum manu elaborata lapidum connexio, & quam hactenus à Procopio descriptam excepimus, nostra hac etiam ætate pluribus ejusdem Viæ locis intuentium oculis exploranda, ac admiranda pariter exhibetur. Nec verò Capuam dumtaxat, ut idem ait Procopius, sed Brundusium usque post Appii Claudii tempora, Via hæc protendebatur, Strabone teste lib. 5. ubi isthæc habet: *Hoc in loco mari adjungitur Via Appia, strata à Roma usque Brundusium.* Et Horatius epist. 19. ad Soll. lib. 1.

Appiæ viæ longitudo. — *Quam accurate Via Appia olim strata?* — *Strabo l. 5.* — *Horat. ep. 19.*

Brundusium Numici melius Via ducat, an Appi.

Tacitus quoque lib. 2. & Sex. Aur. de Vir. Illustr. c. 34. Horatianis carminibus adstipulatur.

Tac. lib. 2. Sextus Aurel. de vir. Illust.

6 Cæsar quoque Viam eandem stravit, atque munivit, dum Curatoris ejusdem Viæ officio fungeretur, in qua ingentes illum pecunias prodegisse Plutarchus in eodem asserit, & hic proculdubio Viam, de qua sermo est, Capua Brundusium usque produxit. At subinde Viam Appiam, ac milliarios ejus lapides Imperatores Vespasianus, Nerva, & Trajanus præcipue, ut ex inscriptionibus, cæterisque monumentis constat, instaurarunt. A Domitiano quoque Imperatore Viam hanc pristino decori restitutam fuisse, & Domitianam ab eodem pariter nuncupatam nonnulli existimarunt; sed, ut veritati locus sit, omnimode ab Appia, Domitiana Via sejuncta est, quæ Sinuessa Puteolos usque per Linternum ducebat, & tota ferme integra adhuc extat. Plurimum quidem urgere videtur, quod de Herculis Templo, Via olim Appia octavo ab Urbe lapide sito commemorant, ubi statua Imperatori Domitiano erecta fuerat, qui altius delirando, Herculis ejusdem nomine usurpato sibi, insano olim gentilium ritu colebatur, ac si Appiam Viam, de qua modo agitur, Domitianus straverit, quemadmodum olim Hercules, ac pari ratione, sicut jam illa Herculea dicebatur, sic ista Domitiana nuncupanda esset. Porro de memorato Herculis Templo Martialis agit lib. 9. Epigr. 48.

Cæsar Viam Appiam stravit, & munivit. — *Plutarc. in Aug.* — *Via Domitiana.* — *Templum Herculis.* — *Statua Domitiani Via Appia.* — *Via Herculea.* — *Mart. lib. 9. epig. 48.*

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus Latiæ dat nova Templa Viæ.
Qua triviæ numerosa petit dum regna viator,
Octavum Domina marmor ab Urbe legit.

Et eodem lib. Epigr. 50. isthæc inserit:

Mart. lib. 9. epig. 50.

Alcide Latio nunc agnoscende Tonanti
Postquam pulchra Dei Cæsaris ora geris, &c.

Epigrammate etiam 80. hæc canit:

Appia quam simili venerandus in Hercule Cæsar,
Consecrat Ausoniæ maxima fama Viæ.

Verumenimvero præterquam quod nullam hic Martialis de Domitiano Imperatore mentionem facit, ac cæteris Augustis Viæ hujus instauratoribus aptari cuncta valeant; ob statuæ illius dedicationem, quæ in Herculis Templo peracta est Domitiano Imperatori, irrepsisse existimaverim immane illud, quo in præceps ferebatur, divinos videlicet honores insano mentis ambitu æmulandi desiderium.

7 De eodem quoque Herculis Templo idem Martialis meminit, dum Sacerdotum Deæ Cybelis ritus in Horatiorum Campo, Capenam extra portam peragi consuetos recenset, lib. 3. Epig. 36. ex quibus hæc accipe:

Horatiorum Campus. — *Sacerdotes Cybelis.* — *Mart. lib. 3. epigr. 36.*

Capena grandi porta, qua pluit gutta,
Phrygiumque matris almo, qua lavat ferrum
Horatiorum qua viret sacer campus,
Et qua pusilli fervet Herculis fanum.

Consueverant insuper, qui sacerdotio initati fuissent, quotannis die 27. Martii, ejusdem Cybelis simulachrum in rivulo quodam abluendum solemni pompa deferre. Haud procul ab eadem porta Capena, qui hodie vulgo *Acqua d'Accio* nuncupatur, ab Atti forsitan ejus amasio. In eisdem enim aquis lustratum fuisse, cum olim primum è Phrygia idem simulachrum Romam adveheretur, antequam intra Vrbis portam loco consisteret; quod totum suis eleganter carminibus Ovidius Fast. lib. 4. describit:

Simulacrum Cybelis. — *Acqua d'Accio.* — *Ovid. Fast. lib. 4.*

Est locus in Tyberim, qua lubricus influit Almo
Et magno nomen perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam sacraque lavat aquis.

Et hæc infra:

Ipsa sedens plaustro porta est invecta Capena,
Sparguntur junctæ flore recente boves.

Lucianus item Pharsal. lib. 1. isthæc habet:

Lucan. Pharsal. lib. 1.

Et lotam parvo revocant Almone Cybellem.

Claudianus quoque de bello Gildonico hæc recitat:

Claud. de bello Gildon.

Prælatosque lavas Phrygios Almone Leones,
Maternis precibus natum jam flecte Cybelle.

Et Valerius Flaccus 8. Argon.

Val. Flacc. Argon.

Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo.
Lætaque jam Cybele, &c.

8 De eodem solemni festo, & de celebri simulachri ejusdem ablutione plura apud Ammianum Marcellinum habentur lib. 23. Herodian. in Commodo

Solemnitas, & ablutio simulacri Cybelis.

modo lib. 1. Vib. Sequestr. de numinibus, & præcipue apud S. Augustinum de Civit. lib. 2. cap. 4. ubi vanæ superstitionis deliramenta, profanamque hujuscemodi gentilium vesaniam deridens, hæc ait: *Cælesti virgini & Berecynthiæ matri Deorum omnium, ante ejus lecticam, die solemni lavationis ejus, talia per publicum cantitabantur à nequissimis scenicis, qualia non dico matrem Deorum, sed matrem qualiumcumque Senatorum, vel quorumlibet honestorum virorum, immo verò qualium nec matrem ipsorum scenicorum deceret audire.* Videas ex hoc uno, amice lector, qua ratione Deos olim suos gentilitas coleret, quorum sacra execrandis turpitudinibus, atque obscenitatibus referta præter ipsum nomen haud quidquam sacri redolerent, quinimmo, *cum nullum sit sacrum, quod suum non habeat sacrilegium*, ut Seneca aliquando pronuntiavit, gentilium sacra cum tot obscenarum rerum portentis redundarent, sacrilegia potius, quam sacrificia jure merito appellanda à nobis, & detestanda insuper esse videntur.

9 Complura item templa inanibus Diis, eaque magnificentissimo instructa opere Via olim Appia à gentilitiæ superstitionis hominibus erecta suspiciebantur, inter quæ illud celeberrimum fuit, quod Deo Marti à Sylla, dum Ædilis adhuc officio fungeretur, supra centum columnas miro artis opere exædificatum fuerat; cujus sæpe sæpius in sacris Martyrum Actis, & præcipue sanctorum Cornelii & Stephani Pontificum mentio occurrit. Stephanus enim Papa Imperatoris jussu illuc, ut immolaret, perductus, exporrectis Deo precibus, illico ædificium illud (ut acta exhibent) magna ex parte evertit: quod sanctissimus item Pontifex Sixtus Secundus, cum ad illud ipsum Templum immolandi gratia raptus fuisset, divinitus præstitisse legitur.

10 Cicero quoque epist. 23. lib. 4. ad Quinctum fratrem ejusdem Templi meminit, hæc dicens: *Romæ & maxime Appia ad Martis mira proluvies.* Servius item Virgiliana illa carmina Æneid. lib. 1. exponens:

Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus.

Duo Romæ Martis Templa olim extitisse affirmat, alterum intra Urbis mœnia, quod Martis Quirini nuncupabatur; alterum verò extra mœnia, hoc scilicet, de quo nunc sermo incurrit, & quod Martis Bellatoris, seu Gradivi titulo vulgo appellatum est. Ejusdem quoque meminit Livius Decad. 1. lib. 7. qui & hoc insuper portentum refert, Martis videlicet simulachrum, quod ipsamet Via Appia colebatur, madidum quondam sudore Cn. Servilio & C. Flaminio Coss. visum fuisse. Ipsius item Templi prope Capenam portam, & Tempestatis quoque Templi eadem Via Appia à M. Marcello exstructi, eo quod tempestatis obortæ, ac certum imminentis naufragii discrimen, dum in Corsicam adnavigaret, evasisset, Ovid. meminit Fast. lib. 6. cujus hæc sunt carmina:

Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra
Appositum tectæ porta Capena Viæ.
Te quoque Tempestas meritam delubra fatemur,
Cum pene est Corsis obruta classis aquis.

11 Idem autem M. Marcellus alia duo Templa Via eadem Appia exædificavit, unum videlicet Honori, Virtuti alterum: quorum apud Livium mentio fit Decad. 3. l. 7. Plutarch. in Marcello, Valerium Max. lib. 1. cap. de Religione, Lact. Firm. de falsis relig. lib. 1. cap. 20. & præcipue apud Augustinum de Civitate Dei, ubi sapidum corundemmet gentilium vana ipsa inter commenta mysterium, quod præ se ferre volebant, acute ad rem nostram adnotavit; nimirum haud cuiquam in Templum Honoris patere ingressum, nisi prius rerum præclare gestarum meritis suffultus per Virtutis ædem conscendat. En quomodo Romani, etsi adhuc gentilium moribus detenti, dum publicæ rei, ac civium bono consulunt, honoris ambitu calcarium instar suorum animos ad virtutem incitare satagebant.

12 Porro quod Templa hæc, quorum meminimus, ad Capenam portam extiterint, idem Livius affirmat Decad. 3. lib. 9. dicens: *Ædem Virtutis eo anno ad portam Capenam M. Marcellus dedicavit septimodecimo anno postquam à patre ejus primo Consulatu vota in Gallia ad Clastidium fuerat.* Publ. etiam Vict. & Sext. Ruf. eadem Templa in regione Capenæ portæ describunt: & magis perspicue idem confirmat Ascon. Pedianus ab Honuphrio in Rom. & Mart. lib. 5. c. 27. relat. qui insuper addit, eadem Via Lucum, seu Fanum Camœnarum à M. Fulvio Nobiliori ædificatum extitisse; ubi ille, ut Plinius ait in Histor. natural. L. Attii Poëtæ statuam prægrandem collocavit; quamvis Attius statura quidem pusillus fuisset. Ejusdemque Camœnarum Fani Publ. etiam Victor meminit Reg. 1. Porrò Camœnarum cultum eadem Via Appia ab antiquis temporibus solemnem, ac lucum seu silvam à Numa Pompilio Romanorum Rege eisdem dicatam fuisse; ubi quoque fons erat, Ægeriæ nuncupatus, Livius Decad. 1. lib. 1. apertis verbis testatur, hæc dicens: *Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua: quo quia se persæpe Numa sine arbitris, velut ad congressum Dei, inferebat, Camœnis eum lucum sacravit, quod earum sibi consilia cum conjuge sua Ægeria essent.* Hunc verò Fontem nunc Caffarellam vulgo appellant, qui secundo ab Urbe lapide distat.

13 Sed Ovidius hanc eandem silvam in Aricina valle, ut & ipsum fontem describit Fast. lib. 3.

Nympha monememori, stagnoque adoperta Dianæ,
Nympha Numæ conjux ad tua festa veni.
Vallis Aricinæ silva præcinctus opaca
Est locus antiqua relligione sacer.

Et infra:

Defluit incerto lapidosus murmure rivo
Sæpe, sed exiguis haustibus inde bibit.
Ægeria est, quæ præbet aquas Dea grata Camœnis,
Illa Numæ conjux, consiliumque fuit.

Sed haud longe ab Urbe Juvenalis quoque eumdem statuit, dum Sat. 3. Judæi illum locatum fuisse dolet:

Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam,
Hic ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ,
Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Iudæis, quorum cophinus, fœnumque supellex,
Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, & ejectis mendicat silva Camœnis,
In vallem Ægeriæ descendimus &c.

Eadem pariter Via Appia insigne illud Bonæ Deæ Sacrarium situm fuit, apud quod à Milone olim Publium Clodium interfectum fuisse Cic. orat. pro Milone testatur. At ædificium illud ab Urbe longius dissitum erat, inter Bovillas scilicet & Albanum. Eandem extra portam Capenam Rediculi Fanum extitisse Sextus Pompejus his plane verbis scribit:

Val. Max. l. 1. c. de rel. Lact. Firm. l. 1. de fals. rel. c. 20. Aug. de Civ. D. l. 5. c. 12.

Livius decad. 3. lib. 9.

Publ. Vict. & Sext. Ruf. Mart. l. 5. c. 27.

Lucus, & Fanum Camœnarum. Plin. Hist. nat. l. 34. c. 5

Publ. Vict. Reg. 1.

Fons Ægeriæ.

Liv. Dec. 1. lib. 1.

Vallis Aricina. Ovid. Fast. lib.

Lucus, & Fons Camœnarum Judæis locatur. Iuven. Sat. 3

Ars & exercitium Judæorum.

Sacrarium Bonæ Deæ. Cic. orat. pro Milone.

Fanum Rediculi.

Sext. Pomp. ver. Rediculi.

scribit: *Rediculi Fanum extra portam Capenam fuit, quia accedens ad Urbem Annibal, ex eo loco redierit, quibusdam perterritus visis.*

14 Præter tot insignia Idolorum Templa, quæ gentilium cultui patebant, & hucusque à nobis recensita sunt, alia quoque recolendæ antiquitatis monumenta Via eadem Appia suspiciebantur. Nam in primis prope Martis Templum Petra quædam Manalis vulgo dicta extabat; de qua isthæc Sextus Pomp. habet: *Manalem etiam lapidem vocabant Petram quandam, quæ erat extra portam Capenam, juxta Ædem Martis; quam cum propter nimiam siccitatem in Urbem protraherent, insequebatur pluvia statim, eumque, quod aquas manaret, Manalem lapidem dixere.* Hæc ille. Vides qua ratione effictis, ementitisque interdum rerum progidiis, ipsis dæmon gentilibus, dum causam prompta manu assequi non valent, illuderet.

Petra Manalis. Sext. Pomp. ver. Manalem lapidem.

15 Juxta portam item Capenam aqua olim decurrebat, quæ Mercurii dicebatur; qua nimirum aspergi mercatores consueverant ad eluenda (risum quæso teneas ò Lector) si quæ forte perjuria inter ipsa negotiorum commercia admisissent. Hujus autem aquæ Ovid. meminit Fast. lib. 5. dicens:

Aqua Mercurii. Ovid Fast. lib. 5.

Est aqua Mercurii portæ vicina Capenæ,
Si juvat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator, & urna
Purus suffusam, quam ferat, haurit aquam.
Uda fit hinc laurus: lauro sparguntur ab uda
Omnia, quæ dominos sunt habitura novos:
Spargit & ipse suos lauro rorante capillos,
Et peragit solita fallere voce preces.
Ablue præteriti perjuria temporis, inquit,
Ablue præterita perfida verba die, &c.

Circus Antonini Caracallæ.

16 Quoniam verò singula Romanæ antiquitatis vestigia in studiosi lectoris gratiam recensemus, haud silentio hic obvolvendum est, non longe à D. Sebastiani Ecclesia hac nostra adhuc etiam ætate Circi cujusdam ruinas inspici, quæ solidis usquequaque muris ambiuntur, ubi portæ, ac metarum vestigia apparent: perfractus item Obeliscus, notisque insculptus Ægyptiacis ibidem cernitur. Quem quidem Castrensem olim Circum ab Antonino Caracalla constructum fuisse, antiquitatum Urbis scriptores affirmant: & Raphael Volaterr. hunc ipsum Prætorianis militibus ad exercenda militiæ studia usui fuisse arbitratur: ibi enim & Prætoria quondam castra, teste Blondo & Marl. extitere, quorum reliquiæ sunt, ut nobis quidem credere par est, quæ adhuc supersunt eumdem prope Circum ruinarum moles: ubi & subterraneum quoddam ædificium fornicibus obductum adhuc extat, visu quidem dignissimum.

Raphael Vol. Castra Prætoria. Blond. lib. 2. num. 87. Marl. l. 7. c. 17.

Obeliscum Ægyptium ex Circo Caracallæ in Agonalem Innocentius X. transfert.

17 Porro ne recolendum hoc tum Ægyptiacæ, tum Romanæ antiquitatis monumentum, quod longa temporum injuria disjectum, ipsa inter rudera cernebatur, posthac neglectum inculto, ut videre est, loco jaceret, subsideretque, Innocentius Decimus Pont. Max. rei antiquariæ, patriæ ipsius, ac rerum publicarum princeps amantissimus, haud ullis parcens sumptibus, Obeliscum hunc Ægyptiacum inde in Urbem hac nostra ætate transferri voluit, ibidemque ex Antonini Caracallæ Circo in ipsiusmet Circi Agonalis umbilico, nobili, basis instar, substructa mole, statuis multipliciter, ac fontibus conspicua, ut uno, eodemque tempore opus, quod invida temporum vetustas disjecerat, cumulatius restitueret, & recurrente Jubilæi anno MDCL. & Urbis, & ipsius antiquitatis decori prospiceret, magnificentius aliorum obeliscorum more erigendum, statuendumque curavit.

18 Plurima interim Via Appia virorum illustrium, ac familiarum sepulchra adnumerantur, quorum Cicero in suis potissimum Tusculanis quæstionibus meminit: *An tu,* inquit, *egressus Porta Capena cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulchra vides, miseros putas illos?* Et in Orat. pro Archia, Ennium Poëtam in Scipionum sepulchro conditum fuisse h[is] quidem verbis asserit: *Charus fuit in Africano superiori noster Ennius. Itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus è Marmore.* In eodem quoque Scipionum sepulchro tres numero statuas erectas fuisse, nempe ejusdem Ennii, Publii, & Lucii, Livius tradit Decad. 4. lib. 8. hæc dicens: *Romæ extra Portam Capenam in Scipionum monumento tres statuæ sunt, duæ P. & L. Scipionum dicuntur esse, tertia Poëtæ Q. Ennii.* Idipsum in suo Chron. Eusebius affirmat, qui insuper idem sepulchrum primo ab Urbe lapide extitisse subjungit.

Plurim[a] veteru[m] sepulch[ra] Via Ap[pia]. Cic. in Tuscul. Sepulch[ra] Calatin[i] Scipion[um] Servilio[rum], Metello[rum]. Id. orat. Archi[a]. Statuæ sepulch[ro] Scipion[um]. Livius 4. lib. 8. Eusebius Chronic.

19 Probe jam recensita Honoris & Virtutis templa, Marcelli olim monumentum conspiciebatur, ut Asconius in not. ad Orat. in Pisonem his verbis testatur: *M. Marcellus cum statuas sibi ac patri, itemque avo poneret, monumentis avi sui ad Honoris & Virtutis Ædem subscripsit* III. *Marcelli novies Coss. fuerat autem avus quinquies, pater semel, ipse ter. itaque neque mentitus est, & apud imperitiores patris sui splendorem auxit.* Præterea, ut idem Asconius refert, juxta Urbis mœnia sepulchrum Basilii situm erat: *Via,* inquit *Appia est prope Urbem monumentum Basilii, qui locus latrocinii fuit perquam infamis.* Et Cornelius Nepos in Pomponii Attici gestis, ipsum Pomponium sepultum fuisse ait in sepulchro Q. Cæcilii avunculi sui eadem Via Appia. Hæc autem sunt verba: *Elatus est in lecticula, ut ipse præscripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. Sepultus est juxta Viam Appiam ad quintum lapidem in monumento Q. Cæcilii avunculi sui.*

Monim[en]tum Marcelli. Ascon. in not. ad C. in Pison. Monim[en]tum Basi[lii]. Sepulchrum Cæcilii. Corn. N[ep.] in vit. Att.

20 Via autem Appia sepulchrum Horatiæ, unius è Curiatiis sponsæ, extitit, quæ ab Horatio fratre suo ibi interfecta est, ut Livius Decad. 1. lib. 1. his verbis affirmat: *Horatiæ sepulchrum, quo loco corruerat icta, constructum est saxo quadrato.* Eadem pariter Via nono ab Urbe lapide Gallienus Imperator, & Severus Cæsar commune sepulchrum sortiti sunt: de quibus hæc Sext. Aurel. Victor Augustæ Hist. cap. 35. *Severus ab Herculio Maximiano Romæ ad tres Tabernas extinguitur, funusque ejus Gallieni sepulchro infertur, quod ab urbe abest per Appiam millibus novem.* M. Tullii quoque, & aliorum ejusdem nominis sepulchra juxta Viam Appiam sita olim fuisse Marl. ex compluribus eorundem sepulchralibus titulis ætate sua ibidem repertis testatur.

Sepulchrum Horatiæ. Livius Decad. 1. lib. Sepulchrum Gallieni Imp. & Severi Cæs. Sext. Aur. Vict. Sepulchr[a] Tullio[rum]. Marl. lib. c. 17.

21 Tandem Via hæc à Porta, quæ Capena dicitur, Albanum versus progrediendo, nobilissimis passim sepulchris referta conspicitur; quorum pleraque in ædicularum ac turrium formam affabre quondam exstructa fuisse apparet: verumtamen ornamentis nunc penitus destituta sunt. Ex his autem omnibus unum dumtaxat adhuc integrum superest, haud procul ab Ecclesia Divi Sebastiani, sphærica quidem forma exædificatum, quod vulgo *Caput bovis*, à bovum videlicet craneis eidem

Caput Bovis.

eidem sepulchro insculptis, appellatur, ubi ejuscemodi inscriptio grandioribus notis exsculpta legitur:

CÆCILIÆ. Q. CÆCILII. F.
METELLÆ CRASSI.

Porro Cæcilia, cujus hic mentio agitur, filia Q. Metelli fuit, qui ob devictam Cretam, Cretici cognomentum ingenti laude promeruit: eademque Crassi illius omnium ditissimi uxor extitit.

ia Ardeana.

Sed ut à sepulchris ad vias orationis stylum convertamus; Appiæ, quam hucusque celebravimus, Ardeatina adjacet Via, à dextris nimirum per Capenam portam hactenus memoratam exeuntibus. Hoc autem potissimum nomine ab Ardea veteri Rom. colonia in Latio posita ad quam hæc via ducebat, nuncupata est. Ardeatina olim Via inter secundum ac tertium ab urbe lapidem aquæ rivus decurrebat, quæ Retricis appellabatur: cujus ipse Cato meminit in oratione, quam habuit de censura Fulvii Nobilioris apud Sext Pompejum, verbo Retricibus: *Retricibus cum ait Cato in ea, quam scripsit, cum edissertavit Fulvii Nobilioris censuram, significat aquam eo nomine, quæ est supra Viam Ardeatinam, inter lapidem secundum & tertium, qua irrigantur horti infra Viam Ardeatinam, Asinariam usque ad Latinam.*

rdea Romanorum colonia.

quæ Retricis rivus. ...to orat. censur. ...lv. ...xt. Pomp. Retricib.

22 At verò Ardeatinæ hujus Viæ ethnicos apud scriptores nullam prorsus memoriam superesse hucusque comperimus. In sanctorum verò Martyrum Actis de ea fit sæpesæpius mentio; & ex iisdem hanc Appiæ contiguam fuisse liquido probatur. Celeberrimum enim Callisti Cœmeterium, quod Via Appia extare apud omnes notissimum est, in iisdem aliquando Actis Via Ardeatina reponitur, ut suo infra loco enarrabimus. Hoc ipsum plane ex pervetusto quodam sepulchrali lapide comprobatur, qui secus viam in eo prorsus loco repertus est, ex quo ab Ecclesia S. Sebastiani ad S. Pauli Basilicam itur, ubi ab intermedia via, quam nonnulli Ardeatinam esse opinantur, intersecatur, vel potius dividitur. Est autem hujuscemodi sepulchralis inscriptio:

emeterium Calli...

D. M.
M. AURELIUS DOMITIANUS SE VIVUS
EMIT, ET COMPARAVIT LOCUM,
VIRGINEM A SOLO FECIT SIBI,
ET LIBERTIS, LIBERTABUSQUE
POSTERISQUE EORUM
ITEM BEBIÆ PARTHENOPE
CONJUGI SANCTISSIMÆ IN FRONTE
PEDES P.M.XVI. IN LATUS PEDES XVI.
ITEM IN LATUS IN VIA ARHEATINA
RESPICIENTE LONGU PEDES
P. M. XXIIII. ET LATU PEDES X.
V.H.M. EX H.N.S.
M. AURELIUS STASIMUS LIB. COEPTUM
A PATRONO SUO CONSUMMAVIT
SIBI ET SUIS. QUOD SI QUIS POST
OBITUM MEUM VENDERE,
AUT DONARE VOLUERIT. INF.
AN. PONT. FF. L. N.

Et hactenus de pervetustis ethnicorum monumentis, quæ apud præmemoratas Vias olim suspiciebantur. Nunc de sacris beatorum martyrum à nobis sermo subtexendus est; quibus eædem Viæ veluti margaritis auro intextis, magis conspicuæ ac illustriores redduntur, ac de Cœmeteriis præsertim, ut cætera omittamus, quæ in earumdem Viarum ambitu passim continentur, studioso religiosæ antiquitatis indagatori nonnulla prælibanda sunt.

CAP. XI.

De celebri Callisti Cœmeterio.

1 PErantiquum sane, ac præ cæteris celeberrimum Callisti Cœmeterium, secundo ab Urbe lapide, Via Appia situm est. Quod à B. Callisto Pontifice olim exstructum ac pariter denominatum fuisse, ipsemet Anastasius in conscriptis ejusdem gestis innuere videtur, ubi isthæc ait: *Et fecit aliud Cœmeterium Via Appia, ubi multi Sacerdotes & Martyres requiescunt, quod appellatur usque in hodiernum diem Cœmeterium Callisti.* Sed ex eodem Anastasio hoc ipsum longe ante Callisti tempora extitisse, eodemque nomine appellatum fuisse satis aperte convincitur. Ille enim gloriosa ac recolenda sanctorum Pontificium Aniceti, & Soteris gesta enarrans, qui longo quidem temporum intervallo Callistum præcessere, eosdem in Cœmeterio Callisti conditos fuisse describit; & de Zephyrino item ejus prædecessore agens, de Cœmeterio eodem his verbis mentionem facit: *Qui etiam sepultus est in Cœmeterio suo, juxta Cœmeterium Callisti.* Ne autem minus sibi constans Anastasius videatur, hic nobis repetendum est, quod diligenter alibi adnotavimus; ab eodem nimirum peculiari quadam loquendi formula verbum *fecit*, pro verbo *instauravit*, satis frequenter usurpari, quod apud eumdem sæpissime inter legendum videre est. Callistus igitur Pontifex non quidem, ut nonnulli perperam arbitrantur, Cœmeterium hoc exstruxit, sed potius instauravit, quod ab ipso postmodum Anastasio, cæterisque scriptoribus ob instaurationem videlicet, quam ipse omnium novissimus aggressus fuerat, vulgo Callisti Cœmeterium nuncupatum est.

Anast. in Callisto.

Cœmeterii Callisti vetustas.

2 Quisnam verò primus illud exstruxerit, incompertum adhuc remanet. Veruntamen ex actis B. Stephani Papæ, à Lucina matrona omnium nobilissima initium habuisse conjicitur. In iis enim sanctissimum eumdem Pontificem Stephanum, post disjectum divinitus Martis templum, in Lucinæ protinus Cœmeterium secessisse legitur; ubi sermone ad populum, qui convenerat, habito, ac incruento altaris sacrificio peracto, ab Imperatoris satellitibus, qui missi illuc fuerant, capite obtruncatus, in ipsamet Crypta, quæ Cœmeterium Callisti nuncupatur, pia obsequentium manu sepultus fuit. Sed ipsamet Actorum verba in medium afferre præstat, quæ ab Adone quoque in suo Martyrologio die 2. Augusti recitantur: *Tunc B. Stephanus*, inquit, *ductus à militibus foras muros Appiæ portæ ad Templum Martis, levatis in cælum oculis, coram omnibus dixit: Domine Deus Pater Domini nostri, qui turrem confusionis in Babylone destruxisti, destrue nunc & hunc locum, ubi diabolica superstitione per Idolorum culturam animæ pereunt populorum. Et statim factus est fragor tonitrui cum terroribus coruscationum, & corruit maxima pars Templi sacrilegi. Quod cernentes milites, pavefacti fugerunt, dimiseruntque B. Stephanum cum omnibus Christianis, qui simul perrexerant. Eadem verò hora B. Stephanus Episcopus pergit cum omnibus Christianis ad Cœmeterium S. Lucinæ, & multis consalutationibus omnes secum profectos alloquitur, ut nullis terroribus pertimescerent, vel ne forsitan aliquibus promissionibus Tyrannorum desererent coronam martyrii præparatam, dicens: Memores esse debemus Dominum nostrum*

Lucina Matrona Cœmeterio Callisti prima initium dedit.

Act. S. Steph. Pap. Mart. Adon. Cod. Vat. 4. S. Petr. C. Val. 1. Martyrum Stephani PP.

Iesum Christum dixisse: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potestatem habet corpus & animam mittere in gehennam. His atque hujusmodi exhortationibus bonus pastor suis ovibus Christi sanguine acquisitis pascua ministrabat. Post hæc obtulit sacrificium Deo omnipotenti. Audiens igitur Valerianus quæ gesta fuerant, ac de Templi eversione; & quia esset maxima cum Stephano multitudo Christianorum, missi sunt plurimi prioribus militibus; qui venientes invenerunt B. Stephanum sacrificium Domino offerentem: quique intrepidus & constans ante altare solemnia & jugiter cœpta perficiens, in eodem loco sic in sua decollatus est sede, sub die quarta Nonarum Augustarum: factusque est ibidem maximus Christianorum planctus, tali Pastore cum gloria martyrii præmisso ad cælestia regna. Cujus corpus sepeliverunt in eadem crypta cum ipsa sede, ubi adstans sanguis ejus effusus est, in locum, qui appellatur hodie Cœmeterium Callisti, ubi requiescit in pace. En peculiaris Romanorum Pontificum gloria, qui apostolicam sedem sacro purpuream cruore reddiderunt, dum intra Urbis Romæ Cœmeteria, sacrum inter altaris sacrificium, ac sedem, veluti in suo throno constituti, triumphantium instar, coronam martyrii glorioso mentis ambitu accepere.

Unum, & idem Lucinæ, ac Callisti Cœmeterium.

3 Ex enarratis igitur satis dilucide, ut opinor, constat, idem prorsus Lucinæ, & Callisti Cœmeterium esse, cum hoc ipsum, quod prius Lucinæ, postea verò Callisti titulo nuncupetur. Verba autem illa: *Qui appellatur hodie Cœmeterium Callisti*, plane innuunt, quæ supra jam diximus, ipsum videlicet Cœmeterium Lucinæ olim, postmodum verò Callisti nomine insignitum fuisse: quapropter recitata à nobis hactenus Anastasii verba haud absolute, sed per prochronismum accipienda sunt. Lucina autem, quæ huic potissimum Cœmeterio nomen indidit, matrona illa nobilissima creditur, ut & probabiles nobis conjecturæ suadent, quæ sub ipsamet Apostolorum tempora vixit, eorundemque in Urbe Roma sectatrix, antiquum sanguinis splendorem cum fidei nobilitate conjunxit. Hæc, inquam, piissima fæmina nobile Via Aurelia Cœmeterium exstruxit, & Via pariter Ostiensi in suo prædio Beatissimi Apostoli Pauli corpus honorifice condidit, ibidemque celebri in Christianæ religionis & Christi Martyrum obsequium Cœmeterio exstructo, suum eidem insuper nomen indidit. De qua isthæc Romano in Martyrologio prid. Kalend. Julii recensentur: *Romæ S. Lucinæ Apostolorum discipulæ, quæ de facultatibus suis sanctorum necessitatibus communicans, Christianos in carcere detentos visitabat, ac Martyrum sepulturæ inserviebat, juxta quos & ipsa in crypta à se constructa sepulta est.* Id ipsum de eadem fæmina apud Adonem, & Petrum in catalog. nobili inscripto elogio enarratur. Cum verò Lucinæ ejusdem, quæ de Ecclesia optime merita est, reliquiæ Callisti Cœmeterio illatæ describantur, ut veritati nil penitus obstet, per cryptam, quam ipsamet splendide primum exstruxit, & ubi itidem tumulata quiescere dicitur, Callisti dumtaxat Cœmeterium subintelligi haud quid absurdum, & à veritatis tramite alienum computandum est.

Lucina Matrona.

Cœmeterium Lucinæ.

Mart Rom.

Ado & Petr. de natal. catal. l. 6. c. 27.

4 Negotium tamen Lucina altera facessere videtur, cujus à nobis supra mentio repetita est, quæ beati Cornelii Papæ tempore floruit, & Apostolorum corpora ad loca, è quibus sublata fuerant, ejusdem Pontificis opera religioso cultu transferenda curavit. A qua nimirum ipsiusmet B. Cornelii corpus suo in prædio, juxta Callisti Cœmeterium conditum fuisse, idem Anastasius in Cornelii gestis affirmat, dum ait: *Cujus corpus noctu collegit B. Lucina cum clericis, & sepelivit in crypta juxta Cœmeterium Callisti, Via Appia, in prædio suo.* Et in conscriptis pariter ejusdem Pontificis actis milites viginti & unum conditos ibidem fuisse subtexitur: necnon beatum martyrem Cerealem unà cum Sallustia ejus uxore, qui omnes cum ipso Cornelio Pontifice eadem Via Appia ante Martis Templum pro Christi nomine datis cervicibus gladio consummati fuerant. Hæc autem eisdem in Actis hunc in modum recitantur: *Hoc audientes ministri, qui missi fuerant, decollaverunt B. Cornelium, & milites viginti unum, & Cerealem cum uxore sua 18. Kal. Oct. Eadem nocte venientes clerici cum B. Lucina & familia ejus, rapuerunt corpora sanctorum, & sepelierunt ea in agro ejusdem Lucinæ, in crypta juxta Cœmeterium Callisti; ubi hodie eorum orationibus petentes beneficia consequuntur.* Ubi verò dicitur, *in crypta juxta Cœmeterium Callisti*, ut etiam apud Bedam & Adonem die 14. Septemb. videre est; Petrus in Catalog. lib. 8. cap. 77. absolute legit, videlicet, *in Cœmeterio Callisti*: ex quibus profecto studiosus sacrarum antiquitatum lector conjicere ultro potest, Cœmeterium, de quo nunc sermo incurrit, ab hac juniore Lucina ipsum, quod præ se fert, nomen ac titulum traxisse: quæ quidem piissima fæmina longe post Apostolorum tempora vixit. Verum cum idem Cœmeterium, ut jam probavimus, Aniceti quoque, & Soteris Pontificum ævo (ut historiales perhibent paginæ) extiterit, qui centum & amplius annos Cornelium præcessere, nulla, inquam, ratione à juniore hac matrona initium, ac nomen pariter desumpsisse asseri à quoquam potest.

Prædium Lucinæ matronæ.

Anast. in Corn. Pap.

SS. Cerealis, Sallustia, & xxi milites.

Acta S. Corn. Pap.

Beda & Ado die 14. Sept. Petr. de Nat. in Catal. l. 8 c. 77.

5 Porro hujusce difficultatis nodus facili negotio solvitur, si, quod alibi exposuimus, in mentem revocetur; Cœmeteria nimirum Ostiensis Viæ, itemque Appiæ à Lucina illa seniore Apostolorum discipula, sub ipsismet Apostolorum temporibus extrui primum suis in prædiis cœpta fuisse: quæ subinde, si à juniore ejusdem forte familiæ, & paris proculdubio pietatis, ac nobilitatis fæmina in ampliorem formam redacta fuisse quis dixerit, haud improbanda in re tantæ ambiguitatis probabilis hujus assertionis conjectura videbitur. Saniori tamen aliorum judicio id explorandum ac definiendum relinquitur: id unum nobis interim comprobasse satis est, Cœmeterium videlicet, de quo agimus, longe ante ipsius Callisti tempora, cujus nomen obtinet, extitisse.

Plures eodem nomine Lucinæ matronæ.

6 In sacro hoc igitur & perantiquo Cœmeterio sanctissimi quique Pontifices, dum acerba persecutionum vis recrudesceret, impiorum hominum sævitiam, atque improbitatem declinantes, delituere: ubi Christianis unà simul convenientibus, immaculatam Deo hostiam offerre, divinas laudes persolvere, sacra exercere munia, cœtus cogere, Episcopos quoque solemni ritu consecrare, & id genus alia frequenter obire consueverant. Quapropter beatos Faustinum, & Jovitam ipsa inter Martyrum sepulchra in Catacumbis commorantem, latitantemque Romanum Pontificem Telesphorum adiisse, ibidemque Calimerum Mediolanensem Episcopum ab eodem sacris

Pontifices in Cœmeteriis delitescunt.

Et sacra in eis munia obeunt.

S. Telesphorus Papa.

S. Calimerus.

S. Cod. sacro de more infulis insignitum fuisse in M.S. eorundem Actis Cod. Later. his quidem verbis legitur: *His peractis omnibus, juxta sermonem Domini, ad locum, qui ad Catacumbas dicitur, usque pervenerunt; ibique B. repererunt Episcopum Telesphorum inter sepulchra sanctorum martyrum propter metum paganorum latitantem, qui dixerunt ad eum: Benedictio Domini cum spiritu tuo beatissime Pontifex, &c.* Et infra isthæc enarratis subtexuntur: *Denique beati Martyres clara voce locuti sunt ei: Nos quoque Dominus ac Redemptor noster ad te usque direxit, ut fratrem nostrum Calimerum ordines Episcopum, eumque ad urbem Mediolanensem dirigas. Audiens hæc B. Telesphorus, magno repletus gaudio, beatorum Martyrum sancta adimplevit monita; consecravit eum, & ad urbem Mediolanensem juxta præcepta Martyrum direxit, ut ibidem Christiani populi Pastor existeret.* Hucusque recensita à nobis Acta, in quibus tamen aliquis circa Pontificis nomen error irrepsit. Telesphorus enim Pontifex ante annum centesimum quadragesimum secundum nullatenus in Petri cathedra sedit, ut aperte ex Baronio Ann. tom. 2. anno supracitato constat. Faustinus vero & Jovita Martyres, quorum mentio hic est, anno Christi 122. juxta Baronii sententiam martyrio jam coronati fuerant. Idcirco in actis, quæ à Surio fideliter describuntur, ipsius nomen Pontificis haud exprimitur.

7 In easdem item cœmeteriales cryptas, dum acrius persecutorum adversus Dei Ecclesiam rabies desæviret, sanctissimum quoque Urbanum Pontificem ad latitandum se recepisse, & illuc à B. Virgine Cæcilia sponsum, quem Christo lucrifecerat, Valerianum salutari abluendum Baptismate directum fuisse in ejusdem S. Cæciliæ Actis his verbis legitur: *Vade in tertium milliarium ab Urbe via, quæ Appia nuncupatur: illic invenies pauperes à transeuntibus alimoniæ petentes auxilium, de his enim mihi semper cura fuit, & optime hujus mei secreti sunt conscii: hos tu dum videris, dabis eis benedictionem, dicens: Cæcilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi sanctum senem Urbanum, quoniam ad ipsum habeo ejus secreta mandata, quæ perferam.* Et isthæc infra: *Tunc Valerianus perrexit, & secundum ea signa, quæ acceperat, invenit sanctum Urbanum Episcopum, qui jam bis confessor factus, intra sepulchra Martyrum latitabat.* In his demum Actis Valerianum, & deinde Tiburtium, ab eodem beatissimo Pontifice sacro ibidem fonte baptismatis expiatos fuisse enarratur. Extat ad nostram hanc usque diem intra ejusdem Cœmeterii ambitum fons quidam, ex quo limpidissimæ jugiter emanant aquæ, & variis languoribus detentos dum refovent, salubritatem, quam ex sacrorum usu ministeriorum hausere, ut experimento sæpius comprobatum est, eis mirabiliter impertiuntur, cujus rei plerique, & nos ipsi dum sacrum hoc aliquando Cœmeterium perlustraremus, oculati aliquando testes fuimus; fons autem iste, qui inter veneranda beatorum martyrum sepulchra placide fluit, & usui quondam antiquorum Christianorum inservivit, tantum inde salubritatis hausit, ut qui olim animis, nunc corporibus Dei virtute curandis suppetere valeat.

8 Sed his obiter recensitis, ut ad nostra redeamus, in Act. B. Stephani Pap quæ supra à nobis recitata sunt, eundem notæ sanctitatis, atque invictæ constantiæ Pontificem in hoc Cœmeterio Missas celebrasse, Christianorum cœtus peregisse, & vivificam insuper Eucharistiam transmittere absentibus consuevisse narratur: quod Tarsicio acolytho eam deferenti, martyrii pro Christo subeundi occasionem præbuit; hæc enim leguntur: *Alia enim die, nimirum post martyrium S. Stephani Papæ, invenerunt milites paganorum acolythum nomine Tarsicium, Christi corporis sacramenta portantem, quem tenentes pagani, atque discutientes quid gereret, indicaret. At ille indignum judicans porcis prodere margaritas, nequaquam voluit detegere sacrosancta mysteria, quem fustibus & lapidibus tamdiu mactaverunt, quousque exhalaret spiritum: revolutoque ejus exanime corpore, nihil potuerunt in ejus manibus vestimentisque reperire sacrilegi discussores, relictoque ejus corpore, cum terrore fugerunt. Venientes autem ad portam Appiam, invenerunt Christianorum multitudinem copiosam, & venientes ad Valerianum, omnia intimaverunt, & quidquid actum fuerat, per ordinem pandunt.*

9 Porro hæc Christianorum multitudo, quam ad Urbis portam milites invenere, eorum procul dubio extitit, qui ad celebrandas sanctissimi Stephani Pontificis exequias, pridie illius diei martyrio coronati, & forte ad novi inaugurationem Pontificis precibus à Deo impetrandam toto animi studio, nullaque habita imminentis vitæ discriminis ratione convenerant. Horum autem frequenti hominum cœtu, qui ad sacra jugiter Martyrum Cœmeteria confluebat, permotus acriter, & furore excandescens Valerianus, immane illud ac detestandum edictum promulgavit, ne Christiani videlicet posthac Cœmeteria adirent: quod tamen invictissimi Martyres, ne tantis fraudarentur bonorum subsidiis, morte ipsa terribilius rati: quippe qui vel ipsa inter tormenta pro Christo ultro, libenterque mori appetebant, alacri constantique animo contempsere. Quare Stephanus sanctissimus Pontifex, ut supra dictum est, cum post promulgata Imperatoris edicta Cœmeterium adire nullatenus intermitteret, in eodem à satellitibus deprehensus, capitis sententia pro Christo mulctari promeruit. Sixtus item Secundus ibidem una cum S. Quarto in suorum mercedem laborum martyrii coronam accepit. Quod S. Cyprianus epist. 9. ad Successum lib. 4. his verbis enarrat: *Sixtum autem in Cœmeterio animadversum esse sciatis 8. Id. August. die, & cum eodem Quartum.* Ubi Pamelius hæc addit: *In Cœmeterio Callisti istud contigisse tradit Beda in Martyrol. Via Appia.* Et Ado istud sic explicat: *Qui cum Usuardo & Damaso constanter tradunt capite illum fuisse obtruncatum.* Et quidem Beda, Ado, Martyrolog. Rom. Anastasius, & M.S. ipsius Cypriani Acta in Callisti Cœmeterio eundem conditum fuisse: at vero martyrium extra Cœmeterium ante Martis Templum consummasse constanter perhibent.

9 Cajum item Roman. Pont. in eodem Callisti Cœmeterio nobili martyrio coronatum fuisse Anastasius his verbis innuere videtur: *Hic fugiens persecutionem Diocletiani, in cryptis habitando, martyrio coronatur.* Idipsum in ejusdem Actis legitur, nullibi tamen expressis verbis, ubinam extiterit hujusmodi crypta, describitur, quamvis conjici satis perspicue possit rem diligenter expendendo, sub cryptæ nomine Callisti Cœmeterium intelligendum esse. In eo enim loco sanctissimum virum sepultura donatum eadem Acta legenti manifeste hoc

Margin notes (left): Ann. tom. 2. ann. 140. — to. 1. Febr. — ...nus in ...eterio ...scit. — S. Cæc. — ...eres ...ppia. — ...leria- & Ti- ...s ba- ...in ...eterio — ...ba- ...pa.

Margin notes (right): Eucharistia absentibus è Cœmeterio transmittebatur. — Act. S. Stephani Pap. — S. Tarsicius — Cœmeteria Christianis interdicuntur. — S. Sixtus II. Papa. S. Quartus. — S. Cypr. ep. 9 ad Succ. — Pamel. in ep. Cypr. — Ado, Usuar. Beda, Mart. Rom. Anast. Acta Cypr. mart. — S. Cajus PP. — Anast. in Cajo. — Act. S. Caji Pont.

hoc plane modo inculcant : *Sepultus est in Cœmeterio Via Appia.* Porro in eodem Cœmeterio sacrum ejus corpus recurrente anno Christi 1622. die 21. Aprilis repertum est, ut Cæsar noster Becillus Congreg. Oratorii presbyter in S. Caji actis à se exacte descriptis enarrat. Et superioribus quidem annis ab Urbano VIII. perantiqua ejusdem S. Caji Ecclesia, eodem plane loco restituta, ubi domum ejusdem olim Diocletiani temporibus extitisse traditur, haud longe ab Ecclesia B. Susannæ Virginis, ibidemque Sanctissimi Pontificis ac mart. corpus, quod è Cœmeterialibus tenebris in lucem redivivum longa post sæcula pia fidelium manu perquirente cælitus emerserat, religioso asservandum cultu repositum est. At inscriptum ab Urbano VIII. restitutæ nuper Ecclesiæ S. Caji titulum his nostris paginis inserendum voluimus.

URBANUS VIII. PONT. MAX.
DOMUM IN URBE S. CAJI PAPÆ ET MART.
IN ECCLESIAM OLIM CONSECRATAM
AC ERECTAM
SACRAQUE STATIONE CELEBREM,
VETUSTATE COLLAPSAM
A FUNDAMENTIS EXCITAVIT
ILLATISQUE EJUSDEM S. CAJI
RELIQVIIS TITULUM
AC STATIONEM RESTITUIT
AN. SAL. M. DC. XXXI.
PONT. IX.

Pontifices sepulti in Cæmeterio Callisti.

10 At vero Cœmeterium hoc omni quidem veneratione dignum uti Pontificibus Maximis, dum inter vivos degerent, optatissimum aliquando domicilium præbuit, ita eisdem pariter post obitum Deo disponente conditorium exhibuit. Complures enim ibidem pio fidelium obsequio tumulati quiescunt: inter quos præcipui adnumerantur Anicetus, Soter, Anterus, Pontianus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus, Secundus, Dionysius, Eutychianus, Eusebius, & Melchiades, quibus & alii quatuor, Zephyrinus nimirum, Urbanus, Marcus, & Damasus adscribi possunt: quos etsi in variis tumulatos fuisse Cœmeteriis eorundem acta referunt, Cœmeteria tamen, quæ ibidem memorari contingit, hujusce Cœmeterii, quod Callisti dicitur, partes ac membra existere nos infra suo loco demonstrabimus. Quapropter de nobilissima virgine, & martyre Cæcilia eodem loco condita isthæc in ejusdem actis recitantur: *Tunc sanctus Urbanus Papa corpus ejus auferens cum diaconibus, noctu sepelivit eam inter collegas suos Episcopos & Martyres, ubi omnes sancti confessores sunt collocati.*

SS. Anicetus, Soter, Anterus, Pontianus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus, II. Dionysius, Eutychianus, Melchiades, Zephyrinus, Urbanus, Marcus, & Damasus.

Act. S. Cæc.

S. Sebastianus.

11 In hoc idem Cœmeterium veluti in locum omni religionis cultu jugiter prosequendum, quippe qui cæteris sanctitate præstat, invictus ille Ecclesiæ pugil Sebastianus suum à Lucina matrona corpus transferri præcepit, ut ejusdem Acta hisce plane verbis testantur: *Tunc S. Sebastianus apparuit nocte in somno S. Lucinæ cuidam matronæ religiosissimæ, dicens: In cloaca illa, quæ est juxta Circum, invenies corpus meum pendens in unco: sordes illud non tetigerunt. Hoc tu cum levaveris, perduces ad Catacumbas, inter ora cryptæ juxta vestigia Apostolorum. Tunc B. Lucina ipsa per se cum suis servis, medio noctis abiit, elevans eum de cloaca, posuit in pavone suo, & perduxit eum ad locum, & ibi, ubi ipse S. Sebastianus imperaverat, cum omni diligentia sepelivit 13. Kalend. Febr.* Verba autem illa, quæ hactenus recensita sunt: *Iuxta vestigia Apostolorum*, haud intelligenda videntur, uti ipsummet vocabulum sonat, de pedum videlicet vestigiis lapidi impressis, qui quidem lapis cæteras inter reliquias in ejusdem D. Sebastiani Ecclesia ad hanc usque diem religiose asservatur. At vestigia, de quibus sermo est, beatissimorum Petri aut Pauli Apostolorum extitisse, quidam asserere non dubitarunt, erroris tamen, quivis ille sit, manifeste convincitur: si enim hoc utique scriptor subintelligere voluisset, ut congrue quidem loqueretur, haud Apostoli vestigia, imo potius Apostolorum dixisset. Porro apud omnes indubitatum est, sacratissima Christi pedum vestigia præmemorato lapidi tunc temporis impressa fuisse, cum idem Dominus Apostolo Petro, qui Mamertino è carcere se proripuerat, custodibus ipsis fugam patefacto ostio suadentibus, Via Appia videndum sese obtulit. Præmemorata igitur verba illa ita accipienda sunt, ut locum ipsum designent, ubi aliquandiu veneranda beatorum Apostolorum corpora jacuere: de catacumbis videlicet intelligendo, ubi eorundem adhuc vestigia extant, & ejuscemodi prorsus nomine appellantur.

Revelatio corporis S. Sebastiani. *Cod. Lat. Vat.* 8. 9. 10. S. *Petr.* *F. Vall.* 1. 3. 6. 10.

12 Mansit autem hoc loco Beatissimi Martyris Sebastiani corpus usque ad Gregorii Quarti tempora, à quo in oratorium à se in Vaticano erectum, in honorem S. Gregorii Magni, unà cum sanctorum Tiburtii & Gorgonii corporibus transferri contigit: quod Anastasius in Gregorii Papæ Quarti gestis hunc in modum enarrat: *In quo*, scilicet oratorio, *sanctorum corpora martyrum Sebastiani, Gorgonii ac Tiburtii ex Cœmeteriis, in quibus ante jacebant, perduxit, & unumquodque eorum separatis altaribus collocavit.* Porro in Francorum Annalibus, & in rebus gestis Ludovici Imperatoris, quæ ab ejusdem domestico conscriptæ sunt, haud corporis, sed ossium dumtaxat translationem illuc peractam fuisse his verbis asseritur: *Hildwinus Abbas S. Dionysii martyris Romam veniens, ossa beatissimi martyris Sebastiani accepit, & ea apud Suessionem &c.* Ado item Viennensis, qui sub hæc tempora vixit, scriptaque sua edidit, partem tantummodo reliquiarum beatissimi Martyris translatam fuisse his verbis asseruit: *Hujus Imperatoris tempore, nempe Ludovici, pars corporis beati Sebastiani martyris ad Suessionicam urbem delata, ubi multa mira in laudem Dei omnipotentis, varia genera sanitatum infirmis collata.* Nullum autem verbum ab Adone fit de anno, quo recolenda hæc translatio contigit. Marianus vero Scotus in suo Chronico celebratam eandem fuisse asserit anno Dominicæ salutis 828. Gregorio Quarto summo Pontifice, & eodem Ludovico Imperatore. Quapropter haud ab Eugenio, sed à Gregorio Pontifice easdem Hildwino reliquias dono impertitas asserere opus esset. Utcumque tamen res se habeat, certe hoc unum constat, partem aliquam reliquiarum invicti Martyris Sebastiani, non integrum autem corpus in Gallias translatum fuisse: & ipsummet corpus in Vaticanum à Gregorio Pontifice delatum, ex Anastasio præsertim fateri cogimur, *de cujus fide*, ut Baronius inquit Annal. to. 9. anno 827. *isthæc oculis spectantibus nefas est dubitare.* Quod quidem venerabile pignus postquam apud memoratum S. Gregorii oratorium diu in Vaticano perstitit, ad pristinum, quem ipse sibi longe ante delegerat, locum perhonorifice delatum est: cujus quidem iteratæ translationis tempus etsi ignoratur; Honorio tamen Tertio summo Pontifice contigisse

Translat. corporis Sebastiani.

Anast. in Greg. Pa[…]

Sigeb. in Chron. 825

Ado Vien. in Chron. æt. 6. *an.* 815. 847.

Bar. Annal. to. 9. *ann.* 827.

tigisse apud omnes exploratissimum est: eundem enim Honorium anno Domini 1218. præmemorati Martyris Ecclesiam consecrasse, & Beati ejusdem Sebastiani corpus unà cum aliis sanctorum reliquiis in ea condidisse, vetusta quædam insculpta marmori inscriptio docet, quæ ibi olim affixa cunctorum oculis patebat, eandemque à se visam Severanus noster testatur, & Onuphrius in hæc plane verba recenset.

Ecclesia S. Sebastiani.

Onuph. 1. Eccl.

† ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ
M. CC. XVIII.
DEDICATUM EST HOC ALTARE
A PAPA HONORIO TERTIO,
ASSISTENTIBUS SIBI QUAMPLURIMIS
SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ PRÆLATIS,
IN HONOREM
S. SEBASTIANI MARTYRIS:
IN QUO RECONDITÆ SUNT
INFRASCRIPTÆ RELIQUIÆ.
PRIMO CORPUS S. SEBASTIANI MARTYRIS,
SOCIORUMQUE EJUS:
RELIQUIÆ APOSTOLORUM
PETRI ET PAULI,
JACOBI FRATRIS DOMINI:
PHILIPPI, ET MATHIÆ APOSTOLORUM
SANCTORUM FABIANI,
STEPHANI, MARCI
ET DAMASI PONTIFICUM,
VALENTINI ET DEMETRII MARTYRUM:
LUCINÆ ET BARBARÆ VIRGINUM.

13 In hoc item Cœmeterio dignissimus Christi Martyr Eutychius conditus fuit; de quo isthæc in Mart. Rom. prid. Non. Feb. *Romæ S. Eutychii martyris, qui illustre martyrium consummavit, sepultusque est in Cœmeterio Callisti, cujus sepulchrum S. Damasus Papa versibus exornavit.* Hoc vero S. Damasi Epitaphium nunc in Ecclesia D. Sebast. ad lævam intrantibus legendum occurrit; idemque ex Callisti Cœmeterio tunc temporis extractum fuisse credere par est, cum inde ejusdem S. Eutychii corpus ad S. Laurentii in Damaso Ecclesiam, ubi modo requiescit, transferri contigit. Lapis autem hic, qui à B. Damaso invicto martyri inscriptus est, omnibus quidem pretiosis lapillis longe præstantior, utpote pœnarum, quas ille pro Christo pertulit, notis veluti monilibus intextus potius quam exsculptus nobile constantis animi, ac invictæ inter repetita carnificum tormenta, patientiæ monimentum exhibet. Est autem tenoris hujusmodi:

Euty-chius.

Mart. Rom. prid. non. Feb.

EUTYCHIUS MARTYR CRUDELIA
JUSSA TYRANNI
CARNIFICUMQUE VIAS PARITER
TUNC MILLE NOCENDI,
VINCERE QUOD POTUIT,
MONSTRAVIT GLORIA CHRISTI:
CARCERIS INLUVIEM SEQUITUR
NOVA POENA PER ARTUS
TESTARUM FRAGMENTA PARANT,
NE SOMNUS ADIRET,
BISSENI TRANSIERE DIES,
ALIMENTA NEGANTUR,
MITTITUR IN BARATRUM, SANCTUS
LAVAT OMNIA SANGUIS
VULNERA, QUÆ TULERAT
MORTIS METUENDA POTESTAS,
NOCTE SOPORIFERA TURBANT
INSOMNIA MENTEM;
OSTENDIT LATEBRA INSONTIS
QUÆ MEMBRA TENERET,
QUÆRITUR. INVENTUS COLITUR,
FOVET OMNIA PRÆSTAT.
EXPRESSIT DAMASUS MERITUM
VENERARE SEPULCHRUM.

Epitaphium Eutychii.

Antiq. Inscrip. in Append. pag. 2. n. 13. ... in Ap. an. 384.

14 Eodem pariter loco Maximi Commentariensis conditum est; de quo hæc in M. S. ejusdem Actis Codd. S. Mariæ ad Martyres: *Hoc dicto jussit Valerianus per pontem eum præcipitari. Cujus corpus legit B. Eusebius Presbyter, & sepelivit in Cœmeterio Callisti Via Appia sub die tertiodecimo Kalend. Decembris.* Venerandæ quoque beati Tarsicii Acolythi exuviæ, qui Christo onustus Dominici corporis Sacramenta ferebat, eodem Cœmeterio illatæ sunt; de quo in supracitatis S. Stephani actis hæc leguntur: *Eadem namque die collegerunt Christiani sanctum corpus corpus Tarsicii, & sepelierunt in Cœmeterio Callisti Via Appia.* Hujus etiam beati viri sepulchrum Damasus Pontifex carminibus hisce, tamquam nobilis triumphi insignibus, exornavit:

Maximus ... Cod. S. ... ad

S. Tarsicius

Act. Steph. Pap.

PAR MERITUM QUICUNQUE LEGIS,
COGNOSCE DUORUM,
QUIS DAMASUS RECTOR TITULOS
POST PRÆMIA REDDIT
JUDAICUS POPULUS STEPHANUM
MELIORA MONENTEM
PERCULERAT SAXIS, TULERAT
QUI EX HOSTE TROPHÆUM
MARTYRIUM PRIMUS RAPUIT
LEVITA FIDELIS.
TARSICIUM SANCTUM CHRISTI
SACRAMENTA GERENTEM
CVM MALE SANA MANVS PETERET
VULGARE PROFANIS,
IPSE ANIMAM POTIVS VOLVIT
DIMITTERE CÆSVS,
PRODERE QVAM CANIBVS RABIDIS
CÆLESTIA MEMBRA.

Epitaphium S. Tarsicii.

Antiq. Inscrip. in Append. pag. 1174 ... 20 Bar. in Append. to. 4 an. 348.

Innumeri demum Martyres eodem Cœmeterio conditi fuere; de quibus suo infra loco, cum nonnullæ Cœmeterii ejusdem partes describentur: quæ quidem etsi huic proxime adjaceant; cum easdem tamen multiplicibus nuncupari nominibus contingat, sanctorum videlicet titulo, quorum sacra illic corpora requiescunt, peculiaribus quoque, ac distinctis capitibus hæ describendæ à nobis erunt. Sed prius alia quædam monumenta ad præmemoratum Cœmeterium spectantia, quæ ibidem in Ecclesia desuper erecta adhuc conspiciuntur; vel certe olim extabant, ad instituti nostri propositum recenseamus: consulto autem ea omnia præterimus, quæ de religioso ejusdem Ecclesiæ cultu in medium afferri possent; utpote à Severano in sacris jam sæpe citatis septem Ecclesiarum monumentis congesta, ac prolixiore sermone enarrata.

Severan. in sept. Eccles. monum.

15 Hoc igitur dignissimi Martyris Sebastiani templum, antequam à Scipione Cardinale Burghesio Pauli V. Pont. Max. Nepote in ampliorem, quam modo conspicimus, formam redigeretur, & eximia Principis ejusdem liberalitate, ut loci ipsius merito par est, magnificentissime exornaretur, pervetustum altare, conspiciebatur, quod olim ab Honorio, uti diximus, consecratum, & sub quo sacrum ejusdem Martyris corpus officiosa ipsius manu repositum fuerat. Hoc porro in ipsomet aditu, seu Cœmeterii vestibulo ad lævam ingredientibus, & in ejusdem Cœmeterii area situm erat, ad quam lateritia quædam scala, pluribus constans gradibus, deducebat; qui sane locus idemmet esse creditur, ubi sacrum quondam pignus Lucina matrona piissima condiderat, in ostio nimirum, vel ipso potius Cœmeterialis cryptæ vestibulo, ut in ejusdem Actis legitur. Verisimile autem valde est, deinde Ecclesiam ibidem in honorem præclarissimi ejusdem Martyris superædificatam fuisse: cujus

Templum S. Sebastiani.

cujus pretiosæ illic exuviæ cælesti monitu illatæ asservabantur.

16 Cæterum, ut venerandum martyris Sebastiani corpus sub altari eidem dicato nunc quoque extare, pio ac studioso Lectori luce clarius pateat, operæ quidem pretium erit, hoc loco repetere, quæ in recolendis Ecclesiarum monumentis à Severano ex perantiquo ejusdem Ecclesiæ M.S. adnotata sunt, in hæc plane verba: *Sicut scriptum est, corpus S. Sebastiani martyris jacet sub altari, quod est inferius, ubi S. Gregorius Papa Missam celebrans, Angelum Dei vidit, qui in Missarum solemniis sibi deserviens, dixit: Hic est locus sacratissimus, in quo est divina promissio, & omnium peccatorum remissio, splendor & lux perpetua, sine fine lætitia, quam Christi martyr Sebastianus habere promeruit.* Vides, quo venerationis cultu SS. Martyrum reliquiæ in Ecclesia jugiter habendæ sint, & ipsomet Angelorum famulante obsequio, insignibus cumulatæ præconiis, peculiarem à fidelibus devotionem exigant. Idem sacratissimum corpus, vel certe ejusdem reliquiæ in altare recens translatæ deinde fuerunt, quod eidem Martyri erectum, dicatumque est à præmemorato Cardin. Burghesio: in cujus translatione illud quidem portentum, omni admiratione dignum obtigit, quod Pancirolus quoque in ejusdem Ecclesiæ descriptione diserte asserit, & se à monachis apud sacrum hunc locum demorantibus accepisse Severanus noster affirmat. Accipe igitur benignis auribus, studiose, ac pie Lector, quod in præsens tibi enarraturi sumus, & vel ex hoc uno cultum, qui sacris Martyrum pignoribus debetur, edisce. Cum enim arca illa marmorea, intra quam augustissimi athletæ reliquiæ conditæ fuerant; cæmentariorum manu ac studio, è loco, ubi inclusæ asservabantur, dimoveri atque elevari cœpisset, ut in superiori parte aptius locaretur, omnibus quidem ingenti metu perculsis, ac terrore attonitis, ipsamet Ecclesia concuti visa est, ac si terræmotu quateretur; quapropter cuncti, qui ejuscemodi operi instabant, quantocyus fugam arripuere: sed Laurentius de Paulis Societatis Jesu Sacerdos, qui, ut singula rite peragerentur, tunc operi diligenter præerat, bono eosdem animo esse jussit: quippe, qui honoris gratia erga Martyrem, studium omne, ac laborem impenderent, nec sinistri quidquam, quod ad exitium vergeret, illis pertimescendum fore edixit, ubi sana religio, nullatenus vero temeritas, aut præsumptio obsequentium manus in opus compelleret: hæc ille; cum unanimiter omnes, qui aderant, humillimis ante augustissimum Eucharistiæ Sacramentum porrectis Deo precibus, pio sacerdotis sermone alacres redditi, constanti imperterritoque animo ad intermissum opus rediere. Sed protinus eorundem conatibus propitius è cælo Christi Martyr adfuit; ubi enim manus iterum operi admoverunt, nullo labore, sed facili potius impulsu quantocyus rem totam, ut in votis erat, feliciter perfecere. Ad recolendam autem (uti par est) sacræ antiquitatis memoriam, ipsummet pervetustum altare ad hanc usque diem, sacris licet pignoribus, atque ornamentis orbatum, haud tamen pio venerationis cultu, qui ab invisentibus Martyri defertur, destitutum, eodem loco subsistit.

Severan. in sept. Eccl. monum. M.S. Cod.

Locus indulgentiarum.

Translatio corporis S. Sebastiani.

Pancirol. in Eccl. S. Sebast.

Mirum in translatione corporis S. Sebastiani portentum.

17 At vero juxta præmemoratum altare, sepulchrum quoddam in pavimento, crate ferrea vallatum, videre est, in quo insculptus ejuscemodi titulus, antiquitatem redolens legitur:

S. Lucina virgo.

HOC EST
SEPVLCHRVM SANCTÆ
LVCINÆ VIRGINIS.

Et infra:

GVILS ARCHS BITVRICEN.
F. FIERI.

Quænam vero Lucina hæc fuerit, cui titulus iste inscriptus est, hactenus ignoratur. Præclari enim nominis fæminas, quæ hoc idem olim nomen præ se ferebant, ut supra meminimus, in mulierum nuptarum, aut certe matronarum numero scriptas fuisse ambigere nemo potest, & eam præsertim, quæ Beati Martyris Sebastiani corpus divinitus admonita hoc loco recondidit: quippe quæ Fulconis, seu Flatonis Piniani viri Consularis uxor dignissima celebratur, ut sancti Anthymi Acta apud Sur. to. 3. 2. Maji testantur. Porro de duabus dumtaxat nominis ejusdem virginibus, in sacris Martyrologiis, & Martyrum Actis mentio instituitur; Lucinæ scilicet virginis ex illustri Prætextatorum familia, à beato Anacleto Papa salutaribus Baptismi aquis expiata: de qua in M.S.S. Sophiæ actis Cod. S. Cæcil. hæc legimus: *Credentium vero fides crescebat in Domino, & memoriæ venerandæ virginis Lucinæ excubias exercebat speciales, quas omni tempore psallendi ita aspiciebant, choro psallentium adhærentem, ac si in corpore degeret.* Alterius item Lucinæ virginis, S. Marmeniæ filiæ, mentio recolitur, quæ sub Alexandro Imperatore, glorioso consummata certamine, pro Christo Martyr occubuit, & unà cum matre, cæterisque Martyribus apud sanctum Urbanum Papam honorifice tumulata fuit, ut perantiqua M.S. ejusdem Acta Cod. Vaticani amplam legenti fidem exhibent.

Lucina uxor Fulconis S. Sebastiani corpus sepelivit.

Sur. to. 3. 2. Maji.

M.S. Cod. S. Cæc.

Lucina virgo filia S. Marmeniæ.

M.S. Act. Vat.

18 De hac igitur nobilissima Marminiæ filia sepulchralem, quem supra recitavimus, titulum loqui jure merito existimare quis posset, nisi, & probabilius quidem; ut nobis videtur, de Lucilla S. Nemesii filia subintelligendum fore titulum asseramus; quæ in quibusdam Codicibus, Lucinæ itidem nomine appellatur; quamvis tum in aliis, tum in ipsismet Martyrologiis Lucilla communi, ac frequenti omnium voce nuncupetur. Hæc enim in celeberrimo Callisti Cœmeterio, de quo nunc agimus, à Sixto Papa, ut infra exponetur, tumulata est. Huic sententiæ sua quoque auctoritate Baronius subscribit, qui in editis ad Martyrologium notis prid. Kal. Novemb. isthæc habet: *Adhuc perseverat locus Lucillæ virginis in Cœmeterio Callisti, ubi in sepulchri lapide inscriptio vetus posita legitur.* Onuphrius quidem in septem Urbis Ecclesiarum descriptione, sepulchrum hoc haud Lucillæ matronæ positum esse constanter affirmat, quod utique ex inscriptionis titulo conjicit, qui nuper à Guillelmo Bituricensi Archiepiscopo ibi descripto instauratus apparet: sed cum in eadem inscriptione expressis verbis Lucina virgo nuncupetur, haud congrue huic matronæ aptari posse videtur: cujus tamen corpus hoc eodem Cœmeterio conditum fuisse, & venerandum ejus caput inter sacras ejusdem Ecclesiæ reliquias adhuc asservari indubitatum omnino est: nisi forte ob superiorum temporum inscitiam id plane obtigisse quis dixe-

Lucilla S. Nemesii filia.

Baron. in Mart. Rom. prid. Kal. Nov.

Onuph. Panv. in descrip. 7. Eccl.

Lucina matrona.

dixerit, ut pro matrona, Virgo in epitaphii ejusdem notis inscripta fuerit. Olim insuper in ipso Cœmeteriorum descensu, marmoreus quidem lapis parieti affixus hanc legentibus inscriptionem præferens extabat:

TEMPORIBUS SANCTI INNOCENTII
EPISCOPI PROCLINUS
ET URSUS PRESBB.
TITULI BIZANTIS
SANCTO MARTYRI
SEBASTIANO EX VOTO FECERUNT.

19 Porro Bizantis titulum, veteri abolito, in D. Sabinæ Ecclesiam translatum fuisse Onuphrius asseruit; quidam vero titulum hunc Ecclesiæ Beatorum Joannis & Pauli suffectum fuisse ajunt; eo quod in eorundem Martyrum Actis de Bizantio quodam Senatore, dignissimo S. Pammachii genitore mentio incurrat: sed ut veritati, quod consonum est, asseratur, Proclinus è Presbyterorum numero extitit, qui quondam Romano Concilio sub Symmacho, uti presbyter Tit. S. Susannæ, unà cum Agathone & Asello subscripsit, & in M. S. præmemorati Cornelii actis Cod. Columnen. ejusdem subscriptio una cum cæteris, quos nuper recensuimus, sub hac videlicet verborum formula recitatur: *Presbyter Tituli Bizantii.* Quidquid tamen illud sit, certe ex eadem inscriptione, quæ nunc in Ecclesia ad dexteram intrantibus patet, satis superque, ut nobis opinari licet, recolenda ejusdem antiquitas Ecclesiæ comprobatur: cum Presbyteri, quos supra nominavimus, sub ipsamet Innocentii Primi tempora vixerint, præmemoratus autem Pontifex anno redempti orbis quadringentesimo primo ad Summi Pontificatus apicem evectus sit. Et hæc quidem de pervetustis ejusdem Ecclesiæ monimentis studioso lectori paucis enarrasse sufficiat.

20 Verum de celeberrimo, quod latet ibidem, Cœmeterio verba facturis, illud in primis prætermittendum videtur, duas Cœmeterium hoc in partes dividi: utpote quod præ cæteris amplissimum est, cui & alia pariter, ut jam diximus, sub variis quidem nominibus Cœmeteria junguntur, atque cohærent: quorum unum, quod vulgo Publicum dicitur, eo quod quibusvis adeuntibus pateat, ab interiori Ecclesiæ ambitu, aditum pariter atque exitum obvium, expeditumque præbet: singulis interim ostiis diligenter præclusis, quæ ad perscrutandum subterranei loci sinum accedentibus, tot interfusis latentium semitarum diverticulis, negotium facessere, nec non in apertum vitæ discrimen aberrantes adducere queunt; valido enim muro viarum anfractibus obstructis ad Cœmeterium, quod Secretum dicitur, vastissimumque est, transitus omnino inhibetur. In ipsius autem Cœmeterii, de quo nunc agitur, limine, qua quis ad dexteram templi partem ingreditur, istiusmodi inscriptionis titulus insculptus marmori legitur.

HOC EST COEMETERIVM CALLISTI
PAPÆ ET MARTYRIS
INCLYTI QVICVMQVE ILLVD
CONTRITVS ET CONFESSVS
INGRESSUS FUERIT, PLENAM
REMISSIONEM OMNIUM PECCATORUM
SUORUM OBTINEBIT,
PER MERITA GLORIOSA CENTUM
SEPTUAGINTA QUATUOR MILLIUM
SANCTORUM MARTYRUM
UNA CUM QUADRAGINTA SEX
SUMMIS PONTIFICIBUS,
QUORUM IBI CORPORA IN PACE
SEPULTA SUNT,
QVI OMNES EX MAGNA TRIBVLATIONE
VENERVNT ET VT HÆREDES
FIERENT IN DOMO DOMINI,
MORTIS SVPPLICIVM PRO CHRISTI
NOMINE PERTVLERVNT.

Audisti pie Lector, paucis notis immensam hujus Cœmeterii gloriam legentium animis adumbratam, quod tot sacris millenorum martyrum exuviis adauctum, ac tot pariter sanctorum Pontificum martyrii laurea præcellentium pignoribus apprime nobilitatum, singularem fidelium animis devotionis affectum ingerere, & timorem pariter sanctissima isthæc loca adeuntibus incutere jure merito valet. Quapropter quisquis ille est, qui perlustraturus accedit, ubi pedem admoverit, illud, quod Moysi prænuntiatum est, probe meminerit: *Ne appropies huc, solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, Terra sancta est.* His enim verbis salubriter admonitus, quamprimum unà cum Jacobo Patriarcha è torporis somno evigilans, in illa admirabundus verba, erecto in signum lapide, prosiliet: *Vere locus iste sanctus est.*

21 In hac igitur Publici Cœmeterii parte pauca quidem cubicula, sepulchrorumque vestigia in parietibus hinc inde de more excisa invenire est. Ibi quoque locus adhuc conspicitur, ubi quondam præclarissima virgo ac martyr Cæcilia condita fuerat: cujus memoria ne ulla unquam temporum injuria aboleretur, præmemoratus Guillelmus Bituricensis Archiepiscopus hunc inscriptionis titulum marmori insculpendum curavit:

HIC QVONDAM RECONDITVM FVIT
CORPVS BEATÆ CÆCILIÆ
VIRGINIS ET MARTYRIS.
HOC OPVS FECIT
FIERI REVERENDISSIMVS PATER
DOMINVS GVILLELMVS
ARCHIEPISCOPVS BITVRICENSIS,
ANNO DOMINI M. CCCC. IX.

In altero itidem marmoreo fragmento titulus ejusmodi legitur:

SANCTO
MARTYRI
MAXIMO.

Duos quidem insignes, recolendosque nominis hujusce Martyres in hoc Cœmeterio quondam tumulatos fuisse constat, qui ambo pariter Commentariensium munere fungebantur: alterum scilicet, cujus in B. Cæciliæ Actis mentio fit: alterum vero, cujus in sanctorum Eusebii, Marcelli, sociorumque Actis memoria recolitur: verum cuinam è duobus, quos hactenus memoravimus, iste potissimum titulus inscriptus sit, ignoratur.

22 At vero ad alteram Cœmeterii, quod Secretum nuncupatur, partem haud ullus patebat aditus, nisi quoddam per ostium quamdiligenter obseratum, ac apprime munitum, quod juxta ipsummet locum situm erat, ubi Beatissimi Marty-

Marginalia (left): Inscriptio Proclini, & Ursi. — Titulus Bizantis. — Onuph. Pan. in descript. Eccl. in Ecclesia SS. Io. & Paul. — Cœmeterium Callisti partitur in varia nomina. — Cœmeterium Publicum. — Cœmeterium Secretum. — Inscriptio in limine Cœmeterii.

Marginalia (right): Gen. c. 28. — Exod. c. 3. — Sepulchrum S. Cæciliæ. — Inscriptio sepulchri S. — Titulus sepulchri S. Maximi. — Bini sancti Maximi Commentarienses. — Acta S. Cæcil. virg. & Mart. — Acta SS. Eusebii, Marcelli, & Soc. — Cœmeterium Callisti Secretum appellatum.

ris Sebastiani conditorium quondam extitisse jam diximus. Hinc cum ad ingrediendum aditus Bosio patuisset, illic semitas plane innumeras, multiplicesque ac plurima item cubicula, nec non monumenta, quæ tamen picturis, ornamentisque omnibus destituta essent, se visu comperisse affirmat. Complures insuper, dum singula lynceis oculis investigat, obvii, contemplandique aditus se obtulere, per quos ad Cœmeteria huic adhærentia ingressus ultro proculdubio dabatur. Rursus vero dum eandem Cœmeterii partem unà cum aliis Severanus noster novissime perlustraret, non absque intimo animi cruciatu, ac horrore pariter, omnia prorsus, ut ipse testatur, perscrutantium oculis disjecta ac diruta apparuere. Secretum interim hoc Cœmeterium penetrandi haud aliunde facultas suppetiit, quam per latentes quosdam terræ hiatus in vineis ac locis adjacentibus fortuito adinventos, per quos Bosius deinde introgressus, cum singula tum visu, tum manu inter perscrutandum deprehendisset, idem Cœmeterium ampliori quidem ambitu protensum exacte descripsit, ut à nobis suo infra loco exponetur: utriusque autem Cœmeterii tam Publici, quam Secreti ichnographicas tabulas Philippus Vinghius diligenter delineavit; quas cum nusquam Severanus deinde assequi, omni adhibito studio, valuisset, easdem iterum à Gaspare & Francisco viris rei ichnographicæ peritissimis, designandas curavit, quæ cum aliis id genus tabulis, artificum manu studiose insculptæ, suo loco singulæ curiosis legentium oculis contemplandæ proponentur.

Ingressus Cœmeterii Secreti.

23 Quod vero ad præmemorati Cœmeterii omnium plane nobilissimi instaurationem attinet, haud à nobis silentio obvolvendum est, quod Bibliothecarius in Sixti Papæ III. gestis affirmat, à sanctissimo nimirum Pontifice Cœmeterium hoc in meliorem formam redactum, ac marmoreas insuper tabulas singulis fere sepulchris, quiescentium ibi Martyrum exhibentes nomina, appositas fuisse. Hæc autem sunt ejus verba: *Hic fecit Platoniam in Cœmeterio Callisti Via Appia, ubi nomina Episcoporum & Martyrum scripsit commemorans.* At quod per Platonias nil aliud, quam marmoreæ quædam tabulæ intelligendæ sint, ipsemet Bibliothecarius satis perspicue insinuare videtur, qui in describendis beati Leonis Papæ Tertii gestis hæc ait: *Hic sacer Antistes super ipsas columnas lilios poni fecit, & super ipsos lilios ex metallis marmoreas Platonias posuit.* Et in gestis item Sixti Papæ Tertii ab eodem isthæc recensentur: *Qui Ecclesiam S. Laurentii ornavit, fecit &c. supra Platonias porphyreticas &c.* Et in Liberii gestis hæc addit: *Ornavit de Platoniis marmoreis sepulchrum S. Agnetis.* Cujus quidem Ecclesiam sectis marmoribus, ac affabre artificum manu compactis incrustatam olim fuisse, ad nostra hæc usque tempora ex antiquis, quæ supersunt, vestigiis videre est.

Sixtus III. Cœmeterium Callisti instauravit, & ornavit.

Biblioth. in Sixto Pap. 3

Platonia quid sit?

Idem in vit. Leonis Pap. 3.

Idem in Liberio Papa.

24 Nicolaus Primus pervetustum hoc Cœmeterium instauravit, ac monasterium ibidem prope Ecclesiam, teste Bibliothecario, exstruxit, qui isthæc in rem præsentem enarrat: *Via autem Appia de Cœmeterio sancti Callisti Martyris Sebastiani in Catacumba, ubi Apostolorum corpora jacuerunt, quod multis ab annis ruerat, meliori illud fabrica renovans, monasterium fecit, Monachos sub Abbatis regimine undecumque potuit, aggregavit, victuique necessaria dari, cæteraque stipendia ministrari præcepit.* Cujus sane Monasterii frequens in quampluribus Summorum Pontificum, & Gregorii præsertim Papæ Noni epistolis mentio incurrit, quæ Abbati, & sacro Monasterii ejusdem cœtui Sanctorum Martyrum Fabiani & Sebastiani de Vrbe Cisterciensis Ordinis inscriptæ recitantur. Nunc vero idem Monasterium, etsi Commendatitium in titulum à Summis Pontificibus redactum, iidem Cistercienses Monachi, qui S. Bernardi Fulienses nuncupantur, arctiorique observantiæ addicti sunt, religiose admodum, & merito digni laudum præconio incolunt. Illud postremo loco enarratis hactenus de Callisti Cœmeterio, coronidis loco subtexere visum est, quod in Breviario Romano præcipue celebratur; de Callisto enim Pontifice hæc ibi: *In Via Appia vetus Cœmeterium ampliavit, in quo multi sancti Sacerdotes, & Martyres sepulti sunt, quod ab eo Callisti Cœmeterium appellatur.* Et hæc de Callisti Cœmeterio enarrasse satis sit.

Monasterium S. Sebastiani.

Biblioth. in Nicol. Pap. 1

CAP. XII.

De Catacumbis, ac SS. Martyrum Marci, Marcelliani, & Damasi Cœmeteriis.

1 IVxta celebrem, quam hactenus memoravimus, invicti Martyris Sebastiani Ecclesiam, ea nimirum parte, quæ Viæ Ardeatinæ veteri adjacet, ad hæc usque tempora veluti nobile quoddam sacræ antiquitatis monimentum, locus ille conspicitur, & à fidelibus, uti par est, jugi obsequio colitur, qui vulgo Catacumbæ nuncupatur: cujus sane vocabuli etymologiam sub hujusce initium operis, genuinam vocis significationem assecuti, edocuimus.

Catacumbæ quid significent?

2 Et ut pauca hoc loco interim inquirendo subtexamus, cur locus hic, qui ad Callisti Cœmeterium extat, *ad Catacumbas* appelletur, Baronius ipse in Notis ad Roman. Martyrologium consulendus est, qui idem vocem hanc ex duabus dictionibus, Græca nimirum, & Latina, conflatam sonare ait, ac locum juxta tumbas. Sed ejus hic quæso verba excipiamus: *Loquendi obtinuit usus,* inquit ille, *ut Catacumbæ pro Catatumbis dicerentur: ex Græca enim, & Latina dictione compositum est nomen, κατὰ juxta, & tumbas, ut sic locus ille, qui ad fores est Cœmeterii Callisti, diceretur Catacumbæ, hoc est, juxta tumbas ejusdem Cœmeterii, ubi est vetus ac nobilis memoria S. Sebastiani martyris, quæ numeratur inter septem Urbis Ecclesias, Innocentii Papæ, & Honorii Imperat. temporibus illustrata, ut docet illic posita vetus inscriptio marmori incisa. In actis S. Cornelii Papæ Catatumbæ, non Catacumbæ dictus reperitur ille locus: sic & in rebus gestis S. Sebastiani, sicut in compluribus veteribus Martyrologiis: at vero apud S. Gregor. in regest. lib. 3. ep. 30. ad Catacumbas scriptum reperitur. Non tamen errasse dixerim, qui Catacumbas legunt; nam κατακύμβος est locus cavus, atque profundus, qualia Romæ præsertim Cœmeteria esse solebant, in arenariis profundis cryptis excavata.* Hæc ad rem nostram Baronius.

Baron. in not. ad Mart. die 20. Ian.

Locus ad Catacumbas cur sic dictus?

3 Subterraneus quidem locus est fornice desuper obductus, ac semicirculari constructus forma, & ut ex ipso aspectu credibile nobis fit, quoddam olim ethnicorum ædificium extitit, quod à vetustissimis illis Pontificibus in sacros subinde rei ecclesiasticæ usus redactum est; quo Christi cultores,

Descriptio loci ad Catacumbas.

res, quibus illibatos religionis Christianæ ritus peragendi haud libera adhuc facultas suppetebat, pro ipsa temporis opportunitate ad sacram, ut mos erat, Synaxim convenirent. Hinc quoque ad proximum Cœmeterium patuisse aditum conjicitur, cum illud in ejusdem loci planitie subsistat. Porro ad Catacumbas, quarum mentio est, per binas scalas, quæ plurimis quidem gradibus constant, descenditur, harum altera Ecclesiam, Ardeatinam Viam altera respicit. Fenestræ ibi, vel certe foramina quædam in oblongam ac satis angustam deducta formam suspiciebantur, quæ lumen ad inferiora loca demittebant.

[...]numen- [...]Cata- [...]bis.

4 Decem & quatuor locus olim iste suo continebat ambitu monumenta, quorum tamen ad præsens duodecim dumtaxat visuntur: & hæc quidem haud in topho Cœmeterialium more excavata, quamvis eandem intuentibus formam præ se ferant, sed lateritii operis, calce circum oblinita sunt, paucis admodum exceptis, quæ artificum olim manu eleganter exornata fuisse ex quibusdam adhuc vestigiis manifeste dignoscitur. Porro in eorundem monumentorum ambitu marmorea quædam hinc inde sedilia porriguntur, in quorum media parte Pontificalis ac marmorea sedes vetustissima extat; in qua Summi, ac sanctissimi olim Pontifices (uti veneranda piorum hominum traditio fert) considebant, dum funesta illa persecutionum tempora ingruerent; in reliquo autem sedilium ambitu sacerdotes, qui Pontifici adstabant, ac Romanum insuper Clerum, tunc potissimum temporis, cum sacræ ibidem Synaxes peragerentur, sedisse pie utique ex ipsius loci prospectu existimandum est.

[...]lia in [...]cum-

4 Marmoreum è regione ipsius Pontificiæ Sedis altare quoddam, & quidem vetustatem redolens adhuc cernitur, super quo haud ab ullo, præter Romanum Pontificem; Missæ sacrificium celebrari consuevisse, ex accepta item inolitaque apud posteros traditione accepimus. Verum super eodem sacro altari, hac nostra ætate ex Pauli V. Pontificis Maximi indultu, cuilibet ex approbatis sacerdotibus sacra peragendi mysteria facultas impertita est.

[...]re in [...]cum-

5 Hic præterea ipso sub altari putei adinstar foramen conspicitur, ubi quondam veneranda beatorum Apostolorum corpora à Græcis projecta aliquandiu delituere, cum suis eadem è sepulchris furtim sublata sacrilegi homines in patrias secum regiones per summam injuriam deferre aggressi sunt; ipso D. Gregorio hujus rei teste, qui totam hanc historiam in Epistola 30. ad Constantinam Aug. Registr. libro 3, prolixiori sermone describit, ubi postquam constanti animo eidem, quod ultro, enixeque postulaverat, denegasset, sacratissimum videlicet Apostoli Pauli caput, eandemque Augustam de perantiqua Romanæ Ecclesiæ consuetudine sapientissimus Vir edocuisset, *Apud quam* (ut ait) *pro lege utique mos ille inolevit, ut nunquam sanctorum Martyrum è loco, ubi depositæ sunt, reliquiæ extrahantur*; ob mira scilicet ac horrenda prodigia, quæ idipsum quandoque attentantibus obtigere; hæc ad rem subdit: *De corporibus vero beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum? dum constet, quia eo tempore, quo passi sunt, ex oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, sicut civium suorum repeterent, quæ ducta usque ad secundum Urbis milliarium, in loco qui dicitur ad Catacumbas, collocata sunt; sed dum ea exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque dispersit, ut talia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt; levaverunt, & in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt. Quis ergo nunc, serenissima domina, tam temerarius possit existere, ut hæc sciens, eorum corpora, non dico tangere, sed aliquatenus præsumat inspicere?* Hæc Gregorius, qui fideles cunctos ex Petri cathedra salutariter commonet, ut sanctorum reliquias eo, quo par est, honore prosequantur, nec sibi quid nimis, etsi temporali potestate polleant, erga sanctorum reliquias præsumant, haud impune, si quam admittunt, temeritatis notam laturi.

[...]us, ubi [...]ora A- [...]olorum [...]jacue-

[...]ep. 30 [...]nstan- [...]n Aug. [...]reg.

[...]eg. ep. [...]Con- [...]Aug.

6 Quo verò potissimum tempore id, quod supra narratum est, acciderit, an scilicet tunc primum, cum beatissimi Apostoli martyrio coronati sunt, an vero (quod sane probabilius esse videtur) cum natalitius eorundem dies anniversaria memoria celebris recurreret: quamdiu insuper sacratissima pignora deposita ibidem perstiterint, cum multiplices, & variis difficultatum nodis obvolutæ hinc inde Scriptorum sententiæ adsint, quæ in conscriptis à Severano septem Ecclesiarum monumentis Lectori exponuntur, easdem hic repetere ac discutere consulto prætermittimus.

7 Porro nobilissimum hoc Cœmeterium, quod cæteris tum amplitudine, tum antiquitate longe præstat, & locus in eo præcipue, qui ad Catacumbas dicitur, tot gemmis ac monilibus, quot sacris beatorum martyrum exuviis apprime nobilitatus, peculiarem sibi apud omnes Christi fideles Religionis cultum jure merito vindicavit; nam sicut frequentes illuc antiquis temporibus Christiani ad sacra obeunda mysteria, atque in recolendis martyrum natalitiis ad vigilias de more peragendas certatim confluebant, pari quoque pietatis ardore nostris hisce superioribus sæculis ferventiores utique Christiani locum hunc crebro adire, impensius colere, osculis, ac lacrymis prosequi, ibidemque diutius venerationis gratia subsistere consueverunt. Quis enim non probe meminerit, Hieronymum unà cum ejusdem propositi sociis huc sæpe ventitasse? Quis nesciat, ut cæteros taceamus, S. Carolum Card. Borromæum, cum Romæ ageret, & sacras septem celebriores urbis Ecclesias devotè inviseret, Callisti cœmeterium frequenter adire, illud pie colere, atque in D. Sebastiani pervigilio ibidem pernoctare, in more habuisse, assiduis quippe precibus, crebris item suspiriis, jugibus lacrymis sacrum hunc Subterraneæ regionis ambitum irrigasse, vel ut melius dicam, velut sideribus terrestre hoc Cælum illustrasse.

Cœmeterii Callisti dignitas.

Sancti omni ævo pie illud frequentarunt

S. Carolus Boromæus

8 Quoniam vero opportuna hic mentio incidit, & nobis hæc scribentibus natalitius dies annua hodie recordatione solemnis recurrit, haud silentio obvolvendum est, sanctum Philippum Nerium Congregat. Oratorii Fundatorem, parentem nostrum, ut ejus exhibent acta, cum florida adhuc ætate vigeret, septem Vrbis Ecclesias, singulis diebus adire, & apud Callisti Cœmeterium cælestibus rebus intentum pernoctare consuevisse; ibi enim cælestis Vir terrena luce se penitus abdicans, & oculis ac manibus in Cælum intentus, ipsas inter tenebras, supernæ lucis radios uberrime

S. Philippus Nerius. *Petr. Iacob. Baccius in vit S. Philip. Ner. lib. 1. c. 5. 4. & 6.*

rime hauriebat, ibi strenuus Christi athleta, ac pugil invictus contra tartareas hostium legiones in arenam proditurus exercebatur, ut inde totus plane formidabilis in medium de hoste palam triumphaturus emergeret. Quod quidem Breviarii Romani paginæ hunc in modum legendum exhibent: *Septem Urbis Ecclesias frequenter visitans apud Cœmeterium Callisti, in cœlestium rerum contemplatione pernoctare consuevi.* Quod cum religiosus quidam ex Dominicana familia serio advertisset, qui Franciscus Cardonius Camerinensis vocabatur, id unum præcipue suis Dominicani instituti tyronibus inculcare solitus erat, dum Philippum videlicet adhuc viventem, velut altissimarum virtutum exemplar imitandum proponeret, atque his plane verbis excellentem viri sanctimoniam commendaret: Philippum, inquam (ajebat ille) eximiæ sanctitatis Virum, Deo disponente, Christiano orbi illuxisse, qui totos decem annos pœnitentiæ causa, atque arctioris observantiæ studio illectus, abditos cœmeteriales Callisti sinus incoluerit; sanctissimus quippe vir, cum ibi moram traheret, supernorum gaudiorum dulcedine perfruebatur, & dum sacra inter martyrum sepulchra, mundo ignotus, Cælo propior innotesceret, ea interdum amoris copia inter orandum perfundebatur, ut cælestium vim charismatum ferre haud sustinens humi prævolutus, alter veluti Eprehem exclamare protinus cogeretur: *Sat est Domine, sat est: contine quæso superna undas dulcedinis.* Hic demum Philippus cum sacra loca noctu obiret, cum tartareo hoste frequenter luctabatur; dæmones quippe, ut metum deprecanti incuterent, sese illi videndos offerebant, & ut ab incepto interim orandi studio absterrerent, omnem movebant lapidem, quorum acriores ille impetus divino munitus præsidio mirum in modum constans, ac imperterritus jugiter eludebat: quapropter tres aliquando dæmones, qui prope sacrum hoc Cœmeterium Dei famulum iter agentem sub horribili specie absterrere conabantur, ubi ille ad consueta precum subsidia confugit, extemplo ab ejus se oculis proripuere.

Breu. Rom. die 26. Maji

S. Philippus Nerius decem ipsos annos Cœmeterium Callisti incoluit.

Illic divinæ gratiæ donis perfunditur.

9 Verum enimvero sanctissimum virum divinis deliciis intra has cœmeteriales cavernas redundantem, & præ nimia cælestium, qua perfundebatur, immissionum ubertate, ad Deum totis viribus exclamantem eleganter conceptis quondam carminibus Martha Marchina hunc in modum ad Nerii nomen alludens, expressit:

Delicias Nerius divini ut sentit amoris
In se de Cæli fontibus influere,
Iam satis est, inquit, vestros rogo claudite fontes
O Superi, angustos obruit unda sinus.
Ipse ego mutato fiam si nomine Nereus,
Non capit Oceanum hunc pectoris urna mei.
Risit divus Amor, fractus dum pectora costis
Laxat, & in tales explicat ora sonos:
Parva satis, nimiumque licet sit pectoris urna,
Hac tamen ex urna flumina mille fluent.

Martha Marchina.

Sacris autem speluncis, triumphalis instar tituli, carmina hæc, tum ingenii, tum erga virum sanctum pietatis monimentum Natalis Rondaninus præclarus adolescens insculpsit, quæ nos honoris gratia hic lectori delibanda afferimus:

Profunda noctis umbra, & horrendum specus;
Ubi astra fugiens, solis exosus jubar
Latens Philippus inter has tenebras diu,
Inter cavernas, inter hæc silentia;
Quem deperibat, quem flagrabat, repperit,
Qui dormit, & quiescit in meridie.
O noctis umbra fulgida! ô fulgens specus!

10 Illud autem postremo loco addimus, perenne videlicet sanctissimo Viro, qui Callisti Cœmeterium adeo impense coluit, & præsentia toties illustravit, in celeberrima Sebastiani martyris Ecclesia monimentum, piorum virorum studio, Cisterciensis Familiæ Patribus, quibus ejusdem Ecclesiæ cura demandata est, adnitentibus erigendum nunc disponi, cujus quidem iconem (quæ sanctum virum intra Cœmeteriales cavernas demorantem ad vivum exhibet) ex prototypo Equitis Alexandri Algardi Bononiensis, sculpturæ artis hac ætate præcipui, artificum manu diligenter excerptam. Illustrissima Felix Rondanina conspicuæ pietatis, nobilitatis, ac eruditionis insuper Matrona, cæteris, quarum in sacris Martyrum Actis pietas elucet, & frequens mentio recurrit, cæteris, inquam, in eorundem SS. Martyrum, & Cœmeteriorum cultu haud impar, nostris hisce Subterraneæ Romæ paginis delineandam, piorumque oculis subjiciendam voluit, cui nos devoti animi ergo titulum hunc ab eodem Natale Rondanino digno ejusdem filio, ingenio pariter ac sanguine claro, in Nerii laudem elucubratum, coronæ instar affigimus.

Monimentum S. Philippo Nerio in Æde S. Sebastiani ponitur.

Felix Rondanina ejusdem iconem hic exhibendam curavit.

COE-



raphe
ffixa à
le
lani-

COECUS HIC LOCI SQUALOR
ET ILLUSTRI MARTYRUM SANGUINE ADHUC STILLANS,
AT S. PHILIPPI NERII
LONGO DECEM ANNORUM DOMICILIO ILLUSTRIOR.
QUEM DUM IPSE INHABITARET,
ADEO AFFLUENTE DE CÆLO DIVINÆ DULCEDINIS COPIA
RECREATUS EST,
UT UNDIQUE EXUBERANTE AMORIS VI
VELUT IMPOTENS SUPERFUNDENTIS SE GAUDII
CLAMARET SUBINDE,
PETERETQUE
UT CESSARET TANTUS LÆTITIÆ ÆSTUS,
QUEM MORTALIS ANGUSTIÆ PECTORIS NON CAPERENT.
NE IGITUR INTER HÆC ILLVSTRIA
MARTYRVM MONIMENTA
TANTI VIRI VETVSTAS ABOLERET NOMEN,
TESTATISSIMVM HOC ERGA IPSVM PIETATIS
MONVMENTVM POSITVM EST
ANNO IVBILÆI M. DC. L.

Et hæc nobis ex multis pauca prælibasse obiter haud ab instituti proposito alienum omnino visum est, ne viri sanctitate conspicui, ac de sacris, recolendisque his locis optime meriti recolenda jugiter memoria lectorem sacræ antiquitati inhiantem prætereat. Sed restat nunc, ut de Catacumbis, de quibus mentio facta est, sermonem prosequamur.

Platonia facta à S. Damaso Papa.

11 At verò cum toto animi studio sacra Martyrum loca, ac veneranda eorundem vestigia B. Damasus Papa prosequeretur, peculiari quodam devotionis cultu locum, qui ad Catacumbas dicitur, excolere nullatenus destitit; ibi enim Platoniam fecit; marmoreis quippe tabulis totum ejusdem loci sinum usquequaque honorificentius exornavit, ut Bibliothecarius his verbis enarrat: *Hic fecit & aliam Basilicam Via Ardeatina, ubi requiescit in Catacumbis, & ædificavit platoniam, ubi corpora Apostolorum jacuerunt.*

Bibl. in Dam. M.S. Cod. S. Petr.

Græci Apostolorum corpora rapere contendunt, sed divinitus prohibentur.

12 Id plane ex M. S. ejusdem Cod. S. Petri Actis comprobatur, ubi isthæc recitantur: *Construxit & Basilicam aliam juxta muros Urbis in Catacumbis, ubi recondita fuerunt corpora Apostolorum, cum & Græci, ut ad Orientem deferrent, de locis, in quibus sepulta fuerant, tollere tentaverunt. Tunc ingens terræmotus in Urbe factus est, quod Romani divino nutu comperientes, insecuti sunt eos, & confusis sacrilegis, sanctissima corpora receperunt, & honorifice locaverunt in Platonia, quam ob eorum reverentiam B. Damasus versibus decoravit. Qui etiam in eodem loco multa corpora SS. Martyrum requisivit, & invenit, quorum nomina, velut hactenus cernitur, versibus decoravit.* Verum Ecclesia, cujus hic mentio fit, ex quorundam sententia, ipsamet D. Sebastiani fuisse creditur; quæ sæpe sæpius sub Apostolorum titulo ab ipsomet Bibliothecario appellatur. Eodemque plane titulo in M. S. B. Quirini Episc. Scisciani & Mart. item Actis, Cod. Vat. & apud Surium to. 3. 4. Iunii, speciatim recensetur: *Facta autem incursione*, inquit, *barbarorum, in partes Pannoniæ, populus Christianus de Scarabatensi urbe Romam fugiens, sanctum corpus Quirini Episcopi & Martyris afferentes secum deduxerunt. Quem Via Appia milliario tertio sepelierunt in Basilica Apostolorum Petri & Pauli, ubi aliquando jacuerunt; & ubi S. Sebastianus requiescit, in loco, qui dicitur ad Catacumbas, ædificantes nomini ejus dignam Ecclesiam, &c.* Quæ sane verba de ipsismet Catacumbis, & de peculiari quadam Cœmeterii parte eisdem adhærente, quæ à Pontifice Damaso in Ecclesiæ formam, usumque redacta est, probabilius quidem intelligi posse videntur. Quamvis enim B. Sebastiani Ecclesia ob loci, qui proximus est, cohærentiam, & in quo sacra diutius corpora perstitere, Apostolorum quoque titulo interdum nuncupetur, hic tamen, & quidem expressis verbis, ut patet, Catacumbæ ipsæ jure merito designantur: in quibus platonias, ut asseritur, primum Damasus fecit, & ubi, hoc est, vel in ipsis videlicet Catacumbis, vel certe eumdem prope locum, Apostolorum & Martyrum sepulchra insculptis marmori versibus exornavit, à Baronio in Append. relatis Annal, to. 4. anno 367. ex antiquar. inscript. Appendice, quorum thema erat: In beatorum nimirum Apostolorum corpora à Græcis clam, ut in orientem deportarent, sublata, & à Romanis supervenientibus alio deferri prohibita. Inscripta autem à Damaso carmina, pietatis ejusdem Pontificis eximiæ monimenta digna plane, quæ obsequentium animis insculpantur, hæc sunt:

Bibliot. in Adrian. Pap. I.

ActaS. Quirini Ep. & Mart. Cod. Vat. & Sur. to. 3. 4. Iun. Translatio corporis S. Quirini.

Baron. an. to. 4. an. 367.

HIC HABITASSE PRIUS SANCTOS
COGNOSCERE DEBES,
NOMINE QUISQUE PETRI, PARITER
PAULIQUE REQUIRIS
DISCIPULOS ORIENS MISIT, QUOD
SPONTE FATEMUR,
SANGUINIS OB MERITUM CHRISTUM
SUPER ASTRA SECUTI,
ÆTHERIOS PETIERE SINUS, ET REGNA
PIORUM,
ROMA SUOS POTIUS MERUIT
DEFENDERE CIVES,
HÆC DAMASUS VESTRAS REFERAT
NOVA SIDERA LAUDES.

Antiq. in scrip. in Appen. pag. 1172 Baro. in Appen. to. 4. an. 38

Historia Græcorum corpora Apostolorum è Cœmeteriis rapientium.

13 Historiam verò de sacris Apostolorum corporibus in puteum projectis, indeque extractis, quæ in pervetusta quondam Vaticanæ Basilicæ porticu ad dexteram intrantibus, coloribus expressa conspiciebatur, è Vaticano desumptam archivo: Ecclesiæ insuper S. Martyris Sebastiani: Publici item Cœmeterii; & ejusdem Catacumbæ ichnographiam Gasparis Berti, & Francisci Continii opera exactè delineatam, studiosi lectoris oblectationi hic exhibemus.

Hac Tabula, cujus simulacrum hic vides, eadem exhibetur historia corporum SS. Petri & Pauli Apostolorum, cum è Catacumbis, ubi Græci illa reliquerant, ad eorum sepulchra relata fuere, ut S. Gregorius Magnus quoque narrat.

Hæ autem Imagines, desumptæ è Porticu veteris Basilicæ Vaticanæ, antiquissimæ esse dicuntur: nam, licet nonnulli tradiderint, Porticum illam à Martino V. ædificatam fuisse, argumento deducto à gentilitiis ejus insignibus, quæ ibidem extabant; tamen, dum eadem Porticus deponeretur, adverti plane potuit, insignia Martini esse anaglypha, & imposita vetustis iisdem figuris, quarum lineamenta, sublatis jam dictis insignibus, perpetua, ac continentia cernebantur, atque adeo cognosci dabatur, Martinum Pontificem tectum dumtaxat illius Porticus restituisse, picturas autem non attigisse, quas viri periti mille annis vetustiores esse judicarunt.


Expo-

ELEVATIO CORPORVM SS. APOSTOLORVM E CATACVMBIS
EX PORTICV VETERIS VATICANÆ BASILICÆ



PROIECTIO CORPORVM SS APOSTOLOR. IN CATACVMBAS
EX PORTICV VETERIS VATICANÆ BASILICÆ





Expositio Ichnographiæ Ecclesiæ S. Sebastiani, Cœmeterii illi subjacentis, & Catacumbarum.

1 Pars Ecclesiæ S. Sebastiani interior.
2 Frons, & Porticus Ecclesiæ.
3 Ostium, & Scalæ, quibus in Cœmeterium descenditur.
4 Aditus Cœmeterii, ubi vetus S. Sebastiani Altare visebatur.
5 Sepulchrum S. Lucinæ.
6 Parietes Cœmeterio instaurando constructi.
7 Semitæ Cœmeteriales obstructæ.
8 Cubicula absque picturis.
9 Semitæ oppletæ, & occlusæ, quæ, sicut credibile est, in aream Cœmeterii Callisti majorem coëunt.
10 Locus, ubi corpus S. Cæciliæ extitit.
11 Inscriptio sepulchri S. Maximi.
12 Scalæ, & ostium, quà in Ecclesiam regressus patet.
13 Sacellum S. Fabiani.
14 Sacrarium vetus.
15 Altare Reliquiarum.
16 Novum S. Sebastiani Altare.
17 Alia Ecclesiæ Altaria, & Sacella.
18 Sacrarium novum.
19 Scalæ Monasterii.
20 Pars Monasterii.
21 Ostium, & ambulacra, quæ ducunt ad Catacumbas.
22 Scalæ, quibus in Catacumbas descenditur.
23 Locus, seu cubiculum, quod descendentibus in Catacumbas primum occurrit.
24 Area Catacumbarum.
25 Altare, sub quo visitur puteus, seu locus, ubi corpora Apostolorum extitere: puncta verò, quæ illum circumeunt, vacuam ejusdem loci aream designant.
26 Sedes Pontificalis è marmore.
27 Vasculum lateritium calce firmatum.
28 Sedilia per circuitum disposita in Catacumbis.
29 Monumenta arcuata.
30 Aliæ scalæ novæ Catacumbarum.
31 Locus in planis ambulacrorum, qui respicit Catacumbas.
32 Ostium, unde itur versus Basilicam S. Pauli.
Omnes semitæ, & loca punctis notata sunt subterranea.

14 Martyrum verò sepulchra, quæ ab eodem beatissimo Pontifice condigno quidam honoris cultu exornata sunt, isthæc lector habes:


Antiq. inscrip in Append. pag. 1171. Bar. in Appen. to. 4. ann. 367.

SANCTORUM QUICUNQUE LEGIS VENERARE SEPULCHRUM,
NOMINA NEC NUMERUM POTUIT RETINERE VETUSTAS.
ORNAVIT DAMASUS TUMULUM COGNOSCITE RECTOR
PRO REDITU CLERI CHRISTO PRÆSTANTE TRIUMPHANS,
MARTYRIBUS SANCTIS REDDIT SUA VOTA SACERDOS.

Quibus certe carminibus sanctissimus Pontifex id innuere videtur, hæc à se in Martyrum obsequium ornamenta, ex voto forsitan nuncupato, tunc potissimum præstita fuisse, cum Ursicini acrior schismatis instaret procella; eo enim tempore Romanus Clerus haud in tanta rerum ambiguitate fluctuans, in ipsummet Damasum veluti legitimum Pontificem excipiendum, venerandumque consensit: ad quod pariter alludere voluisse in supra recensito Tarsicii Epitaphio creditur, illis præsertim verbis: *Titulos post præmia reddit.*

15 Sepulchralem item hunc titulum Damasus Irenæ germanæ ibidem sorori conditæ inscripsit: qui apud Baronium To. x. ex Append. Antiq. Inscript. recitatur, nimirum:

HOC


Ichnographia Ecclesiæ Sancti Sebastiani
Cœmeterij illi Subiacentis et Catacumbarum

aphium
æ.
Inscr.
Append.
1172.
n. in
nd. 10.
384.

HOC TUMULO SACRATA DEO NUNC
MEMBRA QUIESCUNT,
HIC SOROR EST DAMASI, NOMEN SI
QUÆRIS, IRENÆ.
VOVERAT HÆC SESE CHRISTO CUM
VITA MANERET,
VIRGINIS UT MERITUM SANCTUS
PUDOR IPSE PROBARET.
BIS DENAS HYEMES NECDUM
COMPLEVERAT ÆTAS,
EGREGIOS MORES VITÆ
PRÆCESSERAT ÆTAS,
PROPOSITUM MENTIS PIETAS
VENERANDA PUELLÆ,
MAGNIFICOS FRUCTUS DEDERAT
MELIORIBUS ANNIS.
TE GERMANA SOROR NOSTRI NUNC
TESTIS AMORIS
CUM FUGERET MUNDUM, DEDERAT
MIHI PIGNUS HONESTUM,
QUEM SIBI CUM RAPERET MELIOR
NUNC REGIA CÆLI,
NON TIMUI MORTEM, CÆLOS QUOD
LIBERA ADIRET;
SED DOLVI FATEOR, CONSORTIA
PERDERE VITÆ,
NUNC VENIENTE DEO NOSTRI
REMINISCERE VIRGO,
UT TUA PER DOMINUM PRÆSTET
MIHI FACULA LUMEN.

Verum amantissimus frater, ne ullo unquam tempore à sorore, quam unice semper dilexerat, & nec mortuus quidem loco disjungeretur, peculiarem sibi apud eandem tumulum delegit, carminibus hisce prænotatum:

QUIS GRADIENS PELAGI FLUCTUS
COMPRESSIT AMAROS,
VIVERE QUI PRÆSTAT MORIENTIA
SEMINA TERRÆ,
SOLVERE QUI POTUIT LAZARO SUA
VINCULA MORTIS,
POST TENEBRAS FRATREM, POST
TERTIA LUMINA SOLIS,
AD SUPEROS ITERUM MARIÆ DONARE
SORORI,
POST CINERES DAMASUM FACIET
QUI SURGERE CREDO.

16 Hæc igitur potissima Cœmeterii, quod Callisti dicitur, pars, Catacumbis, ut jam exposuimus, adhærens, à B. Damaso instaurata, & ab eodem fortasse Ecclesia desuper aucta, cum ipsemet ibi unà cum matre ac sorore sepulchri locum obtinuerit, jure quidem merito Cœmeterium Damasi appellari promeruit: quinimo & SS. Marci & Marcelliani nomine idem Cœmeterium nuncupari contigit, eam videlicet ob causam, quod juxta illud beatorum eorundem Martyrum sepulchra extarent. Quapropter Biblioth. in Joannis Papæ VII. gestis, de iisdem expressam pariter mentionem facit, in hæc verba: *Laboravit autem & in Cœmeteriis beatorum Martyrum Marcelliani & Marci, Damasique sancti Pontificis.* Quæ quidem BB. Marci & Marcelliani corpora inde in Urbem translata, cum diu ignoto recondita loco delituissent, demum superioribus annis, Deo disponente, unà cum S. Tranquillini presbyteri corpore apud Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani tunc temporis innotuere, cum S. Felicis Papæ corpus ibidem uno eodemque sepulchro conditum præter omnium expectationem adinveniri contigit: verum sacra horum corpora, marmoreæ interjectu tabulæ, à beati Pontificis corpore secernebantur, quæ hujusmodi legentibus titulum præ se ferebat:

HIC REQUIESCUNT CORPORA SS.
MARCI ET
MARCELLIANI, ET TRANQUILLINI
PRESBYTERI.

Quæ duo quidem nobilissima pignora decentiori illata tumulo in eadem adhuc Ecclesia honorifice asservantur.

17 At verò sanctissimi Pontificis Damasi corpus in Ecclesiam olim ab ipso juxta Pompeji Theatrum in honorem S. Laurentii Mart. erectam, translatum est; ubi hodie summa fidelium veneratione colitur. Hujus autem recolendæ translationis certum omnino tempus ignoratur: si tamen fides ulla Bibliothecario præstanda est, certe ex his, quæ ipse in Hadriani Papæ gestis asserit, satis evidenter convincitur, longe ante Hadriani Pont. tempora id contigisse, dum ait ab eodem Pontifice sacram B. Martyris Ecclesiam unà cum altari, sub quo S. Damasi corpus requiescit, instauratam, ac splendide insuper exornatam fuisse: *Renovavit*, inquit, *etiam tectum Basilicæ S. Laurentii, quam Damasi vocant, ubi vestem super ejus altare de stauracin fecit, simulque aliam vestem de post altare fecit, ubi requiescit corpus S. Damasi.* Et in M. S. ejusdem Actis Cod. Vat. Basilicæ quamplura recensentur miracula, quæ ad sacri ipsius corporis in eadem Ecclesia existentis obsequium contigere.

Translatio corporis S. Damasi.



18 Illud postremo loco enarratis subtexere visum est. Beati videlicet Damasi corpus, qui indefesso jugiter labore sepulchris martyrum exornandis studuit, in obsequii martyribus impensi præmium multiplicibus à Deo triumphis decoratum, & toties redivivum è sepulchro in lucem emersisse, quoties idem ex uno loco in alium transferri contigit. Quippe post memoratam hactenus translationem, quæ sub Hadriano Pontifice contigit, novissime hoc nostro sæculo, anno videlicet 1639. sub Urbano VIII. dum Franciscus Card. Barberinus S. R. E. Vicecancellarius, & ejusdem Ecclesiæ titulo insignitus, Templi Absidem in splendidiorem formam restituendam curaret, veteri inde amoto altari, sub quo sancti Pontificis corpus asservabatur, en tibi preciosum pignus sub ipsius Romæ oculis, condignis fidelium votis excipiendum, ac jugi honoris cultu celebrandum, cunctis lætantibus, ac plaudentibus iterum in lucem venit, quod ibi olim unà cum invicti martyris Eutychii corpore depositum fuerat, ejuscemodi insculpto titulo:

S. Damasi corpus pluries transfertur.

SUB HOC ALTARE CONDITA SUNT
CORPORA S. DAMASI PAPÆ,
ET CONF. ET S. CHRISTI
MARTYRIS EUTYCHII.

Verum nobili postmodum theca inclusum sanctiss. Pont. corpus anno 1645. Kal. Sept. qua potissimum die solemnis dedicationis ejusdem Basil. memoria recurrit, pridie ejus diei juxta sanctorum canonum præscripta vigiliis de more peractis, & novo juxta S. R. E. ritus altari consecrato à Rev. D. Jo: Bapt. Scannarolo Archiepiscopo Sydoniensi, sub eodem altari variis è marmorum crustis affabre elaborato, pia Cardinalis ejusdem manu, unà cum sacris Eutychii pignoribus, pretiosi instar thesauri, intra æneam arcam, hac inscriptione addita, conditum fuit:

Corpora SS. Damasi, & Eutychii honorificentius recondita.

DIVIS DAMASO PONTIFICI,
ET EUTYCHIO MARTYRI
FRANCISCUS CARD. BARBERINUS
S. R. E. VICECANC.
ÆNEUM HOC SEPULCHRUM CONDIDIT;
POST EXTRUCTAM
A FUNDAMENTIS IN HONOREM
D. LAURENTII,
ET HORUM SS. MARMOREAM
TEMPLI ABSIDEM,
UT IPSI DE EJUS SALUTE SOLICITI SINT,
ANNO M. DC. XXXXV.

Inscriptio sepulchri SS. Damasi, & Eutychii.

Et hæc obiter de Damasi corpore enarrasse voluimus.

CAP. XIII.

De B. Zephyrini Cœmeterio.

S. Zephyrinus Pontifex.

1 QUoniam de B. Zephyrino Romano Pontifice, qui Callistum præcessit, ut singula antiquitatum vestigia perscrutemur, hic à nobis ex ordine sermo instituendus est, ea utique lectori in mentem revocanda sunt, quæ Biblioth. in hunc plane modum describit: *Qui etiam sepultus est in Cœmeterio suo juxta Cœmeterium Callisti.* Quibus sane verbis, Cœmeterium aliquod ab eodem Pontifice ad Martyrum sepulturam excitatum fuisse, innuere videtur, cujus tamen haud ulla alibi memoria extat: ex quo facile sibi lector suadere potest, hoc, cujus mentio incurrit, Callisti Cœmeterio cohæsisse; cui deinde ab eodem Callisto in ampliorem formam redacto additum alterum, unitumque fuerit. Et hæc de Cœmeterio, cujus nulla quidem vestigia, nomen autem duntaxat superest, hic breviter enarrasse sufficiat.

Biblioth. in Zephyrino PP.

CAP. XIV.

De Cœmeterio ad sanctam Cæciliam.

1 ILla Cœmeterii ejusdem, quod Callisti dicitur, pars, in qua sacrum nobilissimæ virginis ac Martyris Cæciliæ corpus conditum est, ejusdemque memoria adhuc viget, haud alio titulo, Quam Cœmeterii ad S. Cæciliam, nuncupata fuit ut Ado, Beda, Usuardus, nec non cuncta pariter Martyrologia his plane verbis testantur: *Romæ Via Appia sanctorum Martyrum nongentorum, qui positi sunt in Cœmeterio ad S. Cæciliam.* Acta quoque S. Urbani M. S. Cod. Later. in quibus de quadraginta Martyribus ibidem conditis isthæc recitantur: *Corpora verò eorum collegit Polemius presbyter; & ubi Christi Martyr erat Cæcilia, illic eos sepelivit, &c.* Et paucis quidem verbis nobilissimi Cœmeterii gloriam tibi ob oculos, amice lector, adumbravimus: sed ad ulteriora, si libet, progrediamur.

Nongenti Martyres in Cœmeterio S. Cæciliæ.

Ado, Beda, Usuardus. Mart. 4. Non. Mart.

Quadraginta Martyres in Cœmeterio S. Cæciliæ.

CAP. XV.

De Cœmeterio ad S. Xystum.

1 PAri item ratione, ut supra jam diximus, præcipua Cœmeterii pars, in qua sanctissimi Pontificis ac Martyris Xysti II. corpus sepulturæ olim demandatum fuerat, ejus postmodum nomine insignitum, Xysti Cœmeterium vulgo nuncupata est. Apud probatos enim sacrarum historiarum scriptores, Adonem videlicet, & Bedam in Martyrolog. 4. Non. Martii hæc de S. Lucio Papa leguntur: *Natalis S. Lucii Papæ & Martyris, qui in persecutione Valeriani, & Gallieni ob fidem Christi exilio relegatus, & postmodum ad Ecclesiam suam redire permissus, martyrium capitis obtruncatione complevit. Positus Via Appia ad S. Xystum.* In eo Nimirum Cœmeterii loco, qui Callisti dicitur; hic enim postea, desumpta à præclaro martyre, ac Pontifice denominatione, ad S. Xystum, uti jam diximus, appellatus est. Lucius quippe in pontificali munere Xystum antecesserat; sed eo potissimum nomine à Beda, atque Adone locus prænotatur, quo tunc temporis, quando hæc scribebat, omnium voce nuncupabatur. Eadem fere loquendi formula in describendo B. Maximi sepulturæ loco usi sunt, quem pariter ad S. Xystum tumulo illatum fuisse affirmant; quamvis, ut iidem, & Usuardus pariter, ac Petrus in Catalogo edocent, sanctissimus hic Pontifex longe ante Xysti tempora, sub Maximino videlicet, vel juxta Martyr. Rom. sub Valeriano, nobili pro fide martyrio coronatus fuerit.

S. Lucius Papa.

Ado, & Bedam in Mart.

S. Maximus Presbyt.

Usuard. Petr. de Natal. in Cata.

2 In hac item Cœmeterii parte pio Beatæ Anatoliæ ministerio sacra Martyrum Caloceri, & Parthemii corpora condita fuere, ut eorum Acta his verbis legenti fidem faciunt: *Tunc S. Anatolia, cujus servi rapuerunt sanctos Calocerum & Parthemium, ipsa per se condivit aromatibus, & in vicina crypta, in qua erat positum corpus Papæ Xysti Episcopi, quem Decius Rex occiderat, cum omni diligentia sepelivit, ita ut etiam porphyreticis columnis ornaret sepulchrum eorum. In quo loco beneficia Martyrum exuberant usque in hodiernum diem.*

SS. Calocerus & Parthen. *Act. SS. Mart. C. & Part.* Sepulch. Martyr. in Cœmeterio ornata columnis porphyreticis.

3 Denique, ut arcanos omnes, quibus Cœmeterium hoc mirifice locupletatur, thesauros legenti pandamus, eodem pariter loco à S. Gregorio presbytero Eusebius presbyter post illustre martyrium illatus est, qui quondam sub Constantio impio Arriano decertans pro fidei defensione coronatus fuerat: ob delatum autem Martyri obsequium, ipsemet Gregorius eadem in crypta, Constantii jussu inclusus, & paulo post vita functus, juxta eundem Eusebium, cui honorem sepulchri detulerat, ab Orosio presbytero pari honore tumulatur, ut in M.S. eorundem Actis Codd. Later. Vat. & S. Petri legendum his verbis exhibetur: *Tamen post menses septem dormitionem accepit S. Eusebius, nono decimo Kalend. Sept. Ejus corpus collegerunt Gregorius & Orosius presbyteri, & parentes ejus: & sepelierunt in crypta juxta corpus B. Xysti Martyris & Episcopi, Via Appia in Cœmeterio Callisti; ubi & titulum ipsius ii scribentes posuerunt pro commemoratione ejus:*

S. Eusebius Presbyt.

Orosius Presbyt.

M.S. Cod. Lat. Vat. &c.

EUSEBIO HOMINI DEI.

En paucis verbis immensum Martyris ac meritorum elogium. Hominem Dei appellasse satis est; huic laudi quidquam addere, demere est: *Nonne Homo secundum cor Dei*, appellatus est David, cum ipsius Dei voce laudari promeruit? uno verbo omnia dixit. Sed interim quæ in præmemoratis exhibentur actis, excipiamus: *Eodem tempore nuntiatum est Constantio Imperatori, quod Gregorius & Orosius presbyteri collegissent corpus Eusebii presbyteri; & iratus Constantius Imperator, præcepit, ut in eadem crypta vivus includeretur Gregorius. Tunc Orosius presbyter collegit semivivum B. Gregorium noctu occultè propter Constantium Augustum, & emisso spiritu sepelivit eum juxta corpus S. Eusebii presbyteri: qui etiam Orosius hæc gesta conscripsit.*

4 Totidem hoc ipsum verbis, iisdemque excerptum ex Actis apud Adonem videre est; ex quibus satis aperte lector conjicere valet, locum hunc ad Xystum, ut præmisimus, olim nuncupatum, in celeberrimo Callisti Cœmeterio, aut certe juxta ejusdem ambitum extitisse. Argumentis autem hucusque ad id comprobandum in medium prolatis illud lector, si lubet, adjicias, quod ab ipso Bibliothecario in B. Leonis Papæ Tertii gestis enarratur; eundem videlicet locum haud procul à S. Cornelii Papæ sepulchro recensitum fuisse:

Ado de hi Mart.

Locus ad Xystum communiter dictus.

Bibl. in gestis S. Leon. Pap. III.

dum

dum enim Cœmeterii S. Xysti instaurationem ejusdem Leonis opera præstitam exacte describit, hæc ait: *Necnon & Cœmeterium B. Xysti, atque Cornelii Via Appia renovavit.* At beatum Cornelium Pontificem in Callisti Cœmeterio, vel prope illud dumtaxat depositum fuisse novimus: ubi à S. Leone Magno in ejusdem honorem Ecclesia postmodum erecta fuit, ipso Bibliothecario teste, in gestis ejusdem Leonis Papæ his verbis: *Fecit autem & Basilicam B. Cornelio Episcopo & Martyri juxta Cœmeterium Callisti Via Appia.*

5 Quinimmo ex his, quæ Paschalis Pontifex hujus nominis primus refert, cum de recolenda corporis B. Cæciliæ inventione agit, ut præsertim videre est in M. S. Cod. Vallic. perspicue quidem, & veluti digito demonstratur præmemoratum Xysti Cœmeterium in eadem Cœmeterii Callisti parte extitisse, quæ ad S. Cæciliam alio nomine nuncupatur, isthæc autem ibi recitantur: *Qui etiam annuente Domino, ejusque solito juvamine proponentes, in Cœmeterio S. Xysti Episcopi foris portam Appiam; sicut in sacratissima illius passione manifeste narratur, inter Collegas Episcopos in aureis indumentis cum venerabili sponso reperimus. Ubi etiam linteamina, cum quibus sacratissimus sanguis ejus absterfus est; de qua spiculator tertia percussione crudeliter ingesserat, ad pedes beatissimæ virginis in unum revoluta, plenaque cruore invenimus.* Hucusque Paschalis. Ex quibus item apertissime constat, Cœmeterium hoc eo loco, ut quidam perperam opinati sunt, nullatenus extitisse, ubi nunc intra Urbis mœnia, eadem Via Appia prope Fasciolæ Titulum, seu sanctorum Nerei, & Achillei sub titulo Xysti Martyris perantiqua & celebris Ecclesia conspicitur. Attamen apud omnes indubitatum est, venerandum beatissimi ejusdem Martyris corpus unà cum aliis, ex eodem postea Cœmeterio in Ecclesiam hanc translatum fuisse, uti pariter & pretiosa beati Lucii Papæ pignora in Ecclesiam S. Cæciliæ trans Tyberim deferri contigit, & hæc satis.

CAP. XVI.

De Prætextati Cœmeterio.

1 PRætextatæ gentis cognomentum, ex quo Cœmeterium hoc, ut putamus, denominationem sortitum est, illustre quondam apud Romanos extitit; de quo Macrobius sæpissime Saturnal. lib. 1. cap. 1. & in ipsis Gentilium fastis quamplures ejusdem cognomenti gentilitiæ familiæ, & viri quidem merito ac dignitate præstantes recensentur.

2 Nam ut nonnullos ex his, quorum adhuc antiquos apud scriptores mentio viget, repetamus. Certe de Asinii Prætextati Consulatu, qui unà cum collega Attico sub Gordiano III. Imperatore contigit, Julius Capitolin. & Cassiod. agunt. Ejusdem quoque Gordianus lib. 1. de rei vendic. in Cod. Theodos. & alibi meminit. De Vettio item Prætextato, qui sub Juliano Achajæ Proconsul, sub Imperatoribus verò Valente, & Valentiniano Urbis præfecturam gessit, frequens admodum mentio incurrit apud Ammian. Marcellinum lib. 27. Zosim. hist. lib. 4. & D. Hieronymum ad Pammach. cui quamplures à Symmacho scriptæ leguntur epistolæ, eidemque plura ab Imperatoribus rescripta transmissa adnumerantur. Huic sua pariter Macrobius ob splendorem nominis Saturnalia dicavit: cui demum in Romana olim Urbe statua erecta fuerat, cujus hodie basis in amœnissimo Matthæiorum Viridario ad Cœlium collem inter recolenda antiquorum temporum monimenta suspicitur.

3 Post hunc præclari nominis Vettium Rufus alter Prætextatus Posthumianus floruit, illius Mariniani filius, qui, Onuphrio teste, unà cum Flavio Asclepiade sub ipsa Imperatoris Honorii tempora Consulatum gessit. In sacris autem Fastis haud pauci pietatis ac sanctitatis titulo illustres recoluntur. Quamobrem in B. Sophiæ actis Prætextati cujusdam B. Lucinæ, virginis sanctissimæ, germani fratris, regia è stirpe oriundi memoria agitur, qui sub Anacleto Papa pari sanguinis ac meritorum nobilitate conspicuus vixit. In Romano item Martyrologio 3. Idus Decemb. Prætextati alterius condignis notis præconia celebrantur, Qui Romæ viriliter sub Maximiano pro fide decertans, unà cum Thrasone, & Pontiano martyrii palmam adeptus est. Cæteris demum prætermissis, circa redempti orbis annum 580. Prætextatus Episcopus Rothomagensis ac martyr, miræ vir sanctitatis, ac præclaris decorus meritis in Ecclesia fulsit; de quo in Romano Martyrologio VI. Kalend. Martii sermo agitur; eundemque summis laudibus Gregorius Turonensis concelebrat hist. lib. 5. cap. 18. lib. 7. cap. 16. & lib. 8. cap. 20. & 32.

Rufus Prætextatus Posthumianus. *Onuphr. Pan.*

Prætextatus B. Lucinæ virginis frater. *Mart. Rom. 3. Idus Sept.*

Prætextatus Episc. Rhotomagensis. *Mart. Rom. 6 Kal. Maji.* *Greg. Turon. hist. l. 5. c. 18. l. 7. & l. 8. c. 20 & 30.*

4 Quoniam igitur Cœmeterium, de quo mentio est, à præclaro ejusdem nominis viro extructum est, vel certe eam ob causam, quod Martyr quispiam, qui hoc potissimum nomine nuncuparetur, eodem loco conditus fuerit, inde Prætextati titulum, ut nobis conjicere fas est, obtinuit; sub quo item nomine à scriptoribus inter alia Urbis Cœmeteria recensetur. Quare Cencius Camerarius ea veluti omni religionis cultu dignissima loca enumerans: *Cœmeterium*, inquit, *Prætextati juxta portam Appiam ad S. Apollinarem.* Petrus Manlius idem plane his verbis: *Cœmeterium Prætextati inter portam Appiam & S. Apollinarem.*

Cœmeterium Prætextati unde nomen suum sumpserit? *Cencius Cam. de Cœm. Prat.* *Petr. Manl. de eod. Cœmet.*

5 Porro de B. Apollinaris Ecclesia, juxta quam Prætextati Cœmeterium situm fuisse asseritur, haud ullum ad hæc nostra tempora vestigium extat. Onuphrius tamen ejusdem meminisse videtur, dum paginam quandam solemni donationis ritu obsignatam refert ab Hieronymo S. R. E. Cardinali Diacono Tit. S. Mariæ novæ, quam is devotionis ergo Ecclesiæ S. Sebastiani anno Virginei partus 1467. præstitit; ubi possidendas quasdam sibi vineas extra portam Appiam reservat in loco, qui vulgo dicitur *S. Appollinaris*. Idem verò Onuphrius in eo, quem de Cœmeteriis inscripsit, Indiculo, Prætextati locum hunc describens, ait: *Cœmeterium Prætextati S. Presbyteri Via Appia, lapide primo euntibus per diverticulum sinistrorsum.* Sed revera locus iste, qui ab Onuphrio descriptus est, Callisti Cœmeterio adhæret, ejusdemque pars quædam esse dignoscitur, immo potius sub ipsomet tamquam membrum sub capite coalescens comprehenditur, uti pariter partes illæ Cœmeteriales, quæ ad sanctum Xystum & ad S. Cæciliam nuncupantur. In M. S. enim quibusdam Codd. ubi S. Cæciliæ corpus in Cœmeterio Xysti repertum fuisse legitur, id Bibliothecarius in Prætextati Cœmeterio contigisse pronuntiat. Ita plane in M. S. Cod. Basilicæ S. Petri de ejusdem inventione; & idipsum Io. Columna, Richardus, Guido, & S. An-

Ecclesia S. Apollinaris. *Onuph. Pan.* *Onuph. in indiculo de Cœmet.* *Bibl. in M. S. Cod. Bas. Vat.* *Io. Column. Richard.*

Cod. S. Ant.

S. Antoninus testantur. Sed quod ipsamet Cœmeteria fuerint, multiplici tamen nomine inscripta, aperte videre quivis potest ex M. S. Cod. Vatic. ubi isthæc: *In Cœmeterio S. Xysti, seu Prætextati sito foris portam Appiam.* Verisimile tamen nobis fit, ejusdem Cœmeterii aditum haud longe ab ipsismet Urbis mœnibus extitisse, ac latentes loci hactenus memorati cryptas ad Callisti usque Cœmeterium pertigisse, ita ut utrumque simul junctum, utramque pariter Viam, Appiam scilicet atque Ardeatinam complecteretur; cum in utroque earundem viarum ambitu situm olim fuisse frequenti scriptorum testimonio comperiamus.

S. Quirinus Tribunus.

Acta M. S. Vat S. Alex. Pap. Act. S Cæcil. & Vallic.

6 Ejusdem quoque Cœmeterii in antiquis Martyrologiis, ac beatorum Martyrum Actis frequens legentibus mentio incurrit; sed in Actis præcipue B. Alexandri Papæ, M. S. Codd. Vatic. S. Cæcil. & Vall. ubi S. Quirini Tribuni, & dignissimi S. Balbinæ parentis, quem Martyrologium tum Adonis, tum Romanum 3. Kal. Aprilis Via Appia tumulatum fuisse describunt; cujus item sepulchri locus his verbis prænotatur: *Quirinus Tribunus tortus equuleo cum ab Aureliani non cessaret injuriis, jussit ei manus ac pedes abscindi, & sic eum decollari, & projici canibus. Corpusque ejus à Christianis in Via Appia sepultum est in Cœmeterio Prætextati.* Et paulo post, Balbinam ejus filiam conditam ibidem fuisse asseritur; de cujus nobili certamine, ac sepulchro eadem Martyrologia 3. Kalend. April. & M. S. pariter ejusdem Acta Cod. Vat. isthæc enunciant: *Ipsa verò Balbina post devictum sæculi hujus cursum sepelitur juxta patrem suum Martyrem Quirinum, Via Appia in Cœmeterio Prætextati pridie Kalend. Aprilis.*

Mart. Rom. 3. Kal. Apr.

S. Balbina.

Mart. 3. Kal. April. de S. Balbin.

M. S. Cod. Vall.

SS. Tiburtius, Valerianus, & Maximus.

Mart. Bedæ. & Adon. 18. Kal. Maji.

7 Eodem quoque Cœmeterio invictos Christi Martyres Tiburtium; Valerianum, & Maximum illatos fuisse in Bedæ & Adonis Martyr. hunc in modum describitur: *Romæ Via Appia in Cœmeterio Prætextati, natalis sanctorum Tiburtii, Valeriani & Maximi.*

S. Urbanus Papa.

8 Ipsomet loco, qui recolendis tot Martyrum palmis ac monimentis apprime nobilitatus est, postmodum Urbanus Papa unà cum suis clericis post consummatum pro Christo certamen, martyrii palma adauctus, ut M. S. ejusdem Acta, Cod. Later. & Vat. testantur, honorifice depositus est; in iisdem autem actis sociorum quoque nomina his verbis describuntur: *At ubi cognoverunt quidam ex Christianis, quod sancti fortiter agonizantes occubuissent, venerunt & cum eis noctu Tribuni, id est, Favianus, Callistus & Ammonius, & tulerunt corpora sanctorum Ioannis, Chromatii, Dionysii, Martialis eunuchi, & Luciani humantes ea in Cœmeterio Prætextati: corpus verò S. Urbani Papæ ibi in superiori cœnaculo condiderunt, cantantes & funeris exequias psallentes Domino persolvebant.* Ex quibus satis per se nosse studiosus venerandæ antiquitatis indagator potest id, quod jam pridem à nobis enarratum fuerat, Cœmeteria nimirum alicubi duplicato, ac triplicato ordine constructa quandoque ac distincta extitisse, ita ut unum alteri subesset, cujus quidem rei si lubet quisquis ille est, oculatus utique testis explorando evadet. At quod ad rem præsentem attinet, & locus, de quo nunc agitur, exigere à nobis videtur, quorsum hic beatissimos Martyres Felicissimum & Agapitum Diaconos, Januarium, Magnum, Innocentium & Stephanum S. Pontificis Xysti secundi subdiaconos, silentio

M. S. Cod. Lat. & Vat.

Cœmeteria multiplici ordine constructa.

SS. Felicissimus, Agapitus, Januarius, Magnus, Innocentius, & Stephanus.

præterimus, quos hoc pariter Cœmeteriali loco unà cum eodem sanctissimo Pontifice tumulatos fuisse antiqua Martyrologia constanter asseverant, 8. Id. Aug. his quidem verbis: *Romæ Via Appia in Cœmeterio Callisti natalis B. Sixti Secundi Papæ & Martyris, qui in persecutione Valeriani gladio animadversus martyrii coronam accepit. Item SS. Martyrum Felicissimi & Agapiti, ejusdem B. Sixti diaconorum, Ianuarii, Magni, Vincentii & Stephani subdiaconorum, qui omnes cum eo pariter decollati sunt, atque in Cœmeterio Prætextati sepulti.*

Mart. 8. Idus Aug.

9 De hoc sacro interim Cœmeterio, ac de iisdem simul Martyribus Damasus locutus fuisse videtur in Inscriptione doctissimis ab eodem carminibus exarata, quæ à Baronio Annal. to. 12. recitatur ex Antiq. Inscript. appendice, quam ipsiusmet Cœmeterii vestibulo insculptam olim fuisse existimamus. Inscriptionis autem titulus, qui velut pretiosis intexta lapillis corona, locum omni veneratione dignissimum designat atque exornat, ob innumera videlicet ac gloriosa Martyrum pignora, quibus abunde cumulatur, hic est. Lege interim, tu quisquis es, & dum legis, venerare:

Bar. Annal. to. 12. ex app. Antiq. inscrip.

Inscriptio in vestibulo Cœmeterii Prætextati à S. Damaso posita.

HIC CONGESTA JACET QUÆRIS SI TURBA PIORUM
CORPORA SANCTORUM RETINENT VENERANDA SEPULCHRA
SUBLIMES ANIMAS RAPUIT SIBI REGIA CÆLI,
HIC COMITES XYSTI PORTANT QUI EX HOSTE TROPHÆA,
HIC NUMERUS PROCERUM SERVAT QUI ALTARIA CHRISTI,
HIC POSITUS LONGA VIXIT QUI IN PACE SACERDOS,
HIC CONFESSORES SANCTI, QUOS GRÆCIA MISIT,
HIC JUVENES, PUERIQUE, SENES, CASTIQUE NEPOTES,
QUIS, MAGE VIRGINEUM PLACUIT RETINERE PUDOREM.
HIC FATEOR DAMASUS VOLUI MEA CONDERE MEMBRA,
SED CINERES TIMUI SANCTOS VEXARE PIORUM.

Audisti paucis quidem verbis haud æquandam ex congestis sanctorum corporibus hujus Cœmeterii gloriam, quæ quot notis, totidem præconiis, Ægyptiarum instar Pyramidum monimentis, Sanctissimi Pontificis Damasi ore fidelium auribus personat, sed nos interim sinamus (quod olim Doctor Angelicus Thomas Aquinas de Seraphico viro Bonaventura edixit) *Sinamus*, inquam, *Sanctum laborare pro Sanctis.*

10 Porro singuli fere ex præmemoratis à Damaso Martyribus huic celebri Cœmeterio nomen dedere, peculiari videlicet subterranei ejusdem loci parti, in qua ex his quempiam pia fidelium manu tumulari contigit. Quapropter de Joanne Papa hujus nominis III. qui in Cœmeterio hoc diu profugus vitam egit, dum Bibliothecarius verba facit, ipsummet sanctorum Tiburtii, & Valeriani Cœmeterium appellat: *Tunc*, inquit ille, *sanctissimus Papa retinuit se in Cœmeterio sanctorum Tiburtii, & Valeriani, & habitavit ibi multum temporis, ut etiam Episcopos consecraret ibidem.* Et in conscriptis Gregorii Papæ Tertii gestis ab eo S. Januarii Cœmeterium instauratum fuisse refert, qui inter recensitos Xysti Secundi subdiaconos adnumerabatur. Sanctorum item Urbani Papæ, Tiburtii; Valeriani & Maximi titulo idem Cœmeterium inscribit, cujus hæc sunt verba: *Cœmeterium beatorum*

Joann Papa III.

Bibl. in Ioan. Pap. III. Cœmeterium SS. Tiburtii, & Valeriani.

Idem in Greg. Papa III. Cœmeterium S. Januarii.

rum Ianuarii, Urbani, Tiburtii, Valeriani & Maximi, & eorum tectum in ruinis positum à novo perfecit. Isthæc ad rem nostram Bibliothecarius. Qui Adriani item Papæ Primi gesta luculenter enarrans, apertis, id quod nuper à nobis assertum est, verbis demonstrat. Ipsum ergo, si libet, loquentem excipiamus: *Necnon & Ecclesiam beati Tiburtii & Valeriani, atque Maximi, seu Basilicam S. Zenonis, unà cum Cœmeterio sanctorum Urbani Pontificis, Felicissimi, & Agapiti, atque Ianuarii & Quirini martyrum foris Portam Appiam, uno cohærentes loco, quæ à priscis marcuerant temporibus, à novo restauravit.*

[esia SS. urtii, & eriani.]

11 Onuphrius vero, qui & perscrutandis rerum sacrarum antiquitatibus indefesso jugiter labore intendit, Marcellinum & Petrum in hoc eodem cœmeterio sepulturæ demandatos fuisse affirmat, in hujus autem rei assertione vir talis ac tantus forte hallucinatus est, ob æquivocam videlicet nominis derivationem à Tiburtio Martyre desumptam, qui unà cum iisdem in memorato hactenus Cœmeterio depositus fuisse dicitur, & in hoc ipso, de quo nunc sermo est, tumulo pariter exceptus legitur, sed ut, quod veritati consonum est, fateamur, Marcellinum & Petrum in peculiari ipsorummet Cœmeterio ad S. Helenam duas inter lauros Via Lavicana humatos fuisse nemo, qui probe sacram historicæ rei periodum calleat, assertis hactenus refragari, vel quoquo modo in dubium revocare poterit. Interim vero lector præmonendus est, Tiburtium illum, qui in recolendum Viæ Lavicanæ Cœmeterium illatus fuisse describitur, haud beatæ Cæciliæ sponsum, sed alterum quidem præclarum ejusdem nominis sub Diocletiano Martyrem extitisse, ut suo infra loco demonstrabitur. Demum, ut uno omnia verbo complectamur, hoc Prætextati Cœmeterium B. item Balbinæ nomine, ut perantiqua Martyrum acta legenti fidem faciunt, ab ejus corpore ibidem deposito insignitum est: necnon & beati quoque Marci Papæ titulo nuncupatum quandoque fuisse reperitur; qui scilicet idipsum, condigno Martyrum ibi quiescentium cultui prospiciens, instauravit, ampliavitque. Verum de eodem Cœmeterio in sequenti capite prolixius à nobis disserendum erit.

[ph. Pan. d. Cœm.] [nete- S Bal-]

CAP. XVII.

De beatæ Balbinæ ac sancti Marci Papæ Cœmeterio.

1 A Sanctissimo Pontifice Marco, qui felicissimis Constantini Magni temporibus Ecclesiæ præfuit, & cujus mira jugiter, ac omnium linguis celebranda pietas enituit, Ardeatina Via Ecclesiam exædificatam fuisse, constructo ibidem pariter cœmeterio, Anastasius Bibliothecarius in conscriptis ejusdem gestis enarrat, cujus hæc sunt verba: *Hic fecit duas Basilicas, unam Via Ardeatina, ubi requiescit; & altam in Urbe Roma juxta Pallacinas. Hujus suggestione obtulit Constantinus Augustus Basilicæ, quam Cœmeterium constituit Via Ardeatina, fundum rosarum cum omni agro campestri, præstantem solidos quadraginta.* Et prope eorundem gestorum finem isthæc addit: *Qui etiam sepultus est in Cœmeterio Balbinæ Via Ardeatina.* Ex quibus profecto patet, ab eodem Pontifice Ecclesiam Ardeatina Via, in ea nimirum Cœmeterii, quæ Prætextati dicitur, parte exstructam fuisse, in qua jam tum S. Balbinæ corpus sepulturæ commendatum fuerat, & quam celebri virginis ejusdem nomine nuncupatam diximus. Quod autem modo ad rei propositum lectori exposuimus, satis perspicue ab Adone in suo Martyrologio Nonis Octobr. his plane verbis exponitur: *Sepultus in Cœmeterio Balbinæ Via Ardeatina, ubi vivens Ecclesiam exstruxit.* Et in M. S. ejusdem Actis Cod. Vallic. isthæc habentur: *Sepultus est in Cœmeterio Balbinæ, quod ipse insistens fecit,* Nam piissimus idem ac munificentissimus Pontifex non Ecclesiam dumtaxat exædificavit, sed & instaurato insuper Cœmeterio, ampliorem illud in formam redegit: quam ob rem ipsummet S. Balbinæ Cœmeterium, Marci quoque usurpato passim vocabulo appellari contigit, ut in Actis potissimum Nicolai Papæ Primi to. 3. Conc. edit. Colon. in hæc verba videre est: *Inter hæc ad Cœmeterium B. Marci confessoris atque Pontificis, quod inter Appiam, Ardeatinamque Viam positum esse cognoscitur, sancto deductus est spiritu, & hoc quoque multis ruinis conquassatum reperiens, atque contritum, conatu summo relevans, mirifice construxit ac decoravit, divinique cultus mysterium, quod multos per temporum ab eo cursus discesserat, restituit & restauravit.*

[esia S. albinæ Ardea-] [st. Bibl. Marco]

[Ado in Mar. Non. Oct.] [M S. Acta S. Marci Papæ. Cod. Vallic.] [Acta Nicol. I. t. 3 Conc.]

2 Qui plane loquendi modus apud Bibliothecarium in Benedicti Papæ Tertii gestis reperitur, ubi isthæc recitantur: *Cœmeterium vero B. Marci confessoris atque Pontificis, quod ponitur foris portam Appiam in ruinis jam positum, omnia restauravit.* Ex his igitur (ut vides lector) aperte convincitur, B. Balbinæ Cœmeterium, cujus mentionem fecimus, necnon Ecclesiam, quæ à S. Marco Papa desuper erecta est, haud illam esse, quæ Aventinum apud montem hac nostra ætate suspicitur, ut nonnulli perperam arbitrati sunt; sed hanc videlicet, de qua nunc sermo à nobis texitur, eandemque haud intra, sed extra Vrbis mœnia sitam olim fuisse. Quod quidem ipsamet luce clarius ex nuper allato Bibliothecarii ejusdem testimonio comprobatur. Ubi enim ille de munificentissima Constantini Imperatoris liberalitate loquitur, duas istas, quas memoravimus B. Balbinæ Ecclesias inter se apertis verbis distinguit; quas idem Constantinus amplissimis, ut ejus pietati par erat, muneribus exornavit. Et dum præclara item Gregorii Papæ Tertii gesta Bibliothecarius recenset, ac luculenter celebrat, hæc ait: *Is*, nempe Gregorius, *Basilicam B. Marci sitam foris muros hujus civitatis Romanæ, Via Appia, ejus tectum dirutum, à novo refecit.* Porro nil mirum legenti videatur, si hoc idem B. Marci, vel S. Balbinæ Cœmeterium Via interdum Appia, aliquando vero Ardeatina situm fuisse frequenter apud scriptores legatur; eam nimirum ob causam, quia Cœmeterium hoc utramque inter viam positum, ad utramque pariter viam protendebatur. Hujus autem Ecclesiæ nullum modo, quod noverimus, vestigium extat, nisi quispiam forte asserere velit, parietinas illas, quæ viam inter Appiam, atque Ardeatinam à D. Sebastiani Ecclesia ad S. Pauli Basilicam euntibus patent, ejusdem jam dirutæ vestigia superesse, quod quidem ab his, qui congrue, sapienterque antiquis de rebus judicium ferre consueverunt, conjectari, haud omnino absurdum pronuntiandum est.

[Bibl. in Ben. Pap. 3.] [Ecclesia S. Balbinæ ad Aventinum] [Bibl. in Greg. III.]

3 Porro Marci laudatissimi Pontificis de Ecclesia Dei optime meriti memoria, ac ejusdem pariter sepulchri gloria, quam beatus Damasus quot carminibus, tot laudum præconiis, totidemque virtutum

[S. Marcus Pontifex.]

tutum trophæis insignem decoravit, haud hic ingrato à nobis silentio ea potissimum carmina obvolvi patitur, quæ Baronius in suis Annal. to. 12. ex antiq. Inscript. Appendice diligenter excerpta, ob scriptoris sanctitate conspicui meritum, & ob singularem viri satis nunquam laudandi prærogativam æternitati consecravit; hæc autem ejusmodi sunt:

Epitaphium S. Marci Papæ. *Antiq. inscrip. in Append. pag. 1173 n. 12 Bar. Annal. in Append. to. 3. an. 336.*

VITA FUIT MARCI QUAM NOVIMUS OMNES
ORE DEI POSSET QUI TEMNERE MUNDUM,
ORAVIT POPULUS QUOD DISCERET OMNIS
HONOR VITÆ GRANDIS CONTEMPTUS HABENDI
VIRTUS TENUIT PENETRALIA CORDIS.
TE CUSTOS CHRISTI PERFECTUS AMICUS,
ET DAMASUS TUMULUM CUM REDDIT HONOREM.
HIC MARCUS MARCI VITA, FIDE, NOMINE CONSORS.
ET MERITIS.

En Pontificis vere admirandi præconia devoto Damasi plectro, immo potius calamo concelebrata, & nostris hisce paginis exsculpta.

Corpus S. Marci Papæ transfertur.

4 Præclarum autem hunc sepulchralem titulum nobile antiquitatis recolendæ monimentum Damasus Marco inscripsit. Cæterum venerandum Marci corpus in hoc B. Balbinæ Cæmeterio usque ad Gregorii VII. tempora servatum est: tunc enim à fossoribus ibidem casu repertum, alio transferri contigit, quod demum in Ecclesia, quæ sub ejusdem B. Marci titulo, intra Urbis mœnia ab eodem ædificata est, haud procul à Capitolino colle depositum, ad hanc usque diem jugi fidelium veneratione colitur. Recolendæ autem hujus inventionis ac translationis historia in M. S. Cod Vat. n. 1196. prolixis utique verbis recitatur, quam, ne lectori tædium inferamus, hic recensere consulto omittimus. *M. S. Cod. Vat.*

CAP. XVIII.

De B. Petronillæ sanctorumque Martyrum Nerei, Acchillei, ac Flaviæ Domitillæ Cœmeterio Via Ardeatina.

1 Cœmeterium hoc, quod satis quidem per se notum, ac fama celebre est, inter cætera, quæ in Urbe vetustate præcellunt, adnumerari merito potest: suum quippe initium sub ipsamet Apostolorum tempora accepit. Nam, ut de reliquis Christi Martyribus, quorum reliquiis apprime nobilitatur, sileamus, B. Petronilla in eodem deposita est, quæ Apostoli Petri filia, communi omnium voce nuncupatur, vel quia ab eo progenita fuit, cum olim Petrus uxorem duxerit, ut inter cæteros asserunt Clemens Alexandrinus, Joannes Chrysostom. S. Ignat. Niceph. vel certe juxta probabiliorem aliorum sententiam, idcirco filiæ nomen obtinuit, quod virgo hæc à S. Petro sacro Baptismate initiata, & Christianæ fidei mysteriis imbuta, ejus in spiritu filia peculiari amoris titulo appellari meruerit, ea prorsus ratione, qua juxta Bedæ scriptoris probatissimi sententiam, idem B. Apostolus suum discipulum Marcum, filium nuncupavit; & ut in M. S. S. Thomæ Apostoli Actis Cod. Vat. & S. Mariæ ad Martyres exponitur, Pelagia virgo ejusdem beati Thomæ filia his quidem verbis inscribitur: *In hoc loco quiescit sponsa Dionysii Episcopi, quæ est filia Thomæ Apostoli.*

S. Petronilla. *Clem. Alex strom. l. 7. Io Chrys. hom. 4 in Isaiam. S. Ignat ep. 9. Nic. l. 2 c. 44. Beda in c. 5. ep. 1. Petri. M. S acta S. Thomæ Apost. Cod. Vat.*

Prædium Flaviæ Domitillæ.

2 Cum igitur Petronilla virgo corporeis soluta vinculis hinc ad Sponsum feliciter migrasset, sepulturæ eidem præstandæ causa, in arenaria quadam crypta, quæ in Flaviæ Domitillæ prædio juxta viam Ardeatinam latebat; Cœmeterium exstrui, aptarique cæpit; ubi postmodum beati Nereus, & Acchilleus ejusdem Flaviæ Domitillæ eunuchi, qui Tarracinæ martyrium pro Christo subierant, conditi fuere. Hæc autem omnia in M.S. eorundem Actis Codd. Later. Vatic. S. Petri & Vallic. his verbis recitantur: *Nereus & Acchilleus Memmio Ruso sunt traditi Consulari; à quo cum in equuleo suspensi, & flammis adusti compellerentur ad immolandum idolis, & dicerent se à B. Petro Apostolo baptizatos, nulla ratione posse idolis immolare, capite cæsi sunt. Quorum corpora rapuit Auspicius discipulus eorum, nutritor S. Virginis Domitillæ, quæ etiam naviculæ imponens adduxit; & in prædio Domitillæ, in crypta arenaria sepelivit, Via Ardeatina, à muro Urbis milliario uno & semis, juxta sepulchrum, in quo sepulta fuerat Petronilla Apostoli Petri filia. Hæc nos ipso Auspicio referente cognovimus, qui eorum corpora rapuit, & sepelivit.* Huc usque eorundem Acta. Verumtamen cum sapiens ac venerabilis rerum Ecclesiasticarum scriptor Beda in suo Martyrologio eosdem in Prætextati Cœmeterio conditos pronunciet, affirmare ultro cogimur, hoc idem beatæ Petronillæ Cœmeterium in crypta quidem dispositum ab initio fuisse, sed eo usque novis deinceps Christianorum sepulchris superadditis, longo ac spatioso ambitu dilatatum, ut eidem Prætextati Cœmeterio cohæreret.

SS. Nereus & Acchilleus. *M. S. Codd. Lat. Vat. &c.* *Beda in Martyr.*

Ecclesia Petronillæ.

3 Exstructa subinde fuit supra hoc Cœmeterium in virginis ejusdem honorem Ecclesia, cujus nullum ad hæc nostra tempora vestigium extat. Ejusdem tamen Ecclesiæ Franciscus Albertinus Vir eruditione conspicuus, qui sub Julii Secundi Pontificatu floruit, in libro potissimum, quem de rebus Urbis Romæ mirabilibus scripsit, meminit. Cujus hæc sunt verba: *Cæmeterium Domitillæ* (sic illud appellat) *Via Ardeatina apud Ecclesiam S. Petronillæ.* Bibliothecarius quoque pari auctoritate subscribit, dum Gregorium hujus nominis Tertium publicas, annuasque preces, ad quas populus convenire consueverat, & quas Stationem vulgo dicunt, ad Petronillæ Cœmeterium instituisse tradit, natalitio, ut credere par est, recurrente Virginis ejusdem die, cujus item Ecclesiam compluribus sacris muneribus exornatam his verbis enarrat: *Item in Cæmeterio S. Petronillæ Stationem annuam dare instituit, ubi obtulit coronam auream, calicem & patenam argenteam, seu alia diversa ad ornamentum Ecclesiæ pertinentia.*

Franc. Alb. *Bib. in Greg. Pap. III.* Statio ad S. Petronillæ Cœmeterium instituta. *Biblioth.*

Cœmeterium SS. Nerei, & Acchillei.

4 Cœmeterium præterea, de quo sermo nunc est, sanctorum quoque Martyrum Nerei & Achillei nomen, ab eorum videlicet corporibus ibidem reconditis, ut jam diximus, sortitum est; quo plane titulo inscribitur à Bibliothecario in Joannis Papæ Primi gestis, ubi isthæc recitat: *Hic Papa Ioannes fecit Cæmeterium beatorum Martyrum Nerei & Acchillei Via Ardeatina.* Ejusdem quoque Cœmeterii Baronius in suis ad Rom. Mart. notis meminit, hæc scribens: *Horum sanctorum nomine appellatum est Cæmeterium Via Ardeatina, quod restituit Ioannes Papa, ut legitur apud Anastasium in lib. de Rom. Pontif. in Ioanne Papa I.* hæc ibi. Porro locus hic omni

Idem in Ioan. Pap. I.

omni quidem veneratione dignus à S. Gregorio Magno mirifice nobilitatus est; ibi enim quondam sermonem ad populum habuit, & ut magis assertionis nostræ veritas elucescat, in M. S. Cod. S. Petr. beatissimi ejusdem Pontificis homilia vigesima octava in Euang. refertur, quæ hujuscemodi rubricæ titulo prænotatur: *Homilia lectionis ejusdem habita in Cœmeterio sanctorum Nerei, & Achillei in die natalis eorum.* Ex quibus sane verbis in controversiam revocari posse videtur, an istam Pastor sanctissimus Homiliam in præmemorato Cœmeterio exposuerit, an vero potius in Basilica, quæ eorundem Martyrum nomini in Urbe ad Antonini Caracallæ Thermas dicata est, ut ipsemet Baronius affirmare videtur: verum controversia dirimitur, ac omnis ambigendi scrupulus evanescit, si quis præmemoratæ vetustatem basilicæ secum mente rapiat: quippe quæ translatis illuc sanctorum istorum corporibus, non modo sub Gregorii, verum etiam sub ipsius Symmachi Papæ tempora, qui eundem longe præcessit, erecta jam fuerat; cujus quidem sententiæ veritas ex eo magis corroboratur, quod sacræ illi Synodo, quæ sub Symmacho Romæ anno redempti orbis 498. celebrata est, Justus sanctorum Nerei & Achillei presbyter subscripsisse reperiatur. Neque vero obstat verbum illud, quod in memorato titulo inscriptum legitur, videlicet *In Cœmeterio:* haud enim præter Ecclesiæ consuetudinem est, quæ sæpius Cœmeterii nomen pro ipsamet Ecclesia usurpare consuevit, ut in aliis sacris codicibus patet; quin & in impressis Romæ paginis cæmeterii loco, Basilica, vel certe Ecclesia legitur. Sed ne hic (quod æterna dignum memoria est) præterire videamur, horum beatorum martyrum illustris extat mentio in Martyrologio Romano, ubi nobile eorundem martyrium his verbis describitur: *Romæ Via Ardeatina sanctorum martyrum Nerei & Achillei fratrum, qui primo cum Flavia Domitilla, cujus erant Eunuchi, in insula Pontia longum pro Christo duxere exilium, postremum gravissimis verberibus attrectati sunt: deinde cum à Memmio Rufo Consulari equuleo & flammis ad immolandum compellerentur, dicerentque se à B. Petro Apostolo baptizatos, nulla ratione posse idolis immolare, capite cæsi sunt. Horum sacræ reliquiæ Romæ ex diaconia S. Hadriani in restauratum antiquum eorum titulum, ubi olim reconditæ asservabantur, solemniter jussu Clementis Papæ Octavi translatæ sunt pridie hujus diei.* hæc ibi. Porro Ecclesiam hanc jam penitus dirutam Cæsar noster Bar. qui ad Purpuram evectus hoc plane martyrum titulo insignitus fuerat, suis magnifice sumptibus in eam formam instauravit, qua modo conspicitur venerandaque martyrum pignora, ac præclaræ Virginis Flaviæ Domitillæ corpus illuc solemni ritu transtulit. Triumphali plane pompa elatum est invictæ Heroinæ corpus unà cum recolendis sociorum martyrum exuviis, & quæ urbis quondam Romæ fastum pro Christo contempserat, & sævitiam tyrannorum vicerat, & insulam apud Pontiam longum exilium perpessa fuerat, condignos multa post sæcula in Urbe triumphos, Deo disponente, promeruit: triumphales quippe Titi Imperatoris, cujus erat neptis, Septimii Severi, & Constantini arcus novo adaucta triumphi genere, miro Urbis, atque Orbis prodigio, subiit, & ad antiquum Fasciolæ titulum sibi erectum jam & restitutum nuper deducta, ibi demum mansura, velut in patrios recepta lares, diutinum post exilium, deposita est. Sed ipsum hic præstat audire Baronium totam exacte rem in suis ad Martyrologium notis describentem: *Fuit vetus*, inquit, *Romæ titulus nomine horum martyrum* (videlicet Nerei & Achillei (*cujus habetur mentio in registro S. Gregorii Papæ lib. 4. epist. 44. ubi idem Gregorius habuit homiliam 28. in Euangelia. Erant ibi sepulta eorundem martyrum corpora, simulque Flaviæ Domitillæ, quibus alludit, cum ait: Sancti isti, ad quorum tumbam consistimus florentem mundum mentis despectu calcaverunt, &c. Quæ tria sacra corpora hoc ipso anno, quo hæc denuo cudimus 1597. quinto Idus Maji ex Diaconia S. Hadriani, quo sub Gregorio Nono translata fuerant, ac demum sub Sixto V. ab Augustino Card. Cusano ejusdem Ecclesiæ tunc diacono Cardinali, altari majore à se magnificentius exstructo, decentius collocata, nos restituto titulo, S. D. N. Clemente Octavo concedente, in suum pristinum locum celebri pompa reduximus, unà cum eorum capitibus thecis auratis inclusis.* hæc Baronius. Porro dignissima eximiæ Virginis, ac sociorum martyrum capita, quæ tot coronis, quot pœnis decorata sunt, Cardinalis ejusdem liberalitate argento inclusa, quod eorundem imaginem exhibet, in nostra Beatæ Mariæ & Gregorii in Vallicella Ecclesia trophæorum instar, perhonorifice asservantur. Si quis vero præclarissimæ fæminæ haud unquam satis pro merito laudandæ præconia laudum assequi cupit, Baronium consulat, qui in suis ad Martyrologium Notis easdem uberrime prosequitur, ubi isthæc præcipue ad rem nostram inserit: *Tantæ virginis constantia non tantum sunt illustratæ ethnicorum historiæ, sed ipsa quoque loca exilii ejus præsentia sunt reddita clariora, de quibus S. Hieronymus epist. 17. cum navigationem S. Paulæ Hierosolymam describit, hæc ait: Delata ad insulam Pontiam, quam clarissimæ quondam fæminarum sub Domitiano Principe pro confessione nominis Christiani nobilitavit exilium; vidensque cellulas, in quibus illa longum martyrium duxerat, sumptis fidei alis (Fuit Flavia Domitilla, de qua agimus, filia sororis Flavii Clementis Consulis, ut scribit Eusebius hist. lib. 3. c. 14. &c.)* Hæc Baronius longum utique ibidem subtexens sermonem de nobilissima Virgine domi, forisque nota, & longo pro Christi fide exilio pariter, ac martyrio coronata. At festivam singulis recurrentem annis lectissimæ Virginis memoriam, eoque potissimum anni tempore, quo eidem tot pro virginitatis, & martyrii triumpho in Cælis coronas promerenti, terra ultro ac sponte congestis è floribus serta protendit, egregiis carminibus Maphæus olim S. R. E. Card. Barberinus, qui deinde Urbanus VIII. dictus est, pio in Virginem studio celebravit, quæ quidem sacra carmina è floribus suaviter apum ministerio compacta, florum instar coronæ virgineo capiti hic imponimus:

Quam bene floriferum cum ridet germine tellus,
Te celebrat verno tempore læta dies.
Thura tibi defert, aras & floribus ornat
Roma, quibus supplex te Domitilla colit.
Sic animi promens gratos è pectore sensus,
Te nil his terræ noscit egere bonis.
Nam vitæ integritas suavem diffundit odorem,
Qui styrace, ac thure est gratior ante Deum.
Lilia dat manibus, capiti dat serta rosarum
Virginitatis amor, martyriique decus.
Hinc tibi perpetui spirat clementia veris,
Quod non æstus atrox, nec fera lædit hyems.

Et hæc in augustissimæ Virginis laudem, quæ floren-

Margin notes: ...S. Cod. ...etr. ...Grego- ...Magnus ...Cœme- ...o Ho- ...am ha- | ...de S. ...Mag. | ...Mart. ...Maji ...yrium ...orum ..., & ...lei. | ...tio- ...po- ... Do ...,Ne- ...A- | Baron. in Not. ad Mart. die 12 Maji. | Grania SS. Domitillæ, Nerei, & Achillei. | Baron. in not. ad Mart. Rom. die 7. Maji. | Dies festus S. Domitillæ. | Maphæus Barberinus post Urbanus VIII. in Poemat.

rentem mundum calcavit, metro decantata in medium lectori delibanda protulisse sufficiat. Et de his hactenus.

CAP. XIX.

De Cœmeterio beatæ Soteris Virginis Via Appia.

S. Soter Papa.

I COemeterium, cujus nunc mentio incurrit, à beato Sotere Papa denominationem traxisse nonnulli existimarunt, præsertim Onuphrius, inde fortasse ad id asserendum permoti, quod idem Pontifex in Callisti Cœmeterio, ut communis fert vox, depositus fuerit, cui Cœmeterium illud cohærere, vel saltem è proximo illud attingere, & ad ipsum veluti ejus partem quodammodo pertinere, apud omnes fere indubitatum est. Verum ut, quod veritati consonum est, loquamur, hanc nominis appellationem à beata Sotere Virgine, & Martyre Romanarum nobilissima accepisse fatendum est, quæ illud Via Appia in suo olim prædio construxerat, ubi sepulchrum pariter sortita est. Si enim historicæ rerum sacrarum enarrationi inhærere velimus, ubinam à præmemorati nominis Pontifice Cœmeterium exstructum legitur? ut de præclaræ prosapiæ virgine Sotere scriptis ultro demandatum est; de qua hæc Beda in suo Martyrologio 8. Idus Februarii recitat: *Romæ in Cœmeterio ejusdem passio S. Soteris virginis.* Quibus fere verbis Anastasii auctoritate in ipsis Stephani Papæ Secundi gestis assertio nostra comprobatur: *Restauravit & tegumen Cœmeterii Sanctæ Soteris, quod ceciderat.* Ibi autem (quod omnem controversiam dirimit (illa dictionis particula, *Sanctæ*, singulis peculiariter, distinctisque characteribus descripta hoc plane modo legenda exhibetur, *SANCTÆ*, quod in M. S. Cod. Vat. & Cavensi cæteris vetustiore etiam asseritur. Nemo igitur jure in dubitationem revocare potest, Cœmeterium, de quo loquimur, ejusdem beatæ Soteris virginis extitisse, quæ nobili sub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano Via Appia martyrio coronata est, anno Christi 304. de qua isthæc in Martyrol. Romano: *Romæ Via Appia S. Soteris virginis & martyris, quæ, ut scribit S. Ambros. lib. 3. de virginib. nobili genere nata, parentum Consulatus, & Præfecturas ob Christum contempsit.* Venerabile autem ejusdem corpus à Sergio Papa II. in Equitii titulum translatum fuisse, perantiqua eodem loco insculpta ad perennem rei memoriam inscriptio docet, sed ad reliqua perscrutanda Viæ potissimum Appiæ Cœmeteria lectorem recolendæ beatorum Martyrum, & primitivorum Christianorum antiquitati inhiantem manu ducamus.

S. Soter virgo & martyr.

Beda in Mart. de S. Sotere virg.

Anast. in Stephano PP. II.

M. S Cod. Vat. & Cavens.

Rom. Mart. 4. Id. Feb.

Translatio corporis S. Soteris.

CAP. XX.

De Cœmeterio, seu Arenario sanctorum Eusebii Presbyteri, Marcelli Diaconi & sociorum Via Appia.

I CElebris quondam apud primævos Christi cultores, qui Romanam Urbem incoluere, arenaria quædam Crypta Appiam juxta Viam primo ab Urbe lapide extitit, in quam clanculum ad Synaxim Christiani confluebant. Etenim, ut in sacris Martyrum Actis videre est, eam præ cæteris adire frequenter consueverant Hippolytus monachus, Marcellus Diaconus, & Eusebius presbyter; à quo Pontianus puer baptismalibus aquis ablutus, & à paralysi, qua tenebatur, repente solutus, divino protinus numine afflatus, illustre pro fidei confessione martyrium subiit. Eodem pariter loco S. Stephanus Papa duos ejusdem Hippolyti nepotes, Neonem scilicet & Mariam unà cum eorum parentibus Hadria, & Paulina salutari baptismate expiavit, & compluribus aliis, qui ad Synaxim illuc ex more convenerant, divina vivifici Panis mysteria contulit; & demum iidem, glorioso pro fide consummato certamine, sepulturæ ibidem locum obtinuere. Quod totum in M. S. eorundem Actis vetustissimi Cod. S. Mariæ ad Martyres, & partim apud Baronium Annal. To. 3. an. 250. in hæc verba exponitur: *Tunc B. Stephanus vocavit ad se virum doctissimum Eusebium presbyterum & Marcellum diaconum, quos direxit ad Hadriam & Paulinam. Et dum venissent unà cum Hippolyto monacho, intraverunt in quoddam Arenarium, & mittentes vocaverunt Mariam & Neonem cum parentibus suis. Introeuntes vero ii in Arenarium, invenerunt Eusebium presbyterum, & Marcellum diaconum & Hippolytum monachum: & dum vidissent, amplexati sunt invicem cum gaudio magno, & osculo sancto, &c.*

SS. Hippolytus monachus, Marcellus, & Eusebius. Pontianus puer mart.

SS. Neo, Maria, Hadria, & S. Paulina.

Baron to. 3. an. 250.

2 Postea vero de sacro Baptismate, ac Missæ sacrificio ibidem peractis hæc subtexuntur: *Cæpere Hadrias & Paulina una cum filiis suis Neone & Maria, & presbytero Eusebio, atque Marcello diacono & Hippolyto monacho simul in eadem crypta habitare, & omnibus diebus ac noctibus in oratione & jejuniis, & voce psallentium permanere.* Porro ut eadem martyrum acta infra enarrant, Marcellus, Hippolytus, Hadrias, & Paulina Valeriani jussu fustibus cæsi sunt; quo quidem pœnarum genere cum diutissime impia tortorum manu Paulina divexaretur, immaculatum Deo spiritum reddidit: Eusebius vero ac Marcellus ad Petram Sceleratam juxta Amphitheatrum, in locum, qui ad Pastoris Lacum dicebatur, deducti, datis ibidem cervicibus ad Cartyrii palmam in cælum evolarunt. Sepulturæ autem locus ac honor pio eisdem fidelium cultu impensus, ut infra in hæc verba describitur: *Corpora vero ipsorum derelicta sunt canibus: corpus vero B. Paulinæ jactatum est, & veniens quidam Hippolytus noctu, collegit corpora eorum, & sepelivit Via Appia ex præcepto S. Stephani Episcopi milliario ab Urbe primo id Arenario, ubi frequenter conveniebant.* Hæc interim veluti pretiosa quædam sacrarum antiquitatum fragmenta, ne quid penitus intercideret, ipsis ex actibus studioso labore excerpta huc ad verbum transferenda curavimus. Accipe igitur isthæc lector de Neonis & Mariæ martyrio: *Et ducti ad Petram Sceleratam in conspectu Hadriæ & Hippolyti gladio sunt consummati Neon, & Maria, & jactati sunt in eodem loco, sexto Kal. Novembr. Quorum corpora collegit noctu sanctus Stephanus Episcopus & sepelivit in Via Appia, milliario ab Urbe Roma primo in Arenario ipso, ubi consueverant convenire.* Postremo tandem in Actis, quæ hactenus recensita sunt, de Hadria atque Hippolyto ad Antonini pontem perductis, ac plumbatis ibidem cæsis subtexitur: *Et præcepit eos adduci ad pontem Antonini, & plumbatis cædi diutissime usque ad consummationem eorum, & dum diu cæderentur, emiserunt spiritum, & relicta sunt corpora in eodem loco juxta insulam Lycaoniam. Et venit quidam Hippolytus diaconus noctu, & collegit corpora eorum, & sepelivit Via Appia ex præcepto S. Stephani Episcopi, milliario ab Urbe Roma primo juxta corpora sanctorum in Arena-*

Sacræ in Cœmeteriis functiones peraguntur.

Petra Scelerata.

Lacus Pastoris.

Acta SS. Mart. Neon. Mar.

ibid.

Pons Antonini.

Arenario, ubi frequenter conveniebant, sub die quinto Idus Novembris. En tibi, lector, illustre Martyrum certamen, ac nobilem subinde eorundem palmam, quam adepti sunt, ob oculos proposuimus.

3 In hac eadem Crypta, seu Arenario duæ postmodum Martyrum eorundem propinquæ, ac præ cæteris miro Christianæ religionis zelo conspicuæ mulieres aliquandiu absconditæ perstitere, quę cum primum pietatis causa in Urbem advenissent, ibi post septennium assiduis precum, ac vigiliarum exercitationibus sanctissime peractum, insigni meritorum cumulo, vita functæ, ut in recensitis Actis perhibetur, pia fidelium manu honorifice tumulatæ sunt. Sed de his hactenus.

pes ac angui- Marty- in Ur- veni- d vi- a co- sepul-

CAP. XXI.

De Martyribus juxta Appiam Viam, atque Ardeatinam coronatis, vel certe sepultis: nec non de præcipuis sacrarum ibi rerum monumentis.

1 HActenus nobis præclaros tot Martyres, ac satis nunquam pro merito laudandos, recensere licuit, quos veluti nobilissima Christianæ religionis trophæa, in Viis præsertim Appia atque Ardeatina intuentium oculis suspicienda proposuimus, nunc vero haud complures alii desunt, qui loca hæc, quorum vestigia avide insectamur, sanguine aut tumulo, ut in Martyrum Actis videre est, illustrarunt; etsi peculiaris sepulturæ eorundem locus, obducta passim rerum caligine, ignoretur. Quis vero nesciat Via potissimum Appia (ut à præcipuis derivetur oratio) glorioso quondam martyrio, sub Hadriano Imperatore, quatuor Christianorum millia, & inter hos Marcellum presbyterum & Decoratum diaconum, igne absumptos illustrem de persecutore triumphum revexisse, ut M. S. SS. Sophiæ & filiarum acta Codd. S. Cæciliæ his quidem verbis legendum exhibent: *Cæteramque multitudinem utriusque sexus circiter quatuor millia secundum Imperatoris decretum igni cremaverunt: inter quos erat B. Marcellus presbyter, & Decoratus diaconus. Hi passi sunt foras Civitatem Via Appia sub die 7. Kalend. Octobris.* Vides, quousque Roman. Mart. numerus excreverit, & quot pro Christo purpuratorum agmina sub uno temporis momento in Cœlum Romana Ecclesia transmiserit, ut profecto uberrimo Martyrum cruore, qui hic passim profusus est, cunctarum jugiter gentium auribus ingeratur, martyres, qui apud alias orbis regiones adnumerantur, in una Urbe Orbis capite innumerabiles propemodum extitisse: sed jam ad ulteriora progrediamur.

ior rum sub ano ntur. rcel-. esby- Dc- s dia- Cod. cil.

2 Eadem plane via sub Valeriano principe Lucilla virgo, beati Nemesii Diaconi filia, ante Martis Templum, in gutture gladio percussa, martyrium consummavit. Cujus item pater inter Vias Appiam & Latinam pro Christo coronari meruit. Sacra horum corpora cum à B. Stephano Papa eadem Latina via humata fuissent, postmodum B. Xysti Papæ opera in Callisti Cœmeterium translata, in ipsummet, ut credere par est, locum, qui nomen ab eodem Xysto acceperat, honorifice condita fuere. Ex Rom. item Martyrol. hic nobis illi 30. milites invictissimi Christianorum athletæ suppetunt, qui sub acerbissima Diocletiani persecutione martyrium hac eadem Via, ut Romani Martyrologii lectio fidem facit Kalend. Januarii, subiere.

illa nesi- onus tio um illæ esii. es,

3 Porro Ardeatina via, cujus sacras memorias nunc recolere nostri propositi est, lectissimam virginem Feliculam nomine, S. Petronillæ collactaneam, post consummatum gloriosi certaminis cursum conditam fuisse SS. Nerei & Achillei acta in hæc plane verba testantur: *Post hæc deposita est & præcipitata in cloacam. Sanctus autem Nicomedes presbyter in speculis positus occulte liberavit & posuit in biroto & perduxit ad Casellulam suam septimo milliario ab Urbe Roma, Via Ardeatina, & ibi eam sepelivit, in quo loco fructificant orationes ejus usque ad hodiernum diem.* Onuphrius vero in suo Cœmeteriorum Indiculo loco huic Cœmeterii nomen sub S. Nicomedis titulo inscribere videtur; cujus pariter Bibliothecarius in Bonifacii Papæ Quinti gestis meminit: sed quoniam ad ejusdem potius sepulchrum, quod Nomentana olim Via extitisse constat, loco supra citato alludere voluisse ipsamet verba suadent, de eodem nos suo infra loco agemus.

S. Felicula. *Acta SS. Ner. & Achil.* *Onuph. Pan. in Indic. Cœm.* Cœmeterium S. Nicomedis. *Bibl. in Bonif. Pap. V.*

3 Hac ipsa Via ad Catacumbas sub Juliano Apostata infensissimo Christiani nominis hoste, gloriosi Martyres Sempronius & Aurelianus in agone viriliter decertarunt, & ibi complures eorundem milites capite obtruncati sunt, qui à sancto Pelino Episcopo ad Christi fidem traducti fuerant, ut M. S. ipsorum acta exhibent Cod. Vat. his verbis: *Hæc denique gesta sunt in Via Ardeatina in loco, qui Catacumba nuncupatur. Corpora vero sanctorum Sempronii & Aureliani, & cæterorum Martyrum in eadem nocte per Domini revelationem à sacerdotibus Casto, Romano, Nicostrato & Tiberio, qui propter rabiem persecutionis exulabat, in crypta, quæ Quadrata dicitur, cum psalmis & hymnis honorifice sepulta fuerunt.*

S. Sempronius, Aurelianus, & socii. *M. S. Cod. Vat.*

5 Porro Quadratam istam Cryptam, unum quoddam ex adjacentibus prope Catacumbas Cœmeteriis extitisse verosimillimum fit. Cum enim tot illi numero milites martyrii coronam accepissent eosdem quidem pia fidelium manu in Cæmeterium, quod loco, ubi eos perpeti contigerat, proximum erat, delatos fuisse credere par est, quod & aliis item martyribus obtigisse credimus, qui in iisdem ac cæteris Urbis Romæ viis pro fidei testimonio interempti sunt. Quod Crypta autem illa Quadratæ potissimum titulo nuncupata fuerit, meminisse oportet, quæ in Beati Urbani Papæ Actis leguntur, nimirum à S. Marmenia Carpasii Vicarii uxore venerandum ejusdem Sancti Urbani corpus splendidiori sepulchro intra domus suæ ambitum, unà cum beati Mamiliani presbyteri corpore conditum. ac exstructum desuper quadratum quoddam antrum fuisse, in quo deinde SS. Joannis, Chromatii, Dionysii, Martialis, Eunuchii, & Luciani Martyrum corpora humata sunt. Quæ quidem Marmeniæ domus extra Vespasiani palatium sita olim erat, quod ipsemet Imperator, ut Cencius Camerarius, Nicolaus Signorilis, aliique afferunt, haud procul à Catacumbis obtinebat. Hæc igitur iisdem in actis recitantur: *Denique levaverunt inde cum magno honore glebas almas, & adduxerunt eas in domum Marmeniæ: quæ domus erat extra palatium Vespasiani Augusti, sita ante columnas: in qua sepulchrum B. Marmenia miro aptavit modo, quod etiam ex margaritis tabulis omni conglutinavit ex parte. In quo recondiderunt cum aromatibus corpus beatissimi Papæ Urbani, & Mamiliani presbyteri, & desuper marmoreis lapidibus allidere curavere. Super quos ingens antrum cæmentaverunt quadratum firmissimæ fabricæ, & in eo corpora sanctorum Ioannis, Chromatii, & Dionysii, & trium*

Crypta Quadrata. *Act. S. Urbani Pap. mart.* S. Marmenia. S. Urbanus Papa S. Mamilianus. Antrum quadratum SS. Joannes, Chromatius, Dionysius, Martialis, Eunuchius, & Lucianus. Domus S. Marmeniæ. Palatium Vespasiani. *Cenc. Cam.* *M. S. Cod. Vat.* Translatio corporis S. Urbani.

diaconorum Martialis Eunuchii & Luciani innectere destinaverunt: ad quorum venerabiles sepulturas multa patrantur miracula.

SS. Marmenia & Lucina. Viginti duo Martyres. M. S. Cod. Vat.

6 Marmenia vero sanctissima fœmina deposita ibidem fuit unà cum Lucina ejus filia, aliisque viginti duobus, qui paulo post B. Urbani martyrium, pro Christi fide gladio animadversi sunt. Quod in iisdem infra Actis hunc in modum enarratur: *Mox Tarquinius duxit jam acriter verberatos ad Idolum Martis, ut sacrificarent, cujus libamina dum contempsissent accipere, meruerunt palmam testimonii. Fuerunt itaque, qui decollati sunt pro nomine Domini Iesu Christi, absque Marmenia & filia ejus jam fata Lucina, fere viginti & duo. Quorum sancta passio tertia celebratur die ante Kalend. Iunii. Cognoverunt itaque Christiani, quomodo sancti imperterriti pro Christi amore pugnaverunt, & venerunt nocte cum beatissimo Fortunato, & tulerunt corpora eorum in hymnis & laudibus & sepelierunt ea in loco, in quo sanctus erat sepultus Urbanus.* Hinc igitur, amice lector, ut vides, conjicere nobis fas est, Quadratæ nomen Cryptæ huic loco inditum fuisse, ubi constantissimi Martyres isti unà cum aliis, qui eadem Via sub Juliano Principe martyrium viriliter subierant, fidelium manu honorifice depositi sunt.

S. Urbanus Papa. Ejus Ecclesia mire nuper innotuit. S. Urbanus in Cœmeteriis delitescit. S. Cæcilia ad eum mittit Valerianum baptizandum. *Lect. Brev. Rom. die 22 Novemb.*

7 Sed ne sanctissimi Pontificis (cujus hic mentio est) de Christi Ecclesia, & sanctis Martyribus optime meriti memoria intercideret, divino plane nutu contigit, ut non multis abhinc annis perantiqua ejusdem Ecclesia, quæ omni penitus cultu destituta, profanoque addicta usui deserviebat, inter vepres & rudera fere sepulta, innotesceret. Quod pio, ac studioso Lectori suggerere, haud ab instituti nostri proposito alienum rati: ut autem paucis rem perstringamus, illud nobis præmittendum videtur, quod cum S. Pontifex Urbanus in Callisti Cœmeterio sub acerbiora persecutionum tempora delitesceret, ad eum sacras intra specus Christiani jugiter confluere, divina utique sacramentorum munera de ejus manu suscepturi consueverant. Quamobrem in M. S. S. Cæciliæ Actis de Valeriano Martyre legitur: *Quare hortatu virginis ad Urbanum Papam, qui propter persecutionem in Martyrum sepulchris Via Appia latebat, veniens, ab eo baptizatur.* Christianis quippe in natalitiis præsertim B. Martyrum ad sacras illuc Synaxes conveniendi, & ad Pontificem ibi demorantem, eos potissimum, qui fidei mysteriis initiandi essent, frequenter transmittendi antiquus mos extitit. Quapropter, ut in jam recensitis B. Cæciliæ actis perhibetur, Valerianus ad fidem traductus & ad Urbanum transmissus, à pauperibus, qui eadem frequentes demorabantur via (quod infra enarrabimus) de præmonstrando sibi ad B. Pontificem aditu verbis illis caute præmonitus est: *Cæcilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi sanctum Antistitem, quia ad ipsum habeo secreta, quæ perferam. Tunc Valerianus perrexit, & signo quod acceperat, invenit sanctum Urbanum.*

Brev. Rom. loc. sup. cit.

S. Urbanus è Cœmeterio rapitur ad martyrium. Sepelitur in Prætextati Cœmeterio

8 Dum beatus igitur Pontifex Christianorum beneficio longas intra Cœmeterium hoc moras trahens delitesceret, & sacra interim munia, ut de S. Stephano, aliisque Pontificibus legitur, indefessus obiret, sub Alexandro Severo inde ad idola, ut iisdem immolaret, raptus, nobili consummato martyrio, in Prætextati Cœmeterio, ut ejusdem exhibent acta, depositus est. Subinde vero in ejus honorem à Christianis Ecclesia, haud longe ab eo loco (ut arbitrari nobis licet) cujus supra mentio incidit, Marmeniæ conspicuæ mulieris studio dicata est, ubi nimirum ille quondam persecutionis tempore delitescens morabatur; ut enim asserunt, qui Cœmeteriales sinus probe callent, ad quamplures illinc Cœmeterii, quod Callisti dicitur, partes excurrendas opportunus aditus panditur. Et quidem congrue ibi Martyr Christi à fidelibus honorem promeruit, ubi fidei causa labores, latebras, agones, & innumera fere incommoda eundem perpeti contigit; ubi enim vivens fidei causa ab Urbe profugus sedem elegerat, ibi dicato in ejus honorem templo sepulturæ locum obtinuit. Assertionis autem nostræ vis, ex ipsismet SS. Martyrum actibus comprobari videtur; Marmenia quippe, ut supra enarratum est, B. Urbani corpus splendidiori sepulchro in suamet domo, una cum B. Mamiliani presbyteri corpore sepelivit, & quadratam supra sepulchrum speluncam exstruendam curavit, in qua deinde quamplura, ut vidimus, SS. Martyr corpora honorifice tumulari contigit. Præmemorata autem domus extra Vespasiani Augusti palatium, juxta Catacumbas sita olim erat, ut Cencius Camerarius disertis verbis affirmat. Antrum autem hoc ipsummet esse, quod ad præsens sub Ecclesiæ ejusdem ambitu cernitur, asseri haud incongrue potest.

Et ei Ecclesia à Christiani nuncupata. S. Marmenia. Crypta Quadrata. Vespasiani Augusti Palatium. *M. S. Cod. Vat.*

Descriptio Ecclesiæ Urbani, situs, & forma.

9 Verum ut de perantiqua, cujus mentio recurrit, sermonem paucis inferamus. Hæc in perexiguo quodam colle juxta celebrem fontem sita est, haud procul autem à D. Sebastiani Ecclesia distat, & loco potissimum proxima est, qui nunc vulgo *Cafarella* dicitur. Anterior quidem templi facies, quæ orientem respicit, marmoreis quatuor columnis affabre exornatur. Veneranda ejusdem antiquitas picturis, quæ ibi adhuc visuntur, satis perspicue comprobatur, plures quippe ibidem imagines conspiciuntur, quibus & sacra olim Cœmeteria illustrabantur: præ cæteris enim venerandam Christi Domini quatuor quidem clavis è cruce pendentis imaginem videre est, cui adstantes uno quidem ex latere Longinus, qui lancea Dominicum latus aperuit, ex altero miles Calphurnius nomine, qui spongiam aceto perfusam sitienti Domino exporrexit, coloribus adumbrantur. Exhibetur item Beati Petri imago, qui Malcho auriculam gladio obtruncat. Zachæi insuper, qui transeuntem Dominum inspecturus, supra arborem conscendit. Decorantur præterea vetusti Ecclesiæ parietes multiplicibus SS. martyriis, at præ cæteris lectissimæ Virg. & Mart. Cæciliæ, Urbani, Tiburtii, & Valeriani, aliorumque martt. certaminibus ac funeralibus ad vivum expressis.

Imagines in Eccles. S. Urbani.

Ædicula sub Eccle. D. Urbani cum imagine Deiparæ. Eadem perscrutantibus innotescente portenta visa.

10 Sed ut reliquum Ecclesiæ ambitum curiose perlustremus; subterranea quædam specus ibidem in confessionis formam aptata cernitur, ubi Ædicula, quæ ante sacram Deiparæ Virginis imaginem subsistit, maximam introeuntibus venerationem ingerit. Et mira quidem haud defuere portenta, cum primum veneranda hæc imago adeuntibus ac inferiorem loci sinum perscrutantibus innotuit, ut nobis à viris fide dignis, oculatisque rei testibus fideliter relatum est. Accidit enim, ut dum quis è cæmentariorum numero pavimentum Ecclesiæ ruderibus expurgaret, humus sub pedibus extemplo dehisceret, quapropter ruinam ille repentino è lapsu pertimescens, cæteros, qui aderant, ut sibi periclitanti opem ferrent, inclamavit: sed di-

dicto citius ab accurrentibus sociis è fovea, in quam labi cœperat, erutus, liber omnino evasit; at cum permultas marmoreas, quæ pavimento substernuntur, laminas advertissent, eas continuo extrahere cœperunt, quarum novissima dum suo è loco amovetur, quippe quæ obtegendæ subterraneæ cuidam perexiguæ speluncæ artificum olim manu aptata fuerat, en tibi res mira, suavissimus odor efflare cœpit, ac si fragrantissimorum aromatum officina odoribus undique instructa patuisset: cum foramen autem illud faber cæmentarius splendore perfusum introspexisset, solaribus secretiore aliqua ex parte radiis se illuc immittentibus obtigisse arbitratus est, sed res à sociis cum risu accepta, foramine in ampliorem formam patefacto, foveam protinus rem perscrutaturus ingrediens, nulloque adhibito lumine, radiis dumtaxat, quos primo intus aspexerat, locum refundentibus, Deiparæ Virginis Christum in ulnis gestantis imaginem parieti, vel certe topho satis ruditer expressam admirabundis oculis deprehendit, quam singuli subinde locum adeuntes pie venerati sunt.

11 At quod ad præmemoratam nunc Ecclesiam pertinet, certe templum olim ab ipsismet gentilibus Baccho dicatum fuisse, & in Sancti Urbani postea honorem, insanis abolitis superstitionibus, cessisse, ipsemet loci aspectus, & conjecturæ, quæ adsunt, ultro intuentes edocent, totum enim ædificium ex opere lateritio juxta antiquam Romanorum formam tam artificiose compactum est, totaque ædificii structura tam affabre elaborata cernitur, ipsaque insuper concameratio eum in modum subsistit, effictisque avium figuris, aliarumque rerum formis ex perfectissimo gypso expressis adeo splendide instruitur, quemadmodum ex vestigiis apparet, ut ipsis Christianorum templis longe antiquiorem, & vetustis quibusvis Romanorum ædificiis simillimam esse à nemine in dubium revocari possit. Quod & ipsamet Ecclesiæ porticus indicare videtur: hæc enim prægrandibus quatuor columnis pario è lapide mira arte cælatis, & adinstar columnarum Templi Solis, Pacis, aliorumque inanium Deorum, quos insana olim gentilitas colebat, elaboratis suffulcitur. Quæ quidem singula ornamentorum genera, exquisitam Romanorum operam, architecturam insuper non tritam, vulgaremque, divitias, ac magnificentiam, haud tenues vero Christianorum expensas, aureamque illam satis rudem mediocritatem, qua illis præsertim sæculis in ejuscemodi ædificiis excitandis utebantur, satis aperte testantur. Et quidem quod Baccho olim, ut supra asseruimus, templum hoc à gentilibus dicatum fuerit, vel ex eo facile ad id asserendum adducimur; quod in eadem Ecclesia haud obscura gentilitiæ superstitionis vestigia adinveniri contigit: quoddam enim marmor haud parvum sphæricæ formæ, columellæ instar repertum est, in quo Græci idiomatis notæ in hunc plane modum exsculptæ sunt:

ΕCΤΙΑ ΙΔΙΟΝΥCΟΥ
ΑΠΡΩΝΙΑΝΟC ΙΕΡΟΦΑΝΤΗC.

Quæ quidem verbo, si nostræ latinitati reddantur, isthæc auribus insonant:

DOMUS, LAR, SEU FOCUS DIONYSI
SEU BACCHI. APRONIANUS
SACRORUM ANTISTES,
SEU SACERDOS.

12 Porro marmor istud lustralis nunc aquæ fonti basis adinstar in eadem Ecclesia inseruit. Ad quod item valide comprobandum, lapis alter accedit, qui intra eandem Ecclesiam cernitur, in cujus nimirum fronte duo utrimque infantes unà cum uvarum racemis insculpti conspiciuntur; qui lapis pro parva fortasse ara supra sphæricum aliud marmor, ut diximus, olim impositus extitit. Variæ item adhuc intra templum figuræ coloribus adumbratæ extant, quæ uvarum racemos, utpote Bacchi ipsius insignia, præferunt. Quod item in D. Constantiæ Templo juxta D. Agnetis Ecclesiam extra muros Nomentana via (quod Bacchi olim templum extitit) in porphyretico lapide eidem Baccho dicato cernitur: qui certe lapis pueris, atque avibus, insertis utrimque uvarum racemis, exornatur. Merito igitur jure hinc argui potest, quod Ædes illa Baccho olim dicata fuerit, cum uvas falso illi numini amicas in ipsius aræ marmore cælatas, ut inscriptio basis præ se fert, conspiciamus; tum præsertim quod Titus Livius nostræ huic assertioni haud obscuris verbis adstipulari videatur, cum Bacchanales quondam ludos Via Appia fieri consuevisse asserat: cujus item rei hac nostra ætate vestigium aliquod superesse dicendum est: mense enim Majo Romanam plebem ad isthæc loca festivum in morem confluere, nonnulla adhuc vigente gentilitiæ superstitionis umbra, videmus. Quod sane templum, ad profanos abolendos deinde gentilium ritus, à Christianis S. Urbano dicatum est: ut enim à viro fide digno accepimus, in M. S. Vat. bibliothecæ Statio ad S. Urbanum Via Appia recensetur.

13 Haud casu igitur, sed Deo plane disponente, D. Urbani Ecclesia, Urbano VIII. Pont. Max. Ecclesiam regente Urbi innotuit: nam cum Sebastianus Belliardus vir pius, & sacræ antiquitati apprime deditus locum incultum quidem, at sacris picturis conspicuum, recolendumque contemplatus aliquando fuisset, re cum aliis studiosis viris mature discussa, D. Urbani Ecclesiam olim extitisse deprehendit, quod cum Summo Pontifici renuntiatum esset, Eminentissimo Francisco Card. Barberino S. R. E. Vicecancell. in primis adnitente, instaurandam Ecclesiam, & debitum illi religionis cultum restituendum edixit: quamobrem haud ulla interposita mora antiqui novis fulcimentis parietes resarciti sunt; redditæ protinus suo nitori imagines, locus ruderibus, ac sordibus, quibus scatebat, expurgatus est, solemnique ritu à Reverendiss. Jo. Baptista Scannarolo Sidoniorum Archiepiscopo benedictione impertita, erecto altari, festivo recurrente die 25. Maji ann. redempti Orbis 1635. incruenti Sacrificii oblatione peracta, impertitis quoque ab Urbano VIII. sacris indulgentiarum thesauris, sacris de more ritibus coli cœpit: quo item devotionis gratia Romanus certatim populus ad tribuendum promeritum B. Pontifici, ac Martyri Urbano honorem quotannis confluit. Et hæc sunt, quæ de S. Urbani corpore, ac de perantiqua ejus Ecclesia in nostris hisce Subterraneæ Romæ paginis vel obiter meminisse voluimus.

14 Ardeatina item Via, de qua agimus, S. Edistii Ecclesiam sextodecimo ab Urbe milliario extitisse Bibliothecarius in Hadriani Papæ gestis testatur, hæc dicens: *Magnæ constructionis fabricis decoravit, & domum cultam B. Petro statuit S. Edistii nuncupatam.*

Plura Bacchi insignia in eadem Ecclesia videre est.

Templum Bacchi Via Nomentana.

Uvæ Baccho amicæ.

Tit. Liv. 2. dec.

Bacchanalia olim ad Templum Bacchi.

Eorum umbra nunc eodem loco ad Ecclesiam S. Urbani.

Ecclesia S. Urbani.

Expurgatur & restauratur ab Urb. VIII.

Adeuntibus illam indulgentiæ ab eodem Pontifice concessæ.

Ecclesia S. Edistii

B. bl. in Hadr. Pap.

Fovea S. Nicandri.

tam. In Epiſtola quoque nona Innocentii Papæ Tertii de quadam fovea S. Nicandri mentio agitur, cujus Eccleſia eadem fortaſſe Via olim extabat.

S Petrus Chriſto ſibi occurrenti dicit: Domine quo vadis?

15 Demum, ut huic illuſtrium deſcriptioni Viarum ſupremam tandem manum, ac meritam præconiorum coronidem imponamus, præclariſſimo quidem titulo Appia præ cæteris celebranda eſt; in qua Chriſtus Dominus apparens Petro, qui jam è Mamertini carceris cuſtodia proſilierat, primum ſe illi videndum obtulit; cui etiam illis ſe verbis interroganti: *Domine quo vadis?* reſpondiſſe fertur: *Venio Romam iterum crucifigi:* quibus dictis ſtatim ſe ab ipſius conſpectu proripuit; relictis interim eo in lapide, in quo ſacratiſſimi ſteterant pedes, impreſſis eorundem veſtigiis: qui olim lapis apud Eccleſiam B. Mariæ in Palmis religioſe aſſervabatur; verum cum eadem ſubinde Eccleſia præ nimia vetuſtate ruinis ſubjaceret, illud ſub ſphærica quidem forma ſacellum à Reginaldo Cardinali Polo, haud procul ab eadem Eccleſia, exædificatum eſt: & ne tantæ rei, ac recolendæ inſuper antiquitatis ullo unquam tempore memoria intercideret, præmemoratum Sacellum eodem, qui ad hanc noſtram uſque diem viget, titulo appellari voluit, nimirum: *Domine quo vadis?* Lapis verò ille digniſſimus, & omni pretioſo lapide præferendus, qui tanquam Lydius alter lapis ſacra pedum Chriſti explorando veſtigia ſtigmatibus rutilat, inſculptaque eorundem ſigna præ ſe fert, in D. Sebaſtiani Martyris Eccleſiam tranſlatus, ibidem, quo par eſt, religionis cultu, in perenne religionis Chriſtianæ monimentum, aſſervatur. Beatiſſimus interim Apoſtolus, Chriſti adſpectu pariter ac voce admonitus, ſuam intime culpam agnoſcens, ac dedecori, nec non timori pariter obnoxiam ex animo deteſtatus fugam, ilico in Urbem regreſſus, paulo poſt Chriſti nomine ultro, libenterque crucis patibulum in Janiculo colle aſcendit, Hegeſippo teſte, & S. Ambroſ. de Baſilic. non traden. Rupert. Abb. Luitprando, & aliis.

Lapis veſtigiis pedum Chriſti inſignis.

Hegeſig. l.2. de excid. c.2. S. Ambr. de Baſil. non trad. Rupert. Abb. 8. c.1. de proc. S. Spir. Luitpr. de reb. per Europ. geſtis l.4. c.3.

16 Porro viam hanc tot ſacris inſignitam, decoratamque monumentis frequenter Chriſtiani vel tunc temporis, cum acriores perſecutionum procellæ urgerent, devotionis fervore ſuccenſi, terere conſueverant. Qua de cauſa complures ibi pauperes ſtipem ultro à prætereuntibus Chriſti fidelibus efflagitantes perpetuo conſiſtebant; ut ſatis ſuperque B. Cæciliæ Acta conteſtantur, in quibus legitur, Valerianum ſacri ſuſcipiendi baptiſmatis deſiderio incenſum, ab eadem piiſſima Virgine edoctum fuiſſe, quonam potiſſimum loco extra Urbem S. Pontifex Urbanus deliteſceret, cujus deinde manu ſalutaribus ille aquis expiaretur. His igitur eundem verbis ad quærendum incitavit: *Vade in tertium milliarium ab Urbe, Via quæ Appia nuncupatur, illic invenies pauperes à tranſeuntibus alimoniæ petentes auxilium; de his enim mihi ſemper cura fuit, & optime hujus mei ſecreti ſunt conſcii, hos tu dum videris, dabis eis benedictionem, dicens: Cæcilia me miſit ad vos, ut oſtendatis mihi ſanctum ſenem Urbanum, quoniam ad ipſum habeo ejus ſecreta mandata, quæ perferam.* Interim verò notatu digna ſunt verba illa, quæ obiter hic recitantur, ſcilicet: *De his enim* (pauperibus nimirum) *mihi ſemper cura fuit.* Quam quidem eximiam, & haud ſatis unquam pro merito laudandam beatæ hujus virginis pietatem, & incomparabilem prorſus erga Chriſti pauperes munificentiam cæteri quoque Chriſtianorum, quorum tunc ingens ſuppetebat numerus, ejuſdem exemplo permoti, ut nobis credere par eſt, toto animi ſtudio æmulati ſunt: quapropter frequentiſſimos eodem jugiter loco confluentium pauperum greges conſtitiſſe, res ipſa ſuadet.

Pauperes Via Appia ſtipem petunt.

Act. S. Cæcil.

17 Viæ inſuper Appiæ nobiliſſimum præ cæteris elogium ex eo mirifice cumulatur, quod ſanctiſſimus Apoſtolus Paulus pro Chriſto vinctus & Martyr jam tum deſignatus, meritoque evehendus triumpho hac potiſſimum Via Urbem Romam ingreſſus eſt, ſtipatus undique circumfuſis obviantium Chriſtianorum agminibus, qui ad illum ultro excipiendum, inſignem quempiam veluti hominem, vel dilapſum potius dixerim è Cælo Angelum, & jam ad tres Tabernas advenientem, & ad uſque Appii forum gregatim proceſſerant ut, S. Lucas prolixiori ſermone enarrat Act. c. 28. quorum alter locus unius & viginti, alter vero quadraginta trium paſſuum millibus ab Urbe Roma diſtabat. Hæc interim de Appia Via, quæ tot antiquitatis venerandæ theſauris referta eſt, pio, ac ſtudioſo Lectori prælibaſſe ſufficiat, & in præclaræ hujus Viæ ſemitis tamdiu demoratos eſſe, nobiſmet ipſis merito gratulari poſſumus, quouſque Paulum è tertio jam cælo redeuntem, Urbemque triumphali more ingredientem, ac tot ibidem coronis ac poſt ingreſſum triumphis cumulandum, quot paſſibus, quot verbis, quot laboribus divitem contemplati ſumus. Age jam ad ulteriora progrediamur.

Paulus A- poſtolus Via Appia Urbem i- trat.

Act. Apo. c. 28.

CAP XXII.

De Cœmeteriis Via Appia, atque Ardeatina à Boſio adinventis.

1 MUlta quidem Urbis Cœmeteria, quæ venerandam Chriſtiani nominis antiquitatem redolent, multiplicibus prænotata nominibus in viis, quæ hactenus memoratæ ſunt, Appia videlicet, atque Ardeatina adnumerantur. Hæc tamen, ut jam ſupra diximus, ſimul pariter juncta unum integrum Cœmeterium conflant, quod ſingula ſubinde complectitur, & Calliſti potiſſimum titulo omnium voce nuncupatur. Celeberrimum igitur Cœmeterium hoc, ut ex Martyrum Actis palam fit, in plura ſubdiviſum membra, diligenter perquirere, ſtudioſus latentium Romanæ Urbis & Eccleſiæ theſaurorum perſcrutator Boſius exoptabat, cum anno redempti orbis quingenteſimo nonageſimo tertio ſupra milleſimum, Capena egreſſus è Porta feſtinus ad ſupra deſcriptam S. Mariæ in Palmis Eccleſiam pervenit, ubi interim ab eadem Eccleſia, ac Via item Appia ſiniſtrorſum declinando iter aggreditur, eam ſcilicet terens viam, quæ primum à dextris eunti occurrit, & Ardeatina creditur, ad illam, qua à B. Martyris Sebaſtiani templo ad Apoſtoli Pauli Baſilicam itur. Huc ubi deventum eſt, paululum ille ad dexteram partem incœptum proſequens iter, ſingula circumquaque regionis loca colluſtrat, ſi quem forte depreſſum, latentemque ibi terræ hiatum adinveniat, unde ad ſubterraneos Cœmeteriorum ſinus percurrenti aditus pateret: ſed en tibi, haud vana ſpe deluſus, Deo votis aſpirante, quoſdam repente arcus proſpicit, cæmentariorum manu compactos in prædio, quod Hoſpitalis

Cœmete- rium Calli- ſti plura v- riis notat- nominib- Cœmeter- complect- tur.

Illud Boſi- perſcrutat- tur.

Eccleſia S. Mariæ in Palmis

Reperta à Boſio Cœ- meterium Calliſti pe- ſcrutante.

lis S. Joannes Basilicæ Lateranensis ditioni subest, & haud longe ab ipsamet beati Sebastiani Martyris Ecclesia distat, qui certe arcus perscrutantibus indicio erant, arenarias ibidem Cryptas extare. Festinus igitur illuc se infudit; pedibus quippe desiderium vehemens, quo ille æstuabat, protinus ad excurrendum addidit alas. Verum ubi ignotarum cryptarum sinum penetravit, monumenta fere innumera in topho, Cœmeteriorum more excavata, contemplari cœpit, & recta ulterius indefesso pede, nulloque absterritus incommodo progrediens, susceptæ terminum semitæ, quam tunc terebat, attingens, alias duas hinc inde semitas offendit; verum interim ea, quæ ad dexteram tendebat, dimissa; brevi enim itineris spatio concludebatur, & jam accedentibus omnino impervia, ruinis perfusa, ac cæmentis ad summum usque obsita erat. Quapropter, consilio secum maturius inito, ad lævam pergere decrevit, ubi mox in ipsiusmet pavimenti planitie foramen quoddam oculis assecutus est, per quod haud nisi demisso corpore, humique anguium more repens ingredi, ac penetrare valuit; qua ille ratione dum anxius incedere conatur, repere sibi potius, quam ambulando progredi, ac loco tam venerabili, etsi nescius, condignum obsequii cultum exhibere quodammodo religionem loci præveniens, videbatur; nec absque gravi quidem laboris molestia aliquantisper processerat, cum cryptas quasdam ad dexteram altiores, alicubi in topho, alicubi verò molliori excisas humo invenit; in quarum lateribus loculi omni ex parte circum extabant, defunctorum corporibus excipiendis aptati, & juxta eorundem corporum mensuram probe dispositi, paucis admodum ex eorumdem numero exceptis, qui utpote cæteris insigniores, supra quosdam parietinos arcus compacti suas propemodum apsides singuli sortiebantur. Illic quoque effossa quædam humi sepulchra conspicere dabatur, & eam forte ob causam, ut nobis conjectari licet, quod aptandis parietes loculis haudquaquam satis essent. Hæc autem sepulchra lateritiis, vel certe marmoreis tabulis obserata deforis apparebant; quamvis jam pleraque eorum pia, vel curiosa potius, ne dixerim inofficiosa adeuntium manu omni sublato repagulo intuentium oculis perscrutanda exhiberentur. Ex innumeris interim ex ordine dispositis ibidem sepulchris, nonnulla quidem sub forma brevi admodum, ac perangusta videbantur, in quibus infantes, vel certe pueri, aut puellæ jacebant: quædam verò ex his adhuc ampliora extabant, in quibus corpora, quæ altiori prædita essent statura, continebantur. Inter ossa quoque idem fere discrimen adnotari poterat; quædam enim ex his majora, minora alia, nonnulla autem haud consuetæ magnitudinis conspiciebantur: hæc interim alicubi intra tumulum, ut mos est, neutiquam collecta, sed passim diffusa. alibi dimidiata, integra alibi sub ipsis explorantium oculis reperta sunt. Horum item aliqua adeo solide, fortiterque lapidis instar compacta, ut vi quoque ac ferro adhibito disrumpi nullatenus valerent; alia subinde tam levi glutino constabant, ut vel tactu ipso dumtaxat minutissimas protinus in partes, ne dicam in pulverem, solverentur.

2 Dum lynceis autem oculis singula cupidissimus investigator explorat, ipsamet prima die, qua sibi patefacto illuc aditu penetrare contigit, tria, vel quatuor, abditos inter recessus, cubicula dealbata offendit, picturas tamen nullas prorsus ibidem adinvenire datum est; inscriptiones illic integras haud ullas assequi potuit, fragmenta tantum quamplurima exhibita sunt, quæ tum Christianorum usui, tum verò Ethnicorum quondam extitere: ab immanibus enim, ac pervetustis superstitiosæ Urbis constructionibus, atque sepulchris, ad suos obtegendos tumulos, Christiani lapides non raro auferre consueverant: è quibus certe lapidibus quendam integrum in ejusdem Cœmeterii cubiculo reperere, cujus profana, quæ inerat jam ferro exsculpta, inscriptio, ab eisdem Christianis studiose admodum calce desuper obducta fuerat, ita ut nulla quidem ratione perlegi posset; verum re probe comperta, cum sepulchralis iste lapis diligenter à Bosio expolitus fuisset, has ultro notas legendas exhibuit: Lapides gentilium sepulchrales in usum Christiani convertunt.

D M
M. LVCCEJVS ABASCANTVS ET AMNE
ÆVTYCHIS FECERVNT VIVI SIBI
ET LVCCEJO AMMÆO ABASCAN
ET LVCCEJO SECVNDO FILIS
LIBERIS, LIBERTABVSQVE PO-
STERISQVE EORVM.
H. M. E. H. N. S.

Quæ quidem postremo inscripti lapidis elementa, punctis ab invicem interpolata, hunc in modum ex Valerio Probo interpretanda videntur, videlicet:

HOC MONUMENTUM EXTEROS HÆREDES
NON SEQUITUR.

3 Sed ad Bosium redeamus, qui inceptum interim maxima animi oblectatione iter prosequens, nullo aut incommodo, aut labore ab investigando perterritus, subterraneum loci ambitum excurrebat; cum en tibi, cryptas, quæ primarium præ cæteris locum obtinebant, & satis quidem amplas, in sphæricæ modum formæ constructas invenit: ex quibus subinde multiplices, ac si deductæ è centro ad superficiem linearum instar semitæ procedebant, quæ cum ad ulteriora ullo absque termino protenderentur, plane labyrinthi cujusdam formam præ se ferebant. Tunc demum tædio aliquantisper affectus, in lucem, & ad domum satis jam defatigatus remeare decrevit, easdem posthac iterum instauratis viribus perlustraturus, quod & egregie vir strenuus præstitit. Cœmeterium enim hoc (cujus enarrationi insistimus) cum sæpesæpius deinde introgressus fuisset, illud iterum atque iterum terere, circuire, perlustrare non destitit, & oculis ac manu singula palpans, minima quæque, & maxima eodem in loco seposita curiosius perquisivit. Verum ex longo interim circuitu ac loci prospectu satis ille velut experimenti magisterio edoctus est, Cœmeterium illud, ut reliquis omnibus magnitudine, ita pariter pulchritudine ac splendore longe præcellere. Adeo quippe amplum ac vastum est, ut, quamvis in eodem perscrutando totos fere integros dies, noctesque sæpesæpius insumeret, ad ultimos tamen ejus fines vir alioqui laboris patientissimus, rerumque antiquarum aviditate illectus, excurrendo pertingere neutiquam potuerit. Nam novæ perquirenti semitæ adhuc imperviæ ad investigandum indies suppetebant; ex quibus sane haud futili argumento conjectari fas erat, vastissimum illud Cœmeterium, non cum Cœmeterio dumtaxat, quod sub ipsa D. Sebastiani Ecclesia situm est, cohærere, verum ulterioribus dilatatum

Cryptæ à Bosio repertæ.

Cœmeterium Calisti amplitudine, & pulchritudine cæteris præstat.

terminis protendi, ſacras nimirum verſus ædes beati Pauli Apoſtoli, ſanctiſſimæ Annunciatæ, & S. Anaſtaſii, qui locus vulgo *ad Aquas Salvias*, ſeu *Trium Fontium* nuncupatur, quin & ad ipſiuſmet Urbis mœnia pertingere facili negotio quiſque ſapiens explorator ſuadere ſibi poterat. In proximis enim agris, ac ſingulis fere vineis Viam Appiam adjacentibus, complures ad idem Cœmeterium aditus patere contemplatus eſt. Hac enim uſus perſcrutandi ratione vaſtiſſimos illos antrorum ſubterraneorum ſinus, quantum illi excurrendo perluſtrare datum eſt, ipſe rerum teſtis oculatiſſimus deſcripſit, ac delineando paginis conſignavit.

Deſcriptio Cœmeterii à Boſio Via Appia reperti.

4 Ut autem loci ipſius deſcriptioni inſiſtamus, duplices illic cryptarum ordines exiſtunt, ſuperior videlicet atque inferior; bina item ibi Cœmeteria adnumerantur: ad illud autem, quod in inferiori parte ſitum eſt, per gradus quoſdam in ipſo topho exciſos deſcenditur, nec verò longe à ſuperioris Cœmeterii aditu deſcenſus hic diſtat; qui ſatis quidem amplus, ac patens eſt, lateritio obfirmatus muro, conſuetaque hinc inde in parietibus excavata defunctorum ſepulchra conſpicientibus exhibet. Muri itidem illic in compluribus inferioris Cœmeterii partibus prægrandes, ac validiſſimi extant, lateribus, & calce ad loca, quibus ſubjacent, ſuffulcienda exſtructi, dum antiquum ſubinde Cœmeterium ſummorum olim Pontificum opera inſtauraretur; etſi iis præſertim in locis, in quibus hujuſcemodi fulcimenta deſunt, quam maxima ejuſdem tophi rudera conſpiciantur, quæ ruinarum deſuper interlapſu monumenta haud pauca penitus operiendo devaſtarunt, ac ſemitas ingenti proculdubio piorum illuc adeuntium detrimento inacceſſibiles omnino poſthac reddidere.

Loca in imis Cœmeteriorum.

5 Sub ſacris itidem utriſque Cœmeteriis alia extant loca, ad quæ pariter per breves quoſdam atque exiguos gradus deſcenditur, & ſatis quidem perangusto hæc ambitu circumſcribuntur, tres inſuper, aut quatuor ad ſummum viarum ſemitas continent; ex quo à nobis probe conjicitur, peculiaribus eadem familiis ſepulchri olim uſum præſtitiſſe. Hic præterea nonnullæ perſcrutando ſemitæ repertæ ſunt, in quibus utroque è latere foſſorum manu ſepulchra excidi cœptum olim, etſi deinde quibuſdam in topho duntaxat delineatis, opus haud perfici contigerit: ſi quæ tamen ibi monumenta adſunt, ad ſummum de more excavata, nondum humandis corporibus uſui fuiſſe conſpiciendo noſſe quis poterat. Ex quo antiqua illa, ac primæva Chriſtianorum tempora ſapienter recolentibus haud temere conjicere licuit, ſemitas haſce ſucceſſivo opere, ac labore à Chriſtianis ſingulos in dies, cum neceſſitas inſtaret, parari, inferendiſque defunctis aptari conſueviſſe, ut nova videlicet ſepulchra, quæ uniuſcujuſque cadaveri congruerēt, prout ipſamet dictaret neceſſitas, apte conſtruerent.

Aquæ ſalutiferæ in Cœmeteriis ſcaturiunt.

6 Porro in quampluribus abditis hujus Cœmeterii receſſibus limpidiſſime jugiter aquæ emanant, & in quodam præcipue loco, ad quem exciſi quidam in topho gradus deducunt, uberes defluunt mellifluí ſaporis aquarum rivuli, quæ, ut ipſo experimento comprobatum eſt, ſalubri, ut alibi diximus, impertita è Cælo virtute, ad priſtinam ægris corporibus ſoſpitatem refundendam mirifice juvant. Semitæ verò, ſeu viæ Cœmeterii ejuſdem adeo quidem latæ, & altius alicubi porrectæ ſunt, ut erecto quis corpore commode per eaſdem incedere queat: in ſuperiori autem Cœmeterio altiores longe extant, ita ut in ſingulis fere parietibus octo utrinque ex ordine ſepulchra, uno ſuperpoſito alteri, diſpoſita exhibeantur: alicubi verò viæ eum in modum depreſſæ occurrunt, ut accedentes non pronos dumtaxat, verum toto proclives corpore humi repere, ne dicam rependo procedere opus ſit: quapropter jure quidem merito loca hæc quis penitus invia diceret, niſi adhibita effodientium manu ac opera aditus ad incedendum pateſiat.

7 Porro monumenta ibidem, ut moris eſt, in topho ad humani corporis menſuram exciſa cernuntur, quorum in nonnullis duo, vel tria etiam corpora continentur, quemadmodum à binis, ac ternis, quæ adhuc ibidem extant, calvariis dignoſcitur, inter quæ, ut mirum quid deſcribamus, tantæ quidem magnitudinis capita, brachia, & crura viſa ſunt, ut maximæ cujuſque, ac proceræ ſtaturæ hominis ex his, qui noſtra ætate inter vivos degunt, menſuram longe excederent. Arcuata illic quoque monumenta è marmoribus affabre compacta, & ſacelli adinſtar, ſeu altaris expolita videre eſt, quæ ad ſacra peragenda myſteria, ſupra ipſamet BB. Martyrum corpora, quæ ibidem aſſervabantur, exſtructa olim fuiſſe, antiquiſſima, ac laudabilis Eccleſiæ conſuetudo, quæ illis potiſſimum temporibus viguit, facile intuentibus ſuadere videtur. At quibuſdam in monumentis ad manifeſtum perpeſſi pro fide martyrii teſtimonium coagulatus ſanguis, terreo quidem colore perfuſus, ab explorantibus deprehenſus eſt, qui deinde aquæ immixtus, vivacem ac priſtinum, ac ſi tunc primum ſcaturientibus è venis proſiliiſſet, rubeſcendo colorem præferebat. Qui quidem ſacratiſſimus cruor ſupra ipſamet non raro corpora, fictilibus aut certe vitreis receptus vaſis, eiſdemque juxta ſepulchra intus quandoquè, foris autem utplurimum calce obfirmatis incluſus, à perſcrutantibus adinventus fuit. Illud ſane admiratione digniſſimum extitit, quod in peculiari quodam ſepulchro ſacrum Martyris caput media diſſectum parte, ipſaquemet infixa adhuc cranio ſecuri viſum eſt. Pleraque verò Martyrum Chriſti capita, flagellorum plumbo inſtructorum, quibus olim dira carnificum manu contuſa fuerant (hæc enim plumbatæ dicebantur) expreſſa adhuc veſtigia exhibebant.

Oſſa mortuorum in Cœmeteriis miræ proceritatis reperta.

Sacella, & altaria in Cœmeteriis.

Sanguis in ſepulchris.

Vaſcula cum ſanguine.

Sacrum Martyris caput cum ſecuri illi infixa repertum.

Capita martyrum plumbatis contuſa.

8 Ut reliqua interim, quæ ad Cœmeteria à Boſio perluſtrata pertinent; proſequamur; quædam ibi corpora leviſſimis obvoluta linteis cernebantur: inter cætera autem in quodam inferioris Cœmeterii tumulo cadaver ex toto integrum, hujuſcemodi, ut ſupra dictum eſt, ac fere recenti circumtectum linteo apparuit, quod tamen linteum dum manus ultro explorat, levi quidem contactu mox in pulverem abiens, inter manus ab oculis evanuit. Inſuper nonnulla ibi ex auro fragmenta videre erat, quæ an hujuſcemodi, vel certe veſtium quid reliquum eſſent, definiri nullatenus poterat. Nam talibus interdum indumentis, ex auro contextis, defunctorum corpora contegi, atque humari conſueviſſe, prolatis in medium Cæciliæ virginis, SS. Marini, & Vari ac repetitis compluribus è ſacra antiquitate exemplis, jam ſatis ſuperque oſtendimus.

Corpora linteis obvoluta.

Lintei auro contexti.

9 Sepul-

rpora n ipso- t loci vere è meteriis nflata.

9 Sepulchra item ibi quamplurima, integumentis, quibus operiebantur, ablatis, nuda nunc & aperta conspiciuntur; è quibus non corpora dumtaxat, quæ intus olim recludebantur, extracta, sed & ipsummet pulverem devotionis gratia inde diligenter abrasum fuisse apparet, & hæc quidem Martyrum beatorum, ut nobis credere par est, corpora, vel in Urbem à Summis Pontificibus, vel alio eorumdem auctoritate translata fuere. Nonnulla quoque ex consistentibus ibi cadaveribus adhuc intacta, ut videre est, perseverant, quamvis hæc numero sint admodum pauca, & ut plurimum (ignota prorsus rei causa) titulis ac nominibus omnino carent. In quibusdam tamen ex his tumulis palmæ artificum manu insculptæ sunt, ignei insuper globi, flammæ, pectines, ut hic videre est:


iaChri- norum a in mete



Cruces itidem visuntur, atque ipsummet sacrosanctum Christi Domini nomen multiplicibus quidem characteribus, ac figuris exprimitur, hunc in modum:



Columbæ insuper olivarum ramos ore præferentes repræsentantur, & id genus alia suscepti pro Christo martyrii indicia, vel pia admodum ac recolenda orthodoxæ fidei, ac religionis Christianæ hieroglyphica studioso opere delineata intuentium oculis hic adumbrantur.



culi i.

Animalium item imagines ex ære, vel ebore confectas: vitreos quoque orbiculos, & quosdam insuper affabre deauratos, contemplari fas est, in quibus sacræ pictæ imagines exhibebantur: quorum permulta item vestigia in calce adhuc impressa remansisse, curiosis oculis rem exploranti constat. Innotuere insuper inter perscrutandum Cœmeteriales tumulos, antiqua ipsorum Imperatorum numismata, quæ in exteriori interdum sepulchrorum eorumdem ambitu, interjecto calcis glutino, affigi consueverant. Circuli quoque, necnon eburnei annuli, conchylia itidem haud numero pauca multiplicis quidem generis sepulchrorum ornamento antiquos apud Christianos adhibita fuere. Signa itidem & multiplicium rerum symbola eisdem sepulchris apponebantur: in quibusdam verò ex his ad plenam quandoque, distinctamque eorumdem notitiam assequendam numeri quoque inserebantur, sub hac videlicet forma digesti I. X. XX. &c.

Numismata Imperatorum in sepulchris.

Circuli, annulique eburnei in sepulchris.

Numeri in sepulchris.

10 Nec verò deerant inter tot præclara beatorum Martyrum illic quiescentium insignia, vel dixerim potius trophæa, ad nobile, ac perenne martyrii monumentum quamplura vascula vitrea, vel figlina cruorem pretiosissimum, ut jam diximus, continentia; quæ quidem calce sepulchris eisdem valide conglutinata, ac infixa propemodum fuerant. Horum quidem vasculorum formam typis exsculptam in Subterraneæ Romæ descriptione, quam Italico hactenus idiomate Severanus edidit, studiosis ultro lectoribus contemplandam obtulit: eorum nimirum, quæ vel postquam ipse Bosius vita functus est, Illustrissimi, ac piissimi viri Jacobi Abbatis Crescentii opera ac studio, cujus memoria in benedictione est, ipsius Gregorii XV. felic. record. jussu inde ad piorum hominum solatium extracta in lucem prodiere. Eorumdem ectypa hic nos quoque subjicimus.

Vascula vitrea, & figlina in sepulchris.

Inter

Inter vaſcula vitrea Martyrum ſanguine illuſtria unum præcipue, cujus ſimulacrum hic ſubjicimus, recenſendum nobis eſt, quod in marmoreo ſepulchri ipſius operculo calce obſito adinveniri contigit, ubi palma hujuſcemodi addito inſcriptionis titulo: *Sã Saturnini*, præferebatur, ut hic videre eſt. Quod quidem vas hodie apud Illuſtriſſimam Chriſtianam Marchioniſſam de Angelellis, veluti perenne pietatis Chriſtianæ, ac fervoris haud æquiparandi monimentum, inter cæteras recolendæ antiquitatis exuvias cuſtoditur.

Alia duo Vaſa è SS. Victoris & Nicaſii ſepulchris eruta fuere, quorum ſacra corpora ſummus Pontifex Gregorius XV. ad ſe deferri voluit; in quorum altero, quod S. Victoris ſanguinem continebat, hæ legebantur notæ: SANG: in altero autem S. Nicaſii, in quo & palmæ ſignum exſculptum exhibebatur, characteribus hiſce ſuperadditis: SA. Porro Vas iſtud, quod Nicaſii Mart. invicti ſangine illuſtratur, nunc apud Illuſtriſſ. Portiam Lancellottam de Gabrielliis pretioſiſſimi inſtar theſauri, ſumma veneratione aſſervatur, quæ Lucinas, Cyriacas, Lucillas, & cæteras Romanas matronas pietate conſpicuas æmulando, ſacra obire Cœmeteria, ſanctorum Martyrum memorias, ac pignora excolere, eorumdem obſequio ſtudium atque operam impendere, totiſque animi viribus eorum cultui deſervire gaudet.

Alia quinque vaſcula vitrea in eodem S. Calliſti Cœmeterio inter explorandum in lucem prolata ſunt, quæ omni quidem titulo carebant, ſed palmis, & ſacro crucis ſigno præmunita erant.

I. Primum S. Gerardi ſanguinem terræ immixtum continuiſſe dicitur.

II. Alterum verò S. Almachii ſanguinem, & cineres.

III. Tertium ejuſdem Almachii, vel potius poſterior ejuſdem vaſculi pars, cui palma inſculpta viſitur.


IV. Quartum anonymi cujuſdam ſanguinem cineribus admixtum habuit.

V. In poſtremo cujuſdam item anonymi ſanguis extitiſſe fertur.

VAS VITREVM CVM SANGVINE S. SATVRNINI, IN COEMETERIO CALLISTI REPERTVM.




VASCVLA VITREA CVM SANGVINE ET CAPILLIS SS. MARTIRVM IN COEMETERIO CALLISTI REPERTA





CVLA VITREA ET. TESTACEA CVM SANGVINE ET CINERIBVS SS. MARTIR IN COEMETERIO CALLISTI REPERT



Pp

Vaſcula vitrea, & figlina in Cœmeteriis reperta cui uſui eſſent.

11 Cæterum ut ſingula ſtudioſo lectori exponamus, quamplura item figlina pariter, necnon vitrea vaſcula ſepulchris eundem in modum conſignata, ac variis diſtincta formis adnotare licuit: quæ antiqua ipſorummet Gentilium, ut vulgo dicebantur, *Lacrymatoria* intuentibus præ ſe ferre videntur, haud tamen primævos apud Chriſtianos, qui mori lucrum computabant, lacrymis reponendis, ſed pio aquæ luſtralis uſui, ut mos erat, & ex jam ſupra recenſitis conſtat, expiandis utique leviorum culparum maculis olim inſerviebant apud homines videlicet, quibus animi candor, & vitæ innocentia apprime cordi erat. Ea autem erant hujuſmodi.



Ægri è vaſculis Cœmeteriorum bibentes ſanitati divinitus reſtituuntur.

Porro quædam iſtis ex vaſculis in Sacramentorum quoque miniſterium adhibita fuiſſe, & in Martyrum, vel piorum Chriſtianorum ſepulchris recondita, ex eorum altero conjici datum eſt, quod ipſe Boſius deinde tanquam pretioſiſſimum quid nobili cuidam Hiſpano Petro Amoragæ dono dedit. Hoc verò vir ille præcipuo religionis ſtudio intenſus, auro eleganter circumdatum, & maxima apud ſe veneratione perpetuo aſſervandum, nobiliſſimi inſtar cimelii ſe jure quidem merito à viro ſacræ antiquitati addicto accepiſſe gloriatur: nec verò ad tantam comprobandam rem ſignorum portenta defuere: quamplures enim, qui multiplicibus morborum languoribus detinebantur, ſtatim atque ex eodem vaſculo aquam inter bibendum hauſere, priſtinæ confeſtim incolumitati redditi ſunt.

12 Alia item quamplura pretioſo Martyrum imbuta cruore vaſcula, multiplici quidem forma ac artis opere conſpicua, in ſacris paſſim Cœmeteriis ad martyrum ſepulchra, non multis abhinc annis, ſub diverſis quidem temporibus adinveniri contigit, quæ in edito jam Romæ Subterraneæ opere Italico idiomate deſiderantur: quorumdam verò præcipuorum icones Chriſtiana Marchioniſſa Angelella ad augendam eorum gloriam, qui proprio quondam ſanguine purpurati Eccleſiam illuſtrarunt, devoti animi ergo hic tibi, pie lector, conſpiciendas, venerandaſque tribus proxime ſequentibus Tabulis proponi curavit.

Marchioniſſa Angelella vaſcula Martyrum ſanguine illuſtria hic ſuſpicienda præbuit.

Alia præterea vaſcula, quæ his excerpta tabulis tibi contemplanda à nobis exhibentur, & multiplici quidem forma elaborata conſpiciuntur, tum vitrea, tum figlina ſunt, quæ quidem Chriſtianorum uſui, & religionis, ac pietatis obſequio addicta colligendo beatorum Martyrum cruori, quorum tunc ingens ſuppetebat numerus, inſerviebant: qui quidem pretioſiſſimus ſanguis ab his in fidei teſtimonium alacri, libentique animo effuſus, avide pariter, & curioſe à fidei ejuſdem ſectatoribus collectus hic è vaſculis in eorumdem Martyrum tumulos inferebatur, vel certe topho, ac parieti, qui adjacebat, calcis glutino valide infodiebatur. Quid mirum autem, ſi tot paſſim vaſcula colligendo martyrum cruori pia Chriſtianorum manu adhiberentur, ſi tantus Martyrum numerus exſtitit, & tam immane eorumdem ſanguis redundavit, ut haud vaſcula huic recondendo ſufficerent, ſed putei quoque aptarentur, qui ſacro liquore referti in Urbe extant, ut præſertim videre eſt in Eccleſia SS. Praxedis, & Pudentianæ Virginum, quæ ſanguinem martyrum collectum intra ampliſſimum in ſua domo puteum infundebant.

Et ſane quo cultu, & qua ambitione Chriſtiani ſanguinem Martyrum colligerent, Acta BB. eorumdem Martyrum ſatis teſtantur, ut jam diximus lib. 1. c. 26. Certe B. Agricolæ mart. & beatorum Gervaſii, & Protaſii Martt. ſanguinem, S. Ambroſio enarrante, didicimus, longa poſt ſecula, ac ſi recentem, adinventum ad eorum ſepulchrum fuiſſe; Condant alii (inquit ille) aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis: legant pretioſa monilium ſerta, temporalis ille theſaurus eſt, &c. Collegimus ſanguinem triumphalem. Legebatur igitur omni adhibito ſtudio pretioſus cruor, & intra ſepulchra diligentiſſime Chriſtianorum poſteritati reſervandus includebatur, ut ipſemet ſanguis pro Chriſto effuſus martyrii teſtimonium extaret, & martyrum conſtantiam orbi palam faceret: Habet enim ſanguis, ut Ambroſius ait, ſuam vocem.

Ambr. exor. ad Virg.


Vaſcula autem iſthæc, haud unam, eandemque formam præ ſe ferunt; quædam enim vaſis cujuſdam, nonnulla pateræ, aut cyathi figuram, alia demum urcei, aut urceoli typum intuentibus exhibent, ut in deſcriptis modo tabulis aperte cernitur. Quod quidem inde potiſſimum accidiſſe credimus, quod Chriſtiani videlicet, ubi colligendi Martyrum ſanguinis occaſio vel inopinata ſuppeteret, tunc tempori deſervientes, ne pretioſiſſimus liquor vel inter carnificum manus deperiret, quæcumque illis ad manus vaſa proveniebant, pio huic miniſterio aptabant; quod quidem multiplicium vaſorum numerus ac forma, quæ in ſacris, recolendiſque Cœmeteriis paſſim eruta ſunt, edocent, & ipſæmet temporis anguſtiæ, quæ ad id interdum eoſdem perurgebant, prudentis arbitrio lectoris expendendæ palam ſuadere videntur.

Vaſcula item, quæ ſpectanda hic exhibentur, ſacroſancto Chriſti nomine duabus Græcis litteris exarato, & calci impreſſo interdum prænotabantur, ut inſculptus martyrii titulus, triumphalem martyrum ſanguinem præmonſtraret; qui longa poſt ſecula haud illibatus dumtaxat, ſed adeo vividus ac liqueſcens quandoque in tumulis adinventus eſt, ut qui millenos & eo amplius annos profuſus quondam fuiſſe comprobatur, recens tamen, & colore prorſus vivido fluidus appareat; quamobrem ſæpe ſæpius contigit, ut in ſacris hiſce theſauris minus caute perſcrutandis, eruendiſque è loco, in quo includebantur, dum ferro tophus ad extrahendum, quod intus latebat, aperitur, vitrea iſthæc, aut figlina vaſcula caſu inciſa, liquentem protinus cruorem uberrime emiſerint; cujus rei quamplures oculati teſtes adſunt. Dum autem luto, ac calcis glutino vaſcula iſta figlina, quæ aureo liquore referta ſunt, ſtudioſe inſerta, ac recondita intuemur, illud paucis immutatis Bernardi ore prolatum probe meminimus: In luto quid facit aurum? Intuere interim pie lector, ac venerare pretioſum intra iſthæc lutea ac vitrea vaſcula liquorem, & admirabundis oculis, & piis pariter oſculis illa ſane verba tecum mente repete: Tanti vitrum, quanti margaritum.

Bern. in apol. ad Gul.

At







At quoniam de vasculis hic sermo hactenus extitit, quibus Martyrum cruor pia Christianorum manu collectus, diligenterque servatus, ad nostras tandem manus feliciter devenit, opportuna quidem nunc mentio incurrit alterius vitrei cujusdam Vasculi, vel potius pateræ grandiorem præ se ferentis formam, quæ una cum alabastrina patina miro artis studio elaborata, in Cœmeterio D. Agnetis Via Nomentana, intra Constantii Mart. sepulchrum à perscrutantibus reperta, venerandam Christiani nominis antiquitatem, invictamque Martyrum beatorum sub acerbiora prosecutionum tempora constantiam intuentibus palam facit. Ut quanti autem vasculum, seu patera præmemorata sit pretii, innotescat, meminisse oportet, hanc videlicet nobilis ultro subeundi martyrii instrumentum extitisse: in ea quippe invictissimo Christi Martyri Constantio (cujus sacrum corpus Ariminum transferri contigit) in odium Christianæ fidei ad certam inferendam necem, jubente tyranno, ipsamet carnificum manu venenum propinatum est, ut ex notis hisce alabastrinæ, quæ substat, patinæ insculptis compertum sit, videlicet:

Patera, in qua venenum Constantio Martyri propinatum est.

NON UNDA LETHALIS
EST AUSA CONSTANTI FERRE
QUAM LICUIT FERRO CORONAM.

Etsi postmodum evacuata veneni ipsius vi martyr coronis auctus Deo protegente omnino liber evaserit, ut illud Christi oraculum adimpleretur: Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Porro patina ista vitrea auro quidem pretiosior, & gemmarum lapillis longe anteferenda: in ea quippe, quod vulgo fertur, proverbium viget: Tanti vitrum, quanti margaritum; immo potius plus vitrum istud pateræ, quam quævis margaritarum copia. Hanc nos ultro inspeximus, ac venerati sumus, qua tanquam lydio lapide martyris charitas, invictique animi constantia comprobari meruit. Ea nunc apud Illustrissimam fœminam Felicem Rondaninam inter recolenda sacræ antiquitatis monimenta, quæ possidet, pie, ac studiose asservatur, & novissime typis exsculptam tibi contemplandam offert.

In præmemorati item Cœmeterii sepulchris lucernæ fictiles innumeræ calce pariter obductæ extant, necnon plerisque in parietibus parva quædam arcuata foramina calce similiter, sive signino opere oblita, quæ cum tetris fumi vaporibus denigrata appareant, certum inde indicium desumptum est, ardentes ibi olim lucernas, ut antiquis mos erat, extitisse, ad subobscuras videlicet, inflexasque viarum semitas illustrandas, ac Cimmerias illas tenebras effugandas. Æneas insuper lucernas in Christianorum Cœmeteriis, dum suas illic vigilias peragerent, usui fuisse, quæ in cubiculis scilicet superiori è loco ad refundendum lumen appendebantur, nos infra occasionem nacti demonstrabimus. Harum interim, ac fictilium pariter icones, seu ectypa hic à nobis rerum antiquarum studiosis contemplanda exhibentur.

Alias lucernarum insuper icones contemplandas hic tibi exhibemus, quas apud Christianos, qui in sacris passim Cœmeteriis delitescebant, satis frequenter usui fuisse, & tum præsertim cum ad sacras Synaxes peragendas, vel ad concelebranda Martyrum natalitia convenirent: tunc enim easdem haud effugandarum dumtaxat tenebrarum, verum etiam lætitiæ causa incendere consueverant. Qui plane mos, ut ad sua principia reducatur, ab ipsismet Judæis ortum habuisse comperitur; apud quos aureum illud in Templo Hierosolymitano Candelabrum septem habens infusoria septeno lucernarum lumine coruscabat: & in Turri insuper, quæ Antonia dicebatur, cum stola Pontificia servaretur, lucerna ibidem honoris gratia quotidie ardebat: quin & permultis accensis lucernis solemne Judæis olim lætitiæ symbolum extitit: quapropter Persius de Natalitio Herodis die solemni loquens apud Judæos, isthæc de lucernis cecinit:

Joseph. antiq. lib. 18. cap. 6.

——————— *At cum*
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Per sat. 5.

Christiani autem in sacris Cœmeteriis haud id superstitione aliqua adducti factitabant, neque ad martyres illuminandos, ut Vigilantius calumniabatur, sed lætitiæ, atque obsequii impendendi gratia, ut alibi diximus, id Martyribus, quorum lucerna est Agnus, impertiendum putabant, & ut meminissent illa jugiter Apostoli verba: Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic ut in die honeste ambulemus. Profecto ut vigilarent ad lumen (inquit Hieronymus) non ut cæci dormirent in tenebris.

Hier. in Vigil. Apo. 21. Epist. ad Rom. Hieron. in Vigil.

Et quidem quod ad luminaria, & lucernas pertinet, frequentissimum earumdem usum in Ecclesia extitisse Paulinus carminibus illis satis edocet:

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte dieque micant; sic nox, splendorque diei
Fulget, & ipsa dies cælesti illustris honore,
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Paulinus in natal. 3. S. Felicis.


Audis, quam copiosus lucernarum numerus, ac fulgor Christianis olim suppeteret? quod si in Ecclesiis, multo magis in subterraneis Cœmeteriorum cubiculis id jugiter præstitum esse, immensa lucernarum multitudo, quæ ad nostras manus devenit, intuentes admonet, quæ multiplici quidam forma ex ære elaboratæ, ex ipsis fornicibus ante martyrum sepulchra suspendebantur, quæ deinde sub Christianorum Imperatorum temporibus religio adeo excrevit, ut haud æreæ dumtaxat lucernæ, sed & argenteæ, & aureæ


Patera vitrea in qua venenum Constantio Mart-
Propinatum est una cum Patina alabastrina
ex Cœmeterio S. Agnetis Via Nomentana





LVCERNÆ ÆNEÆ IN COEMETERIIS REPERTÆ





LVCERNÆ ÆNEÆ IN COEMETERIIS REPERTÆ





aureæ affabre elaboratæ ad luminaria incendenda adhiberentur, in quibus haud oleum commune dumtaxat, vel cera, sed interdum opobalſamum, vel nardinum oleum in Dei ac Sanctorum honorem, ut Baronius ait, incenderetur, de quo nos ſupra lib. 1. cap. 27 prolixius egimus.

Baron. t. 1. an. 58.

Cujus rei gratia illud hic meminiſſe volumus, quod Petro præſertim Damiano enarrante didicimus, in Babyloniorum videlicet regionibus Romanam quondam Eccleſiam ditiones quaſdam obtinuiſſe, ex quibus ſtata quædam opobalſami menſura quotannis pro incendendis Vaticanæ Baſilicæ lucernis in Apoſtolorum honorem impendebatur. Sed cum quidam ex Romanis Pontificibus ditionem illam, & tributum pariter annuum pro concinnandis lampadibus diſtraxiſſet, admiſsi facinoris pœnam dedit: dum enim ſacro Apoſtolorum altari quodam die adſtaret, en tibi, ſenex quidam proceræ ſtaturæ, ac terribili aſpectu ſeſe illi videndum obtulit, & erecta manu alapam verbis hiſce prolatis impinxit: Tu extinxiſti lucernam meam ante me, & ego exſtinguam lucernam tuam ante Dominum; quibus dictis ſe protinus ab oculis proripiens, Pontifex extemplo concidit, & paulo poſt exanimatus miſerabiliter deceſsit. Et hæc de lucernis, ac lampadibus vel obiter enarraſſe viſum eſt.

Petr. Dam.

Baron. t. 10 an. 1061.

Quamplures ex his lucernis, quæ hic inſpectandæ proponuntur, etſi ex rudi materia, affabre tamen elaboratæ, multiplicibus imbutæ myſteriis, lumen oculis, ac mentibus pariter refundunt. Nonnullæ enim ex his æneis præcipue ſuperioribus crucem, & columbam in ſummitate effictam habent, quæ ſancti Spiritus ſymbolum eſt, qui tenebras mentium ſuo illapſu propulſare conſuevit: ipſe enim eſt lumen cordium, ut canit Eccleſia, qui crucem ipſam illuſtrem, ſpecioſamque ſectantibus, quinimmo glorioſam reddidit; de qua item canitur: Arbor decora & fulgida, ornata Regis purpura.

Hymn. de Spir. Sanct.

Hymn. de Cruce.

Aliæ item lucernæ crucem animantis cujuſdam capiti infixam media inter cornua contemplandam exhibent, ea plane ratione, qua Chriſtus Dominus B. Martyri Euſtachio inter feræ conſiſtentis cornua videndum ſe præbuit.

Brev. Rom. die 11. Novemb.

Frons quippe ferrea caſſide præmunita fortitudinem præ ſe fert, & Crux ſymbolum impertiendæ fortitudinis contra adverſariorum legiones conſtituitur: juxta id quod B. Martinus Juliano edixit: Ego ſigno crucis, non clypeo protectus, aut haſta, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus. Ni forte dicamus, ad Crucis potentiam Chriſtianos alludere voluiſſe, de qua illa protulit Auguſtinus: Attende gloriam Crucis ipſius, jam in fronte regum crux illa fixa eſt, cui inimici inſultaverunt.

Aug. tract. in pſ. 54.


In aliis item lucernis triumphales palmarum rami conſpiciuntur, quibus Martyres illuſtres redditi, Euangelici luminis ſplendorem contra Tartari tenebras toto orbe terrarum diffuderunt.

Aliæ denique lucernæ fictiles boni Paſtoris effigiem, crucem, columbas, palmas, & ſacroſanctum Chriſti nomen binis Græcorum characteribus expreſſum præferunt, & unicuique peculiaris myſteriorum nitor ineſt.


At duarum ex his præcipue forma, quæ è tenebris nunc in lucem prodeunt è nobiliſſimo Franciſci Cardinalis Barberini Muſæo, ſtudioſis viris contemplanda proponitur Hæ autem lucernæ medium quoddam vaſculum ſepulchri adinſtar præ ſe ferunt, in quo ſancti cujuſpiam viri depoſitus olim fuiſſe reliquias, aſpectus ipſe ſuadet, & quod velut quid pietati conſonum credere par eſt. Interim tu ipſemet lector oculatus antiquitatis hujus recolendæ teſtis, ac aſſertæ nuper ſententiæ explorator factus, judex quoque eris.

Ut

LVCERNÆ IN ÆNEÆ COEMETERIIS REPERTÆ



LVCERNÆ FICTILES IN COEMETERIIS REPERTÆ



LVCERNÆ FICTILES IN COEMETERIIS REPERTÆ



CRESCENTINA ANIMA DVLCIS IN PACE QVE VIXIT ANN XVII DII IN PACE

13 Ut demum ad Bosium recensita hactenus loca percurrentem redeuntes, potissima perlustrati à se Cœmeterii monumenta enarrantem audiamus; complures ibi aditus se oculis deprehendisse ait, per quos in aliud quoddam Cœmeterium, vel potius in aliquam vastissimi hujus Cœmeterii partem descensum olim patuisse arbitratus est. Nonnulla insuper à se adinventa ibidem fuisse monumenta testatur, Græcis insignita characteribus: sepulchrales autem hujuscemodi lapides eum in modum confracti, ac ipsi literarum apices tam enormiter labefactati erant, ut dignosci ac perlegi vix ulla ratione possent. Proinde haud pauca earumdem fragmenta inscriptionum, quibus totum fere Cœmeterii solum scatebat, hinc illinc disjecta passim jacebant: quarum plurima, quippe quæ sepulchrorum operculis usui jam fuerant, & ipsamet calce exaratum quandoque, aut marmori incisum beatorum Martyrum nomen, & martyrii, vel Christianæ saltem fidei nominis signa præferebant, studiose Bosius collegit. Has porro inscriptiones numero sexaginta novem exsculptas in Italico Cœmeteriorum subterraneorum opere hactenus edito inspicere, ac legere cuique licet. Nos interim, etsi lectori sepulchrales hosce titulos repetendo tædium videamur inferre, haud inutili prorsus labore, quamvis ad ulteriora contendentem, in ipso itineris cursu, vel invitum consistere cogentes, haud illos ex animi proposito prætermisisse voluimus. Et illæ quidem inscriptiones, quas lignarii typi tabellis expressas hic vides, ipsamet calce in Cœmeteriis exaratæ visuntur: cæteræ verò marmori incisæ sunt.

X VLPIVS FESTVS AFER IN PACE

QVARTINA IN PACE

SERVVLI

CRESCENTII

CASSIANI

PELAGIA IN PACE

ALBINI

MARCELLI

HILARIAE

HONORATI IN PACE

PAVLVS

ROMANI

ARISTOFAS

FEE

FELICIANI R.Q.E

VICTORINI

HILARII VV

SECVNDI

MARCELLIANI

LVCII

LARGI IN PACE

PA CTI LIA

CASSIANVS IN PACE

ALBANI

EXVPERANTIA IN PACE PETA SPONO FELIX

PERANTIV FELIX IN PACE

VALERI IN PACE VRBICA IN PACE DEPOSO VRICE VIIID ISSEPTENBRES

SABBATIO IN PACE

KK DECENBRIS

DE BIANOBA

POLIECLA QVE ORDEN BENDET DE BIANOBA

RVFINE BENEMERENTI IN PACE

SE CVN DIANO IN PA CE

CAPSARARA

AGAPITI

CIOLACLENICVS


CHRISTINE IN PACE

CRESCENTINAE

SATVRNINI

FELICISSIMO FILIO DVLCISSI
MO QVIB. AN Ç DIXXD

AVSANON QVI VIXII MEI
SES III NON OCT




LV CRETI IN PACE



BENEMERENTI JANU
ARIO QVI VIXIT. M.VI. ET. D.XXV

FILIÆ DULCISSIMÆ
VICTORINÆ.





BONIFATIVS QVI VIXIT ANN
XXIII ET IIES POSITVS IN BIS
MVM IN PACE SIBI ET PATI
SVO

V. INCOMA
LUS QUI VI
XIT AN VII




JENUARIO. B
M. QUI VIXIT
ANN. XXCII
DI. CI KAL
NOB IMP.

TEODOTO BENEMERENTI Q
VIXIT ANNIS. XXXVII MES
D. X.X.

VENEROSA QVÆ VIXIT
ANNOS XXX ET MENS. II.
CVM MARITO FECIT
ANNOS XLIII. M. V. ET
D XXVIII

VICTO
RIA QVE
SCET AN
NORO XXV





FELICITAS SIBI ET VIR
SUO IN PACE.

ILARA IIII IDVS OCTOBRE
DEFVCTA ES IN PACE

MARCELLINA
IM. P.

VENERANE IN PACE DEPO
SITUS III. KAL. JUNIAS

EVTYCEI
BENEM
MERENTE

IN HOC VINCES



SINFONIA ET FILIIS
V. AN. XLVIII. M.V.D. IIII.

SE BIBA EMET DOMNINA
LOCUM A SUCESSUM
TRISOMUM UBI POSITI

VRANI IN PACE

ΔΕΥΤΕΡΙω
Τω
ΕΥΧΑΡΙΓΤΟΙ

MARTI
NE ET AN
GELVS A
BIBATES

CORNELIUS
IN PACE
X KAL APRIL
MORITUR

INNOCENTIE ET DVLCITVDINI
FILIO QVI VIXIT ANNV VNV
MENS.... DIES VIIII PARENTES
FECERVNT

ISPETI
MARITVS
ET MATER
FECERVNT

In quadam ejusdem Cœmeterii semita, ubi plurima, eaque fere puerorum monumenta cernuntur cum lucernis, palmis, vasculis vitreis, ac fictilibus, rosis insuper, & quibusdam globulis eburneis, quorum unum, longitudine duorum palmorum, & dimidii, hanc præfert inscriptionem:



SEVERINE FILIÆ BENEME
RENTI FECI QVE ISTETIT
IN SECVLO ANNIS NI E DIES NX

Ex hactenus interim enarratis duas inscriptiones postremo loco lectori ultro exponendas selegimus, quas à Joanne Severano, postquam Bosius è vita decesserat, idem Callisti Cœmeterium unà cum eruditissimo ac piissimo viro Jacobo Abbate Crescentio curiosius perlustrante reperiri contigit. Sunt autem tenoris hujusmodi:



ALEXANDER MORTUS NON EST SED VIVIT SUPER ASTRA ET CORPUS IN HOC TUMULO QUIESCIT VITAM EXPLEVIT CUM ANTONINO IMP. QUI UBI MULTUM BENEFITII ANTEVENIRE PREVIDERET PRO GRATIA ODIUM REDDIT GENUA ENIM FLETENS VERO DEO SACRIFICATURUS AD SUPPLICIA DUCITUR O TEMPORA INFAUSTA QUIBUS INTER SACRA ET VOTA NE IN CAVERNIS QUIDEM SALVARI POSSIMUS QUID MISERIUS VITA SED QVID MISERIUS IN MORTE CVM AB AMICIS ET PARENTIBVS SEPELIRI NEQVEANT TANDEM IN CÆLO CORVSCAT PARVM VIXIT QVI VIXIT IV. X. TEM.



Ex quo sepulchrali lapide, qui legis, intelligis haud obscuris descriptam notis acerbissimorum temporum calamitatem, quæ Christianos à Cœmeteriis, à cœtu, ab altari, à sepulchro procul arcebat, quin ex ipso terrarum orbe extorres fecerat, cum nec inter vivos agere, nec inter mortuos inferri iisdem facultas suppeteret. Percipis insuper obduratam adversus insontes Christianæ fidei sectatores Romanorum principum sævitiam, qui in eosdem sævire, & odium pro gratia reddere, ut Deorum cultui prospicerent, pietatem arbitrabantur; rati se in ipsa impietate pios, ut illud Christi oraculum merito olim id præmonentis adimpleretur, eo usque videlicet persecutorum immanitatem proventuram, ut persequendo, excruciando, mactando, *obsequium se præstare Deo arbitrarentur*; & sacrilegium profusi sanguinis contempti numinis sacrificium dicerent.

[Al]tera autem inscriptio, quæ Cœmeterialibus è tenebris in [lu]cem venit, sic se habet.

TEMPORE ADRIANI IMPERATORIS.
MARIVS ADOLESCENS DVX
MILITVM QVI SATIS VIXIT
DVM VITAM PRO CHO CVM SAN
GVINE CONSVNSIT IN PACE
TANDEM QVIEVIT BENEMERENTES
CVM LACRIMIS ET METV POSVERVNT,
ID. VI



Ex quo item sepulchrali lapide legentibus invicta Christianorum cujusvis ætatis, & conditionis pro tuenda fide constantia innotescit, ipsimet quippe, ut præfertur, adolescentes vitam, *quam*, ut ait Ambrosius, *nondum hauserant, ac si jam vita perfuncti, libenti animo profundebant, lucrum mori pro Christo arbitrantes. Nulla quippe ætas est* (ut idem alibi asserit) *quæ non sit apta regno Dei.* Quantus enim quæso fidei ardor in credentibus olim extitit, dum ipsimet, qui militiæ vexillum in gentilium castris præferebant, fidei quoque vexillum haud alieni, sed proprii effusione sanguinis constanter pro Christi nomine erigerent: quibus jam metu solutis, & ad Cæli gaudia, securitatemque receptis, amici tamen, ac parentes justa iisdem persolvere, & sepulchrum donare, uti memoratus præ se fert titulus, etsi cum lacrymis haud sine metu permittebantur.

[Am]br. ser. [V]irg.

14 At verò iisdem in Cœmeteriis, inferiori videlicet, & superiori innumera fere cubicula adnumerantur, & nonnulla ex his in formam satis amplam, quædam verò in perangustam admodum concinnata; singula autem, ut plurimum dealbata, ac fornicibus desuper instructa subsistunt. In aliquibus ferrum adhuc videre est, ex quo lucernæ ad lumen accedentibus refundendum suspendebantur. In plerisque ex memoratis hactenus cubiculis unicum arcuatum monumentum, apsidis instar, in singulis parietibus aptatum suspicitur, & alia quamplura hinc inde de more excisa iisdem in parietibns sepulchra patent, quorum unum alabastrite striato exornatum contemplari licuit. Complura item cubicula multipliciter picturis exculta conspiciuntur; quædam item arcuata monumenta ibidem, quæ singula formis impressa, hic diligenter à nobis in lectoris gratiam, ne quid omnino prætereat, describentur.

Cubiculum primum apud Callisti aliorumque Martyrum Cœmeterium Via Appia, atque Ardeatina describitur.

Cubiculum, cujus mentio incurrit, binas simul fere junctas apsides continet, quæ ab invicem exiguo dumtaxat tholo, latitudinis palm. circiter quatuor secernuntur. In qualibet verò apside bina in arcæ similitudinem lateritia monumenta existunt, quæ ad arcuata in superiori eorumdem parte monumenta pertingunt, ac marmore, ut ex fragmentis ibi derelictis apparet, obducta erant. Bina autem hæc monumenta eum in modum disposita sunt, ut sub ipsamet apside altare quoddam effingere, ac intuentibus exhibere videantur; ex quo conjicimus, veneranda insignium ibidem Martyrum corpora condita olim fuisse, supra quæ eodem in altari sacrosancta à priscis illis Christianis mysteria de more peragerentur.

Præter arcuata hæc quatuor monumenta, ac bina,

bina, quæ extant, lateritia, tredecim ibidem monumenta hinc inde in topho excisa, forma quidem satis oblonga, adnumerantur. Porro cubiculi hujus latitudo ab una ad alteram apsidem palm. 25. constat, & ab ingressu, utraque inter latera, palm. 20. à pavimento verò ad tholum altitudo palm. circiter decem & octo præ se fert. Ipsius ostii altitudo, cubiculi mensuræ respondet. Latitudo verò pal. 4. protenditur profunditas, ut conjici fas est, pal. circiter octo concluditur. Cubiculum verò, quod in topho ipso excavatum est, calce in præsens obductum, alboque colore delinitum, & quamplurimis excultum picturis suspicitur: quæ quidem typis unà cum ipsius Cubiculi ichnographia diligenter impressæ, quatuor tabulis continentur. Sunt autem, quæ hic studioso lectori ob oculos proponuntur.

A Ostium, per quod ingressus in Cubiculum olim patebat, per quosdam gradus meridiem versus, qui terra, saxisque in præsens obstructi sunt.

B Apsis primaria, quæ dextrorsum intrantibus occurrit, cum picturis, quæ proxima sequenti Tabula exhibentur.

C Apsis altera è conspectu superioris, qua ad lævam ingressus in cubiculum patet, cum figuris, quæ I I. Tabula exprimuntur.

D E F G. Quatuor Monumenta arcuata, quæ sub utraque apside existunt, bina sub qualibet, videlicet D.E, sub apside C, & F G, sub apside B. quæ Tabula tertia repræsentat.

H Imagines, & figuræ, quæ in apside C conspiciuntur, easque quarta Tabula ob oculos ponit.

I Imagines, ac figuræ, quæ in apside B existunt. atque illas eadem quarta Tabula contemplandas exhibet.

K L M Imagines, ac figuræ, quas eadem Tabula quarta continet.

N Murus ab uno ad alterum Cubiculi latus protensus sub apside B, qui Altari pro lorica, seu peribolo fuisse videtur.

O Bina monumenta lateritia in arcæ similitudinem cum operculis è marmore, sub apside B.

P Tredecim Monumenta vulgaria oblonga hinc inde in topho excisa.

TABULA PRIMA.

In apside, qua quis dextrorsum ingreditur, sacra Christi Domini Doctorum in medio considentis imago conspicitur, quæ quidem, ut nonnulli arbitrati sunt, eundem Dominum suos edocentem Apostolos repræsentat, cum præsertim aliæ ibi ad numerum duodenum intuentibus imagines exhibeantur: at cum binæ earum viros quosdam sedentes, reliquæ verò stantes nonnullos præ se ferant ejusdemque Christi Domini facies pubescentem adhuc ætatem redoleat, credendum potius est, eundem in Templo inter Doctores medium sacris de rebus differentem ejusmodi habitu præmonstrari.

TABULA SECUNDA.

I In altera è conspectu superioris apside, qua ad lævam ingressus patet, Euangelici Pastoris dilectam humeris oviculam gestantis effigies coloribus exprimitur, quæ variis hinc inde imaginibus, quatuor anni tempestates præ se ferentibus, circumdatur.

II A dextris enim agricola quidam pennicillo affabre effictus, apposito igne, atque arbore foliis omnino denudata hyemem symbolice designat.

III Ibidem alterius quoque agricolæ protensa hinc manu cornu quoddam pomis refertum, uvarum inde racemum gestantis, quæ tempus autumnale indicat, spectanda oculis imago exhibetur.

IV A sinistris verò duorum pariter agricolarum effigiem videre est, quorum alter frumentum falce resecat.

V Alter rosas è cespite manu carpit, quæ quidem æstivi, ac verni insuper temporis opportuna prænotare symbola videntur.

TA-



TABVLA PRIMA CVBICVLI PRIMI COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIORVM SANCTORVM MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATINA



TABVLA SECVNDA CVBICVLI PRIMI COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIORVM SANCTORVM MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATINA



TABVLA TERTIA.

In monumentis quatuor, quæ ſub utrarumque apſidum ambitu exiſtunt, recolenda Ionæ hiſtoria exprimitur.

I Sub primo nimirum monumento, ipſiuſmet Ionæ in maris fluctus projectio, quem cetus apertis ultro faucibus deglutit.

II Ejuſdem ſubinde Ionæ vegeti atque incolumis ex marini ceti alvo in litus emerſio.

III At ſub apſide altera, quæ Chriſtum Dominum ſedentem exhibet, Ionas item Propheta ſub umbraculo recubans.

IV Ipſemet iterum Ionas vultu admodum triſti amœnum ſubtractæ ſibi umbræ ſolatium amare deflens repræſentatur.

TABVLA QVARTA.

In priori quidem ordine imagines recenſentur, quæ in prima eadem apſide ſub Paſtoris figura hactenus à nobis deſcripta pictæ ſunt: quarum profecto elucidatio ambigua omnino redditur. His enim ii potiſſimum Martyres repræſentari videntur, qui ad effodiendas in ſubterraneis locis arenas, & ad fodinarum labores ultro ſubeundos juſſu quondam Imperatorum damnati fuere; nam, ut pictura exhibet, complures ibi homines ſaccis arenariis onuſti conſpiciuntur: alii itidem iter agentium more, quandam deferentes humeris arcam exprimuntur: quo plane ſymbolo vel oſſium Iacobi Patriarchæ præmortui ex Ægypti regionibus delatio, vel ipſius Arcæ fœderis tranſvectio innui aperte videtur.

Sub his aliæ tres pictæ imagines extant. In medio videlicet mulieris cujuſdam veſtibus eleganter amictæ, & ſtola inſuper præcinctæ: cui hinc inde adſtant, à dextris videlicet Moyſes, qui ſilicem virga percutit, à ſiniſtris verò idem Hebræorum legifer panes, hoc eſt, manna, quod de cælo pluit, manu oſtendens. Porrò pictam mulieris, quam ſupra memoravimus, imaginem, alicujus ibidem conditæ effigiem exhibere id, quod narrabimus, ſuadet; nam humo, interim effoſſa loco qui ſubeſt, quoddam marmoreæ hujuſcemodi inſcriptionis fragmentum, quo forte monumentum olim operiebatur, adinveniri contigit.

D ÇAV IN·VAL SCOLASTICE
E
P INNOCENTISSIMAE QVANN
X
V VAL SCOLASTICVS ET ÇAVINIA
PARENTES FILIAE DVLCISSIMAE II

Cubi-

TABVLA TERTIA CVBICVLI PRIMI COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPEA ET ALIORVM SS. MARTYRVM VIA APPIA ET ALDEATINA



TABVLA QVARTA ET VLTIMA CVBICVLI PRIMI COEMETERII SANCTI CALLISTI. PAPEA ET ALIORVM SS. MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATINA.









Cubiculum II. Cœmeterii S. Callisti Papæ, & aliorum SS. Martyrum Via Appia, & Ardeatina describitur.

HAud longe ab hoc primo cubiculo alterum in eodem Cœmeterio extat sesquilateris formæ, altitudinis palm. 13. longitudinis palm. circiter 14. latitudinis verò totidem. Circuitus palmis quadraginta sex circumscribitur: ostium quod in orientali ipsius latere situm est, altitudinis mensura constat palm. XI. latitudinis palm. 3. profunditatis palm. 8. Ipsius cubiculi fornix figuram sphæricam exhibet, quippe qui in summitate aliquantulum altius, ad laternæ similitudinem protenditur. In hujus autem loci umbilico ferrum quoddam ad lampades pensiles sustinendas adhuc suspicitur. In ipsius pavimenti area sepulchra quatuor existunt in topho ad arcæ formam excisa, & in lateribus utrinque per gyrum monumenta undecim connumerantur: quatuor itidem arcuata, ex quibus bina dumtaxat, quæ ad dexteram ingredientibus patent, sacris imaginibus unà cum fornice concinnata sunt. Recolendæ autem ejuscemodi antiquæ imagines, ejusdemque cubiculi ichnographia typis consignatæ, tribus tabulis, hac nimirum ratione distinguuntur.

A Ostium Cubiculi.

B Ostium alterius Cubiculi, quod istud circumdat, estque ejusdem formæ, sed picturis, atque omni prorsus ornamento caret.

C Fornix Cubiculi, ubi depictæ cernuntur imagines, quas proxima Tabula contemplandas exhibet.

D Monumentum arcuatum ad dexteram ingredientis, cum figuris, quæ in secunda Tabula ob oculos ponuntur.

E Monumentum arcuatum, quod ad lævam intrantibus occurrit, cum figuris, quæ in tertia, atque ultima Tabula conspiciuntur.

F G Alia duo Monumenta Arcuata absque ullis sacris picturis.

H Quatuor Monumenta in Cubiculi pavimento effossa.

I Monumentum, in quo repertum est corpus aurea (ut ex fragmentis conjici poterat) veste indutum: atque ibi adhuc in calce exaratum extabat hoc Epitaphium: MARTINI IN PACE.

K Vulgaria undecim Monumenta oblonga, quæ per ambitum Cubiculi parieti incisa visuntur.

TABULA PRIMA.

Hæc quidem Tabula imagines potissimum lectori ob oculos ponit, quæ in tholo, seu fornice pictæ conspiciuntur. In cujus media parte vir veneranda admodum facie, quodam locatus throno, inter duos hinc inde sibi adstantes, coloribus adumbratur, ad cujus pedes tres alii genibus innixi, stantes reliqui exprimuntur; at singuli ambabus protensis, junctisque manibus supplicum more quidpiam enixe postulare videntur. Cista pariter ibidem picta proponitur, quæ panes ne, an potius volumina contineat, coloribus nimio humore ac vetustate labefactatis, dijudicari vix potest

I In ipsius verò tholi ambitu pictura Moysen exhibet petram virga percutientem.

II Item Noë, qui columbam virentis olivæ ramum sibi deferentem defixis ultro oculis lætabundus respicit.

III Tres insuper pueri inter fornacis incendia Deum collaudantes illic conspiciuntur.

IV Abraham, qui ad filium Isaac, quem unice diligebat, divina admonitus voce immolandum contendit.

V Idem Moyses, qui sex numero cistas manna suavissimo onustas manu designat.

Quæ quidem sacræ rerum antiquarum historiæ hac, ut diximus, ratione repræsentantur, nonnullis interiectis ramorum foliis, quibus aviculæ insident, quæ singula haud peculiaribus mysteriis destituuntur, ut suo infra loco explanabimus.

TA-



TABVLA PRIMA CVBICVLI SECVNDI COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIORVM SANCTORVM MARTYRVM VIA APPIA ET ARDIATINA



TABULA SECUNDA.

I. II. In monumento arcuato, qua quis ad dexteram cubiculum ingreditur, Adami, & Evæ imagines contemplari licet, qui ad vetitæ arboris truncum unà cum ſtygio angue conſiſtunt.


III. Juxta Evam mulieris cujuſdam orantis imago cernitur, manibus utique protenſis atque elevatis, quæ, ut credere par eſt, piiſſimæ cujuſdam fæminæ tumulo ibidem quieſcentis effigiem præ ſe fert.

IV. Sed juxta Adamum Paralytici impertita ſibi divinitus membrorum incolumitate lectulum ſuper humeros deferentis imago cernitur: quo quidem ſymbolo ab ipſomet Chriſto Domino antiquum Protoplaſti, quod cunctos obnoxios fecerat, Adæ peccatum ſublatum jam fuiſſe veteres illi Chriſtiani indicare procul dubio ſatagebant.

TABVLA SECVNDA CVBICVLI SECVNDI COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIORVM SANCTORVM MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATINA



TABVLA TERTIA ET VLTIMA CVBICVLI SECVNDI COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIORVM SANCTORVM MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATINA



TABULA TERTIA.

I. II. In altero autem monumento, quod ad lævam ſitum eſt, Danielis in medio leonum, illæſo corpore, imperterritoque animo ſubſidentis imago deſcribitur.


III. Binos hinc inde viros ſedibus locatos, ac ſingulas ad utriuſque pedes ciſtas voluminibus, vel certe panibus onuſtas pictus intuentibus paries exhibet.

TA-

Cubiculum III. Cœmeterii S. Callisti Papæ, & aliorum Martyrum describitur.

CUbiculum, de quo nunc agitur, in Cœmeterio inferiori existit. Nam ubi quis per gradus satis amplos ac patentes descenderit, & si semitæ insistat, quæ primo ad dexteram eunti in ipsiusmet descensus termino occurrit, ac alteram pariter semitam eidem contiguam teneat, statim ad lævam tertium hoc cubiculum, de quo instituitur sermo, inveniet. Hoc autem quadratæ formæ est, palm. 14. altitudinis, ejusdemque mensuræ, quod ad altitudinem, & longitudinem spectat. Ostium cubiculi palmis 12. in sublime attollitur: latum vero palmis quinque, totidemque profundum est. Nulla in pavimento monumenta, sed in singulis quatuor angulis tot numero lateritia vasa circularis formæ conspiciuntur, quæ ducto circum muro obsignata, materie quadam in interiori parte referta sunt, quæ coagulatum præ se ferre sanguinem videntur. Totum porro cubiculum gypso, & calce affabre delinitum, ac vetustissimis olim picturis studioso opere exornatum erat; quarum nonnullas postmodum, sepulchris eodem loco excisis, partim omnino expungi, partim vero labefactari contigit.

Duæ ibidem sepulchrorum series adnumerantur, & in singulis sepulchra quatuor, unum scilicet alteri superpositum. Primario in pariete, ipsius è regione ostii arcuatum, & satis quidem amplum monumentum extat, & picturis paries omni ex parte conspicuum redditur. Hoc porro duplex est, & media parte ita subdivisum, ut binas quodammodo urnas, vel arculas formare videatur. Quinque alia haud parum protensa, ibidemque excavata in topho sepulchra existunt; tria scilicet in inferiori pariete, cui arcus superstat: angusta tamen hæc & perexigua sunt, continendisque infantium corpusculis apta. Duo hinc inde sepulchra in arcus ejusdem basibus videre est. In superiori vero pariete alia tria, his quidem ampliora conspiciuntur. Aliud huic persimile monumentum dextero in pariete situm est, ea tamen ratione bipartitum, ut binas hinc inde arculas sibi cohærentes habeat. Porro in pariete, qui sub fornice ab humo attollitur, bina ejusdem formæ monumenta constructa sunt, unico dumtaxat oblongo monumento, exteriori, cui arcus supereminet, parti apposito. Cubiculum igitur, ut hic totum exacte describamus, binis quidem monumentis decoratur, quæ parietino arcu ambiuntur, & unumquodque ex his monumentis in receptaculum duplex subdividitur; quorum singula binas sub se lateritias arculas habent, unum vero supra viginti oblonga quidem, sed consuetæ formæ sepulchra. Quæ singula una cum ipsiusmet cubiculi ichnographia, atque imaginibus in eodem existentibus, sex infra appositis Tabulis lectori exhibentur.



A Fornix Cubiculi totus venustis exornatus picturis.
B Paries primarius, qui è regione Ostii attollitur.
C Monumenta Arcuata, quæ eodem in pariete conspiciuntur.
D Paries, qui ad dexteram ingredientis existit.
E Monumentum Arcuatum, quod eodem in pariete situm est.
F Paries, cui ostium Cubiculi inhæret.
G Vascula per quatuor hujus Cubiculi angulos disposita, sanguine coagulato referta.
H Monumenta oblonga in topho excisa.

TABULA PRIMA.

In ipſius fornicis umbilico, Orphei imago lyram dextera manu pulſantis, ac feras dulciſono ſonitu demulcentis expreſſa eſt. Quam Chriſti Domini Servatoris typum ſymbolice præ ſe ferre ſuo prolixius loco exponemus. In ipſo vero fornicis gyro ſacræ quatuor hiſtoriæ contemplandæ exhibentur.

I. Danielis videlicet inter ipſa leonum ora conſiſtentis.

II. Chriſti Domini à mortuis Lazarum excitantis.

III. Davidis item cum funda, & lapide in certamen adverſus gigantem Goliat proſilientis.

IV. Et demum Moyſis virgæ ictibus uberes aquarum rivos è petra educentis.

Porro hæ ſacræ hiſtoriæ effictis multiplicium animalium formis interſecantur, quæ ad ipſiuſmet Orphei, ut credere par eſt, imaginem referuntur.

TABULA SECUNDA.

I Primario in pariete, qui è regione oſtii cernitur, & in eo, qui arcuato ſub monumento exiſtit, flammarum globi tribus è locis emergentes coloribus efficti apparent, qui quidem immodicis exæſtuantem incendiis trium Puerorum, ut putamus, fornacem intuentibus exhibent, vel certe potius ipſummet Martyrii genus, quod Martyres ibidem conditi pro fidei confeſſione viriliter ſubierunt, quorum forte imagines illæ ſunt, quæ hinc inde pictæ, & ſignatæ in Tabula præſenti numeris. II. III. conſpiciuntur; quamvis earum alteram è ſuperiori parte, dimidiam poſtmodum monumenti aptandi cauſa, quod ibidem exciſum eſt, labefactari contigerit: quam item ob cauſam altera quoque inferior imago, quam numerus IV. hic indicat, ferro pariter obliterata conſpicitur: quæ, ſi conjecturæ locus eſt, Euangelici Paſtoris effigiem tam frequenter apud priſci illius ævi Chriſtianos uſu receptam contemplandam præ ſe ferebat.

V. Locus in pariete exciſus, ubi alias (ut conjectura fert) patina, vel vaſculum aliquod rotundum calce firmatum extitit.

TABULA TERTIA.

In hac quidem Tabula, quæ tertio loco adnumeratur, eædem deſcribuntur imagines, quæ in arcu & arcuati fornice monumenti, quod eſt è regione oſtii, conſpiciuntur; videlicet,

I. Noë intra arcam incluſus, columba virentis ramum olivæ ſibi deferente.

II. Junior ille Tobias piſcem manu geſtans.

III. Jonas ſuaviter ſub umbraculo recubans.

IV. Iob miſerandum in modum in ſterquilinio ulceribus plenus jacens, ut ex hujuſcemodi picturis conjici datur, quibus alios quoque Cœmeteriales Sarcophagos excultos, atque exornatos olim fuiſſe videre eſt.

V. Vir item quidam humi procumbens exprimitur, ſuper quem lucida è nube radii quamplures emittuntur: hic autem quiſnam ſit, re admodum obſcura, prorſus neſcitur; niſi forte divinando potius, quam quid certi aſſerendo, Ionas dicendus ſit, ſuper cujus caput ignivomos ſol radios vibravit, poſtquam umbraculum, quo ille ab æſtu obtegebatur, penitus exaruerat.


TABVLA PRIMA CVBICVLI TERTII COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIORVM SANCTORVM MARTYRVM VIA APPIA ET ARDIATINA



TABVLA SECVNDA CVBICVLI TERTII COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIORVM S.S. MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATINA



TABVLA TERTIA CVBICVLI TERTII COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIOPVM S.S.MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATINA



TABULA QUARTA.

I. Imagines hic exhibentur dextero in pariete, & in arcuato pariter monumento pictæ; nempe Moysis Hebræorum ducis, qui virga septem cophinos manna refertos tangere ac præmonstrare videtur. Cui quidem figuræ, monumenti ibidem extruendi causa, caput ademptum est.

II. Veneranda ibi pariter Christi Domini imago panes sacro vivificæ crucis typo obsignatos pleno sinu deferentis, existit, quo mysterium mannæ designatur ab ipso explicatum, dum ait: Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi.

III. Samaritana mulier, quæ aquam è puteo exhaurire cernitur.

IV. Vir insuper bina inter sepulchra orantis in morem, in quorum forte altero is conditus fuerat, quem picta imago præ se fert.

TABULA QUINTA.

Hic ob oculos lectori imago proponitur, quæ in arcus fornice primi ipsius arcuati monumenti ad dexteram patet; viri nimirum dexteram protendentis; sinistra vero volumen quoddam explicitum gestantis; qui certe sanctissimum Moysen acceptas è manu ipsius Dei sacrarum legum tabulas, ut nobis conjicere licet, promulgantem demonstrat.

TABULA SEXTA.

I. Paries, cui ipsius Cubiculi ostium inest, sacra Christi Servatoris oculos cæci ad aperientis imagine decoratur.


II. Alia ejusdem Christi imago paralytico sanitatem impertientis.

III. IV. Duo item ibi agni coloribus affabre exprimuntur, qui baculum unà cum pastorali vasculo deferunt.

TABVLA QVARTA CVBICVLI TERTI COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIORVM S.S MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATINA.



TABVLA QVINTA CVBICVLI TERTII COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIORVM S.S. MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEAT.



TABVLA SEXTA ET VLTIMA CVBICVLI TERTII COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIORVM S.S. MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATIÑ



Cubiculum Quartum, & ultimum Cœmeterii S. Callisti Via Appia, & Ardeatina describitur.

HOc Cubiculum, quod in superiori Cœmeterio suspicitur, à descriptis hic hactenus cubiculis longe dissitum est. Ubi enim quis ad eum locum devenerit, ex quo complures, ut diximus, quasi é centro semitæ derivantur, earum alteram, quæ à sinistris patet, terendo, quousque ad gradus quosdam perueniat, per quos ad inferius Cœmeterium descenditur; si hac interim semita dimissa ulterius progrediatur, relictis pariter aliquot hinc inde diverticulis, cubiculum, de quo nunc agimus, investiganti ultro occurrit: quod quadratæ quidem formæ est; altitudinis palm. 13. cum dimidio; latitudinis vero duodecim pariter cum dimidio, longitudo palmis quatuordecim protenditur. Porta vero, per quam accedentibus ingressus patet, si altitudinem respicias, palmis novem cum dimidio constat, si latitudinem, tribus; si profunditatem vero metiri quis velit, palmis octo cum dimidio. Cubiculum aliorum adinstar in topho excisum, gypsoque & calce dealbatum, picturis itidem conspicuum redditur. Tria dumtaxat monumenta arcuata continet; quæ in tribus ejusdem cubiculi lateribus sita sunt. Quatuor item monumenta in pavimento ibidem ad arcæ similitudinem fossorum manu aptata videre est, quorum unum in ipsiusmet aditus area existit. Alia item monumenta in ipsius cubiculi parietibus, atque in arcuatis iisdem monumentis, undecim quidem numero, ferro itidem de more excisa visuntur. Hujus porro ichnographia, & imagines, quatuor insculptæ tabulis intuentium oculis subjiciuntur.

A Ostium Cubiculi; è cujus fornice, qui sphæricæ est figuræ, depictæ binæ dextera, ac sinistra lucernæ veluti pendent.
B Fornix Cubiculi, in cujus meditullio Imago Christi Domini visitur.
C Paries primarius è conspectu ostii, picturis exornatus.
D Monumentum Arcuatum picturis conspicuum, quod in prædicto pariete è regione ostii situm est.
E Paries ad dexteram ingredientis, depictis quoque imaginibus adornatus.
F Monumentum arcuatum picturis ornatum, quod in prædicto pariete existit.
G Paries ex adverso alterius jam dicti, qui ad lævam intrantibus occurrit.
H Monumentum Arcuatum picturis exsculptum, quod in pariete sinistro conspicitur.
I Imago, quæ in pariete, cui ostium inest, cernitur.
K Quatuor Monumenta arcarum in speciem in pavimento effossa.
L Monumenta vulgaria in topho excisa.

TABULA PRIMA.

In medio ipsius tholi, quo Cubiculum quartum ambitur; unica apparet veneranda Christi Domini imago, quam prima hæc Tabula lectori videndam exhibet.

TABULA SECUNDA.

In secunda hac Tabula imagines appositæ sunt, quæ in primario è conspectu ostii pariete, & in alio, qui arcuato substat monumento, conspiciuntur.

I. In primo videlicet viri cujusdam stantis, & oculorum aciem in ædificia quædam dirigentis effigies contemplanda proponitur, qui manum minitantis, vel benedicentis more protendit.

II. Deiparæ Virginis Christum Dominum infantem sinu gestantis imago exhibetur. Aliæ quoque ibidem pictæ quondam imagines existebant, quæ collabente deinde pariete ipsa ruinarum mole obrutæ sunt; & hæ quidem Magos Infantem Deum adorantes præseferunt, ejusdem prorsus formæ, qua idem alibi recolendum adorationis mysterium adumbratur: beata autem Virgo (ut Tabula refert) impensum parvulo latriæ cultum excipit.

III. Recolenda item Moysis virga silicem percutientis imago ibidem suspicitur.

IV. In altero autem pariete sub arcuati ipsius monumenti gyro Orpheus lyram manu pulsans, quem cujusvis generis belluæ, ut supra, dulcisonis plectri chordis illectæ ambiunt.

TA-



TABVLA PRIMA CVBICVLI QVARTI ET VLTIMI COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIORVM SANCTORVM MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATINA



TABVLA SECVNDA CVBICVLI QVARTI ET VLTIMI COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIORVM SS MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATINA



TABULA TERTIA.

Expreſſas hic vides lector imagines, quas dexter Cubiculi paries ſupra arcuatum ibidem monumentum contemplandas tibi exhibet.

I. Mulieris nempe, quæ brachiis utrinque extenſis, formam utique orantis edocet. Effigies autem hæc ad eam potiſſimum ſpectare videtur, quæ in proximo ibidem tumulo condita fuerat; in quo hujuſmodi adhuc titulus inſcriptus legitur:

DEPOSITA III. ID. IVN. IN PACE.


reliquis interim tituli characteribus præ nimia vetuſtate omnino abſumptis.

I. Incomparabilis item viri Noë in arca incluſi imago cernitur, dum univerſus terrarum orbis diluvio inundaret, manibus ſupplicum more protenſis divinam è Cælo opem implorantis, & columbæ ad ipſum cum olivæ ramuſculo in optatæ pacis ſymbolum redeuntis forma exprimitur.

II. Ibi item picta Christi Domini Lazarum è tumulo excitantis effigies habetur.

III. Et Eliæ, qui igneo in Cælum curru rapitur, ac dolenti Eliſæo pallium in diſceſſu protendit, imago recenſetur.





TABULA QUARTA, ET NOVISSIMA.

I. In pariete, in quo Cubiculi aditus patens eſt, ordine tres adnumerantur imagines cujuſdam nimirum viri ſedentis.

II. Danielis item utroque elevato brachio leones inter tute admodum demorantis.

III. Moyſes inſuper, qui Dei magiſterio edoctus calceamenta ſolvit, ut condignum ſanctiori loco obſequium impendat.

Præter cubicula autem in hoc eodem Cœmeterio reperta, quæ ſingula hactenus exacte deſcripſimus, in primariis ejuſdem viis monumenta haud numero pauca, quædam ſcilicet arcuata, alia verò in conſuetæ morem formæ diſpoſita conſpiciuntur, quæ typis in lectoris gratiam impreſſa, decem hic tabulis exprimuntur.

Prima unici arcuati Monumenti Tabula apud Callisti Cœmeterium.

Sub hujus arcu Monumenti Christus Dominus in medio Doctorum, vel potius discipulorum cœtu residens exhibetur. Ipsum porro Monumentum effictis ramorum usquequaque foliis instructum, atque exornatum est, inter quæ pueri racemos uvarum colligentes, aliaque ludicra consertis manibus agentes coloribus exprimuntur. Supra Monumenti ipsius arcu magnum quoddam foramen conspicitur, cui tria minora adiacent, totidem scilicet numero aptatis eodem loco sepulchris, in quibus tria quondam numismata calcis glutino valide obfirmata extitisse ex ejusdem calcis, quæ adhuc extant, vestigiis oculatus quivis ac prudens investigator conjicere potest.





Secunda alterius Monumenti arcuati Tabula.

I. In Monumento hoc viri cujusdam imago, rubeo birro, quali nunc S. R. E. Cardinales utuntur, exornati suspicitur.

II. Cui à dextris adstant, Daniel nimirum, qui dilacerandus leonibus objicitur.

III. A sinistris vero Moyses, qui silicem ad uberrimos eliciendos aquarum fontes virga portentorum indice percutit.

Tertia Monumenti tertii Tabula.

Monumentum iſtud apſidis adinſtar exſtructum eſt, in cujus media parte recolendi ex Euangelico textu Paſtoris imago duas inter arbores dilectiſſimam oviculam humero geſtantis exhibetur, juxta quem alias item oves affabre pennicillo effictas videre eſt, quæ Paſtoris veſtigia viam præmonſtrantis ſequuntur, tutoque receptæ ſinu ſub illius umbra conſiſtunt.

Quarta Monumentorum Tabula.

Bina hic arcuata monumenta oculis contemplanda ſubjiciuntur; nec non imagines, quæ ſub eorundem monumentorum arcubus utroque è latere extabant, figuris, quæ in primariis olim duobus parietibus expreſſæ erant, præ vetuſtate penitus obliteratis.

I. Imago Chriſtum Dominum Servatorem noſtrum adorandum præ ſe ferens.

II. Moyſes virgam manu tenens.

III. Idem Dominus, qui Lazarum quatriduanum redivivum prodire in lucem divinitatis imperio jubet.

IV. Paſtor Euangelicus, qui duas inter arbores conſtitutus, oviculas hinc inde, quæ ſubſtant, ſolicite cuſtodire videtur.

V. Chriſtus iterum, qui panes ad reficiendos populos fame enectos multiplicat, quorum ſeptem ibi apparent ſportæ.

VI. Sacra pariter ibidem ejuſdem Domini manum ſuper puerum imponentis exhibetur imago.

TABVLA TERTIA SEPVLCHROR S CALLISTI PAPÆ ET ALIORVM S.S. MARTIR VIA APPIA ET ARDEATINA



TABVLA QVARTA SEPVLCHROR COEMETERII S. CALLISTI PAPÆ ET ALIOR S.S MARTIR VIA APPIA ET ARDEATINA

I



IV



II



III



V



VI



Quinta Monumentorum Tabula.

Duo hic pariter Monumenta oblonga quidem, at minime arcuata adinſtar arcæ in topho exciſa præſens Tabula exprimit: in qua recolendas, ut infra, imagines contemplari fas eſt. Duas nimirum mulieres ſtola circumamictas inter virides palmarum ramos conſiſtentes, elevatiſque in Cælum manibus de more precantes. Paſtoris item Euangelici denſas inter arbores demorantis, paſtoralemque manu fiſtulam tenentis ſymbolum ibi videre eſt; cui oviculæ, unà cum hœdis quamplurimis ejus cuſtodiæ commendatis ſubſtant.

Sexta Monumentorum Tabula.

Monumentum iſtud oblongæ quidem formæ eſt, & myſticam pariter laudatiſſimi Paſtoris, ovem humeris, manu baculum geſtantis imaginem præſefert, eamque duas inter ſtolatas mulieres ſtantes, atque orantes mediam exprimit.

Septima Monumentorum Tabula.

Hæc ſane Tabula reliquas omnes picturas complectitur, quibus varia in hujus Cœmeterii ſemitis, ac primariis viis monumenta mirifice locupletantur. En tibi igitur quodam in monumento conſpiciendæ Adami, & Evæ ad arborem conſiſtentium imagines proponuntur; è cujus trunco callidus anguis proſilit, qui vetitum ore pomum tenens, atque illud Evæ primum & deinde Adamo porrigens, miſerandum utique humano generi propinat interitum. Harum vero è regione imaginum ſtolatæ mulieris itidem ſtantis, manibuſque de more extenſis præces effundentis imago proponitur: ex quo ſane conjicitur figura hac Deiparam Virginem Evæ culpam auguſtiſſimis virtutum meritis inſtaurantem repræſentari. Aliæ quoque ibidem mulierum orantium imagines adumbrantur, ut & boni Paſtoris inter arbores conſidentis, paſtoralemque baculum manu geſtantis. Et hæc quidem in reliquis etiam monumentis, quæ in eiſdem viarum latentium ſemitis ſita ſunt, paſſim conſpiciuntur.


Cum



TABVLA QVINTA SEPVLCHROR COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPAE ET ALIOR SS MARTIR VIA APPIA ET ARDEATINA


TABVLA SEXTA SEPVLCHROR COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPÆ ET ALIOR SS MARTIR VIA APPIA ET ARDEATINA



TABVLA SEPTIMA SEPVLCHROR COEMETERII S. CALLISTI PAPAE ET ALIOR SS MARTIR VIA APPIA ET ARDEATINA


Cum isthæc igitur toto animi studio, ac mira pariter oblectatione Bosius contemplatus fuisset, devotione permotus, alios, qui in eadem regione delitescebant ad idem Cœmeterium aditus perquisivit; quos tandem & ipsi feliciter adinvenire contigit, è regione videlicet aditus hactenus à nobis descripti, intermedia, quæ ad D. Sebastiani Ecclesiam deducit, via, ubi ad lævam progrediens, haud procul à præmemorata Ecclesia scrobem conspexit, eamque nulla interposita mora ingressus, alteram ibi ejusdem Cœmeterii partem oculis assecutus est, quæ itidem ad Viam Appiam, & Urbis mœnia protenditur, & ambitu quidem non minus amplo, quam descriptum supra Cœmeterium, constat, eandemque prorsus faciem intuentibus præ se ferre videtur. In hoc autem præcipue complura quadratæ formæ foramina, ad lumen desuper excipiendum, refundendumque disposita videre est. Pluribus verò in locis, novis, solidisque muris, arcubus insuper qui fulcimento deserviunt, instauratum est. Multiplices ibi semitæ, altæ quidem atque oblongæ, ut reliquis in Cœmeteriis conspiciuntur. Plures item cryptarum ordines continentur, quibus bina subinde Cœmeteria, unum scilicet alteri, substernuntur. In his sepulchra in topho de more aptata humanis ossibus scatent: operculis interim omnino ablatis, atque confractis: sepulchrales tituli, qui quondam ibi legebantur, maximo recolendæ antiquitatis detrimento periere. Verum dum quodam loco terra ad viam aperiendam suffoderetur, alia semita, exitu tamen carens, adinventa est, in qua integra sexdecim sepulchra præter explorantis spem latebant, in iis verò tituli, seu defunctorum ibidem quiescentium singillatim nomina, calci impressa, legebantur. Sunt autem ejuscemodi.
















































In altera verò semita eidem proxima, quam pari ratione inter perquirendum adinveniri contigit, bina dumtaxat sepulchra suis adnotata titulis extabant: quorum ectypa postremum hic locum obtinent.

In singulis autem tumulis, qui à nobis hactenus memorati sunt, palmarum ramos calce effictos, itidemque impressos videre erat. Quamobrem cum isthæc certissima utique martyrii symbola extiterint, ut suo infra loco perspicue patebit, reseratis subinde sepulchris corpora, quæ intus recondebantur, decenter, ut par erat, extracta, Rom. Pontifex, qui tunc temporis Ecclesiæ præerat, tanquam nobilissima Christi Martyrum pignora, ad principes viros ac magnates, hæc eadem velut quid omni pretiosius auro ab Apostolica Sede ultro, enixeque postulantes transmisit, & in primis augustissimæ Hispaniarum Reginæ, ac in Neapolitano Regno Proregi, aliisque præclari nominis Christiano in Orbe proceribus sacrorum pignorum munera pari munificentia elargitus est: ad quorum subinde beatorum Martyrum gloriam late propagandam, religioso pietatis cultu permultæ ubique terrarum Ecclesiæ venerandis pignoribus auctæ ac cumulatæ fuerunt. Sed his interim enarratis illud silentio prætereundum non est, quod studioso lectori in rerum Cœmeterialium gratiam subjicimus. Dum enim humus aliquando effoderetur, qua desuper ingesta quoddam penitus cubiculum opperiebatur, marmoreum, ac sepulchralem lapidem adinveniri contigit, quem apud se Bosius studiose reservandum curavit, atque ejus iconem hic infra contemplandam exhibemus.



Illud præterea à nobis subnotandum hic est, quod piam antiquorum, & haud unquam satis laudandam Christianorum consuetudinem edocet; in singulis fere hujus Cœmeterii monumentis, paucis admodum exceptis, consueta orthodoxæ religionis signa, atque indicia certis characteribus expressa conspici: sacrosanctum videlicet, ac venerandum Christi nomen binis dumtaxat Græcis literis exaratum: cruces præterea, atque palmarum ramos effictos, annulos eburneos, lucernas fictiles: vitrea itidem vascula, necnon fictilia. Quæ omnia eisdem calcis glutino sepulchris impressa videre est. Signa autem, quæ hactenus enarrando memoravimus, sunt ejuscemodi formæ:



Nonnullæ præterea extant viarum semitæ, in quarum parietibus utroque ex latere sepulchra haud ferro excisa sunt, ut in cæteris antiqui Christianorum consuevere.

Complura verò Cœmeterium, de quo agimus, cubicula continet, quorum quædam satis ampla sunt, nonnulla columnas quoque in ipso topho excisas unà cum epistyliis affabre elaboratis, dealbatisque intuentium oculis exhibent. In his apsides dumtaxat, & arcuata monumenta miro artis studio, ingenioque confecta contemplari fas est: picturarum tamen in eisdem ornatus, ut in reliqua hujusce Cœmeterii parte, desideratur: quippe qui haud semel totum loci ambitum diligentissime perlustrando figuras coloribus de more effictas haud ullas, inquit Bosius, invenire potuimus. Unicum porro in toto Cœmeterii circuitu cubiculum extat, quod olim picturis ornatum erat, quæ postmodum, sepulchris ibidem excisis, magna quidem ex parte deletæ sunt: si quæ verò longa post secula adhuc permanent, etsi non modicum labefactatæ, contemplandas hujuscemodi sacrarum rerum historias exhibent.

TABULA OCTAVA.

Hic Monumentum quoddam arcuatum, ejuſque imagines oſtenduntur.

I. Orthographia totius Monumenti ſuperioris.

II. Facies ejus primaria, in qua veneranda Prophetæ Jonæ imago exprimitur ſub umbraculo quieſcentis.

III. In fornice Euangelici Paſtoris ovem humeris aptatam deferentis ſymbolum ſuſpicitur.

IV. Binæ hinc inde mulierum protenſis manibus orantium effigies.

TABULA NONA.

Aliud ejuſdem formæ Monumentum nobilibus hiſce hiſtoriarum monimentis decoratum ſpectandum ſubjicitur.

I. Orthographia totius Monumenti.

II. Paries primarius, in quo imagines tres intueri licet; quæ quidem, ut credere nobis par eſt, parentum unà cum filio eo loco depoſitorum memoriam ſuggerere videntur.

III. Ipſe monumenti fornix toties repetitum probatiſſimi Euangelicis è tabulis illius Paſtoris, qui oviculam humero defert, & binas inter oves, totidemque arbores medius conſiſtit, exemplar ſuſpiciendum exhibet: in quatuor verò fornicis ipſius angulis Jonam è puppi in mare dejectum, immaniſque ceti ore ac ventre exceptum: eundem ſubinde incolumem ac vegetum ex alvo marinæ belluæ ad littus emergentem, & ipſummet ſub arefacto umbraculo, vultu ſatis triſti recubantem contemplari fas eſt.

IV. A dextero monumenti ejuſdem latere tres Pueros pennicillo affabre effictos videas licet, ad latriæ cultum ſimulacro Regis ſuper columnam exiſtenti exhibendum impio Regis ejuſdem juſſu perductos.

V. A ſiniſtro verò latere præſtitum Deo infanti à Magis adorationis obſequium, quaſdam iiſdem capſulas Redemptori offerentibus exprimitur.

TABULA DECIMA.

I. In Tabula hac Moyſis effigiem calceamenta ſolventis contemplari licet.

II. Ejuſdem quoque Moyſis figura ad confovendum deſertas inter regiones laborantem ſiti populum virga ſilicem percutientis.

III. Euangelici Paſtoris duas inter oviculas commorantis ſymbolum; necnon duorum virorum imago, quorum alter ciſtam obſignatis cruce panibus refertam ſuſtinet: aliæ item ciſtæ panibus ejuſdem generis onuſtæ, & quædam inſuper imagines haud temporis injuria ac ruinarum mole penitus abolitæ ibidem coloribus adumbrantur, quæ admirandum à Chriſto portentum in iiſdem panibus divina virtute multiplicandis patratum, pictoris olim manu ibidem expreſſum innuunt.

Alte-

TABVLA OCTAVA SEPVLCHROR COEMETERII SANCTI CALLISTI PAPÆ ET ALIORVM SS MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATINA



TABVLA NONA SEPVLCHROR COEMETERII S. CALLISTI PAPÆ ALIOR SS^{TOR} MARTYRVM VIA APPIA ET ARDEATINA




TABVLA DECIMA SEPVLCHROR COEMETERII S. $CALLIS^{TI}$ PAPÆ ET ALIOR SS^{TOR} MARTYRVM VIA APPIA ET $ARDEATI^{NA}$



Alteram porro Callistiani Cœmeterii partem, cum indefesso pede, ac jugi labore constanter perquirere Bosius non destitisset, sua tandem haud spe frustratus peroptatum ejusdem aditum quandam apud vineam reperit, quæ tertium in ordine locum tenet inter eas, quæ Via Appia adnumerantur, ad dexteram scilicet partem, versus D. Sebastiani ædem progrediendo, quæ Marganæ olim familiæ ditioni adscripta erat. Hunc igitur Cœmeterii sinum haud satis amplum festinanter, ut quid novi explorando deprehenderet, ingressus, nonnulla in eo cubicula, picturis tamen destituta conspexit: monumenta vero quamplurima, quæ titulis Græco alicubi, Latino alibi idiomate ipsius calcis glutino impressis prænotata sunt: qui cum nil admiratione, ac lectoris studio, atque oculis dignum præseferant, hic consulto Cœmeterialibus tenebris ac silentio remittimus. E sepulchralibus autem Titulis Latino idiomate inscriptis, qui commode perlegi potuere, hi potissimum sunt, quos singillatim nunc recensebimus.


Pueri cujusdam Monumentum.




Aliud Pueri Monumentum.




In Laterculo.









Porro monumenta ista consuetis Christianæ religionis, ac fidei symbolis consignata sunt, videlicet:

Alicubi insuper ossei quidam annuli; aliæ item figuræ miro artis studio elaboratæ extant. Verum interim nullatenus hic prætereundum est, nempe quod cum in recensita hactenus vinea humus effoderetur, inscriptiones quamplurimæ ipsis effodentium oculis patuere, quas vili deinde pretio ab hominibus, res quanti valoris ac pretii essent, ignorantibus, ut lucrum caperent, cæmentariis venditæ sunt. Extat tamen cætera inter fragmenta tabula quædam lapidea, quæ integrum adhuc titulum his quidem literis prænotatum præsefert.

QUI BIXSIT AN. XXVIIII
MENS VIII. DIES XII.
TALASSOBE IN PA.

Quoniam vero opportuna hic martyrum mentio incurrit, quorum corpora è Callisti Cœmeterio unà cum sepulchrali titulo, eorumdem nominibus prænotato eruta sunt, certe pium, ac studiosum lectorem latere nequaquam volumus, alia videlicet quamplura beatorum martyrum pignora ex præmemorato Callisti Cœmeterio, & ex variis item Romæ Cœmeteriis non multis abhinc annis, perscrutantium studio in lucem venisse, quæ condigno, ut par est, honoris cultu excepta, præcipuas Urbis ac Orbis terrarum Ecclesias illustrarunt, quorum nomina, quæ nobis innotuere, haud silentio obvolvenda, sed novis interim Subterraneæ Romæ paginis consignanda videntur. Ut igitur lectoris pietas præcipuos nonnullos sepulchrales titulos, quos passim adinveniri contigit, oculis per se recognoscere valeat, omnes simul unà cum ipsismet inscriptis lapidibus pretiosi instar thesauri in unum à Jo: Baptista Maro Ecclesiæ S. Angeli in foro piscium Canonico, ac viro sacræ antiquitatis studioso collectos hic tibi contemplandos offerimus:

Ex Callisti Cœmeterio erutus est die 6. Novemb. 1638.

E KAΛΑΝ NOENB. EK OIMHΘH
ΓΟΡΓΟΝΙC ΠACIΦIΛOC KT
O TΔENI EXΘPOC.

Quod latine redditum sic sonat:

QUINTO CAL. NOVEMB.
HIC POSITUS EST
AD DORMIENDUM GORGONIUS
OMNIBUS AMICUS ET NEMINI
INIMICUS.

VICTOR ERIT IN PACE
ANNORUM XIII. KAL.
AUGUSTAS

DIGNÆ BENEMERENTI
COMPARI MERCURIÆ QUÆ
VIXIT ANNIS P. M. XL. SINE
ALIQUA QUERELA DEP. XVII.
KAL. NOV. HEROS FECIT SIBI
ET COMPARI SUÆ

Die 24. Iunii 1639. cum Vasculo sanguinis.

ACATHYM FILIO REST.

MERCURIUS

CUM

CUM DUOBUS

EULTERA E PACE

Die 1. Iulii 1639.
cum vasculo sanguinis.

GEMINÆ CONJUGI SEVERUS
QUÆ VIXIT ANNOS XX.
MENSES DUO QUÆ FECIT
CUM MARITO ANN. II.

Ex Cœmeterio S. Saturnini Via Salaria cum vasculo sanguinis.

LEONTIA DEPOSITA X. KAL.
SEPTEMB.

Cum vasculo item sanguinis.

ΙΡ. ΟΚΣΤΑΚΙΟΣ.....

Latine autem,

SACERDOS EUSTACHIUS.

Ex Cœmeterio Ostriano 1643.
Vasculum etiam cum sanguine illi appositum erat.

RIMITIUS IN PACE QUI POST
MULTAS ANGUST AS
ORT SS MUS MARTYR
ET VIXIT ANNIS P. M.
XXXVIII. CONJUG. SUO
ERDVLCISSIMO BENEMERENTI
ECIT.

---

asculum cum sanguine illi adstabat.

P. C. NUNDINATI FILIO
INNOCENTISSIMO

---

sculum quoque cum sanguine apud hanc inscriptionem repertum fuit.

IMIUM CITO DECIDISTI
ONSTANTIA MIRUM
ULCHRITUDINIS ATQUE
ONITATI QUÆ VIXIT ANNIS
VIIII. MEN. VI. DIE XVI.
ONSTANTIA IN PACE.

Cum vasculo sanguinis.

MIRÆ INNOCENTIÆ ANIMA
DULCIS EMILIANUS QUI
VIXIT ANNO UNO MENS. VII.
D. XVIIII. DORMIT IN PACE.



BERNACLATE IN PACE
QUÆ VIXIT ANNIS LXXXV.
MENS. DUO JUSTISSIMUS
CUM ACAPENT UXORE SUA
ET SORORE PRIMA MATRI
MERENTI FECERUNT
DEP. XIII. KAL. AUG.



Ex Callisti Cœmeterio.

Vasculo cum sanguine apposito, & columba lapidi insculpta.

EPIPODIUS ET AMONIA
PARENTES DOMITIO FILIO
BENEMERENTI QUI VIXIT
ANN. VIIII. MENSES XI. DIES
IIII. DECESSIT VII. IDUS
OCTOBRIS IN PACE.

Vasculum cum sanguine apud hanc inscriptionem repertum.

LEGURA RESTITUTA VIXIT
ANNOS XV. BIRGO DECESSIT
IN PACE.

Sub hac inscriptione Pastor Evangelicus cum ovicula in humeris sculptus extat.

MELITI IN PACE.

Inscriptio cum Vasculo sanguinis, & Columba.

ANASTASIUS QUI BIXIT
ANNOS TRES.

ABVCCIA POLLO ET ABVCCIA
ADAUCTA.



Ex Cœmeterio Calepodii cum Vasculo sanguinis.

JULIUS VERNIS VENUSTUS
QUI VIXIT ANNOS XXI. ET
MENSES X. DEPOSITUS BIRGO
SUPER SE IIII. KALENDAS
SEPTEMBRES.



Ex Cœmeterio S. Saturnini Via Salaria. Huic inscriptioni bina vascula cum sanguine apposita reperta fuere: sacrum vero corpus in sepulchro frondibus (lauri, ut creditur) coopertum erat.

PROSPERO INNOCENTI
ANIMÆ IN PACE.

Ad hunc quoque lapidem vasculum cum sanguine erat: illi autem cultrum cum pectine, atque alio instrumento ferreo insculptum visitur.

VITALIANUS QUI VIXIT ANN.
XIII. ET. MEN. IV. PARENTES
FILIO BENEMERENTI
SEPULTUS EST IV. KALENDAS
NOVEMBR.

Ex Cœmeterio Callisti cum vasculo sanguinis.


IN PACE AMMONIUS VICTOR
QUI VIXIT ANNIS XVIII. MEN.
V. DEFUNCTUS EST XIII. KAL.
OCTOB.

Verum post sepulchrales titulos, quos è variis Cœmeteriis erutos, hactenus perlegendos obtulimus, en alios ad hujus primi voluminis calcem ab Illustrissima Marchionissa Angelella olim acceptos, hic tibi, pie ac studiose lector, contemplandos ultro subjicimus, in quibus consueta sacræ, ac recolendæ antiquitatis signa videre est, sacrum videlicet Christi nomen consuetis litteris expressum, palmarum ramos, & columbarum item imagines de more exculptas. Plerique vero ex his sepulchralibus titulis martyrum tumulis affixi, nullo alio ibidem expresso signo, vasculis dumtaxat sacro cruore perfusis calcis glutino obfirmatis, & prope sepulchra reconditis clara martyrii signa intuentibus denotant.

HIC SITVS NOTA
TVS SERVVS FIDE
LISSI MVS

Sepulchralis iste titulus Notatum nomine tumulo reconditum præsefert, quem servum fidelissimum insuper appellat. Quo plane vocabulo virum meritis utique apud Deum præclarum prænotari

tari opus est: de cæteris enim justis in Euangelio jugiter ipsius Domini oratione personat: *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui, &c.* cum vero iste fidelissimus nuncupetur, profecto quanti apud Deum meriti extiterit, palam fit, vel ex eo, quod pro Christo sanguinem effuderit: nisi forte asserere quis velit, à domino, cujus vir iste servitio addictus vixerat, tanquam benemerenti famulo tumulum ac titulum pariter his verbis positum fuisse. Martyrii autem insignia sunt ramus olivæ, & vas sacro cruore repletum, sepulchro, ut vides, affixum.



Hic quoque titulus martyrem Christi tumulatum prænotat, sacrum enim ibi Christi nomen, etsi haud perfecte, exsculptum legitur, & vas cruore plenum ad sepulchri latus reconditum adinveniri contigit. Æneum item sepulchro affixum numisma inventum est quod Juliæ Augustæ effigiem ex uno latere, ex alio Deæ Vestæ sacrificium exhibens ab antiquariis singulariter suspicitur, & apud Illustrissimam Marchionissam de Angelellis extat, cujus tibi iconem suo loco infra contemplandam offert.



Sepulchralis hic titulus, qui è Callisti Cœmeterio erutus est, plures ibidem tumulatos fuisse edocet, Trium enim nomina si nobis interpretari fas est, modicus iste lapis exhibet: *Septimina, Aurelius, Galymedes.* Porro Septimina, utpote istorum matrem, uno eodemque una cum filiis sepulchro reconditam fuisse asseri potest, nisi quispiam dicat duos hosce ibidem recensitos, maritum ejusdem, & filium extitisse, sed hæc lectori dijudicanda remittimus. Unum & speciosum quidem tumulus hic Euangelici Pastoris symbolum præ se fert, quod tam frequens olim, ut supra diximus, apud Christianos habitum est, & vas sanguinis, quod martyrii index est.

MIRO·IVVENTVTIS CASVLIO ANIMA·DVLCIS QVI·VIXIT ANNIS
XXXVIII MESES·IIII·DIE·VNO·CESQVENT·IN PACEM

Casulius iste nobili titulo apud Callisti Cœmeterium insignitus præclara juventute conspicuus & amicis unice amabilis describitur, qui martyrii insuper laurea illustratus cunctis æmulandis pariter proponitur, ut vas cruore refertum, palma, & consuetum Christi nomen exculptum edocent.



Ligurius iste Succesus, licet in pace positus ex titulo describatur, martyrii tamen corona ob effusum pro Christo sanguinem conspicuus redditur, ad lateralem quippe tumuli faciem cruoris vas reconditum adinventum est, verba autem illa in pace, martyrum quoque sepulchris, ut supra diximus, inscribi quandoque à Christianis consueverant.

SABATIVS BENEMERENII QVI VIXIT
ANNOS XL

Hic præter cruoris vas nullum aliud martyrii signum, ut in cæteris, exhibetur: quapropter licet palma insculpta non sit, haud tamen caret martyrii palma, sed in martyrum numero quoque recensendus est.




Sepulchralis iste lapis è Lucinæ Cœmeterio erutus, sub quo Primus iste reconditus latebat, consueto Christi nomine Græcis characteribus exculpto, & columbæ ramum olivæ præferentis symbolo innotescit, quo, ut infra lib. 6. enarrabitur, martyrii quoque signum exhibetur, sed apposito insuper cruoris vasculo, martyrii laurea, sanguine purpuratus, decorari promeruit.

SVBICIVSQVIVIXITANNIS.
ETMENSESSEXQVIINPA.

Nihil in sepulchrali hoc titulo speciosum & animadversione dignum præter sanguinis vas, patentissimum martyrii signum, præferebatur.



FELICITAS NATALI
FILIOCARISSIMO
QVI VIXIT
ANNOS XXIIII

Sepulchralis iste Natalis titulus, qui apud Callisti Cœmeterium inventus est, tumulum à matre filio exhibitum, mallei apposito signo, demonstrat, quod quidem mallei symbolum, vel istum cæmentariorum arti addictum, vel certe ferreo malleo martyrii agonem consummasse insinuare videtur. Martyr tamen ex adinvento ad sepulchrum sanguinis vasculo renunciatur.






Titulus, qui Januario inscriptus est, eundem martyrem fuisse etsi haud verbis, signis tamen aperte designat: coronam quippe & palmam, quæ nobiliora martyrum insignia sunt, & columbam item Christianæ simplicitatis symbolum: pretiosi insuper cruoris vas sepulchro affixum exhibet.




Crescentionis titulus eundem brevi tempore vixisse, & quarto ætatis anno decessisse edocet. At vas cruore refertum martyrii palma nobilem reddit: verba autem illa Inn. ita supplenda videntur: *Innocenti.*



DVLCISSIMEFILIAE
THEODOTENI
QVEVICXIT ND VOS

Alter iste titulus Theodoteni filiæ à parente inscriptus, binas hinc inde columbas exsculptas exhibet, vel certe intelligi potest, quod suppresso filiæ nomine, patris dumtaxat velut viri tunc notissimi nomen expressum sit. In hujus autem tumulo vas cruoris adinventum est.



Titulus iste nomine imminutus patris tantum, & matris, si conjectari fas est, nomen syllabis intercisis legendum exhibet, in hunc fere modum: *Filio Megesit, & Hippolytæ, &c.* decoratur & iste tumulus, cum vas sanguinis præferat, martyrii corona.

KY-



Titulus hic Græcis notis, qui apud Callisti Cœmeterium extabat, exculptus *Kyrinis* nomen præsefert, qui duabus columbis, & quatuor palmis illustris redditur, ad prænotandum forte, quod quater pro Christo tormentis subjectus, atque excruciatus, totidem item palmis à Deo cumulari meruerit. Vas item sacro cruore plenum, martyrem hunc decessisse comprobat.




Felicissimæ titulus columbam tantum marmori exculptam præ se fert, & vasculum sacro cruore refertum, claras martyrij notas, præferebat: novissimæ autem litteræ P K, nomen Christi, pro quo obiit, legendum exhibet.


Florentius, qui in pace positus describitur, atcum vas sanguine plenum sepulchro affixum reperiri contigerit, inter martyres proculdubio recensendus est.



Postremo tandem loco titulus è Callisti Cœmeterio erutus nobis contemplandus offertur, qui virum tunc temporis apud Christianos conspicuum extitisse demonstrat: haud enim ex more lapidi ejusdem nomen insculptum, sed tessellato opere diversicoloratis simul intextis lapillis elaboratum est, numismate ejusdem operis superaddito, quod raro, & nisi clarioribus viris olim præstitum fuisse constat. In istius autem tituli initio sacrosanctum Christi nomen consueto more delineatum est. Porro etsi in pace depositum eundem fuisse asseratur, tamen vas sanguinis reconditum patentissimum veluti signum eundem gloriosum Christi martyrem denunciat. Totus autem titulus ita legendus meo quidem judicio videtur: *Upi conjuci Dinain in pace.*




Cepasii titulus consueto columbæ ramum palmæ deferentis signo, quod martyrii symbolum est, decoratur, vasculum insuper pretiosi cruoris tumulo affixum eundem pro Christo purpuratum fuisse præmonstrabat.



Sepulchralis Herculii pueri titulus, sacro Christi nomine, & palmis item conspicuus redditur, sed vasculo sanguinis, quem ille pro Christo effudit, apprime nobilitatur.






Duo isti lapides, qui inter sacra perscrutandum Cæmeteria, in lucem venêre, consuetis martyrum signis, palmis videlicet, & columba prænotati, anonymi recensentur: cum enim copiosus, ut iam diximus, aliquando interfectorum pro Christo numerus esset, & frequens, ac confusa interdum Christianorum strages contingeret, haud singulorum nomina, sed præcipuorum dumtaxat, marmori insculpendi opportunitas suppetebat: quamobrem quorum nomina pia Christianorum manus assequi non poterat, eorundem sepulchra martyrii signis prænotabat, & veneranda eorundem pignora intra Cæmeteriales speluncas, ne merito cultu destituerentur, condita diligenti studio posteris commendabat, ut his duobus lapidibus comprobatum est, qui sacris item cruoris vasculis nobilitati illud Psalmistæ jugiter fidelium auribus intonant: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.*

Verum sepulchralibus titulis hactenus recensitis alios

alios insuper ad hujus primi tomi Subterraneæ Romæ calcem, quos inter perscrutandum Cœmeteria passim in lucem non multis abhinc annis prodire contigit, & ab Illustrissima Felice Rondanina, nulli prorsus impensæ, aut labori parcendo, collectos, & pretiosorum instar lapillorum studiose inter sacra recolendæ antiquitatis monimenta, ne ipsas inter rudium hominum manus oblivione intercepti perirent, servatos, hic in studiosi gratiam lectoris subtexendos duximus. Ex quibus profecto, si quando fides mutis lapidibus in venerandæ obsequium antiquitatis adhibenda est, & ipsa rerum Christianarum facies elucet, & nonnulla curiosis oculis, atque auribus digna palam suppetunt, quæ etsi conjecturis, uti mos est, inhærendo, haud cuncta lapidibus rudi artificum manu insculpta sine ambiguitate asseri, ac sine formidine defendi queant, animi tamen sensum innuendo potius, quam definiendo quid potissimum in rebus dubiis tenendum sit, prudentis judicio lectoris remittitur. Interim, amice lector, adinventis, & alieno labore coacervatis lapidibus fruere, & matronæ pietate inter cæteras conspicuæ, ac de sacra antiquitate optime meritæ, quæ hos tibi suspiciendos, ac contemplandos offert, totum quod est, acceptum singulariter habeto.

li se- hrales emete- uper i.



Speciosus iste titulus, qui Castæ nomine inscriptus legitur, è Callisti Cœmeterio unà cum ejusdem corpore à perscrutantibus erutus, consueta Christianæ religionis signa, sacrosanctum videlicet Christi nomen Græcis litteris de more expressum, palmam itidem à latere; velut nobilis martyrii indicem præ se fert. Unum tamen, quod in cæteris Christianorum sepulchris, præterquam in splendidioribus raro videre est, sacrosanctum vivificæ Crucis signum supra nomen exsculptum cernitur, ac si hoc nobili mulier signo prænotata iisdem cum Apostolo vocibus ex ipso tumulo, ubi jacet, exclamet: *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et illud: *Hos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, cura & resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus.* Crux igitur Christianorum tumulis affixa futuræ resurrectionis, ac felicitatis symbolum est, ut Christus illis apud Ioannem verbis testatus est: *Exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Crucis enim signum olim, vel tum apud Ægyptios inter Hieroglyphica signa extitisse, & *Vitam venturam* præsignasse ajunt. Divino autem consilio ejuscemodi significatio huic præ cæteris litteræ indita est, quoniam Crux perennem perdito Orbi vitam peperit. De hoc autem crucis signo Ruffinus hæc ait: *Signum Dominicæ Crucis inter illas, quas dicunt* ἱερατικάς, id est Sacerdotales litteras, habere Ægyptii dicuntur velut unum ex cæteris litterarum, quæ apud illos, elementis. Cujus litteræ, seu vocabuli hanc asserunt esse interpretationem: *Vita ventura.* Hæc ille. Socrates insuper: *In templo*, inquit, *Serapidis diruto & fundamentis convulso, litteræ repertæ fuerunt lapidibus incisæ, quas Hieroglyphicas appellant. Erant formæ insculptæ, quæ Crucis habebant effigiem. Gentiles autem quidem ad fidem Christianam conversi, qui litteras Hieroglyphicas accurate noverant, formam Crucis, quid sibi vellet, interpretantur: Vitam venturam significare docent.* Certe Crucis signum, vitæ symbolum extitisse apertis apud Ezechielem prophetam verbis Deo præmonstrante didicimus: *Omnem*, inquit, *super quem videritis Tau, ne occidatis.* Crux igitur fidelium frontibus insculpta gladium procul arcet, tumulis affixa mortem effugat, & animabus salutem, ac perennem vitam comparat, juxta id quod Cyprianus edisserit: *Quod in signo Crucis*, inquit, *salus sit omnibus, qui in frontibus notentur, apud Ezechielem dicit Dominus: Notabis signum super frontes. Item in Exodo Deus ad Moysem: Et erit sanguis in signo vobis super domos, &c.* Jure igitur Crucis signum Christianorum interdum sepulchris ad resurrectionem contestandam affixum est. Ut enim Augustinus ait: *Si sancta Crux elevata non esset, Christianus populus in æternum periisset.* Hinc tam familiare Christianis Crucis signum jugiter extitit, ut vel vigilantes, vel dormientes hoc signo præmuniri viderentur, juxta id quod olim Prudentius cecinit:

Fac cum vocante somno,
Castum petis cubile,
Frontem, locumque cordis,
Crucis figura signet,
Crux pellit omne noxium.

Christiani igitur signum, quo tam familiariter, dum viverent, utebantur, vel in Cœmeteriis dormientium instar locati sua præmuniri sepulchra voluêre. Plura vero de Cruce, & salutari ejus signo nos to. 2. lib. 6. Subterraneæ Romæ, cum de Christi nomine agendum erit, ad quæ lectorem remittimus.

Io. 3.
Ruff. l. 2. hist. c. 29.
Crucis signum litteris Ægyptiis.
Socrat. l. 5. hist. c. 17.
Ezech. ca. 9.
Cypr. l. 2. cont. Iud.
Aug. ser. 90. de temp.
Prud. hym. 6.
x mar- reo titulo ulpta enditur. . 6.

ΘΗϚ VΩΡЅΗΑΡVϚ VΑΛΛΗЄ ΡVΡϚΗVϚΗ VVV
ΛΑΤVϚΤΤΡΩΦΗЅЄ CVΜΦΑΜΗΛΗΑ ΤΩ ΤΑ
ΟVΗЄ ΟCVΡΤ ΗΡ ΤΤΑΚЄ
ϚVΘΦΗΛΑΑΡCΗΛΛΑΦЄCΗΤ

Primo quidem titulus hic characteribus istis barbaris inscriptus hunc in modum legendus est, videlicet: *Hic Gordianus Galliæ nuncius jugulatus pro fide cum familia tota, quiescunt in pace Theophila Ancilla fecit.*

Sepulchralis hic lapis, qui palmam præfert, è Cœmeterio S. Agnetis Via Nomentana erutus, & Gordiani titulo prænotatus eundem insigniorem quempiam virum fuisse docet, qui totius Galliæ Romanum apud Imperatorem nuncii munus obiret. Verum quid nuncii nomen, & quid munus itidem præ se ferat, incompertum nobis est, cum apud

ſcriptores ejus mentio parum uſu venerit. Verum ex eo, quod unà ſimul cum tota familia eum pro fide jugulatum fuiſſe deſcribatur, aſſerendum nobis profectò videtur, publicum utique, atque conſpicuum munus Romanos apud Imperatores illum exhibuiſſe, cui pro fide unà cum cæteris interempto ancilla, quæ ſuperfuit, ſepulchrum pariter, ac titulum hunc ad perpetuum monimentum poſuit. Marmoreæ autem hujus tabulæ pars altera, quæ barbaras has litterarum notas præferebat, ipſo cum Gordiani corpore in Galliam avecta eſt. Relicta eſt hæc, quæ proxima corpus hærebat, ut nuncius cum titulo rei bene geſtæ rediret in patriam, Romæ facti memoria duraret.

Nuncii quidem munus, nec publicum nec unquam inter majores, vel minores dignitates numeratum apud auctores probæ Latinitatis repetiri norunt ii, qui Ciceronem, & optimos quoſque norunt. Qui enim ad rem ſeu publicam, ſeu domeſticam denunciandam præmittebantur, nuncii dicebantur. Varro nomen nuncii à verbo νέ☉, quod eſt novus, unde noviſſimum deflectit, quod poſtremum à priſcis illis, qui cenſoria ſeveritate incorruptum linguæ candorem retinebant, vitatum eſt, tanquam peregrinum, & novum. Hinc apud Plautum in Amph. Servus munere nuncii fungitur, Mercuriumque olim Deorum nuncium nunciis, & lucro præeſſe commenti ſunt. Porro legati nomen nuncio finitimum fuiſſe, & inde nuncium pro legato poſitum eſſe, pro corrupta temporis loquendi conſuetudine, quam hæc inſcriptio demonſtrat, non obſcuris argumentis conjicere licet. Sic à Cic. in Vatinium legati appellati ſunt *nuncii* pacis, ac belli, & à Varrone legati dicti ſunt, qui publice lecti, quorum opera peregre uterentur magiſtratus, quive *nuncii* ſe natus ac populi eſſent. Livius lib. 28. Lucius Scipio cum multis nobilibus captivis *nuncius* receptæ Hiſpaniæ miſſus eſt. Similiter & oratores pro legatis accipi non ſemel à Virg. lib. 7. & lib. 11. notat Nonnius Marcellus, & Servius ad ea loca:

Nuncii nomen unde derivet?

Mercurius Deorum nuncius,

Nuncii pacis, & belli.

Virg. Æneid. lib. 7.

Tum Satus Anchiſa delectos ordine ab omni
Centum oratores auguſta ad mœnia regis
Ire jubet ramis velatos Palladis omnes.

Ad ea Servius, ex omni qualitate dignitatum, quod & apud Rom. in legatione mittenda hodieque ſervatur, & infra lib. 11.

Id. lib. 10.

Iamque oratores aderant ex urbe Latina
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.

Idem Servius: oratores legati à perorando pro repub nominati, imitatus nempe Homerum in princ. Iliadis.

Homer. Iliad.

Οὕνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα
Ἀτρείδης ὁ γὰρ ἦλθε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν
Λυσόμενός τε θύγατρα φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα.
Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
Χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ.

Hoc eſt:

Quoniam Chryſen contempſit ſacerdotem
Atrides, hic enim venit ad celeres naves Græcorum
Ut redimeret filiam, ferens magnum pretium
Coronas in manibus habens longe jaculantis Apollinis
Aureo cum ſceptro.

Ubi & verbum ἀρητῆρα æquivocum adhibuit; deprecatorem enim ſignificat præter ſacerdotem, à quo oratoris originem deduxit Feſtus, orare enim eſt per preces agere, quod officium legati pluribus in locis expreſſit Cicero, ſed præcipue V. Philip. *legatos decernitis, ſi ut deprecentur, contemnet, ſi ut impetretis, non audiet.* Quos oratores ad pacem, ſeu inducias componendas miſſos caduceatores etiam vocatos fuiſſe, præter Iſidori auctoritatem plura ſuppetunt exempla. Quare & illos ſimilitudine Mercurij, cujus peculiare inſigne fuit Caduceum, nuncios vocari potuiſſe, facile inclinaverim.

Oratoris nomen unde originem traxerit.

Hæc igitur ſunt, quæ fidem faciunt S. martyrem hunc Gordianum Romæ pro Galliis cum legati ſeu oratoris munere fuiſſe, cum in more jam poſitum eſſet, è provinciis, coloniis & municipiis ad Cæſares legatos mittere, quod ne ab aliis actum agam, ſatis ſit adnotaſſe ex lib. 50. Digeſtorum titulo de legationibus, & lib. 10. Codicis eodem titulo, ex quibus multa Pancirolus in libello de magiſtratibus municipalibus cap. ult.

Porro ſi rem conjecturis definire liceat, Gordianum hunc, vel pro aliquo publico negotio è Galliis ad Imperatorem tranſmiſſum quidam arbitrantur, quod quidem negotium tunc maxime perurgeret, vel certe quod agentis vicem pro Galliarum Regno obiret: vel ſane quod cum tunc temporis bellis Gallia perturbaretur, vel præſes novam aliquam Chriſtianis perſecutionem moliretur, Gordianus iſte ad agendum pro Regno, vel pro ſedandis bellorum tumultibus, vel pro reprimenda perſecutione acturus in Vrbem adveniſſet, re autem infecta pro labore in præmium mart. palmam accepit. Quod publicæ autem neceſſitatis cauſa è provinciis nuncii paſſim ad Imperatorem coram cum eo acturi mitterentur, locuples teſtis eſt Philo Iudæus, qui unà cum collegis ann. Chriſti 42. à Iudæis Alexandriæ agentibus legatus ad Caium Imperatorem miſſus eſt, de quibus iſthæc Baron. tom. 1. Annal. *Hoc igitur anno, non antea, ut alii putant, Philo Iudæus unà cum collegis à Iudæis Alexandriæ agentibus legatus ad Caium Imperatorem miſſus eſt: ab Alexandrinis vero alii adverſus eos miſſi ſunt legati, inter quos Apion Grammaticus Iudæorum infenſiſſimus hoſtis.* Cujus item legationis meminit Ioſephus: & quidem Philo egregium de ſua ad Cajum legatione commentarium conſcripſit, ubi iſthæc habet: *Placuit offerre Cajo libellum continentem ſummam calamitatum, & earum deprecationem: id erat ferme compendium ſupplicationis prolixioris, quam per Agrippam Regem paulo ante miſeramus.* hæc Philo. Et quidem quod hujuſcemodi legationes mitti frequenter è provinciis conſueviſſent, ipſe Philo teſtatur his plane verbis, cum de ſua ad Caium legatione agens, & ſe ab Imperatore expediendum fore aſſerit: *Miſſoque ad nos,* inquit, *Romulo, qui legationibus admittendis præerat, pollicitus eſt,* Cajus videlicet, *ſe cogniturum noſtram cauſam per otium.* Et poſtea ſubdit: *Quid ſibi vult, quod cum adſint legationes propemodum ex omnibus Orbis regionibus, ait ſe nos ſolos auditurum: nec enim neſcit nos eſſe Iudæos, contentos ſi æquaremur cæteris.* hæc Philo. Summa autem legationis erat, ut Cajum ab inferenda in templum Hieroſolymitanum ejuſdem ſtatua, quod Petronio Syriæ præſidi in mandatis dederat, averterent, & pacatum haberent. Potuit igitur hic, dum legatione apud Imperatorem fungeretur, pro legato nuncius haud improbabiliter, ut ajunt, deſcribi. Quod autem vel hi, qui legationes apud Imperatores obibant, nulla habita ratione paſſim pro Chriſti fide interficerentur, exemplo ſanctorum martyrum Manuelis, Sabelis, & Iſmaelis palam fit, qui cum pro Rege

Gordianus Galliæ nuncius.

Baron. to. 1. an. 42. n. 1.

Ioſeph. l. 18. antiq. c. 10.

Philo lib. de legat. ad Cajum.

Per-

Perſarum legatione fungerentur, à Iuliano occiſi ſunt, de quibus hæc in Martyrologio Rom. die 17. Iunii: *Chalcedone ſanctorum mart. Manuelis, Sabelis, & Iſmaelis, qui pacis cauſa apud Iulianum Apoſtatam pro Rege Perſarum legatione fungentes, cum Imperatoris juſſu idola venerari compellerentur, idque conſtanti animo recuſarent, gladio feriuntur.* Poteſt inſuper aſſeri, Gordianum à Gallicanæ Eccleſiæ Chriſtianis, ut olim mos erat, ad Rom. Eccleſiam ad exhibenda mutuæ charitatis officia tranſmiſſum fuiſſe: haud enim novum eſt, quod hujuſcemodi legationes à Chriſtianis mitterentur: nam ut res ad antiquiora tempora revocetur, Ignatius martyr epiſt. ad Philadelphenſes petit, ut Eccleſia & Epiſcopus Philadelphiæ deſignent aliquem, qui Antiochiam Syriæ proficiſcatur, & pacem eidem Eccleſiæ reſtitutam gratuletur, & ut ipſe ait εἰς τὸ πρεσβεῦσαι ἐκεῖ θεοῦ πρεσβείαν, qui iſthic ſacra legatione fungatur. Idem quoque à S. Polycarpo petit talem nuntium, ſive legatum mitti, ὡς δυνήσεται θεόδρομος καλεῖσθαι, qui poterit Dei curſor vocari. Idem fieri petit ab Eccleſia Epheſiorum. Hinc apparet Eccleſiam primitivam pacis, atque unionis vinculum non ſolum epiſtolis mutuis conſervaſſe, ſed etiam nuntiis peculiariter eam ad rem miſſis mutua caritatis officia invicem præſtitiſſe. Hæc ſunt, quæ in hujus tituli elucidationem divinantes potius ut in re dubia, quam certum quid definientes, proferimus, ſaniori lectoris judicio rem totam ſapienter definiendam remittentes.

[Margin:] ...Rom. 17. Iun. — ...s ac ca- ...is con- ...ndæ — nuncii in primitiva Eccleſia.

PVER PANCHARIVS QVI NATVS EST III
IDVS IANVARIAET VIXIT ANNOS XX
ET MENSES OCTO ET DIES XII

Hic quoque ſepulchralis lapis ex Cœmeterio Calliſti inter perſcrutandum, luci redditus eſt, & Pancharium præ ſe fert. Mirari autem non poſſumus, cur iſte, qui bis denos vixiſſe annos, & eo amplius deſcribitur, puer tamen nuncupetur, verum propter bonam indolem, ac miram innocentiam merito pueri nomen retinere potuit. Haud enim in ſcripturis novum eſt, quod majoris ætatis viri, puerorum nomine appellentur. Certe David puer à Saule vocatur, ait enim illi: *Non vales reſiſtere Philiſtheo, quia puer es, hic autem vir bellator ab adoleſcentia ſua.* Et tamen David tunc temporis erat grandævus, vir bellicoſus, & tam proceræ ſtaturæ, ut arma Saulis illi pugnaturo aptari potuerint: quis enim neſciat, quod David, priuſquam cum Goliath dimicaret, vir appellatus fuerit, quapropter quidam Sauli iſthæc retulit: *Ego vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum.* Et ſane haud ille puer erat, qui Saulis armiger factus fuerat, cap. 21. & paulo poſt præpoſitus viris belli dicitur, quod munus prudentiam deſiderat jam maturam & ingenium pluſquam juvenile, ut Sancius explicat. Potuit hic igitur pueri nomine etiamſi grandioris ætatis appellari. Niſi aſſerere quis velit titulum hunc vel à parentibus filio, vel certe à domino famulo ſuo inſcriptum fuiſſe: tunc enim pueri vocabulo magis congrue demortuo aptari videbitur. Sed in re iſta prudentis (cui plurimum deferimus) lectoris ſententia deſideratur.

[Margin:] ...i no- quo- ...o in- ...gen- ...fit. — ...g. c. 17. ...3. — 1 Reg. c. 16 v. 18.


GAVDENTIA IN PACE


Titulus iſte ſepulchralis ex Cœmeterio Prætextati in lucem venit, in quo Gaudentiæ nomen unà cum binis hinc inde columbis inſculptum cernitur. Porro columbam marmori deſignatam virginitatis ſymbolum præſeferre arbitramur. Nulla autem palma, ut in cæteris ſepulchris, ſed cordis dumtaxat effigies ferro inciſa contemplanda proponitur. Porro phraſis illa *in Pace* ſepulchralibus quandoque martyrum titulis aptari conſuevit, juxta quod Eccleſia in Antiphonis Martyrum canit: *Corpora ſanctorum in pace ſepulta ſunt.* Et ut exemplo res comprobetur, Exuperantiæ videlicet, & Valerii martt. tumulis verba iſthæc *in Pace* inſcripta leguntur, quos tamen martyres extitiſſe inſculpta eidem marmori vaſa prunis referta, vel vaſa ſanguinis topho incluſa velut perſpicuæ martyrii notæ deſignant, ut nos prolixius lib. 6. Romæ Subterraneæ cap. 42. enarrabimus. Verum cum Gaudentiæ tumulus nullo alio martyrii ſigno prænotatus appareat, haud martyrem ex titulo dumtaxat pronunciandum eſſe credimus. Sed cum nil præterea animadverſione dignum titulus præferat, haud diutius huic ediſſerendo immorandum nobis eſt.

[Margin:] ...mba ...olum ...itatis. — ...iph. ad ...de Mart.

SIC PREMIA SERVAS VEPASIANE DIRE
CIVITAS UBI GLORIE TUE AUTORI
PREMIATUS ES MORTE GAUDENTI LETARE
PROMISIT ISTE DAT KRISTUS OMNIA TIBI
QUI ALIUM PARAVIT THEATRU IN CELO

Sepulchralis iste lapis, qui speciosum utique titulum præsefert, ex Cœmeterio D. Agnetis Nomentana Via erutus longam, ac maturam in perscrutando indaginem prærequirit: ut enim totius tituli summa lectori innotescat, Gaudentius hic theatri alicujus exædificandi auctor extitisse perhibetur, quod sub Vespasiano Augusto excitatum est, cui tanquam illustris fabricæ architecto, civitatem aliquam dono se daturum ille pollicitus fuerat, verum re perfecta, velut Christianus apud Imperatorem delatus, martyrium pro mercede sortitus est, ad quod conclusio sepulchralis istius tituli alludere videtur.

Verum quoniam multiplices sub uno eodemque titulo difficultatum ambages emergunt, ut singulis quoquo modo fiat satis, hæc præmittere voluimus, & primo quidem lapidem hunc haud ab impostore aliquo ullam ementiti recens tituli suspicionem præseferre ex aspectu ipso ostenditur. Potest autem primo id de ipsomet Vespasiano intelligi, sub quo etsi persecutio palam adversus Christianos non extiterit, clam tamen extitit, & martyres sub eodem Imperatore in Martyrolog. Romano recensentur, & præcipuus inter cæteros S. Apollinaris, de quo isthæc: *Tandem Ravennam reversus sub Vespasiano Imper. gloriosum martyrium consummavit.* Hæc autem in notis ibidem Baronius: *Non sic quidem, ut aliqua illius temporis fuerit in Christianos excitata persecutio, sed quod ait Suetonius cap. 15. his verbis: Non temere quis punitus insons reperitur, nisi absente eo, & ignaro, aut certe invito, atque decepto.* Hæc de eo Suetonius, quibus verbis aliquos sub ejus principatu excruciatos fuisse haud temere asseri potest. Verum si res melius expendatur, haud quidem de Amphitheatro, quod à Vespasiano erectum est, loqui titulum arbitramur, quia sub Vespasiano, & Tito ejus filio Impp. tanquam mitis ingenii principibus nulla, ut jam diximus, conrra Christianos persecutio excitata fuit, sed potius de Domitiano Vespasiani filio, & Titi fratre loqui forte putamus, qui Vespasiani quoque nomine, ut ex numismatibus patet, nonnunquam appellatus est. Potuit igitur Domitianus theatrum aliquod aut in Urbe instaurasse, aut alibi erexisse, cui operi ejus jussu Gaudentius iste præfectus fuerit, magnis illi pro mercede propositis exhibitisque præmiorum elargitionibus, ut civitatis dono cumulandus foret: at odium pro gratia tandem recepit, delatus enim velut Christianus, martyrio affectus, nobiliori in Cælis theatro auctus est, quod innuere videntur posteriora tituli verba:

Præmiatus es morte Gaudenti lætare
Promisit iste, dat Christus omnia tibi,
Qui alium paravit theatrum in Cælo.

Valde autem dolemus nullam annorum rationem ex titulo deprehendi posse, & fortasse numisma aliquod intra sepulchri urnam à Christianis illatum temporum indicium præferebat, sed effossorum incuria, aut certe avaritia, aurum furto sublatum, lutum dumtaxat ac lapidem perscrutantium manibus offerri contigit. Et quidem numismata in martyrum sepulchris apponi consuevere, & hoc nostro seculo in Caji Papæ, ac mart. sepulchro tria Diocletiani, sub quo martyrio coronatus fuerat, numismata adinventa sunt. Titulus autem necem, quam Gaudentius pro Christo pertulit, præmii instar amplam eidem lætitiæ causam exhibuisse testatur verbis illis:

Præmiatus es morte, Gaudenti lætare.

Verum allusisse ad illa Petri Apostoli verba visus est: *Si quid patimini propter justitiam, beati.* Et ad illud Matthæi: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis.* Congrue igitur, Augustino teste, tanto, qui martyrium pro Christo patiuntur, feliciores, quanto miseriores, qui illud fidei causa inferunt, pronuntiandi sunt: *Tanto igitur*, inquit, *miseriores, qui propter hoc nomen ista faciunt, quanto beatiores, qui propter hoc nomen ista patiuntur.* Ut nobis autem ex notis conjicere fas est, quibus interior lapidis pars insculpta est, uxorem conjugi tumulum posuit, & intra eundem sibi quoque sepulchri locum elegit, ut ipsæmet notæ innuunt, de quibus infra. Verum quæ diximus & quæ dici possent, prudentis arbitrio lectoris expendenda & aut rejicienda, aut approbanda relinquuntur, cum haud temere quid certi de titulo, qui multiplici rerum ambiguitate constat, & scatebris redundat, nos pronuntiare velimus.

Mar. Rom. die 23. Iulii.

Vespasianus, & Titus optimi Principes.

Numismata in Martyrum sepulchris.

1 Petr. mart. c. 4.

Aug. in Io. tract. 88.

AURELIA ♆ AUGURINA ♆ HIC EST

In interiore parte lapidis, quo sepulchrum concluditur, titulus iste Aureliæ Augurinæ nomine prænotatus legitur, in quo cum nullum palmæ, aut Christiani nominis signum exhibeatur, ut nobis in re admodum subobscura conjicere fas est, Aurelia Augurina, quæ isthic describitur, Gaudentii uxor marito tumulum unà cum titulo posuit: quoniam vero se à mariti consortio sejungi ægre ferebat, cum consuetudo viros unà cum uxoribus suis eodem tumulo locandos suaderet, se post mortem una cum viro, quem unice dilexerat, locari voluit; quamobrem in interiori lapidis facie, mulieris nomen ex ipsius præscripto insculptum est. Et certe uxores olim una cum viris eodem sepulchro illatas fuisse novimus, quia quibus communicamus vivis, communicamus & mortuis, & ipsiusmet conjugii lex dictare videtur, ut quorũ animi conjuncti in vita fuere, eorundem corpora haud ab unius, ejusdemque sepulchri consortio sejungantur: & ut res interim ad antiquiora tempora revocetur, certe Tobias cum filium

Uxores eodem cum viris sepulchro condendi mos.

filium præceptis imbueret, de matris sepulchro illud injunxit: *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: & honorem habebis matri tuæ omnibus diëbus vitæ ejus. Cum autem & ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me, sive (ut est in textu Græco) juxta me in uno sepulchro.* Si autem ipsamet exurgentis Ecclesiæ tempora repetamus, viris, & uxoribus idem sepulchrum commune fuisse compertum est. Saphira enim Ananiæ uxor cum vir pretium ex possessionibus divenditis, parte sibi per fraudem retenta, celasset, Petro eum graviter redarguente, & perstringente illico expirans sepulchro illatus esset, uxor autem criminis conscia, & pœnæ pariter consors effecta, Petro vindicante, protinus corruit: *Confestim*, inquit, *cecidit ante pedes ejus, & expiravit. Intrantes autem juvenes, invenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum.* *Actor. c. 5. v. 10.* En quam antiquus uxores una cum viris tumulandi mos, qui ab ipsis Ecclesiæ incunabulis inolevit. Haud igitur incongrue mulier ista se à viri, vel tum martyris consortio excludi voluit: sed tuum, studiose lector, in hac re judicium sit.



ANTONIVS · SEP
TIMINVS · QVI ·
VIXIT · ANNOSXIII
MENS · III · DXϚD · ϚrrIJVYNOb ·





Antonii Septimini titulus è Cœmeterio Prætextati erutus brevem vitæ periodum, sed amplam martyrii coronam meritis ejusdem præsefert: vixit enim annos 13. illustratur lapis columbæ palmam deferentis imagine, & sacrosanctum Christi nomen consueto more expressum exhibet, cordis insuper interjectu lineæ subdivisi imaginem, ex quo flammarum globi prodeunt, intuentibus contemplandam præfert, quod quidem vel ad amoris præcipui, quo is à parentibus diligebatur, significationem appositum est. Quos enim vere diligimus, eosdem nos ex corde diligere protestamur. Certe S. Augustinus sublatum quondam sibi morte amicum vehementer indoluit, ut ipsemet his verbis enarrat: *Quo dolore*, inquit, *obtenebratum est cor meum, & quidquid aspiciebam, mors erat, & erat mihi patria supplicium, & paterna domus mera infelicitas, &c. solus fletus erat dulcis mihi, et successerat amico in deliciis animi mei.* Et de illo rursum flebiliter loquens, cor sibi ejusdem obitu dimidiatum fuisse proclamat: *Ecce cor meum Deus meus, ecce intus vide, quia memini spes mea, &c. mirabar cæteros mortales vivere, quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat, & me magis, quia ille alter eram, vivere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo, dimidium animæ meæ: nam ego sensi animam meam, & animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus, & ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, & ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.* Cum singularem igitur amoris vim, qua Septiminum hunc defunctum diligebant parentes, aut amici, designare vellent, exculpta marmori cordis imagine, quod amoris symbolum est, prænotarunt. *Cordilectionis symbolum.* Nisi forte quis afferat, ab eisdem amoris vim, quo iste in Deum suum ferebatur, flammis adumbratam fuisse, juxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c.* De quo August. *Amor meus pondus meum, eo feror, quocumque feror.* Notas autem, quæ ad tituli calcem exculptæ sunt, nullatenus hic exponimus, ne divinare potius ignota, quam explanare videamur: sed sapienti lectoris judicio interpretandas relinquimus.



VICTORINA TVMVLAVIT ERACLIO
MARITO BM · FECIT MECVM AN · XI ·
D · VII · VIX · AN · XXXX IM · II HABET · DE
POSSONE III · ID · IVL · CVM FAVSTO
CARO SVO CVSTODI CARINARVM
IN PACE



Sepulchralis iste lapis è Cœmenterio Priscillæ erutus, qui martyrii palmam marmorii insculptam præfert,


præfert, Subterraneæ Romæ splendorem adauget, & veterum Christianorum pietatem palam edocet: sub triangulari enim forma sacrosanctum Christi nomen prænotatum conspicitur. Quæ quidem forma sanctissimæ Trinitatis symbolum est ob tres angulos, quos una eademque figura continet. Hoc autem mysterium adumbrari à Christianis consuevit, de quo Prudentius cecinit: *Claro coruscat Trinitas mysterio.* Christi autem nomen duabus Græcis litteris Α & Ω intermedium exhibet, de quo plane symbolo, quod solemne Christianis extiterit, plura alibi edisserenda à nobis erunt. Interim vero Eraclii martyris hic mentio recurrit, cui Victorina uxor tumulum, ac titulum hunc posuit.

Figura triangularis SS. Trinitatis hieroglyphicum.


Verum quoniam de Carinarum custode hic mentio agitur, indagandum nobis est, quodnam hoc apud Romanos munus olim fuerit. Et quidem Carinæ, vici olim Romani nomen ad pedem clivi Capitolini erat, in quo domus Pompeii quondam fuit. Varro autem carinas dici putat, ab eo, quod hinc viæ sacræ caput χάρα, Latine caput, oriretur, & Cic. in Para. hæc habet: *Manlius habuit ædiculas in carinis.* Ut plane autem rem assequamur, hæc apud Bartholomæum Manlium de Carinis leguntur: *Ea autem pars exquiliarum, quæ inter busta Gallica, Tabernolam, arcum Gallieni, ac Suburram comprehensa est, Carinarum nomen obtinuit: quod innuit Livius, cum sexto belli Punici inquit, Flaccus Cos. media urbe per Carinas exquilias contendit, ubi unum ab altero dividit. Erant autem Carinæ, auctore Servio, ædificia facta in modum Carinarum.* In eam igitur partem magis propendimus, ut regio ista, quæ Carinarum nomine appellabatur, peculiarem aliquem custodem habuerit, quod munus Heraclius iste, cujus mentio recurrit, tunc temporis obierit, nisi quis asserere velit, navium, quæ carinarum etiam titulo veniunt, sub custodis titulo curam demandatam fuisse. Sed prudens quisque lector, ne veritati ac antiquitati iniuria irrogetur, rem sibi pro arbitrio, nobis ultro optantibus, definiendum noverit.

Carinæ quid sint?

Manl. l. 4. cap. 14.



Alter hic lapis è Callisti Cœmeterio erutus imaginem pueri & binas columbas quarum altera olivæ ramum tenet præ se fert, in quo Cajani infantis nomen insculptum est, cujus item effigiem exhibet, cui brevis vita, sanguine pro Christi fide profuso, amplam martyrij mercedem in Cælis peperit. Vixit enim, ut nobis interpretari fas est litteras duas N N. annos quatuor dies xv. & martyrio coronatus decessit.



Constantii titulus in Callisti Cœmeterio inter perscrutandum unà cum ejusdem corpore adinventus martyrii symbolo, id est victoriali palmarum ramo, & sacrosancto Christi nomine, cujus gratia ille martyrio coronatus est, consuetis Græcis characteribus exsculpto decoratur. Iure autem merito antiqui Christiani martyrum sepulchris palmam insculpere consueverunt, victoriam enim post hostes devictos palma aspectu præ se fert: quapropter justi, qui ante thronum Agni, in sanguine agni laureati consistunt, manu palmas in victoriæ, utique symbolum præferebant: *Posthac*, inquit Ioannes, *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis stantes ante thronum: & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Victoribus quippe palma post superata laborum certamina debetur, & martyribus ipsis, qui de tyrannis, ac tartareis hostibus Christum palam confitendo, victoriam retulere, nobilis triumphi palma aptatur: de singulis enim hac communi phrasi Ecclesia utitur: *Martyrii palmam adeptus est.* Sed de his hactenus.

Cur martyrum sepulchris palmæ insculperentur?

Apoch. c. 7.

BERPIO IN PACE



Alter Berpii titulus, qui è Callisti Cœmeterio erutus fuit, paucis quidem verbis conceptus, ac marmori inscriptus, haud prolixiorem à nobis sermonem requirit. Cordis enim dumtaxat imaginem, & Christi nomen consuetis characteribus prænotatum intuentibus exhibet, illis additis verbis: *in Pace*, & congrue quidem, nam qui in Christo requiescit, in pace obdormire dicitur: *Christus enim est pax nostra*, ut Apostolus ait, & justi in eodem dulciter obdormire in Cœmeteriis ad diem novissimum surrecturi dicuntur, id quod regius Psalmista cecinit: *In pace in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Et de justis Ecclesia peculiare illud vocabulum usurpare consuevit, dormientium titulo eosdem appellans, qui nimirum dormiunt in somno pacis. Ista autem loquendi formula & martyribus aptari consuevit. Sed lectorem remittimus ad ea, quæ nos Tom. I. Romæ Subterraneæ Cap. I. prolixius enarravimus.

Christianorum tumulus in Pace solemnis & cur?

Psal. 41.

Hæc sunt, quæ in recensitis sepulchralibus istis titulis suggerere nobis visum est, prudentis tamen judicio lectoris rem totam discutiendam relinquimus. Ex Cœmeterialibus igitur lapidibus, quos hactenus descripsimus, probe vides amice lector, quot ubique sanctorum martyrum exuviis, quot sepulchralibus immo triumphalibus titulis Subterranea Roma illustris reddatur, & quidem magis quam antiqua olim heroum suorum statuis, debellatarum,

latarum provinciarum triumphis, ac hostium denique trophæis, ac spoliis pariter cumularetur. Tu interim dum hæc oculis obstupescentibus deprehendis, illa Gregorii verba, quibus immensam beatorum martyr. multitudinem devotus expendit, tecum ipse animo repete: *Totum mundum*, inquit, *fratres aspicite: martyribus plenus est. Iam pene tot, qui videamus non sumus, quot veritati testes habemus. Deo ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt, quia quanti sint, à nobis comprehendi non possunt.* Et id jure quidem, vel ex eo convinci potest, quod cum tot martyrum corpora, & tot sepulchrales eorundem tituli è Cœmeteriis Urbis Romæ huc usque in lucem prodierint, novo tamen ac mirando prodigio sacros hosce thesauros haud unquam effodiendo ac eruendo exhauriri, ac deficere contingat, sed quotidie quod recens inde effodiatur, quod eruatur, Urbi, ac Orbi, nullo prorsus interveniente decremento, suppetat.

...g. hom. in ...ng.

Verum quoniam colligendis, coacervandisque sepulchralium titulorum fragmentis, quibus Subterranea Roma pretiosis veluti gemmarum lapillis olim exornabatur potius, quam sternebatur, in præsens intendimus, & pii quique, ac eruditi viri operam, ac studium iisdem certatim impendere satagerunt, inde factum est, ut Romana passim Musæa lydiis istis (ut ita dicam) lapidibus referta venerandam recolendæ antiquitatis faciem, & haud ullo unquam obliterandam tempore memoriam, cunctis vel digito demonstrent. Nam, ut assidue aurum, quod in imis terræ visceribus latet, avara hominum manus requirere, ac ferro perscrutari non desinit, certe haud minus curiose devota Christianorum pietas intra Subterraneæ Romæ viscera, antiquæ Christianitatis vestigia rimari jugiter destitit. Quocirca lapides, quibus primæva, beataque Christianorum secula explorari contingit, thesaurorum instar colligere, collectosque pari studio intra nobiles ad servandum arcas, posteris transmittendi gratia recondere consuevit. Hi quippe lapides (ut quod verum est, fateamur) fundamentales prorsus Urbis nostræ lapides sunt, quibus Roma, vel dum spiritali in subterraneis speluncis constructione exædificari cœpit, è tenebris in lucem emersit. Et quidem si ad lydios istos lapides, quibus aurea Christianorum gesta, ac lutea item sepulchra prænotabantur, mentis oculos convertamus, lutei profecto videbimur, qui Christianam nunc fidem sectamur, si his, qui nos jam tempore præcesserunt, conferamur; vere etenim aurei, vere stabiles, ac marmorei quodammodo extitisse comprobantur, qui insectantium furori, constanti animo resistentes, invicti pro Christo in acie perstitêre. Quotus enim quisque præsentibus priora temporibus tempora objiciens, deplorandum illud Ieremiæ vaticinium adimpletum non probe intelligat? *Quomodo obscuratum est*, inquit, *aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii?* Ita plane ipsa nunc immutata rerum, ac temporum facie, obscuratoque primævo morum Christianorum nitore, sepulchrales isti lapides, quibus antiqua Cœmeteria sanctuariorum instar decorabantur, dispersi passim ubique conspiciuntur, ita tamen, ut veluti quid antiqua religione sacrum, condigno à fidelibus cultu habeantur, & supra reliqua profanorum temporum, quæ supersunt, monumenta caput attollant. Iure enim merito istis potissimum marmorum fragmentis curiose asservatis consonat, quod Zacharias prophetico olim spiritu edixit: *Quia lapides*, inquit, *sancti elevabuntur super terram.* Ita plane sepulchrales Cœmeteriorum lapides, qui beatorum temporum sanctitatem intuentibus ingerunt, pretiosis lapidibus longe anteferendi ex imo in lucem provecti curiose ab omnibus suspiciuntur, & quot notis exsculpti sunt, tot laudum præconiis in orbe terrarum extolluntur. Quapropter Subterranea Roma lapidibus hisce, quibus primum pia Christianorum manu exculta, ac dedicata est, apprime nobilitatur, quos enim suis jam sepulchris affixit, inscripsitque titulos, eosdem plane antiquæ probitatis, ac primævi Christiani fervoris testatissimos indices erexit, præsignavitque: muti quippe lapides, quos hactenus memoravimus, diserte ac fideliter antiquam fidelium, qui præcessêre, pietatem, vel mutis, quos præferunt, characteribus posteritati indicant, & loquuntur. Ut probe autem studiose lector meministi, Iosue vir inter Israëlitas rerum præclare gestarum gloria celeberrimus, bis senos, quos è medio Iordanis alveo lapides tulerat, ad perpetuum monumentum in Galgalis statuendos in hæc plane verba præcepit: *Quando*, inquit, *interrogaverint vos filii vestri cras patres suos, & dixerint eis, quid sibi volunt lapides isti? docebitis eos, atque dicetis: Per arentem alveum transivit Israël Iordanem istum.* Haud dissimili item ratione, cum innumeros istos sepulchrorum lapides, cœmeterialibus è cavernis erutos, qui nunc oculis objiciuntur, Christianorum quivis has paginas percurrendo deprehenderit, semetipsum subinde interrogans, quid lapides isti tam studiose collecti portendant? tacito sibi in auribus personante responso, rubris eosdem exaratos notis conspiciens, patentes utique martyriorum indices nactus, Christianorum innumeros sanguine pro Christo purpuratos, hujus vitæ callem feliciter pertransisse comperiet. Coacervamus igitur non martyrum dumtaxat, sed & antiquorum subinde Christianorum, ut vides, hic tibi lapides, quoniam piorum, ac studiosorum hominum manus istis curiose legendis, colligendisque hactenus elaboravit. Aurum quippe prompte libenterque impendit, ut vel perexiguum ab effossorum, perfossorumque manu lapidem referret, & recolendam Christianorum pariter tum pietatem, tum antiquitatem ab interitu vindicaret. Hos inter viros jure merito Lucas Holstenius Basilicæ Vaticanæ Canonicus, & sacræ cultor antiquitatis eximius recensendus videtur, qui sepulchrales istos titulos, quos infra subjicimus, è suo secretiore Musæo, ubi diligenter asservabantur, utpote in Cœmeterio D. Agnetis Via Nomentana inter perscrutandum adinventos, quod Cœmeterium præ cæteris olim, ut infra suo loco enarrabitur, amplissimum, ac celeberrimum extitit, hic tibi ultro descriptos legendos, contemplandosque offert.

Margin notes: ...li vete... Chri... ...orum ...lchra... | ...s tem... Chri... ...orum ...nti... ...olla... | ...c. 4. | Zach. c. 9. v. 27. | Tituli sepulchrales antiquæ probitatis testes. | Iosue c. 4. v. 21. | Tituli veterum Christianorum quid doceant.

JANUARIUS LEONTIDI
COJUGE
IN PACE.

AUR. CLEMENTINA.
L. PONTIO. EUGENIO
FILIO IN PACE.

SEPTI-

SEPTIMUS.
SIRICÆ. COJUGI.
IN PACE.

AQUILIÆ PRISCE.
IN PACE.


ΝΥΜΦΙϹ ΕΝΘΑΔΕ
ΚΕΙΤΑΙ


FELICISSIMA FILOMELO
CONJUGI
DULCISSIMO. QUI VIXIT
MECUM. ANNOS. TRES
M. OCTO

ΛΕΙΒΕΡΕ ΜΑΞΙΜΙΛΛΕ ΚΟΙΟΥΓΕ
ΑΜΑΝΤΙϹϹΙΜΕ ΦΙΚΙΤ ΕΝ ΠΑΚΕ

DONATA NUNO SUO
TERTULLO
CUM FILIA IN PACE.

EUTYCHES SORORE PATRICIÆ
BENEMERENTI Q. B. ANN. XXX.

URBICO. CESAVENTI
PATER FECIT
  

ΒΙΝΚΕΝΤΙω ΒΙΤΑΛΙϹ
ΕΙϹ ΙΡΗΝΗΝ

AUSTERNIGROSE COJUGI
IN PACE

ÆLIUS ERMOGENES
BENEMERENTI

ΧΡΥϹΟΓΟΝΙΤ ΕΥΤΥΧΙΑΝω
ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ

GRANIA BONA

AUR. DALMATIUS PATER
BENEMERENTI FECIT.

ΧΡΥϹΟΓΟΝΙΑΝ ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ

SPIRITO SANCTO
INNOCENTI. QUI
VIXIT. AN. PL. M. III.

VINCENTIA. IN PACE 

HERCULANUS. FECIT.
SIBI. IN. PACE

PAULINUS. ROMANO
IN. PACE. QUI. VIXIT. ANN. III
ET MENSIS. SEPTE

PENTADIUS. IN PACE
DEPOSITUS. XIIII. KAL. MAR

B. M
AURELIUS. FELIX. FECIT. AURELIE
SABBATIE. QUE. VIXIT.
ANN. II. M. VIIII.
DD. XVI. DP. NONIS.
NOBENBRES

DINDARUS. IN PACE 

F L O R E N T I A E (vertically, left side)
AURELIA. FLORENTIA.
QUÆ. VIXIT
ANNIS. XXXVIII. DIES XXV.
FECIT
CUM. DIONISIO. ANNOS.
XVIIII
MENSES. VII. DIES. XIII.
D. IDIB. AUG.
I N P A C E (vertically, right side)

ΑΝΤΩΝΙ. ϹΥΝΒΙΩ. ΓΛΥΚΥ
ΤΑΤΗ. ΚΕ. ΤΕΚΝΩ. ΜΗΤΗΡ
ΕΖΗϹΕΝΜΕΤΑ. ΛΛΥΠΙΟΥ
ΑΝΔΡΟϹ, ΕΑΥΤΗϹ, ΕΤΗ. ΕΙ
ΚΟϹ ΕΙΚΕ ΕΠΤΑ. ΒΙΟΝ. ΑΛΛΑΤΤΙ
ΦΙΛΙΑ. ΒΑΡΗ. ΒΑΛΕΡΙ. ΕΠΙϹΚΟ
ΠΟΥ

DULCISSIMO. FILIO. FAUSTINO
PATER. SIBI. ET FILIO.
SUO FECIT QUI VIXIT. ANN.
XVII. M. II. D. XVI
DP. XV. K. MAJAS. BENEMERENTI
IN PACE

CÆCINE. ALEXANDRO.
CONJUGI
QUI. VIXIT ANNIS. VIII.
MEN. VII
DIES. XX. BENEMERENTI.
DULCISSIMO FECIT


LUXURI. IN PACE

HIC. QUIESCIT. ZOEIΛO PUE
QUI VIXIT. ANNOS. XX.
ET. DIES. VI. DEPOSITUS
IN PACE
VI. KAL. FEBRARIAS.
DOMINIS NOSTRIS
FL. BALENTINIANO.
CONSULIBUS


CNISMI. SUTORIS. ET
PELORINIS. CANTRICIS
VIX. ANN. XXX.

ÆMILIUS. ET. TIMOLEA. FECERUNT
FILIO. DULCISSIMO. QUI. VIXIT. AN. II
MENSIBUS. X. DIEBUS XXIII. REDDE
DIT XII. KALE. NOBENBRIS. IN PACE

OLIMPIUS. BIXIT. AN
NOS. TRES. MENSES. UN
DECI. DIES. DODECI
IN. PACE
 

ULVM

ULUM COGI
MRAPTUM. A
ENERISLACT
DONUS SERMONIS
ERETRO MANISM
EPROBITUS IPSO INC
E PERIT QUOD NON SP
T TERRIS UT REDD
TIS. HIC FUIT SPES
VIIS COMPLEVITT
ER LACRIMIS COMPES
TUSQUEM TELLUS I
AUG ☧ MEDIOL ☧ PERDUCT
ET FL. EVODIO

MERCU
RIALI
CONIVX
BENE
FECIT



KARITO. QUI. BIXIT. ANNOS. QUARACIN
TA. BONO. MARITO. BONE. MEMORIE.
QUI. FECIT. MECU. ANNOS.
VIGINTI. OSSA. TUA. BENE.
REQUIESCANT





CLAUDIANE BENE
MERENTI.QVE VIXIT
ANNIS. VIIII. QUE
DEFUNCTA. EST
IDUS. JANUARIS. PARENTES. FECERUNT
IN PACE

Multa item religionis Christianæ signa jam inde apud recolendæ antiquitatis homines usu recepta, globuli quoque, necnon annuli, & symbola id genus alia eisdem inserta monumentis à perscrutantibus inter hos abditos Cœmeterialium locorum sinus inspiciuntur. Emanat ibi jugiter limpidissimus aquæ fons, qui accedentes imo inter excurrendum jam defessos, anhelantesque mirifice refovet. *Signa Christianorum in sepulchris.*

Reliquas tandem Cœmeterii ejusdem partes haud semel oculatissimus antiquitatum explorator Bosius perlustravit, per multiformes aditus, quos in adiacentibus passim vineis reperiri contigit, ad utramque videlicet Appiæ Viæ partem iter sibi obvium patefaciens. Verum nullibi prorsus sepulchralium inscriptionum titulos, aut picturas, vel aliud quid animadversione dignum, aut posterorum memoria recolendum sese illi obtulit. Veruntamen de una hac re certior ultro redditus est, totam scilicet regionem illam subterraneis ubique cryptis scatere, viarumque semitis, ac diverticulis redundare, quas etiam longo intervallo usque ad templum, quod in patentibus circum agris beatæ Virgini Annunciatæ pia fidelium veneratione dicatum est, protendi advertit: quo potissimum loco perantiqui cujusdam cubiculi vestigium, consuetamque in eo Pastoris in Euangelio descripti extantem adhuc imaginem contemplari licebat. Tandem ut de hoc celeberrimo Callisti Cœmeterio dicendi finem faciamus, opportune hic lector à nobis commonendus est, haud obscuris locum (de quo sermo recurrit) antiquitus monimentis illustratum fuisse: ibi enim haud pauci marmorei Sarcophagi, sacris utriusque Testamenti historiis studiosa artificum manu exsculpti recondebantur; quales & Vaticano in Cœmeterio quamplures olim extitisse recoluimus. Ex his tamen quos è tenebris in lucem emergentes nostra hæc ætas curiosis admodum oculis aspexit, sex dumtaxat in vineis juxta D. Sebastiani Ecclesiam repertos, typis Bosius exprimendos, ac ipsi posteritati ad perennem antiquariæ rei memoriam commendandos omni adhibito studio curavit: ex quorum numero unus dumtaxat demendus est, qui utpote cum Tiburtinam apud Viam inter effodiendum innotuerit, inter perantiqua Cœmeterii S. Cyriacæ (ut nobis credere par est) monimenta, jure merito recensendus videtur. Horum autem omnium icones intuentium oculis ultro, libenterque subjicimus. *Templum Virgini Annunciatæ sacrum.* *Sarcophagi marmorei.*

Sarcophagus iſte duplici figurarum ordine diſtinctus, cujus iconem oculis ſubjectam hic habes, in Calliſti Cœmeterio extabat, atque olim in Eccleſia S. Sebaſtiani viſebatur. Figuræ, quas in conchylio locatas conſpicis, capite temporis injuria diminutæ ſunt, nihilominus alteram viri, mulieris alteram retuliſſe effigiem prompta eſt conjectura, & forte par quoddam conjugum naſcentis Eccleſiæ haud abs re eſſe quis dixerit. Sacræ, quas lapis hic inſignis continet, hiſtoriæ, licet omnibus obviæ, paucis tamen hic enarrandæ ſunt.

Ioh. 11. 44. I. In ordine igitur ſuperiori Chriſti Domini Lazarum à mortuis excitantis imago contemplanda proponitur.

Matth. 14. 19. II. Idem Dominus, qui ut famelicam in deſerto turbam reficeret, panes divinitus multiplicat: cophinos autem unà cum panibus cruce ſignatis exſculptos illic quoque videre eſt.

Gen. 22. 10. III. Inſculpta inſuper obedientiſſimi Abrahæ unicum ſuum immolare volentis imago repræſentatur.

Ioh. 9. 6. IV. Chriſtus Dominus, qui cæco à nativitate lumen oculorum prodigioſe largitur.

Matth. 20. 34. V. Idem Dominus, qui Petro abnegationis culpam, quam patraturus erat, exprobrando prædicere videtur.

Gen. 3. 24. VI. Adam, & Eva humani generis progenitores, quos Deus irrevocabili illa ſententia condemnat: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.

Exod. 3. 5. VII. In ordine Sarcophagi ejuſdem inferiori Moyſis calceamenta ſibi juſſu Dei ſolventis effigies in primis conſpicitur.

Matth. 9. 20. VIII. Mulier deinde ſequitur, quæ fluxu ſanguinis diu laboraverat, & tacta veſtimentorum Domini fimbria, incolumis evadit.

Ioh. 2. 7. IX. Initium ſignorum, quæ Chriſtus Dominus ad gloriam, & poteſtatem ſuam orbi manifeſtandam patravit, cum in nuptiis Canæ Galilææ aquam in vinum convertit.

Ioh. 3. 2. 1. X. Propheta Jonas è navi in mare projicitur, & alvum marinæ belluæ vivus ingreditur; tertio autem die in terram redditus, ſub cucurbita recubare videtur.

Dan. 14. 30. XI. Daniel in lacu leonum, cui Habacuc cum panibus adſtare cernitur.

Exod. 17. 6. XII. Moyſes denique, qui percuſſa in deſerto petra, largiſſimas inde populo producit aquas.

Sarcophagus autem in longitudinem palmos decem, in altitudinem quatuor, & dimidium, in profunditatem vero palmos quinque dumtaxat obtinet.

Bini hi Sarcophagi marmorei (niſi forte unum, & priorem alterius operculum eſſe dicamus) in Calliſti Cœmeterio reperiebantur, in præſens verò in Villa Burgheſia extra Portam Pincianam viſuntur. Figuræ, quas continent, hæ ſunt.

Matth. 2. 11. I. Conſpici in primis illic datur in ſinu Virginis Matris Deus infans, quem tres Magi adorant. Et paulo ulterius idem Chriſtus in præſepio recubat, quem bos, & aſinus, ut Propheta in ſpiritu longe ante præviderat, Dominum ſuum agnoſcentes, halitu ſuo veluti fovent.

Iona 2. 15. II. Bis illic quoque propheta Ionas exſculptus cernitur, ſemel ubi fauces balenæ ingreditur, atque iterum, dum triduo poſt in terram reſtitutus ſub cucurbitæ umbraculo requieſcit.

Matth. 14. III. Inferius deinde Chriſtus Dominus Lazarum quatriduanum à mortuis excitare videtur: Martha verò ad ejus pedes provoluta, illum veluti adorat.

Ioh. 3. 7. IV. Idem Dominus, qui quinque panes, & duos piſces ad fameſcentem in deſerto multitudinem ſatiandam divinitus multiplicat.

V. Fecit Ieſus initium ſignorum in Cana Galilææ, aquam in vinum vertens.

VI. Mulier quædam brachiis expanſis orantis in morem.

Matth. 9. 20. VII. Mulier illa, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, advoluta Domini pedibus, & tangens fimbriam veſtimentorum ejus, valetudinem impetrat.

Exod. 31. 18. VIII. Divinus denique Hebræorum legiſlator Moyſes, qui ſitibundo in ſolitudine populo è ſilice largiſſimas educit aquas.

Prior

SARCOPHAGVS EFFOSSVS PROPE ECCLESIAM S. SEBASTIANI.



SARCOPHAGI DVO MARMOREI EX COEMETERIO S. CALLISTI EFFOSSI.





Prior è duabus his Arcis marmoreis in quadam vinea prope Ædem D. Sebaſtiani Via Appia jam pridem eruta in lucem prodiit.

Matth. 2. 18. Exſculptus in ea viſitur Chriſtus Dominus recens natus, cui bos & aſinus, halitu illum ſuo calfaciendo, obſequuntur. Tres item illic Magi conſpiciuntur, qui ſtella duce Hieroſolymas ad verum, æternumque Iudæorum Regem adorandum contendunt.

Longa eſt palmis quatuor, alta verò duobus & ſemis.

Altera reperta fuit Via Tiburtina, atque ideo è S. Cyriacæ Cœmeterio illam prodiiſſe exiſtimant. Eas autem hic ſimul junctas exhibemus propterea quod ambæ in ædibus Matthæi Maurelii in vico Burgundionum vulgo dicto ſitis extent.

Ionæ 3. 2. 1. Ionæ Prophetæ hiſtoria illic contemplanda proponitur: modo enim illum ingentis Ceti alvum ingredi, modo in terram reſtitutum ſub umbraculo cucurbitæ recubare videas.

Longitudo hujus Arcæ poſterioris palmos quatuor, altitudo verò duos dumtaxat æquat.

I. Binæ hæ marmoreæ Arcæ prope Ædem D. Sebaſtiani Via Appia repertæ fuere. In priori Noë conſpici datur, qui columbam pacis cæleſtis nunciam extenſis manibus lætabundus veluti excipit.

II. Babylonicam trium Puerorum fornacem luculenter accenſam illic quoque videre eſt.

III. Ionas item Propheta, quem immanis balena deglutit, in illa ejuſdem lapidis parte, quæ temporis injuriam nonnihil paſſa eſt, exſculptus apparet.

Græca autem, quæ ibidem legitur, inſcriptio Latine ſic reddita eſt:

DEPOSITIO PRINCIPII ANTE VII. KALENDAS OCTOBRIS
THEODORA ANTE IV. IDUS SEPTEMBRIS.

In altera verò hic appoſita conſpicitur quædam mulier media (ut quidem videtur) inter Petrum & Paulum Apoſtolos, ideo fortaſſis, quod prædicantibus illis fidem Chriſti amplexata ea fuerat. In binis præterea angulis viſitur celeberrimus ille Euangelicus Paſtor, qui erraticam ovem ſuis humeris ad ovile reportat.

SARCOPHAGI DVO MARMOREI EFFOSSI PROPE ECLESIAM S. SEBASTIANI.





SARCOPHAGI MARMOREI PROPE ECCLESIAM S. SEBASTIANI EFFOSSI





Sarcophagus iste marmoreus anno sexcentesimo septimo supra millesimum in Basilica S. Mariæ Majoris, dum elegantissimum illud Paulini Sacelli ædificium extrueretur, repertus est, quem ad corpus cujusdam Cardinalis inibi recondendum eò delatum fuisse ajunt. Sacras in eo insculptas historias hisce paucis enarrare conamur.

I. Protoparentes, qui commissa inobedientiæ culpa, è loco voluptatis ejici, & irrevocabili à Deo lata sententia ærumnis, ac laboribus cum omni posteritate addici videntur.

II. Paralyticus sanitati redditus grabatum suum bajulans domum lætus contendit.

III. Christus Dominus, qui in nuptiis Canæ Galilææ rogatu Virginis Matris aquam in vinum mirè convertit.

IV. Triumphalis Christi Domini introitus in sanctam Civitatem.

V. Idem Dominus, qui modico adhibito luto oculos cæco nato largitur.

VI. Christus Dominus iterum illic cernitur, cui pusilla nescio cujus imago inferius exsculpta adstat, fortassis unici illius, qui efferebatur, & quem misericordia motus matri viduæ restituit. Cordato tamen lectori, quid de hoc dicendum sit, judicet licebit.

VII. Denique prodigiosa Lazari quatriduani à mortuis excitatio: figura autem mulieris, quæ ad pedes Domini provoluta cernitur, Martham profectò refert.

Cæterum præsens hic Sarcophagus longitudine palmos novem cum dimidio, altitudine vero duos, & trientem dumtaxat exæquat.

Insignis hæc Arca marmorea bino figurarum ordine distincta in vinea Guidascorum prope Ædem D. Sebastiani eruta jampridem in lucem prodiit. Nunc in porticu celeberrimi Templi Pantheon visitur, ibi à præclaro, rerumque antiquarum amantissimo viro Francisco Gualdo Arimin. Equite S. Stephani posita, hac addita marmoreæ tabulæ incisa inscriptione:

AUSPICIIS EMINENTISS. PRINCIPIS
JULII MAZARINI ROMANI S.R.E. CARDINALIS
HANC ARCAM MARMOREAM VETERIS
ET NOVI TESTAMENTI
FIGURIS SCULPTAM TANQUAM NASCENTIS ECCLESIÆ
ADVERSUS ICONOMACHOS TESTIMONIUM
FRANCISCUS GUALDUS ARIMIN. EQUES S. STEPHANI
E TENEBRIS IN LUCEM
HUC TRANSFERRI, ET VELUTI TROPHÆUM
ERIGI CURAVIT
ANNO MDCXLVI.

Historiarum, quas continet, enarratio verbis è sacro textu desumptis edita, atque æri ejusdem Arcæ simulacrum referenti, eodem Gualdo adnitente, hunc in modum insculpta fuit.

Matth. 21. 8. I. Ascendit Jesus Jerosolymam sedens super pullum asinæ.

Gen. 3. 24. II. Factus est Adam reus mortis, eiecitque eum Deus de Paradiso.

Exod. 31. 18. III. Deditque Dominus Moysi in monte Sinai duas Tabulas Testimonii lapideas scriptas digito Dei.

IV. Nascentis Ecclesiæ generosa soboles, quæ in hac Arca olim condita quievit.

Gen. 22. 10. V. Abraham unigenitum suum Isaac in holocaustum offerre Deo paratus est.

Io. 11. 44. VI. Lazare veni foras.

Matth. 14. 19. VII. De quinque panibus, & duobus piscibus satiavit Dominus quinque millia hominum.

Exod. 17. 6. & ps. 77. VIII. Percussit petram, & fluxerunt aquæ.

Io. 18. 25. IX. Nunquid & tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, & dixit: Non sum.

Matth. 20. 34. X. Antequam Gallus cantet, ter me negabis.

Dan. 6. 16. XI. Missus est Daniel in lacum leonum, & Deus conclusit ora eorum, & non nocuerunt illi.

Io. 5. 8. XII. Tolle grabatum tuum, & ambula.

Io. 9. 6. XIII. Fecit lutum ex sputo, & unxit oculos ejus.

Matth. 9. 20. XIV. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis.

Io. 2. 7. XV. Fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ aquam in vinum vertens.

Hæc autem Arca in longitudinem palmos novem cum dimidio, in altitudinem vero tres, & dimidium obtinet.

Et hæc demum sunt, amice lector, quæ in lucem, & ad notitiam nostram perscrutantium studio, ac labore ex Cœmeterialibus Callisti locis studiose hactenus perlustratis delata fuere, hæc, inquam, quæ ipsis è tenebris eruta, atque ab oblivionis injuria vindicata studiosis viris, ut alienis ditescant, & perfruantur laboribus, hic inspicienda, & contemplanda proposuimus. Accipe igitur tu quis es, & loca omni venerationis cultu condigna, etsi pede excurrere, ac osculis, ut par est, prosequi non vales, oculis saltem obsequentibus à longe vel has intra paginas rimari, conceptisque animo votis beatissimos martyres, eorundem inquilinos, salutare ne dedigneris: dum nos interim exhibiti quondam obsequii à Jacobo sanctissimo patriarcha loco divinis revelationibus ac beneficiis exculto memores, qui sacræ ut ajunt paginæ, *cum de somno evigilasset, erexit lapidem in titulum, & fundens desuper oleum, dixit: Vere locus iste sanctus est.* *Gen. c. 28.* Memores, inquam, recolendi hujus obsequii, quod merito loci sanctitas exigit, sacris Subterraneæ Romæ Cœmeteriis, quæ hactenus perlustravimus, post primum feliciter absolutum Deo aspirante volumen, titulum hunc perpetuæ futurum venerationis monimentum erigimus, & consecramus.

SISTE

SARCOPHAGVS MARMOREVS EFFOSSVS IVXTA ECCLESIAM S.SEBASTIANI



SARCOPHAGVS MARMOREVS EFFOSSVS PROPE ECCLESAM S.SEBASTIANI



SISTE GRADUM TU QUIS ES O VIATOR:
Sacra hæc Urbis, immo Orbis Cœmeteria ſunt, quæ inſpicis,
Horum nomina olim mortuorum inter oſſa tenebris conſepulta,
Rediviva in lucem nunc ſub æternitatis omine prodeunt.
Perſcrutare, venerare.
Hæc videntibus ut vides inter latebras, mortuorum Monumenta tegunt,
Invidentibus Monimenta detegunt immortalitatis.
Tot ibi trophæa, quot oſſa.
Quot Martyres, tot triumphi.
Immo tot palmæ, tot coronæ, quot tituli, quot tumuli.
Lege, haud luge: in ſanguine, in vulneribus funera, invictorumque militum victorias.
Antra quæ ſubis, muta quæ cernis marmora, vel dum ſilent, palam Romæ gloriam loquuntur.
Audi quid Echo reſonet,
Subterraneæ Romæ.
Hoſpes: ſepulta hic Roma eſt, inter tumulos iacet, ſed vel mortua viget,
Sed vel tumulata ſuos inter triumphos vivit.
Urbs Orbem tunc maxime vicit, cum ſanguine victa, cum ferro vincta,
Cum lumine orbata eſt,
E tenebris clarior, ſecurior è latebris emerſit.
Marmorea, immo aurea (ut cernis) facta nunc, quæ quondam lutea, lateritia,
Obſcura ſcilicet Urbis Cœmeteria, totius patens orbis Theatrum,
Subterraneæ crebra inter rudera cavernæ, Tarpeia rupe excelſiores
Conſpicuæ, quam tenes, quam teris, Romæ fundamenta ſunt.
Pretioſa Martyrum pignora, terræ dum celant, Martyriorum titulos Cœlo oſtentant.
Antra quæ ſubſtant, Romanis altiora mœnibus, Capitolio illuſtriora,
Orthodoxæ fidei popugnacula, divinorum promptuaria Sacramentorum,
Pro Chriſto militantium caſtra, palæſtræ.
Horrent hic adeuntibus ſaxa, pallent cineres, rigent ſepulchra,
Ubi fides tripudiat, purpura cruore rubet, charitas rutilat, fervet.
Ingredere Hoſpes, quid cunctaris?
Ad Subterraneum Romæ Cælum tot ſydera, quot cadavera, quibus præfulget, invenies.
Quid loci incultam facibus rimando faciem ſtupes?
Nobilium cultorum, incolarum corpora, exuviæ hic iacent, quorum animi
virtute exculti, Cælum iam tenent,
Orbe, Cælo ſublimiores.
Si legis ex titulis, ex Monimentis legendo diſces,
Quanto cruore, quanta conſtantia antiquis pro fide temporibus dimicatum,
Quibus nil antiquius fide, nil charitate recentius;
Iſthic inter mortuos Chriſtiani olim degebant, vivebant, ne inter vivos degendo, vivendo,
Heu! Chriſto mori compellerentur.
Hinc ab altari vitam quotidie hauriebant, mox pro fide vitam cum ſanguine profuſuri.
Auguſta anguſta inter hæc locorum ſpatia ſpatiando,
Charitas, quæ cor dilatat, anguſtari, latere, premi haud potuit,
Ex antris vegetior in aream, in arenam proſiliens:
Subi amice Hoſpes,
Ne dedignere cavernas, dum luce orbatas vides, orbi tamen claras;
Tenebras Sole lucidiores hic ſolus videas.
Devoto igitur pede, corde, oculis, oſculis petito.
Fodinæ protinus (inquies) hæ ſunt, quas cerno, haud cavernæ ferro (ut mos eſt) perſcrutandæ.
Eſto: attamen ſi terræ intra viſcera aurum effodiendo requiris,
Aurea prorſus Subterraneæ Romæ viſcera comperies.
Una enim hæc pro luto aurum, gemmas pro lapidibus effodienti, perſcrutanti offert,
Aureos quippe homines, ferro inhumaniter hominum rimante viſcera,
Sua humaniter intra viſcera excepit, abſcondit, tutata eſt.
At aureos, quos accepit, ferreos, adamantinos ex antris ad certamen provexit,
Vinci ſe rata, cum non haberet quos vinceret,
In ſuis iugiter cædi, cedere vix unquam neſcia, conſuevit.
Audis, vides, quanti, vel in obſcurò, ſplendidiores Sole triumphi clarent.
Subterranea ergo Roma, quam perluſtras, illuſtri palmis Roma haud inferior
Inde enim merito palmam fert, quia conſpicuæ, cui ſubeſt, præeſt, dum ab imo caput attollit,
Mortuorumque exuviis apprime onuſta, adhuc inter tumulos, inter cineres vivit Deo.
Vis lector noſſe, quantum ſpeluncæ Urbis, ſeptenis collibus præcellant?
Vel paucis dicito,
Monumenta hic quot video, vagientis incunabula fidei, religionis monimenta,
Munimenta Chriſti, Chriſtianorum ſunt,
Verè Martyrum ſepulchris ſe pulchram Roma fatetur,
Cruore magis, quàm purpura rubens,
Fornices non Cæſarum, ſed Cæſorum exuviis nobiles,
Notas, ac titulos ferro, ac ſanguine claros, inſculptos oſtentat.
Tument adhuc lutei viventium pignoribus, vulneribus prædivites tumuli,
Titulorumque apices ultro cruore madidi, cultroque inciſi
Reciſa Martyrum membra palmis coronant,
Et menti vel crebra inter mortis funera, fœnera immortalitatis propinant.
Hoſpes ergo ſi pius
Dum lætus latentes in letho theſauros lynceus introſpicis,
Supplex loci ſanctitatem, quæ Urbi latens, Orbi iam patens eſt, venerare,
Et poſthac ſub luto aurum, Cælum ſub cœno
Sub Roma Romam quærito.

INDEX

I N D E X
RERUM MEMORABILIUM,
QUÆ PRIMO ROMÆ SUBTERRANEÆ
VOLVMINE CONTINENTVR.

In quo prior numerus paginam, alter vero columnæ numerum ſignat.

A

Yy bus

Con-

Ali[...]

F

G.

Gregorius

L.

Martyri[…]

O.

P.

Octavus

Rachael

R

S.

E

T

X

Z



I N-

INDEX CAPITUM

QUÆ PRIMO

ROMÆ SUBTERRANEÆ

Volumine continentur.

CAPITA LIBRI PRIMI.

CAPITA LIBRI SECUNDI.

CAPITA LIBRI TERTII.

FINIS

ROMA
SUBTERRANEA
NOVISSIMA.
TOMUS POSTERIOR.

ROMA SUBTERRANEA NOVISSIMA

IN QVA

POST ANTONIVM BOSIVM ANTESIGNANVM,
JO: SEVERANUM CONGREG. ORATORII PRESBYTERUM,

Et celebres alios Scriptores

ANTIQUA CHRISTIANORUM

Et præcipue Martyrum Cœmeteria,

TITULI, MONIMENTA, EPITAPHIA, INSCRIPTIONES,
AC NOBILIORA SANCTORUM SEPULCHRA

SEX LIBRIS DISTINCTA ILLUSTRANTUR

ET QUAMPLURIMÆ RES ECCLESIASTICÆ ICONIBUS GRAPHICE describuntur, ac multiplici tum sacra, tum profana eruditione declarantur.

OPERA ET STUDIO

PAULI ARINGHI ROMANI CONGREG. EJUSDEM PRESBYTERI

Cum duplici Indice, Capitum & Rerum locupletissimo.

TOMUS SECUNDUS.



Coloniæ & veneunt

LUTETIÆ PARISIORUM,

M D C LIX.

FERDINANDO III.
ROMANORUM IMPERATORI
AUGUSTO CÆSARI.

PAVLVS ARINGHVS CONGREG. ORATORII PRESB. SEMPITERNAM F.

SVbterranea Roma, quæ recolendos antiquorum triumphos Christianorum ostentat, & palmas in cæsis pro Christo Corporibus, ipsisque met lapidibus incisas, sua passim intra viscera perscrutantibus offert, quæ Martyrum exuviis, ac sanguine, toti terrarum orbi longe amplius, quam antiqua, Roma conspicua redditur, publicam nunc in lucem proditura, haud alteri, quam tibi, SACRA CÆS. MA-ESTAS, Augustissimo Romanorum Imperatori præcipuo jure debetur. Hæc quippe cum sub ...ntilibus quondam Principibus acriter impetita, jugiterque Martyrum cruore madida, Cru... dumtaxat vexillo fortis in acie, invictaque perstiterit, nunc è tenebris, quibus diu cum suis ...nsepulta pignoribus delituit, caput exserens, coronis ac palmis onusta ad Christianissimum ...nperatorem, ut antiquæ tributum Christianitatis, quam præsefert, quoquo modo persol...t, gratulabunda recurrit. Vniversum enim Orbem sui spectatorem habitura, Te quoque in...ectorem, ac suum quasi tutelarem genium ambitiosa præoptare videtur. Et quidem Roma, ...am offerimus, invictorum tot Christi pugilum, qui sub Romano olim Imperio floruere, & ...orum sacris adhuc lipsanis decoratur, adumbratas ad vivum imagines, ferroque insectan...m, incisorio, velut stylo exsculptas, contemplandas perquirentibus exhibet, ut profecto ...æ gentilium Cæsarum ditioni addicta, immanem tot cæsorum fidelium stragem perpessa, ...m acriores bellorum adversus religionem procellæ ingruerent, suo refertissimas sinu Chri...norum colonias excepit, religiosissimo item Imperatori debeatur. Iure enim aliquando, ...m ab Herodianis de persolvendo Cæsari tributo, illis Christus verbis compellatus fuisset: *...et censum dare Cæsari an non?* Cæsariani oblato sibi census numismate, & cujusnam illa esset ima...?, calumniatores interrogans: *Cujus est imago hæc, & superscriptio?* comperto quod Cæsaris: litem *Matth. c. 22.* ...tinus omnem dirimendo: *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Ita plane: ipsiusmet Christi *Matth. c. 22.* ...fultus oraculo in rem præsentem dixerim ego, & haud temere Opus hoc Cæsari reddendum ...e pronunciaverim. Quapropter Subterranea Roma, cum Romanæ antiquæ Christianitatis ...aginem, Romanique nominis ac Imperii inscriptum fronte titulum præferat, Romanorum ...ncipi, non quasi aliquid à Te alienum, sed sua uti res deferenda, offerenda est. Augusta ...m pietas tua, vel in hoc sacro absconditæ Vrbis theatro, innumeros plane Martyres, qui ...guine fidem stabilivere, Romanumque Imperium longe, lateque propagarunt, recolendo, ...batæ religionis primordia, ac istius Augustæ, quam gestas chlamydis, Regalisque purpu... quæ Martyrum cruore rutilat, ac nobilissimi demum diadematis decorem haud dubiis ar...mentis liquido conijciet.

...Roma igitur intestinis, externisque olim cladibus jam fere extincta, suis phœnicis instar ci...ibus, ac sepulchris reviviscens immortalitatis nomen obtinet ac purpureo interemptorum ...ore irrigata, Romanum in extremas usque orbis terrarum oras, una cum fide Imperium ex...dit: *Semen quippe est martyrum, sanguis* (ut ille antiquus ajebat) *& quoties metimur, plures efficimur.* *Tertullianus in apologetico cap. ult.* ...inimo sacrosanctum Christi nomen, & triumphale crucis vexillum, quo ille orbem subegit, ...ium videlicet, quod Constantino Magno ostensum, illisque consignatum notis: *In hoc signo* ...e victoriam præsignificavit, ac cæteris subinde Christianis Imperatoribus palmas præsa...e visum est, ipsismet Cœmeteriorum marmoribus insculptum, recolendum passim, adoran...nque objicitur. Enimvero Roma, quæ recondita licet, per se satis, superque patescit, cru...is incisa characteribus, perennes, quos retulit, triumphos contestatur, cum fides, quam ...velut orbis terrarum caput, ac magistra edocet, impugnari quidem (ut Chrysostomus as...t) haud tamen unquam expugnari potuerit. *A quammultis oppugnata est Ecclesia, nec unquam ta... victa? Quot tyranni? quot Duces? quot Imperatores? Augustus, Claudius, Nero oppugnarunt, nunc silen... traditi oblivioni, illa vero oppugnata cælum transcendit.* *Chrysost. hom. 4. in verb. Isaiæ. c. 6.*

...Iam tum profecto Christi gloria, & Christianorum fides inter gladios, inter cineres, inter

 tumu-

tumulos ſepulchraleſque titulos apprime viget, & vel ex ipſis Cœmeteriorum latebris Rom
ſole clarior emergens, ad boreales uſque regiones unà cum Imperio fines protendens iis
qui Catholicam fidem labefactare, atque convellere conantur, Auguſtini hos perduelle
Auguſt. ep. 42 ad Madaurenſes. acriter perſtringentis verba intonare videtur: *Videtis ſeculi poteſtates victas & domitas non à repugnan
tibus, ſed à morientibus Chriſtianis, & contra eadem ſimulacra, pro quibus Chriſtianos occidebant, impetus ſu
legeſque vertiſſe, & Imperii meritiſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulchrum Piſcatoris Petri ſubmiſſo diadem
te ſupplicare.* Namque ut cæteros taceamus, Conſtantini Auguſtiſſimi Principis (cujus T
locum tenes) qui Romanam ſceptro fidem ſtabilivit; Conſtantini inquam, Roma iſta è ten
bris eruta felicitatem contemplantibus ingerit: *Univerſum Orbem Romanum* (Auguſtinus inqui
Auguſt. lib. 5. de Civit. Dei cap. 26. Euſebius lib. 9. Hiſt. cap. 9. *unus Auguſtus tenuit, & defendit, in adminiſtrandis, & gerendis bellis victorioſiſſimus fuit, in tyrannis op
mendis per omnia proſperatus eſt.* Ita prorſus ſacer Martyrum cruor, quo primum Roma dedica
eſt, Chriſtianis tum victoriæ palmam, tum pacis tranquillitatem Imperatoribus peperit,
regna iſthæc, quæ Tu meritiſſime obtines, tuis Auguſtis feliciter ſceptris devovit.

Quanta verò Chriſtianis olim animo alacritate pro tui Rom. Imperii ſalute, ac proſperit
te, ſubterraneis hiſce ex antris proſilientes, in arenam Roma produxit, qui etſi gentilib
exoſi jugiter haberentur, pro publica tamen re, ac Imperatore, armis æque ac precibus ſtr
nue dimicarunt: *Chriſtianus quipp.* (ut Tertullianus inquit) *nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, qu
Tertull. Apol. cap. 35. *ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, ut ipſum diligat, & revereatur, & honoret, & ſalvum velit cum toto Ro
mano Imperio.* Haud ſemel enim, ut hoc ſubjiciam, veſtrum Romanum Imperium Chriſtian
apud Deum propugnatores habere promeruit, & in Marcomannico præſertim bello, Marc
Aurelio imperante Chriſtiani milites, & eorumdem, quæ Fulminatrix appellabatur legio
deſperatis jam rebus, Crucis dumtaxat ſigno clypeis infixo, cum totus Romanorum exerciti
ſiti deficeret, pluviam è cælo, & victoriam pariter contra hoſtes obtinuit, ut idem Tertulli
nus his verbis ediſſerit: *Si litteræ Marci Aurelii graviſſimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germa
Tertull. Apol. cap. 4. *cam ſitim, Chriſtianorum forte militum precationibus impetrato imbre diſcuſſam conteſtatur.* Ad Subterrane
igitur Romæ ſinus perfugiendum eſt, in quibus Chriſtianorum cœtus coibant, ubi juges pr
dimicantibus, & pro toto Rom. Imp. veſtro, Deo precationes offerebantur, huc pia inqua
mente, velut ad ſacrum aſylum eſt perfugiendum, cum ex Cœmeteriis quorum contemplat
dæ icones exhibentur, velut ex nobili orthodoxæ religionis cimeliarcho, validiſſima adverſ
Chriſtiani nominis deſertores tela ſuppeditari contingat. Verum Tibi, qui in promovend
fidei cultu, non ſecus ac orbis Chriſtiani Atlas, jugi labore contendis alteram hujus Subte
raneæ Romæ partem, quæ à Latina potiſſimum Via ſortitur initium, Latinarum gentium In
peratori nuncupamus. Præclariſſimis enim Cyriacæ Romanæ matronæ, & Divæ Agnetis R
manarum nobiliſſimæ Cœmeteriis, præcipuiſque ibidem Conſtantinianæ munificentiæ tit
lis illuſtratur. Prætereo, quod plurima tum ſacræ tum profanæ antiquitatis monimenta, ex
miaque Imperatorum Conſtantini Magni, Arcadii, & Majorani, qui triumphali Crucis vex
lo publicæ ſalutem ac ſoſpitatem rei peperere, victriceſque coronas promeruere, numiſma
exhibet contemplanda.

Accipe igitur SACRA CÆS. MAIESTAS, haud obſcurum vel in obſcuro Subterraneæ Rom
proſpectu, nec indignum Tua Majeſtate Opus, & ſub Crucis vexillo, venerandoque Chri
nomine, ac frequenti palmarum ſymbolo, quo ſepulchrales hæ ſacræ paginæ decorantur, im
mortales Tibi ex hoſtibus palmas divino velut ex oraculo portendito, dum nos interim Deu
Romanorum cap. 16. n. 20. Opt Max. ut *Satanam conterat ſub pedibus tuis:* pacatumque ad ſui nominis gloriam Imperium
perennem denique felicitatem deprecamur. Vive diu felix, & felicior in terris Romani Im
perii rector, quam maturior cælitum comes.

IN

INDEX CAPITUM,

Quæ Secundo Romæ Subterraneæ Volumine continentur.

CAPITA LIBRI QVARTI.

CAPITA LIBRI QUINTI.

IX. *De*

CAPITA LIBRI SEXTI.

RO-

ROMA SUBTERRANEA

SIVE

DE SACRIS ROMÆ COEMETERIIS

TOMUS II. LIBER QUARTUS.

HActenus percurrendis Romæ suburbiis, quæ longo circuitu protenduntur, ac recolendis, quæ ibi existunt, Cœmeteriis, monumentisque sacris pariter ac profanis perlustrandis intenti, à Triumphali Porta ad Aureliam, & Portuensem, inde ad Ostiensem progressi, singulas præcipuarum Viarum semitas curiosius perscrutando, demum inter Appiam, Ardeatinamque viam diu substitimus, usque dum itineris pensum dimidia jam ex parte confecimus, necnon primum Subterraneæ Romæ volumen quot viis, quot passibus quot Cœmeteriis: tot gemmis, tot monilibus, tot trophæis insigne, totidemque triumphis nobile, Deo favente, absolvimus. Sed en tibi susceptum prosequentibus iter haud casu dixerim, sed peculiari ipsius Dei nutu Latina præ cæteris Porta ac Via nobis primum occurrit, quæ tot, tantisque tum profanarum monumentis antiquitatum, tum pretiosis martyrum, ac martyriorum thesauris referta est, ut jure optimo & omnibus admirationem pariat, & condignam prætereuntium animis pro rerum dignitate, quas intra ambitum continet, venerationem ingerat. Quis enim nesciat, dum sacram probe antiquitatem calleat, quod & à nobis suo prolixius loco enarrabitur, Viam hanc cæteris, quæ ad nostræ Urbis mœnia diriguntur, nobilitate nullatenus imparem præclarissimo B. Joannis Apostoli martyrio apprime illustratam, Tertulliano, inquam, Hieronymo, ac Eusebio locupletissimis memorandæ hujus rei testibus. Et quidem quod ad Tertullianum spectat, ejus verba, veluti præclara gemmarum serta, nostris hisce paginis in Joannis præconium inserere voluimus: Habes Romam, inquit, unde nobis quoque auctoritas præsto est, statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni dominicæ adæquatur: ubi Paulus Ioannis exitu coronatur: ubi Apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit.] hæc ille. Verum ut paucis rem perstringamus, Via hæc præ cæteris & Urbi & Orbi adeo innotuit, & Beatissimi Apostoli, & Euangelistæ triumpho tam celebris facta est: ut sicut virtutibus & signis Ioannes & Petrus socii fuerunt, ita in Urbe Roma (Prochoro teste) sui triumphi memoriam haberent: & sicut triumphalis (inquit ille) insignis habita est cruce Petri, sic & Latina Porta Ioannis dolio insignis, & memorabilis jugiter haberetur.] Interim ne miscere (uti proverbium est) sacra profanis videamur, de singulis, quæ tum ad sacram, tum ad profanam antiquitatem pertinent, suo speciatim loco acturi, lutum ab auro, & pretiosum à vili (quod divina monent eloquia) separantes, hic ea primum, quæ ad rerum externarum notitiam spectant, præmittamus.

Tertull lib. de præscrip. c.36. Hier. lib.1. contr. Iovin.an. & cap.20. in Matth. Euseb. lib. de demonstrat. Euangel.l.3 c.7.

Prochorus cap. 11. in Biblioth. Patrum.

CAPUT. I.

De Porta ac Via Latina, necnon de profanis earumdem monimentis.

1 INter Capenam, ac Cælimontanam Portam Latina Cæliolo in colle porta sita est, quæ antiquis, ut quidam asserunt, temporibus Ferentina dicebatur; quo plane titulo à Plutarcho in ipsius Romuli gestis prænotatur, & forte à Ferento oppido, quod Latina Via à Strabone reponitur, hujuscemodi nuncupationem sortita est, quæ quidem Via ab hac utique porta initium desumit. Verum quia Aqua & lucus, vel silva item Ferentina, hanc extra portam ad XII. lapidem extitit (& nunc vulgo Mannum vocant) locus videlicet post Albæ excidium, Latinæ gentis concilio destinatus. Inde ab hoc potius loco, qui proxime adjacet, portam eo dirigentem, quam à Ferentino Hernicorum oppido, appel-

Ferentum. Via Latina.

appellatam fuisse arbitramur; quod quidem oppidum quadraginta octo passuum millibus ab Urbe distat. Sed profecto frustra laborant, qui ex corrupto Plutarchi loco Ferentinam portam, & ab ipso Romuli tempore nobis effingunt, cum Urbem Romulus tres dumtaxat portas exhibentem jam primum constituerit, ac postmodum reliquerit, vel certe, ut fides pluribus adhibeatur, quatuor in ea, teste Plinio lib. 3. adnumerari contigerit, hoc est, Mugoniam, Romulam, Carmentalem, & Pandanam; de quibus P. Alexander Donatus lib. 1. c. 4. satis erudite disserit. Inter quas Ferentinam portam hoc nomine prorsus ignotam frustra perquirendo deprehendes. Plutarchum autem loco hactenus citato haud de Urbis porta, sed de Ferentina Aqua, seu silva locutum jampridem fuisse doctissimus Geographus Phil. Cluverius in Ital. antiq. libris asseruit, qui pro voce Græca πύλης legit πηγῆς, sed ex pluribus locis Dionysii, & Livii ibidem à Cluverio recitatis proculdubio apparet, una dempta litera legendum esse ὕλης, ut de silva, aut Ferentino luco intelligatur, de quo jam diximus.

Plin. l. 3 c. 5. *Alex. Don. l. 1. c. 4.* *Phil. Cluver. Ital. antiq. l. 2. cap. 10. pag. 721. Dion. Alex. Tit. Liv.*

Etymologia Latii.

2 Porro Latinam idcirco viam hanc nuncupatam fuisse asserunt, quia eandem terendo in Latium itur. Cujus plane nominis etymologia, communi omnium voce à latendo desumitur; eo quod Saturnus ibidem, ut Poëtæ suo de more fabulantur, aut somniant, à Jove profugus quondam latuerit. Quamobrem Ovidius in Fastis hæc cecinit:

Ovid. Fast. lib. 1.

Dicta quoque est Latium terra latente Deo.

Et Virgilius Æneid. 8. carminibus idem expressit:

Æneid. l. 8.

——— *Latiumque vocari*
Maluit: his quoniam latuisset tutus in oris.

Quamvis Varro hac potissimum ratione Latium appellatum fuisse asserat, quod nimirum Italia inter Alpium montes, atque Apenninos quodammodo lateat. Latinæ autem viæ ac nominis pariter origo, quam in medium protulimus, nobis quidem haud satis probanda videtur. Nam & cæteræ Urbis portæ, quæ ortum, meridiemque respiciunt, Nævia videlicet, Capena, ac Trigemina in Latium deducunt; cur ergo non & ipsæ Latinæ pariter nuncupandæ sunt? Verum eamdem hoc potius nomine appellatam fuisse putamus, quia ad Albam, Albanumque montem dirigebatur, in quo Latinæ olim feriæ ex insolito gentilium more celebrabantur, & juxta quem conventus, Latinæque gentis concilia peragebantur. Verum viam hanc hisce plane verbis Strabo describit: *Præclarissimæ sunt*, inquit, *Viæ Appia, Latina, Valeria: una quidem ad mare, Latinæ partes separans, usque Sinuessam protenditur: altera in Sabinis usque ad Marsos. Inter has media Latina est, quæ ad Casinum*, vel, ut Cluverius emendat, *Casilinum oppidum conjungitur Appiis, ab Capua undeviginti distans stadiis.*

Via Latina. *Strabo l. 5.*

3 Hac item olim Via celebre ac conspicuum muliebris Fortunæ Templum extitit, ubi Coriolanus, dum à matre enixe rogatus esset, ante ejusdem Fortunæ simulachrum à concepta Romanorum cæde substitit. Eadem quoque Via Phyllidis Domitiani Augusti nutricis villa extitit, de qua in ejusdem Domitiani gestis isthæc Suetonius: *Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum, Phyllix nutrix in suburbano suo Latina Via funeravit: sed reliquias Templo Flaviæ gentis clam intulit, cineribusque Juliæ filiæ Titi, quam ex ipsa educaverat, commiscuit.* Porro celeberrima hæc inter alias via recensenda est, ob crebra nimirum ethnicorum monumenta, quæ in ea passim, Juvenale teste, adnumerabantur, his quidem carminibus:

Templum Fortunæ muliebris. Simulachrum Fortunæ ejusdem. Villa Phyllidis. *Suet. in Dom.*

Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

Sepulchra gentilium Via Latina. *Juv. Juv.*

Et Satyr. 5. cum ejusdem viæ mentionem facit:

Idem sat.

Clivosæ veheris dum per monumenta Latinæ.

Prudentius quoque Christianus inter Poëtas, Latinæ viæ splendorem antiquitati conjunctum ex frequenti sepulchrorum numero celebrandum libro contra Symmachum de Victim. Ditis, hunc in modum cecinit:

Pruden. contr. Symmach. l.

Ipsa Patrum monumenta probant, DIs Manibus illic
Marmora secta lego, quæcunque Latina vetustos
Custodit cineres, &c.

Ausonius quoque poëtarum laudatissimus Epigrammate trigesimo octavo, Epitaphium hoc, quod cuidam sepulchro eadem olim Via inscriptum legebatur, hunc in modum recitat:

Non nomen, non quo genitus, non unde, quid egi,
Mutus in æternum sum, cinis, ossa nihil.
Non sum, nec fueram, genitus tamen è nihilo sum.
Mitte, nec exprobres singula, talis eris.

Auson. gr. 38. Epitaphiorum.

Vides, quam præclare gentilis homo, cujus animo nullum Christianæ fidei lumen affulserat, ac rerum futurarum spes nulla prorsus insederat, attamen de brevi hujus vitæ termino, de vili hominis origine & conditione, ac demum de contemptibili rerum humanarum ambitu, tam alte, concinne, sapienterque Christiani adinstar Philosophi disputans, vel ipsos Christianos inter hæc futilia rerum commenta delirantes redarguat. Verum sublimiori Christianæ philosophiæ, atque humilitatis sectandæ studio incensus Eminentissimus Antonius Barberinus, vulgo Cardinalis S. Onuphrii nuncupatus, Capuccinorum Ordinis S. Francisci, & Urbani VIII. Pont. Max. germanus frater, miserandam, deplorandamque humanæ vitæ conditionem jugiter ob oculos habens, vir de universa Christianorum Republica optime meritus, in Ecclesia sub Deiparæ Virginis Conceptæ titulo ab se à fundamentis erecta ad Cœnobium, quod Capuccinorum pariter familiæ ille construxerat, cum superioribus annis Congregationem de Propaganda fide hæredem sibi ex testamento nuncupasset, hæc nobilis instar tituli, sui suppresso nomine condigno plane Christianæ humilitatis exemplo Purpuram ipsam, qua vivens exornabatur, post mortem illustraturus, bonorum operum, ac virtutum meritis clarus è vita decedens, suo incidi sepulchro mandavit:

Antonius Barberinus Cardinalis S. Onuphrii laudatus.

HIC
IACET
PULVIS,
CINIS,
ET
NIHIL.

Epitaphium Card. Antonii Barberini Capuccini.

Quæ in viri purpurati hujus, & Christiana humilitate magis, quam purpura conspicui memoriam ex occasione antiqui sepulchralis tituli à gentili poëta exscripti hic obiter referre voluimus: sed jam ad Latinam Viam, unde digressi paululum sumus, revertamur. Quod ad antiquam insuper Latinæ Viæ, cui modo insistimus, memoriam attinet, ne quid studiosum lectorem prætereat, apud Wolfangum quoque Latium binæ ejusdem Viæ inscriptiones, & hæ quidem vetustissimæ his verbis conceptæ adnumerantur, quas ultro hæ nostræ lectori paginæ contemplandas exhibent:

Inscriptiones Via Latina extantes.

Neapoli.

Neapoli.

SEMPRONIUS TUCIDANUS
TESTAMENT.
JURE MU. QUOD IPSE FACIO. L. L.
ABSENS OB POENUM ITALIA
PULSUM. FUNDI BALEARES
SENATUI P. Q. R.
D. D. AURELIUS
TUCIDANUS
TACITAM PECUNIAM SI VIA LATINA
OSSIBUS MEIS RE. MONUMENTUM
SUO SUMPTU ÆDIFICARIT,
HABETO.

In Lusitania.

EGO GALLUS FAVONIUS JOCUNDUS
PUBLII FAVONII FILIUS,
QUI BELLO CONTRA VIRIATHUM
OCCUBUI, JOCUNDUM ET PRUDENTEM
FILIOS E ME ET QUINTA FABIA
CONJUGE MEA ORTOS HÆREDES
RELINQUO, ET BONORUM
JOCUNDI PATRIS MEI, ET EORUM
QUÆ IPSE MIHI ACQUISIVI,
HAC TAMEN CONDITIONE, UT
AB URBE ROMA HUC VENIANT,
ET OSSA HINC MEA INTER
QUINQUENNIUM EXPORTENT;
ET VIA LATINA CONDANT
IN SEPULCHRO MARMOREO JUSSU
MEO CONDITO.

Onuphrius item in Roma, quam edidit, inſcriptionem hanc refert, in qua Lucii Annii, Latinæ hujus Viæ curatoris, mentio incurrit, videlicet:

L. ANNIO FABIANO III.
VIRO CAPITALI TRIB. LEG. II.
AUG. QUÆST. URBAN. TR. PLEBIS,
PRÆTORI, CURATORI
VIÆ LATINÆ LEG. LEG. X.
FRETENSIS LEG. AUG. PROPR.
PRO VINC. DAC. COL. ULP.
TRAJANA ZARMAT.

Et hæc interim de profanis Latinæ Viæ monumentis lectori indicaſſe ſatis ſit, in qua complures olim ædiculæ, Gentilium ſtudio ac opera extructæ, extabant; ibique ollæ, ac vaſa cineraria, necnon ſepulchra haud numero pauca titulis, inſcriptionibuſque ex more prænotata cernebantur; quarum adhuc veſtigia intuentium oculis contemplanda objiciuntur. Verum ut ſuſceptæ à nobis enarrationis propoſito inſiſtamus, à profanis antiquæ Romæ monimentis pedem contrahentes, ad ſacra jam & recolenda ejuſdem Viæ Cœmeteria properemus.

CAP. II.

De Aproniani Cœmeterio.

1 QUis nam Apronianus iſte fuerit, celebris utique famæ vir, cujus perhonorifica hic mentio incurrit, & à quo Cœmeterium iſtud de quo nunc agimus, nomen accepit, haud certum uſque adhuc nobis eſt: Etſi enim in B. Marcelli, ſeu Marcellini Papæ Actis mentio S. Aproniani Commentarienſis Martyris fit, hic tamen Via Salaria conditus fuit, & martyrium longe poſt hujus Cœmeterii conſtructionem ſubjit. De quo item in Romano Martyrologio ſolemnis memoria die 2. menſis Febr. agitur his plane verbis: *Romæ Via Salaria paſſio S. Aproniani Commentarienſis, &c.* & ut Baronius in ſuis notis ſubtexit, de eodem frequenter ſacri ſcriptores meminêre: *De eodem hic Beda, Uſuardus, Ado, & alii, habentur ejus res adnexæ actis S. Marcellini Papæ, quæ ſub nomine S. Marcelli recitat Sur. tom. 1. Commentarienſis hic fuiſſe dicitur. Erat Commentarienſis carcerum cuſtos, qui in Commentariolo conjectos in carcerem ſcribere ſolitus erat, de quo ordine tam militiæ Palatinæ, quam Caſtrenſis vide, quæ inferius notata habentur die 27. Maji.* hæc Baronius de Aproniano Commentarienſi, qui longe alius ab eo extitit, cujus nomine Cœmeterium hoc illuſtratur. Quapropter à viro aliquo ejuſdem nominis Cœmeterium hoc præmemorati derivationem tituli ſumpſiſſe aſſerendum eſt.

(Margin: Commentarienſis munus qua-le olim diceretur?)

2 Porro, ſi rem altius perſcrutari quis velit, plures quidem Aprononianos apud ethnicos quondam hiſtoricos legimus, unum autem ex his inter cæteros præcipuum, Dionis Caſſii parentem, qui Ciliciæ Præfecturam geſſit. Alterum verò, qui Urbis Præfectus ſub Juliano Apoſtata extitit, cujus frequenter Ammianus Marcellinus meminit. In faſtis quoque Conſularibus, & in antiquis pariter inſcriptionibus hoc Aproniani nomen paſſim reperitur: verum enimvero quiſquis ille eſt, dum ſanæ mentis ac probi judicii ſit, abſurdum nimis, & à recto rationis ac veritatis tramite alienum pronunciaverit, ſi horum cuiquam, infenſis alioqui nominis Chriſtiani hoſtibus, ejuſmodi Cœmeterii condigna inſtitutio ac denominatio pariter adſcribatur: abſit enim, ut qui Chriſtianorum jugiter carnificinam exercebant, Chriſtianis Cœmeteria ædificando, eorumdem ſepulturæ, ac obſequio deſervirent, quorum potius corpora contumelioſe proiici, ac ignominiæ cauſſa paſſim ubique inſepulta jacere præoptabant.

(Margin: Apronianus Ciliciæ Præfectus. Apronianus Urbis Præfectus. Ammian. Marc. l. 23. & 26.)

3 Id unum igitur ſacris è Martyrologiis, atque ex conſcriptis Martyrum Actis ſtudioſo lectori noſſe ſat erit, celebre videlicet Cœmeterium, de quo nunc agimus, Latina Via ſitum fuiſſe. In Martyrologio enim Romano hæc habes: *Romæ in Cœmeterio Aproniani S. Eugeniæ Virginis, quæ tempore Gallieni Imperatoris poſt plurima virtutum inſignia, poſt ſacros virginum choros Chriſto aggregatos, ſub Nicetio Præfecto diu agonizans, noviſſime gladio jugulata eſt.* In M. SS. vero ejuſdem Actis Cod. S. Petri: S. Mariæ ad Martyres, & S. Cæciliæ locus etiam his verbis deſignatur: *Ipſa autem die natalis Domini miſſus eſt ſpiculator, qui illam,* ſcilicet Eugeniam, *in cuſtodia poſitam percuteret. Tunc ſublatum corpus ejus à matre, poſitum eſt non longe ab Urbe in Via, quæ appellatur Latina.* Id ipſum teſtatur Ado, qui & ejuſdem Cœmeterii locum, in prædio nimirum ejuſdem B. Eugeniæ, hæc dicens veluti digito demonſtrat: *Et ſublatum eſt corpus ab affinibus ejus Chriſtianis, & poſitum non longe ab Urbe in Via, quæ Latina appellatur, in prædio ejus proprio, ubi multorum ipſa ſepelierat membra.* Quod pariter Vinc. Belluac. lib. 12. ad rei noſtræ propoſitum aſſerit. Claudiam inſuper ejus matrem ſepulchrum eidem hac Via Latina conſtruxiſſe in M. S. quodam Cod. S. Petri his plane verbis legitur: *Audiens hoc mater ejus Claudia, venit ad carcerem, & ſublatum corpus ejus poſuit non longe ab Urbe, in Via, quæ Latina appellatur, cum hymnis & laudibus, & cum honore magno ejus ſepulchrum conſtruxit.* In quibus etiam portentum quoddam admiratione dignum ſubtexitur, videlicet Claudiæ ad idem ſepulchrum enixius oranti ſanctiſſimam virginem Eugeniam ejus filiam videndam ſe obtuliſſe, & ab eadem de obitu, qui proxime illi imminebat, geni-

(Margin: S. Eugenia. Mart. Rom. 25 Decemb. Acta M. S. Cod. S. Petri S. Mariæ ad Mart. S. Cæciliæ. Mart. Ado 25 Decemb. Vinc. Bell. l. 12. c. 77. pag. 2. M. S. Cod. S. Petr. S. Claudia. Claudia ab Eugenia filia de morte ſua fit certior.)

genitricem subinde certiorem redditam fuisse. Postquam autem, ut sibi prænunciatum fuerat, decessit, ipsa pariter piissimorum Sergii, & Aviti filiorum manibus ibidem condita est. Sic enim legendum eadem acta exhibent: *Mater verò ejus Claudia cum ad ejus sepulchrum fleret, apparuit ei Eugenia vigilanti, & dixit ei: Gaude & lætare mater Claudia, quia & me introduxit Christus in exultatione sanctorum, & patrem meum in Patriarcharum gaudium: sed te ipsam dominica veniente die in refrigerium suscipiet sempiternum. Commenda ergo filiis tuis fratribus meis, ut custodiant signaculum crucis, per quod mereantur effici nostri participes. Factum est autem, ut veniens ad domum Claudia, instrueret filios suos juxta id quod monita fuerat. Die autem dominica mysteriis celebratis, in oratione posita emisit spiritum; quam Avitus & Sergius juxta sororem suam sepelientes, ita in timore Dei perfecti esse cœperunt, ut multorum ad se converterent animas paganorum.* Porro Sergium quoque, & Avitum hoc eodem Cœmeterio tumulatos fuisse Petrus de Natalibus in Catal. his verbis refert: *Qui* (Avitus nimirum, & Sergius) *& post multum temporis, multis paganorum conversis, quieverunt in Domino; sepulti & ipsi à fidelibus juxta matrem & germanam.* Videas ex hoc vel ipsos sanctos viros suorum post mortem gaudere consortio, & ipsius sepulchri participatione lætari, ut quibus viventes fide communicaverant, iisdem vel mortui sepulchri societate copularentur. Ex allatis item apertissime constat, Cœmeterium, de quo hactenus, Via quidem Latina haud longe ab Urbe, in prædio quodam ejusdem B. Eugeniæ, à qua initium desumpsit, extitisse. Condidit enim piissima virgo ibidem sua manu quamplures Christi Martyres, & demum ipsa in exhibiti præmium obsequii, una cum matre, ac fratribus eodem loco perhonorifice condita requievit.

Cod. S. Petr. D. S. Mar. ad Mart. S. Cæcil.

SS. Avitus, & Sergius.

Petr. de Nat. in Catal. l. 2. c. 3.

4 Verum supra hoc Cœmeterium interlapsu temporis Ecclesia in ejusdem B. Eugeniæ honorem erecta fuit: cujus ad hanc diem nullum prorsus vestigium extat. Eandem tamen vetustissimam fuisse Bibliothecarius in Ioannis Papæ Septimi gestis testatur; qui Pontifex anno Dominicæ salutis septingentesimo quinto Ecclesiam rexit: ab ipso enim præ longa temporum serie, & nimia vetustate collabentem, instauratam fuisse auctor præmemoratus in hunc plane modum scribit: *Hic restauravit basilicam S. Eugeniæ, quæ longo tempore detecta, ac diruta fuerat.* Id ipsum quoque in Vita Hadriani Papæ Primi asserit, qui non eandem duntaxat instauravit, sed monasterium ibidem extruxit, eodem, qui supra, teste his verbis: *Immo & basilicam S. Eugeniæ tam intus, quam foris instauravit.* Et paulo infra isthæc addit: *Porro & in basilica B. Eugeniæ, quam jamdudum ejus renovaverat Almitas, solerti in ea gerens eura, monasterium puellarum noviter ibidem à fundamentis ædificans, constituit, ut jugiter illic Deo canerent laudes, videlicet hora prima, tertia, sexta, nona, vespera, matutina, in qua & plura obtulit dona, &c.* Ipsemet vero in B. Leonis Papæ Tertii gestis, in eadem Ecclesia ab ipsomet sanctissimo Pontifice munificentissimis muneribus exornata, corpus B. Eugeniæ virginis tumulatum extitisse affirmat; quod postea unà cum sacris B. Claudiæ ejusdem matris pignoribus à Stephano Papa Sexto, qui item Quintus nuncupatus est, in Urbem translatum, ad SS. Apostolorum Ecclesiam perhonorifice conditum fuit, ut in M. S. Cod. ejusdem Ecclesiæ videre est, sermone habito in ipsomet natalitio SS. Apostolorum Philippi, & Iacobi ibidem pariter depositorum, die. Quod autem S. Eugeniæ Ecclesia, & monasterium, quod juxta eandem ab Hadriano extructum est, Via olim Latina situm fuerit, ex eodem Bibliothecario in memoratis B. Leonis Papæ Tertii gestis satis aperte convincitur, dum isthæc ibi enarrat: *In monasterio sanctæ Eugeniæ, quod ponitur foris portam Latinam, pari modo fecit canistrum argenteum pens. lib. quinque, &c.* Et hæc sunt, quæ de Aproniani Cœmeterio, quod Latina Via situm est, ex antiquis scriptoribus, & sacrarum rerum monimentis excerpta studioso lectori prælibare voluimus.

Ecclesia. S. Eugeniæ.

Bibl. in Io. P. P. 7.

Monasterium S. Eugeniæ Via Latina.

Translatio corporum SS. Eugeniæ, & Claudiæ.

Bibl. in S. Leo. PP. 3.

CAP. III.

De Gordiani, vel certe beatorum Gordiani & Epimachi Cœmeterio.

UT Gordianum hoc, quod & SS. Gordiani & Epimachi titulo inscribitur, luce ab antiquis scriptoribus mutuata, perscrutemur, primo quidem se nobis præ cæteris offert Petrus Manlius, qui in Cœmeteriorum Urbis catalogo à se olim descripto antiqui hujus Cœmeterii his plane verbis meminit: *Cœmeterium Gordianum foris Portam Latinam.* Ex quo nonnulla Çencii Camerarii exemplaria corrigenda videntur, ubi Gordiani loco, una duntaxat littera immutata, Cordianum & Concordianum legitur. Cœmeterium hoc igitur, quod Via Latina primo ab Urbe lapide situm est, Gordianum à celeberrimo Christi Martyre Gordiano nuncupatur: ut unus præ cæteris Ado in suo Martyrologio, sub die decima Maji, satis aperte innuisse videtur, hæc dicens: *Romæ Via Latina in Cœmeterio ejusdem natalis S. Gordiani, &c.* Hic autem sanctissimus vir nobili martyrio sub impio Iuliano Apostata coronatus, pia Christianorum manu tumulandus in hoc Cœmeterium delatus est; ubi antea S. Epimachi corpus honorifice conditum fuerat: quod eundem apud Adonem, & in M.S. ipsius B. Gordiani Actis, Codd. Lat. Vat. S. Petr. S. Cæcil. & Val. hac prorsus ratione describitur: *Tunc unus ex familia ejus cum aliis Christianis nocturno silentio venerunt, & rapuerunt venerandum corpus S. Martyris Gordiani, & venientes in Via, quæ Latina nuncupatur, non longe ab Urbe Roma milliario plus minus uno, illic posuerunt eum in crypta sexto Idus Maji, ubi jampridem sanctum Epimachum sepelierunt, &c.*

Petr. Manl.

Cencius Cam. in dic. S. Gordianus.

Ado in Mart. die 10. Maji.

M. S. Cod. Lat. Vat. 8. 9. S. Petr. B. E. Vall. 7. S. Cæcil.

2 Porro Epimachus iste (cujus hic mentio incurrit) Alexandriæ quondam gloriosum pro Christi fide martyrium consummaverat: & sacrum subinde ejus corpus primum quidem juxta Græcorum Menologium die XI. mensis Martii Constantinopolim condigno honore translatum fuit: quo autem potissimum tempore, & qua rerum opportunitate dignissimi martyris pignora Romam deferri contigerit, haud satis ex antiquis scriptorum paginis exploratum habetur: hoc unum interim ex verbis illis apud recolenda S. Gordiani Acta paulo ante recensitis (*ubi scilicet jampridem sanctum Epimachum sepelierunt*) venerandum beati ejusdem Martyris corpus longe ante B. Gordiani martyrium in hoc Cœmeterio extitisse convincitur. Idem enim vocabulum, *jampridem* scilicet, Ado loco supra citato usurpat; quamvis in Martyrologio Romano vocabuli ejusdem vice, *Paulo ante* inscriptum legatur; quo item loco veluti quid omnino certum, ac indubitatum

S. Epimachus

Menolog. Græc. die 11 Mart.

Translatio corporis S. Epimachi.

e

tum legentibus insinuari videtur, B. nempe Martyris Epimachi corpus haud Constantinopolitana ex Urbe, sed ex Alexandria, ubi pro Christo gladio cædente trucidatus fuerat, in Urbem tandem delatum fuisse. Hæc enim ibi nobilis instar monimenti verba leguntur VI. Id. Maji: *Romæ in Via Latina natalis SS. Martyrum Gordiani & Epimachi, quorum prior pro confessione fidei tempore Iuliani Apostatæ diu plumbatis cæsus, ad ultimum capite truncatus, noctu à Christianis sepultus fuit eadem Via, in crypta, in quam beati Epimachi Martyris reliquiæ paulo ante translatæ fuerant ab Alexandria, ubi ille pro Christi fide martyrium compleverat.* Ni forte, ut difficultatis nodus, qui occurrit, facili via, ac brevi manu à nobis utcumque solvatur, beatissimi ejusdem Martyris corpus, vel Constantinopoli Alexandriam, & subinde Romam relatum fuisse afferamus, vel certe in ipsamet translatione, quæ Constantinopolitanam ad Urbem præstita est, sacra martyris pignora majori quidem ex parte Alexandriæ piorum recolenda obsequio relicta fuerint, & hæc demum Christianis inde transmeantibus honorifice, ut par erat, tumulanda in Urbem advenerint. Quidquid autem illud sit, id unum certissime constat, sacrum videlicet beati Epimachi corpus, vel ejus saltem reliquias in hoc Latinæ Viæ Cœmeterio reconditas fuisse, ibidemque revolutis deinde temporum circulis, juxta easdem beati Epimachi reliquias beatum quoque Gordianum depositum fuisse: quapropter ipsamet die decima Maji condigna utrorumque in Martyrologio Romano memoria recurrit: & in utrorumque pariter honorem Ecclesia ibidem erecta olim fuit, quam & ab Hadriano Pontifice hujus nominis Primo instauratam fuisse Bibliothecarius tradit: ex cujus item verbis, quæ suo infra loco in medium à nobis proferentur, satis utique evidenter nosse quis potest, ex hac eadem Ecclesia ad Cœmeteria, quæ paulo infra describentur, aditum patuisse.

3 Porro id nobis fateri opus est, ac studiosum rei antiquariæ lectorem præmonere, Cœmeterii, quod Gordiani dicitur, nullam prorsus ex quovis antiquorum scriptorum fonte notitiam hactenus hauriri potuisse: quod quidem inde contingere potuit, quod quamplurimis in eodem Cœmeterio reconditis beatorum Martyrum corporibus, multiplicia & ipsummet Cœmeterium ab iisdem nomina sortitum fuerit. Verum cum idem primo ab Urbe lapide situm describatur, ut nobis ultro conjicere licet, hic ipsemet locus est, in quo B. Stephanus Papa Primus SS. Martyrum Sempronii, Olympii, Exuperii, & Theoduli corpora, primi ab Urbe lapidis intervallo recondidit; ut in ejusdem M. S. beati Pontificis Actis Vat. S. Petr. S. Cæciliæ, & Vallic. his verbis exponitur: *Eadem nempe nocte adveniens S. Stephanus Episcopus cum clericis, & religiosis viris, hymnis ex more redditis, eorum corpora, hoc est, sanctorum Sempronii & sociorum, abstulerunt, & sepelierunt juxta Viam Latinam milliario primo, sub die septimo Kalend. Augustarum, Valeriano, & Gallieno Secundo.* Et quidem rem hanc maturius expendendo, verisimile satis fit, ab eodem sanctissimo Pontifice venerandum B. Nemesii Martyris corpus conditum ibidem fuisse, quod haud procul ab Urbe Latina Via humatum iisdem in Actis, his plane verbis legitur: *Ipsum verò Nemesium diaconum capite truncari jusserunt in locum inter Viam Appiam & Latinam, sub die octavo Kalend. Septembr. Cujus corpus collegit beatus Stephanus Episcopus assistente sibi Bono presbytero, aliisque suis clericis, & sepelivit juxta locum, ubi decollatus est Via Latina non longe ab Urbe.*

4 Inde verò sacrum corpus à beato Xysto Papa Secundo unà cum dignissimo Lucillæ ejusdem filiæ corpore ad Viam Appiam transferri contigit: ac demum à Gregorio Quinto Romano Pontifice sacra eadem pignora unà simul cum sanctorum Sempronii, Olympii, Exuperii & Theoduli corporibus in Ecclesiam sub titulo S. Mariæ Novæ, prope Titi, & Vespasiani Arcum cultu perhonorifico delata fuêre; ubi nuper post longa revoluta secula divino plane nutu reperta, Antonius S. R. E. Cardinalis Carafa, meritissimus Monachorum S. Benedicti Congregationis, quæ Olivetani Montis dicitur, tunc Protector sub maxima templi ejusdem Ara fidelium assiduis precibus, atque obsequiis recolenda condigno, quo par erat, honoris cultu locavit.

5 Porro haud præmemoratis dumtaxat beatorum Martyrum exuviis templum Beatæ Mariæ Novæ decoratur, sed & venerando insuper S. Franciscæ viduæ Romanæ corpore, veluti pretioso ac nobili thesauro locupletatum splendescit, ubi olim sub redempti Orbis anno millesimo quadringentesimo quadragesimo illatum, condignoque sepulchrali titulo notatum fuerat: verum etsi clarissimæ ibidem Matronæ corpus ad ducentos prope annos, apud Congregationis Olivetanæ monachos tumulatum delituit, meritorum tamen ejusdem fama intra Urbem concludi, ac retineri nullatenus potuit, sed brevi quidem tempore universum plane orbem mirum in modum complevit: interim enim nobilis hæc Romanas inter matronas Heroina tot palmis, ac coronis aucta, populorum passim obsequiis, ac præconiis celebrari cœpit. Nam cum sexum, ac seculum pariter præclaris adhuc vivens virtutum meritis, totam se Christi obsequio subigens, mirabiliter devicisset, virilis plane animi fœmina incredibilem fortitudinem exhibuit: *Mulierem fortem quis inveniet, procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* Constanti insuper, invictoque mentis robore contra tartareas legiones in acie perstitit, & haud semel minis, ac flagellis acerrime impetita de Satana triumphum revexit. Varias item calamitates incredibilis constantiæ, & patientiæ exemplo gratias Deo inter flagella jugiter referens, pertulit. Porro tanta sublimis humilitate enituit, ut nobilis prosapiæ fœmina viliora quæque munia ultro, libenterque obiens, lignorum fasces proprio impositos capiti è suburbana vinea ad pauperum mulierum domos deferret, vel onustum iisdem quandoque asellum charitatis urgente stimulo per Urbem ageret. Quo quidem charitatis, ac Christianæ pariter humilitatis triumpho haud nobiliorem Urbs nostra, etsi triumphis assueta, aliquando vidit, & ipsummet Romanum Capitolium fœminæ impar meritis obstupuit.

6 Nec vero cum tartareis hostibus, ac seculi oblectamentis dumtaxat, sed cum utraque fortuna tum inter prospera, tum inter adversa æquo jugiter animi proposito dimicavit. In seculo etenim Francisca, ac si in claustro pari meritorum cumulo, ac nitore conspicua, & in Urbe non secus, ac in eremo vixit, & cum virginum ibidem Monasterium, quod vulgo Turris Speculorum appellatur, singulari virtutum exemplo conspicuum instituisset, in quo plures primariæ nobilitatis fœminæ, totidem instar

[Left margin notes: ...tyr. ...c. 10. ...i. | ...Mar... die 10. | ...esia SS. ...liani, ...ima... | S...m... ...us, ...pius, ...erius, ...eodu... | ...Cod. ...S. ...B.C. ...Cæcil. ...1. | ...me...]

[Right margin notes: Translatio corporum SS. Nemesii, & Lucillæ. | Translatio corporum SS. Sempronii, Olympii, Exuperii. & Theoduli. | Templum B. Mariæ Novæ. In eo corpus S. Franciscæ Rom. colitur. | Vitæ, virtutumque ejus brevis enarratio. Ejus adversus mundi vanitatem fortitudo. Prov. c. 31. Et contra cacodæmones. | Ejus in adversis patientia. | Ejusdem humilitas, & charitas. | In utraque fortuna mira animi constantia. | Monasterium à Turri Speculorum ab ipsa Romæ excitatum.]

instar speculorum emicant, & Deo sub Oblatarum nomine, haud ullis solemnibus, ut cæteris in claustro virginibus mos est, votis astrictæ deserviunt, ipsa virginum mater simul, ac speculum post viri obitum, illuc haud usitato humilitatis prodigio, nudis pedibus convolans, eisdem veluti ancilla aggregari voluit, ea quidem animi demissione, ut *quæ mater omnium erat* (quod alibi Hieronymus ait) *omnium putaretur ancilla*. Hic igitur inter filias, quas ipsa Christo pepererat, sanctissime aliquandiu vixit, & miris demum meritis cumulata, anno 1240. in Cælum ad laborum præmia evolavit, & in B. Mariæ Novæ Ecclesia ejusdem corpus sepulturæ commendatum est. Verum quoniam *nemo laudabilior est*, ut Ambrosius ait, *quam qui ab omnibus laudari potest*, Francisca *quot homines, tot laudum suarum præcones habet*.

In istud post viri obitum se abdidit.

Hieronym.

Ambr. l. 1. de Virg.

7 Nec vero reticendum nobis est, cum de ejus hic sepulchro loquamur, ducentos propemodum annos sanctissimæ Matronæ corpus terræ infossum delituisse, cum tandem, Deo disponente, anno redempti orbis 1638. sub Urbano VIII. ingenti quidem totius Urbis plausu, ac civium exultatione adinventum in lucem veluti redivivum venit. Et quidem sub eodem Pontifice cum sacra pridem Romanarum præclari nominis Virginum, ac Martyrum, Bibianæ scilicet, & Martinæ pignora innotuissent, & venerandum Franciscæ viduæ corpus subinde revelari contigit, ut recenti tripudio cunctorum Romanorum corda perfunderet, novo Urbem præsidio præmuniret, & novos Capitolio triumphos inveheret. Cui enim spectaculum non valde admirandum extitit, mortuum scilicet fœminæ corpus novis à Deo insignitum portentis, & de ipsamet morte triumphantis inspicere, ut congrue quidem, nec casu præstitum quis dixerit, quod Francisca cum vivens, tum mortua haud procul à Romano Capitolio substiterit, in Monasterio quippe, quod Turris Speculorum dicitur, habitasse, & subinde in præmemorata B. Mariæ Ecclesia tumulatam eamdem fuisse compertum est, ut nimirum ipsemet habitationis, & tumuli locus Capitolinum jugum respiciat, ad præsignandum, quod triumphalibus ejusdem meritis palma, ac corona in Cælesti Capitolio feliciter servabatur.

Post ducentos annos ejus corpus in lucem prodiit.

Non sine mysterio juxta Capitolium vivens, & mortua substitisse videri potest.

8 Sed ut nonnulla hic de præclaræ fœminæ sepulchro, vel obiter edisseramus, illud nobis præmittendum videtur, haud quidem casu, sed præcipuo Dei nutu accidisse, quod spectatissima videlicet Heroina, quæ in ipsa Urbe, & in seculo degentibus viam salutis demonstraverat, & veterum sanctorum vestigia æmulando, nobilioribus fœminis probatum Christianæ vitæ specimen exhibendo, spiritum sanctitatis propinasse visa est, in Templo B. Mariæ Novæ post mortem recondi, ac sepulturæ sibi locum intra ipsius Templi Pacis fundamenta aptari voluit, ut de ipsa videlicet, quæ vivens Pacem adeo excoluerat, vitiis dumtaxat bellum, ac reluctantibus passionibus indicens, illud ad literam concini posset: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*; & illud item eidem merito consonet, quod sacræ Scripturarum paginæ edocent: *Et factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion*. Quo tutelari videlicet Franciscæ patrocinio Romanorum Urbs ab hostibus tuta jugiter degeret, & ipsamet optatæ pacis fundamenta obtinens, Franciscam ultro votis interpellando caneret: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*. Ita plane: diutina pacis tranquillitate patriam perfundi, disposito sibi intra Pacis Templi cæmenta tumulo, Francisca præoptavit. Quippe ad propulsanda hostium jacula, ac insurgentes bellorum impetus procul arcendos, ejuscemodi tumulum fausto omine designavit. Ex quo factum est, ut, dum ubique terrarum intestinæ bellorum discordiæ vigent, armorumque procellæ postremo hoc nostro seculo increbrescunt, & Italiæ, ac Urbi proxime hostilis mucro intentatur, S. Franciscæ Romanæ corpus cælitus revelatum sit, quo Noëmica veluti columba pacificæ ramum olivæ ipso è tumulo Romæ portendens, illud Psalmistæ oraculum ingerat: *Posuit fines tuos pacem*.

Et intra Pacis Templi fundamenta sepulchrum sortita.

Psal. 4.

Psal. 75.

Psal. 121.

Dum bellum in Italia maxime flagrat, ejus corpus revelatum est.

Et instar Columbæ Noëmicæ pacem Urbi annunciat.

Psal 147.

9 Sed qua potissimum ratione venerandum corpus Urbi patefactum sit, gratis, si libet, auribus excipe amice lector. Ingens quidem piorum quorundam hominum, & virginum pariter, quæ sub Franciscæ vexillo militant, cordi desiderium insederat, & quidam veluti stimulus ad Beatæ fœminæ corpus perquirendum jugiter urgebat. Dum igitur res etsi ardua, ac multiplicibus difficultatum nodis obnoxia in consilium venit: menti recurrit, id clam tentandum, & manus operi caute admovendas. Quapropter quibusdam è Monasterio Turris Speculorum Oblatis instantibus, Marius Gabriellius vir pari pietate, ac nobilitate præditus ad opus eligitur, qui singulari studio in re admodum perdifficili incensus, re prius mature discussa, obtentoque Superiorum assensu, maxima item cautela adhibita nulli aut impensæ, aut labori parcens, cum aliquandiu in id cæmentarii, ab octava nimirum festivæ solemnitatis B. Franciscæ, institissent, ipsa demum Sabbati sancti die, secunda nimirum mensis April. 1638. Sanctissimæ Matronæ corpus patefieri contigit.

Quomodo sacrum B. Franciscæ corpus in lucem prodierit?

10 At congrue (ut ita dixerim) tunc potissimum temporis sacrum Romæ pignus innotescit, ejusque tumulus patefit, cum rediviva Dominicæ Resurrectionis gaudia, & solemnis Christi Domini è tumulo resurgentis memoria recurrit, ac ingenti subinde omnium exultatione ejuscemodi adinventio excipitur.

Pervigilio de Christo resurgente sacrum B. Franciscæ corpus innotescit.

11 Porro, ut inventionis hic seriem enarremus, sacrum humi corpus jacebat, urna vero, in qua repositum olim fuerat, præ vetustate, ac nimio jam humore, qui in subterraneum locum sensim influebat, eum in modum absumpta, ut nullum prorsus ejus vestigium deprehendi valeret, ipsismet clavis, quibus lignea compacta fuerat urna, jam rubigine solutis; dum interim ossa humi solida, ac integra, nullaque ex parte imminuta, ac labefactata ingenti omnium admiratione subsisterent, ut quis merito divinum illud oraculum manu, atque oculis delibaret: *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur*. Et quod de cœteris sanctorum corporibus apte, concinneque Ecclesia concinit, omnimode id Franciscæ congruere videretur: *Corpora eorum in pace sepulta sunt, & nomina eorum vivent in generationem, & generationem*.

Situs, ac habitus corporis ejus.

Psal. 33.

Eccl. c. 4

12 Quando autem tanta thesaurum quempiam latentem exultatione adinveniri contigit, quanta Franciscæ corpus, quod delitescebat, in lucem venit? passim quippe lætitiæ canticum insonuit, ubi recolenda civis suæ pignora vel bina post secula Urbs oculis contemplari meruit, Olivetanæ familiæ Patres, Oblatæ Monasterii Turris Speculorum, ejusdem S. Franciscæ filiæ, populus, cives, ac Romani

Mirifica omnium lætitia sacrum corpus excipitur.

Romani Proceres, Urbs demum tota, nec non sacrum Purpuratorum Patrum Collegium, & ipsemet Summus Pontifex Urbanus VIII. præ lætitia gestiens, suæ, ac urbanæ felicitati jure merito adscripsit, quod pretiosæ Romanæ hujus Matronæ exuviæ sub hæc potissimum tempora ad tutelare Romani populi præsidium innotescerent; quin immo publicis in Capitolio suffragiis concivis sanctissimæ corpus splendidiore apparatu, ac pompa reponendum, promeritosque eidem honores ultro deferendos esse sancitum est. Quapropter die 24. Augusti, ann. 1638. sacra ossa summo Pontifice annuente supra argenteam laminam, cujus mensura humanæ staturæ respondebat, ex humili loco reposita, ac singula ordinatim compacta fuêre: corpus vero consueto Oblatarum Monialium indumento circumtectum, ornatumque cypressinam intra urnam, nobili inscriptione ipsimet argenti laminæ, ad perennem rei memoriam, insculpta, locatum est.

…va ad fa… …m cor… …mira… …edita …re.

13 Hoc igitur pacto Franciscæ corpus è tumulo levatum, ornamentisque eleganter excultum, in quodam sacello, publicæ venerationi, tota fere Urbe, & viris magnatibus ad venerandum certatim confluentibus, patuit: nec vero clarissima è Cælo ad rem fidelibus comprobandam signa defuêre: plurima enim miraculorum portenta sanctitati, ac venerationi, suffragio divinitus præstito, testimonium dedere, ut infra à nobis enarrabitur.

…s in Ec… …sia B. …riæ No… …Mauso…m.

14 Demum cum venerandum cadaver iterum splendidiorem in locum inferendum esset, locus (qui vulgari voce Confessio dicitur) ante maximam Ecclesiæ B. Mariæ Novæ aram pretiosis, ac versicoloratis marmoribus egregie excultus, ac pavimento itidem miro ornamentorum genere substrato, nobilissimum Matronæ Mausoleum, quatuor pretioso è lapide columnis ad tumulum concinnandum dispositis, in theatri formam erectum est, ubi Innocentius Decimus Romanus Pontifex concivi lectissimæ promerenti magnificentissimi operis thecam ex ære, auro superinducto, studiose elaboratam statuit, addito B. ejusdem Franciscæ simulacro, quod ejus ad vivum, ex ære inaurato imaginem triumphantis instar, ac redivivæ è tumulo prodeuntis contemplandam exhibet; ibidemque anno 1648. sacrum corpus recondi voluit, ne, dum Romanus certatim populus pia deferre eidem obsequia contendit, si publico id apparatu, ac pompa præstandum foret, Urbs devotionis affectu permota tumultum pateretur.

…enti po… …Roma… …enera… …re coli…

15 Franciscæ igitur corpus nobili Mausoleo reconditum, condigno ad rei memoriam inscripto titulo, jugi Romanorum frequentia colitur: & merito quidem ejusdem sepulchrum iisdem plane vocibus apud Romanos personare congruum est, quibus gens olim Judæorum Juditham sanctissimam fœminam interpellasse legitur: *Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta ès.* Quin immo Francisca altera veluti conspicua Juditha paribus laudum præconiis concelebranda à nobis est, quibus Judæi, ac summus Sacerdos Eliacim, eam in triumphi morem è castris, obtruncato jam hoste, redeuntem salutando excepit. Lætis ergo vocibus hæc interim concinamus: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum; ideo & manus Domini confortavit te, & eris benedicta in æternum.*

…Judith. *…th. c. 8.*

16 Verum postquam eidem grata devoti animi obsequia persolvimus, ut nostris hisce Subterraneæ Romæ paginis nobile illud portentum, quo Deus adinventi corporis translationem è Cælo testatam voluit, inferamus, & quo illud Psalmistæ elogium legentibus palam fit: *Mirabilis Deus in sanctis suis.* *Psal. 67.* Mirum plane est, quod dicturi sumus, nec in angulo quidem domus, verum in Urbis totius conspectu, in omnium oculis, ut fides omnimoda hæc enarrantibus adhibeatur, præstitum est, & tam evidenti comprobatione singulis quibusque innotuit, ut nullam prorsus ambigendi, ac tergiversandi ansam pati queat. Excipe igitur gratis rem auribus, ò lector.

Theodora Celsa diu ab apoplexia stupens, divina S. Franciscæ ope suis membris restituitur.


17 Theodora Celsa Romana, una ex Oblatarum numero Monasterii Turris Speculorum, & ex ipsis S. Franciscæ alumnis, jam sub anno 1622. gravi, ac repentino, qui guttæ dicitur, morbo correpta, toto corpore præpedita, ac omni prorsus membrorum usu destituta est: verum cum nullo, etsi plura adhiberentur, medicamentorum genere vis morbi exsuperari posset, caput dumtaxat dimovendi libera illi facultas suppetebat: *Vit. S. Franc. Rom. l. 5. c. 22.* cæterum reddita jam omnino inutilis ad annum usque 1638. cunctis ultro fœminæ calamitatem commiserantibus, immobilis, & sibimet, ac cæteris onerosa toto integro decennio perstitit, dum interim complurium oculis res tota explorata est. Demum festivo recurrente S. Bartholomæi Apostoli die, cum sacrum B. Franciscæ corpus publicæ venerationi in Ecclesia S. Mariæ Novæ expositum fuisset, consororibus adnitentibus, ac ipsa Monasterii Præfecta suadente, supra gestatoriam sellam ad sacra veneranda pignora deducitur: & ut rei eventus magis magisque oculatis testibus comprobaretur, aderat ibi Eminentissimus Cardinalis Alterius, tunc Vicesgerens, qui cum incommodam Theodoræ, desperatamque valetudinem probe nosset, destitutas omni vigore manus, alterius adminiculo, sacro Franciscæ capiti admovendas edixit. Quod ubi præstitum est, res mira! en tibi, momento temporis, ac si animi deliquium, ut accidit, pateretur, extemplo brachia repentino tremore corripi, & sponte in altum prosilire, ac erigi, simulque ad invicem supplicantis in morem jungi visa sunt, eum in modum, ut commode seipsam cruce obsignaret, & liberam exinde, expeditamque brachiorum, ac manuum, qua hactenus destituta fuerat, facultatem recepit. Mirantur interim, qui aderant, & sibi ac virgini ob insigne, inauditumque portentum gratulantur, festivas singuli voces attollunt, Dei virtutem, & Christi famulæ merita devotis ultro præconiis concelebrant. Verum cum inde ex parte dumtaxat vegeta, atque incolumis domum regressa, de omnimoda tandem Franciscæ meritis obtinenda incolumitate spem concepisset, duobus interlapsis diebus in præmemoratam Ecclesiam ad sacrum corpus iterum à consororibus deducitur, ubi cum prope sacra pignora, precationi toto animi fervore intenta, consisteret, en tibi, singulari portento, toto illa corpore tremore corripi, & ossa quodam veluti glutino, quo jampridem detinebantur, solvi protinus sentit; nec res quidem beneficio vacua, nec spes voto frustrata est: illico enim mulier, quæ diu contractis membris immobilis omnino perstiterat, sua sponte è sella prosiliens, nullius, uti consueverat, adminiculo, in pedes constitit; & provolutis subinde humi genibus, sanctissimæ Parenti promeritas gratiarum actiones devote

Card. Alterius miraculo à S. Francisca Rom. nuper patrato interfuit.

devote persolvit, cunctis interim ad rem inusitatam obstupescentibus, & Euangelicum illud præ lætitia oraculum certatim proclamantibus: *Quia vidimus mirabilia hodie.* Incolumis igitur reddita (ut res magis explorando pateret) suismet illa pedibus, nulloque sibi manum porrigente, domum reditura ab Ecclesia intra currum se recipiens divertit, quinimmo singulis membris pristinæ sanitati, ac officio redditis, ex tunc illa libera omnino evasit. Vides hinc, amice lector, ut novis hoc nostro seculo portentis sui translationem corporis à sanctissima Matrona (quod & à cæteris sanctis passim præstitum legitur) illustrari contigit, ut nullus, qui sanæ mentis, ac fidei sit, de portento ambigere queat, sed unusquisque illud congrue de Francisca concinat: *Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur: date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus.* Ita plane publico portento erga filiam Oblatam medicæ manus, ac supernæ virtutis vim exercens, iterum Urbi, ac Orbi bina post secula admirabiliter innotuit. Et hæc vel obiter pio lectori enarrasse voluimus. Conspicui autem Mausolei, quo Franciscæ corpus obtegitur, iconem tabulis exceptam Marius Gabriellius Romanus, cujus supra meminimus, in perenne devoti animi erga Matronam sanctissimam obsequium, ac monimentum extare, & hic tibi, lector, ob oculos contemplandam proponi curavit. Sed etsi aliquantulum ab instituti proposito digressi fuisse videamur, nunc tandem ad nostra regredimur.

Prov. c. 31

Marius Gabriellius eximia in B. Franciscam pietate simulacrum hoc æneis typis excipi, & hic poni curavit.



CAP. IV.

De Cœmeterio sanctorum Simplicii, Serviliani, Quarti & Quinti Martyrum.

Cœmeterii SS. Simplicii, & Serviliani antiquitas & situs.

1 VEtustissimum hoc præ cæteris Viæ Latinæ Cœmeterium, secundo ab Urbe lapide situm est, atque ipsi Gordiani Cœmeterio cohæret. Quapropter olim inter utrumque ex præmemoratis sanctorum Gordiani & Epimachi Ecclesiam extitisse Bibliothecarius in Hadriani Papæ Primi gestis innuere videtur, ubi constructiones præ nimia vetustate collabentes ab eodem instauratas fuisse enarrans, hæc ait: *Simili modo & Basilicam sanctorum Gordiani & Epimachi, seu Cœmeterium ejusdem Ecclesiæ Simplicii & Serviliani, atque Quarti & Quinti martyrum, & B. Sophiæ una cum Cœmeterio S. Tertullini foris portam Latinam à novo renovavit.*

Bibl. in Hadr. PP. 1.

Prædium SS. Simplicii, & Serviliani.

2 Idem autem Cœmeterium in prædio sanctorum Simplicii & Serviliani extructum fuit, Adone in suo Martyrologio die 20. Aprilis, & Petro in Catalogo l. 4. c. 68. id asserentibus, quod item in eorumdem, ac sanctorum Mart. Nerei & Achillei Actis in hæc verba enarratur: *Quorum Corpora*, Simplicii nempe & Serviliani, *Christiani posuerunt in prædio eorum Via Latina, milliario secundo, in quo loco exuberat virtus martyrii eorum usque in præsentem diem.* Extat autem in viridario quodam juxta Ecclesiam B. Michaelis Archangeli, quæ communi omnium voce in Burgo nuncupatur, pervetusta inscriptio lapidi insculpta, quam è celebri eodem Cœmeterio illuc advectam credere nobis par est; eandemq; ipsorum martyrum sepulchro affixam olim fuisse, quæ contemplanti se offerunt, conjecturæ suadent. Inscriptus autem lapis hujuscemodi tenoris est:

Ado in Mart. die 20. Apr. Petr. de Nat. in Cat. l. 4. c. 68. Act. SS. Ner. & Achil.

Inscriptio sepulchri SS. Simplicii, & Serviliani.

SIMPLICIUS ❧ MARTYR.
SERVILIANUS ❧ MARTYR.

Præterea nobili hoc Cœmeterio, ut ex ipsis Bibliothecarii verbis jam supra recitatis intelligi potest, veneranda sanctorum Quarti & Quinti corpora sepul-

Biblioth. ut supr.

SS. Quarti & Quinti

pulturæ locum obtinuere, qui eadem Via Latina pro Christianæ fidei confessione unà cum pluribus sociis, Adone teste, martyrio coronati sunt. Quorum corpora Capuam postea translata fuisse Martyrologii Romani tabulis perhibetur 6. Idus Maji, ubi & venerabilis eorumdem martyrii locus eadem Via his verbis describitur: *Romæ Via Latina ad centum aulas natalis sanctorum martyrum Quarti & Quinti, quorum corpora Capuam translata sunt.* Qua super re, si quis plenam assequi notitiam cupit, Capuanum Michaëlis Monachi Sanctuarium consulere opus est. Eodem item Bibliothecario, quem supra citavimus, referente, in hoc Cœmeterio Sophiam beatæ memoriæ fœminam, non eam quidem, quæ sanctarum virginum Agapes, Pistis & Elpidii mater extitit: hæc enim cum eisdem filiabus decimooctavo ab Urbe lapide tumulata legitur, ubi & nobile desuper Mausoleum, ut suo infra loco enarrabimus, extructum est, sed illam notæ sanctitatis fœminam, cujus sacrum postea corpus in Equitii titulum à Sergio Papa Secundo transferri contigit, prout in veteri affixa ibidem inscriptione notatur, ubi hæc præcipuo illibatæ virginitatis titulo insignis condignis laudibus concelebratur. Sed ad alia interim Cœmeteria properandum est.

CAP. V.

De Beati Martyris Tertullini Cœmeterio.

1 PErantiquum Tertullini martyris Cœmeterium, cujus Bibliothecarius tunc potissimum meminit, cum sacras ædificiorum constructiones ab Adriano Papa restitutas recenset, secundo itidem ab Urbe lapide situm est, eidemque sanctorum Simplicii, & Serviliani Cœmeterio proxime adjacet. Nomen autem hoc à B. Tertullino Martyre accepit, qui sub Valeriano, & Gallieno Imperatoribus, dum adhuc in Gentilium errore versaretur, hoc eodem loco prope veneranda sanctorum Iovini, & Basilei corpora bis senos S. Stephani Papæ Primi clericos pro Christi fide crudeliter interemptos, ingenti pietatis studio sepulturæ mandaverat. Ubi verò ab eodem sanctissimo Pontifice salutaribus postea baptismi aquis expiatus est; ei insuper illud constanter injunctum fuit, ut ejuscemodi laudabilia Christianæ pietatis munia indefesso animi studio obiret. Quamobrem ejus potissimum opera sanctorum eorundem Iovini & Basilei, aliorumque complurium Martyrum corpora condita ibidem fuisse afferendum procul dubio videtur: quo demum loco & ipse Martyrio coronatus, ac pia fidelium manu perhonorifice illatus, honorem, quem martyribus detulit, & ipse martyr effectus, ac martyrum tumulo sociatus, recepit, ut in M. S. ejusdem S. Stephani Actis Codd. Vatic. & Vallic. his verbis legitur: *Unde factum est, ut ex ejus clericis duodecim reperissent, quorum nomina indicamus, Bonum, Faustum, Maurum, Primitium, Calumniosum, Ioannem, Exuperantium, Cyrillum, Honoratum, Theodorum, Basilium & Castum; quos statim sine audientia capitibus præceperunt truncari; qui decollati sunt in Via Latina juxta formam aquæductus; quorum corpora collegit Tertullinus, licet adhuc gentilis, & posuit juxta corpora SS. Iobini, & Basilei, Via Latina, eadem die Kal. Aug.* Et hæc infra de eodem Beato Terrullino ibi enarrantur: *Qui depositus de equuleo ductus est in Viam Latinam secundo milliario, & ibidem decollatus est. Cujus corpus sanctus Stephanus colligens, sepelivit in eodem loco, in crypta arenaria, prid. Kal. Aug.*

2 Hujus verò sanctissimi viri corpus à Paschale Papa Primo ex hoc Cœmeterio ad beatæ Praxedis Ecclesiam unà cum aliquot eorundem Martyrum corporibus deinde translatum est. Nonnulla enim ex præmemoratis beatissimorum Martyrum pignoribus inde à Stephano Papa VI. unà cum B. Eugeniæ corpore, in sanctorum Apostolorum Ecclesiam, ut diximus, delata fuêre: nonnulla item in sacra beati Laurentii, Æde, quæ Damasi dicitur, fidelium venerationi recolenda jugiter deposita sunt, ut in M. S. quodam Cod. Vatic. post enarrata sepulturæ eorundem obsequia his plane verbis exponitur: *Translata sunt autem corpora sancta post quædam annorum curricula, & introducta in Urbem, atque in Basilica B. Laurentii juxta Theatrum Pompeji, diligenter recondita, non longe ab altari, in quo requiescit corpus S. Damasi.* Quamvis in singulis fere, quas nuper memoravimus, Ecclesiis; videlicet Beatæ Praxedis, sanctorum Apostolorum, & S. Laurentii, sacra eadem pignora tumulo commendata esse constans traditio præ se ferat; quod quidem, ut ipsi veritati locus sit, & sacræ pariter antiquitati consulatur, de singulorum reliquiis ibidem ex parte saltem dimissis intelligendum est, quod & aliis item Ecclesiis sæpe sæpius accidisse, ex antiquis sacrorum Actuum promptuariis, quæ legenti se offerunt, videre est. Sed de his hactenus.

Translatio corporis S. Tertullini.

Translatio corporis S. Eugeniæ.

M. S. Cod. Vat.

CAP. VI.

De Martyribus Via Latina conditis, & de sacris ejusdem Viæ monimentis.

1 CEleberrima jugiter apud primævos Christianæ fidei cultores, & sub ipsamet Apostolorum tempora, præ cœteris Via Latina extitit: nam juxta Urbis portam, quæ hoc nomine nuncupatur, dignissimus ille Ioannes Apostolus, Domitiani Imperatoris jussu, in ferventis olei dolium, nobili consummandus martyrio, injectus, illæsus inde, ac vegetus divinæ virtutis ope, præclaro terrarum Orbi prodigio admirandus, exivit, ut sacra passim Martyrologia miri hujus, ac recolendi portenti pridie Nonas Maji memoriam exhibent, & D. Hieronymus lib. 1. contra Iovin. & in Matth. c. 20. docet. Tertullianus item lib. de Præscript. Euseb. de Demonstrat. Euang. lib. 3. cap. 7. necnon ejusdem Beatissimi Apostoli legentibus Acta fidem faciunt: in his enim illud insuper legitur, ibi videlicet Ecclesiam à fidelibus in hujus recolendæ jugiter rei memoriam erectam fuisse; eandemque Urbis Portam toto terrarum Orbe celebrem triumphali Ioannis Dolio redditam; ea prorsus ratione, qua Triumphalis porta ab ipsa Petri cruce condignum triumphi, ac perennis gloriæ nomen consecuta est. Id enim (ut jam supra diximus,) apud Prochorum in gestis ejusdem B. Ioannis legitur, quæ in Patrum Bibliotheca to. 7. his verbis recensentur: *Et Christi fideles, qui illic aderant, ante portam Latinam, Ecclesiam posuerunt, in ejus nomine dedicantes. Deus enim per crudelem tyrannum consilium suum disponebat, ut sicut virtutibus & signis Ioannes & Petrus socii fuerunt, ita in Urbe Roma memoriam haberent sui triumphi: sicut enim Triumphalis insignis habita est cruce Petri; sic & Porta Latina Ioannis dolio insignis & memorabilis haberetur.*

S. Ioannes Apostolus.

Mart. Rom. prid. non. Maji.

Hier. lib. 1. contr. Iovin. & in Matt. c. 20.

Tertull. lib. de præscr.

Euseb. de demonstr. Euang. l. 3.

Ecclesia S. Ioannis ad Portam Latinam.

Porta Latina, ejusque gloria.

Proch. a 111 in Biblioth. Patr. to. 7.

Sacellum S. Joannis ante Portam Latinam.

2 Porro ſacratiſſimi hujus loci haud ullis obliteranda ſeculis memoria in ſacello quodam ſub ſphærica forma conſtructo ipſam ante Urbis portam extat, apud quam poſtmodum in ejuſdem Joannis Apoſtoli honorem Eccleſia erecta fuit, quæ communi omnium voce ante Portam Latinam nuncupatur. Cui nos interim, antequam ad ulteriora progrediamur, nobiliſſimi inſtar tituli ad perenne martyris & martyrii monimentum aurea iſthæc Romani Martyrologii verba inſculpi volumus: *Romæ S. Ioannis ante Portam Latinam, qui ab Epheſo juſſu Domitiani vinctus Romam perductus, & judicante Senatu ante eamdem Portam in olei ferventis dolium miſſus, purior & vegetior inde exiit, quam intravit.* Et quotannis ſolemnis, ac feſtiva non Urbi duntaxat, ſed toti terrarum Orbi memoria recurrit.

Rom. Mart. die 6. Maji.

Templum Dianæ.

3 At vero, ut Severanus noſter in libro de ſeptem Urbis Eccleſiarum monumentis aſſerit, haud longe à loco quem hactenus memoravimus, Dianæ olim templum extabat, quod pie poſtmodum in templi uſum ſacro Chriſtianorum ritu traductum, Beatiſſimo eidem Ioanni Apoſtolo, qui hanc nobili martyrio regionem illuſtraverat, ſolemni ritu dicatum eſt: quæ quidem Eccleſia Joannis titulo illuſtris Conſtantinianæ Baſilicæ ditioni ſubiacet, & in hac olim ea potiſſimum, quæ martyrii beatiſſimo Apoſtolo inferendi, & pœnarum inſtrumenta fuerant, Catena videlicet, qua ab Epheſo vinctus Romam martyrio coronandus deductus fuerat; Calix, in quo eidem apud Epheſum commoranti lethalis veneni potio propinata eſt, ferrei item forfices, quibus ante Portam item Latinam probri, ac contumeliæ cauſa capillis turpiter detonſus eſt, in eodem item loco cacabus, oleum, ſanguis, ac Apoſtoli ejuſdem capilli, ad perenne pœnarum, ac nobiliſſimi certaminis monimentum repoſiti fuêre, & ad hujus rei memoriam erectus ibidem lapis carminibus hiſce prænotatus eſt:

Illud dicatum poſtea S. Joanni Apoſt.

Sever. lib. de 7. Eccleſ.

Pœnarum inſtrumenta S. Ioanis Apoſt.

Martyrii palmam tulit hic Athleta Ioannes,
Principii Verbum cernere qui meruit.
Verberat hic fuſte Proconſul, forfice tondent,
Quem fervens oleum lædere non valuit.
Conditur hic oleum, dolium, cruor, atque capilli
Quæ conſecravit inclyta Roma tibi.

4 At vero, ut digniſſimam beatis Chriſti martyribus coronam ſubtexamus, quorum pignoribus via hæc apprime aucta ac nobilitata eſt. Illud in primis hic nobis repetendum videtur, illuſtriſſimum videlicet martyrem Gorgonium, qui Nicomediæ pro fide ſub Diocletiano ſtrenue decertaverat, poſt certa quædam revoluta annorum curricula in Urbem translatum, duas inter lauros Via Latina conditum fuiſſe, ut in M. S. ejuſdem actis Cod. Vatic. legitur, & Ado, Beda, Uſuardus, & alii pariter affirmant. Quamvis autem locus, qui inter duas lauros nuncupatur, Via Lavicana proculdubio exiſtat, ut ex infra dicendis patebit, nihilominus haud omnino improbabile eſt, Latina quoque Via locum quempiam ejuſmodi nuncupatum vocabulo extitiſſe, ubi quamplures id genus arbores ſubſiſterent: quod autem eodem loco Cœmeterium extiterit, ubi S. Gorgonii corpus conditum eſt, ſatis aperte ex lapide quodam convincitur, quem S. Damaſus ipſius monumento piis admodum exaratis carminibus inſcripſit, qui ad hanc uſque diem in Equitii titulo, ſeu Eccleſiæ Beati Martini in montibus, unà cum pluribus aliis ſepulchralibus titulis, quos illuc è Cœmeteriis transferri contigit, tenoris hujuſcemodi ſuſpicitur:

S. Gorgonius.

Ejuſdem corporis tranſlatio.

Locus inter duas lauros Via Latina.

Locus inter duas lauros Via Lavicana.

MARTYRIS HIC TUMULUS MAGNO
SUB VERTICE MONTIS
GORGONIUM RETINET, SERVAT QUI
ALTARIA CHRISTI.
HIC QUICUMQUE VENIT SANCTORUM
LIMINA QUÆRAT,
INVENIET VICINA IN SEDE
HABITARE BEATOS.
AD CÆLUM PARITER PIETAS QVOS
VEXIT EUNTES.
DAMASI EPISCOPI.

Epitaphium S. Gorgonii.

Plura item eodem loco aliorum ſanctorum corpora, ut ex recitata Damaſi inſcriptione legenti ſatis liquet, condita fuêre, & ut haud exigui ponderis conjectura ducimur, hoc idem unum ex jam ſupra deſcriptis Cœmeteriis, humandis beatorum Martyrum reliquiis pio Chriſtianorum ſtudio deſtinatum fuit. Videas hinc, ò lector, admirandam beati Pontificis pietatem, & ſingularem erga Chriſti martyres devotionis cultum, quippe qui tantum obſequii martyribus jugiter præſtitit, ut quibus tumulandis (quod Romani olim Pontifices præſtitêre) officioſæ manus obſequium exhibere nequivit, eorum ſaltem tumulis, ut par eſt, exornandis & intra Cœmeteriales tenebras luce clarius illuſtrandis, obſequentis calami operam ſacra pangendo carmina, vel ob id unum ſummopere laudandus, impenderit. Cavebat enim vir ſapientiſſimus, ne ullo unquam tempore invictorum Chriſti Athletarum, *quorum nomina ſcripta ſunt in Cœlis*, in terris memoriæ negligerentur, cum ſacris in paginis ſcriptum ſit: *In memoria æterna erit juſtus*, ſed martyrum ac martyriorum monimenta vigere jugiter, atque ad cunctorum Chriſti fidelium notitiam, & ad oculos, nedum ad aures pervenire magni id ratus emolumenti cupiebat.

Luc. c. 10.

Pſal. 111.

5 Porro invicti Martyris Gorgonii corpus ad Divi Petri Baſilicam Gregorius Papa Quartus in oratorium, quod ipſe in honorem beatiſſimi Pontificis Gregorii Magni erexerat, ut jam ſupra diximus, ſolemniter tranſtulit: ut in Romano item Martyrologio quinto Id. Septemb. & apud Bibliothecarium in ejuſdem Gregorii Papæ Quarti geſtis legitur. Quamvis autem non deſint; qui ejuſdem corpus in Gallias delatum fuiſſe aſſerant; hi quippe ſacris beatorum martyrum meritis ſe, ac urbes, quas incolunt, illuſtrari, atque ex eorundem exuviis palmam pariter, ac immortale ſibi nomen in Chriſtiano orbe aucupantur. Verum qui Gorgonii corpus apud Gallias delatum ſe poſſidere gloriantur, illud probe norint, quod videlicet aſſerunt, haud de ipſomet corpore, ſed de ſacris ejuſdem reliquiis intelligendum eſſe, quod & ex iiſdem Actis, ubi de recenſita hactenus in Gallias translatione mentio agitur, apertiſſimis plane verbis in hunc modum convincitur: *Poſt hæc iterum longo intervallo temporum reliquiæ Sancti Gorgonii per Godegandum venerabilem Eccleſiæ Metenſis Epiſcopum transferuntur ad Gorgonienſe Cœnobium. Inde poſtea creſcente in Pannoniæ partibus Chriſtiana religione pars earundem reliquiarum in Saxonia attribuitur; ubi idem ſanctus Gorgonius genti Saxonum & Eccleſiæ Mindonenſi patrocinatur.* Vides igitur venerandis Martyris ejuſdem reliquiis Gallias auctas, ac nobilitatas fuiſſe, Vaticanam autem Baſilicam ejuſdem adhuc corpore locupletari. Recolendæ item hujus translationis Petrus in Catalogo meminit, dum id anno redempti Orbis ſeptingenteſimo ſexageſimo quarto contigiſſe pronunciat. Hoc idem Sigebertus in Chronic. affirmat, Rabanus vero die 12. Junii apud Caniſ.

Secunda corporis S. Gorgonii Tranſlatio.

Rom. mart. 5. Id. 7. Biblioth. in Greg. Pap.

Biblioth. Gregor. I

Sigebertus in Chron.

Canis. antiq. lect. & Abb. Uspergen. in Chron. in gestis ipsius Caroli Magni Imperatoris, id insequenti anno, qui septingentesimus sexagesimus quintus adnumeratur, præstitum fuisse docent.

6 Præclari item nominis, ac meriti Martyrem Bonifacium post martyrii palmam è Tarso Ciliciæ Romam translatum, hac eadem Latina Via depositum fuisse in Martyrologio Romano pridie videlicet Idus Maji describitur: cujus assertioni, atque auctoritati Beda, Usuardus, & alii suffragantur: in Adonis vero Martyrologio ipsemet recolendæ ejusdem depositionis locus innuitur, qui extitit quinto ab Urbe stadio, hoc est, intra primum lapidem, sive milliare: nam octo stadia, ut communiter supputant, unum milliare conficiunt. Sed in ejusdem apud Surium actis to. 3. 5. Junii, ex Metaphraste, & ex perantiqua insuper Actorum eorumdem versione, Græco utique expressa idiomate, ex M. S. Vatic. ab Holstenio Vaticanæ Basilicæ Canonico viro doctissimo edita, haud quinto, sed quinquagesimo stadio sacra martyris pignora deposita fuisse legitur, hoc est, inter sextum, ac septimum lapidem: quo potissimum loco conspicuum operis, acmagnificentiæ ab Aglaë matrona in Mart. ejusdem honorem, Ecclesiam erectam fuisse traditio est: ubi & ipsamet post annum tertium decimum virtutum meritis exculta sepulturæ locum obtinuit. Id ipsum de recolenda sancti Bonifacii depositione in M. S. ejusdem Actis Cod. Later. repetitur his plane verbis: *Et consurgens Aglaës confestim accepit secum clericos, & viros religiosos, & sic cum hymnis & canticis spiritualibus, & omni veneratione obviavit sancto corpori, & reposuit illud in stadio quinto, longe ab Urbe, in Via, quæ Latina nuncupatur; ædificans ei dignam domum passionique ejus. In quo etiam loco exuberant beneficia per orationes sancti Martyris usque in hodiernum diem, ita ut etiam dæmones expellantur, & ex variis infirmitatibus fideles ejusdem interventu subleventur.* Hæc in præmemoratis Bonifacii actis.

7 Hinc sacrum deinde recolendi Martyris corpus ad Ecclesiam sub ejus titulo exædificatam, quæ vulgo S. Alexii nomine nuncupatur, in Aventino colle, piis fidelium obsequiis, ac festivis totius Romæ tripudiis delatum fuit; ubi non multis abhinc annis unà cum ejusdem B. Alexii Confessoris Romanorum nobilissimi corpore adinventum est; dum Octavius Paravicinus S.R.E. Cardinalis, ejusdem Ecclesiæ Titulo insignitus, majori ejusdem templi aræ instaurandæ, exornandæque operam impensius navaret. Haud interim vero hic silentio à nobis obvolvendum est, quod in pervetusta quadam inscriptione ad Ecclesiam S. Laurentii in Lucina legitur; corpus nimirum B. Sempronii Martyris à Pelagio Papa Secundo, Latina è Via in eandem Ecclesiam translatum fuisse. Qui quidem beatissimus Christi Athleta Sempronius longe diversus ab eo est, quem sanctus Stephanus Papa, ut suo loco jam diximus, hac eadem Via recondidit. Hic enim à Gregorio quinto Pont. Max. qui centum circiter annis Gelasium in Pontificatu præcessit, ad S. Mariæ novæ Diaconiam, ubi hac quoque nostra ætate religiose colitur, summa veneratione delatus est.

8 Quoniam vero sacra adhuc recolendæ antiquitatis vestigia, quibus hæc quondam præ cæteris Via nomen sibi apud posteros, laudemque promeruit, studiose insequimur, haud lectorem piis antiquarum rerum monimentis inhiantem latere volumus, quod hac demum Via Ecclesia olim in honorem beatissimi Stephani Protomartyris à Demetria priscæ pietatis fœmina magnifico opere erecta fuit: cujus Bibliothecarius in gestis S. Leonis Papæ Primi his verbis meminit: *Hujus temporibus*, nempe Leonis, *fecit Demetria ancilla Dei Basilicam S. Stephano Via Latina, milliario tertio in prædio suo.* Quam postea Ecclesiam à S. Leone Tertio instauratam fuisse idem Bibliothecarius refert. Hæc enim in conscriptis ejusdem Leonis Papæ gestis recitat: *Pari modo & sarta tecta Basilicæ B. Stephani primi Martyris constituta Via Latina milliario tertio, quæ per multa jam annorum curricula vetustate erant confecta, & ruinis proxima, noviter reparavit.* Cujus quidem nobilissimæ Ecclesiæ, quæ maximum tum religionis Christianæ monimentum, tum etiam ipsius Romanæ Urbis ornamentum erat, nullum prorsus ad diem hanc vestigium superesse, quod & aliis contigit, ex ipsomet loci aspectu, ac ipsa luce clarius comprobatur.

[Margin: Ecclesia S. Stephani Proto mart. Via Latina. — *Biblior. in Leone PP. I.* — Demetria ancilla Dei. — *Ib. Bibl. ubi sup.*]

[Left margin (partly cut off): ...anus ... 12. Junii ...Can. 1. ...q lect. ...Usper... ...Caroli ...agni. — ...anslatio ...poris S. ...nifacii ...rtyris. — ...rt. Rom. ...d. Id. Maji ... Usuar... in Mart. ...o in Mar... ol. — ...to. 3. die ...un. ...taph. de ...em. — ...S. Vatic. ...Holstenio ...ce edita. — ...lesia S. ...nifacii ...t. — ...Cod. — ...lexius. — ...ntio ...orum ...onifa... ...Alexii. — ...pro... ...ntio ...ris ...em.]

CAP. VII.


De Cœmeteriis à Bosio Via Latina repertis.

1 PLurimi quidem, iique subterranei hinc inde hac via, & in vineis ibidem existentibus, hiatus, ac ad latentia in inferiori terræ ambitu Cœmeteria aditus patent. Horum haud numero paucos Bosius cum primum ingressus fuisset, semitas ubique, injecta desuper humo obductas, ac penitus invias, reperit: verum dum cuncta perlustrat, tandem secundo circiter lapide à Latina Porta susceptum iter dimetiendo, quibusdam arenarum fodinis detectis, ad lævam Latium versus eundo, easdemque concito fodinas pede terens, in Cœmeterium satis quidem amplum inopinato descendit; quod plures viarum semitas undequaque continet; quamvis pleræque earumdem delapsa superiori è parte humo interclusæ, impervıæ omnino accedentibus redduntur. Ex quo sane loci ambitum contemplantibus, singula isthæc Viæ hujus Cœmeteria juncta simul inter se olim extitisse, & per unumquodque eorum aditum, viamque patuisse ad alterum conjicere fas est. Haud enim quid minus probabile nobis arridet, si quis hoc idem sanctorum Quarti & Quinti Cœmeterium fuisse dixerit; quod secundo item ab Urbe lapide quondam, ut jam diximus, situm erat. Neque pauca interim in eo monumenta, adhuc omni ex parte integra, ac de more obsignata Bosius inter explorandum reperit: in quibus hujuscemodi præsertim insculpti sepulchrales tituli extabant, qui cæteris omnibus prætermissis, à nobis hic cupidi lectoris studio, atque oculis contemplandi subjiciuntur.

[Margin: Cœmeterium SS. Quarti, & Quinti.]

In primis autem, ut singula exponere aggrediamur, ingens quidam illic hujusmodi inscriptione prænotatus lapis apparuit:

[Margin: Inscriptiones sepulchrales in Cœmeterio Via Latina.]




Idem vero lapis studiosa artificum manu incisas hujuscemodi, ut vides, imagines præfert, nempe,

A Lazarum Christi jussu à mortuis redivivum.
B Moysaicæ legis Candelabrum.
C. Trutinam quandam.
D. E. Domum item unà cum pisce.


Venerandum insuper Servatoris nomen Græcis duabus literis de more exaratum; quæ singula peculiarem rerum significationem suo infra loco explanandam obtinent.

Porro Stiliconis Consulatus, quo inscriptus lapis prænotatur, anno redempti orbis quadringentesimo contigit, Anastasii Primi Pont. tertio, ac tertio pariter Arcadii & Honorii Imperatorum, juxta Baronii supputationem Annal. tom. 5. ann. eodem. *Baron. to. Annal. an. 402.*


Characteribus rubris exarata.



Sed en alterum perantiquæ inscriptionis titulum tibi, amice lector, contemplandum tenoris ejusmodi offerimus:



Cui hunc quoque in studiosi lectoris gratiam nobis subtexere visum est:



Ricimeri Consules. 2 At quoniam de Ricimeris opportuna hic mentio incurrit, duo quidem apud Cassiodorum in fastis hujus nominis Consules recensentur; alter nimirum sub Valentiniano & Theodosio Imperatoribus *Cassiod. Fastis*

toribus anno Christi trecentesimo octuagesimo quarto; Damasi Papæ decimo octavo. Alter vero sub Leone & Majorano Imperaroribus anno salutis quadringentesimo quinquagesimo nono, & S. Leonis Papæ vigesimo, qui Anthemii Imperatoris gener fuit: cujus olim nomen musivo expressum opere in
...m to. 6. Ecclesia S. Agathæ in Suburra legebatur, ut à Baronio in suis Annalibus memoriæ traditum est, & ...al. an.
huic utique Ricimero præmemoratæ Inscriptionis titulum antiquorum manu aptatum fuisse arbitramur. Reliquæ inter inscriptiones hic à nobis omittendæ essent, utpote quarum certum tempus ex suppresso ibidem Consulum nomine haberi haud potuit; verum ut nil lectorem recolendæ antiquitatis prætereat, cum sint insuper earum pleræque Christianæ religionis signis, ac symbolis affabre exornatæ, & Christi præsertim nomen quammultipliciter expressum exhibeant, hic recensere voluimus.

APTONI IN PACE

MACARIUS FARETRIO SORORI
IN PACE DP XVI. KAL. AUG.

DEP. ERACLIES V IDUS SEPT. DORMIT
IN PACE.

☧ VAL. NICE QE ANN. X VAL.
EXSYPIUS FILIÆ CONTRA
VOTUM

☧ DEO SANCT ☧ UNI.
LUCI TE
CUM PA
CE


TIBURTINÆ FILIÆ DULCISSIMÆ
POSUIT OBIIT IDIBU JUN. VIX.
A. XXI. M. II. D. V. ☧



PAULA ET
IN PACEM

VISIVS SABINVS
AVRELIÆ DISCO
LIÆ CONIVCI DVL
CISSIMÆ QVÆ VI
A II ANN XXXI ET MEN
SES XI DIES XX QVÆ
FECIT CVM COMPA
RE SVO AN
NIS XIII
D X KAL
AVG IN PA

...liano-...igna ...nbola ...ul- Hoc insuper Cœmeterium innumeris prope dixerim lapidum fragmentis redundat. Quamplurima itidem monumenta testaceis occlusa tegulis, ac multiplicibus signis exsculptis, stylo calci impressis, prænotata ibidem extant, hac videlicet ratione:



...mbæ ...amis 3 Præterea quamplures ibi columbæ exsculptæ exhibentur, quæ virentis olivæ ramum ore aut pede præferunt. In marmoreo autem quodam fragmento quendam veluti libellum, & vasculum incisum contemplari nobis licuit, è cujus superficie ramusculus quidam progrediebatur, binas hinc inde columbas præferens, quæ eodem ex vasculo exhaurire aquam videbantur. Plurimas item fictiles ibi lucernas in sepulchris calce obfirmatas reperiri contigit, in quibus & venerabile pariter Christi nomen adnotabatur: haud pauca vero loca in topho excavata ibidem conspiciuntur, ubi eædem à Christianis lucernæ ad depellendas tenebras apponebantur. Nonnulla item eisdem affixa sepulchris numismata, in exteriori parte contemplari quisque poterat, quæ præ nimia vetustate eum in modum labefactata, corrosaque erant, ut cujusnam Imperatoris effigiem præ se ferrent, dignosci haud commode posset.

4 Demum, ut singula, quæ ad rem pertinent, exponamus, celeberrimum quondam Cœmeterium illud extitisse ex ipsomet loci prospectu innotuit: & complures etiam in eodem ordines cryptarum extare intrantibus manifeste patuit; unum scilicet, cui alter substernitur: latentium item viarum semitas illic in sublime protensas, quæ, aliorum instar Cœmeteriorum, excisa in topho hinc inde sepulchra exhibent. Monumenta vero arcuata ibidem quamplura: cubicula quoque gypso, & calce dealbata haud numero pauca, & altitudine quidem, necnon longitudine præ cæteris, quæ extant, magis conspicua, & quæ in antiquis Christianorum Cœmeteriis frequenter inspiciuntur: quorum nonnulla angularibus quatuor columnis, in ipsomet topho excisis, suffulciebantur. Verum haud cujusquam menti dubitandum occurrat, complura videlicet ex his, olim picturis affabre exornata fuisse. Bina tamen ex omnibus dumtaxat Cubicula, & Monumentum unicum arcuatum perscrutanti Bosio intueri fas fuit: quæ typis una cum aliis diligenter impressa, has, quæ sequuntur, imagines lectori exhibent. *Cubicula plurima non parum exculta in Cœmeteriis.*

Cubiculum primum Cœmeterii, quod Latina Via situm est, describitur.

Cubiculum hoc in semitæ cujusdam, seu cryptæ majoris termino extat, quæ cubiculo eodem concluditur: forma autem quadrangulari constat, palmorum undequaque viginti: columnis quatuor in topho excisis innititur: monumenta tria, eademque arcuata continet, in quorum singulis duo satis quidem oblongi, consuetæ tamen formæ, tumuli conspiciuntur. Nonnullas ibidem imagines contemplari licet; quarum una hominem deferentem humeris ligonem, altera humum pala suffodientem coloribus exhibet. In cubiculi autem ejusdem fornice, quædam item imagines exprimuntur, quæ sequenti Tabula, superaddita rerum significatione, lectorum oculis propositæ elucidantur.

A Cubiculi fornix, ubi ſacræ nonnullæ extant figuræ, quas proxima Tabula contemplandas exhibet.
B Tria Monumenta arcuata cum ſua quæque arca ex topho foras paululum projecta.
C Quatuor columnæ angulares, quibus Cubiculi fornix innititur.
D Monumenta oblonga in parietibus, qui monumenta arcuata continent, exiſtentia.
E Paries ſupra cryptam majorem, quà aditus in hoc Cubiculum patet.
F G Binæ imagines in prædicto pariete, qui ſupra cryptam majorem alteram gypſo, calceque dealbatam attollitur, coloribus expreſſæ, quarum altera ligonem, altera palam habet, & duos Martyres ad arenam effodiendam damnatos, vel certe foſſores monumentis in hoc Cœmeterio concinnandis intentos repræſentari crediderim.
H Semita ſepulchris in topho utrimque excisis plena, quæ ad Cubiculum deducit, & palmos circiter vigintiquatuor in longitudinem obtinet.
I Paries exterior oſtii Cubiculi, quod in ſemitæ, ſeu cryptæ majoris termino ſitum eſt.
K L Bini Agni, qui dorſo Crucem geſtant.
M Oſtium ejuſdem Cubiculi arcuatum.



TABVLA VNICA CVBICVLI PRIMI COEMETERII VIA LATINA.



Unica Cubiculi Primi Tabula.

I. Hujus Cubiculi Tabula in fornicis umbilico Paſtorem probum Euangelico præconio celebrem, quem duæ arbores ambiunt, oviculam humeris deferentem exhibet.

II. Chriſtus Dominus, qui puero cuidam manum imponit, ut textus Euangelicæ lectionis docet.

III. Jobum inſuper miſerandum in modum in ſterquilinio jacentem illic videre eſt.

IV. Idem Chriſtus Dominus, qui Lazarum à mortuis excitat.

V. Legiſlator Moyſes, qui ſilicem inter deſerta, atque aſpera loca ad educendos ſitienti populo aquarum rivulos virga percutit.

VI. VII. Et rurſus Chriſtus Servator, qui mitiſſimi agni, nulliuſque maculæ obnoxii ſymbolum præ ſe ferens, ſacroſanctum crucis vexillum dorſo geſtat. *Cubi-*

Cubiculum secundum apud Cœmeterium Viæ Latinæ describitur,

ALterum hujus Cœmeterii Cubiculum præcedenti haud absimile intuenti occurrit, altitudine tamen aliquanto præcellit: fornicem & quatuor itidem singulis angulis columnas præfert. Monumenta, quæ arcuata dicuntur, tria; quæ autem oblonga, & juxta consuetam Cœmeteriorum formam sunt, sex numero continet. Nullæ prorsus in eo imagines, nisi quorundam puerorum in ipsa fornicis facie, inter uvarum racemos, ac virentia folia, blande ac festive colludentium. In semita verò, ipsum juxta Cubiculum, quædam arcuato in monumento imago conspicitur; quam unica ejusdem Cubiculi Tabula exceptam, oculis contemplandam subjecimus.


A Cubiculi fornix vitium frondibus, uvarumque racemis dimidiata crassitudine prominentibus eleganter undique adornatus.

B Tria Monumenta arcuata majora, multorum corporum capacia.


C Quatuor columnæ, quibus Cubiculi fornix innititur, excisæ in topho, & frondibus item ut fornix, uvarumque sertis dimidii anaglyphi insignitæ.

D Sex Monumenta oblonga vulgaria, bina scilicet ad singula quæque Monumenta arcuata, in topho parietis, qui arcui substat, concinnata.

E Cubiculi Ostium.



TABVLA VNICA CVBICVLI SECVNDI ET VLTIMI COEMETERI VIA LATINA.



Unica Cubiculi Secundi Tabula.

I. In media fornicis parte, Pastoris ovem supra dorsum deferentis imago suspicitur, ad cujus pedes binæ oviculæ jacent. Reliquæ fornicis totius partes vitium frondibus, ac uvarum racemis mirifice exornantur, puerisque inter se, uti mos est, jocantibus, affabre ex gypso elaboratis, prominentibusque in pariete corpusculis ambiuntur.

II. III. IV. In arcuati verò monumenti pariete mulieris extensis brachiis Deum exorantis imago exprimitur; ad cujus pedes vascula bina subsidunt, quæ servandis quondam voluminibus apud priscos Christianæ fidei cultores usui esse consueverant. CAP.

CAP. VIII.

De Viis Labicana & Prænestine, ac de profanis earumdem monimentis.

1 UT facrum hoc iter, quod aggreffi fumus, Deo votis annuente, feliciter profequamur, à porta & Via Latina, Cælimontanam, quæ Afinaria olim dicebatur, confulte prætereuntes, cum nil prorfus hanc extra portam, quod ad rem Ecclefiafticam pertineat, & memoratu fit dignum, occurrat, ad portam, quæ huic proxima eft, defcribendam, fi libet, deveniamus. Porro hanc noftra ætate Majorem communi voce omnes appellant, antiqui vero tefte Plinio Labicanam dixere, & Prænestinam item, ut Procopius de Bello Gothico refert, utroque à Viis, Labicana videlicet & Prænestina derivato vocabulo, quæ fuum ab illa principium fortiuntur. Eandem pariter Exquilinam appellatam fuiffe plerique afferunt; extra quam in fontes olim ex legum præfcripto animadvertebatur: quapropter, ut Tacitus ait: *In P. Martium Confules extra portam Exquilinam, cum claffícum canere juffiffent, more prifco advertere.* Idem Suetonius in Claudio his verbis affirmat: *Civitatem Romanam ufurpantes in campo Exquilino fecuri percuffit.* Horatius item 5. Epod. ifthæc recitat:

Post infepulta membra deferent Lupi,
Et Exquilinæ alites.

(Porta Cælimontana. Porta Afinaria. Porta Major. Porta Labicana. Plin. l. 36. c. 5. Procop. de bello Goth. lib. 1. Porta Prænestina. Porta Exquilina. Tacit. lib. 2. Annal. Suet. in Claud. c. 25. Horat. 5. Epod.)

2 Quem locum ubi Porphyrius elucidans, Exquilinam extra portam pauperum corpora vel comburi, vel certe projici confueviffe affirmat. Ibi quoque Puticuli quondam extabant, loca fcilicet puteorum adinftar, ubi paffim quæ projiciebantur, cadavera computrefcebant. Hac quidem ratione hujus derivationem nominis Varro interpretatus eft, dum lib. 1. de Latino fermone ex Ælio Gallo fic habet: *Puticulæ, quod putrefcant cadavera ibi projecta, qui locus publicus ultra Exquilias.* Et Sex. Pompejus Verf. Puticulos, hæc inquit: *Puticulos antiquiffimum genus fepulturæ appellatos, quos ibi in puteis fepelirentur homines, qualis fuerit locus, quo nunc cadavera projici folent extra portam Exquilinam, quæ, quod ibi putrefcerent, inde potius appellatos exiftimat Puticulos Ælius Gallus, qui ait, antiqui moris fuiffe, ut patresfamilias in locum publicum extra oppidum mancipia vilia projicerent, atque ita projecta, quod ibi ea putrefcerent, nomen effe factum Puticulis.* Feftus item agit de Puticulis, vetuftiffimumque genus effe ait fepulturæ in puteis fieri folitum. Extant hujufmodi fepulchrorum fpecies, ut Baronius ait, in arenariis cryptis Cœmeteriorum extra Urbem pofitis. Sed non omnes in Puticulis fepeliebantur: nam Martialis lib. 1. epigram. ad Alcinam de puero defuncto: *Labicana levi cefpite velat humus.* Eandem extra portam quædam item arenariæ cryptæ exiftebant, ubi Afinium olim interfectum fuiffe Cicero Orat. pro Cluentio his plane verbis affirmat: *Afinius autem brevi illo tempore, quafi in hortulos iret, in arenarias quafdam extra portam Exquilinam perductus, occiditur.*

(Puticuli. Varro l. 1. de ling. Lat. Sext. Pomp. Baron. in not. ad Mart. die 10 Febr. Cryptæ Arenariæ. Cic. pro Cluent.)

3 A porta vero Exquilina ambæ, ut diximus, Viæ Labicana fcilicet & Prænestina initium aufpicantur, Strabone tefte his plane verbis: *Porro in unum cadit Labicana, à porta quidem Exquilina incipiens, à qua & Prænestina: finistra vero & hanc Exquilinam omittens, campum ultra centum & viginti ftadia pergit. Cum autem Labico vetufto fane oppido, cæterum disjecto & in fublimi fito propinquat, & hoc & Tufculum relinquit à dextera, &c.* Labicana igitur Via nuncupatur, quæ *Labicum* ducit, hodie vulgo *Columna.* Pari item ratione Prænestina dicitur, quæ ad Præneste urbem vetuftiffimam deducit. Prænestinæ autem hujus Viæ Plinius meminit, cum de Aqua Virgine agens lib. 31. c. 4. hæc dicit: *Agrippa & Virginem adduxit ab octavi lapidis diverticulo 11. millibus paffuum Prænestina Via.* Porro Labicana Via celebre antiquis temporibus Quietis Templum extabat; cujus ipfe Livius Decad. 1. l. 4. his verbis mentionem facit: *Cum hæc agerentur, jam Conful Via Labicana ad fanum Quietis erat.* Eandem juxta Viam, Quintium Attam fcriptorem celeberrimum tumulatum fuiffe Eufebius teftatur in fuo Chron. Olympiad. 175. *Quintius Atta fcriptorum Togatorum* (inquit ille) *Romæ moritur, fepultufque Via Prænestina ad milliarium fecundum.* Alcimi quoque pueri ibidem fepulchrum extitit, Martiale tefte Epigr. 72. lib. 1. his Carminibus:

Alcime, quem raptum domino crefcentibus annis
Labicana levi cefpite velat humus.

Salvii itidem Iuliani inter Jurifconfultos notiffimi, bis Confulis, & Urbis Præfecti eadem Via fepulchrum extitit, in quo poftea Didium Julianum Imperatorem ejus pronepotem tumulari contigit; quod Spartianus in eodem Didio his verbis teftatur: *Corpus ejus à Severo uxori Manliæ Scatillæ, ac filiæ ad fepulturam eft redditum, & in proavi monumentum tranflatum; milliario quinto, Via Labicana.* Demum eadem Via hac noftra ætate, in quadam Fabricii Lazari Aulæ Confiftorialis Advocati vinea, marmorea fepulchralis arca Alexandri Severi Imperatoris, & Mammeæ ejufdem matris reperta eft, in qua trita, ac celebris illa raptarum Sabinarum hiftoria infculpta exhibetur: in ejus autem operculo eorundem Alexandri & Mammeæ imagines affabre elaboratæ confpiciuntur. Quæ quidem arca tanquam nobile antiquitatis Romanæ trophæum, in Urbem tranflata, in auguftiffimo Capitolii atrio ad hanc ufque diem inter cætera præclara rerum antiquarum monumenta affervatur. Sed à profanis pedem revocantes, ad Cœmeteria, quæ Via Labicana occurrunt, orationem convertamus.

(Via Labicana. Via Prænestina. Strabo l. 5. Labicum. Columna. Aqua Virgo. Plin. l. 31. c. 3. Templum Quietis. Liv. dec. 1. l. 4. Quintius Atta. Eufeb. in Chronic. Olymp. 175. Martial. epig. 72. Sepulchrum Salvii Juliani. Didius Julianus Imperator. Spart. in Did. Imp. Arca fepulchralis Alexandri Severi & Mammeæ.)

CAP. IX.

De Cœmeterio inter Duas Lauros, five beatorum Martyrum Tiburtii, Marcellini, Petri, ac S. Helenæ, Via Labicana.

COemeterium iftud à prifcis Chriftianæ fidei cultoribus tunc potiffimum temporis, cum acrioribus gentilium procellis Ecclefia Dei impeteretur, in fubterraneis Labicanæ Viæ meatibus extructum eft, eo nimirum loco, qui vulgo inter duas lauros appellabatur, ab hujufcemodi fortaffe arboribus quæ ibidem exiftebant: nam & alia item loca ab arboribus ibi confitis denominata interdum fuiffe ex confcriptis hiftoriarum paginis fatis fuperque novimus, uti præ cœteris locus ille ad Malum Punicum quondam nuncupabatur, de quo Publ. Victor & ad Pyrum, de quo Mart. Latina itidem Via, ob eandem fere rationem, locus pariter duas inter lauros appellatus eft, uti jam diximus; qui tamen longe ab ifto, quem hactenus memoravimus, differre videtur.

2 Porro de Cœmeterio hoc duas inter lauros in M. S. S. Tiburtii Actis Cod. S. Petr. junctis una fimul cum B. Sufannæ Actis, & in Martyrologio item Romano mentio incurrit, ubi eundem martyrio inter duas

(Locus inter duas lauros Via Labicana. Ad Malum Punicum. Publ. Vict. reg. 6. Martial. epig. 16. Ad Pyrum. S. Tiburtii M. S. Cod. Petr. Mart. Rom. 3. id. Aug.)

ter duas lauros affectum fuisse, tertio ab Urbe milliario, perhibetur. Idem plane in Bedæ, Adonis & Usuardi Martyrol. & apud Petrum de Natalibus describitur. Ibidem verò conspicuæ sanctitatis fœminæ Lucilla & Firmina cubiculum sibi construxerant; ubi eisdem jugiter orantibus idem S. Tiburtius unà cum beatis Martyribus Marcellino presbytero & Petro exorcista, sub dirissima eadem Diocletiani persecutione, martyrio coronatis, se videndum exhibuit, in loco, qui primum Silva nigra, Candida postmodum nuncupatus est. Quæ quidem beatissimæ mulieres veneranda Martyrum eorundem corpora, iisdem jubentibus, juxta S. Tiburtii corpus in cryptæ inferioris ambitu reposuere; quod in ipsorummet sanctorum Martyrum Marcellini, & Petri Actis hunc in modum describitur. *Erant Lucilla & Firmina Christianissimæ fœminæ parentes S. Tiburtii Martyris; cujus nobilitas & in terris inter Senatores magna fuit, & inter Martyres magnificentior probatur in Cælis. Hæ dum amore parentis Martyris à sepulchro ejus non recederent; & ibi, ut alibi legitur, sibi construxissent cubiculum, atque ibi diu noctuque perseverarent, apparuit eis in visu S. Tiburtius cum his duobus Martyribus, & instruxit qualiter ambularent, & corpora eorum de silva auferrent, atque ibi juxta se in inferiori parte cryptæ sepelirent. Quibus adjutorio fuerunt duo acolythi Ecclesiæ Romanæ, &c.* Vides hinc mulieres beatorum Martyrum obsequio addictas, Martyrum apparitione recreatas, & de his, quæ saluti congruerent, iisdem admonentibus instructas impensi uberem obsequii mercedem à Domino recepisse. Sed & de studiosa earumdem fœminarum in tumulandis martyribus opera hæc paulo infra: *Quorum corpora beatorum Marcellini presbyteri & Petri exorcistæ Martyrum collegit Lucilla, & posuit in vehiculo noctu, & adduxit Via Labicana, milliario ab Urbe tertio, & sepelivit sub die 4. non. Jun. in pace.* Id ipsum Ado perhibet, quamvis translationis tempus ad v. Kalend. Septembr. non ad iv. Non. Jun. ut recensitis in Actis, referat, quod forte magis ipsi veritati consonat. Quarto enim Non. Junii natalitius dies, non autem translatio horum Martyrum contigit. Hæc eadem recolenda translationis historia apud Surium hismet versibus recensetur:

Duæ quædam referuntur Romæ natæ fœminæ,
Una dicta est Lucilla, Firminaque altera.
Veram puris retinentes Christi fidem cordibus.
Quæ propinquæ ter beati Martyris Tiburtii,
Ad illius sacrosanctum assidentes tumulum;
Deo gratias vigilando ducebant excubias.
Quibus ipse cum beatis semet comitantibus
Marcellino atque Petro manifeste retulit
Per soporem, ubi sacra jacuissent corpora
Eorundem electorum: atque simul admonet,
Ut euntes absque mora, illa statim auferant,
Et in crypta suum prope curent corpus ponere.
Qui præceptis obsequentes Nigram silvam adeunt,
Sublatosque beatorum inde portant cineres,
Et in specu deponentes, jusso loco tumulant.

3 Verum de beatis eisdem Mart. Petro & Marcellino hæc præcipue Romano in Martyrologio iv. Nonas Junii, post enarratam eorundem martyrii seriem recitantur: *Horum corpora in crypta juxta sanctum Tiburtium sepulta sunt, eorumque sepulchrum S. Damasus Papa versibus postea exornavit.* Hujuscemodi autem versus in M. S. iisdem Actis recitantur; nam post certaminum, ac martyrii descriptionem hæc subjiciuntur: *Hæc omnia Damasus, cum lector esset, & adhuc puerulus, didicit ab eo, qui eos decollaverat, & postea factus Episcopus, in eorum sepulchro his versiculis declaravit:*

Marcelline tuos pariter, Petre nosce triumphos;
Percussor retulit Damaso mihi cum puer essem,
Hæc sibi carnificem rabidum mandata dedisse
Sentibus in mediis vestra ut tunc colla secaret,
Ne tumulum vestrum quisquam cognoscere posset;
Vos alacres, vestris manibus mundasse sepulchra;
Candidulo occulte postquam jacuistis in antro.
Postea commonitam vestra pietate Lucillam,
Hic placuisse magis sanctissima condere membra.

(Epitaphium SS. Marcellini & Petri. Apud Baron. Annal. to. 2. an. 302.)

Ex quibus ipsummet carnificem, qui quondam gladium in Sanctos viros exeruerat, eorundem gloriæ, ac triumphi præconem effectum, linguam pariter in eorumdem laudes exeruisse, locum, in quo jacebant, indicando, ipso Damaso attestante, didicimus. In Romano item Martyrologio 11. Kalend. Januar. triginta Martyrum duas inter Lauros martyrio coronatorum memoria recolitur; quorum nomina post triumphalem palmam in libro Vitæ descripta sunt. (Rom. Mart. die 21. Kal. Ian. Triginta Martyres.)

4 Ibi postmodum in sanctorum martyrum Marcellini & Petri honorem Constantinus Magnus Imperator nobilem à fundamentis Ecclesiam erexit, in qua Helena piissima ejusdem mater, intra porphyreticam urnam condita fuit, ut in Martyrologio Romano xv. Kal. Septemb. & prolixius in M. S. ejusdem Helenæ Actis Codd. Later. & S. Petri his quidem verbis exponitur: *Postquam beatissima Helena Romam ad filium rediit, ibi plena dierum, ultra octogesimum ætatis annum, expleto vitæ suæ cursu cum felici lætitia sexto Id. Febr. deposito carnis onere Cælo reddidit spiritum, & sepulta est honorifice cum aromatibus Via Labicana, ubi dicitur inter duas Lauros milliario tertio ab Urbe. Et in eodem loco fecit Basilicam sanctis Martyribus Marcellino & Petro, & ibi in Mausoleo porphyretico, undique pretiose sculpto; juxta regiam excellentiam, matrem suam sepelivit.* Nobilissimi verò ejusdem Helenæ sepulchri, & beatorum Marcellini & Petri Ecclesiæ meminit Ado in Chron. ætat. 6. sub Christi anno trecentesimo sexto: Beda item de sex ætatibus sub anno à creatione mundi MCCCCLIX. qui ambo Ecclesias ab eodem Constantino Magno pari munificentia erectas iisdemmet verbis recensentes, hæc ajunt: *Item Basilicam Via Labicana inter duas lauros beatis Petro & Marcellino martyribus, & Mausoleum, ubi matrem suam posuit in sarcophago purpureo.* Et apud Bibliothecarium in Vita B. Silvestri hæc habentur: *Eisdem temporibus Augustus Constantinus fecit Basilicam beatissimis Martyribus Marcellino presbytero, & Petro exorcistæ, inter duas lauros, & Mausoleum, ubi beatissima mater ipsius sepulta est Helena Augusta in sarcophago porphyretico, Via Lavicana milliario ab Urbe Roma tertio, &c.* Recensentur autem ibidem Constantinianæ munificentiæ dona ac munera, quæ magni utique animi Imperator *pro amore matris*, ut idem Bibliothecarius inquit, *& veneratione sanctorum*, eidem Ecclesiæ obtulit. Verum in hac ipsa Ecclesia, ut probabiles quidem rationes nobis ultro suadent, à sanctissimo Pontifice Gregorio Magno, habita quondam fuit Homilia sexta in Matth. quæ ejusdem Ecclesiæ titulo hunc in modum prænotatur, videlicet: *Homilia habita ad populum in Basilica*

(Ecclesia SS. Marcellini & Petri. Sepulchrum Helenæ. Martyr. Rom. 15. Kal. Sept. — M. S. Codd. Lat. & S. Petr. — Ado in Chron. æt. 6. an. 306. — Beda de Sex ætat. an. mund. 4259. to. 2. — Bibl. in Vit. S. Silv. Papæ. — Bibl. l. sup. cit. — Greg. homil. 6. in Matth.)

lica sanctorum Marcellini & Petri die natalis eorum. Vero similius enim nobis rem altius contemplantibus, eandem in hac potius Ecclesia homiliam recitatam fuisse videtur, ubi tunc temporis religioso excepta cultu sanctorum corpora quiescebant, uti ipsi beato Gregorio mos erat, quàm in ea, quæ Lateranensem juxta Basilicam sita est, & sanctorum item Marcellini & Petri titulo decoratur; quamvis & hæc (cujus nuper meminimus) proculdubio vetustissima sit, ejusdemque in Romana Synodo sub ipsomet Gregorio, digna utique mentio incurrat.

Ecclesia SS. Marcellini, & Petri.

5 Porro Bibliothecarius Ecclesiæ sanctorum Marcellini & Petri primum à Benedicto Papa III. instaurationem, & rursus à Nicolao Primo Pontifice præstitam fuisse enarrans, & ipse haud obscure legentibus dubitandi ansam præbet, de qua videlicet harum Ecclesiarum inter scribendum subintellexisse voluerit: ubi enim de Benedicto Papa loquitur, isthæc verba profert: *Necnon & in Ecclesiam beatorum Petri & Marcellini, cujus tectum jam vetustate positum, vicinum ruinæ existebat, depositis vetustissimis trabibus, & aliis impositis à noviter ipsum tectum, atque porticus in circuitu omnia noviter restauravit.* Et subinde de Nicolao Pontifice isthæc recitat: *Nicolaus ad Basilicam beatorum Martyrum Marcellini & Petri, quæ inter duas lauros sita est, properavit, quam vetustate solutam, ruinaque confractam invenit, & sentibus coopertam, tribulisque repletam, ita ut nulli ad eam aditus panderetur. Cujus mox fundamenta, validissimo ædificio renovans, in meliorem statum, ut pridem fuerat, restauravit, in quam nunc ad laudem nominis divini, populi multitudo properat, & confluit.* Magnam igitur, ut videre est, Bibliothecarii verba lectoris animo ambiguitatem ingerunt.

Bibl. in Bened. Pap. 3.

Bibl. de Nicol. Pap. 1.

6 Porro, ut rem hanc maturius edisseramus in M. S. quibusdam Codicibus hujuscemodi instauratio, quæ à Nicolao Pontifice præstita est, desideratur, & in aliis, imo & in Pontificis ejusdem gestis, quæ To. 3. Conciliorum conscripta habentur, pro verbis illis: *Inter duas lauros*, legitur: *In Erulana*, corrupto videlicet vocabulo *pro Merulana.* Quapropter germana verborum lectione paginis reddita, fatendum nobis proculdubio est, à Nicolao Pontifice eam potissimum Ecclesiam instauratam fuisse, quæ prope eandem Lateranensem Basilicam extat, haud procul à loco, qui vulgo in *Merulana* dicitur; ubi & Beati Matthæi Apostoli Ecclesia in Merulana item dicta usque nunc subsistit. Ut ipsa autem veritas magis studioso lectori innotescat, haud ullatenus probabile nobis fit, de hac Bibliothecarium item locutum fuisse. Cum enim Romanorum Pontificum ædibus Ecclesia hæc proxima esset, & Cardinalitio insuper titulo decoraretur, nimis quidem absurdum foret, si quis leviter opinando assereret, eamdem longo temporum interlapsu eo usque redactam, ut sentibus hinc inde cooperta, ac tribulis undique circumfusa, accedentibus impervia omnino existeret, qua plane lugubri facie eandem ipsemet Bibliothecarius describit. Id igitur probabilius nobis arridet, si nimirum, quæ a Bibliothecario hactenus enarrata sunt, de Ecclesia ab Imperatore Constantino Lavicanam juxta Viam erecta subintelligantur. His adde, quod minus item verisimile habendum videtur, eandem ab utroque Pontifice Ecclesiam, de qua nunc agimus, in pristini formam splendoris restitutam fuisse. Quippe si Benedictus Pontifex hanc, ut hi asserunt, instauravit; quorsum Nicolao, qui eidem proxime in Pontificatu successit, operi manum apponendi iterum opus fuit? cum Benedictus Papa biennio duntaxat in Petri Cathedra sederit, quo quidem brevi temporis interstitio ipsammet Ecclesiam ad enormem adeo abolitæ vetustatis formam, ac desolatam rerum faciem devenisse, haud creditu facile est. Fateamur igitur opus est, a Benedicto Tertio Ecclesiam illam instauratam esse, quæ juxta Lateranense Palatium ad hanc usque diem visitur: a Nicolao autem Pontifice hanc, de qua sermo recurrit, Via Lavicana existentem, quæ tunc ruinis scatebat, pristino decori restitutam.

Ecclesia B. Matthæi in Merulana.

7 In eodem insuper Cœmeterij loco Ecclesia in S. Tiburtij honorem erecta fuit; cujus Ehinardus in relatione inventionis corporum beatorum Marcellini & Petri mox subtexenda meminit: ex qua illud quidem conjici fas est, in ea ejusdem Beati Tiburtij corpus conditum fuisse; & in eadem Ecclesia ad Cœmeterium, in quo sanctorum Marcellini & Petri olim corpora asservabantur, accedentibus ultro aditum patere. Quapropter haud perperam conjectari licet, hoc idem esse, ac eorundem beatorum Martyrum templum, vel certe illi valde proximum, atque cohærens. Ibi quoque Ecclesiam in S. Helenæ honorem erectam fuisse in conscriptis Stephani Papæ Quinti gestis apud Bibliothecarium legitur, his plane verbis: *Nec non & in Basilica B. Helenæ fecit vestem de fundato, &c.* Quæ etiam sub ipsamet Martini Papæ Quinti tempora extabat. Nicolaus enim Signorilis in lib. Reliquiarum Urbis, quem eidem Pontifici inscripsit, eandem inter Ecclesias tunc temporis tam intra quam extra Urbis ambitum existentes adnumerat: & ab ipsamet subinde Cencius Camerarius, & Petrus Manlius Cœmeterium, de quo agimus, his plane verbis denominant: *Cœmeterium inter duas lauros ad Sanctam Helenam.* Quamvis communi vocabulo, beatorum Marcellini & Petri Cœmeterium nuncupetur. Hoc sane titulo ab eodem Bibliothecario sæpesæpius inscribitur, dum in Honorii Papæ Primi gestis hæc recitat: *Renovavit Cœmeterium beatorum Martyrum Marcellini & Petri Via Lavicana.* In gestis itidem Adriani Primi isthæc: *Cœmeterium itaque beatorum Martyrum Petri & Marcellini noviter fecit, & gradus ejus, qui descendunt ad eorum sacratissima corpora, noviter fecit: quoniam nullus erat jam descensus ad ipsa sancta corpora.* Idem quoque in aliorum Pontificum ejusdem Cœmeterii instauratorum historijs repetit. Cum hujus autem Ecclesiæ B. Helenæ nullibi hac nostra ætate, quod videamus, vestigium supersit, uti ruinarum reliquiæ ipsius S. Tiburtij Ecclesiæ adhuc extant, haud improbabilibus quidem rationibus adducti ipsammet Sanctorum Marcellini & Petri Basilicam, Beatæ item Helenæ titulo quondam nuncupatam fuisse; ex eo præsertim conijcimus, quod corpus augustissimæ ejusdem fæminæ ibi in porphyretico Mausoleo condigno honore asservaretur.

Ecclesia S. Tiburtii.

Ecclesia [S.] Helenæ.

Bibl. in v[ita] Steph. P[ap.] 5.

Nicol. Sig[nor.] in lib. reliq. Urb[is].

Cœmeterium ad S. Helenam.

Bibl. in [Ho]norio Pap.

Idem in [A]drian. P[ap.] 1.

8 Eorundem vero Martyrum Marcellini & Petri corpora ex ipsomet Cœmeterio, Deo revelante, in Gallias translata fuere, ut fusius Ehinardus Caroli Magni a secretis apud Surium To. 3. Iunij 2. describit, Baronius item Annal. Tom. 9. an. 826. cujus aliquam saltem enarrationis partem ad instituti

Translati[o] corporum SS. Marce[l]lini, & Petri.

Ehinard. apud Sur. to. 3. die 2. Iun.

Baron. A[n]nal. to. 9. an. 826.

instituti nostri propositum hic subtexere haud pigebit, lectori, ut credimus, gratam quammaxime, ac perjucundam futuram, Ehinardus igitur post enarratam Basilicæ à se erectæ constructionem, Romani cujusdam Diaconi, cui Deusdona nomen erat, mentionem subtexit, qui ad principis Ludovici aulam, ejusdem imploraturus opem advenerat. Subdit præterea habitum cum viro principe congressum, & præstitam sibi ab eo sacrarum reliquiarum, quibus cumulandus erat, sponsionem, quas in Basilica præmemorata reconderet. Viaticum insuper redeunti sibi hujus rei gratia impensum, & ineundi itineris comitem, Ratleicum nomine, notarium suum, qui devotionis causa Romam proficiscendi votum nuncupaverat, designatum fuisse enarrans, ipsum iter prosequitur, suamque ad Hilduvinum Abbatem in monasterio S. Medardi profectionem subjicit; cui idem Diaconus beati Martyris Tiburtii corpus se daturum pollicitus fuerat. Quibus ille sponsionibus vehementer illectus, presbyterum quendam unà cum eis, nomine Huno, transmisit, ut accepto videlicet ab ejusdem manibus Beati Martyris corpore, illud ad se perhonorifice deferret: *Contigit autem* (inquit Ehinardus translationis historiam prosequens) *postquam Italiam intraverunt, ut puer notarii mei, nomine Reginbaldus, tertiana febri correptus non modicum profectionis eorum faceret impedimentum. Cumque hoc incommodo iter illorum non mediocriter fuisset retardatum; illi tamen prout poterant, illud accelerare contendebant. Tribus diebus priusquam ad Urbem venirent, apparuit in visu illi febricitanti quidam homo in habitu diaconi, perquirens ab eo quamobrem dominus suus Romam ire festinaret? Cui cum ille & promissa diaconi de reliquiis sanctorum mihi mittendis, & de his, quæ Hilduvino Abbati pollicitus est, prout illi comperta erant, exponeret. Non ita erit, inquit, sed longe aliter, ac vos existimatis, causarum, propter quas venistis, exitus adimplebitur. Nam diaconus iste, qui vos Romam venire rogavit, aut parum, aut nihil de his, quæ vobis promisit, facturus est, ac proinde volo, sequaris me, atque ea quæ tibi ostensurus, atque dicturus sum; mente sollicita cures advertere. Tunc manu comprehensum, ut sibi videbatur, montis præcelsi cacumen secum conscendere fecit, in quo cum simul positi consisterent: Convertere, inquit, ad orientem, & subjectos oculis tuis campos intuere. Quod cum fecisset, & campos, de quibus sibi dixerat, fuisset intuitus, vidit in eis molis immensæ fabricas in modum magnæ cujusdam civitatis extructas, & interrogatus ab eo, si sciret quid hoc esset: se nescire respondit. Tum ille: Roma est, inquit, quod vides: statimque addidit: Dirige oculos in ulteriora civitatis, & contemplare, si aliqua tibi in his locis appareat Ecclesia. Cumque sibi quandam Ecclesiam apparere dixisset: Vade, inquit, & Ratleico nuntia, quoniam in Ecclesia, quam modo vidisti, illa res est recondita, quam ille Domino suo debet afferre; & ideo det operam, ut eam quanto celerius fieri potest, accipiat, & ad Dominum suum revertatur.* Vides hinc, amice lector, quam sollicitos se de suorum corporum obsequio viri sancti post mortem, ut alibi diximus, exhibeant, & piorum hominum votis, sacras reliquias requirentibus, quam prompte, libenterque conniveant: sed susceptam interim narrationem persequamur.

[Left margin, cut off: ...aste- ...S.Me- ...c. | ...ard. ...nslat. ...SS. ...& ...tellini. | ...arcelli- ...n fo- ...sese ...ndum ...um ...t. | ...esia, ...liquiæ ...arcel- ...& Pe- ...ustunt, ...u ...stratur ...ui illas ...ebant.]

10 *Cumque ille diceret, quod nemo de his, qui secum venerant, in hujusmodi re fidem dictis suis esset habiturus; respondit & dixit: Tu nosti, quod omnes, qui tecum hoc iter agunt, tibi conscii sunt, quia complures dies in febri tertiana laborasti, & nondum te ab illa ullam habuisse remissionem. Et ille: Ita est, inquit, ut dicis. Quapropter, ait, volo ut pro signo tibi sit, atque his, quibus verba, quæ dixi, relaturus es, quoniam ex hac hora, febri, qua usque modo detinebaris, sic per Dei misericordiam cariturus es, ut te ulterius in hoc itinere non contingat. His dictis, expergefactus, omnia quæ sibi vidisse, vel audisse videbatur, Ratleico referre curavit. Quæ cum Ratleicus presbytero secum pergenti exposuisset, visum est ambobus, ut experimentum somni ex veritate promissæ sanitatis approbarent. Nam eadem die juxta qualitatem febrium, quibus laborare consueverat, febricitare debebat is, qui somnium viderat, & ut non vana illusio, sed potius vera revelatio fuisse ostenderetur, neque illa die, neque cæteris, quæ illam secutæ sunt, ullum in corpore suo consuetarum febrium sensit indicium. Sic factum est, ut visioni crederent; & fidem diaconi promissis non haberent.* En supernarum revelationum, præstitis à Deo signis certa omnino, atque indubitata comprobatio, ut mirabilibus verbis facta mirabiliora, ut vides, fidem astruant. *Igitur Romam venientes* (inquit ille) *juxta Basilicam beati Petri Apostoli, quæ dicitur ad Vincula, in domo ipsius, cum quo venerant, diaconi hospitium acceperunt, manseruntque cum eo per aliquot dies, opperientes promissionum ejus adimpletionem; sed ille, qui suas pollicitationes perficere non valebat, ipsum quod non poterat, quibusdam procrastinationibus palliabat. Tandem locuti cum illo, cur eis illo modo vellet illudere, percontati sunt, rogantes simul ne se diutius fallendo detineret, & reversionem suam vanis spebus impediret. His ille auditis cum cerneret se hujusmodi calliditate eis jam amplius non posse imponere, primo notarium meum certum fecit de reliquiis mihi promissis, quod eas habere non posset; eo quod frater suus, cui & domum & cuncta, quæ habebat, inde abiens commendaverat, negotiandi gratia Beneventum esset profectus, ac se penitus ignorare, quando esset reversurus. Et quia reliquias illas, sicut & cæteram supellectilem ad servandum commiserat, nec omnino se scire posse quid de his fecisset, quoniam eas in eadem domo nusquam invenisset; proinde videret quid faceret, quia de parte sua nihil restaret, quod operari posset. Postquam hæc notario meo dixit, & ille se ab eo illusum, & male sibi impositum quereretur, nescio quibus vanis ac frivolis etiam presbyterum Hilduvini allocutus, spe simili animatum fecit abscedere.*

11 *Postridie verò cum valde tristes videret, hortatus est, ut simul cum illo ad Cœmeteria sanctorum pergerent, videri sibi quod in eis aliquid tale inveniri posset, que eorum desiderio satisfieret. Cumque eis hoc consilium placuisset, vellentque ut quanto ocyus id, ad quod faciendum eos hortabatur, inchoarent; more solito negotium dissimulavit, & eos, quorum animi tunc paululum erant erecti, in tantam desperationem hac dilatione dejecit, ut omisso illo, statuerent in patriam, quamvis infecto negotio, reverti. Sed notarius meus recolens somnium, quod puer suus viderat, cœpit comitem suum hortari, ut sine hospite suo irent ad Cœmeteria; ad quæ visenda ille se eos ducere velle promisit. Itaque invento atque conducto duce, locorumque monstratore; primo ad*

[Right margin: Valetudine restituta ægro revelatio divina comprobatur.]

[Right margin: Basilica B. Tiburtij Via Lavicana.]

Basilicam B. Tiburtij martyris in Via Lavicana, tribus ab Urbe passuum millibus distantem veniunt; Martyrisque tumbam quanta possunt diligentia contemplantur, & utrum, sic ut alij non sentirent, aperiri posset, cauta circumspectione considerant. Deinde in cryptam eidem Basilicæ contiguam, in qua beatorum Christi martyrum Marcellini & Petri corpora erant translata, descendunt, atque explorata illius monumenti qualitate discedunt; æstimantes hoc factum hospitem suum posse latere; sed aliter evenit, atque arbitrati sunt. Nam cito ad illum hujus facti notitia pervenit, veritusque ne sine illo voluntati suæ satisfacere debuissent, statuit consilium eorum festinando prævenire. Et quia ille eorumdem locorum omnimodam & plenariam notitiam habebat, blande illos alloquitur, hortaturque, ut illuc simul veniant, & communi consilio facerent, quicquid eis videretur faciendum. Assensi sunt ejus voluntati, tempusque id aggrediendi pari consensu constituunt. Tunc peracto jejunio triduano, noctu ad locum, nullo Romanorum civium sentiente, perveniunt, ingressique Basilicam B. Tiburtij, primo altare illud, sub quo sacrum ejus corpus situm credebatur, aperire tentaverunt; sed parum successit eorum voluntati molitio operis inchoati; nam monumentum durissimo marmore extructum, inermes id aperire conantium manus facile repellebat. Igitur omisso Martyris sepulchro, ad tumbam beatorum Marcellini & Petri descendunt, atque ibi invocato Domino nostro Iesu Christo, & adoratis sanctis Martyribus, lapidem, quo summitas sepulchri tegebatur, de loco suo levare moliuntur. Quo sublato vident sacratissimum sancti Marcellini corpus in superioribus ejusdem sepulchri partibus positum, tabulamque marmoream ad caput positam, quæ titulo, quem continebat, evidens indicium dabat, cujus in eo loco Martyris membra jacuissent, quod ut par erat, cum summa veneratione suscipientes levant, & munda sindone involutum Diacono ferendum, atque servandum tradunt. En consuetus fidelium mos sacra martyrum corpora insculpto nomine, & ipsum intra sepulchrum reposito Posteris prænotandi: sed actorum interim sterba excipiamus.

Tumba SS. Marcellini, & Petri.

Titulus in sepulchro nomen sancti præferens.

12 *Ac ne ulla sublati corporis indicia remanerent, lapidem loco suo reponentes, in Urbem ad hospitia sua revertuntur. Diaconus autem arbitratus notario meo hoc satisfactum esse, cœpit illum hortari, ut accepto corpore B. Marcellini rediret in patriam: sed ille longe aliter meditabatur. Nam, ut mihi postea retulit, videbatur illi nequaquam sibi licere cum solo B. Marcellini corpore in patriam regredi, quasi nefas esset, ut corpus B. Petri Martyris, qui ejus socius in passione fuerat, & per quingentos, & eo amplius annos in eodem sepulchro unà cum illo requieverat, illo inde transeunte remaneret: sed de hoc qualiter fieri posset, vehementer ambigebat. Noverat enim neminem à se Romanum inveniri posse, qui sibi ad hoc ullum ferret auxilium, sed ne talem quidem, cui hæc animi sui secreta auderet ostendere. In hac cordis anxietate constitutus, reperit quendam monachum peregrinum, nomine Basilium, qui ante biennium de Constantinopoli Romam venerat, atque ibi in monte Palatino apud alios Græcos ejusdem professionis cum quatuor discipulis suum hospitium habebat. Hunc adijt, atque ei, quam patiebatur solicitudinem aperit. Tum consilijs ejus animatus advocato ad se comite suo Hilduvini presbytero, cœpit cum eo tractare, ut iterum ad Basilicam B. Tiburtij clanculo pergerent, ac tumbam, qua Martyris corpus reconditum credebatur, aperire denuo molirentur. Placuit consilium, assumptisque, quos secum adduxerant, pueris, hospite eorum penitus ignorante, clam noctu profecti sunt. Cumque ad locum ventum esset, votis pro re prosperanda ante ædis januam factis, ingrediuntur, divisisque socijs inter se, presbyter ad corpus B. Tiburtij quærendum in ipsius Basilica cum aliquibus remansit. Ratleicus cum reliquis in adhærentem eidem Ecclesiæ cryptam, ad B. Petri corpus accessit, apertoque sine ulla difficultate sepulchro, sacra S. Martyris membra, nullo prohibente, sustulit, & serico pulvino, quem ad hoc paraverat, recepta, diligenter inclusit. Interea presbyter, qui corpus B. Tiburtij quærebat, magno labore frustra consumpto, relicto opere in cryptam ad Ratleicum descendit, & quid sibi faciendum esset, ab eo quærere cœpit. Cui cum ille arbitrari se diceret, quod S. Tiburtij reliquiæ essent inventæ eique id, de quo dicebat, ostenderet. Nam paulo antequam idem presbyter ad cryptam veniret, reperit in eodem sepulchro, in quo sanctissimorum Marcellini & Petri sacra corpora jacuerant, foramen quoddam rotundi schematis, trium fere pedum longitudinis, introrsum excavatum, pedali amplitudine patens, & in eo minuti pulveris non modicam portionem repositam. Visum est ambobus, quod hic pulvis de corpore B. Tiburtij, ossibus inde sublatis, remanere potuisset, & ob hoc ut difficilius inveniretur, medio loco inter beatos Marcellinum & Petrum in eadem tumba fuisset dispositus, convenitque inter eos, ut eum presbyter sumeret, & reliquijs B. Tiburtij secum deferret.* Ex quibus palam fit, sanctos ipsos vel post mortem amare consortium, & unitatem diligere, nec unum ab alio, cum quo videlicet martyrij, vel tumuli societate participaverat, ullatenus disiungi velle: *quomodo enim in vita dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.*

Galli B. Petri exorcistæ corpus habere quoque satagunt.

Monasterium Monachorum Græcorum ad Palatinum.

B. Petri martyris corpus invenitur, in Gallias transfertur.

13 Hujus autem historiæ auctor crebrorum miraculorum seriem subtexit, quæ, dum eorundem beatorum martyrum reliquiæ deferrentur, variis quidem locis divinitus patrata sunt: sacrorum item pignorum in Ecclesia ab eodem Einhardo extructa depositionem, & demum inde translationem solemni ritu ad Vici Malheim nuncupati Ecclesiam præstitam commemorat. Eo autem fere tempore, ut nobis quidem existimare fas est, Beati Tiburtii corpus à Gregorio Papa Quarto in Urbem translatum, in Oratorio D. Gregorii à se apud Vaticanam Basilicam erecto, ejusdem Gregorii opera unà cum aliis sanctorum Martyrum corporibus, quæ illuc pariter ex eorundem Cœmeteriis intulerat, conditum est, Bibliothecario hujus rei teste in ejusdem Gregorii Papæ IV. gestis; quod & apud Petrum Manlium, & ex aliis M. S. Codd. compertum fit, in quibus beatum Mart. Tyburtium Chromatii Præfecti filium fuisse describitur.

Translatio corporis S. Tiburtii.

Bibl. in Greg. Papa. Petr. Manlius.

14 Porro de sanctissima fœmina, immortalibus utique laudum præconiis celebranda Helena Augusta subobscuræ nonnullæ adhuc assertiones, ac multiplicibus difficultatum nodis obvolutæ per manus passim circumferuntur, quonam videlicet loco præclari nominis fœmina diem suum obierit? Et sacrum ejus Corpus sepulturæ demandatum fuerit? Variæ enim hac super re scriptorum sententiæ extiterunt. Socrates quippe lib. 1. c. 13. de ea hæc ait: *Mortem obiit. Corpus ejus ad Constantinopolim, quæ nova Roma appellata erat, deportatum, regali sepulchro conditum est.* Eusebium, ut Baronius inquit Annal. To. 3. ann. 326. n. 627. perperam interpretatus, qui in Magni Constantini gestis lib. 3. c. 46. ita de Augustissima fœmina ejusdem post obitum coram Constantino filio enarratum isthæc scribit: *Magna satel-*

Corpus S. Helenæ ubi nam reperiatur.

Socrat. hist. l. 1. c. 13.

Bar. Annal. to. 3. an. 326. n. 627. Euseb. hist. l. 3. c. 46.

satellitum turba ad civitatem, quæ principem locum tenet Imperii, deportatum, corpus nempe, *fuit, ibique regali sepulchro conditum &c.* Quibus plane verbis haud Constantinopolim, ut Socrates falso arbitratus est, sed ipsammet Romanam Urbem intelligi voluit, ut iisdem pariter verbis inter scribendum alibi Romam innuere consuevit, & præsertim lib. 3. c. 7 gestorum Magni ipsius Constantini, cum de legatis ad Nicænum Concilium transmissis agens isthæc habet: *Et quamquam illius Urbis, penes quam Imperium est, Episcopus &c.* De Silvestro nimirum meritissimo Romanæ Urbis Episcopo subintelligens. Anastasius vero Bibliothecarius lib. de Constantini munificentia erga Urbis Ecclesias, Conc. To. 3. & in Silvestro præsertim de S S. Marcellini, & Petri Basilica, quæ Via Lavicana, duas inter lauros posita est, prolixius agens, hæc de Constantino Augusto ad rem nostram inserit: *Et Mausoleum condidit, ubi beatissimam Augustam matrem suam posuit in sarcophago porphyretico.*

[margin: ...b. hist. ...c. 7.] *[margin: ...3. lib. de Constantini munificentia ...]*

15. At Nicephorus lib. 8. c. 31. non modo præclarissimam fœminam Romæ sepultam, sed vita insuper ibidem functam; & inde post biennium Constantinopolim translatam fuisse diserte affirmat: *Cum autem,* inquit ille, *ei finis vitæ instaret, cum celeberrima memoria Romæ decessit; unde octogesimum agens annum &c.* Idemque Nicephorus eodem lib. c. 55. de Constantino, qui in præmemorata Apostolorum Ecclesia conditus est, sermonem instituens, Helenam quoque matrem depositam ibidem fuisse his plane verbis testatur: *In Urna marmorea una cum matre Helena repositus est.* Demum Constantinopolitana ex Urbe venerandum B. Helenæ corpus Venetias translatum, summaque illic veneratione servatum fuisse nonnulli tradunt; inter quos præcipuus est Petrus de Natalibus, qui lib. 7. c. 73. hæc recitat: *Ipsa vero B. Helena operibus pietatis & religionis studens, octogesimum ætatis annum agens, in sanctitate vitæ, in pace quievit apud Urbem Romam 15. Kal. Septembr. sepultaque est in Ecclesia sanctorum Marcellini & Petri. Cujus corpus filius ejus Constantinus Imperator inde Constantinopolim transtulisse dicitur: post ad ipsam Urbem habitaturus accessit. In temporis vero processu de ipsa Urbe regia à Venetis translatum esse fertur Venetias ipsum corpus, & sepultum jacere in monasterio suo nomini ædificato.* Sigebertus tamen in Chron. sub ann. 849. contrariam huic sententiam mordicus tuetur. Corpus etenim S. Helenæ Roma in Gallias eodem anno 849. fuisse delatum his quidem verbis asserit: *Sancta Helena Imperatrix à suo filio Constantino Magno, primo hujus nominis Imperatore, Romæ in Ecclesia S S. Marcellini & Petri martyrum, in Mausoleo purpureo sepulta, ad Franciam à Thaogiso monacho transfertur, & in Diœcesi Rhemensi magna Francorum veneratione excolitur.* In Appendice vero, quæ ad Usuardi Martyrologium addita est, 7. Id. Febr. translationis ejusdem S. Helenæ ad Monasterium Altovillaren. commemoratio recolitur; cui Molanus in Notis adstipulatur, dicens: *Hanc eandem Romæ ad id Monasterium translationem descriptam olim fuisse ab Alamanno Monacho, & in quodam M. S. Cod. reperiri.*

[margin: ...latio ...ris S. ...næ.] *[margin: ...lib. 8.]* *[margin: ...c. 55.]* *[margin: de Na... c. 73.]* *[margin: ...latio ...S. ...]*
[margin: Append. de Martyr. Usuar. 7. id. Febr.] *[margin: Molanus.]*

16 Porro ejusmodi recolenda translatio quoquo modo contigerit, non hanc quidem de ipsomet corpore, sed de sacris ejusdem reliquiis, ut in more olim positum erat, subintelligendam esse arbitramur. Nam sub Innocentio Papa Secundo veneranda ejusdem S. Helenæ ossa, è Via Lavicana in Urbem, ad Ecclesiam S. Mariæ vulgo de Ara Cœli, nuncupatam, ubi hodie religiose asservantur, translata fuisse: & illud item nobilissimum Mausoleum, seu porphyreticam urnam, in qua ejusdem corpus conditum fuerat, ad Lateranas ædes ab Anastasio Quarto delatum, ut in eadem sacrosancta Basilica ad perenne Christianæ religionis monimentum extaret, in supra recensitis actis, his plane verbis legitur: *Sed cum temporibus Innocentii Secundi propter guerram ipse locus desertus esset, quidam fures fracto operculo ipsius tumuli, aurum & gemmas vestimentorum B. Helenæ abstulerunt: quod quidam religiosi videntes, caput & grossiora ossa inde levantes in Urbem intulerunt, Mausoleum autem ipsum Anastasius Quartus in Basilicam Constantinianam intulit, ubi postmodum & ipse sepultus est. Tunc etiam ossa minima B. Helenæ inde educta sunt, & per plurimas Ecclesias distributa.* Id ipsum à Ioanne Diacono, qui sub Alexandro Papa Tertio floruit, in lib. M. S. Cod. Later. de memorabilibus Basilicæ Lateranens. rebus comprobatur, ubi altaria ejusdem Lateranensis Basilicæ describens, hæc ait: *Sinistro vero latere Basilicæ est altare S. Antonini martyris; ibi juxta jacet Anastasius Quartus, qui fuit Sabinensis Episcopus, in Mausoleo porphyretico, præclaro opere sculpto, in quo olim jacuit Helena mater Constantini Imperatoris, quod videlicet Mausoleum de Ecclesia, quam idem Imperator ad honorem ipsius matris extra Urbem ædificaverat, idem Papa deportari fecerat.* Ex quibus jure, quidem merito erroris Nicephorus redarguitur, dum Helenæ corpus unà cum ipsamet urna Constantinopolim translatum fuisse perperam, nulloque veritatis adminiculo suffultus asserit. Porro insigne hoc Mausoleum, Bosii, viri de sacra antiquitate optime meriti, opera typis impressum in recensito Romæ Subterraneæ opere, quod Italico idiomate editum est, & nunc in nostris hisce paginis Latinitate donatis continetur: est autem, ut infra videre est, hujus formæ.

[margin: Mausoleum S. Helenæ.] *[margin: Cod. S. Petr. E. Vall. 7.]* *[margin: M. S. Cod. Lateran.]* *[margin: Ioan. Diac. de sanct. Sanctor. Cod. Later.]*

Insigne istud sanctæ Helenæ Imperatricis porphyreticum Mausoleum, sive sepulchrum, cujus iconem æneis exceptam typis hic contemplandam subjicimus, in Basilica Lateranensi juxta Portam communi nomine Sanctam appellatam olim extabat: cum autem anno sexcentesimo supra millesimum Jubilei secularis sacro recurrente inter aditum Portæ ejusdem de more reserandum confringi, ac labefactari ex parte contigisset, ejus Basilicæ Canonici, Bosio servandæ antiquitatis studiosissimo adhortante, atque adnitente, instaurandum curarunt: & ad hodiernam usque diem ponè constantinianæ ejusdem Basilicæ apsidem locatum suspicitur. Vetustissimum illud, & à Constantino Augusto lectissimæ matris suæ corpori condendo adhibitum fuisse crediderim.



17 Demum quod ad reliqua Martyrum beatorum corpora spectat, quæ in hoc sacro Cœmeterio condita sunt, constans utique apud omnes opinio viget, eadem post lugubrem devastationis cladem, quæ sacris Romæ Cœmeteriis, ut jam diximus, execranda barbarorum manu inflicta est, in Urbem translata, & in S. Bibianæ Ecclesia eidem proxima pio fidelium studio posita fuisse: cui quidem sententiæ ipsemet Baronius in suis ad Martyrologium Notis 4. Idus Februarii his plane verbis adstipulatur, *Quod autem pertinet ad Viam Labicanam, de qua agimus, complures Martyres extra portam Exquilinam, more majorum, cum passi essent, eorum corpora à Christianis sublata inferebantur in Cœmeterium, quod ea Via erat nobile, Sanctorum Marcellini & Petri nomine dedicatum. Verum ea omnia intra eandem portam Exquilinam in vicum ad Ursum Pileatum dictum, in Cœmeterium, quod Sancti Anastasii nomine appellatum est, putantur illata, qui locus hodie dicitur Sancta Bibiana.* Hæc utique à Baronio ad recolendos jugiter immensos sacrorum pignorum thesauros, quibus Urbs Roma apprime locupletatur, brevi compendio enarrantur.

Ecclesia S. Bibianæ.

Baron. in not. ad Mart. 10. Febr.

18 Verum celeberrimi hujus Cœmeterii, quod valde dolendum est, memoria jam penitus excidérat, cum præsertim Ecclesia in Sanctorum Petri & Marcellini honorem Via Lavicana quondam erecta, confusis omni ex parte rerum antiquarum signis, ac indiciis, si quæ aderant, temporum injuria jam abolitis, una, ac eadem, quamplurimis id ultro opinantibus, fuisse asseratur cum ea, quæ juxta Lateranense palatium ad hanc usque diem superstes visitur. Quapropter Blondus, & alii, ut veritati quoquo modo consulatur, Lavicanam Viam ab Amphitheatro suum initium desumere, ut Ecclesiam, de qua hactenus, eadem Via reponerent, asserere ultro coacti sunt: Bosius vero studiosus admodum illibatæ veritatis indagator, toto animi conatu, ac non exiguo ingenii labore illam unà cum ipso Cœmeterio tandem feliciter adinvenit, eandemque ac si ipsisè tenebris redivivam surgere, & inter Subterraneæ hujus Romæ paginas in lucem prodire fecit. De his autem suo infra loco post cœterorum hujus Viæ Cœmeteriorum descriptionem, pro rerum opportunitate, & ad instituti nostri propositum prolixiori stylo agemus. Sed alia interim Cœmeteria nobis perlustranda sunt.

Ecclesia Marcelli & Petri prope Lateranum.

Blond. in hist.

CAP.

CAP. X.

De Cœmeterio, seu Arenario Beatorum Martyrum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii, & Simplicii, ac Sanctorum Quatuor Coronatorum.

S. lau- d Nico- ii s, C rius & npho- ri. Si iatu- or ro- ni B in & 6. id. Novemb.

IN facris, ac perantiquis Martyrologiis 6. Idus Novembris beatos, ac recolendos jugiter Martyres, Claudium, Nicostratum, Symphorianum, Castorium & Simplicium, & Quatuor insuper Coronatos Via Lavicana conditos fuisse describitur, & in Bedæ præsertim Martyrologio id aperte his quidem verbis asseritur: *Romæ natalis sanctorum Martyrum Quatuor Coronatorum, id est, Severi, Severiani, Carpophori & Victorini. Hi cum impellerentur ad sacrificandum, reluctantes, nec omnino consensum ipsis præbentes, perstiterunt in fide. Nuntiatum est hoc Imperatori Diocletiano, qui illico jussit, ut ante simulachrum Æsculapii ictibus plumbatorum cæsi deficerent: quorum corpora jussit in platea canibus jactari, quæ jacuerunt ibi diebus quinque illæsa. Tunc Christiani venerunt, & collecta corpora sepelierunt Via Labicana milliario ab Urbe tertio, juxta corpora Sanctorum Martyrum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii, & Simplicii. Post duos autem annos passionis horum Quatuor Martyrum; cum nomina eorum minime reperirentur, statuit B. Melchiades Episcopus ut anniversarius Quatuor Coronatorum dies sub nominibus sanctorum quatuor Martyrum recoleretur. Intercurrentibus tamen annis cuidam sancto viro etiam nomina eorum revelata sunt. Festivitas vero, ut fuerat statuta, celebris in aliorum Martyrum festivitate permansit, & locus Quatuor Coronatorum insignis, ut in originali M.S. pag.* 478. Hucusque Beda, cui Ado pariter consentit, eorundemque Acta M. S. Cod. Vat. S. Petr. in quibus, eosdem à sancto Martyre Sebastiano unà cum Melchiade Episcopo, antequam Summus Ecclesiæ Pontifex renuntiatus esset, in Arenario Via Lavicana, sepulturæ traditos fuisse adjicitur. Hæc enim iisdem in Actibus habentur: *Quorum corpora in platea jussit canibus jactari, quæ jacuerunt diebus quinque. Tunc B. Sebastianus venit noctu cum Melchiade Episcopo, & collegit corpora, & sepelivit in Via Labicana, milliario ab Urbe Roma plus minus tertio, cum aliis sanctis in Arenario.* Cum autem hujuscemodi, ut asserunt, Arenarium tertio ab Urbe milliario Via Lavicana extiterit, uti & ipsum pariter sanctorum Marcellini & Petri Cœmeterium, nobis quidem conjectari licet hoc eidem contiguum, vel certe proximum fuisse, ejusdem enim haud ulla prorsus alibi mentio incurrit.

2 Porro prætiosa hæc Martyrum corpora eodem in Arenario servata fuere usque ad ipsius B. Leonis Papæ Quarti tempora, qui cum eorundem beatorum Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis titulo insignitus fuisset, ad Summi Pontificatus culmen evectus, anno Christi 841. eundem titulum munifica utique manu instauravit, & plura sanctorum Martyrum corpora è Cœmeteriis atque Arenariis extra Urbem eruta, religiose illuc transtulit, ac sanctorum præsertim Quatuor Coronatorum, quæ unà cum aliis venerandis SS. corporibus, ac reliquiis sub maxima templi ejusdem ara honorifice deposuit, ipso Bibliothecario teste in Leone Quarto hismet verbis: *Ipse quoque à Deo protectus, & beatissimus Papa multa corpora sanctorum, quæ diu inculta jacebant, summo studio, summoque cordis affectu ad honorem omnipotentis Dei, intra hujus almæ Urbis mœnia mirifice congregavit. Nam & corpora sanctorum Martyrum Quatuor Coronatorum solerti cura inquirens reperit. Pro quorum desiderabili amore Basilicam, quæ sanctorum fuerat nomini consecrata, quam ipse dum ad Pontificii deductus est apicem, prudentissimo moderamine rexit, quæ per olitana curricula temporum quassata vetustatis defectu, & pene ruinis confracta diu antiquitus videbatur, & convulsa, supernæ virtutis annuente clementia, in splendidiorem, pulchrioremque statum à fundamentis construxit, & ad laudem omnipotentis Dei eorum sacratissima corpora cum Claudio, Nicostrato, Symphoriano, atque Castorio, & Simplicio, necnon Severo, Severiano, Carpophoro & Victorino quatuor fratribus: item Marius, Audifax, & Abacum cum Felicissimo, & Agapito, Hippolyto cum suis famulis numero decem & octo, Aquilino, Aquila & Prisca, Narcisso & Marcellino, Felice, Symmetrioque, Candido atque Paulina, Anastasio & Felice, Apollione & Benedicto, Venantio atque Felice, Diogene & Siberli, Festo & Marcello, atque Superantio, Pudentiana, & Benedicto, necnon capite S. Proti, sanctæque Cæciliæ, S. Alexandri, sanctique Sixti, & S. Sebastiani; atque sacratissimæ virginis Praxedis pariter sub sacro altari recondens collocavit, & alia multa, quorum nomina Deo sunt cognita. Super quod etiam ad gloriam Creatoris miro opere, miraque pulchritudinis ciborium ex argento purissimo, aureo superinductum colore cum gemmis prasinis, & hyacinthinis, pensans libras trecentas tredecim, & semis.* Quibus præmissis exactam ibi munerum eidem titulo collatorum seriem Bibliothecarius prosequitur, qui titulus ruinis postea omnino obrutus, tunc maxime, cum Robertus Guiscardus Salernitanorum Princeps, sub Gregorio Septimo universam regionem, quæ inter Amphitheatrum ac Lateranensem Basilicam interiacet, incendio absumpsit, verum à Paschale Papa Secundo iterum instauratus, ac pristino decori redditus fuit: quod Bibliothecarius in ipsius Paschalis gestis his verbis refert: *Similiter consecravit & Ecclesiam sanctorum Quatuor Coronatorum, quæ tempore Roberti Guiscardi Salernitani Principis destructa erat, à fundamentis refecit, atque consecravit, anno Pontificatus sui* XVII. *mense Ianuarii die vigesima.* Ex quo ipsismet sanctorum Martyrum Ecclesiis, cum Urbs armis intercepta hostium furori subesset, ingentes ac deplorandas jugiter, haud exiguo rerum sacrarum, ac reliquiarum detrimento, clades obtigisse compertum fit.

Nomina Martyrum quorum corpora in Ecclesia SS. Quatuor Coronat. reposita sunt.

Bibl. in Pasc. Pap.

3 Antequam vero idem Paschalis Pontifex hanc eandem solemni ritu Ecclesiam consecraret, anno scilicet Pontif. sui XII. dum ipsiusmet instaurationi insistit, duas sub ara maxima urnas adinvenit, porphyreticam unam, alteram ex proconisso lapide, vulgo serpentino, in quibus eorundem beatorum Martyrum pignora, & reliquiæ asservabantur: quas quidem ille arcas solido muro circumcinxit, extructo desuper altari, sub quo prægrandem lapidem statuit, in cujus medio fenestrella in arcus formam de more extructa, ipsum Confessionis locum respiciebat: ad dexteram autem ejusdem lapidis partem iterata eorumdem venerandorum corporum depositio, quæ à B. Leone Papa Quarto præstita quondam fuerat, & cujus Bibliothecarius, ut supra, meminit, exsculptis marmori notis legebatur: ad lævam autem incisis pariter characteribus singillatim cuncta prolixe legebantur, quæ sua ibidem ætate

Prima corpor um SS. Quatuor inventio.

ætate contigerant. Hæc igitur sacratissima corpora haud ulli prorsus nota, parietibusque inclusa, diutius latuere, quousque postremo hoc seculo Garzias Millinus S.R.E. Card. ejusdem Ecclesiæ titulo nobilitatus, & Pauli Papæ V. in Urbe Vicarius, ob impensum erga beatos Martyres pietatis studium pervetustum instaurare templum, atque exornare aggressus, dum totus operi instat, en tibi ex insperato perantiquas easdem arcas, & in his pretiosissima martyrum corpora, unà cum quamplurimis, eisdemque insignioribus sanctorum Martyrum reliquiis adinvenit: quod quidem maximam tum ipsi, tum Urbi lætitiam intulit, & ipsiusmet Summi Pontificis animum (qui exornandis sacrarum antiquitatum monumentis studebat) mirifice recreavit: quapropter singulari devotionis affectu permotus, cum præsertim sub aureo sui Pontificatus ævo, novi rerum sacrarum thesauri hactenus invisi Urbi pariter ac orbi, Cælo ipso præmonstrante, paterent, nobili Purpuratorum Patrum numero, & ipsis Romanæ Aulæ proceribus comitatus, magnoque Romani populi concursu, quantocyus ad sacras invisendas, venerandasque reliquias ille se contulit. Porrro recolendam hanc, venerandamque jugiter reliquiarum inventionem in publicas tabulas, ut mos est, diligenter redactam, Fedinus Basilicæ S. Mariæ Majoris Canonicus, præmemorato Cardinali Millino à secretis, ocularus ipsemet rerum testis enarrationem satis quidem prolixam, ac lectu, ut singulorum fieret satis desiderio, dignissimam edidit, ad quam studiosum lectorem ultro, libenterque remittimus: & de his hactenus.

Card. Millinus Ecclesiam SS. Quatuor instaurat.

Secunda corporum SS. Quatuor inventio.

CAP. XI.

De Beati Castuli Cœmeterio Via Lavicana.

1 UT primum quidem nonnulla de ipso Castuli nomine, de cujus nunc Cœmeterio agendum est, lectori innotescant. Vir iste, Diocletiani Imperatoris Zetarius fuit: de cujus munere mentio satis expressa habetur apud Jul. Paul. apud Cuiacium to. 1. frequenter etiam apud Lampridium in Heliogabal. & Plinium, & satis prolixe apud Molanum in Notis ad Martyrol. Usuardi. Hic autem sub eodem Diocletiano nobili martyrio coronatus est, ut in D. Sebastiani Actis M.S. Codd. Vat. S. Mariæ ad Martyres, & Vall. his plane verbis exponitur: *Sed quia tutus nullus inveniri poterat locus ad latebram confovendam, morabantur omnes apud Castulum quendam Christianum zetarium Palatii. Qui Castulus ibidem in Palatio in superiori domo valde alte commanebat. Ideo autem hæc mansio probabatur, quia & ipse Castulus cum suis omnibus Christianissimus erat: & lex data de sacrificiis, cum ubique sui fervore desæviret, in illis, qui Palatio adhærebant, quia nec suspicio de eis esse poterat, celabatur. Erant ergo, ut diximus, omnes hi morantes cum sancto Papa Cajo apud Castulum zetarium in ipsis superioribus Palatii locis, &c.* Et paulo post, enarrato beati Tiburtii martyrio, quod Via Lavicana contigit, de eodem Castulo hunc in modum sermo subtexitur: *Posthæc Torquatus pseudochristianus egit, ut Castulus Zetarius Palatii fuisset arctatus, & is tertio appensus, tertio cruciatus, additus est sanctis. In confessione itaque Domini perseverans, missus est in foveam, & dimissa est super eum massa arenaria, & ipse cum palma martyrii migravit ad Christum.* Hucusque nobilis ejusdem martyrii Acta, in quibus etsi nulla ipsius loci, in quo hæc peracta sunt, mentio suppetat, singula tamen Martyrologia sub die 7. Kal. April. Via Lavicana eundem martyrio coronatum fuisse perhibent, & in B. Notheri Martyrologio de Cœmeterio pariter mentio his verbis incurrit: *Romæ Via Labicana in Cœmeterio ejusdem natalis sancti Castuli, qui cum esset Zetarius Palatii, & hospes sanctorum, ut in gestis B. Sebastiani legitur, à persecutoribus arctatus, & tertio appensus, tertioque auditus, in confessione Domini perseverans missus est in foveam, & dimissa est super eum massa arenaria, atque ita cum palma martyrii migravit ad Christum.* Quæ quidem verba: *In Cœmeterio ejusdem*, intellectum duplicem sortiri queunt; nimirum in *Cœmeterio ejusdem Castuli*, vel *in Cœmeterio ejusdem Viæ Lavicanæ.* Apud omnes igitur hactenus indubitatum est, sacrum martyris invicti corpus, vel in eodem arenario, ubi quondam martyrium subierat, & ubi postmodum sub ejusdem nomine Christiani Cœmeterium extruxerant, vel certe in ipsius Viæ Lavicanæ Cœmeterio, ubi B. Tiburtii corpus quiescebat, pia fidelium manu reconditum fuisse: & hæc lectori insinuasse satis sit.

S. Castulus Zetarius Munus Zetarii.

Jul. Paul. rec. sent. l. 3. tit. 6. Cujac. to. 1. Lamprid. in Heliogab. Plin. l. 7. ep. 17. & lib. 7. ep. 5. Molan. in not. ad. Mar. Usuar. M.S. Codd. Vat. Vall. &c.

Mart. Nothe[ri]

CAP. XII.

De Beati Zotici Cœmeterio Via Lavicana.

1 HUjus quidem Cœmeterii, quod perantiquum est, Bibliothecarius duntaxat in S. Leonis Papæ Tertii gestis meminit; à quo beati ejusdem Zotici Cœmeterium Via Lavicana instauratum fuisse tradit. Plures quippe viri, iidemque sanctitate conspicui, ut ex Romano Martyrologio constat, hoc eodem insigniti nomine recensentur: sed præcipue quinto Idus Februarii mentio recurrit S. Zotici Romæ coronati unà cum Beatis Martyribus Irenæo, Hyacintho & Amantio, de quibus isthæc Baronius in suis ad Martyrologium Notis: *Non quidem sub Decio passi sunt, ut nonnulli perperam opinantur; habemus etenim in nostra Bibliotheca eorum Acta pervetusta, in quibus martyrio coronati dicuntur sub Hadriano Imperatore, & Licinio, alias Iunio Consulari, in fundo Capreoli, Via Labicana, decimo ab Urbe lapide.* Quæ quidem Acta in M.S. quoque Cod. Vallic. asservantur; ubi præcipue de S. Zotici sepulchro hæc leguntur: *Tunc iracundus Hadrianus, jussit eos sanctos, Amantium scilicet & Zoticum, incendi, & missis militibus deducti sunt in fundum Capreoli, Via Labicana, milliario ab Urbe decimo; & ibi ligatis manibus & pedibus in stipite, ignis, superpositis ad latus sarmentis, eos minime tangebat, sed inde magis corroborabantur. Milites vero videntes hoc, eradicatis vinearum fustibus, capita eorum percutientes, occiderunt Zoticum & Amantium.* Et de eorundem jam martyrio coronatorum sepulchro hæc paulo post recitantur: *Corpora vero sanctorum Zotici & Amantii collegit uxor ipsius Symphorosa, & sepelivit eos cum gloria in prædio Capreolis, pridie Id. Ianuarias, ubi frequenter cum filiis suis & Exuperantio presbytero, vigiliis & orationibus insistebat.*

Bibl. in Leone

Plures [eo]dem [no]mine Marty[rolo]gio v[ideri]

Mart. Rom. Febr.

SS. Ire[næus,] Hyac[in]thus, [A]mant[ius.]

Baron. not. a[d] Mart.

Fund[us Ca]preol[i]

M.S. C[od.] Vat.

2 Eadem in aliis M.S. Codd. recensentur. Ex quibus perspicue colligitur, beatissimum virum hunc Zoticum, qui pro Christo viriliter Lavicana Via decertavit, & ex quo deinde Cœmeterio nomen inditum est, B. Symphorosæ virum extitisse, eundemque Getulium alio nomine nuncupatum esse; de quo etiam IV. Idus Junii, & pridie Idus Januarii memoria agitur: *Non quod diversi censeantur,* inquit Baronius in Notis, *sed fortasse quod altera die*

S. Ge[tulius]

Mart. 4. Id.

die natalis, altera translatio celebretur. Verum quia apud Adonem, Petrum in Catalogo, & apud Surium, quinimo & in Martyrologio beatus Zoticus Via Salaria pro Christo mulctatus fuisse describitur; in M.S. vero actis de Via Labicana, & utrobique expressis verbis de fundo Capreolo mentio agitur; hinc nonnulli duos fuisse Zoticos opinati sunt; quæstionem hanc interim dirimendam Fulvio Cardulo Societ. Iesu relinquentes, qui in notis ad acta S. Symphorosæ, qui de eadem re luculenter & ex professo agit; at vero nobis interim hoc unum asserere satis est, virum quempiam, qui sanctitate præcelleret & Zotici nomen præferret, Via Lavicana martyrio coronatum fuisse; eundemque huic, de quo nunc agimus, Cœmeterio nomen imposuisse. Cujus item, & sociorum Irenæi, Hyacinthi, & Abundantii corpora in Ecclesiam sanctæ Praxedis à Paschale Papa Primo translata fuere, uti vetus aperte inscriptio docet, quæ in eadem legitur Ecclesia. Nunc vero sacrum beati Zotici corpus in Ecclesia S. Angeli in foro Piscario, & Symphorosæ pariter, ac filiorum pignora summa totius Urbis veneratione asservantur.

...o. Card. ...in not. ...S. ...phor.

...nslatio ...orum ...otici, ...æi. Hy- ...hi, & ...ntii.

...esia S. ...eli.

3 Neque hic interim silentio obvolvendum est, quod Baronius de eodem in suis ad Martyrologium Notis IV. Id. Februarii hic plane verbis refert: *In Aventino, in vinea Capranicorum, è regione hortorum Farnesiorum, superest adhuc ædes in memoriam S. Zotici erecta, in cujus parietibus, more majorum, ejus martyrii historia depicta cernitur: adest & Confessio, ubi aliquando sancti Martyris corpus asservatum fuisse conjici potest.* Quamvis scribentium deinde inscitia mendum irrepserit, ut ibidem in *Aventino* pro *Palatino* legatur. Restituta est superioribus annis insignis hæc memoria ab Urbano VIII. Pontifice Maximo, qui hanc sacram Ædem incultam omnino, neglectamque subsistere haudquaquam passus, ut antiquitati, ac pietati, pariter consuleret, eandem instauravit, exornavitque in honorem invicti Martyris Sebastiani, nobili quondam ibi, ut antiqua fert traditio, martyrio coronati. Sed de his hactenus.

...n. in ...d ...s S. ...i in ...ino.

CAP. XIII.

De Martyribus, quorum sanguine vel sepulchro Viæ, Labicana ac Prænestina, illustres redditæ sunt, & de sacris earundem Viarum monimentis.

Haud à quoquam in dubium revocandum est innumeros propemodum Martyres in Viis, quæ à nobis memoratæ sunt, quævis tormentorum genera pro Christi fide constanter perferendo, de tyrannis, eorumdemque immanitate non alieno effuso, sed proprio libato cruore, immortales olim, nec semel quidem, triumphos retulisse. Etenim extra portam, quam Exquilinam dicunt, in reos, sontesque, ut supra ostendimus, animadverti à gentilibus consueverat. Quod cum antiqui historiarum scriptores, tum ipse Horatius illis Carminibus, ut supra diximus, expressit, cum cecinit:

Post insepultà membra deferent lupi,
Et Exquilinæ alites.

...yres ...abi-

...t. od. 5. ...do.

Numerus tamen, qui absque numero est, etsi nos latet, horum præ cæteris duntaxat celebris in sacris Martyrologiis memoria extat, Idibus videlicet Ianuar. quadraginta Militum, his plane verbis: *Romæ Via Lavicana coronæ sanctorum Militum quadraginta, quas sub Gallieno Imperatore pro confessione veræ fidei percipere meruerunt.* Item: *Quarto idus Februarii sanctorum decem Militum sub Adriano*, & XI. Kal. *Ianuarii triginta Martyrum sub Diocletiano.*

...ra- ...mili- ...arty-

...r. ...dib.

Mart. Rom. 4. id Febr. & 11. Kal. Ian.

2 Eadem Via Gelasius Papa Ecclesiam in sanctorum Nicandri, & Eleutherii honorem, Bibliothecario teste, dicavit: cujus hæc sunt verba, quibus certum quoque locum quasi digito monstrans designat: *Dedicavit autem & Basilicam S S. Nicandri & Eleutherii, Via Lavicana, in fundum Villa Pertusa.* Eadem pariter Via Oratorium quondam B. Andreæ extitit, quod à Sergio Papa Primo instauratum est, eodem Bibliothecario teste in ipsius vita, his verbis: *Hic Oratorium S. Apostoli, quod ponitur Via Labicana, à solo refecit.* Sita quoque ibidem fuit beati Cypriani Ecclesia, cujus supra meminimus, illius verba inscriptionis, quæ ejuscemodi sunt, recensentes:

Ecclesia SS. Nicandri & Eleutherii.

Bibl. in Gelas. Pap.

Oratorium S. Andreæ Via Labicana.

Bibl. in Sergio Pap. 1.

Ecclesia S. Cypriani.

SET QUATTUOR UNCIAS FUNDI
EUCARPIANI
JUXTA S. CYPRIANUM VIA LABICANA.

3 Prænestina autem Via Primitivum beatorum Zotici & Amantii socium illustri martyrio coronatum, & à sancto Exuperantio in Arenario quodam tumulatum fuisse, ejusdem Acta his verbis docent: *Primitivum vero tenentes duxerunt in Viam Prænestinam ad invidiam Christianorum, juxta civitatem Gavis, & in ea capite truncaverunt. Corpus vero in lacum Gavis demerserunt: B. vero Exuperantius presbyter collegit corpus ejus, & sepelivit in Arenario, sub die 6. Kalend. Maji.* Fulvius autem Cardulus in Notis, quas ad horum Martyrum Acta elucubravit, se nullibi veteres apud Scriptores lacum Gavis, de quo hisce in Actis mentio incurrit, reperisse affirmat: illorum enim sententiam sectatus est, qui eosdem Martyres Via Salaria in Sabinis gladio consummatos fuisse describunt. Re tamen vera non Salaria, immo Prænestina Via in M. S. Cod. martyrio coronati Gabis leguntur, litera B pro V illic de more apposita. Fuit autem olim civitas *Gabii* ad Viam Prænestinam XI. ab Urbe milliario, prope lacum vulgo *Pantano* dictum, quem Acta eodem prorsus nomine, quo oppidum appellant: ab aliis item *Burranum* vocatur. At situs ille Gabinorum ex antiqua itineraria tabula colligitur: ejusdemque meminit Strabo, qui sua ætate locum penitus intercidisse scribit: ex quo & porta & Via Gabinia pariter denominatur.

Martyres Via Prænestina. S. Primitius Arenarium Via Prænestina.

Acta SS. Zot. & Amantii.

Ful. Cardin notis ad Mart. Acta.

Gavis.

Gabii Civitas.

Strabo lib. 5. Porta & Via Gabinia

4 Olim insuper hac eadem Via Ecclesia Beato Martyri Ianuario dicata extitit, cujus & ipse B. Gregorius Papa in suis Dialogis his plane verbis mentionem facit: *Cum post modicum ingravescente molestia esset defunctus, deliberatum fuerat, ut apud Ianuarium Martyrem, Prænestina Via, corpus poni debuisset, sed quia longum hoc his, qui funus ejus curaverant, visum est, &c.* Præterea Ecclesiam hanc unam, eandemque esse cum illa, quam Bibliothecarius ab Adriano Papa Primo instauratam fuisse enarrat, haud perperam conjicimus, quamvis illam ad Tiburtinam portam extitisse asserat. Et hæc sunt, quæ studioso lectori hic summatim prælibanda obtulimus, cum de Viis Labicana, ac Prænestina, inter cæteras Urbis præcipuas recensitis, ac de Martyrum monimentis, quibus eædem illustratæ sunt, sermonem fecimus.

Ecclesia S. Ianuarii.

S. Gregor. in Dial. l. 4. c. 26.

Bibl. in Hadr. Pap. 1.

CAP. XIV.

De Cœmeteriis à Bosio Via Labicana repertis, ac perlustratis.

1 Haud semel quidem Vias Labicanam, & Prænestinam, latentia inibi Cœmeteria so- lerti

Ecclesia SS. Marcellini, & Petri.

lerti labore, ac studio inquirens Bosius, perlustraverat, & indefessus jugiter huc illuc excurrendo assequi tandem cupiebat, si quæ Sanctorum Marcellini & Petri Ecclesiæ, quam ab Imperatore Constantino Via Labicana extructam fuisse didicimus, inter ipsa rudera, oculis ac manu vestigia deprehenderet; cum demum en tibi anno reparati Orbis quingentesimo nonagesimo quarto supra millesimum, ipsammet Ecclesiam, etsi jam ex parte dirutam, ac Cœmeterium pariter inter perscrutandum feliciter adinvenit. Ab Exquilina enim porta seu Majori (quam dicunt) egressus, ac dexteram in partem deflectens, juxta Aquæ Claudiæ formas, singulas, quæ in ejusdem regionis ambitu tunc temporis existebant, vineas prætereundo, quendam ad locum devenit, ubi vetustissimæ cujusdam fabricæ passim ruinæ conspiciebantur; & quoddam sphæricæ formæ ædificium, magna jam ex parte dirutum, atque incultum penitus extabat, quod nunc vulgo *Torre Pignattara* nuncupatur, ab innumeris scilicet ollis, quæ in ipsa parietum crassitudine artificum manu insertæ & compactæ ibidem sunt. Huc igitur cum ille ingressus fuisset, prægrandes in interiori ejusdem loci parte arcus contemplatus est, quorum singuli tholos seu fornices suffulciebant, ibidemque in eorum altero sacram olim aram erectam fuisse ex aspectu deprehendit, ut nonnullæ, quæ adhuc ibi extabant, è musivo elaboratæ sanctorum imagines, singulæ diademata capite præ se ferentes, indicare videbantur, quamvis eædem temporum injuria labefactatæ, ipsam intuentibus longævitatem suggererent, & una ex his præsertim, quæ virum prunis injectum præferebat, antiquatam satis faciem exhiberet; quam protinus lynceis oculis contemplatus, sacram Beati Martyris Tiburtii effigiem esse conjectans, qui supra ignitos carbones illæso corpore ambularat, ejusmodi signo certior redditus, hunc eundem sibi occurrisse locum, quem tanto labore, ac studio diutius perquirere non destiterat, constanter sibimet ipsi gaudens arbitratus est. Tunc autem primum ejus menti præcitata Nicephori scriptoris probatissimi auctoritas subiit, sanctissimam Helenam Augustam in quodam sphæricæ figuræ templo a Constantino Magno erecto tumulatam fuisse asserentis.

Cœmeterium SS. Marcellini & Petri.

Torre Pignattara.

2 Ad magis vero conceptam animo sententiam corroborandam, vigens adhuc loci ejusdem, atq; adiacentis pariter prædii denominatio accessit: dum enim de loci nomine colonos, qui aderant diligenti inquisitione rem altius explorarurus interrogat, locum illum vulgo ab omnibus tot evoluta post secula adhuc S. Helenæ Prædium appellari, & ditioni Later. Basilicæ subesse cognovit, in cujus Basilicæ Archivo quamplurima de Prædio eodem monumenta satis expressa extant, in quibus Ecclesiæ itidem ejusdem B. Helenæ, quæ ibi quondam sita erat, frequens admodum mentio reperitur. Hujus quoque antiqui Prædii Ioannes Diaconus lib. de memorabilibus ejusdem Lateranensis Basilicæ rebus meminit, ubi ipsummet prædium ab Innocentio Papa Secundo ex pecuniis eidem Basilicæ relictis coemptum fuisse his verbis enarrat: *Obtulit libras centum Lucensis monetæ pro emendis possessionibus ad sustentationem Canonicorum. De quibus postmodum Dominus Bernardus Prior istius Basilicæ, qui postea factus est Cardinalis S. Clementis, ac deinde Episcopus Portuensis, salubri judicio & providentia emit possessiones non longe ab Urbe, juxta formas, prope Ecclesiam S. Helenæ.*

Prædium S. Helenæ.

Ecclesia Helenæ.

Ioan. Diac. lib. de reb. memorabil. Ecclesiæ Lateran.

3 Constans igitur omnium sententia est, templum hoc, ipsummet fuisse, quod a Constantino Magno in honorem sanctorum Marcellini & Petri erectum, longa post interlapsa annorum curricula, beatæ item Helenæ titulo eam potissimum ob causam appellari contigit, quod sanctissimæ ibidem fœminæ corpus in urna illa porphyretica decenti honore conditum fuerit, uti jam supra ostendimus: ni forte alia suffulti ratione, perantiquam B. Tiburtii Ecclesiam huic proximam, cujus nonnulla adhuc vestigia extant, sanctæ item Helenæ titulo nuncupatam fuisse asseramus, ut Bibliothecarius in Adriani Papæ Primi gestis hæc dicens innuere videtur: *Cœmeterium item beatorum Petri & Marcellini Via Labicana, juxta Basilicam S. Helenæ renovavit, & tectum ejus, id est, sancti Tiburtii, & eorundem Petri & Marcellini noviter fecit.*

Ecclesia SS. Marcelli & Petri Constantino extructa. Ecclesia Helenæ. Ecclesia Tiburtii. Biblioth. in Adriano I.

4 Nullius autem momenti negotium hac super re legentibus facit, quod Beda, & Ado de Mausoleo loquentes, inter præcipuas adnumerandum erectas a Constantino Ecclesias, in hæc verba asserunt: *Item Basilicam Via Labicana inter duas Lauros beatis Petro & Marcellino Martyribus, & Mausoleum, ubi matrem suam posuit in sarcophago purpureo.* Ubi Mausoleum, ut vides amice lector, ab ejusdem B. Helenæ sepulchro secernere videntur; qua ratione si scriptorum, quos hactenus recitavimus, sententiam amplecti velimus, aliam omnino esse ab hac, de qua agimus, sanctorum Marcellini & Petri Eccl. Mausolei, ut ajunt, formam exhibentem affirmare compellimur. Quamvis enim Mausoleum, si genuina vocis significatio attendatur, nobile quoddam ædificium auribus insonet, quod ad inferenda Magnatum cadavera magnifici operis sumptu extructum sit, uti nobilissima ejuscemodi constructionum exemplaria, & quamplura quidem tam in Urbe, quam in orbe terrarum conspicua olim extitere, quorum nunc pauca admodum, Augusti præsertim, atque aliorum Imperatorum vestigia, quæ ex antiquis tot monimentis supersunt, non sine admiratione suspicimus, Mausolei tamen vocabulum sæpesæpius figurate, ut mos apud Rhetores est, loquendo pro quovis sepulchri genere, quod faciem magis comptam præ se ferat, usurpatum fuisse legimus; cujus quidem rei innumera plane in medium exempla afferri possent: veruntamen nobis supra citatæ Sigeberti, & Codicum M.S. Later. & S. Petri auctoritates ad id asserendum sufficiant; quibus utique Beatam Helenam in porphyretico Mausoleo conditam fuisse constanter astruitur, quod quidem, (ut credere par est) Ado & Beda in locis jam citatis subintelligere voluere; omnes quippe Helenæ Augustæ corpus in sphærico SS. Marcellini & Petri templo, marmoream intra urnam, reconditum fuisse unanimi voce asseverant, cujus sane templi nullum penitus in universæ illius regionis ambitu vestigium, præter id, de quo agimus, apparet.

Mausoleum S. Helenæ. Beda & Ado. Mausoleum figurate ... significat.

5 Neque interim omittendum est, sacrum hoc templum superioribus seculis adeo insigne, quod jam ex parte dirutum, atque incultum omnino, procul ab Urbe subsistit, ex recolendo, quem præ se ferebat, ut vidimus, titulo pariter, ac sanctitatis loco, fontium, ac ficariorum (exclamare hic nobis licet: O tempora, o mores!) sicariorum, inquam, execrandum asylum illud iisdem occupantibus, effectum

effectum fuisse, quorum subinde plurimi cædibus obnoxii, ibidem ab apparitoribus intercepti, meritas scelerum, ac illatæ præsertim loco omni veneratione dignissimo injuriæ pœnas dedere. Verum divino tandem nutu postremis annis contigit, ut Canonici, ac Lateranensis Basilicæ Capitulum, quorum ditioni prædium unà cum templo addictum est, aliique nonnulli, qui vineas illic proxime adiacentes obtinent, religioso devotionis impulsu, locum ipsum ruderibus primum expurgare aggressi, & subinde Ecclesiam, quam penitus incultam cernebant, aliqua ex parte in pristinum cultum, vel in hoc summis laudibus extollendi, restituere incœperint, & sacerdoti annua pensione attributa decreverint, ut ibidem jugiter residens, sacrosanctum Missæ sacrificium singulis festivis diebus omnipotenti Deo in sanctorum martyrum obsequium offerat, & Ecclesiæ, ac fidelium pietati, quo par est, studio deserviat; quod magna jam ex parte Deo inspirante præstitum, perfectumque esse didicimus. Quamobrem brevi temporis intervallo (ut credere fas est) & pristinam illuc confluentium frequentiam, ac primævum religionis illibatæ nitorem sacro eidem loco (quod decet, & in votis cunctorum est) redditum esse pius quisque vir merito gaudebit: cujus hic nos, & proximæ item Ecclesiæ ichnographiam, ac orthographiam in eorumdem gratiam, & ad consignandum perpetuis monimentis beatorum martyrum nomen, binis utique Tabulis delineatis diligenter (ut vides lector) excepimus.

...xpurga-...o, ac in ...istinum ...ecorem ...stitutio ...cclesiæ ...S. Marcellini & Pe-...

A Ichnographia Ecclesiæ SS. Marcellini, & Petri.
B Partium ejusdem Ecclesiæ, interioris, atque exterioris, Orthographia.
C Ordinis secundi Ichnographia, ubi octo fenestræ majores conspiciuntur.
D Ejusdem Ecclesiæ, ut hodie visitur, Orthographia.
E Atrium Ecclesiæ.
F Porticus Atrium circumeuntes.
G Atrii ingressus.



Præsens hæc Tabula Ichnographiam pariter & Orthographiam Ecclesiæ, ut creditur, S. Tiburtii, quæ non longe à præmemorata SS. Marcellini, & Petri Ecclesia Via Labicana sita est, contemplandam subjicit.

A Ichnographia Ecclesiæ cum eo loco, qui Confessio vulgo nuncupatur.
B Lineæ punctis, seu maculis respersæ Confessionem sub Ecclesia sitam designant.
C Ecclesiæ parietes, qui hactenus supersunt.
D Ejusdem Ecclesiæ Ichnographia simul & Orthographia.

6 Ejusmodi igitur loco, quem oculis, ac manu deprehendere Bosius diu concupierat, ac indefesso pede usquequaque regionem excurrens perquirere non destiterat, feliciter inter pervestigandum reperto, id unum anhelanti ejusdem animo in votis erat, ut aliquis ad Cœmeterium aditus, quod ibidem existere antiquis è monimentis jam satis superque innotuerat, sibi tandem suppeteret. Quapropter universam illam semel, atque iterum regionem vir morarum impatiens perlustravit, nec prius ab incœpto destitit, quam prope abolita jam ejusdem templi vestigia, foramen quoddam quadratæ formæ, adinstar putei satis profundum, inspexit, per quod hinc inde pedes quibusdam in foraminibus in topho excisis aptando, ac si per gradus quosdam ad ima paulatim descensus pandebatur, sed ut sibi caute res proveniret, & si quod forte subesset, vitæ discrimen vir prudens evitaret, necnon incommodum, quod grave tunc instabat, jam longa experientia edoctus, etsi haud omnino effugeret, ex parte saltem minueret; intermisso tunc labore illuc postridie regressus, ligneis scalis, ac funibus admotis, facili quidem via ad inferiora loca descendit; ubi cum rem optatissimam nactus, præ lætitia gestiret, perantiqui Cœmeterii aditum invenit. In illud igitur festinanter ingressus, haud procul ab aditu scalam marmoreis quibusdam gradibus, reliquis vero lateritiis, compactam inspexit, per quam subinde, ulteriora investigaturus loca, descendens, ad Cubiculum quoddam devenit, quod ad dexteram ipsius scalæ partem situm est, & picturis affabre elaboratis instruitur, quo potissimum loco veneranda olim sanctorum Marcellini & Petri corpora condita fuisse pietas ultro intuentium oculis suadet. Descensum vero, quem nuper descripsimus, ipsummet esse, cujus mentio fit in supra citata eorundem Mart. translatione, singulis bene perpensis, pro indubitato apud nos est.

Aditus Cœmeterii à Bosio reperti.

7 Porro Cœmeterium hoc, quod cæteris amplitudine præstat, plures cryptarum ordines, aliorum instar suo ambitu complectitur. Semitæ vero alicubi ab humo altiores conspiciuntur, quæ ad quatuor scilicet hominum staturam in sublime pertingunt, & incisa utrinque de more in topho sepulchra exhibent; singula tamen (quod valde dolendum est) referata omnino, & haud ullis, ut mos est, titulis atque inscriptionibus prænotata patent, si tria dumtaxat ex hoc numerose pulchra demantur, quæ ex ipso Christi nomine, quod eisdem insculptum cernitur, & ex consueta, quæ ibidem legitur, descripta formula, Christianorum proculdubio usui deseruisse comprobantur. Sunt autem hujusmodi:

Inscriptiones sepulchrales in Cœmeteriis

In Tabula marmorea inscripta.

RUSTICO ET FL. FELICIANE PARENT.
VINCENTIO FILIO KARISSIMO
VIXIT ANN. XVII. MES.II.
DIEB. VIII. FEC. IN P. DEP. IIII.
NON. SEPT.

In alia Tabula marmorea.

MAG. PAULO INNOCENTI BENEME
RENTI QUE VIXIT ANN. VI.
M. VII. D. IIII. IN PACE.
DE. VII. KAL. SEPT.

In Sarcophagi fragmento.



VAL. AMMIANO BENEMERENTI
IN PACE QUI VIXIT ANNOS....

8 Porro innumera sepulchralium ibi titulorum fragmenta extant, in quorum altero Placidi & Romuli Consulum nomina legebantur; quorum Consulatus anno Dominicæ salutis 343. Constantini vero & Constantis, ipsius Constantini Magni filiorum septimo adnumeratur, si ipsa Baronii supputatio attendatur. Quoniam vero plura illic tum lapidum, tum Sarcophagorum fragmenta sparsim reperiri contigit, ex his perspicue lector ediscere valet, innumeras quoque eodem in Cœmeterio sepulchrales olim titulos extitisse. Postquam autem Bosius opus hoc indigestum relinquens diem obiit, Severanus noster unà cum aliis ad sanctorum Marcellini & Petri templum visendum, & ad cognoscenda extantium ibi marmorum fragmenta, pia admodum curiositate illectus Kal. Oct. anno 1631. accessit. Dum subterranea igitur loca attentius perlustrat, & ea præsertim, quæ crebris circa idem templum ruinis congesta fuerant, diligenter revolvit, fortuito quidem marmor ante ejus oculos objicitur, in quo hujusmodi inscriptionis fragmentum legebatur.


Bar. An. to. 3. an.

. . . MARTYRII . B . . . .
. . . VIRGO AN . . .
. . . MENSES. VIII . . . .
. . . TOB. BEN . . .
. . . ARTIUS . S . . .

Insuper & fragmentum aliud tunc perscrutantibus contemplandum se obtulit, quod Pontificæ, Sedis imaginem ferro incisam, velisque hinc inde exornatam, in cujus summitate marmorea item columba diademate redimita consistit, intuentibus contemplandam exhibet, quam pariter hic typis imprimendam curavimus.

Sedis P[ontificiæ] ... go in ... meteri[o]

9 Sub-



...thedræ ...ntifica- ...in ho- ...re ab an- ...uis Chri- ...inis ha- ...æ.

9 Subsistamus hic quæso paululum, amice lector, & ubi de Cathedris opportuna mentio incurrit, haud silentio prætereundum est magno has olim à fidelibus in honore habitas fuisse, eo quod in eis Pontifices, ac Pastores Ecclesiæ tanquam nobili throno recepti, ipsius Christi vicem præferentes, sedere consueverint. Quapropter singulari devotionis cultu eam præ omnibus Cathedram venerati sunt, in qua Petrus Apostolorum princeps, ac ipsiusmet Christi Vicarius, ejusque successores considebant: quapropter in Cœmeterialibus cubiculis, quo Christiani ad synaxes, & cætera pietatis munia jugiter confluebant, marmoreas istas Cathedras studiose exsultas frequenter videre est, ut in hoc præsertim Pontificiæ fragmentum Cathedræ nobis se offert. Verum, si quis plenam hujus rei notitiam, & mysterii pariter rationes assequi cupit, Baronium in suis Annalibus id prolixius in hæc plane verba differentem consulat: *Nec tamen illud de his dicere prætermittimus*, inquit ille, *quod ad hanc rem etiam spectare videtur: majores scilicet nostros egregios pietatis cultores, ut qui probe scirent loco Christi (quod sæpe monet Ignatius) esse habendos Episcopos, sedes illas, quibus illi in Ecclesia cum sacras synaxes agerent, insiderent, ut divinum thronum velis egregie ornare consuevisse, easdemque tegere velamento. Id plane inquit Pontius Diaconus in Cypriani martyrio cum ait: Sedile autem erat fortuito linteo tectum, ut & sub ictu passionis episcopatus honore frueretur. Et Augustinus ad Maximinum Episcopum Donatistam: In futuro, inquit, judicio nec apsides gradatæ, nec Cathedræ velatæ adhibebuntur ad defensionem. Aspides sane gradatas cum dixit, sedes Episcoporum sublimiori attolli fastigio solitas esse significat. Et Pacianus Episcopi sedem linteatam nominat in Epistola 2. ad Symphronium. Sed hæc satis ad illustrandos antiquos Ecclesiæ mores, cui plane rei nos ex instituto lectori devinximus.* Hæc Baronius, quæ nos vel obiter ad explanandum quid marmoreum istud velatæ Cathedræ, aut linteatæ fragmentum designet, in medium proferre voluimus. Quod autem columba huic Cathedræ insidens insculpta cernitur, haud peculiari, & quidem maximo mysterio, vacat: quippe cum Columbæ symbolo Spiritus sanctus prænotetur, Christiani utique Apostolicæ Cathedræ divinum Dei numen, à quo Ecclesia regitur, adesse jugiter, & arcana, quæ ejusdem magisterio Cathedræ docentur, ac decernuntur, Deo plane inspirante decerni, ac edoceri obtestabantur, juxta illam Christi promissionem: *Spiritus sanctus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia.* Ex quo deinde singulare illud Romanæ Cathedræ privilegium Deo concedente stabilitum est, ut in his, quæ ad fidei, & morum dogmata pertinent, infallibilem auctoritatem obtinendo, haud unquam falli, decipi, aut errare possit. Sed ad nostra interim redeamus.

...on.to.1. ...45.n.11.

...g. ad ...r. Do- ...ep.203.

...umba ...itus ...ti sym- ...ito.

Infallibile Cathedræ Romanæ regimen.

10 Porro arcuata quamplurima in hoc Cœmeterio monumenta, & Cubicula haud pauca recensentur, in quorum nonnullis peristylia, ac marmorei stipites conspiciuntur. Horum pleraque picturis quoque affabre exculta sunt; quamvis memorandum ingenti quidem ex parte Cœmeterium, à vinearum fossoribus ferro intra abditos terræ sinus via patefacta, disjectum omnino, ac enormiter vastatum fuerit: Cubicula tamen, quæ ibi adhuc integra, picturisque conspicua extant, decem & quatuor numero computantur; arcuata vero eodem in loco monumenta tria duntaxat existunt: quæ omnia, ut studiosi lectoris pietati, atque oculis exploranda pateant, hic typis edita, mox à nobis exacte describentur.

Cubiculum primum Cœmeterii SS. Marcellini & Petri Via Labicana inter duas Lauros ad sanctam Helenam describitur.

Cubiculum istud, quod in superiori ejusdem Cœmeterii parte, post scalæ descensum intuentibus occurrit, primo quidem loco, ob recolendæ antiquitatis meritum, quod præ se fert, describendum hic duximus; ex pluribus enim conjecturis satis aperte liquet, hunc ipsummet locum fuisse, in quo sanctorum Marcellini & Petri corpora condita quondam fuere. Ut enim in sacris eorundem Actis legitur, sacra Martyrum pignora in inferiori crypta tumulata subsistunt; ubi nimirum sanctæ illæ mulieres Lucilla & Firmina Cubiculum sibi construxerant. Ex iisdem insuper Actis scalam quandam extitisse comperimus, per quam aditus ad ipsa veneranda beatorum Martyrum corpora accedentibus patebat. Cujus quidem gradus ab Adriano Papa hujus nominis Primo aptatos primum, ac dispositos fuisse jam supra diximus. Cubiculum ipsum in quadro positum est, altitudinis palm. 10. longitudinis 9. & semis, latitudinis autem octo, gypso oblitum, picturisque, præsertim in fornice, seu tholo, affabre exsultum, quæ quidem typis impressæ, unica, quam subteximus, tabula lectori exponuntur.

Cubiculum SS.Lucillæ & Firminæ.

A Cubiculi fornix picturis undique insignitus, quas unica Tabula suspiciendas inferius subjicimus.
B Sepulchra in longum protensa, reserata, vacua, ac sine ossibus.
C Ostium, per quod aditus ad Cubiculum patet.

CVBICVLVM PRIMVM
COEMETERII SANCTORVM MERCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA.

TABVLA VNICA CVBICVLI PRIMI COEMETERII S.S. MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICAN

Unica Cubiculi Primi Tabula.

I. In ipso fornicis umbilico coloribus expressam recolendi illius Pastoris imaginem videre est, qui ovem humeris amplexatus, duasque inter arbores consistens, gestat. Hic syringam seu pastoritiam fistulam manu defert; alteramque ad pedes oviculam suæ commendatam curæ, quasi sub umbra molliter cubantem, sollicite tuetur.

II. In circumposito fornicis ejusdem ambitu Ionas Propheta sub umbraculo recubans coloribus ad vivum exprimitur.

III. Christus item Salvator, qui Lazarum è mortis claustro in vitæ lucem revocat.

IV. Idem Dominus septem panum cophinos ad exsaturandum desertas inter regiones Israëliticum populum divinæ potentiæ vi multiplicatos virga præmonstrans.

V. Reliquæ vero imagines præ nimia jam vetustate absumptæ penitus, haud oculis ulla ratione percipi, nec penicillo ulla pariter arte exprimi, atque adumbrari potuere.


Cubi-

Cubiculum II. *ejusdem Cœmeterii SS. Marcellini & Petri Via Labicana inter duas Lauros describitur.*

EOdem loco, eademque semita alterum ejusce-modi prorsus formæ Cubiculum extat; quod quidem in quadro pariter positum, arcuata quatuor monumenta primario in pariete, totidemque in lateralibus singulis parietibus continet, & calce, ac gypso, cæterorum cubiculorum more, dealbatum, multiplicibus arborum foliis hinc inde affabre pictum est. In fornice autem, & utroque item ex latere juxta ejusdem Cubiculi ostium imagines visuntur, quæ unica sequenti Tabula typis consignatæ sunt.

A Cubiculi fornix picturis usquequaque exultus: quas Tabula, quæ proxime sequitur, videndas exhibet. B C Duorum fossorum effigies.

D Sepulchra duodecim vulgaria, quæ tribus Cubiculi hujus parietibus inhærent, quaterna nempe singulis quibusque. E Ostium, per quod Cubiculum istud ingredimur.



...BVLA VNICA CVBICVLI SECVNDI COEMETERII SS. MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA.



Unica Cubiculi Secundi Tabula.

I In media ipsius tholi parte, consueta olim apud Christianos, ac toties repetita laudatissimi Pastoris imago ovem super humeros utraque manu deferentis cernitur. In ejusdem ambitu quatuor mulieres expansis, elevatisque brachiis de more orantes exhibentur. In quatuor angulis cervi itidem quatuor.

II. III. Iuxta portam autem, ad ejus videlicet latera intra Cubiculum, fossores duo, tophum ligone percutientes, coloribus exprimuntur. Cubi-

Cubiculum Tertium Cœmeterii SS. Marcellini, & Petri Via Labicana inter duas Lauros describitur.

Prope memorata à nobis hactenus Cubicula, secundi ipsius è regione Cubiculi, tertium hoc situm est, quod haud prospectu à superioribus dissonat: quadratæ enim formæ est; altitudinis palm. 12. longitudinis 10. latiudinis novem. Bis sena in tribus parietibus sepulchra de more continet: in primario autem Cubiculi ejusdem pariete, patentis è regione ostii, sepulchralis hujusmodi titulus legitur:

VITELLA IN PACE
BENEMERENTI.

Fornix porro multiplicibus è sacrarum historiarum fonte petitis imaginibus exornatur. Cubiculi Ostium sursum palmis novem protenditur, hinc inde palmis quidem tribus dilatatur; à summo autem deorsum palmis duobus cum dimidio tendit. Peristylia & stipites marmoreos exhibet, & in utroque interiori Cubiculi latere bini pariter terræ fossores, ut in supra à nobis descripto, coloribus ad vivum effícti intuentium oculis adumbrantur.

A Cubiculi fornix sacris undique depictis figuris conspicuus, quas proxima inferiori Tabula oculis subjicimus.


B C Duorum fossorum imagines.

D Monumenta duodecim vulgaria, quæ tres Cubiculi hujus parietes continent, quatuor scilicet singuli quique.

E Ostium Cubiculi.



TABVLA VNICA CVBICVLI TERTII COEMETERII SS MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S HELENAM VIA LABICAN



Unica Cubiculi Tertii Tabula. I. Pars hujus Cubiculi media Euangelici Pastoris effigiem, consueto oviculæ prænotatam symbolo, virentibusque hinc inde arboribus instructam, binasque sub ipso Pastoris aspectu oviculas consistentes, contemplandas oculis intuentiū subjicit.

II. Tholi ejusdem ambitus Noëmi figuram exhibet, qui cum virentis olivæ ramusculo columbam ad se venientem protensis manibus festivus excipit.

III. Picta subinde fornicato huic parieti Christi Servatoris forma exhibetur Lazarum à mortuis excitantis, vel Paralyticum in grabato procumbentem divinitatis jussu, atque omnipotentiæ dextera sanantis.

IV. Danielem insuper efferatos inter Leones non secus ac mites, blandosque inter catulos commorantem.

V. Abrahamum item Patriarcham sanctissimum districto mucronis gladio Isaaco unigenito immolando insistentem præfert; ac puerum pariter prompta manu, obsequentique animo ad holocaustum rite perficiendum altariligna imponentem.

VI. VII. Fossores denique duo ab utroque ostii latere picti conspiciuntur, qui ad eruendam inde humum, ligones, uti mos est, attollunt.


Cubi-

Cubiculum IV. Cœmeterii SS. Marcellini, & Petri inter duas Lauros ad S. Helenam Via Labicana describitur.

CUbiculum, hoc quod ad superioris Cœmeterii gradus existit, altitudinis est palm. 9. longitudinis totidem, latitudinis 8. gypso insuper, & picturis aliorum instar apprime decoratur. Duodecim, iisdemque oblongis sepulchralibus loculis illustratur, quorum nimirum quatuor in unoquoque pariete excisa, dispositaque sunt. Porta quadratæ quidem formæ, ac Tiburtino è lapide extructa est. Fornix verò, & ipsamet Cubiculi porta in lateribus, conspicua pariter sacris imaginibus redditur. Quæ quidem recolendæ imagines unica Tabula, quam inferimus, omnes simul exprimuntur.

A Cubiculi fornix gypso item uti alii, ac picturis condecoratus.
B C Figuræ, quæ ad utrumque ostii latus depictæ cernuntur.
D Duodecim Monumenta oblonga in tribus ejusdem Cubiculi parietibus aptata. E Cubiculi Ostium.
F Foramina quatuor rotunda in ipso lapide Tiburtino excisa, quæ cardines plumbo firmatos inibi quondam hæsisse innuunt.

CVBICVLVM QVARTVM
COEMETERII SANCTORVM MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA



ABVLA VNICA CVBICVLI QVARTI COEMETERII SS MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA



I. In tholi medio Pastor ille Euangelico clarus oraculo virentibus circumseptus arboribus, hircum tamen, haud ovem de more supra humeros bajulans, coloribus adumbratur; ad cujus pedes bini pariter hirci subsidunt. *Unica Cubiculi Quarti Tabula.*

II. Ipso in ambitu Jonas è mari, atque è Ceti alvo, ubi delituerat, prosiliens.

III. Idemmet qui sub frondium umbraculo, dulci quidem sopore oppressus, recubat.

IV. Noë insuper in arca porrectis manibus advolantes hinc inde columbas, olivarumque ramis onustas hianti ore excipiens exprimitur.


V. E regione vero ipsius Jonæ quiescentis alia in eodem fornice extabat quondam imago, sed præ nimia vetustate, penitus absumpta, haud ullatenus intuentibus innotescit.

B C In ipsis ostii lateribus, qua ad dexteram intramus, Moyses virga silicem percutiens exponitur. Ad sinistram vero Servator noster, qui parvulo cuidam, ut Euangelicæ paginæ edocent, ad benedictionis gratiam impertiendam manus imponit, & virgam altera manu præfert.

Cubiculum quintum Cœmeterii SS. Marcellini & Petri inter duas Lauros ad S. Helenam Via Labicana describitur.

HAud procul à quarto, cujus jam ſupra meminimus, Cubiculum quintum ſitum eſt, de quo à nobis ſermo nunc inſtituitur. Eſt autem altitudinis palm. 11. latitudinis 10. & ſemis, longitudinis 10. In primario autem pariete arcuatum quoddam monumentum extat, ſub cujus arcu pueri cujuſdam ſepulchrum in topho excavatum viſitur. In ejuſdem Cubiculi ambitu alia duodecim in topho pariter exciſa monumenta conſiſtunt, quædam anguſta ſatis & perexigua, nonnulla autem ampliora. Sepulchrum quoque in ipſimet Cubiculi area effoſſum ibidem ad lævam ingredientibus objicitur. Porro Cubiculum ipſum albo colore perfuſum, picturiſque concinnatum eſt, variis nempe ramis foliorum intermixtis. Supra ipſum tamen monumentum cujuſdam ſedentis imago, etſi capite diminuta, conſpicitur, quod effodiendi ſepulchri ibidem exiſtentis gratia præſtitum eſt, ut nobis ex ipſo adſpectu conjicere licet. Jobum item in ſterquilinio jacentem deſcripta imago præ ſe fert. Tholus haud ullis conſpicuus imaginibus redditur. In pariete vero, in quo oſtium patet, quædam in ſequenti Tabula imagines infra deſcribendæ viſuntur. Oſtium verò quadratæ formæ eſt, altitudinis palm. 8. latitudinis 5. profunditatis 2. & ſemis.

A B C Imagines, quæ in utroque oſtii latere interiori pictæ conſpiciuntur.
D Imago cujuſdam ſedentis ſupra Monumentum arcuatum penicillo effičta.
E Monumentum Arcuatum. F Sepulchra duodecim per ambitum ejuſdem Cubiculi.
G Sepulchrum in ipſo pavimento effoſſum. H Oſtium, per quod ingreſſus ad idem Cubiculum patet.



TABVLA VNICA COEMETERII SS. AD S. HELENAM CVBICVLI QVINTI MARCELLINI ET PETRI VIA LABICANA INTER DVAS LAVO









Unica Cubiculi Quinti Tabula.

I. In hac quoque Tabula conſuetam Paſtoris virides inter arbores conſiſtentis effigiem pictam videre eſt, ovemque humeris, & fiſtulam paſtoralem præferentis.

II. Paralyticus item Chriſti juſſu extemplo ſanitati redditus, qui è lectulo, in quo jacebat, proſiliens, eundem defert, intuentium oculis contemplandus objicitur.

III. Iob quoque demiſſo, triſtique vultu in ſterquilinio recubás.


IV. Stolata item mulier extenſis de more brachiis Deum exorans exprimitur.

Cubi-

Cubiculum Sextum præmemorati SS. Marcellini & Petri Cœmeterii describitur.

Cubiculum, de quo nunc agitur, tribus dumtaxat parietibus constat: quartus enim paries, ex quo aditus ad ipsum Cubiculum patet, cum jam præ vetustate corruerit, haud ulla ex parte extat. Porro altitudinis ejus mensura palmorum decem, latitudinis verò septem cum dimidio. In singulis hujusce Cubiculi parietibus monumenta tria, & oblonga quidem, atque in topho excisa, picturis tamen undique exculta, recensentur. At in fornice, ipsumque extra Cubiculum, supra ostium videlicet, venerandæ quædam imagines expressæ sunt, quæ in sequenti Tabula ad vivum adumbrantur.

A Cubiculi fornix picturis insignitus.
B Imagines, quæ supra ejusdem Cubiculi ostium conspiciuntur.
C Sepulchra circum idem Cubiculum concinnata.





Unica Cubiculi Sexti Tabula.

In ipsius fornicis umbilico Pastor, quem sacræ jugiter Paginæ commendant, eadem, qua supra forma oculis contemplandus proponitur. Bini in quolibet ejusdem fornicis angulo viri, totidemque mulieres brachiis expansis orantes suspiciuntur. Extra Cubiculum verò, qua patet aditus, imagines nonnullæ adsunt, quas magna ex parte improba fossorum manu labefactari, atque obliterari contigit; hæ autem funeralem agapen, qua plane olim ratione à Christianis peragi consueverat, inspectandam exhibere videntur. E 2 Cubi-

Cubiculum VII. Cœmeterii SS. Marcellini, & Petri inter duas Lauros ad S. Helenam Via Labicana describitur.


IN eadem semita Cubiculum istud, recensito proximum, septimum videlicet in ordine adnumeratur, quod in topho quidem excavatum est; ac cæterorum more dealbatum, altitudinis pal. 15. latit. 9. longitudinis 10. Ostium vero sursum elevatur palm. 9. dilatatur quatuor; deorsum tribus palmis tendit. In dextero, sinistroque parietum latere lateritia quædam ad suffulciendum Cubiculum sepulchra constructa sunt, adeo vero hæc prominent, ut maximo impedimento sint, ne figuræ, quæ in primario dumtaxat pariete pictæ sunt, intuentium oculis pateant. Has autem sequens Tabula indicat.

A Figuræ, quæ in primario hujus Cubiculi pariete pictæ cernuntur, earum tamen major pars novis ibidem extructis sepulchris tecta intuentium oculos fugit. B Sepulchra recentiora lateritia. C Alia per ambitum Cubiculi in topho excisa sepulchra. D Ostium Cubiculi.



CVBICVLVM SEPTIMVM
COEMETERII SANCTORVM MARCELLINI ET PETRI
INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA.





TABVLA VNICA CVBICVLI SEPTIMI COEMETERII S.S. MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS S. HELENAM VIA LABICANA



Unica Cubiculi Septimi Tabula.


In primario istius Cubiculi pariete, ut diximus, triclinii cujusdam formam videre est, ubi sex numero viri mensæ accumbunt, quatuor interim satis amplis ante eosdem expositis ad vina refundenda hydriis. Altera insuper imago olim extabat, cujusdam nimirum viri poculum uni ex recumbentibus ad epotandum porrigebat, cujus nunc ibi cœteris picturæ lineamentis abolitis brachium dumtaxat cum poculo exporrectum visitur.

Cubi-

Cubiculum VIII. Cœmeterii SS. Marcellini, & Petri describitur.

Cubiculum, quod octavo loco describitur, duobus superiori parte jam recensitis proximum est, iis tamen longe amplius protenditur. Altum enim est palm. 17. latum 9. longum totidem: variis item picturis alicubi cumulatur. Duo & viginti excavata hinc inde in topho sepulchra complectitur. Porta ejusdem quadratæ formæ est, altitudinis palm. 9. latitudinis 4. profunditatis 2. & semis. Nonnullæ primario in pariete imagines adumbrantur, quas Tabula sequens indicabit.

A Imagines, quæ in primario hujus Cubiculi pariete depictæ visuntur.
B C Figuræ, quæ supra ostium, & in utroque ejus latere existunt.
D Monumenta, quæ Cubiculum hinc inde in topho excavata continet. E Cubiculi ostium.



TABVLA VNICA CVBICVLI OCTAVI COEMETERII SS. MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA









I. Cernere hic licet Abrahamum Dei voce admonitum, districto gladio ad Isaacum super ligna immolandum toto animi studio contendentem. Adest ibi itidem apposito igne ara, & hircus, quo holocaustum de more perficiendum erat.

II. Christus item Dominus, dum Lazarum è monumento revocat, coloribus ad vivum exprimitur.


III. Moyses insuper, qui virgæ ictu è silice aquarum fluenta educit.

IV. Mulier demum extensis ultro brachiis divino Numini vota persolvens in Cubiculi parietinis exhibetur.

Cubiculum Nonum Cœmeterii SS. Marcellini, & Petri describitur.

CUbiculum istud aliqua tantum ex parte gypso & calce dealbatum est. Altitudo ejus pal. 12. longitudo pal. 19. latitudo 9. & semis concluditur. Porta ejus alta pal. 9. lata 4. profunda 3. Arcuatum quoddam Monumentum ipsius loci sinu complectitur, in quo alia tria monumenta, formæ satis oblongæ, in topho excavata subsistunt. In ejusdem Cubiculi parietibus decem & novem alia, oblonga pariter, monumenta supputantur. Nonnullæ autem in fornice imagines conspiciuntur, quamvis & alias quamplures, ut loci prospectus indicat, vetustas ipsa omni ex parte absumpserit; quæ adhuc tamen longa post secula illibatæ supersunt, sequenti Tabula contemplandæ proponuntur.

A Cubiculi fornix picturis adornatus. B Monumentum Arcuatum.
C Tria sepulchra oblonga in præmemorato Monumento arcuato extructa.
D Alia Monumenta oblonga per ambitum ejusdem Cubiculi. E Cubiculi Ostium.



TABVLA VNICA CVBICVLI NONI COEMETERII SS. MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S HELENAM VIA LABICANA



Unica Cubiculi Noni Tabula.


I. Media fornicis pars Pastorem divinis oraculis celebrem ea forma, qua alibi descriptus est, contemplandum oculis exhibet.
II. Fornicis verò ambitus Moysem sacræ legis volumina ab ipsius Dei manu excipientem præfert.
III. Eundem Moysem petram virga percutientem.
IV. Necnon portentosum illud manna senis congestum cophinis virga designantem.
V. In ejusdem insuper fornicis ambitu oves quamplurimæ, & in quatuor præsertim angulis oviculæ quædam palmam & pastorale vasculum gestantes, affabre coloribus effictæ repræsentantur.


Cubi-

Cubiculum Duodecimum Cœmeterii SS. Marcellini, & Petri deſcribitur.

DUodecimum Cubiculum quadratæ formæ eſt, pal. 9. altitud. totidemque latitudinis, ac longitudinis. Porro oſtium marmoreis compactum ſtipitibus ab area attollitur palm. 7. dilatatur 3. & ſemis, ad imum uſque tendit 3. quod inſuper novem, iiſdemque oblongis ſepulchris refertum eſt, quorum tria rubeis circumducta lineis, in utroque è tribus Cubiculi lateribus aptata ac ordinatim diſpoſita cernuntur. Duo itidem ex horum numero in ipſa pavimenti area artificum manu effoſſa ſunt. In fornice autem, ac parietibus hæ ſacræ imagines recenſentur, quas inſerta hic interim Tabula delibandas intuentium oculis offert.

A Cubiculi fornix pictis imaginibus excultus.
B C Binæ Imagines orantium in morem, quæ in primario hujus Cubiculi pariete cernuntur.
D E Duæ item figuræ aliæ, quæ in utroque oſtii latere veluti orantes coloribus expreſſæ ſunt.
F Monumenta per ambitum Cubiculi exciſa. G Sepulchra in ipſamet pavimenti area effoſſa.





TABVLA VNICA CVBICVLI DVODECIMI COEMETERII SS MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S.HELENAM VIA LABICANA



Unica Cubiculi Duodecimi Tabula.

I. Media ipſius fornicis pars Danielem in fovea inter Leones contemplandum exhibet.
II. Ambitus vero Noëmum intra ipſius arcæ receptacula ſtagnantis diluvii tempore conſiſtentem præfert.
III. IV. V. Jonam inſuper cete vaſtiſſimi faucibus abſorptum, eundemque paulo poſt inde vegetum ac incolumem prodeuntem, ac ſub umbraculi tegmine molliter cubantem.

Primario in pariete viri cujuſdam imago, ſacra utique induti caſula, ſuſpicitur, cui nomen Græcis utique characteribus inſcriptum eſt, ſcilicet, HAIO. Altera ibidem viri cujuſdam ſtolati imago titulum pariter eiſdem prænotatum characteribus præferens exhibetur BOPA. Binæ autem in ipſius oſtii lateribus ſtolatæ pariter, at orbatæ titulis imagines exhibentur. Quæ quidem numero quatuor deſcriptæ hactenus virorum formæ, cum ſingulæ elevatis manibus pium, conſuetumque morem videntibus innuant, viros ibi quondam ſepulturæ demandatos, ut nobis quidem credere par eſt, præ ſe ferunt. Cubi-

Cubiculum X. Cœmeterii SS. Marcellini, & Petri inter duas Lauros Via Labicana describitur.

DEcimum Cubiculum altitudine constat palm. 11. longitudine totidem, latitudine verò 10. Ostium quadratæ formæ, ac peristylis Tiburtino è lapide compactis exornatum est. Ejus altitudo palm. 8. latitudo 3. & semis, profunditas 3. commensuratur. Primario in pariete, ipsius è conspectu ostii, arcuatum quoddam Monumentum coloribus concinne elaboratum cernitur; in quo & aliud subinde oblongæ figuræ Monumentum ferro, cæterorum instar incisum patet. Porro in quatuor ejusdem parietibus alia tredecim numero monumenta, breviora quædam, nonnulla ampliora recensentur. Cæterum in ipsius pavimenti area monumentum humo altius effossum extat. Cubiculum ipsum parietibus omni ex parte dealbatis excultum est: sepulchra verò lineis rubei coloris circumducta sunt. Fornix verò subtexendas hic imagines, binisque excerptas Tabulis exhibet.

A Cubiculi fornix depictis imaginibus exornatus.
B Monumentum Arcuatum artificis penicillo insignitum.
C Monumenta circum Cubiculum ferro parietibus incisa.
D Monumentum in ipsius pavimenti area effossum.
E Cubiculi Ostium.

Prima Cubiculi Decimi Tabula.

I. In ipso fornicis umbilico, elevatis vir manibus orans suspiciendus proponitur.

II. III. In ejusdem ambitu tres itidem mulieres eadem plane forma deprecantes contemplari licet.

IV. Moysen item promulgandæ legis volumen ab ipsiusmet Dei manibus excipientem.

V. Christum quoque Servatorem nostrum, quinque hordeaceos panes cophinis ingestos, ac cruce obsignatos virga tangentem: vel certe Moysen ipsum totidem collectum manna in sportis virga præmonstrantem.

Secunda Cubiculi Decimi Tabula.

Contemplandæ hic pio Lectori imagines proponuntur, quæ arcuato in Monumento suspiciuntur.


I. Euangelicus videlicet ille Pastor, qui sæpesæpius alibi descriptus adnotatur.

II. Jonas sub viridi molliter umbra recubans.


III. Moyses petram virga percutiens.

IV. Stolata item mulier elevatis Deum manibus enixe deprecans.


Cubi-



...VLA PRIMA CVBICVLI DECIMI COEMETERII SS. MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA



...LA SECVNDA ET VLTIMA CVBICVLI DECIMI COEMETERII SS. MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA



Cubiculum XI. Cœmeterii SS. Marcellini & Petri inter duas Lauros ad S. Helenam Via Labicana describitur.

CUbiculum, quod, ordinem prosequendo, undecimum adnumeratur, altitudinis est palm. 12. latitud. 10. longitud. 15. picturisque omni ex parte conspicuum redditur. Oblonga tredecim sepulchra continet: horum tamen tria dumtaxat de more ibi excavata, reliqua penicillo vel leviter adumbrata sunt, nedum numeris omnibus absoluta, singula verò rubris eisdem lineis circumobducta conspiciuntur. Binos quoque tumulos ipsamet pavimenti area de more effossos intuentibus exhibet. Porrò Cubiculi istius fornix coloribus concinne, uti pariter utrumque ostii latus, obducitur. Ostium ipsum Tiburtino è lapide constructum, altitudinis est palm. 7. & semis, profund. 3. latitudinis totidem. In Cubiculi ejusdem pariete ad lævam arcuatum quoddam in topho foramen excisum suspicitur, ubi lampades olim à Christianis de more ad lumen refundendum appendebantur, & in dextero primarii ipsius parietis angulo basis quædam ex topho extat, ad lampades item æneas, vel candelabra fulcienda, quæ ibi pio fidelium usui sacras inter vigilias, ac synaxes succendi consueverant. Singulæ autem imagines, quibus Cubiculum abunde cumulatur, sequenti hac Tabula exprimuntur.

A Cubiculi fornix picturis undique insignitus.
B C Figuræ, quæ in utroque ostii latere conspiciuntur.
D Sepulchra quædam aperta.
E Sepulchra nondum perfecta, sed leviter ac perfunctorie dumtaxat penicillo adumbrata.
F Bina monumenta in pavimento effossa.
G Basis quædam ex topho, lampadibus, seu candelabris sustinendis idonea.
H Ædicula, seu loculus quidam in topho continendis item lucernis adaptatus.
I Cubiculi ostium è lapide Tiburtino constructum.

Unica Cubiculi Undecimi Tabula.

I. In medio fornicis consuetum recolendi Pastoris, ovem humeris, ac pastoralem manu fistulam deferentis symbolum adumbratur, ad cujus pedes oviculæ binæ subsistunt: domuncula item haud procul picta cernitur.

II. In ejusdem vero fornicis ambitu Paralyticus à Christo incolumitati redditus, grabatumque humeris bajulans exprimitur.

III. Servator item noster hordeaceos quinque panes, quos divinitus multiplicarat, sportis inclusos, virga manuque designans.

IV. Idem Dominus, qui quatriduanum è tumulo Lazarum in vitam revocat.

V. Daniel item rabidos inter Leones tuto consistens.

VI. Ionas é puppi in pontum dejectus, vastoque immanis ceti ore exceptus.

VII. Ipsemet post triduum subinde ad littus ex immani marinæ belluæ alvo prosiliens.

VIII. Moyses uberrima aquarum fluenta è petra eliciens.

IX. Noë fausti ominis columbam unà cum olivæ ramo sub vesperam ad se remeantem, intra ipsius arcæ receptacula excipiens.


In utrisque autem portæ lateribus duo hinc inde fossores coloribus delineantur; quorum alter ad lucernæ lumen ferreo ligone tophum fodere, atque excavare videtur; alter verò seniori ætate præditus lucernam manu tenens, fossori cuipiam lumen ad instandum operi refundit.



ABVLA VNICA CVBICVLI VNDECIMI COEMETERII SS MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD SHELENAM VIA LABICANA







Cubiculum decimumtertium deſcribitur.

HUjus Cubiculi fornix in ipſamet ſummitate perforatus eſt; foramen autem quadratæ formæ ſuſpicitur, per quod ſuperiori è parte lumen intus admittitur, ipſumque Cubiculum meridiana luce perfunditur: cujus item formæ aliud quoddam in Cœmeterio Priſcillæ viſitur, quod cum cæteris longe præſtet, Clari Cubiculi nomine nuncupatur, de quo ſuo loco agemus. Hujus porro è regione aliud ſimilis formæ Cubiculum extat, ubi nullæ tamen imagines conſpiciuntur. Hoc interim, de quo agimus, altitudinis eſt palm. 11. cum dimidio, longitudinis 16. latitudinis, qua parte oſtium patet, palm. 8. & ſemis, è regione ejuſdem palm. 10. & ſemis. Ipſius Cubiculi oſtium latum eſt palm. 4. altum 6. profundum 3. In primario autem Cubiculi pariete arcuatum monumentum, picturiſque concinne adauctum deprehenditur; ſupra quod alia duo monumenta, oblongæ quidem formæ extructa ſunt. In aliis ſubinde parietibus ſepulchra numero ſexdecim, duobus diſtincta ordinibus, continentur, quorum unumquodque quatuor item ſepulchra eum in modum diſpoſita complectitur, ut unum videlicet alteri ſubſit. Fornix quoque, & ipſum pariter loci foramen picturis de more inſtruitur, quæ unà cum imaginibus arcuati ejuſdem monumenti, ſubjectis infra tabulis, ut vides lector, inſeruntur.

A Cubiculi fornix picturis excultus.
B Monumentum arcuatum variis depictis imaginibus inſigne.
C Paries in ſummo Cubiculo extructus, qui nonnullis item imaginibus penicillo expreſſis adornatur.
D Foramen quadratæ figuræ in fornice fabrefactum, quà Cubiculum ſuperne lumen admittit.
E Sepulchra per ambitum Cubiculi exciſa.
F Oſtium, per quod Cubiculum ingredimur.
G H Sepulchra hæc, quæ binis hoc loco diſtincta ordinibus advertis, eadem illa ſunt, quæ ad alteram oſtii partem exhibentur: ea autem ideo congeminavimus, ut Cubiculi formam melius, perfectiuſque ob oculos poneremus.

Prima Cubiculi Decimitertii Tabula.

I. In arcuato monumento, cujus ſupra meminimus, mulier quædam ſtolata, ac ſuperimpoſita matronarum more capiti mitra, elevatis brachiis orantis ſpeciem binas inter arbores conſtituta præ ſe fert: duo autem hinc inde viri adſtantes pariter, eandem veluti fœminam virtutum ac nobilitatis titulo præcellentem digito præmonſtrare videntur.

II. Contemplandus item eodem loco exhibetur Noemus vir ſanctiſſimus intra ligneam arcam, cui columba optatæ pacis ſymbolum, virentis videlicet olivæ ramum defert.

III. Moyſes, qui è ſummitate cujuſdam petræ uberrimas virgæ miniſterio aquarum venas ſitienti populo elicit.

IV. Primævi humanæ proſapiæ parentes Adamus & Eva ad vetiti pomi arborem ſtygio angue circumdatam, poſt execrandum contempti Numinis piaculum lugubri quidem vultu, ac mœrenti animo conſiſtentes.

Secunda Cubiculi Decimitertii Tabula.

I. Hæc ſane Tabula tritum Paſtoris Euangelici ſymbolum exprimit, qui arboribus circumſeptus, oviculam unice dilectam humero complexam defert, binaſque pariter ſub ejus patrocinio receptas ad pedes fovet.


II. III. IV. V. Ionam inſuper, qui poſtquam ſponte in mare ad ſedandas obortæ tempeſtatis procellas demerſus eſt: ad litus deinde redivivus emergit: idemque ſub amœna foliorum umbra ſuaviter quieſcens: ac poſtmodum ſub eiſdem foliis jam arefactis, mœrenti vultu conſidens, penicillo deſcribitur:


Binæ itidem virorum, totidemque mulierum elevatis, ut olim mos erat, manibus deprecantium imagines exhibentur.

Imagines vero, quas litteræ A B indicant, ſupra Cubiculi aditum depictæ cernuntur, ſacras autem hujuſmodi hiſtorias repræſentant.

A Daniel ipſos inter Leones tuto exceptus intuentium ob oculos exponitur.
B Chriſtus Dominus, qui Lazarum à mortuis excitat.

Cubi-






TABVLA PRIMA CVBICVLI TERTIIDECIMI COEMETERII SS MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S.HELENAM VIA LABICANA



TABVLA SECVNDA ET VLTIMA CVBICVLI TERTIIDECIMI COEMETERII SS MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S.HELENAM VIA LABICANA



Cubiculum decimumquartum describitur.

HAud longe à superiori Cubiculo hoc ipsum extat, quod decimumquartum juxta numerum supputatur. Est autem altitud. palm. 16. latitud. 11. longit. 10. cum dimidio. Incultum omnino alicubi, alibi verò gypso, ac multiplici picturarum genere affabre conspicuum redditur. Ostium altitudinis est palm. 7. latitud. 4. profundit. 5. atque in lateribus, quæ ad interiorem Cubiculi ambitum spectant, nonnullas item imagines præ se fert. Oblonga itidem monumenta hic quindecim adnumerantur, quæ in tribus parietibus excisa sunt: in ipsius verò pavimenti planitie alia tria ad Cubiculi longitudinem effossa, atque aptata conspiciuntur. In primario autem Cubiculi ejusdem pariete arcuatum nonnullis excultum imaginibus Monumentum extat, quæ sequenti Tabula contemplandæ lectori exhibentur.

A Monumentum arcuatum nonnullis adornatum picturis.

B Imagines, quas, dum Cubiculum ingredimur, in dextero ostii latere interiori videre est.

C Aliæ in altero ejusdem ostii latere figuræ.

D Monumenta oblonga in tribus Cubiculi parietibus excisa.

E Monumenta tria ad Cubiculi longitudinem in pavimento effossa.

F Cubiculi ostium.

Prima Cubiculi Quartidecimi Tabula.

I. In arcuato Monumento Pastor ille recensitis in Tabulis jam sæpe descriptus exprimitur.

II. Mulier item consueto more prolixius orans, necnon flagellum quoddam ad corpus excruciandum juxta eandem appensum.

III. Daniel quoque inter Leones elevatis manibus precationi insistens describitur.

Tabula Secunda.


I. In reliquis autem Cubiculi ejusdem parietibus hæc studioso sacrarum rerum exploratori exhibentur; mulier nimirum binos inter viros sacris precibus operam dans, qui ejusdem elevant, vel potius jam elevata, obsequii præstandi gratia, orantis brachia sustinent.

II. Adam & Eva post vetitum temere, petulanterque decerptum ex arbore pomum, illata sibi malorum incommoda deplorantes; serpens item juxta paradisi arborem, qui humano generi exitialis noxæ venenum propinavit.

III. Tres insuper Magi, qui infanti Deo sinu Matris excepto munera supplicantium more deferunt.

IV. Moyses, qui aquarum fluenta duro è silice impertita sibi à Deo virga haurit.

CVBICVLVM QVARTVM DECIMVM ET VLTIMVM COEMETERII SANCTORVM MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA




TABVLA PRIMA CVBICVLI QVARTI DECIMI ET VLTIMI COEMETERII SS. MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA



TABVLA SECVNDA VLTIMA CVBICVLI QVARTI DECIMI ET VLTIMI COEMETERII SS. MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S HELENAM VIA LABICANA









Primum arcuatum Monumentum describitur.

Quamplura arcuata in Cœmeterii hujusce semitis monumenta, ut diximus, imaginibus cæterorum instar abunde referta extant, quorum primum, quod altum quidem est palm. 4. latum 9. profundum 5. has contemplandas intuentibus imagines offert.

I. Funerales videlicet Agapes triclinio lunari instructas, quod Sigma nuncupatur; ubi puer quidam poculum manu gestans recumbentibus quinque numero operæ ministerium exhibet. Verum super duos ex his hæc verba inscripta leguntur:

IRENE DA CALDA,
AGAPE MISCE MI.

reliqua interim desiderari contingit.

II. Eadem quoque Tabula Pastoris Euangelici symbolum, unà cum fistula & pastorali baculo adnotatur.

III. IV. Jonæ item incolumis è ceti ventre in lucem prosilientis, ejusdemque suaviter amœno sub umbraculo jacentis imago subjicitur.

Monumentum Secundum arcuatum describitur.

Monumentum hoc secundum arcuatum altitud. pal. 3. latitud. 8. profund. 4. cum dimidio est.

I. Monumenti totius Orthographia.

II. Christus Dominus, qui fœtidum jam quatriduanum è tumulo Lazarum prodire jubet.

III. Stolata item mulier precibus intentius incumbens, quæ & matronarum instar concinnatam capiti mitram gestat.

IV. Moyses, qui dum virga petram quatit, portentorum insignia patraturus, aquarum inde fluenta educit.

V. Ipsemet iterum Moyses, qui in summo Sinai vertice sacrarum legum Tabulas à Deo evocatus accipit.

Monumentum Tertium arcuatum describitur.

Monumentum, de quo in præsens agitur, si quis ejusdem altitudinem dimetiatur, palmis sex cum dimidio constat; si latitudinem, septem cum dimidio; si profunditatem, tribus cum dimidio. Sub ipsius arcu haud ullas in pariete figuras videre est. Bina dumtaxat ibi monumenta effossa conspiciuntur. In arcu autem, & in pariete superiorem arcus ejusdem partem ambiente, has contemplari imagines intuentibus licet.

I. Abraham videlicet, qui evaginato gladio filium unigenitum solerti pietatis studio incensus, Deo immolare, ipsam juxta aram igni ad consummandum holocaustum parato, contendit: haud procul aries immolandus visitur: manus insuper quædam è nube prodit, quæ sacrificium ultro offerre volenti, ac in filii cædem festinanti obstare videtur.

II. Adam unà cum Eva noxium juxta stipitem versipelli circumseptum angue consistentem.

III. Moyses illic quoque visitur, qui in deserto petram percutit, è qua vivæ aquæ plenis scatebris emicare videntur.

IV. Christus Servator, cujus imperio Lazarus ad vitæ lucem redit.

V. Stolatam quoque mulierem expansis manibus Deum exorantem illic coloribus expressam videas.

VI. VII. Bina Monumenta arcuata, quæ in pariete Monumenti sub arcu continentur.

VIII. Agape item funeralis, eadem Tabula circumscribitur, ubi convivæ tres numero adsunt, ac bini mensam utroque ex latere peregrinorum habitum præ se ferentes ambiunt, quorum alter à convivis stipem exposcit; alter verò eandem ultro à porrigentibus accipit.

Et hæc de Cœmeteriis à Bosio Via Labicana & Prænestina adinventis, & de antiquis ibidem monimentis, ac sepulchralibus Christianorum titulis perlustratis indicasse sufficiat: nunc Tiburtinam Viam ingrediamur.

CAP.

MONVMENTVM ARCVATVM PRIMVM
COEMETERII SANCTORVM MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA



MONVMENTVM ARCVATVM SECVNDVM COEMETERI SANCTORVM MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA









MONVMENTVM ARCVATVM TERTIVM ET VLTIMVM COEMETERII SS. MARCELLINI ET PETRI INTER DVAS LAVROS AD S. HELENAM VIA LABICANA



CAP. XV.

De Tiburtina Via, ac profanis ejusdem Monumentis.

1 POst Næviam portam, quam Majorem alio vocabulo nuncupant, Exquilina recensetur, hæc autem nunc vulgo S. Laurentii, à proxima Martyris ejusdem Basilica denominationem sortitur. Porro portam (cujus nunc mentio incurrit) haud ipsammet Exquilinam, sed veteri Exquilinæ suffectam fuisse nonnulli autumant: quamvis alii probabilibus permoti rationibus Majori id potissimum portæ adscribendum affirment: quidam vero hanc esse constanter asserunt, quam *Gabinam* olim, seu *Gabiusam* Romani appellabant, cujus item Livius in suis historiarum libris diserte meminit. Cœterum hæc ab antiquarum rerum scriptoribus *Taurina* communi vocabulo dicta est, à taurorum videlicet capitibus in ea utrinque exsculptis, à quibus nomen itidem tota illa regio desumpsit, quæ *Caput Tauri* vulgo nuncupata fuit, de qua Romano in Pontificali, & frequens Ecclesiasticos apud scriptores mentio habetur. Ab hac vero porta Tiburtina Via initium desumit, ejusmodi jure merito nomen sortita, à vetustissima scilicet Tiburis civitate, ad quam recto itinere ducit. Porro de hac Horatius meminit, hæc dicens.

Porta S. Laurentii. Porta Exquilina. Porta Major. Porta Gabina. Porta Gabiusa. *Livius in suis hist.* Porta Taurina. Regio ad Caput Tauri. Via Tiburtina. *Horat. l. 1. ser. 6.*

Cum Tiburte Via Prætorem quinque sequuntur.

Hac eadem Via Pallantis olim sepulchrum, ut testis est Plinius epistola ad Montanum, primo ab Urbe lapide extitit, qui ipsius Claudii Cæsaris Augusti libertus fuerat; cujus sepulchri titulum superbum nimis, atque arrogantis animi fastu imbutum deridens ille: *Ridebis*, inquit, *deinde indignaberis, deinde ridebis, si legeris, quod nisi legeris, non potes credere. Est Via Tiburtina intra primum-lapidem, proxime annotavi monimentum Pallantis ita inscriptum: Huic Senatus ob fidem, pietatemque erga patronos ornamenta prætoria decrevit, & sestertium centies quinquagies, cujus honore contentus fuit.* Et altera ad eundem conscripta epistola, de eodem Senatus consulto sermonem faciens, & decretum hactenus enarratum stomachabundus admirans, hæc habet: *Quem inveni tam copiosum & effusum, ut ille superbissimus titulus modicus, atque demissus videretur.*

Sepulchrum Pallantis. Epitaphium Pallantis. *Plin. epist. ad Montan.*

2 At, ut reliqua passim hujus viæ, quæ memoratu digna sunt, recenseamus, innumera fere olim Via hac Tiburtina veterum sepulchra Romanorum extitere, quorum ad hanc usque diem vestigia haud numero pauca ibidem visuntur; immo & quamplures temporibus hisce nostris ædiculæ unà cum ollis, vasisque cinerariis repertæ sunt: plurima quoque epitaphia, quæ adiacentibus in vineis veluti profanæ antiquitatis rudera collocata leguntur. In Viæ item ejusdem ambitu marmoreum hunc sepulchralem titulum reperiri contigit, qui nunc calcis glutino, non secus ac nobile quoddam recolendæ antiquitatis trophæum villæ Timothei Ximenes ostio haud procul ab Urbe suffixus est. Est autem tenoris hujusmodi:

Sepulchra, inscriptiones Urnæ, Epitaphia, ædiculæ, ollæ, Vasa cineraria Via Tiburtina reperta.

CN. MANLIUS SOTERICUS PORCIA
ATHENIS FECIT SCHOLAM OLLARUM
XX. SIBI ET SUIS.

Præterea ipsamet Via haud longe à Tiburtina Civitate, ad pontem, quem Lucanum dicunt, supra Anienis fluenta extructum, qui certe fluvius communi omnium voce dicitur *Teverone*, sphærica quædam moles à Vespasiano olim Augusto in Titi Plantii Silvani memoriam erecta ad hæc usque tempora subsistit, ubi inscriptæ marmori notæ celebre ejusdem Plantii elogium legentibus præferunt, qui Lucanum pontem suo quondam ære construxerat.

Pons Lucanus. Flumen Aniensis. Teverone. Moles sphærica memoria Titi Plantii Silvani.

3 Alter insuper pons eadem Via idem supra flumen haud procul ab ipsa Urbe extat, quem cum Antoninus Pius Imperator primum exædificasset, Mammea subinde Alexandri mater eundem instauravit, à qua hodie pons *Mammolus* corrupto vocabulo nuncupatur. Curatorem hæc quoque, aliarum instar, Via antiquitus sortita est. Quapropter in veteri quadam inscriptione, quæ apud Tarraconenses legitur, Lovinii Viæ hujus, & Flaminiæ Curatoris mentio reperitur. Verum quamplures in Tiburtino agro Romanorum Villæ, eædemque tum ob aëris amœnitatem, tum ob cultus elegantiam celebres extitere; inter quas primarium quidem sibi locum Adriana Villarum omnium nobilissima vendicabat, cujus reliquiæ, quæ adhuc extant, antiquitatis, & magnificentissimi operis splendorem intuentium oculis tacito ingerunt. Ejus porro ichnographiam ingenti quidem studio ac labore Franciscus Continus Romanus architecturæ peritissimus, in Eminentissimi Francisci Cardinalis Barberini antiquarum rerum studiosissimi gratiam stylo feliciter excepit, cui singulares studiosus quisque lector gratias debet. Cætera vero pervetusta, ac recolenda præ ceteris Tiburtini ejusdem agri monimenta Cardulus in suo Tibure, & Ludovicus Regius in Tiburtinis antiquitatibus certatim collegere, quos, si lubet antiquitatem ipsismet oculis exploraturus lector consulat, dum nos interim à profanis ad sacra digredimur.

Pons Mammolus. Curator Viæ Tiburtinæ. Villa Adriana. *Card. in Tib. Ludov. R. de Tibur. antiq.*

CAP. XVI.

De Cœmeterio Beatæ Cyriacæ Verano in Agro, juxta Tiburtinam Viam.

1 CEleberrimum Cyriacæ Cœmeterium Tiburtina Via, eo potissimum loco, ubi nunc insignis B. Laurentii Mart. Basilica, in ejusdem Cyriacæ Romanas inter fœminas nobilissimæ agro extructum olim fuit, quam & sub Valeriano Imperatore illustri martyrio coronatam fuisse Rom. ex Martyrologio didicimus, 12. nimirum Kalend. Septemb. De eadem quamplura in ejusdem B. Laurentii actis recensentur. Ejusdem quoque M. S. B. Cyriacæ Acta Cod. Vallic. extant, in quibus hæc præcipue leguntur: *Hæc fuerat cum viro suo annis undecim, & in viduitate sincerissima permanserat annis triginta duobus, & de facultatibus suis pauperibus Christi quotidie solatium exhibebat. Cum autem fervor persecutionis instaret, hæc matrona domum suam, quæ erat in Cælio monte, militibus Christi, sanctis videlicet ad conveniendum, & sacramenta Dominica insinuanda obtulit nullo timore perterrita.* Hæc ibi, ex quibus privatas olim Christianorum ædes in ipsum Ecclesiæ usum ad sacra obeunda munia deseruisse deprehenditur. Si quis enim Paulum ad Romanos scribentem recolat, Christianorum domos singularibus laudum titulis celebrantem comperiet: *Salutate*, inquit, *Priscam & Aquilam, & domesticam Ecclesiam eorum.* En igitur privatæ

Ecclesia S. Laurentii. Ager S. Cyriacæ. S. Cyriaca. *Martyr. Rom. 12. Kal. Sept.* *Cod. Vallic. M. S.* Domus S. Cyriacæ in monte Cælio. *Paul. ep. ad Rom. 16.*

privatæ domus sanctitate incolentium excultæ Ecclesiæ merito titulum Apostoli voce obtinent: sanctis quippe Christianorum moribus loca ipsa, veluti sacro usui, ac ministerio dicata essent, omni veneratione digna reddebantur. Audi Chrysostomum luculenter hac de re perorantem, & depravatos novissimorum temporum mores deplorantem: *Domus*, inquit, *priscis temporibus Ecclesiæ erant, nunc ipsa etiam Ecclesia in domum redacta est: nihil autem in privata domo carnale loquebantur, nihil nunc in Ecclesia spirituale memoratur.* En paucis verbis Christianarum domorum laudes huic Cyriacæ domui optime congruere videntur. Ager porro, in quo Cœmeterium constructum est, Veranus appellatur, cujus quidem nominis alter prope Terracinam existit, ubi B. Leontii corpus conditum fuisse Cæsarii martyris apud Surium Acta aperte his verbis testantur: *Porro Leontii corpus collegerunt uxor & filii ejus, sepelieruntque prope civitatem in agro Verano.*

2 In Cœmeterio hoc præ cæteris conspicuo Romanus miles, qui à beato Laurentio ad Christi fidem traductus, & Valeriani Imperatoris jussu Via Salaria capite obtruncatus fuerat, à Iustino presbytero, quinto Idus Augusti tumulatus est, ut M. S. ejusdem Acta Cod. Vallicel. his verbis lectorem edocent: *Tunc Iustinus presbyter noctu venit, & collegit corpus ejus, & sepelivit in crypta in agro Verano, ubi per divinam misericordiam beati Romani intercedentibus meritis, beneficia multi susceperunt.* Postridie vero & corpus ejusdem B. Martyris Laurentii ipsemet Iustinus unà cum Hippolyto in hoc celebri pariter Cœmeterio deposuit, quod in M. S. ipsius Actis Cod. Vatic. S. Petri, & Vallicel. hunc in modum enarratur: *Tunc B. Iustinus presbyter, & Hippolytus plorantes, & multum tristes tulerunt corpus B. Laurentii archidiaconi & martyris, & venerunt in Viam Tiburtinam, in prædium matronæ viduæ Cyriacæ, ad quam ipse B. Martyr fuerat noctu, cui manus, & linteum, unde pedes sanctorum ipse extersferat, capiti ejus imposuit, & ibi facta munditia posuerunt eum usque ad vesperum. Iam hora vespertina sepelierunt eum in crypta, in Via Tiburtina, in prædio Cyriacæ viduæ, in agro Verano 4. Idus August. & jejunaverunt, & agentes vigilias noctis triduo cum multitudine Christianorum non cessabant mugitus lacrymarum dantes. B. autem Iustinus presbyter obtulit sacrificium laudis, & participati sunt omnes Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, laudes agentes Domino Deo nostro.* Hucusque sancti Laurentii Acta, ex quibus interim laudabilis, ut vides, Christianorum consuetudo vigilias in martyrum honorem ipsa inter Cœmeteria celebrandi, & sacrosancta Altaris mysteria ibidem peragendi, ut supra jam libro primo cap. 31. enarratum est, satis aperte convincitur. Recensitis autem actis, atque iisdem plane verbis, Ado in suo Martyrologio adstipulatur: at Bibliothecarius in B. Sixti Papæ Secundi actis innuere videtur, hoc eodem Cœmeterio, unà cum S. Laurentio, corpora quoque sanctorum Claudii subdiaconi, Severi presbyteri, Crescentii lectoris, & Romani ostiarii condita fuisse, qui sub eisdem temporibus martyrio coronati fuerant; hæc enim habet: *Beatus Xystus sub Decio, & post passionem B. Xysti tertia die passus est B. Laurentius ejus archidiaconus 4. Id. Aug. & Claudius subdiaconus, & Severus presbyter, & Crescentius lector, & Romanus ostiarius. Hic fecit ordinationes duas, &c. Qui vero sepultus est in Cœmeterio Callisti Via Appia. Nam sex diaconi supradicti sepulti sunt in Cœmeterio Prætextati Via Appia 8. Idus August. B. autem Laurentius sepultus est Via Tiburtina in Cœmeterio Cyriacæ in agro Verano, in crypta cum multis aliis Martyribus Id. August.* Quamobrem cum sanctissimum Pontificem Xystum Via Appia, sex vero diaconos in Prætextati Cœmeterio, & B. Laurentium in Cœmeterio Cyriacæ unà cum aliis Martyribus conditos fuisse asserat, atque horum quatuor, qui unà cum B. Laurentio coronati fuerant, sepulturæ locum nullatenus describat, illos proculdubio eodem in Cœmeterio unà cum B. Laurentio sepulturæ locum obtinuisse credere par est.

(Margin: ...s. Orat. ... in Matt. — ... Vera- — ...10.6. 1. — ...oma- — ...Cod. — ...uren- — ...Codd. ... & — ...die — ...Seve- ...ref- ...& ...nus. — ...ib. in ... Pap.)

3 Ibidem pariter sanctus Hippolytus post triduum una cum decem & novem aliis è domo sua, martyrio feliciter consummato, ab eodem Iustino presbytero illatus est, quod eisdem in actis hunc in modum recitatur: *Iussit vero Valerianus in conspectu Hippolyti, ut omnes capite truncarentur, & decollati sunt promiscui sexus decem & novem. B. vero Hippolytum jussit, ut pedes ejus ligarentur ad colla equorum indomitorum, & sic per cardetum & tribulos trahi, qui cum traheretur, emisit spiritum. Eadem nocte dimiserunt corpora in campo juxta Nympham, ad latus agri Verani Idibus Augusti. Eadem nocte venit Iustinus presbyter, & collegit corpora, & sepelivit in eodem loco.* Recolendum vero Hippolyti martyrium Prudentius quam eleganter in suo Peristephano cecinit, ubi & supra argenteum ipsius sepulchrum, quod sub altari in Cœmeterio extabat, coloribus expressum fuisse innuit. Ipsum autem Cœmeterium recensitis supra carminibus luculenter describit, quibus isthæc de eodem B. Martyris Hippolyti sepulchro loquens subtexit:

(Margin: S. Hippolytus & socii martyres. — M. S. Cod. Vat. & Vall. — Sepulchrum S. Hippolyti. — Prud. in Perist. hymn. 11. de S. Hippol. mar.)

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
Propter ubi apposita est Ara dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui Martyris apposita.
Servat ad æterni spem Iudicis ossa sepulchro,
Pascit item Sanctis Tybricolas dapibus.

Et infra mirum Cœmeterialis Cubiculi, in quo sacrum martyris ejusdem corpus asservabatur, splendorem, & quod piæ certatim fidelium manus argento, pretiosisque lapidibus conspicuum fecerant, his carminibus describit:

Ipsa illas animæ exuvias, quæ continet intus
Ædicula argento fulgurat ex solido.
Præfixit tabulas dives manus æquore levi
Candentes, recavum quale nitet speculum.
Nec Pariis contenta aditus obducere saxis,
Addidit ornando clara talenta operi.

Neque id legentibus Poëta sacer exposuisse contentus, ibidem subtexit devotum ac frequentem fidelium populorum cultum, qui ad beati ejusdem Martyris sepulchrum jugiter confluebant, de quo à nobis infra agendum erit.

3 Eodem in Cœmeterio juxta B. Hippolytum à conspicuis pietate viris Irenæo atque Abundio, Beatæ itidem Concordiæ ejus nutricis corpus tumulo commendatum fuisse, quod primum in cloacam impiorum manu projectum fuerat, eadem Acta his verbis testantur: *Irenæus vero vocavit ad se quendam Christianum Abundium, & tulerunt corpus Beatæ Concordiæ, & perduxerunt ad B. Iustinum,* quod

(Margin: S. Concordia. — M.S. Cod. Vat. & Vall.)

SS. Irenæus, & Abundius.

quod suscipiens, gratias egit Deo, & sepelivit juxta corpora sanctorum Hippolyti, & cæterorum. Eisdem autem in Actis, beatos item Irenæum & Abundium in eandem cloacam projectos, inde vero à memorato Justino presbytero in hoc ipsum Cœmeterium illatos, ac juxta venerandum S. Laurentii corpus humatos fuisse asseritur, hæc enimibi leguntur: *Alia die Valerianus hoc audito, tenuit Irenæum & Abundium, & jussit, ut vivi in cloaca necarentur. Qui necati sunt sub die 7. Kal. Sept. Tunc B. Iustinus presbyter levavit corpora, & sepelivit juxta corpus S. Laurentii in crypta in agro Verano.* Vides hinc ipsas Romanæ Urbis cloacas, quibus lutum inferri solebat, sacris beatorum Martyrum pignoribus, pretiosis veluti margaritis, auctas passim, ac nobilitatas.

Ibid.

S. Cyriaca ubi nam sepulchrum sortita sit?

4 Eodem pariter loco ad agrum Veranum ipsammet Cyriacam eximiæ pietatis matronam, quæ prima Cœmeterii hujus fundamenta jecerat, haud longe ab ipso Beati Laurentii corpore, post nobile consummatum pro fide martyrium, depositam fuisse, in M. S. ejusdem Actis Cod. Vallic. his verbis exponitur: *Posthæc fecerunt eam plumbatis atque scorpionibus affligi, usque dum Domino reddidit spiritum. Corpus Martyris sepelierunt in agro Verano non longe à corpore B. Laurentii, à parte occidentali, ibi in Cœmeterio sursum prima est Cyriaca sancta vidua, decimo Kal. Septembr.*

M. S. Cod. Vall.

SS. Tryphonia, & Cyrilla.

5 Tryphoniam quoque Decii Imperatoris uxorem ibidem unà cum Cyrilla ejus filia ejusdem Justini presbyteri manu conditam fuisse, eadem S. Laurentii Acta legentem docent, in quibus isthæc recitantur: *Alia autem die dum oraret Tryphonia, emisit spiritum: cujus corpus B. Iustinus presbyter sepelivit in eadem crypta, ubi sanctum Hippolytum sub die quintodecimo Kal. Novembr.* Idipsum ab Adone & cæteris Martyrologiis confirmatur, in quibus de sancta Tryphonia quintodecimo Kal. Novembr., & de S. Cyrilla hæc paulo infra: *Claudius iracundia repletus, præcepit eam jugulari, & necata gladio, jussit corpus ejus in platea canibus relinqui. Cujus corpus collegit B. Iustinus presbyter, & sepelivit eam cum matre sua, ubi posuit corpus S. Laurentii quinto Kal. Novembr.*

Ado.

S. Iustinus presbyter martyrum sepeliendorum studiosissimus

Ab eodem vero Justino presbytero quamplura alia Martyrum beatorum corpora in hujus Cœmeterii delata sinum, & condita ibidem fuisse haud ullatenus ambigendum est: unus enim præ omnibus hic vir operibus Christianæ pietatis apprime deditus, Cœmeterii ejusdem gloriam, ac decorem mirifice perpetuo excoluit, in quo & ipse cæteris postmodum Martyribus sociatus pari meritorum consortio clarus; nobili, inquam, martyrio vel unam hanc ob causam sub Claudio coronatus, tumulari promeruit. Hæc enim in M. S. ejusdem Actis Codd. Later. & sancti Petri ad rei nostræ propositum leguntur: *Audiens hoc Claudius, jussit eum capitis subire sententiam, & levatus de lecto, in quo jacuerat, ibi coram Claudio capite truncatus est. Tunc venientes noctu levaverunt Christiani cum lacrymis venerabile corpus ejus, jejunantes & agentes vigilias noctis, sepelierunt illud in crypta, in agro Verano, pridie nonas Augusti, ubi florent orationes ejus usque in hodiernum diem.* Iustinus igitur, qui Beati Laurentii corpus in hoc Cœmeterio religiose condiderat, ob præstitum Martyrii pietatis obsequium, martyrii tandem compos, & martyris consors effectus, post traductam ad Christi fidem Tryphoniam Decii uxorem & Cyrillam ejus filiam, & earum pignora in hoc Cœmeterium piis manibus illata, ipse juxta Beatum Laurentium, cui sepulturæ exhibuerat ministerium, sepulchri locum obtinuit, quod nobili hoc auctum titulo & ad dexteram musivo opere elaboratum cernitur.

M. S. acta Codd. Lat. & S. Petr.

Sever. in de Sept. E. Menim.

Tam licet officio sit te præstantior aræ,
Tu tamen es cratis celsior ignibus hoc,
Et quamvis mage tu, tamen extitit ille perustus,
Ussit te cratis, ussit & alma fides.
Quæ fervore pari Iustini pectus adussit,
Cujus in hoc sacro membra manent tumulo.

SS. Zosimus, Xistus & Hilarus Pontifices.

Tres insuper summi Pontifices in hoc eodem Cœmeterio juxta beatissimum Martyrem Laurentium, Zosimus videlicet, Xistus Tertius, & Hilarus, ut Anastasius locupletissimus rei historicæ testis affirmat, sepultura donati fuere.

Ecclesia Laurent.

6 Demum ut immensam venerandi hujus loci gloriam brevi sermone perstringamus, supra idem Cœmeterium Constantinus Magnus celeberrimum in honorem Laurentii Martyris templum extruxit, & auro atq; argento ejusdem sepulchrum magnificentissime exornavit, quod exsculptis martyrii jugiter recolendi historiam imaginibus exhibebat. Amplissimis insuper muneribus Templum cumulavit, eidemque ipsum Veranum agrum attribuit, & alterum quoque, qui vulgo *Aqua Tutia ad latus* nuncupatur, utpote qui ad ipsius fortasse agri Verani latus existebat, & ipsemet locus est (ut plures quidem arbitrati sunt) de quo in ejusdem S. Hippolyti Actis dicitur: *Eadem hora dimiserunt corpora in campo juxta Nymphas ad latus agri Verani.* Augustissimum deinde templum multiplici peracto seculorum cursu quammulti ex summis Pontificibus instaurando, pari munificentia exornarunt: inter quos Pelagius præcipue Secundus adnumeratur, qui templum in satis amplam formam redigens, eminentiorem illam partem, quæ hodie post apsidem suspicitur, veteri addidit: super cujus arcu musivo adhuc opere imagines elaboratæ extant: argenteis quoque tabulis idem piissimus Pontifex ejusdem S. Laurentii sepulchrum, teste Bibliothecario, exornavit, qui in ejusdem vita hæc recitat: *Hic fecit super corpus B. Laurentii Martyris basilicam à fundamento extructam, & tabulis argenteis exornavit sepulchrum ejus.* Admirandum vero portentum, quod tunc potissimum, cum ab artificibus exornando sepulchro Pontificis jussu daretur opera, contigit, D. Gregorius ejusdem successor luculento sermone prosecutus est in Registro lib. 3. ep. 30. ad Constantinam Augustam his plane verbis: *Prater hæc autem S. memoriæ decessor meus itidem ad corpus S. Laurentii Martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur ubi venerabile corpus ejus collocatum esset, & effoditur exquirendo, subito sepulchrum ejus ignoranter apertum est, & ii qui præsentes erant, atque laborabant monachi & mansionarii, quia corpus ejusdem Martyris viderunt, quod quidem minime tangere præsumpserant, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita nullus vitæ superesse potuisset, qui sanctum justi corpus illius viderat.* Huc usque Gregorius. Verum & ab Hadriano Pontifice Ecclesiam hanc unà cum Cœmeterio instauratam Bibliothecarius in ejusdem gestis testatur, hæc dicens: *Nam & tectum ejusdem B. Laurentii, quod jam detectum erat, & trabes ejus confracta, noviter fecit.* Et paulo post: *Immo & porticum quæ ducit ad S. Laurentium foris murum, à porta usque in eandem basilicam ultro citroque restauravit. Immo & Ecclesiam S. Stephani juxta eam sitam, ubi corpus S.*

AquaT...

Sepulchrum S. Laurent...

Bibl. in ... Pelag. 2. ...

B. Greg. in reg. ... ad Const. Aug.

Bibl. in Hadr. Pap. 1.

Porticus Porta T... burtina ... que ad ... dem D. Laurent...

Leonis

Leonis Episcopi & Martyris quiescit, similiter undique renovavit, una cum Cœmeterio B. Cyriacæ, seu ascensum ejus. Ex hoc autem, quod Ecclesia toties instaurata est, aperte conjicitur, ob præcipuum erga Mart. Beatissimum obsequium totam fere Vrbem illuc frequenter adire, & Mart. vota persolvere consuevisse.

Ecclesia D. Stephani. 7 Porro S. Stephani Ecclesia, de qua hic interim mentio subest, à Simplicio Papa longe ante translationem corporis S. Stephani in Cœmeterium hoc, eodem Bibliothecario teste, erecta fuit, quæ in eadem Ecclesiæ parte, ut nobis conjicere fas est, olim extitit, quam & subinde Pelagius, ut diximus, ampliorem reddidit; ubi adhuc in ejusdem B. Stephani honorem ara, & patens ad Cœmeterium descensus conspicitur, de quo Bibliothecarius hic meminit. Sacrum vero ejusdem beatissimi Levitæ ac Protomartyris Stephani corpus à Pelagio Papa secundo in hanc D. Laurentii ædem Constantinopolitana ex Urbe translatum fuisse in Martyrologio Romano his quidem verbis legitur: *Translatio corporis S. Stephani Protomartyris, quod à Pelagio summo Pontifice è Constantinopoli ad Urbem allatum atque in sepulchro S. Laurentii Martyris in agro Verano positum, ibidem magna piorum religione colitur.* Demum ut reliquas ejusdem Ecclesiæ instaurationes à summis Pontificibus præstitas, ad decorem religiosumque ejusdem Ecclesiæ, ac subjecti item Cœmeterii cultum propagandum silentio hic obvolvamus, id unum interim satis sit, quod & nostri instituti ratio exigit, eximiæ antiquorum fidelium devotionis meminisse, qui natalitiis præsertim Martyrum ibidem conditorum diebus ad Cœmeterium turmatim confluere consueverant, quod speciatim ipsemet Prudentius de Beati Martyris Hippolyti sepulchro aperte testatur loco, quem supra descripsimus, his plane carminibus:

(Margin: Translatio corporis S. Stephani. — Mart. Rom. Non. Maji. — Populi confluentis frequentia ad sepulcrum S. Hippolyti. — Prudent. in Peristeph. Hymn. de S. Hippol.)

Mane salutatum concurritur, omnis adorat
Pubes eunt, redeunt solis ad usque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul ac peregrinos,
Permixtim populos relligionis amor.
Oscula perspicuo figunt impressa metallo,
Balsama diffundunt, fletibus ora rigant.
Iam cum se renovat decursis mensibus annus,
Natalemque diem passio facta refert:
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi,
Quæve celebrando vota coire Deo?
Urbs augusta suos vomit, effunditque Quirites,
Una & Patricios ambitione pari.
Confundit plebeja phalanx umbonibus æquis
Discrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc inde viarum
Indigena, & Piceni plebs & Hetrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox habitator & altæ
Campanis Capua, jamque Nolanus adest.
Quisque sua lætus cum conjuge, dulcibus & cum
Pignoribus rapidum carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret & in magnis densa cohors spatiis.
Angustum tantis illud specus esse catervis
Haud dubium est, ampla fauce licet pateat.

Cœmeterium S. Hippolyti. In ea quippe præmemorati B. Cyriacæ Cœmeterii parte, ubi Ecclesia quondam S. Stephani erecta fuit, locus quidam extabat, qui Beati Mart. Hippolyti Cœmeterium nuncupabatur, ubi ejusdem scilicet corpus conditum fuerat, quod etsi ad agri Verani latus, ut ipsa Cyriacæ crypta secernatur, depositum fuisse dixerimus, tamen ejusdem cryptæ spatia latius protendi atque laxari, ob copiosum, confertumque Martyrum numerum, quorum illuc quotidie inferebantur corpora, opus fuerit, crypta ipsa, Cœmeterii nomen obtinuit, & loco, ubi Hippolyti Martyris sepulchrum extabat, adjungi pariter eamdem contigit, quamvis recolendus idem Cœmeterii locus sancti Hippolyti nomine haud unquam de more appellari desierit. Quare Bibliothecarius in Hadriani Papæ primi gestis hæc ait: *Simul & Cœmeterium beati Hippolyti juxta sanctum Laurentium, quod à priscis marcuerat temporibus, à novo renovavit: pari modo & Ecclesiam B. Christi Martyris Stephani, sitam juxta prædictum Cœmeterium S. Hippolyti similiter restauravit, &c.* (Bibl. in Hadr. Pap. I.)

8 Sepulchrales vero Cœmeterii (quod Cyriacæ dicitur) lapides in strato ejusdem Ecclesiæ pavimento, ac monasterii atrio quamplures, etsi enormiter confracti, & in fragmenta, ut ita dixerim, jam penitus redacti sub hæc nostra tempora conspiciuntur, quorum illos primo loco, qui Consulum nominibus prænotati sunt, subinde autem cœteros hic recensendos duximus. In limine igitur Portæ majoris hujuscemodi titulus inscriptus legitur; (Sepulchrales inscriptiones è Cœmeterio S. Cyriacæ.)

LOCUS MERCURI
ET URSE SEVIVI.

In majori autem seu media ipsius Ecclesiæ cella titulus iste:

IN PACE ANASTASA.
QUI VIXIT ANN. SEU TH.
GALLIC. V. C. CONS.

Quod autem ad Gallicanum, cujus hic fit mentio, attinet, iste semel atque iterum Consulatum gessit, sub Constantino videlicet unà cum Basso, anno Christi 317. ut ex Cassiodoro in Chron. habetur; & iterum unà cum Symmacho, anno 330. quo præclaro honoris titulo Christianus deinde effectus, tunc temporis ultro libenterque se abdicavit, cum ad Tyberina Ostia, ut supra jam diximus, devotionis fervore actus, peregrinorum illuc frequenter advenientium obsequiis singulari Christianæ humilitatis exemplo, se una cum facultatibus suis mancipaturus contulit. In eadem Ala majori tres alii hic subjecti tituli extant: (Cassiod. in Chron. Baron. Annal. to. 3. an. 330.)

ATILIE IANUARIE INNOCENTISSIME
PUELLE QUE VIXIT ANNIS XXI.

DOXIO VICTORI QUI VIXIT
AN. XXVII. M. X. D. VIII. DECESSIT.
XVII. KAL. APRILIS IN PACE.

LUCIA SE VIVA LOCUM
SIBI EMIT
☧ ω

Alter ibidem hic titulus legitur:

STILICONE
SITUS STEFAN
PACE DIE XVI. KA
N. UXOR SE VIVA FEC
SIBI ET MARITO

Hic quidem Stilico, ut ex Fastis liquet, & ipse

Consulatum semel atque iterum iniit, anno scilicet redempti orbis quadringentesimo, una cum Aureliano collega, & anno quinto & quadringentesimo, cum Anthemio, ut Cassiodorus in Chron. & Baron. Annal. Tom. 5. sub iisdem plane annis supputare videntur. Ex innumeris præterea fragmentis per totum licet Ecclesiæ, Atrii, ac Cœnobii ambitum dispersis, aliorum duo, quibus tituli prænotabantur, haud sine labore Consulatus percipi potuere, nempe Fl Lupicini, qui sub Valente & Valentiniano, unà cum Fl. Iovino, anno salutis sexagesimo septimo supra trecentesimum contigit, ut ex iisdem Cassiodoro, & Baronio patet; item P. C. Basilii; qui primus post ejusdem Basilii Consulatum annus ex eodem Baronio To. 7. an. 542. in Christianum quingentesimum quadragesimum secundum incidit. Hic vero ne quid prorsus quod sacram antiquitatem redolet, cupidum lectorem prætereat, reliquos sepulchrales titulos, quos adinveniri contigit, inspectandos contemplandosque proponimus.

Cassiod. in Chron. Baron. to 5. Annal. an. 400 & 405.

Cassiod. in Chron. Bar. in Ann. to. 7. an. 542.

ACUTIUS QUI BIXIT
ANNOS XXX.

In Ala minori ad dextram ingredientis.


NEBIO SEVERO THEODORA
CONIUX QUI VIXIt
ANNIS N. L. B M IN PACE

LUCIUS URSO FILIO BENEMERENTI Q
UI VIXIT AN. II. MESES VIII. D. I. VIII.
KALE IAN. IN PACE.

In Ala minori sinistrorsum.

TRAIANUS QUI BIXIT ANNUS XI
ET MESIS IIII. ET DIES XV.

LOCUS QUEM COMPARABIT IULIANUS
UBI POSITA FLORENTIA
UXOR EIUS.



In marmore multa vetustate fere absumpto.

CORPUS HUMO ANIMAM CHRISTO
PETRONI DEDISTI
NAM IUSTÆ MENTES FOVENTUR LUCE
CELESTI
SIDEREASQ. COLUNT SEDES MUNDOQ.
FRUUNTUR
TU DULCIS FILI MEMOR HINC ASPICE
NOSTRI.

Reliqua tempus voraverat.

In Atrio.

ZOSIMUS SE BIBUS SIBI LOCUS
CONPARAVIT.

LOCUS ERACLI.

9 Cæterum in quodam ex memoratis hactenus fragmento sacrosanctum Christi Domini nomen characteribus hisce expressum contemplari datum est, videlicet,



Ex multiplici autem fragmentorum, ac sepulchralium pariter titulorum numero, ac eorum præsertim, qui Consulum nominibus prænotati sunt, satis lectori, ut opinor, consideranti innotescit, per longa scilicet temporum curricula Cœmeterium, de quo sermo est, celebri primævos apud Christianos cultu viguisse, cum illud crebro ad sacra peragenda obirent, ibidemque sepulturæ sibi locum eligerent. Porro ad memoratum Cœmeterium in minori ipsius Eccl. ala, sinistra intrantibus, aditus ad hanc usque diem patet: quo pariter loco aliquot per gradus ad Altare sacris indulgentiarum elargitionibus refertum & præcipua veneratione excultum, quod in ipsomet cryptarum ore situm est, descenditur: ipsius autem loci, sanctitatem pariter, ac gloriam affixa parieti inscriptio accedentes, legentesque ultro edocet: est autem tenoris ejusmodi:

Cœmeterii aditus.

Altare in ipso Cœmeterii aditu extructum.

HÆC EST TUMBA ILLA TOTO
TERRARUM ORBE
CELEBERRIMA, EX COEMETERIO
S. CYRIACÆ MATRONÆ,
UBI SACRUM SI QUIS FECERIT
PRO DEFUNCTIS,
EORUM ANIMAS E PURGATORIIS
POENIS DIVI
LAURENTII MERITIS EVOCABIT.

Et huc pro defunctorum animabus ex toto jugiter terrarum orbe eleemosynæ, ac sacrificia deferuntur. Quod quidem sacrum altare supra ipsamet beatorum Hippolyti & sociorum martyrum corpora erectum olim fuisse superioribus abhinc annis comprobatum est. Cum enim Alexander Cardinalis Farnesius, hujus Ecclesiæ Commendatarius, eandem studiosius instauraret, pretiosissima hæc martyrum pignora in lucem prodiere; cujus rei oculatus testis Angelicus Bononiensis Canonicus regularis ejusdem Ecclesiæ moderator locupletissimam fidem facit; qui cum sæpesæpius, ut in præmemoratum locum descenderet, scalam admovisset, & nimio interim tremore correptus, haud voti compos, occulta prohibente vi, ab incœpto desistere cogeretur; vigiliis demum, jejuniis, & jugi sacrarum precum subsidio præmunitus, implorata beatorum Mart. ope, illuc descendit, ibidemque maxima perfusus animi lætitia, sacra beatorum Mart. corpora venerabundis oculis consequi meruit, quæ humi hinc inde ad loci ambitum locata jacebant, lapide singulorum capiti, uti mos erat, supposito.

Corpora SS. Hippolyti, & sociorum martyrum.

10 Hinc ad illam potissimum Cœmeterii partem, quæ beatæ Cyriacæ dicitur, adeuntibus ingressus patet, quæ sub inferiori Eccl. ambitu existit: & via insuper ad ejusdem Ecclesiæ partem panditur, quam Pelagius Pontifex supra veterem construxit. At Cœmeterii ipsius semitæ, quæ aliò protenduntur, hac nostra ætate muris firmiter ac valide obseratæ conspiciuntur, & accedentibus imperviæ omnino redditæ sunt. Harum tamen alteram cum Bosius reserare conatus esset, prostratoque illac corpore iter aggressus, aliam ejusdem Cœmeterii partem minus quidem collapsam, ac labefactatam reperit; ubi sepulchra quædam clausa, aperta nonnulla videre licuit; quibus tot evoluta post secula defunctorum adhuc corpora haud penitus absumpta continebantur. Cubicula quoque, & parva quædam atque angusta sacella picturis omnino destituta offendit: fragmenta item ibi inscriptionum quamplura, quarum duo duntaxat hic subjecta, haud ullis tamen obsignata Consulibus, inter explorandum assecutus.

Pars additā Ecclesiæ sancti Laurentii à Pelagio papa.

Descriptio Cœmeterii S. Cyriacæ.

HeRCLANIUS IN PACE.

MATER CRIPINA FILIBUS
DIONYSIO ASILEO BENEMEREN
TIBUS.

Porro complures inscriptionum harum in Ecclesiam sancti

...inscriptiones è Cœmeterio S. Cyriacæ in Equitii Titulum translatæ. Translatio corporis S. Cyriacæ.

sancti Martini, seu in Equitii titulum delatas fuisse idem Bosius, vel hoc uno argumento permotus conjicit, quod ibi in dimidiatis nonnullis, quæ adhuc extant in ejusdem Ecclesiæ pavimento, lapidibus nomen divi Laurentii expressum legatur. Cui plane sententiæ tum illud commode argumentum suffragari videtur, quod jam probe sacras recolendo antiquitates, in eundem Equitii Titulum à Sergio Papa Secundo B. Cyriacæ corpus delatum & in eo perhonorifice conditum fuisse didicerimus, uti inscriptio, quæ ad hanc usque diem ibidem legitur, satis aperte testatur. Et hæc interim de celebri Cyriacæ Cœmeterio studioso lectori exposuisse satis sit.

CAP. XVII.

De Martyribus, qui Tiburtina Via martyrii palmam, aut certe sepulturæ locum obtinuere, & de sacris ejusdem Viæ monimentis.

1 UT eos potissimum Martyres hic sacra perlustrando monumenta recensere aggrediamur, qui pro Christi fide strenue decertantes, nobilem de Christiani nominis hostibus, proprio effuso sanguine, triumphum retulere, ac Tiburtinam præ cæteris Viam martyrio illustrarunt. Quis quæso hac quondam Via Symphorosam matronam præclarissimam tot palmis ac coronis, quot fœtibus conspicuam, consummasse martyrium nesciat? unà videlicet cum septem filiis, Crescente, Iuliano, Nemesio, Primitivo, Iustino, Stacteo, & Eugenio, ut sacra Martyrologia testantur v. Kalend. Iulii. & Ado & Petr. in Catal. qui locum itidem, ubi sacra eorum corpora deposita primum fuere, his verbis describunt: *Quorum corpora requiescunt Via Tiburtina milliario nono.*

...ymphorosa cum ...tem filiis ...artyribus.

...rt. Rom. ...al. Iul. ...o, Petr. ...Nat. in ...al. lib. 6.

2 Porro ibidem, nono milliario qua Tiburtina ab Urbe Via protenditur, in ipsorum honorem Ecclesia quondam erecta fuit; cujus adhuc vestigia in Massejorum prædio extant: qui certe locus præclaro ab iisdem beatis Martyribus titulo derivato *Ad septem fratres* denominari meruit, & communi omnium ore, corrupto jam vocabulo, dictus vulgo est *A sette fratte.* Hic autem ipsemet fuit (ut conjicimus) martyrii eorumdem locus, ubi invicti jugiter Christi pugiles in arenam descendentes in profundam olim foveam projecti fuerant. Antiqui enim Christiani ibi in Martyrum honorem Ecclesias erigere consueverant, ubi gloriosa, recolendaque eorum martyria obtigissent; vel certe ubi prætiosa eorundem pignora condita fuisse fama nunciante didicerant. Venerandæ autem ac incomparabilis fœminæ Symphorosæ, ac filiorum corpora Pio Quarto Pont. Max. in Diaconia S. Angeli in foro Piscario reperta sunt, hac inscriptione plumbi laminæ insculpta:

...lesia SS. ...phorosæ & filiorum martyrum.

...us appellatus ...eptem ...es vulgo ...fratte.

HIC REQUIESCUNT CORPORA
SS. MARTYRUM SYMPHOROSÆ,
VIRI SUI ZOTICI, ET FILIORUM EJUS
A STEPHANO PAPA TRANSLATA.

Eorundem vero Martyrum corpora & Zotici insuper ad hæc usque tempora Tiburtini cives se pretiosi instar thesauri possidere gloriantur; veruntamen id de aliqua dumtaxat sacrarum reliquiarum particula subintelligendum esse & ipsemet Cardolus in conscriptis ad acta eorundem Martyrum Notis ultro, constanterque fatetur.

3 Eadem Via, nono pariter ab Urbe lapide, nobili coronatus fuisse martyrio S. Vincentius in Martyrologio Romano nono Kalend. August. legitur. In cujus beati Martyris Vincentii honorem Ecclesia Tibure constructa fuit, quæ usque adhuc suspicitur. Verum Tiburtinam juxta portam, vel certe juxta eam, quæ S. Laurentii dicitur, Ecclesia quondam B. Martyri Ianuario dicata extabat; quam ab Hadriano primo instauratam fuisse Bibliothecarius his plane verbis testatur: *Tectum denique Basilicæ B. Ianuarii Martyris situm ad portam S. Laurentii Martyris, atque Levitæ noviter restauravit.* Hanc autem ipsammet esse conjicitur, quam D. Gregorius Dialog. lib. 4. cap. 26. Via Prænestina sitam commemorat, dum de Godei cujusdam defuncti corpore ad B. Sixti Ecclesiam deducendo his verbis loquitur: *Deliberatum fuerat, ut apud B. Ianuarium Martyrem Prænestina Via, ejus corpus poni debuisset.* A Tiburtina enim porta antiquis temporibus Via itidem dirigebat, quæ Gabiusa dicebatur, & vel eadem omnino erat cum Prænestina, vel parum certe ab eadem Urbis porta distabat, & in eandem Prænestinam subinde ducebat, ut Onuphrius in sua Roma, Strabonis auctoritate suffultus, testatur. Bibliothecarius item in Zachariæ Papæ gestis oratorii cujusdam in B. Cæciliæ honorem Via eadem Tiburtina, quinto ab Urbe lapide, erecti, & ab eodem Pontifice exornati meminit, à quo & aliud insuper Oratorium ibidem S. Abbacyro extructum fuisse affirmat: *Hujus* inquit ille, *temporibus defunctus Theodorus major filius magistri Cataxanti ob veniam suorum delictorum prædium, quo ex hæreditate fruebatur paterna, situm quinto ab hac Romana Urbe milliario, Via Tiburtina, in qua & Oratorium S. Cæciliæ esse dignoscitur, beato Petro reliquit, quod ipse beatissimus Papa magnæ Constructionis fabricis atque picturis decoravit, ampliavitque in eo fines ex omni parte; data enim condigna recompensatione his, qui in vicino ejusdem loci possessiones tenere videbantur, nemini vim inferens, sed magis ut condecet patri, cuncta secus eundem locum amica pactione pretio emit prædia: & domum cultam beato Petro eundem locum in perpetuo statuit permanendum. Quæ domus culta Sanctæ Cæciliæ usque in hodiernam diem vocatur. Construxit quippe & in ea Oratorium S. Abbacyri, ubi multas sanctorum condidit reliquias: quam videlicet domum cultam usui proprio dominicæ traditionis descripsit.*

S. Vincentius Martyr. Mart. Rom. 9. Kal. Aug.

Ecclesia S. Ianuarii.

Bibl. in Hadr.

D. Greg. l. 4. dial. c. 26.

Via Gabiusa.

Onuph. Pan. in com. Strabo Bibl.

Oratorium S. Cæciliæ.

Oratorium S. Abbacyri. Biblioth.

4 Symmachus item Pontifex hac eadem Via in ipsius beati Petri honorem, vigesimo septimo ab Urbe lapide, Ecclesiam dedicavit, eodem Bibliothecario teste, his plane verbis: *Item in Via Tiburtina milliario XXVII. rogatus ab Alvino, & Glafira illustribus, de proprio facientibus, à fundamento Basilicam B. Petro, in fundum Pacinianum dedicavit.* Hæc Bibliothecarius. At vero haud procul à beatissimi Martyris Laurentii Basilica præter memoratam hactenus S. Stephani Ecclesiam, altera insuper in ipsius Deiparæ Virginis cultum erecta fuit, de qua sæpe apud Bibliothecarium sermo recurrit, & in ipsis præsertim Hadriani Papæ Primi gestis, hunc in modum: *Is ipse ter beatissimus præsul in basilica majori, quæ appellatur S. Dei Genitricis, quæ aderat juxta basilicam S. Laurentii Martyris atque Levitæ, ubi ejus sanctum Corpus requiescit, foris muros hujus civitatis Romanæ; obtulit vela de stauracin, seu quadrapoli numero XV. & linea XV.* Ejusdem quoque meminit in B. Leonis Papæ Quarti gestis, qui

Ecclesia S. Petri Via Tiburtina.

Idem Bibl. in Symmacho Pap.

Fundus Pacinianus.

Ecclesia Deiparæ Virginis.

Bibl. in Hadr. Pap. 1

Idem in S. Leo Pap. 4.

Octavus Assumptioni Virginis dies sacer.

qui primus ibi octavum Assumptionis Deiparæ diem solemni ritu celebrandum instituit, ac unà cum universo clero, & quammaximo populorum cœtu ejuscemodi festivitati interfuit, hæc autem inquit: *Nam octavam Assumptionis beatæ Dei Genitricis diem, quæ minime Romæ antea celebrabatur, vigiliis sacris, matutinisque cum omni clero pernoctans laudibus, in Basilica ejusdem semper Virginis Dominæ nostræ, quæ foris muros juxta basilicam B. Laurentii Martyris sita est, celebrari præcepit. In quam etiam magna populi multitudo convenerat, novæ festivitatis cupiens celebrare solemnitatem. Hoc ipse magnanimus cum videret Antistes, omnibus, qui aderant huic celebritati, plures argenteos erogavit.* Et postquam prolixiori sermone enarravit donaria, quæ eidem Ecclesiæ ipsiusmet Pontificis liberalitas contulit, isthæc subdit: *Cum ergo per diversas Dei Ecclesias multa perficeret insignia opera ipse beatissimus Pontifex, porticum, quæ ante basilicam S. Dei Genitricis consistit, quæ juxta basilicam S. Laurentii sita est foris muros, clarius & firmius renovavit.*

Id. in Leon. 4.

Idem.

5 Verum haud longe ab eadem Laurentii Martyris basilica, alteram à Felice Papa III. in honorem S. Agapiti Martyris Ecclesiam constructam fuisse Bibliothecarius his quidem verbis affirmat: *Hic fecit basilicam S. Agapiti juxta basilicam S. Laurentii Martyris.* Quam postea Hadrianus Papa Primus, & S. Leo Papa Tertius, eodem Bibliothecario teste, instaurarunt. Bibliothecarius quoque duorum monasteriorum juxta ipsammet S. Laurentii Ecclesiam olim existentium meminit, quæ B. nimirum Protomartyri Stephano, & S. Cassiano dicata fuerant: quorum monachi una simul sacra in eadem Ecclesia munia obibant, ut ex illius verbis in Vita S. Leonis Quarti colligitur; qui cum utraque monachorum Cœnobia præ temporum injuria jam penitus collapsa, ac religiosum cultum, qui ibi Deo impendebatur, jam fere obliteratum esse animadverteret, omnes, qui tunc monasticam in iis vitam sectabantur, in monasterium unum sub eorumdem sanctorum patrocinio redigendos curavit. Memoratarum vero Ecclesiarum nullum adhuc hac nostra ætate vestigium superest: verum ea tantum pars, è Monasteriorum reliquiis, modo extat, quæ Ecclesiæ B. Laurentii proxime adhæret; cujus claustra à Clemente Papa Tertio exædificata fuisse, Martinus Polonus in ejusdem vita testatur. In adjacentibus porro vineis nonnulla adhuc vestigia, ac pervetustæ parietinæ passim visuntur, quæ earumdem forte Ecclesiarum, ac Monasteriorum reliquiæ à nobis computandæ sunt.

Ecclesia S. Agapiti.

Bibl. in Fel. c. Pap. 3.

Idem in Hadr. 1. & S. Leone Pap. 3.

Monasteria S. Stephani, & S. Cassiani.

Idem in S. Leone Pap. 4.


Martin. Polon. in vita Clem. Pap. 3.

CAP. XVIII.

De Cœmeteriis à Bosio Via Tiburtina repertis.

1 CUm sæpesæpius de perantiquo B. Cyriacæ Cœmeterio, quod hac Tiburtina Via situm est, in sacris Beatorum Martyrum Actis, recolendisque Martyrologiis mentio incurrat, pio quodam curiositatis studio illectus circumpatentia quæque loca Bosius diligenter investigare, ac jugi, constantique labore percurrere, inquirere, perscrutari non destitit, si quem forte aditum in proximis agris offenderet, quo sibi ad præmemoratum Cœmeterium via pateret. Haud optata tamen spe post longos tandem labores frustratus est. Nam anno quingentesimo nonagesimo tertio supra millesimum prope beati ejusdem Laurentii Ecclesiam, quà scilicet Tybur ad dexteram itur, ostium quoddam reperit, per quod in Cœmeterium, quod anxius requirebat, incunctanter ingressus, ejusdem partem, & satis quidem amplam, lateque protensam aliorum instar Cœmeteriorum in semitas plures divisam introspexit, ubi pleraque monumenta reserata penitus extabant, in quorum nonnullis defunctorum ossa nullatenus solida, sed fere absumpta, in quibusdam vero integra adhuc cernebantur, & quæ in modum lapidis superinducto glutino obduruerant; ex monumentis autem nonnulla vacua, omnique ex parte ad minimum usque pulveris monumentum expolita, quæ sacra videlicet (ut nobis credere par est) Martyrum conditoria fuerant; eorumdemque ablatis inde corporibus, tenuissimum quoque pulverem è loco venerationis ergo secum deferentes abraserant. Semitæ, ingesta desuper humo, eum in modum arctæ alicubi ac depressæ subsistunt, ut prono demissoque corpore adeuntibus illuc incedere opus sit: monumenta tamen haud pauca clausa adhuc, marmoreisque tabulis, vel certe lateritiis obserata cernuntur: in quibus quamplura religionis orthodoxæ, ac Christianæ fidei signa intuentibus exhibentur, nempe cruces, Christi nomen diversimodis formis expressum, palmæ insuper, & cætera hujuscemodi, ut suis jam locis exposuimus. Alicubi vero eisdem in monumentis eburnei inserti annuli visuntur, imagines eburneæ item, conchylia, vascula, lucernæ fictiles, ac vitreæ ampullæ, & quædam itidem vulgo lacrymatoria, ut in aliis passim Cœmeteriis, si probe lector meminit, enarratum est. Alicubi etiam numismatum ipsorum vestigia sepulchris adhuc impressa extabant. Signa autem præcipua, quæ adnotare licuit, sunt ejuscemodi:


Christianorum signa ac symbola in sepulchris.




2 Inscriptionum autem fragmenta ibi innumera propemodum videre est: quarum nonnulla studiose selegit Bosius, consueto nominis Christiani symbolo, ac fidelium indiciis insignita: atque ea hic subjicimus:

Epitaphia & Inscriptiones è Cœmeteriis erutæ.










SER-





Aliæ verò, quæ sequuntur, marmori insculptæ sunt.



JUSTUS ET BIBANTIA PARENTES
POSUERUM ÆPTITIO FILIO
BENEMERENTI QUI VIXIT
AN XII M VIII D XXII

KAPPADOS BIBIANUS

BOXHTH

FRUCTUOSE BENEMERENTI
QUE MECU BIXIT ANNO XV
ET MENSES DUOS
IN PACE

ISPETI
MARITUS
ET MATER
FECERUNT

OLYMPI IN PACE

Fragmentum.

OCÆ III COS CARI AMICI

Focæ præclarissimi viri Consulatus primus anno Christi sexcentesimo quarto contigit, Onuphr. in Fast. & Baron. Annal. to. 8. eodem anno asserentibus: reliquos autem duos, quos Focas gessit Consulatus, insequentibus annis usque ad annum sexcentesimum decimum, quo potissimum tempore ferro sublatus est, adscribendos esse quis non videat? *Onuph. in Fast. Baron. to. 8. an. 604.*

MONVMENTVM ARCVATVM COEMETERII CYRIACÆ VIA TIBVRTINA.



Porro nonnulla in hac Cœmeterii parte cubicula haud picturis de more conspicua: complura item monumenta, & hæc quidem arcuata extant; quorum omnium tamen unicum duntaxat coloribus, atque imaginibus conspicuum est. Mulieris autem cujusdam stola amictæ, ac mitra (uti mos est) redimitæ duorum in medio virorum consistentis imago exhibetur; hi verò extensa ejusdem brachia consueto famulantium obsequio sustinent: & ut nobis facile conjectura suadet, ipsammet beatam Cyriacam, tumulo ibidem conditam, vel certe præclaræ alterius matronæ, quæ proximo monumento illata est, imaginem contemplandam intuentium oculis proponi credimus.

3 At ad ulteriora jugiter contendenti, atque anhelanti Bosio isthæc explorando deprehendisse haud satis visum est, nisi ad cætera subinde Cœmeterii ejusdem loca constanti, obfirmatoque animo investiganda progrederetur. Alacri igitur perquirendi studio adactus sub annum millesimum quingentesimum nonagesimum septimum alteram Cœmeterii partem, aditu sibi in ipsamet Monachorum B. Laurentii vinea, juxta portam, ac turrim ejusdem Ecclesiæ, patefacto, ingressus est: quam quidem partem cum semel, atque iterum avide perlustrasset, altera jam recensita ampliorem esse conspexit: semitas tamen, quibus ad præmemoratam pertingendo, eidem copulabatur, ruinis ac parietinis omnimodo obductas, contemplatus est. Viæ interim & vici complures ibi ita simul complexi, ut labyrinthi cujusdam formam præ se ferrent; tres ibidem Cryptarum ordines, in superiori videlicet, atque inferiori loci ambitu, existunt: cubicula satis quidem angusta, & perexigua picturis orbata sunt, quamvis ejusdem Monasterii Præfectus se in inferiori tertio Cœmeterio Cubiculum quoddam vidisse asserat; in quo mulieres quædam infantulos de more complexæ, ac sinu gestantes coloribus exprimebantur: cujus quidem figuræ prospectu Herodianam forte parvulorum innocentium stragem ab antiquis adumbratam fuisse haud ab re id asserendo quis dixerit. Hoc autem Cubiculum nullatenus à Bosio reperiri contigit. In Christianorum sepulchris consueta, quæ alibi exposuimus, insignia conspiciebantur, columbarum insuper pulli, qui rostro ac pedibus virentes arborum ramos præferebant: alicubi verò craticulæ cujusdam imago portendebatur hunc in modum:

Tres Cryptarum ordines in Cœmeteriis.

Christianorum symbola in Cœmeteriis.



Signatorii item annuli forma: sacrum itidem venerandumque Tau signum vitreis expressum lapillis hanc in speciem:

lucernæ fictiles: vascula vitrea, trutinæ, coronæ, & cætera hujuscemodi adspiciebantur: nec desunt interim quamplura illic fossorum manu loca topho excisa, ubi lucernæ, seu lampades accensæ Christianorum usui, ad sacras obeundas, nocturno præsertim tempore, vigilias, apponebantur.

4 Innumeræ item hac Cœmeterii parte inscriptiones adhuc supersunt, vel marmori insculptæ, vel ipso calcis glutino expressæ, recolendis Christianorum, ac Martyrum item nominibus insignitæ, quas ad quinquagenarium numerum, veluti nobilissimæ sacræ antiquitatis vestigia, sectatorumque Christi exuvias solerti labore, ac studio Bosius collegit: hæ autem typis demandatæ hic in lucem edimus.

Inscriptiones sepulchrales.

GRISOSTOME IN PACE QUÆ VIXIT
ANNOS P. M. XVIII. DEPOSITA VIII.

FL. STELLICONE UC SUB DIE X KAL
SEPTENBRES EMIT SOTERES SE
VIVA ET MARITO SUO
VERNACOLO CONPARI SUO EMIT
A CELERINO FOS

Stilicon autem, cujus modo in Tabula nomen inscribitur, semel atque iterum Consulatum gessit: primo quidem unà cum Aureliano, sub Christi anno quadringentesimo, Anastasii Papæ Primo, & iterum cum Arthemio, anno Domini quadringentesimo quinto, Innocentii Papæ Primi quarto: utrumque sub Imperatoribus Arcadio, atque Honorio, ut asserunt Cassiod. in Chron. & Baron. in suis Annal. to. 5. anno 405. At sepulchralem hunc alterum titulum, quem subjicimus, lector accipe:

Cassiod. in Chron. Baron. Annal. to. 5. an. 405.

BENEMERITO POMPEJO
QUI VIXIT MENSIBUS XI
D. VI DEPOSITUS IN PACE
DIE XVI KAL SEPT AUSONIO ET
OLYBRIO CONSS.

Verum Ausonii, & Olybrii Consulatus, Christi anno trecentesimo sexagesimo nono, Damasi Papæ Tertio, sub Imperatoribus Gratiano & Valentiniano contigit, Cassiod. & Baronio in Annal. to. 4. anno 369. testibus.

Cassiod. in Chron. Baron an. to. 4. an. 369.

FORTVNATO BENEMERENTI IN PACE
DEPOSITVS XIIK. NOV FORTVNA XI K. NOVEMB

MARCELLINE B
ENEMRENTI IN PACE

VIDVA
ANN X
V
DEPOSITA EST IN P. TVSCVLA
III KAL. FEBRVAR

SANCTVLVS QVI VIXIT ANNVS
DEP. XIIII KAL. AVGVSTAS


SATVRNINA
IN PACE VIXIT
ANNOS PLVS MINVS

In Monumento cujusdam puellæ.

HILARIAS

In

In pueri cujusdam Monumento.



BENEMERENTI IN PACE PAVLINI ANTONI

Aliæ deinceps inscriptiones in eadem Cœmeterii parte adinventæ etiam fuere; quarum quatuor priores tegulis, cæteræ autem marmori insculptæ leguntur:

LOCUS TURTURES

LOCUS AGRICOLES


HÆC DOMUS ETERNA SEPTIMI ET POIOC PC ENIES

LAURENTIUS SE VIVO COMPARAVIT

VINCOMALUS. QUI VIXIT AN. VII

EUGENIO BENEMERENTI IN PACE. QV.

URSICINUS ED QUINTILIANA SE BIBI CONPARABERUNT LOCU A MONTANU



LOCUS PERGEI FI MOTA NES SE BIBO FECE.

SECUNDA LOCUS SE BIBA EMIT

ωΔΕΚΕΙΤΑΙ ΗΜΗΤΕΡ ΗΜωΝΤ ΦΕ ΙΑ ΕΝ ΕΙΡΗΝΙ

MAMMULÆ PIISSIMÆ BENEMERENTI

BENEMERENTI EXUPERIO QUI VIXIST ANNIS III. DECESSIT DECENBRIS III KAL

ΓΗΜΗΛΛΙ

Eodem in Cœmeterio in bisomo.

OPTATVS IN PACE·REQVIESCAT OPTATVS ET RENATVS

LEVPARDVS

Ibidem literis Græcis exarata.

ΗΡΑΚΛΙΑ

LOCVS IOANETIS

Ibidem literis rubro tinctis in calce.

VALENTINI

DEPO SITA XSI KL DECENB·IN PACE BIBIANE

RAVVICINA·

In eodem Cœmeterio in pusillo puellæ cujusdam Monumento.

VIKALENDAS AVGVSTAS FORTVNVLA DEPOSITA.

LIVIA MARIA IN PACE·V·A XLVI M·V·CV·MA·F·AN XV D·IN BISO SV·COS·MER·ELIA F·PO·V·K·AV·

LOCUS GEMELLINÆ QUE VIX
ANNOS XXVIII XII KAL. MAI
CoS MERo

Cassiod. in Chron. Baron. to. 4. an. 377. & 383. Subsiste hic parumper lector, & mente repetas, quod Merobaudes, de quo in duobus proxime superioribus titulis mentio fit, Consulatum unà cum Gratiano Imperat. anno Christi 377. & iterum cum Saturnino collega, anno Christi 383. iniit: uterque autem Consulatus sub Damaso Papa, & Gratiano, Valentiniano & Theodosio Imperatoribus referendus est. Sed & alterum huic inscriptionis lapidem subtexere libet:

HIC REQUIESCET
IN PACE QUI VIX ANN P.L
FL. FELICE V. C. CO



Cassiod. in Chron. Baron Ann. to. 5 an. 418. Flavius iste, cujus nomine sepulchralis titulus prænotatur, unà cum Tauro Consul designatus est anno Christi quadringentesimo vigesimo octavo, Cælestino Pontifice Ecclesiam regente, sub Theodosio & Valentiniano Imperatoribus. *Cassiod. in Chron. Bar. to. 6. an. 511.* Alterius quoque Felicis viri clarissimi in Fastis mentio incurrit, qui unà cum Secundino anno salutis 511. sub Symmacho Papa, & Anastasio Imperatore Consularibus infulis perfunctus est.


SANCTO MARTURI
LAURENTIO JULIA EXIBIT III
KAL. OCT. DEP. KAL. SS.


ASELLA QUE VIXIT
AN. XLIII ET M. IIII
ET DIES V. ET DEFUNCTA
EST DE CIMU KAL.
AUGUSTAS



ANNELLA QUE VIX AN IIII
MXDq DEP. XII KAL DEC


HIC ABET SEDE
LEO PRB

SE BIBA EMET DOMNINA
LOCUM A SUCESSUM
TRISOMU UBIPOSITI
ET

Sed ut ad Bosium sacræ insistentem antiquitati redeamus; haud longum quidem temporis intervallum evolvi passus est; quippe qui novis jugiter reperiundis, perscrutandisque monimentis inhiabat, cum præmemorata frequenter obiens loca, alterum ad idem Cœmeterium, vel certe ad ejusdem partem aditum, in vinea, quæ olim Io: Baptistæ Marini ditioni suberat, ad lævam, qua Tybur itur, totam regionem pervagando offendit. Hæc porro Cœmeterii pars adeo inculta & maceriis undique eum in modum referta est, ut vix ultra volenti, conantique progredi daretur. Hic tamen, dum singula susque deque curiose perlustrat, aliquot inscriptionum titulos nactus est, quorum alter hisce notis exsculptus legebatur:

LOCUS BENENATI ☧ ET GAUDIOSÆ
CONPARÆS † SE VIVI
CONPARABERUNT
AB ANASTASIO ET ANTHIOCHO FS.

Valer. Prob. de not. Rom. Petr. Diacon. de not. litt. Porro illa verba AB ANASTASIO ET ANTIOCHO F S. id est, FOSSORIBUS, interpretanda vult Bosius; Valerius tamen Probus de Ro: Notis, & Petrus item Diaconus de literarum Notis, eadem componendo elementa sic disposita, FRATRES vel certe FRATRIBUS legunt, atque interpretantur.


QUIESCIT IN PACE
IANUARIUS ☧ VIXIT A

DOMUS ETERNA EX.....
ET TIGRIS IN PACE

REFRGERI TIBI DOMNUS
IPOLITUS SID.

HIC REQ. XYSTUS IN P QUI VIXIT
ANG DEP. III ID FEB.

6 Anno demum sexcentesimo sexto decimo supra millesimum in eadem Monachorum B. Laurentii vinea, quæ ad Monasterium sita est, alter ad idem Cœmeterium aditus exploranti patuit, per quem cum in alteram ejusdem partem Bosius introgressus fuisset, Cubiculum se illi videndum obtulit, in quo sacrum altare, & Pontificia item sedes topho incisa adhuc extabat: *Altare, & sedes Pontificia in Cœmeterio.* cæterum & locus hic maceria pariter, ruderibusque offusus, ruinas è proximo minabatur. Sepulchrales interim inscriptiones nonnullas ibi contemplatus est; quarum quatuor quæ sequuntur, hisce notis marmori insculptæ sunt.

ALEXANDRIA ILARO
COJUGI BENEMERENTI. IN PACE
QUI VIXIT ANNIS LV.

CONJUGI BENEMERENTI
VICTORINE. AUR. HERMOGENES.
EX EVOCATO QUE VIX MECUM
ANN. XI ET MS III ET DIES XV

VETTIA GRATTIA ET JUL. ILLYRICUS
PARENTES ☧ JUL. NAVIGIO.
FILIO BENEMERENTI
QUI VIXIT
ANNIS XVI


AUR. HERMOGENES EX EVOCATO
QUI VIXIT ANNIS P M L AUR
PROPINQUUS ET VAL
CAJANUS ET VAL. DIOGENES CONTUB
MERENTI FECER.

Evocati autem, quos præsentes inscriptiones nominant, olim veterani dicebantur, qui re militari

jam

jam perfuncti, si quando necessitas urgeret, in castra armis iterum operam daturi evocarentur. De his autem ex professo agunt Dion Cassius, qui præterea eosdem ad sua usque tempora fascibus, centurionū more, usos fuisse testatur: Vellejus item Paterculus Hist. Rom. Suet. in Aug. & in Galba; qui & insuper præcipuos equestris ordinis juvenes, ad peragendas vice militum excubias à Galba Imperatore delectos fuisse scribit, qui *Evocati* subinde appellarentur. Tacitus quoque Annal. & alii de his luculenter scripsere. At quod Christianis quoque sub Imperatoribus *Evocati* adhuc vigerent, vel ad militaria, vel certe Palatina obeunda accersiti munera, ex Symmacho perspicue constat, qui virum quendam Valentiniani Cæsaris *evocatum* nominat: hinc ipsamet epistola *Evocatoria* dicebatur, qua scilicet hujusmodi ab Imperatoribus evocatio præstari consueverat. Hac super re Jordandem de rebus Gothicis lector consule, qui Theodoricum Regem Romam *evocatoria* à Zenone Imperatore transmissa epistola accersitum, & inter Palatinos proceres designatum fuisse memorat. Apud Cassiodorum quoque, necnon apud alios de eadem *Evocatoria* epistola mentio agitur, ejusdemque formula describitur: nobis interim hæc breviter attigisse sufficiat, ne cujuspiam menti ambigendi occasio subrepat, inscriptionem hanc, quam recitavimus, viro cuidam ethnico aptatam fuisse, ac perinde ethnicos quoque in sacris nostris Cœmeteriis sepulturæ olim locum obtinuisse.

ion. Cassius lib. 43. 55. llejus Paterculus lib. 1. Hist. Rom. et. in Aug. in Galba. cit. Annal. 17. nmac. lib. ep. 52. dand. lib. eb. Goth.



Præter recensitos hactenus antiquarum inscriptionum titulos bini juxta eandem B. Laurentii Ecclesiam Sarcophagi marmorei eruti sunt; in quorum primo hæ sacræ imagines insculptæ conspiciebantur.



I. Adam videlicet & Eva tristi quidem vultu juxta vetitam arborem consistentes.
II. Moyses sacrarum Legum Tabulas è manu Dei accipiens.
III. Magi munera infanti Deo offerentes.
IV. Noë columbam absque pacifico olivæ ramo redeuntem excipiens.
V. Jonas demum à nautis in pelagi profundum ejectus, & inde ad littus è ceti ventre incolumis emergens.

In altero autem lapideo Sarcophago hæc inspectanda proponuntur, ad utrumque videlicet ipsius loculi angulum, Euangelici Pastoris imago, qui commendatas sibi hinc oves suaviter blandiens demulcet, inde verò oviculæ cuidam protenso benedictionem digito impertitur. In medio Christus Dominus sub ejusdem Pastoris symbolo exhibetur, qui dilectam alliciens pariter, ac pertrahens ovem eidem blanditur, cui duodeni numero Apostoli adstant, horum autem pedibus oves totidem substant.

Tres vero, Euangelici Pastoris imagines, quas descripsimus, singulæ birro, seu vulgo mozzetta, ut cernitur, superindutæ sunt. Porro postremus hic Sarcophagus ad præsens in viridario, apud Monasterium S. Mariæ Novæ haud longe ab ipso Titi & Vespasiani Imperatorum arcu visitur; est autem altus palmis duobus, & triente, longus verò novem.

7 Complures alii in regionis circuitu, quem hactenus memoravimus, ejusdem Cœmeterii aditus inter perscrutandum patuere, per quos ad inferiorem loci sinum iterato quidem subinde Bosius ingrediens, haud quid intuentium oculis, atque admiratione dignum assequi valuit, cuncta quippe inculta prorsus, & picturis, atque omni ornamentorum genere destituta jacent. Hoc unum dumtaxat ex ipsius loci prospectu perscrutanti conjectare licuit, Cœmeterium videlicet, cujus mentio agitur, amplissimum ac celeberrimum quondam extitisse. Et hæc interim de Cœmeteriis à Bosio Tiburtinam apud Viam adinventis ac perlustratis indicasse voluimus: jam verò iter ad Nomentanam Viam dirigamus.

CAP. XIX.

De Nomentana Via, ac de profanis ibidem monimentis.

Via Nomentana, Via Figulensis. 1 VIa, quam Nomentanam dicimus, Figulensis olim, Livio teste, appellabatur, quippe qui de eadem agens hæc ait: *Via Nomentana, cui tum Figulensi nomen fuit, profecti, castra in monte sacro locavere.* Idem plane ex Publio Vict. de reg. Urb. constat. Hoc autem nomen inde sortita est, quod in ea antiquis temporibus figulorum officinæ subsisterent. *Nomentanæ* verò vocabulum eidem postea à *Nomento* pervetusto Sabinorum oppido inditum est, quo potissimum Via hæc tendit, & quo Albanorum Reges iter quondam dirigendo viam hanc stravere, ut Servius in illud Virgil. Æneid. lib. 6. ait.

Livius decad. 1. lib. 3. *Publ. Vict. de reg. Urb.* Figulorum officinæ. Nomentum. *Serv. in Virg. Æneid. lib. 6.*

Hic tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam.

Cujus Viæ ipse quoque Virgilius meminit Æneid. lib. 7.

Qui Nomentum urbem, qui rosea rura Velini.

Messalla item Corvinus lib. de Aug. progenie scribit, ejusdem Nomenti populos à Tarquinio Prisco, quinto Romanorum Rege, bello expugnatos, captivitatis jugo addictos fuisse: quos post exactos deinde Reges, Romani in libertatem vindicatos civitatis jure donarunt, anno videlicet ab Urbe condita sexcentesimo decimo, Furio Camillo & Cajo Mævio Coss. ut Livius testis est, Ovidius quoque Nomenti ejusdem meminit, hæc dicens:

Messalla Corv. lib. de Aug. progen. to. 1. Hist. Rom. *Livius decad. 1. lib. 8. Ovid. Fast. l. 4.*

Hac mihi Nomento Romam cum luce redibam,
Obstitit in medio candida turba Via.

Et Propertius Eleg. lib. 4.

Propert. eleg. lib. 4.

Necdum ultra Tyberim belli sonus, ultima præda
Nomentum, & raptæ jugera trita Coræ.

Curator Viæ Nomentanæ. 2 A *Nomento* igitur derivato nomine *Nomentana* Via nuncupatur, quæ aliarum instar Curatorem, Patronumque peculiarem nacta est: cujus in pervetusto hoc inscriptionis lapide mentio reperitur, quem Onuphrius in sua Roma inter cæteros studiose legendum recenset.

Onuphr. in Rom.

C. N. MUNATIUS. M. F. PAL.
AURELIUS BASSUS, PROC. AUG.
PRÆF. FAB. PRÆF. COH III.
SAGITTARIORUM PRÆF. COH.
ITERUM II. ASTURUM CENSITOR
CIVIUM ROMANORUM
COLONIÆ VICTRICENSIS.
QUÆ EST IN BRITANNIA CAMALODUNI
CURATOR VIÆ NOMENTANÆ
PATRONUS EJUSDEM.
MUNICIPI FLAMEN PERPETUUS
DUUMVIRALI POTESTATE
ÆDILIS DEDICATOR IIII.

3 Porro Via hæc initium desumpsit à Porta, quæ Viminalis olim, nunc autem à Pio IV. Pont. Max. immutato titulo, *Pia* denominatur. Hic siquidem Pontifex iter agentium commoditati pariter, atque utilitati prospiciens, altam deprimendo semitam, eandemque dirigendo, Nomentanæ adjunxit, & vias inter utrasque portam aperuit, quam sua munificentia æque ac nomine auctam Piam, antiqua Viminali abolita, dici voluit, quæ nunc haud procul ab hac Orientem versus valida murorum compage firmiter obstructa cernitur. Illa autem Regibus Romanam Urbem administrantibus in Tarquinii aggere sita erat: quod expresse utique Strabo de situ Urbis his verbis testatur: *Tertia est porta ejusdem nominis cum colle Viminali.* Cur autem Viminalis olim appellaretur, Sext. Pomp. de verb. signif. docet, dum ait: *Viminalis porta, & collis appellabantur, quod ibi viminum silva fuisse videtur, ubi & Ara Iovi Viminio consecrata.* Prope Eretum verò, quod nostra ætate, ut fertur, *Monte rotondo* communi voce appellatur, hæc eadem Viæ Salariæ jungitur, atque in unum cum ipsa coalescit. Strabo insuper loco supra citato de Aquis Labanis mentionem facit, quæ saluberrimis quidem è venis Nomentano in agro manabant, & ut ex Plutarcho in Cæsaris vita colligitur, palustris quondam hæc regio erat, quippe qui Julium Cæsarem de Nomentanis paludibus, ac Pontinis pariter exsiccandis cogitasse refert. Quamobrem Martialis de lignorum penuria Nomentanam apud regionem graviter admodum conqueritur, hæc in suis Carminibus scribens:

Porta Viminalis. Porta Pia. Agger Tarquinii. *Strabo de situ Urb. Rom.* Collis Viminalis. *Sext. Pomp. de verb. signif.* Eretum. Monte Rotondo. *Strabo loc. supracit.* Aquæ Labanæ. *Plutarch. vit. Cæs.* Paludes Nomentanæ. Paludes Pontinæ. *Martial. l. 13. epig.*

Sic vicina tibi Nomento rura coluntur,
Ad Villam moneo, Rustice ligna feras.

Plinius verò eandem postea regionem satis excultam, ac villis, vineisque refertam fuisse pronunciat, quod primo quidem Acelii Schenelii, necnon Rhemnii Palæmonis opera ac studio præstitum est. Idipsum ex Suetonio in vita Neronis, ac cæteris quoque rerum antiquarum scriptoribus comprobatur; apud quos celeberrimi quondam suburbani illius Phaontis Neronis Cæsaris libertini mentio recurrit, qui locus quarto ab Urbe lapide, Nomentanam inter ac Salariam Viam situs erat, ubi postea Nero justus sibi patratorum scelerum, incensæ Urbis, ac effusi cruoris vindex, semetipsum crudeliter occidit, & qui aliis fuit, haud sibi defuit Nero.

Villæ ac Vineæ Via Nomentana sitæ. *Plin. l. 14. c. 4.* *Suet. in Neron.* Suburbanum Phaontis.

4 Hac item Via Senecæ, qui Neroni præceptor extitit, suburbanum illud adnumerabatur, quod ipsemet, loci amœnitatem summis laudibus celebrans, suum dulciter Nomentanum appellat. Cujus item memoriam repetit Columella rustica de re agens, ac ejusdem, totiusque regionis fertilitatem apprime commendans: *Sed Nomentana, inquit, regio nunc celeberrima fama est illustris, & præcipue quam possidet Seneca, vir excellentis ingenii, atque doctrinæ: cujus in prædiis vinearum jugera singula calleos octonos reddidisse plerumque compertum est.* Hæc Columella, qui ibidem vites, ac simul ejusdem regionis vina quamplurimum extollit, cujus hæc sunt verba: *Nomentana vini nobilitate subsequuntur amineas, fœcunditate verò etiam præveniunt.* Quod & Plinius his plane verbis confirmat: *Proxima dignitas Nomentanis rubente materia; quapropter quidam rubellas appellavere vineas.* Martialis item, qui eodem loci ambitu suburbanam olim villam obtinuit, in ejus gratiam isthæc eleganti carmine cecinit:

Suburbanum Senecæ. *Senec. epist. 104. &* *Columell. de re rust. lib. 3. c. 3.* *Idem c.* *Plin. lib. cap. 2.* Villa Martialis. *Mart. l. epig. 85. ad Ovid.*

In

In Nomentanis, Ovidi, quod nascitur agris,
Accepit quoties tempora longa merum.
Exuit annosæ mores, nomenque senectæ,
Et quidquid voluit tecta vocatur anus.

illa Q. vidii.

Quintus hic Ovidius, ad quem Martialis Poëta scribit, ipse quoque ibidem villam possedit; cui in Britanniam profecturo subinde Martialis dulcissima ejusdem, ac recolendæ quidem jugiter villæ otia in mentem revocat; hæc enim habet:

Martial.l. 10. epig.40.

Quinte Caledonios, Ovidi, visure Britannos,
Et viridem Tethyn, Oceanumque patrem.
Ergo Numæ colles, & Nomentana relinques
Otia, nec retinet rusque focusque senem?

Idem lib.13. epigr. 114.

Idem vero amœnam ejusdem Quinti villam vinis dignioribus exuberantem, carminibus hisce eleganter concelebrat:

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum;
Si te Quintus amat, commodiora bibes.

5 Quapropter hujuscemodi regio, cum post exsiccatas aquarum paludes, ingentem, ut audis, fertilitatem præ se tulerit, ac vinis pretiosis utrique ac probatissimis redundaverit, haud sane quid mirum, si in eadem ab antiquis Baccho templum erectum fuerit, de quo à nobis suo infra loco agendum erit. Demum eadem hac Via celebre olim Deæ Næniæ delubrum, Sext. Pomp. teste, & ipsius insuper Dianæ templum extitit; cujus frequens in beatorum martyrum actis mentio incurrit, qui illuc impiorum jussu, dum immanes adversus Christi fidem urgerent persecutionum procellæ, ad immolandum deducti, cum idolo sacrificium, immane facinus detestati, offerre detrectarent, glorioso ibidem pro fidei confessione martyrio coronati sunt; quorum celebris passim Ecclesiasticis in Tabulis memoria extat, & opportuna nobis de iisdem agendi occasio suppetet. Interim vero ad ulteriora properemus.

Templum Bacchi. Delubrum Næniæ. Templum Dianæ.

CAP. XX.

De Cœmeterio ad Nymphas.

1 NYmpharum nomine insana gentilium turba aquarum Deas appellavit: quo plane vocabulo tum fontes, tum aquas ipsas nuncupare consueverat: quapropter Porphyrius libro de Antro Nymph. *Nymphas*, ait, *esse fontes & flumina, cum Nymphis aquarum numinibus propria sunt.* Phornutus quoque, cæterique Mythologi aquarum dulcium ac potabilium fontes, concinno vocabulo *Nymphas* appellàrunt. Quod utique etsi innumeris Poëtarum carminibus liquido comprobari potest, nos perantiquam unam dumtaxat inscriptionem, quæ Nomentana Via, de qua hic agimus, in Illustrissimi Domini Gonii Villa parieti inserta legitur, studioso hic lectori contemplandam proponimus, de puellula nimirum, quę in fonte submersa est:

ymphæ uarum æ apud ntiles. ymphæ uæ ipsæ tæ. rphyr.lib. Antro mpharu. ymphæ oque apud fontes appel-

tus inptio Via menta-

Νύμφαι κρηναῖαι με συνήρπασαν ἐκ βιότοιο.
Καὶ τάχα που τιμῆς εἵνεκα τοῦτ' ἔπαθον.
Νηπίη οὐδὲ δυοῖν ἐτέοιν τενὸς ἐξανύσασα,
Φιλησίη τὴν κλῆσιν, Αὐσονὶς γένος.

Hoc est:

E vita Nymphæ fontanæ me rapuerunt,
Forte mihi è tali gloria morte venit.
Parvula, quippe alter mihi nondum effluxerat annus,
Romana genere, sed Philesia nomine.

Et quamvis Latini scriptores aquam à Græcis, *Nymphæ* vocabulo dictam, mutata litera *N* in *L* communiori voce *Lympham* nuncupent, apud eosdem tamen sæpesæpius *Nymphæ* quoque nomen usurpatum reperitur. Hinc est, quod & fontes & lavacra, *Nymphæa* dixerint: quo sane loquendi modo Julius Capitolin. in Gordiano usus est: *Opera Gordiani*, inquit, *nulla extant præter quædam Nymphæa & balneas.* Bibliothecarius quoque in Hilari Papæ gestis *Nymphæum*, & Triporticum ante oratorium S. Crucis; & in ipsius Silverii gestis meminit hæc dicens: *Intra civitatem autem grandis fames erat, ita ut aqua venundaretur pretio, nisi Nympharum remedium subvenisset.*

Nymphæa, fontes & lavacra dicta. Iul.Capitol. Gord. Bibl. in Hilar. Pap. Nymphæum in Laterano.

2 Inde autem potissimum obtigit, ut in vetustioribus rerum Ecclesiasticarum monumentis loca quædam, ubi juges quondam aquarum fontes emanabant, frequenti, usitatoque vocabulo, ut legimus, *ad Nymphas* dicerentur: hinc locus ille Via Cornelia tertiodecimo ab Urbe milliario, ubi beati Marius, Martha, Audifax, & Abacus martyrio coronati fuerunt, *ad Nymphas Catabassi* est appellatus, ut in eorumdem Actis supra recensitis vidimus. Massæ quoque *ad Nymphas* Romanæ olim Ecclesiæ à Constantino Copronymo elargitæ, ipse Bibliothecarius in Zachariæ Papæ gestis meminit, & Cencius Camerarius lib. de Censibus: à quo perantiqua item diplomata recitantur, in quibus expressa, quod ad rem nostram pertinet, de *Nympharum* Castro mentio peragitur.

Locus ad Nymphas Catabassi. Bibl. in Zach. Pap. Cenc. Camer. lib. de cens. Nympharum Castrum.

3 Peculiaris igitur Cœmeterii, quod Nomentanam apud Viam extat, locus, de quo acturi nunc sumus, ad beati Petri *Nymphas* appellabatur. Cum enim tota fere illa regio, ut jam præmisimus, palustris esset, & aquis uberrime redundaret, intra ipsiusmet Cœmeterii ambitum aquarum venæ erumpebant, quæ *Nymphæ* vulgo nuncupari consueverant, ubi Petrus Apostolorum Princeps eos, qui recens ad Christi fidem traducti illuc accedebant, salutaribus baptismi aquis de more abluebat. Quod apertissimis verbis M. S. beatorum Papiæ & Mauri Acta Codd. Later. Vat. & Vall. testantur, in quibus post nobile eorumdem martyrium sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus enarratum, hæc inferuntur: *Quorum corpora collegit Ioannes presbyter noctu, & sepelivit in Via Nomentana sub die Kalend. Februarii ad Nymphas, ubi Petrus baptizabat.* Id ipsum apud Adonem & Bedam in eorumdem Martyrologiis, & Petr. in Catalogo, apud Surium quoque videre est: quamvis illi *Lymphas* pro *Nymphas*, paucis admodum immutatis, legendum velint. Non imus autem inficias in sacris quibusdam Vat. & S. Mariæ ad Martyres codicibus pro *baptizabat*, inscribi pariter ac legi *habitabat*; sed id vel ipsius scriptoris incuria obtigisse, vel certe utroque modo legendum putamus, *habitabat* nimirum & *baptizabat*. Cum antiqua enim Martyrologia Romæ quamplurimos ab Apostolo Petro Christianæ fidei rudimentis imbutos, salutari deinde baptismo initiatos fuisse constanter ingerant, & ex ipsis Liberii Papæ actis, eundem in Ostriano Urbis Cœmeterio, quod huic proximum est, in muneris præstitisse satis superque constet. Jam ultro negare quis audeat, hoc item loco beatissimum Apostolorum Principem inhabitasse, & jure quidem merito hac potissimum de causa, Cœmeterium (cujus mentio agitur) vulgo apud omnes nomen *ad S. Petri Nymphas* sortitum fuisse. Celeberrimum igitur veteres apud Christianos, & maximæ ob id venerationi Cœmeterium hoc extitit, in quo innumeri proculdubio martyres, ut credere nobis par est, piorum manibus conditi fuere. Temporum tamen injuria, aut certe invida profanorum

Locus ad Nymphas Petri. SS. Papia, & Maurus. M. S. Cod. Vat Lat. & Vall. Ado & Beda in suis Mart. Petr. de Natal. in Catal. l. 3. c. 4. Sur. to. 1. Locus, ubi Petrus Apost. baptizabat. Cœmeterium Ostrianum. Cœmeterium ad S. Petri Nymphas.

norum hominum temeritate abolita est loci omni quidem cultu dignissimi religio, ingentique venerandæ antiquitatis detrimento, unà cum loco (quod lacrymis prosequendum est) inter ruinas ac rudera omnis penitus recolendarum rerum memoria deperiit. Porro satis quidem probabili conjectura permoti asserere neutiquam dubitamus, hoc idem haud procul ab Urbis Romanæ mœniis extitisse, & ipsi Ostriano Cœmeterio, quod memoravimus, adhæsisse; cum ibi Petrus beatissimus, ut eadem Acta loquuntur, baptizaret. Verum haud facile eorum sententiæ connivemus, qui locum hunc ad *Nymphas* eumdem met cum illo esse diserte suis in scriptis affirmant, ubi SS. Alexander Papa, Eventius ac Theodulus sepulti fuere: locus enim ille milliariis septem ab Urbe distat, atque initium ipsos apud Christianos longe post B. Petri martyrium, ut suo infra loco dicemus, accepit.

Translatio corporum SS. Papiæ, & Mauri.

4 Porro sanctorum Papiæ & Mauri corpora primum ex hoc Cœmeterio à Sergio Juniore Papa in Urbem unà cum sacris aliorum Martyrum reliquiis è proximis, circumadiacentibus, ac Priscillæ præsertim Cœmeteriis, in Equitii Titulum translata sunt, ut vetus docet inscriptio marmori insculpta, quæ ibidem ad hæc usque tempora legitur. Inde vero à Gregorio Nono anno Christi millesimo ducentesimo decimo octavo, in S. Adriani diaconiam prope Septimii Severi arcum delata, ubi nostro hoc seculo invictorum martyrum pignora in ejusdem Ecclesiæ Confessione reperta, ac iterum in Christiani orbis lucem rediviva, perantiquæ inscriptionis titulo consignata, prodiere, videlicet:

Equitii titulus.

Ecclesia S. Adriani. Inventio corporum SS. Papiæ, & Mauri.

IN HOC LOCO REQUIESCUNT
CORPORA SANCTORUM
MARTYRUM PAPIÆ ET MAURI.

Verum de loco, in quo ad præsens condita sunt, opportuna suo infra loco mentio erit, cum de martyribus potissimum, qui Nomentanam Viam sanguine illustrarunt, sermo instituetur. Jam vero ad perscrutanda ejusdem viæ Cœmeteria progrediamur.

CAP. XXI.

De antiquo beati Nicomedis Presbyteri, ac Martyris Cœmeterio.

1 ONuphrius in Cœmeteriorum Catalogo, quem scripsit, beati quoque Nicomedis Cœmeterium Via Ardeatina recenset, & forte, ut nobis opinari fas est, locum subintelligere voluit, in quo ipsemet Nicomedes sanctæ olim Feliculæ corpus Via Ardeatina in ejusdem prædio condidit. Ejus tamen nomen hac Nomentana Via celebre magis est, & potiori ejusdem memoria devotionis titulo recolitur; ubi & Ecclesia in martyris honorem erecta fuit, & Cœmeterium pariter extitit, in quo sepulturæ locum, in horto viri cujusdam nomine Justi, obtinuit, qui inter ejus clericos adnumerabatur, ut M. S. ejus Acta Cod. Vall. his verbis testantur: *Cum hæc & multa alia diceret sanctus Nicomedes presbyter, plumbatis diutissime cæsus migravit ad Dominum. Corpus vero ejus in Tyberim præcipitatum est: clericus autem ejusdem presbyteri nomine & opere Iustus collegit corpus ejus, & posuit in biroto suo, & duxit ad hortum suum juxta muros Via Nomentana, & illic eum sepelivit septimo Kal. Octobris.* Idem plane apud Adonem & Usuardum legitur, qui insuper sanctissimum virum Nicomedem sub Imperatore Domitiano pro Christi fide obtruncatum fuisse subtexit. De Ecclesia vero in ejus honorem erecta hæc ejusdem in Actis exponuntur: *In quo loco dedicata fuit Ecclesia in Kalendis Iunii; quæ nunc vero penitus destructa est. Ideo festivitas hodierna est passionis ejusdem, Martyris: alia ejusdem Ecclesiæ dedicationis, quæ plebibus hoc nescientibus in dictis Kalendis colitur.* Recolenda item hujus festivæ dedicationis mentio apud Martyrologia Bedæ, Adonis, Usuardi, & B. Notheri incurrit. Festiva autem solemnitas, de qua nuper præmemoratis in Actis, ut quod nobis menti subrepit, in medium proferamus, primum forte sub Bonifacio Papa Quinto celebrari cœpit; à quo hoc ipsum B. Nicomedis Cœmeterium in ampliorem formam redactum, exornatumque fuisse Bibliothecarius asserit: *Hic*, inquit ille, *perfecit Cœmeterium S. Nicomedis, & dedicavit illud.* De Ecclesia vero, quæ ab Hadriano Primo instaurata est, hæc subjicit: *Pariter & Ecclesiam B. Nicomedis sitam foris portam Numentanam, quæ à priscis marcuerat temporibus, à novo renovavit.*

Prædium S. Feliculæ.

Ecclesia S. Nicomedis.

M.S. Cod. Vall.

Ado & Usuard. in Martyr.

Ibid.

Mart. Bedæ, Adonis, Usuar, 2. Iun.

Bibl. in S. Bonif. Pap.

2 Titulus quoque in ipsa Urbe eidem B. Martyri dicatus celebri memoria recolitur, de quo in secundo Romano Concilio sub Symmacho, cui Genesius ac Sebastianus sub titulo S. Nicomedis presbyteri inter alios, ut legitur, subscripsere. Utriusque tamen Ecclesiæ nullum prorsus hac nostra ætate vestigium intuentibus exhibetur; quamvis illius dumtaxat, quæ Via quondam Nomentana extiterat, parietinas, quibusdam saltem conjecturis sufffultus, hiantibus se deprehendisse oculis Bosius existimaverit: verum de Ecclesia suo infra loco nobis agendum erit.

Titulus S. Nicomedis.

Conc. to. 2.

3 Demum Beati Nicomedis corpus è Cœmeterio hoc à Paschale Papa Primo in Urbem translatum in B. Praxedis Ecclesia die 20. Julii, Indict. 10. anno scilicet Christi octingentesimo decimo septimo, ejusdemque Paschalis primo reconditum est; ut vetus in eadem Ecclesia inscriptio marmori insculpta legentes ultro admonet. Et de Nicomedis interim Cœmeterio hæc breviter enarrasse sufficiat.

Translatio corporis S. Nicomedis.

CAP. XXII.

De Cœmeterio beati Alexandri Papæ, ac sociorum Martyrum.

1 COemeterium hoc Nomentana Via septimo ab Urbe lapide situm est, & sub Aureliano Comite tunc temporis initium desumpsit, cum sub eodem Alexander Papa, Eventius, & Theodulus presbyteri anno Christi centesimo quinquagesimo secundo martyrio coronati fuere; quo potissimum tempore Severina Aureliani ejusdem uxor conspicuæ pietatis fœmina Christo addicta, sacra eorumdem corpora suo in prædio, septimo ab Urbe milliario, Nomentana Via sepelivit; ibidemque venerabilis Pontifex Sixtus, qui Alexandro in Pontificatu successerat, precibus permotus ejusdem, presbyterum constituit, qui singulis diebus eodem in loco sacra altaris mysteria perficeret; quod in M. S. ejusdem Actis, Lat. Vat. S. Petr. S. Cæcil. & apud Surium to. 3. 3. Maji, hunc in modum exponitur: *Vadens autem Severina septimo milliario ab Urbe Roma Via Nomentana in prædio suo Eventium & Alexandrum in uno posuit monumento, Theodulum solum in loco altero sepelivit. Quorum quidem natalitia cum omni gloria & honore celebrantur quinto Nonas Majas. Omnes vero clerici Romani, qui ad exequias corporum venerant, & religiosi viri ibidem remanserunt.* Et hæc paulo infra: *Severina vero vestivit se cilicium, & tamdiu jacuit ante limina Sanctorum, quos ipsa sepelierat,* *donec*

SS. Alexander Papa, Eventius, & Theodulus.

Severina. Prædium Severinæ.

M.S. Cod. Lat. Vat. & S. Petr. & S. Cæcil. & ap. Sur to. 3. Maji.

donec venisset ab oriente sanctus Xistus Episcopus, à quo impetravit Severina, ut in eodem loco rei suæ ordinaretur Episcopus, qui omni die, quæ sunt Sancta, Martyribus celebraret; ideoque locus ipse habet proprium sacerdotem usque in hodiernum diem. Idipsum Ado in suo Martyrologio: & de sepulturæ quidem loco Nomentanam apud Viam Beda, Usuardus, & alia Martyrologia satis aperte loquuntur. Vides quo honore sacra martyrum pignora fideles olim prosequebantur, ubi enim martyrum exuviæ triumphali resperſæ cruore asservabantur, ibi sacrosanctum altaris sacrificium in eorumdem honorem Deo immolandum curabant.

...ercu-

2 Ibidem vero B. quoque Martyrem Herculanum depositum fuisse Petrus in Catalogo scribit, hæc dicens: *Herculanus passus est Romæ sub Aureliano, qui ab Alexandro Papa ad Christum conversus & baptizatus, cum Alexander in custodia teneretur apud Quirinum Tribunum comprehensus, atque fustibus cæsus, in confessione nominis Domini tandem, gladio cædente, Martyrii palmam percepit 11. Kalend. Octobris. Cujus corpus Via Nomentana septimo ab urbe milliario à Christianis sepultum est.* Porro in B. Alexandri Papæ actis nulla de Herculano Martyre mentio fit: in Romano tamen Martyrologio 7. Kal. Octobris militem quendam Herculanum nomine à Beato Alexandro Episcopo ad fidem traductum, & una simul cum ipso postmodum martyrio coronatum fuisse legimus. Hæc enim ibi: *Romæ S. Herculani militis, qui miraculis in passione B. Alexandri Episcopi ad Christum conversus, sub Antonino Imperatore post multa tormenta gladio cæsus est.* His optime consonant, quæ idem Petrus recitat cap. 162. *Alexander Episcopus & Martyr cum Herculano Martyre passus est Romæ sub Antonino Imperatore.* Hunc autem Via Claudia xx. ab Urbe milliario, 11. non autem 7, Kal. Octobr. martyrii gladium subiisse asserit. Ut hic igitur difficultatis nodus solvatur; aut duo isti Herculani, quorum causa nunc agitur, longe inter se fuere diversi, cum sub diversis eorundem nomina, & Acta Imperatoribus enuncientur, diversisque diebus inscribantur; aut certe si inter se unum idemque sunt, ut Baronio placet in Notis, perperam eumdem ab Alexandro Papa Christianæ religioni adjunctum, & subinde unà cum eodem martyrio coronatum fuisse Petrus asserit; quippe qui longe ante ipsum Alexandrum Papam (ex quo æquivocandi ansa oborta est) martyrium pro Christi fide subierat.

3 Verum Nomentana eadem Via haud procul à prædio, quod vulgo *Casa nuova* appellatur, pervetustæ ejusdem Ecclesiæ reliquiæ adhuc conspiciuntur, satisque probabiliter ipsamet loci facies suadere nobis videtur, hunc ipsummet esse, in quo beatus Pontifex Alexander, ac cæteri cum eo Martyres tumulo conditi fuerant. Eodem enim in loco complures adhuc parietinæ visuntur, quæ colonorum ibi quondam habitationi inseruisse, & quampiam itidem rusticorum hominum villam extitisse perspicue demonstrant, & eam fortasse, quam Severinæ piissimæ fœminæ ditioni adscitam jam supra meminimus. Sanctorum vero eorundem corpora in Urbem inde translata quam multas pretiosis reliquiis Ecclesias ditarunt. Quamobrem plæræque vel exiguis reliquiarum particulis cumulatæ, sacrà se eorumdem possidere corpora gloriantur. In Ecclesia enim S. Sabinæ Aventino in colle anno millesimo quingentesimo octogesimo sexto marmoream arcam pervetusto sub altari, quod ab Eugenio Papa Secundo erectum fuerat, inter explorandum reperiri contigit, in qua Sanctorum Alexandri Papæ, Eventij & Theoduli asservari corpora exsculptis notis legebatur: quæ quidem arca majori sub ara, quam postremis temporibus Sixtus Papa Quintus erexit, perhonorifice condita est.

4 Sacra hæc beatorum martyrum pignora una cum corporibus Sanctarum virginum Romulæ & Redemptæ Cathedrali in Ecclesia sua intra mœnia tumulata quiescere Tiburtini palam constanterque asseverant, Sed de his Cardulus in suo Tibure audiendus est, qui isthæc habet: *In alio item ejusdem ædis altari quiescunt sacra corpora S. Alexandri Papæ, & Martyris, & Sanctarum virginum Romulæ & Redemptæ, sed cum B. Alexandri corpus cum reliquiis Sanctorum presbyterorum Eventij & Theoduli Martyrum Romæ in templo Sanctæ Sabinæ, & corpora sanctarum Romulæ ac Redemptæ in Basilica S. Mariæ ad præsepe recondita esse antiquæ inscriptiones, codices ac monumenta ostendant, ut Tiburtinarum etiam, quæ proferuntur, Tabularum veritas constet, intelligendum est hoc, quod alibi admonuimus, sanctorum corporum partem Tibure, partem Romæ servari.* Vides hinc lector, quam brevi, quam facile, quam paucis lis tota dirimatur. His adde, quod sub ara quoque maiori Ecclesiæ S. Laurentii in Lucina haud modicam eorundem Sanctorum partem asservari binæ quidem inscriptiones testentur, quæ recolendum ejusdem Ecclesiæ consecrationis diem legentibus in mentem revocant: in quarum præsertim altera, à Cælestino Papa Tertio eadem sub ara inter ejusdem consecrationis solemnia anno Christi millesimo centesimo nonagesimo sexto reliquiæ ibi conditæ hunc in modum exsculptis notis adnumerantur:

CORPORA BEATORUM MARTYRUM
ALEXANDRI PAPÆ, EVENTII,
THEODULI, SEVERINÆ, &c.

5 Severinam vero, cujus hic mentio incurrit, ipsammet esse putamus, quæ eorundem Sanctorum Martt. corpora in suo, uti diximus, prædio primum piæ manus obsequio condidit, ac Cœmeterium hoc extruxit. In ejus enim actis jam supra recitatis pijssimam fœminam asperrimo indutam cilicio ad veneranda Martyrum sepulchra divinis precibus intentam diutius perstitisse fertur: quapropter & vita subinde functam, eodem loco conditam fuisse, eisdemque beatis Christi Martyribus in eorundem translatione associatam fuisse credere nobis par est, quamvis de ea in sacris Martyrologijs haud ulla mentio suppetat: & hæc hactenus de beati Alexandri Papæ, & aliorum Martyrum Cœmeterio.

CAP. XXIII.

De Cœmeterio Primi, & Feliciani Martyrum.

1 COemeterium sanctorum Primi & Feliciani, seu eorundem, ut dicitur, arenarium, decimo quarto ab Vrbe lapide, in loco *ad arcus Numentanos* nuncupato, extructum olim fuit; ubi sub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano, circa annum Christi ducentesimum octogesimum septimum, ut Petrus in Catalogo docet lib. 5. c. 119. Primus & Felicianus apud Numentum optatam martyrii coronam adepti, perhonorifice tumulati sunt; & triginta plane dierum spatio justa eisdem solemni ritu à fidelibus persoluta fuere: quod in M. S. eorundem apud Adonem actis Codd. Later. Vatican. S. Petri, & Vall. his verbis legitur: *Nocte vero à Christianis fidelibus rapta sunt*

Marginal notes (left, partly cut off): ...ii, V- ...d. & ...tyr. | ...ercu- | ...in Ca- ...l. 8. ...o. | ...Alexan- ...Papa. | ...lexan- ...Episco- | ...tyr. ...l. 7. ...Octob. | ...r. in ...al. ...02. | ...on. in ...t. ad 7. ...Octob. | ...cus Ca- ...Nuova ...nc vulgo ...tus. | ...lla Seve- ...æ.

Marginal notes (right): SS. Romula, & Redempta. | Cardul. in hist. Tiburt. | Ecclesia S. Laurentii in Lucina. | S. Severina Cœmeterium S. Alexandri extruxit. | S. Severina cilicio induta ad sepulchra Martyrum divinis precibus vacat. | Arenarium SS. Primi, & Felician. | Arcus Numentani. | Petr. in Catal. lib. 5. c. 119. | SS. Primus & Felicianus. | SS Primo & Feliciano justa funeralia à Christianis reddita. | M. S. Codd. Lat. Vat 4. 8. 9. Vall. 1.

sunt corpora eorum, & portaverunt eos ad arcus Numentanos intra arenarium, & ibi fecerunt planctum magnum, & involventes eos in sindones novas cum aromatibus, juxta arenarium posuerunt eos, & in hymnis ac psalmis per triginta dies ac noctes in Dei nomine perdurabant: ubi multa beneficia exuberant usque in præsentem diem, & si quis ægrotorum ibidem perductus fuisset, salvabatur à quacumque esset infirmitate detentus. En jugis Christianorum fervor sub illa primæva tempora haud unquam intermissus in recolendis beatorum Martyrum Natalitiis, eorumdemque sepulchris omni honoris cultu prosequendis, quorum insignem fidem, ac pietatem patentibus signis Deus è Cælo comprobare haud destitit. Verum cum sacra pignora miraculis assidue coruscarent, haud humili loco subsistere, sed nobili erecto templo Christiani illustrare voluerunt. Hæc enim infra de Ecclesia ibidem in eorumdem honorem erecta recitantur: *Et dum post aliquantos annos cessaret persecutio paganorum, multi Christiani in honorem beatorum Martyrum Primi, & Feliciani basilicam construxerunt; sperantes se misericordiam consequi per eos in nomine Domini nostri Iesu Christi. Est autem basilica eorum ab Urbe Roma milliario quartodecimo: quorum natalis est quinto Idus Iunias.*

Ecclesia SS. Primi, & Feliciani Via Nomentana.

2 Horum autem corpora Theodorus Papa ex eorundem arenario levavit, & in B. Stephani Protomartyris Ecclesiam, in monte Cælio, recondidit; ubi vetustissimæ adhuc sacræ eorumdem imagines musivo opere expressæ extant. Hujus vero translationis Bibliothecarius in ejusdem Theodori gestis meminit, hæc dicens: *Eodem tempore revelata sunt corpora Sanctorum Martyrum Primi & Feliciani, quæ erant in arenario sepulta, Via Numentana, & adducta sunt in Urbem Romam, quæ & recondita sunt in Basilica B. Stephani Protomartyris.* Quam quidem ob caussam sacris in Martyrologiis natalitius eorumdem Martyrum dies apud montem Cælium describitur. Sed his paucis de SS. Primi & Feliciani Cœmeterio enarratis ad ulteriora progrediamur.

Translatio corporum SS. Primi, & Feliciani in Ecclesiam S. Stephani in monte Cælio. *Bibl. in Theodoro Papa.*

CAP. XXIV.

De Cœmeterio S. Restituti Martyris.

1 Celebre item Nomentana Via sextodecimo circiter ab Urbe lapide Cœmeterium hoc fuit, quod B. Restituti titulo nuncupatur, & à Justa Matrona Romana suo olim in prædio extructum fuerat. Cum enim ipsa Romæ gloriosum, capitis obtruncatione, martyrium consummasse B. Restitutum sub iisdem Imperatoribus Diocletiano & Maximiano comperisset, venerandum ejus corpus projectum canibus, clanculum collegit, atque illud in domum suam deferens, quæ juxta sudantem Metam, & Amphitheatrum sita erat, aromatibus egregie conditum, ac linteis involutum, ad suum deportari prædium jussit, ibique in crypta recondidit; nec id martyri præstitisse satis rata, diebus septem sacras ejusdem exequias celebravit: quod in M. S. ejusdem Actis Codic. Vatic. hunc in modum enarratur: *Cumque cogerent eum*, id est, S. Restitutum, *ad sacrificandum, & nollet consentire illis, ligaverunt ei manus a tergo, & decollaverunt extra Capitolium & trahentes jactaverunt eum juxta arcum triumphalem ad Palmam, ut à canibus consummaretur. Iusta vero quædam Matrona religiosa fœmina venit noctu cum aliquantis Ecclesiasticis, & paucis Christianis, propter impietatem paganorum, & cum famulis suis collegit corpus B. Restituti, & abiit in domum suam juxta Metam sudantem, & illic cum aromatibus sanctum corpus ejus condivit, & involvit in sindones bibleas, & imposuit eum noctu in pagone in Via Numentana. Et dum pergeret, misit ad Episcopum in eadem Via constitutum, nomine Stephanum, ut cum presbyteris & diaconibus, subdiaconibus quoque & acoluthis & lectoribus unà cum servis Dei & sacris virginibus convenirent simul & fideles Christiani, ut in foro expectarent eos. Mane vero adhuc diluculo advenerunt cum sancto corpore, & cum hymnis & laudibus perduxerunt eum in milliario sextodecimo, in prædium Iustæ matronæ venerabilis fœminæ, in crypta in inferioribus: illic enim tradiderunt dignissimæ sepulturæ, sub die sexto Kalend. Iunias; & fecerunt illuc planctum per septem dies. Sumptus vero necessarios supra memorata Iusta de suo proprio procuravit, & ministravit. Eodem quoque tempore multi tenebantur dæmoniis, ac variis infirmitatibus per vicina loca, in civitate Numentana, & quotidie venientes ad tumulum B. Restituti Martyris, sani revertebantur ad sua cum gaudio, laudantes Deum.*

Prædium Iustæ matronæ.

Martyrium S. Restituti.

Meta sudans ad Amphitheatrum Titi.

M. S. Cod. Vat.

Arcus Triumphalis ad Palmam.

Domus [Iu]stæ matronæ.

Episcop[us] Via Nomentana.

2 Viget adhuc, ac colitur hac eadem Via beati hujus Martyris memoria apud Eretum, ubi antiqua ejusdem Ecclesia extat: atque ipsamet insuper crypta cernitur, in qua venerandum ejus corpus reconditum substiterat, quod inde postmodum sub Hadriano Papa sublatum, haud longe à basilica S. Mariæ Majoris juxta Ecclesiam S. Andreæ in Aurisaurio translatum est; ut iisdem in actis his plane verbis subditur: *Requievit autem ibi B. Restitutus usque ad tempora Hadriani Papæ, sicque factum est, ut ipse B. Martyr se revelaret. Tunc viri illi, quibus hoc intimatum est, levaverunt eum exinde, & sepelierunt eum juxta Ecclesiam S. Andreæ in Aurisaurio; ubi præstantur beneficia Domini nostri Iesu Christi usque in hodiernum diem.* Quoniam vero mentio hoc potissimum loco incidit Ecclesiæ S. Andreæ in Aurisaurio, studiosus lector nosse debet, hanc juxta Divæ Mariæ Majoris basilicam olim sitam fuisse, ut publicæ fidei tabulæ in actis quondam Ioannis Guidonis conscriptæ anno Christi ducentesimo septuagesimo octavo supra millesimum, die vigesima prima Ianuarii, sub Pontificatu Nicolai Papæ Tertii testantur: quæ quidem literæ in Vaticanæ Basilicæ Archivo adhuc extant. Idem pariter ex quodam Urbani Quarti diplomate liquet, quod sub anno Redempti orbis ducentesimo sexagesimo primo supra millesimum editum est, & ad verbum in pervetusto ejusdem Basilicæ codice refertur, cui titulus: *Formularium Bullarum.* Constat hoc item ex quadam Clementis Papæ IV. epistola ab eodem Viterbii 23. Julii, anno Pontificatus secundo, scripta, ut ex ejusdem Basilicæ Archivo videre est. Itemque ex epistola Nicolai Papæ Quarti, ab eodem Romæ apud S. Mariam Majorem 23. Decemb. anno Pontificatus secundo inscripta, ut ex ejusdem Archivi Vaticani regesto compertum fit. Ex quibus Pontificiis literis, ac publicis actis, ejusdem Ecclesia in Aurisaurio apud S. Mariam Majorem nuncupatur. Porro haud ambigendum videtur, Ecclesiam hanc S. Andreæ in Aurisaurio, ad quam B. Restituti corpus, ut vidimus, translatum est, ipsammet perantiquam esse, quæ adhuc integra, etsi profanos in usus destinata, perseverat; & Ecclesiæ D. Antonii ad S. Mariam Majorem proxime adiacet: quam ipse olim Simplicius Papa Deo in honorem sancti Andreæ solemni ritu dicavit, ut insculpta musivo ibidem opere carmina, quæ adhuc

Ecclesia [S.] Restituti.

Crypta V[ia] Nomentana.

Translatio corporis Restituti. *Ibid. in M[S.] Cod. Vall[ic.]*

Ecclesia S. Andreæ in Aurisaurio.

Arch. B[as.] S. Petr. cap[s.] sul. 68. Fasc. 191.

Formul. Bull. in eod. Arch. n. 3[?] Epist. Clem. Pap. 4. 10[?] in reg. to. [?] Epist. Nico[l.] lai Pap. 4. 763. in reg[est.] to. 2.

adhuc leguntur, palam docent, atque inculcant. Haud tamen ibi hujus invicti Martyris Restituti memoria extat. Jam verò ad perlustrandum B. Agnetis virginis ac martyris Cœmeterium properemus.

CAP. XXV.

De Cœmeterio Beatæ Agnetis.

[...edium Agnetis ...le Nomentanæ. ...ta S. Agnetis à S. ...brosio ...nscripta.]

1 COemeterium hoc ab ipsamet lectissima virgine Agnete suo quodam in prædio ad Nomentanam Viam, non longe ab Urbis Romæ mœniis, initium accepit. Ibi enim eandem parentes nobili coronatam martyrio, solemni ritu sepulturæ mandarunt, ut in ejusdem Actis perhibetur, à D. Ambrosio, sicut antiqua traditio præ se fert, editis; quorum hæc sunt verba: *Parentes verò ejus, cum omni gaudio abstulerunt corpus ejus*, id est, S. Agnetis, *& posuerunt illud in prædio, aut secundum alios, prædiolo suo, non longe ab Urbe, in Via, quæ dicitur Numentana, sub die duodecimo Kalendarum Februariar. ubi cum omnis turba Christianorum concurreret, insidias à paganis perpessi sunt, & videntes populum infidelium super se venientem armatum, omnes fugerunt, aliquanti tamen lapidum ictibus læsi evaserunt.* [...a S. A- ...t.]

[...rtyrium ...meren- ...iæ.]

2 Verum sancta Emerentiana virgo ejusdem B. Agnetis collactanea, haud unà cum cæteris fugam proripuit; quinimmo sola imperterriti animi, & minis ac metu superior, barbaram eorumdem impietatem constanti animo exprobrare non destitit: quamobrem à furenti populo ibidem lapidibus obruta nobilem martyrij palmam consecuta, & cum adhuc catechumena esset, proprio sanguine abluta in Cælum evolavit, quod in iisdem Actis hoc modo subtexitur: *Emerentiana autem, quæ fuerat collactanea ejus sanctissima, licet catechumena, constanter, & intrepida contra ad se venientes stabat immobilis, & his verbis exprobrabat eos: Superflui, caduci, miseri, atque atrocissimi, Deum omnipotentem, qui in Cælis est, confitentes atque colentes occiditis, & pro defensione lapidum sculptorum innocentes homines & justissimos occidendo jugulatis? Hæc & his similia dum turbis furentibus diceret, lapidata est ab eis, & orans juxta sepulchrum beatæ Agnetis emisit spiritum. Unde non dubium est, quod in suo sit sanguine baptizata, quæ pro defensione justitiæ, dum confitetur Dominum, mortem constanter excepit. Eadem namque hora fit terræmotus vehementissimus, & cum nimia esset cæli serenitas, tantæ coruscationes, tantaque fulgura & tonitrua extiterunt, ut pars maxima insanientis populi expiraret. Unde factum est, ut nullus penitus ex eo advenientibus ad sepulchra sanctorum aliquas molestias excitaret. Venientes autem parentes cum sacerdotibus noctu abstulerunt corpus B. Virginis Emerentianæ, & sepelierunt juxta prædium in confiniis agelli beatissimæ virginis Agnetis.* [Ibid.] [...tenta è ...o mo- ...te Eme- ...iana ...antur.]

[...gnes ...mor- ...paren- ...se vi- ...dam ...cit.]

3 Subinde autem ad ejusdem Beatæ Agnetis sepulchrum parentibus octavo martyrii die orantibus ipsamet virgo nobili sanctarum virginum cœtu comitata apparuit, eosque de cælesti præmio, ad quod jam secura prævenerat, ac de perenni gaudio, quo jugiter perfruebatur, certiores reddidit, quod eisdem in Actis hunc in modum exponitur: *Igitur dum parentes S. Agnetis assiduis pernoctantibus vigilarent ad tumulum ejus, vident in medio noctis silentio vigilantes exercitum virginum, quæ omnes auro textis cicladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant, inter quas vident etiam beatissimam virginem Agnetem simili veste fulgentem, & ad dexteram ejus Agnum nive candidiorem. Hæc itaque intendentes & ipsi parentes ejus, & qui simul fuerant, quasi stuporem mentis incurrunt. Sed B. Agnes rogat sanctas virgines parumper gradum sistere, & stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mecum, atque congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi, & illi sum juncta in Cælis, quem in terris posita tota animi concupiscentia adamavi, & his dictis pertransivit.* Hujus autem rei causa, ut Durandus refert Rational. festus in Ecclesia dies sub titulo sanctæ Agnetis secundo institutus est. [S. A-] [Durand. in rational. l. 7. c. 3.]

4 Hujus item visionis fama cum apud Christianos vigeret, inde multos post annos Constantia Augusta Constantini Magni filia, quæ infirmitate corporis laborabat, permota, ad idem sepulchrum, cum adhuc pagana esset, sanitatis obtinendæ gratia se contulit; cui eadem sacratissima virgo se ultro è Cælo videndam præbuit, ut eadem his verbis acta testantur: *Hæc visio publice ab omnibus, qui viderant, quotidie vulgabatur. Unde factum est, ut post aliquantos annos ad Constantiam Constantini Augusti filiam hoc factum ab illis, qui viderant, narraretur. Erat autem ipsa Constantia Regina virgo prudentissima, sed ita obsessa vulneribus, ut à capite usque ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio, spe recuperandæ salutis, venit ad tumulum Martyris nocte, & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter effundebat. Quod dum faceret, repentina somni suavitate corripitur, & vidit per visum beatissimam Agnem, talia sibi quædam monita proferentem: Constanter age Constantia, & crede Dominum meum Iesum Christum Filium Dei Salvatorem tuum, per quem modo consequeris omnium vulnerum, quæ in tuo corpore pateris, sanitatem. Ad hanc vocem Constantia evigilat sana, ut nec signum in ejus membris alicujus vulneris remaneret.* hæc in actis. [S. Constantia Augusta.] [Ibid.] [Valetudinem objecta pervisum sibi Agnete, consequitur.]

5 Ob crebra igitur miraculorum signa, quæ ibidem meritis ejusdem beatæ Agnetis suffragantibus divinitus obtingebant, jure quidem optimo sepulchrum hoc celeberrimum, ac summæ apud omnes venerationi habitum est: quod & Prudentius in suo Perist. cecinit hymno 14. de S. Agnete hæc dicens: [Sepulchrum S. Agnetis ob crebra miracula mire colitur.] [Prud. in perist. hymn. 14. de S. Agnet.]

Agnes sepulchrum & Romulea in domo
Fortis puellæ Martyris inclytæ
Conspectu in ipso condita turrium
Servat salutem virgo Quiritum;
Necnon & ipsos protegit advenas
Puro ac fideli pectore supplices.

Christiani igitur, & præsertim qui Romæ degebant, pio devotionis studio erga præclarissimam virginem ac Martyrem affecti, juxta venerandum ipsius sepulchrum, quod signis mirabiliter præstitis coruscat, certatim sibi sepulturæ locum deligere cœperunt: & dum ad perficiendum hujuscemodi opus cryptæ undique assidua fossorum manu excavantur, ac primariæ Romanæ nobilitatis familiæ cubicula haud pauca, splendidaque itidem sepulchra in dies extruunt, Cœmeterium hoc in eam prorsus, qua mox à nobis describitur, amplitudinis formam excrevit.

6 Subinde vero Constantia Augusta, ubi pristinam corporis valetudinem adepta est, ad D. Agnetis sepulchrum magnificentissimam à Constantino patre in ejusdem honorem Ecclesiam erigendam curavit, sibique nobile conspicui operis Mausoleum sepulturæ loco statui voluit, quod in Actis jam recensitis, his plane verbis exponitur: *Interea petit patrem & fratres Augustos, ut basilica B. Agnetis fabricaretur, & sibi Mausoleum collocari praciperent.* Anastasius insuper in Silvestri Papæ gestis, Beda de sex ætat. & Ado [Ecclesia S. Agnetis.] [Mausoleum S. Agnetis.] [Acta S. Agnetis sup. cit.]

Beda de sex aet. an. 4259. Ado in Chron. An. 306. Baptisterium in Ecclesia S. Agnetis. Niceph. lib. 8. c. 47. Anast. in S. Silvestro Pap.

in Chron. baptisterium ibidem extructum fuisse asserunt, in quo ipsamet Constantia Constantini filia unà cum altera Constantia ipsiusmet Imperatoris germana, salutaribus aquis de more expiata est, quæ quidem Licinii uxor fuit, & præcipua postmodum Arianorum patrona extitit. Cujus item Niceph. meminit, hæc autem sunt ipsius Anastasii verba: *Eodem tempore fecit basilicam S. Martyris ex rogatu Constantiæ filiæ suæ, & baptismi fontem in eodem loco, ubi & baptizata est soror ejus Constantia cum filia Augusti à Silvestro Episcopo, ubi & domum constituit, &c.* Verum Nomentana Via ejusdem S. Agnetis Ecclesia, quæ à Constantino Magno munificentissime extructa fuerat, adhuc extat, in qua plures ad Cœmeterium aditus patent, quos hac nostra ætate detegi, ac revelari contigit, dum terra, quæ eidem Ecclesiæ omni ex parte hærebat, ad humorem procul arcendum, extraheretur.

Ecclesia S. Agnetis.

7 In apside autem ejusdem Ecclesiæ quædam olim carmina sublegebantur, quibus ab eadem Constantia Augusta, quæ alio ibi nomine Constantina appellatur, idem templum exædificatum fuisse palam enunciabatur. Porro carmina hæc transcripta Vaticanam apud bibliothecam hoc plane titulo prænotantur, videlicet: *Versus Constantiæ Constantini filiæ scripti in apside basilicæ, quam condidit in honorem S. Agnetis.* Gratis igitur auribus lector excipe:

Antiq. inscrip. in Append. fol. 1161 apud Baron. to. 3. an. 360. Vetus in Ecclesia S. Agnetis inscriptio.

Constantina Deum venerans, Christoque dicata
Omnibus impensis devota mente paratis,
Numine divino multum, Christoque juvante,
Sacravit templum victricis virginis Agnes.
Templorum quod vincit opus terrenaque cuncta.
Aurea nam rutilant summi fastigia tecti.
Nomen enim Christi celebratur sedibus istis,
Tartaream solus potuit qui vincere mortem,
Invectus Cælo, solusque inferre triumphum.
Dignum igitur munus, martyr devotaque Christo
Ex opibus nostris per sæcula longa tenebis.
O felix virgo memorandi nominis Agnes.

Idem autem versus in Christianorum Poëtarum Collectaneis sub Damasi nomine typis impressi recensentur, ut etiam inter ipsiusmet B. Damasi carmina Romæ nuper edita, & in antiq. Inscript. Append. fol. 1161.

..q... scrip. app. fol. 1161.

8 Porro Constantinam hanc, cujus adhuc mentio recurrit, illam nonnulli fuisse existimarunt, quæ Galli Cæsaris uxor, eundem Constantinum patrem habuit. Hæc enim post viri obitum totam se divino forte (ut illis credere par est) cultui mancipavit, verum eos, qui id asserunt, à veritate procul aberrare constat. Illa enim, de qua modo agimus, Ammiano Marcellino teste in Bithynia longe ante virum suum decessit. Nec alicui negotium facessat ipsummet Constantinæ nomen, quod præfertur: Constantia quippe, cujus nunc memoria recolitur, à S. Aldelmo Episcopo in libro quem de Virginitatis laude inscripsit, ubi & de hoc Cœmeterio mentionem subjicit, Constantina pariter appellatur, cujus hæc sunt verba: *Illius*, id est, S. Agnetis, *tumba in Cœmeterio posita gravissimam Constantinæ virginis valetudinem, cujus mentionem infra reservavimus, velut cælesti medicamine totam incolumitati pristinæ restituit.* Idem quoque alibi:

Constantina. Ammian. Marcell. hist. l. 14. Constantia appellata Constantina. S. Aldelm. Ep. de laud. Virg.

Nam Constantinam sanavit tumba sepulchri.

Et paulo post isthæc subdit:

Nobilis in Roma vixit pulcherrima virgo
Constantina novæ præbens spectacula vitæ.

Idem apud Canis. antiq. lect. to. 5 c. 33. 40. apud Bar. t. 12. in appen. an. 324.

9 De Constantia igitur, quam hactenus memoravimus, recensita inscriptio proculdubio agit, quæ cum Ecclesiam in honorem B. Agnetis, ut jam diximus, exædificandam curasset, suam subinde virginitatem Deo vovit, & sacrum virginitatis velamen de more suscepit, quam etiam, cum antea propria ex nomine Constantina vocaretur, Constantiam idcirco nonnulli forte appellandam duxere, quod constanti, obfirmatoque mentis proposito regalem purpuram, ac supremos honorum apices regii plane atque invicti animi virgo contemnens, toto vitæ tempore divino mancipata obsequio, vigiliis ac precationibus intenta, ejusdem beatæ Agnetis liberatricis suæ sepulchro jugiter hæsit; quod quidem in M. S. ejusdem S. Agnetis actis Codd. Lat. Vatic. & Vallic. his notis exprimitur: *Perseveravit autem Constantia Augusti filia in virginitate, per quam multæ virgines nobiles & illustres & mediocres sacra velamina susceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, usque hodie multæ virgines Romanæ ad Agnem beatissimam, quasi in corpore manentem, attendunt: ejusque exemplo & amore provocatæ, viriliter integreq; perseverant, credentes sine dubio, quod perseverantes perpetuæ victoriæ palmam acquirant.*

Constantina ob animi robur Constantia appellata. M. S. Cod. Lat. Vat. et Val. 1.

10 Constantia igitur dignissima Constantini Magni filia monasterium, quod vulgo S. Agnetis nuncupatum est, eodem loco extruxit; ubi Deo ac beatæ Martyri Agneti toto animi fervore inserviens, sanctissime vitam duxit, adscriptis sibi propositi ejusdem consortibus Attica & Arthemia virginibus Gallicani filiabus, quas ipsamet ad amplexandam Christi fidem, virginitatemque Deo vovendam feliciter traduxerat. Quod deinde Monasterium longo quidem temporum decursu nobilissimum utique, ac celeberrimum Romanarum virginum domicilium extitit; cujus præcipue Bibliothecarius meminit in beati Leonis Papæ Tertii gestis, isthæc scribens: *Verum & in monasterio S. Agnetis, quod ponitur foris portam Nomentanam, fecit canistra ex argento pens. lib. quinque.* Ejusdem item Monasterii vestigia adhuc supersunt, & ipsemet insuper aditus, qui ex eo ad Cœmeterium patebat, per quem Bosius illuc se penetrasse, parum tamen sibi ipsum ultra aditum progredi, semitis humo ac ruderibus interclusis, licuisse fatetur.

Monasterium S. Agnetis. SS. Attica & Arthemia. S. Gallicani. Bibl. in S. Leone Pap. 3.

11 Quod autem Constantia, quam supra memoravimus, apud prædictum Cœmeterium, & juxta B. Agnetis sepulchrum vitam peregerit, aperte utique ex Actis oborti inter Liberium & Felicem schismatis comprobatur, quæ sub Bonifacii Papæ titulo in M. S. S. Petri Cod. recitantur; ubi hæc inter alia leguntur: *Hæc autem Constantia augustæ memoriæ puella juxta oratorium habitabat, quod bonus pater Constantinus sibi fabricaverat; ubi & dominæ suæ sanctissimæ Martyris Agnetis famula virgo erat.* In ejusdem insuper Actis eundem Liberium Pontificem ab exilio revocatum, apud beatam Constantiam Constantii sororem, à quo in exilium amandatus fuerat, habitasse fertur. In aliis verò M. S. Codd. S. Cæcil. & Vall. aperte satis in Cœmeterio S. Agnetis eumdem degisse scribitur, & ipsemet Bibliothecarius affirmat, hæc dicens: *Rediens autem Liberius civitatem; tunc Constantia Augusta, quæ fidelis erat Domino Iesu Christo, noluit rogare Constantium Augustum germanum suum, quia senserat consilium doli.* Hucusque Bibliothecarius, qui item ab eodem sepulchrum B. Agnetis exornatum fuisse subjicit: *Hic*, inquit ille, *Liberius ornavit de platinis marmoreis petris sepulchrum S. Agnetis Martyris.* Ut Baronius autem in Annal. egregie adnotavit, haud tunc temporis Liberius in Cœmeterio S. Agnetis detentus fuit, *cum,* ut

Habitatio S. Constantiæ. M.S. Cod. Petr. Liberius Papa in Cœmeterio S. Agnetis habitat. M.S. Cod. Cæcil. & Vall. Bibl. in Lib. Pap. Idem Bibl. Bar. anno to. 3. an. 357.

ut inquit D.Hieronymus, *ab exilio quasi victor Vrbem intravit, sed quando post Ariminense Concilium, ab Vrbe iterum extorris factus, intra Cœmeterium ad delitescendum se recepit.* Quod idem Baronius eodem Annalium tomo sub Christi anno 359. expressis verbis asserit.

idem Bar. an. 359.

12 Porro celebrem D.Agnetis Basilicam, ejusdemque Cœmeterium aliquandiu sub regimine presbyterorum Tit. Vestinæ, nunc S. Vitalis extitisse, ex Innocentij Papæ Primi decreto, cui Vestinæ insuper matronæ inter cæteras nobilissimæ beneplacitum accessit, Bibliothecarius ipse in ejusdem Innocentii gestis, his verbis edocet: *Hic constituit basilicam S. Agnetis à presbyteris Leopardo & Paulino cum sollicitudine gubernari & ornari, & ex dispositione Vestinæ Tituli suprascripti presbyteris est concessa potestas.* Hinc autem contigit, ut Tituli ejusdem presbyteri hanc apud Ecclesiam sepulturæ locum obtinerent, quod è sepulchrali inscriptione conijci potest, quæ ex hoc Cœmeterio eruta, in ipsius Tituli pavimento, juxta quandam existentem ibi columnam hoc modo legitur:

Ecclesia S. Agnetis. Titulus Vestinæ. Ecclesiæ S. Vitalis. Bibl. in Innoc. Pap. 1.

.... ET ABUNDANTIUS ACOL.
REG. QUARTE TT. VESTINÆ,
QUI VIXIT ANN. XXX.
DEP. IN P. D. NAT. SCI MARCI.
MENSE OCTOB. IND. XII.

Inscriptio Cœmeterialis.

Quod vero ad Acolythos pertinet, quorum hic mentio fit, lector probe norit, tria Romanam apud Ecclesiam Acolythorum genera extitisse; *Palatinos* videlicet, qui Pontifici Maximo in Apostolico Palatio, ac Lateranensi Basilica inserviebant: *Stationarios* item, quorum id potissimum munus erat, eidem Pontifici in Ecclesiis, in quibus stationes de more haberentur, ministerium exhibendo adstare: *Regionarios* demum, qui Diaconibus in titularibus eorumdem regionibus ad sacra obeunda munia sedulo ministrabant; ex quorum plane numero Abundantius hic extitit, qui itidem cum sub ipso natali beati Marci die Octobri mense depositus fuisse describatur, id utique de S. Marco Papa, cujus tunc natalitius Nonis Octob. dies recurrit, ut tempus historicæ respondeat assertioni, subintelligendum est.

Acolythi tri. Acolythi Palatini. Acolythi Stationarii. Acolythi Regionarii.

13 Plura quidem de hac celebri Ecclesia, ac de ejus venerationis cultu subtexenda à nobis forent, sed ne ab instituti proposito longius digredi videamur, de eadem quæ hactenus enarrata sunt, lectori sufficiant. Illud tamen haud silentio præteriisse volumus, ipsiusmet nimirum Constantiæ virginis Mausoleum à Constantino Magno illi dicatum haud procul ab ipsa D.Agnetis basilica adhuc extare, quod modo haud alio titulo, quam ejusdem S. Constantiæ Ecclesia nuncupatur. Hoc autem templum sphæricæ formæ est, cujus fornix seu testudo columnis viginti quatuor, binis quibusque simul pariter junctis, sibique ex ordine respondentibus, fulcitur: ut autem communis omnium opinio fert, hoc apud gentiles olim Bacchi Templum fuit, ut ex ipsis etiam rerum antiquarum scriptoribus, Marl. Andr. Ful. Luc.Faun.& aliis liquido comprobatur, qui id ex pictis ejusdem Bacchi imaginibus, hoc est, ex birotis uva refertis, ac id genus aliis ejuscemodi vindemiales festorum dies indicantibus, quæ alicubi in Templo passim suspiciuntur. Neque verò quid minus probabile quis dixerit in hac olim regione, ubi frequens vinearum numerus, ac vini optimi copia suppetebat, Bacchi quoque vini ac vindemiarum patroni Templum extitisse, ut à nobis supra enarratum est. Hoc autem subinde ab ipsomet Constantino Magno instauratum, sacrisque insuper imaginibus exornatum, quas musivo & eleganti opere contextas in ipsius Templi fornice olim intueri licebat, si ad pium Christianæ religionis usum & Christi cultum sapienti ejusdem Imperatoris consilio redactū, nec non in beatæ ejusdem virginis Constantiæ honorem Deo immortali rite dicatū fuisse quis asserat, haud absurdum, & à veritate alienum pronunciandum est.

Mausoleum S Constantiæ.

Templum Bacchi. Marl. lib. 7. c 15. Andr. Ful. l. 1. c. 12. Luc.Faun. l. 1. c. 10.



14 Idem plane de nobilissima illa porphyretica Arca affirmandum videtur, in qua Bacchi pariter eleganti opere insculptæ imagines conspiciuntur, & vulgo passim *Bacchi Sepulchrum* nuncupatur. Hanc enim Arcam ipsiusmet Constantiæ tumulum Constantinus Imperator designavit, ut M.S. ejusdem Acta Cod. Vall. satis aperte his verbis testantur: *Porro S. Constantia in sancta virginitate permanens, transacto tempore hiemis, & inchoato tempore veris, hoc est, 12. Kal. Martias, parata intravit ad nuptias. Corpus vero ejus in pretioso labro porphyretico sepultum est, & ibidem ipsa à patre & fratribus Ecclesia columnis, & musivo de lapidibus decorata, in ejus honorem fabricata est.* Iidem insuper rerum antiquarum scriptores hanc porphyreticam Arcam in Lateranum, Paulo Secundo Summo Pont. jubente deportatam fuisse, ejusdem Pontificis sepulturæ inservituram, asserunt. Interim vero cum inde extraheretur, in ipso itineris progressu, antequam ad destinatum locum pertingeret, Pontifex diem extremum clausit, & Sixtus Papa Quartus, antiquitati urbanarum rerum servandæ intentus, re infecta, eandem in pristinum locum reducendam curavit. Ubi hodie non absque ingenti omnium admiratione tum ob antiquitatis meritum, tum ob operis elegantiam visitur: estque ejus, ut hic proponitur, formæ.

Bacchi Sepulchrum. M.S. Cod. Vall.

Corpora SS. Constantiæ, Atticæ, Arthemiæ & Emerentianæ in Ecclesia S. Constantiæ.

15 Ejusdem vero beatæ Constantiæ & sanctarum Atticæ, Arthemiæ & Emerentianæ corpora inde olim extracta, ab Alexandro Papa Quarto, qui eandem Ecclesiam solemni ritu consecravit, sub altari perhonorifice reposita fuere, ut antiqua olim inscriptio supra templi ejusdem portam apposita legentes commonebat: at deinde cum Cardinalis Sfondratus Tituli S. Cæciliæ eidem reficiendo, exornandoque templo insisteret, pretiosa hæc pignora in lucem iterum prodire contigit: ut in præmemorata pariter S. Agnetis Ecclesia, præclarissimæ ejusdem virginis corpus majori sub ara velut inæstimabilem Urbis Romæ thesaurum, qui latebat, felici urbanæ felicitatis omine, viro alioqui Sanctorum cultui, ac pietati addictissimo adinvenire datum est, eo prorsus tempore, quo eandem Ecclesiam regio plane animo ac sumptu exornare aggressus fuerat: quod subinde eodem sub altari, pretiosis marmoribus ac lapillis munifica Pauli Quinti Pont. Opt. Max. pietate compacto, ut tantæ virginis obsequio par erat, honorifice conditum est. Adnotare autem hic interim licet, haud inter sacras ossium exuvias sanctæ virginis caput ibi adinventum fuisse; quippe quod argentea olim theca inclusum ab Honorio Papa Tertio apud oratorium S. Laurentii in Laterano, quod hodie *Sancta Sanctorum* nuncupatur, velut devotionis cultu dignissimum, tutiori loco asservandum ibi reconditum fuerat; ubi nunc totius Urbis veneratione colitur.

Corpus S. Agnetis repertum.

Caput S. Agnetis in Oratorio dicto Sancta Sanctorum.

16 Sed quæso, amice lector, in ipsa via pedem à diverticulo revocantes, ad Cœmeterium, ex quo jam iter cœptum est, singula perscrutaturi revertamur. Hoc enim loco non sola dumtaxat virgo Constantia, verum & reliquæ pariter ejusdem Constantini filiæ tumulatæ fuere; Helena nimirum Juliani uxor, & Constantina item uxor Galli, ut ex Ammiano Marcellino constat, qui isthæc ait: *Inter quæ Julianus Helenæ conjugis defunctæ suprema miserat Romam in suburbano Via Nomentana condenda; ubi uxor quoque Galli quondam soror ejus sepulta est Constantina.* Et ingenti quidem admiratione dignum, ac summopere prædicandum videtur, tanquam nobile pietatis ac religionis Christianæ portentum; quod cum Helena Augusta Viennæ, & Constantina in Bithynia vita functæ fuerint, ut idem Marcellinus tradit, nihilominus è regionibus tam longinquis, tantoque terrarum spatio ab Urbe dissitis easdem in Cœmeterium hoc transferri contigerit, earundem profecto jussu, ut per se prudens quisque in re tam gravi conjicere potest; quippe quæ ibi voluerint sua post obitum corpora deponi, ubi sanctissima earumdem soror Constantia tum vivens, tum mortua apud Martyrem Agnetem ad manendum jugiter sibi locum elegerat.

Helena, & Constantina filiæ Constantini. Amm. Marcel. hist. l. 21.

Amm. Marcel. lib. 14.

17 Porro Sarcophagi quamplures marmorei hoc ex Cœmeterio eruti sunt, qui sacris insculpti imaginibus, atque historiis prænotati sunt. Nec vero in dubium revocare quis potest, condendis illustrium virorum cadaveribus hos quondam usui extitisse, & iisdem forte, ut veritati consona loquamur, beatæ Constantiæ sororibus. Ex his autem Sarcophagis octo utique celebriores hic studiosa artificum manu typis impressi recensentur.

Sarcophagi ex Cœmeterio S. Agnetis.

In eorundem primo, qui apud Ecclesiam S. Constantiæ anno millesimo sexcentesimo tertio repertus est, & longit. pal. 6. altit. 1. & semis constat, Christi Domini super asina sedentis, ejusdemque iterum volumen explicitum dextera tenentis imaginem videre est. Danielis item in medio leonum, & Habacuc Prophetæ panes cruce obsignatos Danieli intra laci ambitum deferentis. Ibi itidem contemplandus exhibetur Dominus quatriduanum Lazarum à mortuis excitans. In altero vero, qui longitudinis est palm. 6. quinta parte minus, latitud. pal. 1. cum dodrante, profunditatis 1. & semis, recolenda Magorum adoratio exprimitur: Daniel insuper unà cum Habacuc, ut supra descripsimus: duoque viri obvoluta manu volumina præferentes designantur.

Bini hi Sarcophagi marmorei in S. Agnetis Cœmeterio etiam reperti fuere: quorum prior sacras hujusmodi figuras præ se fert.

I. Christus Dominus in primis illic visitur, qui oculos cæco divinitus restituit.


II. Moyses, qui percussa petra populum sitibundum in deserto largissimis aquis reficit.

III. Christus Dominus, qui apertum manu librum tenet; ad cujus pedes obvolutis cista voluminibus referta cernitur.

Alter stolatam quandam mulierem elevatis orantem manibus exponit: alteram item mulierem consimili fere habitu, quam viri duo honoris gratia officiose comitantur.

Binæ


SARCOPHAGI MARMOREI E COEMETERIO S AGNETIS EFFOSSI


SARCOPHAGI MARMOREI EX COEMETERIO S AGNETIS EFFOSSI
DD PP DISCOLIA IIII
KL APR ET VRS MAIAS

Sarcophagus iſte marmoreus haud longe ab eadem B. Conſtantiæ Eccleſia repertus eſt: ſacras autem, quas continet, hiſtorias hiſce paucis enarramus.

I. In primis Moyſem contemplandum præ ſe fert, qui è petra aquas educit.

II. Virum item diſtricto mucrone ſtantem exhibet, ad cujus pedes obtruncati nonnulli infantes, reſectaque occiſorum capita jacent: duoque inſuper pueri adſtant.

III. Stolatam quoque mulierem exhibet, quæ apertum manu codicem tenet, & digito quempiam præmonſtrare videtur.

IV. Chriſtum item Dominum, qui cæco oculorum lumen impertitur.

V. Eundem iterum, qui panes uno ex latere, piſces ex altero contrectat; quos duo hinc inde ex ſacro Apoſtolorum cœtu eidem obſignandos offerunt: ad ejuſdem Domini pedes ſportas quaſdam panibus cruce ſignatis refertas videre eſt.

VI. Idemque Servator noſter, qui ſolemni palmarum die feſtivus Hieroſolymitanam Vrbem, ſedens ſuper aſinam, piis ramorum ac veſtium ab ovanti turba obſequiis exceptus ingreditur.

In longitudinem palmos octo, & quadrantem, in altitudinem vero duos, & dimidium obtinet.

Hæc Arca marmorea ex eodem S. Agnetis Cœmeterio eruta in lucem prodiit, modo in hortis Summorum Pontificum ad montem Quirinalem extat. Sacris autem hujuſmodi figuris exſculpta eſt.

I. II. Moyſem contemplandum, necnon eumdem virga cophinos manna refertos indicantem in primis exhibet.

III. Ibidem quoque affabre exſculptus eſt homo quidam vi à quibuſdam detentus.

IV. Mulier inſuper Deum exorans, cujus brachia extenſa à duobus viris, qui adſtant, ſuffulciuntur.

V. Chriſtus item Dominus inſigne panium, ac piſcium turbis exſaturandis prodigium divinitus exhibens.

VI. Idem Dominus hæmorrhoiſſæ veſtimenti fimbriam tangenti manum imponens.

Longa eſt palmis novem & dimidio, alta vero dumtaxat duobus.

Binæ hæ Arcæ marmoreæ ex præmemorato S. Agnetis Cœmeterio erutæ ſunt. Prior integra quidem adhuc, ſed perfunctorie tantum, ac oſcitanter incœpta potius, quam elaborata videtur: & reperitur in atrio domus Orphanorum. Figuræ autem, quas continet, hæ ſunt.


I. Inſculpti primum illic exhibentur duo primævi fratres Abel, & Cain ſacrificium Altiſſimo offerentes.

II. Chriſtus Dominus cum Samaritana muliere ad puteum colloquens.

In altera exhibetur Chriſtus Dominus, qui cæco nato oculos largitur.

Jonas præterea cete faucibus abſorptus, & rurſus ab ejuſdem alvo incolumis proſiliens oculis contemplandus ſubjicitur.

SARCOPHAGI MARMOREI EX COEMETERIO S. AGNETIS EFFOSSI



SARCOPHAGVS MARMOREVS EX COEMETERIO S. AGNETIS EFFOSSVS



SARCOPHAGVS MARMOREVS EX COEMETERIO S. AGNETIS EFFOSSVS



18 Demum præter Sarcophagos, qui à nobis hactenus recensiti sunt, quamplura item nobilissimi quondam Cœmeterii vestigia in D. Agnetis Ecclesia conspiciuntur; Cœmeterialium videlicet inscriptionum fragmenta, ex quibus nonnullas, & maxime quæ sunt Consulum nominibus prænotatæ, hic in lectoris gratiam de more recensebimus. In pavimento igitur Ecclesiæ S. Agnetis fragmentum quoddam conspicitur, in quo mentio cujusdam Aureliæ Constantinæ fit; est autem hujusmodi.

Inscriptiones, quæ in pavimento Ecclesiæ S. Agnetis extant.

LIA COSTANTINA DE
POSITA VIII IDUS SEPT. IN...

In quodam insuper marmoreo gradu, quo ad eandem Ecclesiam descenditur, hujuscemodi olim inscriptio legebatur, etsi alium nunc in locum eamdem transferri contigerit.

MIRE INDUSTRIÆ ADQUE BONITATIS
CERT..... INNOCENTIA
PREDITUS FL. AUR. LEONI NEOFITO
QUI VIXIT ANN. VI. MENS. VIII.
DIES XI. ...... REQUEV....
VI NON. IUL.
FILIPPO ET SALLIA CONSS.
LEOP.... ISSIM....

Porro Philippi & Salliæ Consulatus sub Constantio & Constante Constantini Magni filiis contigit anno Christi 348. Julii Papæ 12. ex Cassiodor. in Chron. & Baron. Annal. tom. 3. anno eodem: sub quorum Consulatu insignis ille inter Poëtas Prudentius natus est, ut ipsemet fatetur dicens: *Me Sallia Consule natum*. Iisdem in gradibus hæc alia inscriptio.

Cassiod. in Chron. Baron. Annal. to. 3. ann. 348. Prud. in Car.

LOCUS RESTITUTI

In ejusdem Ecclesiæ pavimento, ejusmodi signo prænotatus lapis iste sepulchralis cernitur.



MUCIA PAULINA LICINO HERCLA
NIO FILIO BENEMERENTI
QUI VIXIT ANNIS XX IN PACE
FECIT
SUPRASCRIPTA PAULINA IN PACE
REQUIEVIT DI. XIIII. KAL. DECEM.
DAT. ET CÆR. CONSS.

At vero Cerealis in Consulatu collega, qui ab Ammiano Marcellino & à Cassiodoro in Chron. Titianus appellatur, in hac quidem satis pervetusta inscriptione *Datianus* nuncupatur: idem fere & in alia quadam inscriptione adnotabatur, quæ apud Ecclesiam S. Silvestri in Capite extabat, quam Mazochius in Epigr. antiq. Urbis refert; ac in legibus pariter, & ipsorum Imperatorum rescriptis, præsertim in Cod. Theod. recensetur, ubi pluribus in locis legitur, *Datiano & Cereale Conss.* Hi autem sub Constantio Constantini Magni filio consulatum gessere, anno Christi 358. Liberii Papæ septimo, juxta Baronii supputationem Annal. tom. 3. ann. eodem. Excipe interim amice lector alterum hunc sepulchralem titulum.

Ammian. Marcell. in hist. l. 17. Cassiod. in Chron.

Mazoch. in epigr. antiq. Urb.

Bar. an. to. 3. an. 358

CIDÆ INNOCENT.
E. VIX. AN. P. M. VIII.
DIES XV
I SEPT. POSTCONS GRATIANI III

Verum Postconsulatus hic Gratiani tertius sub Theodosio Imperatore, & Damaso Papa contigit, anno redempti orbis 375. Cassiodor. in Chron. & Baron. Annal. to. 3. eodem anno testibus. Sed ad alias, si libet, recolendas antiquorum inscriptiones properemus. Sit igitur hæc:

Cassiod. in Chron. Baron. Annal. to. 3. an. 375.

☧ ☧

DEPOSITA SUSANNA IN PACE
DIE XIII KALENDAS NOBENBRES
CONSULATU ANICI BASSI
ET FL. FYLIPPI VV CC QUÆ BIXIT
ANNIS PL M. XXV
FECIT CUM MARITO
A NUS PM SEPTE † EXUPERANTIUS
N MARITUS SE VIVO UXORI
DULCISSIME SIBI ET POSTERISQUE
SUIS HOC TUMULUM FECIT 



19 Porro Anicius iste Bassus, & Flavius Philippus sub Arcadio & Honorio Imperatoribus Consulatu functi sunt anno Christi 408. Innocentii Papæ septimo, juxta scriptorum, quos recitavimus supputationem. In hoc autem inscriptionis lapide sera quædam exsculpta intuentium oculis subjicitur, quæ ut nonnulli existimarunt, quoddam martyrii instrumentum præ se fert: verum cum sub iisdem Christianis Imperatoribus nulla quidem Romæ Christianorum persecutio extiterit, nobis potius credere par est, eamdem artificis cujuspiam, lapidum fortasse incisoris, qui ibidem conditus est, veluti artis instrumentum exhibere. Sed ad alia.

Cassiod. in Chron. Ba ron. Ann to. 5. an. 408.

D. N. HONORIO ET TEODOSIO
BENE MEMORI
PETRUS INNOX QUI SUPERVIXIT
ANNUM UNUM ET MENSES QUINQUE
DEFUNC D.

Mutila quidem, perfracto marmore, hæc inscriptio apparet, ubi Consules apponi consuevere. Sed etsi in titulo hactenus citato Consules desiderentur; tempus tamen satis aperte ex Imperatoribus ibidem prænotatis dignoscitur, Theodosio videlicet & Honorio, qui ab anno Christi 408. usque ad annum 423. juxta Baronium Annal. To. 5. anno eodem, Imperii fasces obtinuere. Accedit huic inscriptio altera, quam subteximus.

Baron. an. 423

HIC REQUIESCIT ANN. P. L. M. LXX.
DEP. BOETHI V.C.

Certe semel, atque iterum Boethii Consulatus in fastis prænotatur, nimirum sub Zenone Imperatore anno Christi 487. Felicis Papæ Tertii 5. & sub Anastasio pariter Imperatore anno 510. & Symmachi Papæ 12. ut Cassiodor. in Chron. & Baron. Annal. to. 6. anno eodem testantur.

Cassiod. Chron. ron. ann to. 6. an 510.

ILLA SUB DIÆ XVIII. KAL. SEPB.
XV CONS † DIOSCORI
V CONS.

Et quidem Dioscori Consulatus sub Theodosio Juniore & Valentiniano Imperatoribus contigit anno Christi 442. Leonis Papæ 3. juxta eorundem supputationem. Accipe & alium hunc sepulchralem titulum, quem tibi ex antiquis ejusdem Cœmeterii fragmentis excerptum offerimus:


Cassiod. Chron. Baron. nal. to. an. 442

LOCUS GERONTI ❧ PRESB ❧
DEPOSITUS ❧ XIIII KAL. ❧ IUL. ❧
CONS ❧ EPARCHI AVITI.

20 Porro Aviti hujus Consulatus haud fastis, nisi sub Severo Imperatore, unà cum Pompejano

Collega

ſiod.in ron. Collega adſcriptus reperitur, ut Caſſiodor. in Chron. refert. Sed cum hic longe ante hujus Cœmeterii conſtructionem vixerit, nobis aſſerere opus eſt, Avitum hunc Imperatorem fuiſſe, qui unà cum Marciano Imperium adminiſtravit; quique Conſulatum geſſit anno Chriſti 456. ut optime probat *on. to.6. 456.* Baron. Annal. to. 6. anno eodem. Sed jam enarratis aliam ſubtexere inſcriptionem libet.

EXUPERANTIA ☧ XV KAL SEPT

HIC DEPOSITA EST
IN PACE ROME QUÆ
VIXIT PM MENSES III
CONS FAUSTI JUN. S. D. V
ID. JANUARIAS.

Certe hic Fauſti Junioris Conſulatus ſub Zenone Imperatore contigit, Chriſti anno 430. Felicis Papæ Tertii anno viij. Caſſiod. & Baronio teſtibus. *ſiod. in on. on. an. to. 6. 490.* Elementa autem, quæ ibidem expreſſa videntur, ſcilicet S. D. V. hoc modo interpretantur, *Sud. die quinto.* Sed & alterum hunc ſepulchralem titulum curioſis oculis perlege.


THOMAS CUM AGNITE
SE VIVO COMPARAVERUNT
DIE KAL. SEPTB. CONS FAUSTI
VC IUNIORIS.

Idem plane tempus, quo ſupracitatus titulus prænotatus eſt, inſcriptioni huic, ut ex Conſs. conſtat, præfigendum eſt. Sed ad ulteriora, ſi placet, progrediamur.

HIC IACET ABREPTA EXTREMO
FUNERE CONIUX
NOMINE TECLA MIHI QUE CARO
PECTORE VIVENS
DEMISIT GEMINUM PIGNUS SI FATA
DEDISSENT
CRUDELI TABE CONSORTEM
SUSTULIT UNUM
DEPOSITA III KAL. DECEMB.
AURELIO CANDIDO FILIO DULCISSIMO
Q. V. ANN. IIII
AUR. CALANDINUS MIL. COH. VIII.
PR. OPT. G SECUNDI
B. M. F.

Hanc vero inſcriptionem, etſi Conſules in ea deſiderentur, prætermiſiſſe neutiquam voluimus, propter verba illuc prænotata, quæ haud per extenſum recitantur, nempe: MIL. COH. VIII. PR. OPT. G. SECUNDI; quæ, ut commodum legentibus ſenſum redoleant, hoc modo ſupplenda videntur: MILES COHORTIS OCTAVÆ PRÆTORIÆ OPTIO CENTURIONIS SECUNDI. Porro de Prætoriis cohortibus, earumdemque numero, de Centurionibus, ac eorum optionibus prolixius probatos inter ſcriptores agunt *us Lip. de mi. Rom. 4. & 8. lphang. Com. Rom. l. 4. et. l. 6. 1.* Juſtus Lipſius de Milit. Rom. Dial. 4. & 8. Wolfang. Lat. Comment. Rom. Reip. & Jacobon. in Append. de priſca Cæſiorum gente, ubi docet notam illam G. Centurionem denotare.

SEBERA RUFINIANO
BENEMERENTI FECIT


FLABIÆ ALEXANDRIA. F
C. F.

MAXSIMUS FILUMENETI
COJUGI FIDELISSIME

AUR. SALSULO BENE
IN PACE. FECER.
DD. III. IDUS JUN

MARCELLA

LOCUS VALENTINI PRÆSB ☙

Sed cum de ſepulchralibus fragmentis tum apud Cœmeterium, tum apud Eccleſiam D. Agnetis Via Nomentana exiſtentibus huc uſque dixerimus, illud addimus, ipſius Atrii quoque monaſterii pavimentum conſimilibus Cœmeterii ejuſdem lapidibus ſtratum eſſe; harum inſcriptionum nonnullas, ut vides, hic inſeruimus.


MEMMIA LICINIA
IN PACE

AUR. EMILIO
QVI BIXIT AN. LXIIII
SABINVS COGNATO
B. M. IN PACE ☙

LOCUS ASTERII
ET PIPEROSE

Hæc inſuper cæteras inter inſcriptiones ibi legitur, quæ Conſulatum præ ſe fert, nempe:

VII ☙ ID ☙ SEB
DEP ☙ HONORIUS IN PACE QUI VIXIT
AN. PM ☙ LIIII MEN ☙ VI ☙ D. XIII
CONS ALBINI. VC. ☙ LOCUM
CONPARAVIT MARTINA SE VIVA

Hic quidem Albini Conſulatus ſæpeſæpius in Faſtis, & apud Caſſiodorum ſub variis Imperatoribus adnotatus reperitur; iis autem omiſſis, qui ante Cœmeterii hujus conſtructionem extitere, Albini Conſulatus ſub Conſtantino Magno; & iterum ſub Conſtante, & Conſtantio Conſtantini filiis recenſetur: ſub Theodoſio iterum, & demum ſub Anaſtaſio, ſub quo potiſſimum, ut probabile nobis fit, Albinus iſte in præcitato à nobis titulo notatus conſulari honore perfunctus eſt. Sub eodem enim apud Caſſiodorum Albini Conſulatus abſque Collega, ut hic propemodum unico dumtaxat titulo V. C. legitur. Qui quidem in cæteris inſcriptionibus Albinus Junior, Baronio teſte Annal. to. 6. ann. 493. nuncupatur, quo potiſſimum tempore Conſulatum illum contigiſſe Gelaſio Summo Pontifice tradit. Marmoreum quoddam fragmentum eodem in Atrio olim extabat, ejuſcemodi verbis inſculptum: *Caſſiod. in Chron.* *Baron. to. 6. an. 493.*

CUBICULUM DOMITIANI

Nec verò in controversiam quis vertat, hunc, quem præcitavimus, titulum, alicujus utique Cubiculi hujusce Cœmeterii epistylium fuisse. In ipso enim Cœmeterio quamplura antiquis temporibus nobilium familiarum cubicula extructa erant: ex his autem haud pauca sacris imaginibus affabre exornata, de quibus infra agendum erit; sed invictos interim Nomentanæ hujus Viæ pugiles recolamus.

CAP. XXVI.

De Martyribus Nomentana Via coronatis vel sepultis.

SS. Papia, & Maurus.

1 NOmentana Via, cujus hic antiquitatis præconia in lectoris gratiam subteximus, dignissimo, ac jugiter celebrando certamine, ac triumpho beatorum Christi martyrum Papiæ & Mauri militum sub Diocletiano Imperatore coronatorum nobilitata est, quorum in Martyrologio Romano ejusce modi verbis memoria recurrit: *Romæ Via Nomentana natalis SS. Martyrum Papiæ & Mauri militum tempore Diocletiani Imperatoris: quorum ora jussit Loodicius Urbis præfectus ad primam Christi confessionem lapidibus contundi, & sic eos in carcerem trudi, ac postea fustibus cædi, atque ad ultimum plumbatis percuti, donec expirarent.* Hæc ibi: *Horum corpora* (inquit Baronius in suis ad Martyr. notis) *à Sergio Iuniore Romano Pontifice in titulum Equitii translata* (ut docet vetus inscriptio in marmore insculpta eodem in loco posita.) *Inde à Gregorio Nono in S. Adriani Diaconiam, demum opera Illustriss. Augustini Cusani Cardinalis, Sixto V. concedente, in nostram Ecclesiam S. Mariæ & S. Gregorii in Vallicella translata fuere tertio Idus Februarii M. DXC.* Novos plane tunc Roma triumphos vidit, cum sacra isthæc pignora triumphantium more sacris thecis inclusa per Capitolii clivum solemni ritu, ac pompa populis circum ovantibus mediam per Urbem deferrentur. Excepit eadem nobili, ac veneranda Purpuratorum Patrum corona, qui in nostram Ecclesiam ad id muneris convenerant. Interfuit quoque S. Philippus Nerius, qui tunc inter vivos agens Congregationem Oratorii administrabat, qui alter veluti Simeon tunc spiritu venit in templum, & totis animi viribus exultabundus, sacras Martyrum beatorum exuvias, sibi Pontificis jussu donatas, devotissime amplexatus, ac deosculatus est. Illud addimus, sacras præmemoratorum mart. maxillas, perfractis, attritisque dentibus, ab perpessum pro fide martyrium conspicuas usque nunc intuentibus exhiberi.

Mart. Rom. die 24. Ian.

Eorundem corporum translatio.

Alia eorumdem in Ecclesiam S. Mariæ in Vall. translatio.

Ex Mart. Bedæ apud Vat. Basil.

2 Sed, ut cætera prosequamur, in vetustissimo M. S. quodam Martyrologio, Bedæ potissimum nomine prænotato, quod in Vaticanæ basilicæ Archivo asservatur, beatissimos Martyres Salvianum & Aragacem in quodam Cœmeterio juxta Nomentanam Viam conditos fuisse describitur: hæc enim ibi: *Romæ depositio S. Victoris Episcopi, Felicis, Alexandri, & in Cœmeterio Martyrum juxta viam Nomentanam Salviani & Aragaci.* Quamvis in aliis Martyrologiis, & in eo, quod ipsemet Beda edidit, nulla horum mentio inseratur. In actis verò Beatorum martt. Nerei & Achillei ac Flaviæ Domitillæ ex M. S. Cod. Vat. & S. Cæcil. de S. Eutychete beatorum Martt. Victorini & Maronis socio, qui ab Aureliano Iudice sub Nerva Trajano principe tanquam vile mancipium ad servilia opera in suburbano quodam Nomentanæ Viæ hujus damnatus fuerat, hæc recitantur. *Cumque viriliter agerent Eutyches, Victorinus & Maro, atque minas Aureliani penitus non curarent, deposuit eos de insula, & quasi servos per sua prædia singulos divisit: Eutychem in sextodecimo ab Urbe Via Numentana: Victorinum in sexagesimo Via Salaria: Maronem in centesimo trigesimo, eadem Via Salaria; iussitque eos terram fodere per totum diem; ad vesperum autem cantabrum manducare.* Et infra ijsdem in actis subtexitur; *Tunc diabolus replevit ira mentem Aureliani, & misit, qui vario genere pœnarum interficerent eos. Nam Eutychem in media Via tamdiu iussit plumbatis cædi, quamdiu spiritum exhalaret. Cujus corpus rapuit populus Christianorum, & cum honore magno sepultum in Christi nomine, super eum basilicam fabricavit.* Idem plane apud Surium videre est to. 3. 12. Maji in eisdem SS. Nerei & Achillei Actis. At verò Cantabrum, quo, ut præfertur, Sancti Martyres ad vesperam vescebantur, genus quoddam herbarum erat, ut Surius ex Plinio interpretatus est, sed furfuraceum fuisse panem Pignorius asserit, ac probat, cum de servis agit pag. 259. ubi hujuscemodi vocis derivationem vel à furfuraceo, & contemptibili pane, qui captivis ad alimoniam suppeditari consueverat, vel certe ab ipsamet alimentaria subtractione desumi affirmat, quod videlicet cantabrum quasi canabrum à caninis pultibus sit dictum, quæ fere è furfuribus ac variis frumenti quisquiliis ac purgamentis coalescunt. Hæc Pignorius in rem præsentem satis erudite exponit, cui libentius nos quoque assentimur.

SS. Salvianus & Aragaces.

Mart. Bed. 20. April.

SS. Eutyches, Victorinus & Maro.

M. S. Cod. Vat. & S. Cæcil.

Surius to. 12. Maji actis SS. Nerei & Achillei.

Cantabrum herba, qua Martyres vescebantur.

Plin. lib. 2[illegible] cap. 8.

Pignor. de ser. pag. 2[illegible]

3 In sacris interim Martyrologiis beati quoque Urbani Papæ natalis Nomentana Via recensetur; & in ejusdem Actis, eundem ibidem ante Dianæ Templum unà cum clericis, nempe (ut in quibusdam Codd. M. S. legitur) Joanne, Cromatio, Dionysio, Martiale, Eunuchio & Luciano, capite obtruncatum fuisse asseritur; quorum corpora inde translata, in Prætextati Cœmeterio Via Appia, ut supra diximus, recondita sunt, ex quo eadem Nomentana Via Dianæ Templum extitisse satis aperte convincitur. Ad quod Anolinus Commentariensis perductus, qui ab eodem S. Urbano ad Christi fidem traductus fuerat, cum ibi immolare constanter recusaret, gloriosam martyrii palmam adeptus est. Eadem quoque Via, secundo ab Urbe lapide, Beati Sisinnius & Saturninus sub Maximiano Imperatore martyrio coronati sunt, quorum corpora in quodam proximo Viæ Salariæ loco, ut infra dicturi sumus, perhonorifice tumulata fuere. Et hæc de martyribus, quorum memoria Nomentanam juxta Viam recurrit, hic exposuimus.

S. Urbanus Papa.

SS. Joannes, Cromatius, Dionysius, Martialis, Eunuchius & Lucianus.

Translatio corporum SS. Urbani & sociorum.

Templum Dianæ Via Nomentana. S. Anolinus Commentariensis.

SS. Sisinnius, & Saturninus.

CAP. XXVII.

De Cœmeteriis à Bosio Via Nomentana inventis, ac perlustratis.

1 HAud unquam ab incepto explorandi studio Bosius antiquarum rerum, sacrorumque locorum

corum investigator animum despondit. Nam ut nil intentatum relinqueret, omnimodamque latentium Cœmeteriorum lucem assequeretur, Nomentanam Viam aggressus est, quam cum frequenti pede tereret, anno sexcentesimo primo supra millesimum, haud longe à Porta, quæ *Pia* nuncupatur, in vinea, cui Pompilii Desiderii nomen inscriptum est, voti tandem compos effectus, Cœmeterium quoddam offendit; ad quod cum nulla interposita mora per lateritios aliquot gradus descendisset, consueta ibidem monumenta in topho excisa, reserata tamen, & nullo inscriptionum titulo prænotata contemplatus est: in plerisque tamen expressa Christianæ religionis signa, & consueta Christianorum indicia neutiquam desiderari contigit. Ejuscemodi autem sunt, quæ ibi adnotare licuit.




2 Et quidem, ut de Cœmeterio loquamur, hoc satis breve atque angustum est: nam tres, aut quatuor in eo viarum semitæ, totidemque Cubicula extant. In hujus autem Cœmeterii descensu satis quidem magna palmarum arbor exsculpta cernitur. Porro Bosius ex loci adspectu Cœmeterium hoc ipsummet esse conjecit, quod S. Nicomedis dicitur, de quo supra egimus, cum Urbis ipsius mœniis valde proximum sit; & ut magis veritas, altius rem discutiendo, elucescat, probabilis assertionis hujus conjectura ex parietinis in eadem villa adhuc existentibus redditur, quæ fortasse Ecclesiæ in Sancti ejusdem honorem ibi olim erectæ vestigia sunt.

3 Haud hic tamen silentio obvolvendum ducimus, quod antequam Beatæ Agnetis Cœmeterii aditus, anno videlicet millesimo quingentesimo quarto detegerentur, ipsemet Bosius eandem peragrando viam, ac subterranea ipsius Cœmeterii ora diligenter inquirendo; præterita beatæ ejusdem Martyris Ecclesia, pontem versus progrediens, in ipsamet publica via, sinistrum ad latus, arenariam quandam cryptam advertit; quam ingressus, & ad lævam pariter diu per loca ab arenæ fossoribus diruta oberrans, demum ad semitam sepulchris refertam Cœmeterialibus devenit, eandemque paululum festino pede terens, scalam in eodem topho excisam conspexit, quæ hinc inde ejuscemodi pariter sepulchra præferebat. Præmemoratos igitur gradus quantocyus descendens, viam satis amplam offendit, in qua plures ad alias ejusdem Cœmeterii partes, ruderibus tamen obserati, aditus suppetebant. Monumenta ibi aliquot, marmoreis nonnulla tabulis, quædam verò lateritiis obsignata tegulis, extabant, at in eorundem quampluribus consueta religionis Christianæ signa impressa conspiciebantur, videlicet.





Vitreæ item ampullæ, vasa ibi fictilia, fictiles pariter lucernæ, eburnei in quibusdam annuli, & conchylia forinsecus calce obfirmata perscrutantibus ibidem patuere. Permulta item inscriptionum fragmenta, penitus confracta, intueri quis poterat.

4 Alios quoque, qui ad idem Cœmeterium deducebant, aditus in regionis illius vineis existentes cum semel atque iterum ingressus fuisset, ejusdem partes satis amplas, ac longo circuitu protensas deprehendit; at eam præcipue partem, quæ sinistrorsum sita est, dum iter quis à D. Agnetis Ecclesia eundo declinat innumeris viarum semitis, ac longo spatio productis constantem vidit, quamvis omni quidem ex parte crebris locus ille ruinis scateat. Verum cum anno Christi millesimo sexcentesimo tertio humus, quæ eidem cohæret Ecclesiæ, ut suprà diximus, loco amoveretur; & obvii quamplures ad idem Cœmeterium aditus patuissent, alterum ex his ingressus, eum nimirum, qui à majori Ecclesiæ porta Viam Salariam respicit, & sub ipsius monasterii Viridario ad lævam sese offert, magnam ejusdem Cœmeterii partem, quamvis enormiter dirutam, perlustravit. Extabant ibi monumenta quidem haud pauca numero reserata, & vitreæ aliquot in eisdem imagines, sphæricam formam præ se ferentes & calcis glutino obfirmatæ: vitrea item vasa, nec non lateritia: plurimæ insuper lucernæ, conchylia, numismata, lapilli vitrei opere musivo intexti, & consueta Christianorum signa non deerant; palmarum nempe, & venerandi Christi nominis Græcis characteribus exarati notæ, id est.

Vitreæ in sepulchris imagines.




Sed horum alterum præcipue palmis affabre circumdatum ejuscemodi formæ cernere licuit.



Porro nullum in hac Cœmeterii parte Cubiculum reperitur, complures tamen ex ipso inscriptiones erutæ sunt, quarum sex & viginti numero Bosius in unum collegit, eæque in opere, quod Italico hactenus idiomate editum est, impressæ recensentur: nos interim illas præcipue, quæ Consulum nomina designant, hic referre haud abs re duximus. Sunt autem, quæ modo subtexuntur.

Sepulchra cum inscriptionibus in Cœmeterio.



RUFILLO NEOFITO DU
VIXIT AN. II D XL.
QUINTILIANUS PATER FILIO
DULCISSIMO IN PACE XPI

In quodam monumento calci hujusmodi titulus inscriptus.



In quodam monumento arcuato literis rubro tinctis exaratus.



TITIÆ PUBLIOSÆ
MATRI

8 APTOYPIÆ IN ΠAKE IDUS
JUNIAS

VAL. ROMANE. MATRI FILII BENE
MERENTI FECERUNT IN PACE

AMATIO BENEMERENTI
IN PACE

HILARA DULCISSIMA
AN. PLM XXXV DEP IN PA
OPILIONE VC.

Interim verò lector noverit, quod Opilionis Consulatus cum Vincomalo sub Marciano, & Valentiniano Imperatoribus contigit anno Christi quadringentesimo quinquagesimo tertio, Leonis primo, ex Cassiodoro & Baronio Annal. Tom. 6. anno eodem. *Cassiod. in Chron. Bar. an. to. 6. an. 453*

DULCISSIME COJUGI BEN
ERE QUIXIT IN COJUGIO ANN. XV.
ET MORITUR ANN. XXVII
MARTUS ET MATER
B. M. IN P. FERUNT.

IN MIRE EXEMPLI INNOCENTIÆ
AC NEFITO AMBIO SATRIO
REFRIGERIO QUI VIXIT
ANNIS X. DIES XLVI.
PUBLIUS. CORNELIUS. ZETUS.
ET SATRIA DIGNITAS
PARENTES IN PACE B. M.
FECERUNT.

FILIUS FECIT PATRI LUCIO
BENEMERENTI QUI BIXIT
ANN. LXXq

MAIO FOSSORI NEPOTES
ET BONO NUTRITOR......
PROCLUS QUI VIXIT ANNIS
XCqII ET DORMI.....
VI. IDUS MAIAS IN PACE
ET FOSSOR......
CALLIGONUS. FOSSOR
PATRI .....

MALE PEREAT INSEPULTUS
JACEAT NON RESURGAT
CUM JUDA PARTEM HABEAT
SI QUIS SEPULCHRUM HUNC
VIOLAVERIT

DOMINO PATRI JUBILATORI
CELERINUS FILIUS FECIT
IN PACE

MERENTI PARENTES FECERUNT
LEOPARDETI PUELLE VIRGINI
QUE VIXIT ANIS XVII
ET DIES II. IN PACE

VIII IDUS AUG
DEFUNCT US
EST ANTIOCHIAUS
IN PACE QUI VIXIT
ANN. PIUS MINUS C



AYPHΛIA ΘPEΠTH
AYPHΛIΩ HΛIOΔΩPΩ
CY BIΩ ΓΛYKYTATΩ

PER OMNIA LAUTUS INTER
AMICOS AURELIUS TEODOLUS
QUI VIXIT ANNIS XXX
DIEDUS XX. HORA VII.
DEFUNCTUS IIII NONAS AUG
QUINT. FRAT. ET CELSILLA
COJUX

PRIMUS QUI BIXIT ANNOS
DUODECI ET DIES MINUS XXX
REQUIESCIT IN PACE

DIONYSI MEMORIA



PLUSIANIJ CONPARI
BENEMERENTI IN PACE
QUI VIXIT ANN. PLUS MINUS
XXVII. DE. XIII. KAL MART

QUINTILIANUS FÆSTE COJUGI
BENEMERENTI IN PACE
D IN P. VIIII KAL MAJAS
QUINTIANO BENEMERENTI
IN P D KAL IULIAS
SE BIVO FECIT
IUSTINIANUS SE VIVU FECIT
SUPRA PARENTES SUOS

SEBT. JULIÆ CONJUGI BEN
MER. VIX. ANN XX



FORTUNIONI BENEMERENTI
QUI VIXIT ANNIS XVI.
M. V. D. XV FECERUN.
DOMINI SUI IN PACE

VALERIUS ALIPIE
SOCERE BENEMERENTI. FECI
IN PACE D XIIII K. OCT.

Sed alter hic subinde sepulchralis titulus legentibus proponitur.

EPITAFIUM REMO ET ARCONTIÆ QUI NATIONE GALLA GERMANI FRATRES ADALTI UNA DIE MORTUI ET PARITER TUMULATI SUNT.

Hæc tenet urna duos sexu sed dispare fratres,
Quos uno Lachesis mersit acerba die.
Ora puer dubie signans lanugine vestis,
Vix biemes licuit cui geminare novem.
Nec Thalamis longinqua soror trieteride quinta
Tænareas crudo funere vidit aquas.
Ille Remi Latio fictum de sanguine nomen,
Sed Gallos claro germine traxit avos.
Ast hæc Grajugenam resonans Arcontia linguam,
Nomina virgineo non tulit apta choro.
Depositi Nonis Novemb. Cons. Diosc. V. C.

Porro Dioscorus, cujus hic nomen inscribitur, sub Theodosio Jun & Valentiniano Imperatoribus consulatum gessit, anno Christi 442. *Cassiod. Chron. B in annal. to. 6. an. 4*


5 Omnes quidem hujus Cœmeterii partes consuetis imaginibus omnino destitutæ sunt. Sed Bosius haud animum ab ulterius inquirendo despondens, rursus, annis aliquot interlapsis, villam quandam ingressus, quæ ad lævam viæ sita est, cum quis ab eadem S. Agnetis Ecclesia pedem retrahit, ac pontem ipsum è conspectu respicit. Per quoddam igitur foramen quadratæ formæ ibi repertum, scalis ligneis, ac funibus in inferiora descendens, prostratoque corpore humi repens, per aliud angustum quidem ac breve foramen ingrediens, Cœmeteriales semitas introspexit, in quibus sepulchra in topho de more excisa continebantur. Has cum sæpius deinde perlustrasset, oculatissimus tandem explorator, hanc proculdubio nobiliorem ejusdem Cœmeterii partem, ac cæteris magis conspicuam deprehendit. In ea quippe tum longiores, tum subli- *Foramen seu spiraculum Cœmeterii terram currens.*

ſublimiores viarum ſemitæ perſcrutanti ſe offerunt, variique cryptarum ordines, ſuperiores videlicet, atque inferiores, patent. In pleriſque item fornicibus foramina, quadratæ pariter formæ, puteorum inſtar ad lumen deſuper excipiendum aptata ibidem videre eſt: quorum bina dumtaxat ad hanc uſque diem aperta exiſtunt, reliqua ſuperiori è parte obſerata ſunt. Juxta horum alterum apſis quædam ſatis ampla, gypſoque exornata conſpicitur, ſub qua ſacrum olim altare extitiſſe conjicitur.

...ramina Cœmeteriorum ...nicibus, ...a lumen ...mittitur.

6 Monumenta quoque in hoc Cœmeterii ambitu ut plurimum reſerata, inſcriptionibus ac titulis, omnique prorſus ornamentorum genere deſtituta ſubſiſtunt: marmorea tamen nonnulla adhuc fragmenta, inſcriptionum titulis Græco ac Latino idiomate inſculpta ſuperſunt; quorum unum ex induſtria fragmentis ſimul compactis, eum in modum priſtinæ formæ Boſius reddidit, ut ex characteribus pariter junctis hujuſcemodi ſenſus proveniret.

...tuli, ac ...ſcriptiones in Cœmeteriis.




In præmemorato autem lapide ex una quidem parte pinus, ex altera autem columba olivæ ramum roſtro, ac pedibus tenens exſculpta conſpicitur. Sex item numero inſcriptiones ibidem præ cæteris ſtudioſus vir adnotavit; in quarum ultima Valentiniani & Valentis Conſulatus tertio legitur, qui anno Chriſti Domini 370. Pontificatus Damaſi 4. contigit.

...ſſiod. in ...ron. ...ar. in an... l. to. 4. ...370.

AUR. ALEXANDRIA

At in arcuato quodam monumento ex gypſo affabre elaborato, quod è proſpectu ſub ipſomet arcu ſitum eſt, ſepulchralis iſte marmori titulus inſculptus eſt; verum cum foſſorum manu lapidem conteri, ac plures in partes dividi contigerit, è fragmentis ſimul junctis ſenſus iſte elici commode valuit, videlicet:



DONATIANVS

CALINICE

CYNTILLIA

FORTVNE

DEPOSITA PRI. KALENDAS DEC
COSS · VALENT · VALEN · III

Monumentum hoc, quod in Cœmeterio inferiori ſitum eſt, etſi mulieris, cui titulus inſcriptus fuit, nomen haud præferat, expreſſa tamen adhuc ibi Conſulum, Valentiniani ſcilicet & Valentis, nomina ſuperſunt, quorum Caſſiodorus meminit, & ex Baronii ſententia in Chriſti annum trecenteſimum ſeptuageſimum ſub ipſo S. Damaſi Pontificatu, conſulatus incidit.

Caſſiod. in Chron. Baron. ann. Chriſt. 370.


7 Complura autem præmemoratis in monumentis Chriſtiani nominis ſigna, videlicet.

Signa Chriſtianorum in ſepulchris.



Et in quibuſdam numeri quoque ſignatim exſculpti conſpiciuntur, ut I. II. III. &c. eum ſcilicet in modum apte diſpoſiti, ut ſuum ſingula numerum præ ſe ferant. In aliis vero tumulis impreſſa ſignatorii annuli in calce veſtigia, conchylia item, vaſa vitrea, & lateritia, lucernas innumeras, lapillos vitreos, atque imagines ex illis diverſimode elaboratas contemplari licuit. In altero præſertim ex monumentis corona rotundis lapillis verſicoloribus compacta inerat, quæ calcis glutino obfirmata, venerandum Chriſti nomen præferebat, & hujuſmodi præterea hic ſubjectum ſignum opere muſivo expreſſum intuentibus contemplandum exhibebatur.

Numeri in ſepulchris Cœmeteriorum.



In quolibet Cœmeterii ordine, ſuperiori videlicet, ac inferiori monumenta arcuata fere innumera, ac multiplicia Cubicula videre eſt, quorum unum ſatis quidem amplum inter cætera, altitudinis & latitudinis palm. 12. longitudinis pal. 11. conſpicitur, quod calce olim, ac gypſo ſtudioſa artificum manu oblitum erat. In cujus ambitu ſedilia aliquot, ac binæ hinc inde ex utroque oſtii latere Pontificiæ, ut ajunt, ſedes miro artificio in topho inciſæ extant: ex quo idem Cubiculum, quod viginti quinque circiter viros capit, ſacro Chriſtianorum cœtui, ac ſynaxibus, quas frequenter in Martyrum ſolemniis de more obibant, uſui fuiſſe conjicitur. Ejus autem forma typis impreſſa in edito jam opere circumfertur; & rurſus hic lectori exhibetur. A Cu-

A Cubiculi fornix.
B Monumenta in topho excisa.
C Ostium Cubiculi.
D Sedilia per ambitum Cubiculi.
E Binæ sedes Pontificiæ anaglyphi operis in topho incisæ.

Porro ex compluribus aliis Cubiculis, quæ in hoc Cœmeterio adnumerantur, hic quinque à nobis dumtaxat, atque arcuata duo pariter monumenta, quæ pictas imagines exhibent, reliquis interim prætermissis, describentur; in quibus picturæ ipsæ temporum injuria omnino deletæ conspiciuntur. Sunt autem hæc, quæ tibi, ò lector, ob oculos ponimus.

Cubiculum primum Cœmeterii S. Agnetis Via Nomentana describitur.

CUbiculum hoc haud longe à Cœmeterii aditu situm est, quod ipsamet Via primo ad lævam perscrutantibus occurrit. Ejus forma quadrata est; longitudine autem palm. 9. altitud. totidem; latitudine 3. profunditate 3. cum dimidio constat. Ferro quidem in topho excisum, gypso vero studiose oblitum, picturisque multipliciter excultum suspicitur. Oblonga quidem monumenta tria, arcuata vero quatuor continet, quorum tria in apsidis formam constructa, pictis itidem imaginibus cumulata unà cum ipso Cubiculi tholo ultro se contemplantibus offerunt. In parietis angulo, ipsius è prospectu ostii, qua ad dexteram ingressus patet, basis quædam quadratæ formæ, eodem in topho aptata, ad sustinenda candelabra, vel certe hujuscemodi, ubi opus foret, usui destinata conspicitur. Hujus autem Cubiculi ichnographia jam typis impressa in lucem prodiit, ac imagines itidem, quas ibidem adnotare licuit, quatuor infra exponendis tabulis demonstrantur.

A Cubiculi fornix picturis undique exornatus, ut in proxima sequenti Tabula videre est.
B Primum Monumentum arcuatum depictis imaginibus conspicuum, ut in altera Tabula exhibetur.
C Secundum Monumentum arcuatum picturis etiam adornatum, ut Tabula tertia repræsentat.
D Tertium Monumentum arcuatum æque ac duo priora picturis excultum.
E Quartum Monumentum arcuatum picturis destitutum, & absque tectorio.
F Tria Monumenta oblonga, bina quidem in pavimenti area, incisa tamen in Cubiculi parietibus; tertium autem in Monumento arcuato, quod litera C. indicat, fabrefactum est, exhibeturque in quarta Tabula.
G Basis quædam candelabris, vel id genus instrumentis sustinendis idonea in topho aptata.
H Figuræ, quæ supra Cubiculi ostium conspiciuntur.
I Ostium, Per quod aditus in Cubiculum patet.

Prima Cubiculi primi Tabula.

In hac potissimum Tabula imagines exprimuntur, quæ ipsius ornamento fornicis inserviunt.

I. In media nimirum parte sacra Christi Servatoris inter duas hinc inde voluminum cistas considentis imago contemplanda occurrit.

II. In ejusdem vero fornicis ambitu Moysis calceamenta solventis effigies exhibetur.

III. Ejusdem Moysis è petra aquarum rivulos excutientis.

IV. Paralytici insuper, qui sanitate Christi jussu obtenta grabatum humeris strenue defert.

V. Quatriduani itidem Lazari ejusdem Christi imperio à mortuis excitati.

VI. VII. VIII. IX. In angulis duo viri ac binæ pariter mulieres, extensis, elevatisque de more brachiis orantes, ac binæ hinc inde oviculæ adstantes suspiciuntur.

CVBICVLVM IN ADITV COEMETERII S.TA AGNETIS VIA NOMENTANA



CVBICVLVM PRIMVM COEMETERII SANCTAE AGNETIS VIRGINIS ET MARTYRIS VIA NOMENTANA



TABVLA PRIMA CVBICVLI PRIMI COEMETERII SANCTAE AGNETIS VIRGINIS ET MARTYRIS VIA NOMENTANA



Tabula Secunda.

Hac utique Tabula imagines repræſentantur, quæ in arcuato primo Monumento ipſius è regione portæ exiſtunt, nempe:

I. Funeralis Agape, ſeu natalitia, vel nuptiale convivium, ſi quis rem pie interpretari velit, quod in Cana Galilææ Chriſto diſcumbente peractum eſt.

II. Lunare item triclinium illic contemplari fas eſt.

III. IV. Et ſeptem numero ſportas, vel cophinos, ac binas hydrias convivarum uſui reſpondentes.

Tertia Cubiculi primi Tabula.

I. Arcuati Monumenti imagines, quod ad lævam patet, intuentium oculis ſubjiciuntur, Noëmus videlicet, vir antiquiſſimus, qui columbam cum olivæ ramo redeuntem intra arcam recipit.

II. Jonas è profundo maris ſinu, quo Deo urgente projectus fuerat, demum incolumis ad littus proſiliens.

III. IV. Idem ſub amœno cucurbitæ umbraculo, dulci ſopore correptus.

V. Ipſemet ſub ejuſdem foliis, præ ſolis æſtu arefactis, facie ſatis triſti in dolentis animi teſtimonium recubans.

Quarta & ultima Cubiculi primi Tabula.

Hac, quippe alterius Monumenti ad dexteram exiſtentis Tabula, quæ noviſſima eſt, iſtæ, ut vides amice lector, imagines cernuntur.

I. Optimus videlicet Paſtor ille Euangelicus, quem arbores ſatis concinne ambiunt, ovem humeris ac fiſtulam manu tenens, ad cujus pedes oves binæ ſubſiſtunt.

II. Daniel item, qui in leonum fovea, etſi nudus, impavidus tamen, atque orantis in morem exhibetur.

III. Tres item pueri in Babylonica olim fornace laudes Deo unanimi voce perſolventes adumbrantur.

IV. In externa autem ejuſdem Monumenti parte puellæ cujuſdam tumulum hac inſcriptione prænotatum videre eſt.


ABENTIUS ET MARCIA ABENTIÆ FILIÆ CARISS.
IN PACE, QUÆ VIXIT AN. V. M. VII. D. XVIII.

Cubi-

TABVLA SECVNDA CVBICVLI PRIMI COEMETERII SANCTAE AGNETIS VIRGINIS ET MARTYRIS VIA NOMENTANA



TABVLA TERTIA CVBICVLI PRIMI COEMETERII SANCTAE AGNETIS VIRGINIS ET MARTYRIS VIA NOMENTANA



TABVLA QVARTA ET VLTIMA CVBICVLI PRIMI COEMETERII SANCTAE AGNETIS VIRGINIS ET MARTYRIS VIA NOMENTANA



Cubiculum Secundum describitur.

CUbiculum iſtud haud longe à ſuperiori ad ſiniſtram progredientibus occurrit. Formæ pariter quadrangularis eſt. Altitud. palm. 10. longitud. totidem, latitud. 10. & ſemis. Porta interim, quæ figuram ſphæricam præ ſe fert, alta eſt palm. 8. lata 5. profunda 3. cum dimidio. In ipſomet portæ ingreſſu, ad dexteram partem, in parietis angulo, baſis in topho, prout in ſuperiori Cubiculo, erecta cernitur. Porro picturæ, quæ in eodem Cubiculo extant, adeo venuſtæ ſunt, ut eaſdem quis aſpiciens, non ſecus ac recens elaboratas computare queat. Oblonga quinque Monumenta continet; duo autem ex his arcuata, quorum alterum in pariete, ipſius è proſpectu oſtii, adinſtar apſidis conſtructum picturis, cumulatur: alterum verò ad dexteram patet, pictiſque imaginibus omnino deſtitutum eſt.

Cubiculum autem hoc haud omnibus abſolutum numeris dijudicari poteſt. In ſiniſtro enim pariete arcuatum alterum Monumentum, quod ibidem artificum manu delineatum eſt, in topho quidem excavari cœpit, haud tamen ſuprema operi manus contigit; nam & ligonum adhuc ictus in topho, ac ferri percuſſiones oculis deprehenduntur. Exiſtentes autem in eodem imagines duabus infra Tabulis explanabuntur.

A Cubiculi fornix depictis variis figuris, ac hiſtoriis, ut in proxima Tabula videre eſt, eleganter elaboratus.

B Primum Monumentum arcuatum picturis inſignitum, quod Tabula ſecunda contemplandum offert.

C Secundum Monumentum arcuatum albario quidem, tectoriove opere expolitum, ſed picturis deſtitutum.

D Locus ab artifice Monumento arcuato extruendo delineatus, & non perfectus.

E Quatuor Monumenta oblonga vulgaria.

F Baſis quædam lucernis, ac candelabris tenendis in topho adaptata.

G Cubiculi oſtium plurifariam depictum.

Prima Cubiculi Secundi Tabula.

I. In ipſius fornicis umbilico Paſtor Euangelicus ovem humeris, ac fiſtulam è brachio pendentem præ ſe fert. Duo item hinc inde vaſa, in quorum altero, quod ad dexteram vergit, paſtoralis baculus haud ſine peculiari myſterio intextus viſitur.

II. In ejuſdem item fornicis ambitu primævi humanæ proſapiæ parentes Adam & Eva ad vetitam arborem conſiſtentes effinguntur, cujus noxio pomo Eva ſubinde manum temere admovet, ſtygio interim angue lethiferum ſub eſca ſibi ac poſteris venenum propinante.

III. Moyſes è ſilice aquarum fluenta educens.

IV. Jonas ſub umbraculo quieti ac ſomno operam dans.

V. Mulier item conſuetum orantis ſymbolum præ ſe ferens. In fornicis vero ipſius angulis columbæ olivarum ramis inſidentes pennicillo adumbrantur.

Tabula Secunda.

Imagines hic exhibentur, quæ in arcuato Monumento, ipſius è regione aditus expreſſæ cernuntur, nempe:

I. Chriſtus Dominus duodennis in Templo, inter doctores reſidens.

II. Mulier elevatis de more manibus precationi inſiſtens, & columbæ olivarum hinc inde ramos roſtro præ ſe ferentes.

Cubi-



TABVLA I CVBICVLI SECVNDI COEMETERII SANCTAE AGNETIS VIA NOMENTĀ



TABVLA II ET VLTIMA CVBICVLI SECVNDI COEMETERII SANCTAE AGNETIS VIA NOMEN



Cubiculum Tertium describitur.

HOc item Cubiculum eadem via, haud procul à superiori, quod nuper memoravimus, existit. Quadratæ pariter formæ in topho excavatum est, satis quidem rude, atque incultum, ornamentis quibusque ac picturis caret: altitud. latitud. & longitud. palm. 11. constat. Basis item in quodam parietis angulo ex ipso topho ibidem prominet, quæ arcuatum ad dexteram partem Monumentum picturis eleganter instructum continet. Aliud quoque illi simillimum primario in pariete visitur, quod & ipsum ostium respicit, & decem & quatuor oblonga per circuitum Monumenta Cubiculum ambiunt. In ipsius autem pavimento sepulchra tria excisa sunt. In Cubiculi item angulo, ubi Monumentum primum situm est, bina cernuntur foramina, rotundæ alterum figuræ, alterum vero oblongæ, quæ rerum fortasse ibi quondam existentium vestigia quis merito existimare nunc potest. Cubiculi autem ejusdem porta sphæricam præ se ferens formam altitudinis est palm. 8. & semis, latitudinis 4. profunditatis 3. Figuræ verò, quæ arcuatum Monumentum decorant, duabus infra Tabulis exponuntur.

A Monumentum arcuatum pictis imaginibus instructum, quod proxima inferiori Tabula spectandum exhibetur.

B Imagines, quæ in ora exteriori Arcus ejusdem Monumenti conspiciuntur, eæque secunda Tabula oculis subjiciuntur.

C Monumentum secundum arcuatum omni prorsus picturarum ornamento destitutum.

D Monumenta quatuordecim oblonga inæqualia, seu diversæ magnitudinis, quæ Cubiculum ambiunt.

E Tres foveæ in Cubiculi pavimento effossæ.

F Foramen in fundo unius ex istis fossis, quas in area pavimenti existere jam diximus, recens perfossum, quod aliam inferiorem Cœmeterii hujus partem respicit.

G Bina foramina in topho excisa, quæ aliquid inibi locatum olim fuisse innuunt.

H Cubiculi fornix picturis carens.

I Basis quæpiam ex ipso topho aliquantulum prominens, lucernis, ac lampadibus sustinendis adaptata.

K Ostium Cubiculi.

Prima Cubiculi tertii Tabula.

I. Tabula hæc consuetam Euangelici Pastoris figuram coloribus exprimit, qui ovem utraque manu humeris defert, ad cujus pedes binos itidem hircos jacentes videre est.

II. Adam insuper & Evam ad vetitam arborem post perpetratam culpam tristes ac mœrentes exhibet.

III Danielem rabida leonum ora precibus demulcentem.

IV. Agapem insuper, ut supra, una cum semicirculari triclinio dispositam.

V. Prudentes quinque virgines olei vasa cum lampadibus deferentes, & ut in sponsi thalamum admittantur, manu ostium pulsantes.

VI. Stolatam item mulierem extensis brachiis orantem, cujus pedes columba ambit.


Secunda Cubiculi Tertii Tabula.

I. Hic trium puerorum in fornace orantium imagines exhibentur.

II. Stolatæ insuper mulieris protensis Deum manibus exorantis.

III. Jonæ in mare primum projecti, deinde ad litus ejecti, & sub umbraculo tandem dulces somnos carpentis.

CVBICVLVM TERTIVM
COEMETERII SANCTAE AGNETIS
VIA NOMENTANA



TABVLA PRIMA CVBICVLI TERTII COEMETERII SANCTAE AGNETIS VIA NOMENTANA




TABVLA SECVNDA ET VLTIMA CVBICVLI TERTII COEMETERII SANCTAE AGNETIS VIA NOMENTANA



Cubiculum quartum deſcribitur.

CUbiculum iſtud eadem Via ſitum eſt, magna tamen ex parte dirutum, & cum quadratæ item formæ ſit, altitud. latitud. & longitud. palm. 12. conſtat. Arcuata quidem quamvis in hoc Monumenta deſiderentur, decem tamen ſepulchra, formæ ſatis oblongæ, in ejuſdem ambitu artificum manu exciſa, quatuor inſuper columnæ in quolibet Cubiculi angulo, eodem ex topho elaboratæ conſpiciuntur, quæ ſuperiorem fornicem picturis diſtinctum, etſi ruinis labefactatum, ſuffulciunt. Cubiculi ejuſdem porta quadratæ formæ eſt, altitud. palm. 7. lat. 3. profund. 1. & ſemis. In alio autem pariete porta altera muris obſtructa cernitur. Imagines, quæ ibi pennicillo expreſſæ ſunt, unica lectori Tabula demonſtrabit.

A Cubiculi fornix depictis undique imaginibus diſtinctus, quas proxima inferiori Tabula oculis ſubjicimus.
B Columnæ quatuor per ſingulos Cubiculi hujus angulos ex ipſomet topho elaboratæ.
C Monumenta decem formæ oblongæ in topho exciſa.
D Oſtium muro obſtructum. E Oſtium, per quod aditus in Cubiculum patet.



TABVLA VNICA CVBICVLI QVARTI COEMETERII SANCTAE AGNETIS VIA NOMENTANA



Unica Cubiculi quarti Tabula.

I. Hic Paſtoris, ut ſacræ paſſim Paginæ deſcribunt, dilectam ovem deferentis effigies delineatur, ad cujus pedes binæ oves conſiſtunt.

II. Moyſis item imago aquam è petra educentis.

III. Effigies item Servatoris noſtri à mortuis Lazarum excitantis.

IV. Hiſtoriam, quæ illic repræſentabatur, tectorio fornicis collapſo, haud aſſequi potuimus: ex illa tamen media nudi hominis effigie ibi ſuperſtite aliquod Jonæ myſterium extitiſſe conjicias licebit.


V. Et demum mulieris habitu ſupplici preces effundentis ſymbolum proponitur.

Cubi-

Cubiculum quintum describitur.

CUbiculum hoc in quadam ejusdem Cœmeterii parte situm est, quæ aliquanto à cæteris intervallo sejungitur. Quadratæ ipsum itidem formæ latitud. palm. XI. longit. totidem, altitud. XX. calce oblitum ac colore pariter albo superfusum est. Arcuata quidem monumenta tria numero in tribus Cubiculi parietibus continet. In pariete vero, qui portam respicit, his quoddam aliud haud absimile, picturisque exornatum monumentum subest. Duodecim insuper oblonga ibidem monumenta circumspiciuntur. Portà ejus sphæricæ formæ ad fornicem usque pertingens, altitud. pal. XX. prof. pal. IV. & semis constat. In via, quæ pal. XVIII. circumscribitur, & ad Cubiculum ducit, atque in ipsummet desinit, sepulchra duplici excisa ordine hinc inde subsistunt; majora quidem in superiori parte cadaveribus statura grandioribus inferendis aptata, minora autem in inferiori, brevi puerorum ac puellarum staturæ respondentia. Imagines autem, quæ ibidem existunt, sequens lectori Tabula indicabit.

A Monumentum fornicatum picturis exculptum, quod proxima inferiori Tabula spectandum subjicitur.
B C D Tria alia Monumenta arcuata, quæ in sublimi ad ipsummet fornicem in tribus hujus Cubiculi parietibus extructa conspiciuntur.
E Duodecim Monumenta oblonga vulgaria, quæ Cubiculi parietes ambiunt. F Cubiculi fornix.
G Semita, quæ ad Cubiculum ducit, sepulchris frequens, cujus fornix albario, tectorioque ad decorem expolitus est.
H Ostium à parte exteriori designatum.





Unica Cubiculi quinti Tabula.

I. Hic Virgo Deipara elevatis (uti mos est) brachiis orans, ac Deum infantem sinu purissimo gestans contemplanda proponitur; sacrum Christi nomen Græcis characteribus utrinque hoc modo exaratum legitur: ☧ ☧
II. III. IV. Tres aliæ eodem pariter orantium habitu imagines oculis subjiciuntur.

Monumentum Primum arcuatum Cœmeterii S. Agnetis Via Nomentana deſcribitur.

Quædam alia in Cœmeterii ejuſdem viis Monumenta arcuata viſuntur; quorum primum in via quadam, quæ exitu caret, & ad quod, ſi quis dexteram teneat, è ſuperiori hactenus deſcripto aditu devenitur. Hoc autem calce dealbatum eſt, altitudinis palm. 4. cum dimidio, longitud. 7. cum dimidio pariter: in quo inſerendæ infra imagines intuentibus ſe offerunt.

I. Monumenti totius orthographia.

II. III. IV. Cujuſdam item pueri imago, cujus ibi forte cadaver tumulatum jacet, ad cujus hinc inde latus duæ mulieres orantium ſpeciem exhibent.

V. Paſtoris Euangelici, ut ſupra, effigies expreſſa eſt.

VI. Jonæ quoque in mare primum projecti, ad littus deinde vegeti emergentis: ejuſdem iterum amœno ſub umbraculo recubantis.

VII. Quidam itidem vir quorundam manu interceptus, ac vi detentus coloribus adumbratur.

Monumentum arcuatum Secundum Cœmeterii S. Agnetis Via Nomentana deſcribitur.

Monumentum iſtud in inferiori utique Cœmeterio ſitum eſt; ubi foramen quoddam quadratæ formæ ineſſe diximus, per quod ſuperiori è loco intus lumen admittitur: inde enim ſi quis paululum ad ſiniſtram progrediatur, illud ſtatim offendit. Eſt autem altitud. palm. 4. cum dimidio, longitud. 8. profund. 4. Imaginibus verò infra exhibendis apprime nobilitatur.

I. Totius in primis Monumenti orthographia hic oculis ſubjicitur.

II. Chriſtus Dominus inter duos Apoſtolos in campeſtri loco ſedens, apud quem binæ extant voluminum ciſtæ: ſingulæ autem imagines ſphæricis diadematibus capiti concinne aptatis decorantur, quæ tamen aut nunquam, vel certe ſatis raro in Cœmeterialibus figuris videre eſt.

III. Celebre item ac conſuetum recolendi Paſtoris birro induti ſymbolum exprimitur, altera manu fiſtulam, baculum altera præferentis; cujus tutelæ binæ hinc inde oves ſubſtant.

IV. Mulieris item cujuſdam imago conſueta orantis ſpecie brachiis, ut jam diximus, extenſis exhibetur.

V. Currus itidem ſeu biroti forma dolio onuſti, quod jugo boum pertrahitur. Et hæc interim de Nomentanæ Viæ Cœmeteriis ſtudioſo lectori hic prælibaſſe ſatis ſit.


MONVMENTVM ARCVATVM PRIMVM
COEMETERII S. AGNETIS
VIA
NOMENTANA.
I
II
III
IV
V
VI
VII


MONVMENTVM ARCVATVM SECVNDVM
ET VLTIMVM
COEMETERII S AGNETIS VIA NOMENTANA.
I
II
III
IV
V

CAP. XXVIII.

De Porta & Via Salaria, ac de profanis ejusdem monimentis.

Porta Salaria. PORta, ex qua Salaria Via initium, ac nomen desumit, Viminalem inter & Collinam sita, multiplicia quidem apud antiquos nomina sortita est. Sext. Pomp. Sext. enim Pompejus verb. *Agoniam*, eam à ludis *Agonalibus* extra eandem peragi consuetis, *Agonalem* appellat. Ludi Agonales. *Quirinalis* item ab eodem nuncupata legitur, à proximo videlicet *Quirinali colle*, vel certe à Quirini Templo, quod inde haud procul distat. Porta Quirinalis. Templum Quirini. *Collinam* item dici ipsammet contigit, vel à collibus, qui circumstant, vel certe à Tribu, quæ apud veteres *Collina* dicebatur. Porta Collina. *Salaria* demum ab ejusdem nominis Via, communi voce appellata est, illam potissimum ob causam, quod sal per eam ab Sabinis, Pompejo teste, deferebatur: Porta Salaria. Via Salaria unde sic appellata? *Salaria Via*, inquit ille, *Romæ est appellata, quia per eam Sabini sal à mari deferebant.* Plinius quoque lib. 31. cap. 7. Plin. l. 31. c. 7. *Sal magna apud antiquos auctoritate, sicut apparet ex nomine Salariæ Viæ; quoniam illa in Sabinos portari consueverat.* hæc Plinius.

2 Ab eadem igitur porta initium Via hæc sortitur, rectoque, ut ita dicam, tramite ad Sabinos deducit. Prope Eretum autem (vel ut vulgo putant *Monte Rotundo*) Nomentanæ pariter Viæ jungitur, Eretum. quod his plane verbis Strabo testatur lib. 5. Strabo lib. 5. *Rerum scriptor Fabius auctor est Romanos tunc primum divitiarum sensum accepisse, cum hujus potiti sunt gentis. Per ipsos Via Salaria non magnæ longitudinis strata est; in quam & Nomentana incidit apud Eretum Sabinorum, vicum supra Tyberim jacentem, ex eadem Collina Porta inchoans.* Hæc Strabo. Galli Senones. Eandem olim Viam Galli Senones tenentes, Urbemque ingressi, miserandum in modum depopulati sunt: ibidemque ipsimet Galli Romanos prælio devicere, quorum cum plurimi fugam arripuissent, in quandam silvam, quæ Viam eandem, ac Tyberim interjacet, se ad latitandum receperunt. Festa Lucalia. Ob cujus rei memoriam Lucalia festa, Sext. Pompejo teste, instituta fuere. Sext. Pomp. Ipsamet olim Via tertio ab Urbe lapide strenuissimus vir ille Hannibal castra posuit, qui item Romanæ genti bellum illaturus, ad usque Collinam portam unà cum copiis venit; Hannibal Via Salaria castra metatur. quod totum his verbis Livius enarrat decad. 3. lib. 6. Livius dec. 3. lib. 6. *Inter hæc Hannibal ad Anienem fluvium, tria millia passuum ab Urbe castra admovit; ibi stativis positis, ipse cum duobus millibus equitum ad portam Collinam, usque ad Herculis Templum est progressus.* isthæc Livius.

3 Ejusdem quoque Viæ Tacitus meminit lib. 3. Tac. l. 3. his verbis: *Ne Petilius quidem Cerealis*, inquit ille, *cum mille equitibus præmissis, ut transversis itineribus per agrum Sabinum Salaria Via Urbem introiret, satis maturaverat.* Et ipsemet paulo infra hæc subdit: *Tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquabat.* Procop. de bell. goth. lib. 1. Procopius item de Bello Goth. deplorandam Romanæ Urbis obsidionem describens, Belisarius. Obsidio Romana à Gothis. hæc refert: *Belisarius interim, quæ ad Urbis custodiam facerent, præparare, molirique omnia. Pincianam is ferme & proximam huic ad dexteram, Salariam portam tenebat, ut suspectiores & necessarias. Apud Salariam autem portam vir quidam & proceræ staturæ Gothus, belloque strenuus, thorace indutus, & capite cassidem gestans, nec inter cæteros Gothos obscurus, non aliorum in ordine manens, sed arbori propinquæ insidens, crebrius sagittando propugnacula infestabat.* hactenus ille.

4 Complura quondam Via eadem Romanorum sepulchra extitere: Sepulchra Romanorum Via Salaria. quamobrem jure merito Prudentius contra Symm. de victimis Ditis cecinit: Prud. lib. contr. Symm.

Ecce Deos Manes cur inficiaris haberi?
Ipsa patrum monumenta probant Dis Manibus illic
Marmora secta lego, quæcunque Latina vetustas.
Custodit cineres, densisque Salaria bustis.

Hac ipsa item Via Secundo ab Urbe lapide, tonsorem quendam Augusti ditissimum, Licinum nomine, splendidiori sepulchro conditum fuisse Varro Sepulchrum Licini barbi tonsoris Augusti. Varro. præ cæteris apud Phurnutum scribit his plane carminibus:

Marmoreo tumulo Licinus jacet, ac Cato parvo,
Pompejus nullo, credimus esse Deos?

Id ipsum Onuphrius in sua Roma de porta Collina, & Salaria refert. Onuph. P. in sua Ro. de Port. Coll. & S. Caji quoque Marii sept. Consulis, eodem Onuphrio teste, nobilissimum hac ipsa Via sepulchrum, Anienis juxta fluminis ripam, extructum fuit, Sepulchrum C. Marii. quod Viam hanc & Nomentanam pariter secundo circiter ab Urbe milliario labendo intersecat.

5 Anienem item supra fluvium pons quidam lapideus extat, qui Salarius item communi vocabulo Pons Salarius. dictus est, quem barbara Gothorum manu omnino dirutum Narses iterum exædificavit, ut ex inscriptis ibidem notis legenti patet. In altera enim Pontis ejusdem facie hæc lector habes:

Inscriptio Pontis Salarii.

IMPERANTE D. N. PIISIMO
AC TRIUMPHALI
JUSTINIANO P. P. AUG.
ANNO XXXVIII.
NARSES VIR GLORIOSISSIMUS EX
PRÆPOSITO SACRI PALATII ET CONS.
ATQUE PATRICIUS POST VICTORIAM
GOTHICAM, IPSIS ET EORUM REGIBUS
CELERITATE MIRABILI, CONFLICTU
PUBLICO, SUPERATIS ATQUE
PROSTRATIS,
LIBERTATE URBIS ROMÆ AC TOTIUS
ITALIÆ RESTITUTA, PONTEM VIÆ
SALARIÆ
USQUE AD AQUAM A NEFANDISSIMO
TOTILA TYRANNO DESTRUCTUM,
PURGATO FLUMINIS ALVEO
IN MELIOREM STATUM,
QUAM QUONDAM FUERAT
RENOVAVIT.

In altera vero Pontis ejusdem facie isthæc marmori insculpta lector accipe:

QUAM BENE CURBATI DIRECTA EST SEMITA PONTIS
ATQUE INTERRUPTUM CONTINUATUR ITER.
CALCAMUS RAPIDAS SUBJECTI GURGITIS UNDAS
ET LIBET IRATÆ CERNERE MURMUR AQUÆ.
ISTE IGITUR FACILES PER GAUDIA VESTRA QUIRITES.
ET NARSEN RSONANS PLAUSUS UBIQUE CANAT.
QUI POTUIT RIGIDAS GOTHORUM SUBDERE MENTES,
HIC DOCUIT DURUM FLUMINA FERRE JUGUM.

6 Quædam præterea eadem hac Via inanium Templum Herculis. Deorum Templa erecta olim fuere: celeberrimum illud videlicet Herculis Templum, ob Hannibalis potissimum memoriam, qui inde recesserat, consecratum. Ille enim cum haud semel è proximo obsidionem Urbi inteptans castra movisset, eidem Templo appropinquans, repentina labentium è cælo aquarum copia, ac ingenti grandinis impetu inter-

interceptus unà cum militaribus copiis retrogredi cogebatur: quapropter ejuſcemodi portento deterritus, ab Urbis obſidione animum omnino deſpondens, domum rediit, & Romæ ipſius mœnia, & cives pariter liberos, ubi fruſtra omnem moviſſet lapidem, Cælo ipſo pro Romanis dimicante, reliquit; quod totum Livius loco ſupra citato his verbis enarrat: *In religionem*, inquit, *ea res apud Pœnos verſa eſt, auditaque vox Hannibalis fertur potiundæ ſibi Urbis Romæ modo mentem non dari, modo fortunam &c.*

[Li]v. dec. 3. [l.] 6.

[T]emplum [V]eneris [E]rycinæ. [Li]v. dec. 4. [l]. 10.

7 Eadem quoque Via Veneris Erycinæ Templum ſuſpiciebatur, de quo idem Livius Decad. 4. lib. 10, *Ædes duæ eo anno dedicatæ ſunt, una Veneris Erycinæ ad portam Collinam dedicavit L. Portius L. F. Licinus Duumvir; vota erat ab Cos. L. Portio Liguſtino bello, &c.* Porro huic Templo porticum addit Strabo lib. 6. *Eſt & Romæ*, inquit, *ante portam Collinam Deæ hujus ædificium, quod Veneris Erycinæ Templum dictitant: cui cum æde ſacra inſignis adiacet porticus.* Appianus item Alex. de bello civil. lib. 1. de eodem mentionem faciens, Syllam juxta præmemoratum Templum caſtra locaſſe refert his plane verbis: *Ipſe numeroſis copiis ſubinde provectus ad Collinam portam circa meridiem caſtra locat, non longe à Veneris Templo.* Ejuſdem quoque cæteros inter ſcriptores Ovidius meminit Faſt. lib. 4. hiſce carminibus:

[P]orticus [T]empli Veneris Erycinæ. [St]rab. l. 6.

[Ca]ſtrame[ta]tio Syllæ.

[Ap]pian. A[lex]. de bel. [civ]il. l. 1. [Ov]id. Faſt. [l.] 4.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet, à Siculo nomina Colle tenet.
Utque Syracuſas Arethuſidas abſtulit armis
Claudius, & bello te quoque cepit Eryx.

[Lu]di Apollinares.

8 Juxta memoratum vero Fanum, ut idem ſcribit Livius Decad. 3. lib. 10. Apollinares à Romanis ludi exerceri conſueverant, tunc potiſſimum, cum exundante Tyberi, iidem in Circo Flaminio celebrari haud poterant; hæc autem ſunt ejus verba: *Nam ita abundavit Tyberis, ut ludi Apollinares, Circo jnundato, extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati ſunt. Cæterum ludorum ipſorum die ſerenitate ſubito orta, Pompa diu cœpta ad portam Collinam, revocata, deductaque in Circum eſt, cum deceſſiſſe inde aquam nunciatum eſt.* Hæc ille.

[Liv]ius dec. [3. li]b. 10.

[Simu]lachrum Veneris Verticordelæ.

9 Eodem pariter loco Veneris quoque Verticordelæ ſimulachrum extitit, quæ eam ob cauſam apud veteres ejuſcemodi ſibi nomen uſurpabat, quia nimirum corda ab æſtu libidinis revocaret, ut Marlianus Fulu. & Lucius Faun. teſtantur. De quo ſimulachro hæc Ovidius recitat:

[Marl]ian. [l].. cap. [Luc.] Fau. [l]. c. 9. [Ov]id. Faſt.

Roma pudicitia proavorum tempore lapſa eſt,
Cumæam veteres conſuluiſtis anum.
Templa jubet fieri Veneri, quibus ordine factis,
Inde Venus verſo numine corda tenet.

[Tem]plum [H]onoris. [Cic.] lib. 2.

10 Celeberrimum item Honoris Templum hac olim Via extitit, de quo Cicero de leg. *Noſtis*, inquit, *extra portam Collinam ædem Honoris & aram in eo loco fuiſſe memoriæ proditum eſt. Ad eam cum lamina eſſet inventa, & in ea ſcriptum: DOMINA HONORIS, ea cauſa fuit ædis hujus dedicandæ: ſed cum multa in eo ſepulchra fuiſſent, exarata ſunt. Statuit enim Collegium locum publicum non potuiſſe privata religione obligari.* hucuſque Cicero. Verum ut recolendis Martyrum Actis, & ſacris itidem Martyrologiis, in his quæ ad profanam perſcrutandam antiquitatem pertinent, inhæreamus; ex iiſdem profecto IX. kal. Julii ſatis aperte Solis quoque ſimulachrum hac eadem Via ſitum fuiſſe convincitur. Joannes enim presbyter ſub Juliano Apoſtata juxta præmemoratum Templum martyrii palmam capitis obtruncatione promeruit; hæc enim ibi recitantur: *Romæ S. Ioannis presbyteri, qui ſub Iuliano Apoſtata, Via Salaria veteri ante ſimulachrum Solis decollatus eſt. Et corpus ejus à Concordio presbytero juxta martyrum concilia ſepultum.* Prolixior autem de eodem in perantiquis S. Bibianæ actis ſermo incurrit, ubi poſt enarratam piam, ſolicitamque Joannis ejuſdem in humandis beatorum Martyrum corporibus operam, ſcriptor recolendum ipſius martyrium ac ſepulchrum his plane verbis exponere incipit: *Ob hanc itaque cauſam iniquiſſimus Iulianus fecit eum teneri & duci foris portam Via Salaria in Via veteri, ligatis retro manibus, in clivo Cucumeris ante Templum Solis. Et cum noluiſſet ſacrificare Deo Solis, ibi nulla mora, ſed eum ſine interrogatione decollari fecit. Cujus corpus collectum eſt à Concordio presbytero, & ſepultum eſt in ipſo ſarcophago, in crypta, quæ eſt in eodem loco, cum hymnis & canticis ſpiritualibus juxta Concilia Martyrum, &c.*

[Si]mula[chrum] Solis. [Ma]rtyr. [9] kal. Jul. Act. S. Bibian.

11 Hujuſmodi autem novæ à veteri Via Salaria diſtinctio apud ſacros dumtaxat ſcriptores comperitur; haud unquam verò apud profanos, quamvis Strabo & Publ. Victor Vias, Valeriam ſcilicet, atque Aureliam, antiquas pariter ac recentes peculiari ſitu, tractuque inter ſe dividant, atque ſejungant. Idem etiam Publius, dum ſingulas Urbis vias nominatim recenſet, unam tantum adnumerat, quam peculiari vocabulo Salariam appellat, hæc autem apud Onuphrium pariter in inſcriptione, quam in ſua Roma recitat, unica tantum fuiſſe legitur his plane verbis:

Via Salaria Vetus, & nova.

Strabo Publ. Victor.

Onuph. in Rom. deſcript.

L. RANIO. OPTATO. C. V. COS.
CURATORI REIP. MEDIOLANENSIUM
CURAT
REIP. NOLANORUM PROCOS.
PROVINCIÆ
NARBONENSIS LEGATO AUG. ET
JURIDICO
ASTYRIÆ, GRÆCIÆ CURATORI VIÆ
SALARIÆ. CURATORI REIP.
VARINATIUM,
METAURENSIUM LEGATO PROVINCIÆ
ASIÆ PRÆTORI. TRIB. PLEBEI
QUÆSTORI PROVINCIÆ SICILIÆ.

12 Affirmandum igitur eſt hujuſcemodi diſtinctionem Chriſtianis ſub Principibus poſt protenſum Urbis ambitum, & campum Martium ad portam uſque Flaminiam ædificiis occupatum incœpiſſe, quod idem ſupra Aureliæ itidem Viæ obtigiſſe adnotavimus. Tunc enim ex recenſita Urbis parte magis quidem opportune Pinciana, quam Salaria porta in Viam Salariam, ſicut & noſtris hiſce temporibus, deducebat. Jure igitur merito exiſtimare quis poteſt, Salariam veterem eſſe, quæ à Salaria porta ad pontem Salarium, indeque recto in Sabinos itinere ferebat; novam autem Salariam eſſe, quæ diverticulo à Pinciana (& quam vulgo antiquarii, licet perperam, Collatinam quoque appellatam exiſtimant) in Salariam veterem ducit. Quæ Via nonniſi Urbe jam, ut diximus, ampliorem in ſinum prolata uſui eſſe potuit. Sed alia interim argumenta haud deſunt, quæ contrarium potius nobis innuere ac ſuadere videntur, Salariam nimirum veterem portæ, viæque Flaminiæ proximam extitiſſe: quod ex Jo: Diacono in Vita S. Gregorii Magni palam deduci & comprobari poteſt, ubi interceptam à quibuſdam monachis è clauſtro fugam, ejuſdemque B. Gregorii indefeſſam jugiter in iiſdem perquirendis vigilantiam enarrans, hæc ſcribit: *Subito ejus conſilium ortum eſt; ut eos in Sa-*

Quænam Viæ Salariæ ſint Vetus & nova?

Io. Diac. in vit. Greg. Mag. l. 1. c. 14.

laria Via extra civitatem requirere debuissent. Igitur pergentes deflexerunt iter, & in Salaria eos veteri non invenientes, per portam Flaminiam decreverunt redire. Huc usque Io. Diaconus. Porro id ipsum & privilegio quodam Caroli Magni Imperatoris, quod in Basilicæ Vaticanæ Archivo asservatur, satis utique corroborari videtur. In quo dum ab ipso collata eidem Basilicæ dona ac munera recensentur, isthæc leguntur: *Sic denique possidenda tradidimus, donamus unam Curtem, quæ dicitur Maceranum, quæ non plus longe videtur esse à supra dicto loco, quam duodecim milliaria, juxta Salariam veterem, quæ dividitur ad pontem Molui, &c.* Idem plane à Wilhelmo Malmesburiensi asseritur, qui Pincianam extra portam, quæ ab eodem Potitiana, corrupto vocabulo, appellatur, Clivum Cucumeris situm fuisse pronunciat: quem quidem locum, ut infra patebit, veteri Salaria Via extitisse certissimum est. Et his de Salaria Via lectori prælibatis, ad sacra jam investiganda Cœmeteriorum monimenta deveniamus.

M. S. Vat. S. Petr.

Willel. Malmesburgen. Porta Pinciana. Locus ad Clivum Cucumeris.

CAP. XXVIII.

De celebri Priscillæ Cœmeterio Via Salaria.

Priscillæ diversæ.

1 Tres quidem præstantissimæ fœminæ, quæ uno, eodemque Priscillæ nomine olim insignitæ sunt, in sacris rerum historicarum paginis, ac Martyrum actis recensentur, quæ variis tamen, ut historiæ perhibent, temporibus vixere. Una ex his beatissimi Apostoli Pauli discipula, & Aquilæ uxor fuit; cujus Lucas Act. 18. meminit, hæc dicens: *Posthæc egressus ab Athenis venit Corinthum, & inveniens quendam Iudæum nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam uxorem ejus &c.* Idem autem Apostolus in suis sæpe epistolis de eadem sermonem habet; & potissimum 1. Cor. cap. 6. ubi isthæc: *Salutant vos in Domino Aquila, & Priscilla cum domestica sua Ecclesia, apud quos hospitor.* Et 2. ad Timoth. cap. ult. *Salutate Priscillam & Aquilam:* Ad Romanos item cap. 16. *Salutate Priscillam & Aquilam adjutores meos in Christo Iesu.* Quorum itidem Priscillæ & Aquilæ in sacris Martyrologiis 8. Id. Julii memoria colitur.

Priscilla prima. Act. 18. 1. Cor. c. 6. 2. ad Tim. ad Rom. 16. Mart. Rom. 8. Id. Iul.

Priscilla secunda. Punicus, Pudens.

2 Altera insuper hujus nominis, Priscilla matrona Romanarum nobilissima, uxor Punici, Pudentisque Senatoris parens, sub ipsamet Apostolorum tempora vixit, ut in ejusdem Actis sub Pastoris nomine, aliisque Vaticanis M. S. Codicibus his plane verbis exhibetur: *Hujus temporibus*, Antonini scilicet Imperatoris, *Vir fuit in Urbe Roma, nomine Pudens, genere nobilis, honestate præclarus, cujus pater vocabatur Punicus, mater autem Priscilla: quorum quidem arbitrio duxerat conjugem nomine Sabinellam, illustribus æque ortam natalibus, de qua duas suscepit filias, pulchras specie, sed moribus pulchriores.* Tertia demum Priscilla sub beato Marcello Papa in Ecclesia floruit; cujus Biblioth. in ejusdem S. Marcelli gestis meminit, hæc recitans: *Hic rogavit quandam matronam, nomine Priscillam, & fecit Cœmeterium Via Salaria.*

M.S. Cod. Vat. 4.9.

Priscilla tertia.

Bibl. in S. Marcello PP.

3 Mente interim repetendum est, amice lector, id quod alibi adnotavimus; nimirum ubi dicitur *Fecit*, verbum istud *Facere* pro instaurare, seu ampliare à Bibliothecario interdum usurpari consuevisse. Cœmeterium enim, de quo nunc acturi sumus, suum à B. Marcello initium habuisse, aut ab hac Priscilla, quam tertio loco memoravimus, nominis derivationem sumpsisse, cum longe ante ipsorum tempora Cœmeterium hoc sub Priscillæ nomine, eadem hac Via extiterit, asseri nullatenus potest. Acta enim SS. Praxedis & Pudentianæ virginum, sanctissimum virum Pudentem Senatorem, qui centum & quadraginta annos beatum Pont. Marcellum antecessit, in Priscillæ Cœmeterio conditum fuisse his verbis tradunt: *Sepelierunt autem eum solemniter in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria juxta plures Christianæ fidei confessores.* Quo subinde loco, post biennium circiter elapsum, à S. Pontifice Pio & Pastore presbytero, Pudentianam quoque Christi Virginem unà cum Praxede ejusdem sorore perhonorifice conditam fuisse iisdem pariter in Actis hoc modo enarratur: *Interea post annos duos & dimidium virgo Christi Pudentiana migravit ad Dominum. Cujus corpus beatissima Praxedes diligenter involvens, atque aromatibus condiens, beato Pio Episcopo, & viro Dei Pastore cum aliis Christi famulis debita obsequia celebrantibus occulte habuit in supradicto Titulo viginti octo diebus. Quibus denique evolutis, noctu transtulerunt illud, & posuerunt juxta patrem suum in Cœmeterio Priscillæ, Via Salaria XIV. Kal. Ianuarias.*

Cœmeterium Priscillæ unde principium habuerit?

Sancti in Cœmeterio Priscillæ sepulti.

S. Pudens.

Act. SS. Praxed. & Pud.

S. Pudentiana.

Ibid.

4 In eodem autem Cœmeterio, B. ejusdem Praxedis opera S. Symitrii presbyteri, aliorumque duo & viginti Martyrum corpora, Actis iisdem attestantibus, condita fuere: sed ipsa nunc, si libet Actorum, verba in medium proferamus: *Quorum corpora noctu B. Praxedes colligens, sanguinem quoque spongia, quæ hactenus extat, de pavimento exhauriens, sepelivit juxta patrem suum ac sororem in Cœmeterio Priscillæ sub die 7. Kal. Iunias.* Ibidem demum Praxedem ipsam conspicuæ sanctimoniæ virginem pia Pastoris presbyteri manu tumulo illatam fuisse, citata nuper Acta his ferme notis loquuntur: *Sacratissimum denique corpus ejus sepelivit B. Pastor, obsequentibus aliis Christianis, juxta patrem suum Pudentem, & beatam sororem suam Pudentianam, in Cœmeterio supradicto, qui & ipse obiit 7. Kal. Aug.*

S. Symitrius Presbyter. Duo & viginti martyres.

Ibid.

S. Praxedes.

5 Haud ullatenus igitur à Priscilla, quam postremo loco descripsimus, Cœmeterium hoc vel initium, vel nomen auspicari potuisse prudens quisque rerum arbiter pronunciare potest: verum ab illa potius, cujus post primam mentio incidit, quæ dignissima S. Pudentis Senatoris mater extitit, & beatarum Praxedis ac Pudentianæ avia; quarum omnium veneranda in sacrum hoc Cœmeterium corpora illata fuere. Quibus ejusdem quoque secundæ Priscillæ, Punici ejus viri, atque Sabinellæ Pudentis ejusdem uxoris, corpora aggregata postmodum fuisse probabilis conjectura suadet. Cœterum id accidisse potuit, ut à B. Marcello Papa hoc ipsum Cœmeterium ampliorem in formam redactum, deinde à præmemorata Priscilla postremo loco instauraretur; cujus quidem mentio fit in Martyrolog. XVII. kal. Febr. ipsomet natalitio ejusdem B. Marcelli Papæ die his quidem verbis: *Romæ S. Priscillæ, quæ se suaque Martyrum obsequio mancipavit.* Ab eadem quoque Priscilla, quam secundo loco recensuimus, Cœmeterium, quod apud Ecclesiam S. Praxedis in Urbe extat, denominationem traxisse suo infra loco demonstrabitur.

S. Priscilla secunda.

Mart. Rom. 16. Ian.

6 Illud porro indubitatum est, complura videlicet Sanctorum corpora in Priscillæ Cœmeterio Via Salaria tumulo excepta fuisse. Ipsa enim Priscilla, ac ambæ præclarissimæ virgines Praxedes & Pudentiana sorores cum studiosa jugiter opera humandis

mandis beatorum Martyrum cadaveribus instite-rint, id ab eisdem maxime in ipsarummet Cœmeterio præstitum fuisse quis ambigat? Etsi autem horum dumtaxat nomina in sacris Martyrologiis, ac Martyrum Actis recensita novimus; nimirum Sanctarum Donatæ, Paulinæ, Rusticæ, Nominandæ, Hilariæ & Sociarum, de quibus Martyrol. pridie kal. Januarii; innumera plane, si probe quis nosset, jam memoratis subtexenda suppeterent. Haud ignorandum profecto est, quod diserte Bibliothecarius asserit, sanctos videlicet Marcellinum Papam, Claudium, Cirinum, & Antoninum à Marcello presbytero, qui eidem postea Marcellino in Pontificatu suffectus est, in celebri hujus Cœmeterii Cubiculo consepultos fuisse; nam idem in ipsius Marcellini gestis hæc recitat: *Post hoc factum jacuerunt corpora sancta in platea ad exemplum Christianorum diebus triginta sex ex jussu Diocletiani, & exinde Marcellus presbyter collegit noctu corpora cum presbyteris & diaconibus cum hymnis, & sepelivit Via Salaria in Cœmeterio Priscillæ in Cubiculo Claro, quod patet usque in hodiernum diem, quod ipse præparaverat* (vel certe, ut quidam legunt, præceperat) *pœnitens dum traheretur ad occisionem, in crypta juxta corpus Sancti Crescentionis.* Hæc ibi.

SS. Donata, Paulina, Rustica, Nominanda, Hilaria, & sociæ. *Mart. Rom. prid. Kal. Ian.*

S. Marcellinus Papa, Claudius, Cirinus, & Antoninus, Cubiculum Clarum. *Bibl. in Marc. Pap.*

7 Porro Cubiculum Clarum, de quo nobilis hic mentio incurrit, hoc plane titulo appellatum est, quod aliquo desuper extructo foramine, per quod introrsum subinde lumen demitteretur, clara illud luce omni ex parte perfundi atque illustrari contingeret. In eodem item Martyrologio Romano xv. Kal. Octobr. Sancti Crescentionis unà cum B. Narcisso Martyre memoria recolitur; à quo deinde Baronius in suis ad Martyrologium Notis, idem Cœmeterium denominatum fuisse arbitratur; hæc autem sunt ejus verba: *Erat nomine Crescentionis dictum nobile Cœmeterium Romæ Via Salaria, non longe à Cœmeterio Priscillæ, ut indicant Tabulæ Vaticanæ; in quibus Cœmeteriorum nomina perlegimus.* Ex recitata autem nuper Bibliothecarii sententia satis superque constat, haud peculiare hujus nominis Cœmeterium extitisse, sed quandam potius ipsius Cœmeterii Priscillæ partem hoc titulo appellatam, à sacro videlicet ejusdem corpore ibidem condito, juxta quod & corpus deinde B. Marcelli Papæ honorifice pia fidelium manu depositum fuerat. Ex recensitis præterea B. Marcelli Papæ actis constat, Crescentianum quoque Martyrem à S. Joanne presbytero in eodem Priscillæ Cœmeterio sepultum fuisse; verba autem hæc sunt: *Cujus corpus*, Crescentiani scilicet, *jussit jactari ante Clivum Ursi, ante Templum Palladis* (vel ut alibi legitur, Palatii) *In ipsa vero nocte venit Ioannes presbyter, & collegit corpus, & sepelivit in Cœmeterio Priscillæ; in arenario; Via Salaria* VIII. *Kal. Decemb.* Hoc pariter loco beatissimum Marcellum Papam ab eodem Ioanne presbytero, & Lucina matrona sepultura donatum fuisse, quæ supra recitavimus, Acta testantur; quibus item Bibliothecarius, Ado, Beda & alii suffragantur. At vero ejusdem S. Marcelli sepulchrum merito honoris cultu S. Damasus auxit, & pietatis obtestandæ gratia carminibus hisce exornavit:

Rom. Mar. Kal. Crescentiono.

Baron. in Not. ad Martyr.

Act. S. Marcelli Pap. ... Lat. ... 3. 9. ... 1. 7.

Marcellus Papa.

Bibl. in Marc. Pap. Beda Martyr.

Epitaphium Marcelli. *Antiq. inscript. Grut. ... 1172. Baron. An. in app. ... to. 3. 309.*

Veridicus Rector lapsos quia crimina flere
Prædixit miseris, fuit omnibus hostis amarus.
Hinc furor, hinc odium, sequitur discordia lites,
Seditio, cædes, solvuntur fœdera pacis.
Crimen ob alterius Christum qui in pace negavit,
Finibus expulsus patria est feritate tyranni.
Hæc breviter Damasus voluit comperta referre,
Marcelli populus meritum cognoscere posset.

Hæc utique observantissimi animi obsequio, & tanto digna Pontifice præconia laudum, ac monimenta S. Damasus ultro persolvit.

8 Locus insuper, ubi S. Pontifex depositus est, *ad sanctum Marcellum* exinde denominari contigit, ut ex ipsomet Bibliothecario constat, qui de translatione corporis Vigilii Papæ Syracusis, ubi jam obierat, in hoc Cœmeterium diserte agens, hæc recitat: *Cujus corpus*, inquit, *ductum est Romam, & sepultum est ad S. Marcellum Via Salaria in Cœmeterio Priscillæ.*

Locus dictus ad S. Marcellum. Vigilius Papa. *Biblioth.*

9 Silvestrum item Papam sanctitatis prærogativa insignem in hoc Cœmeterio sepulturæ locum sibi delegisse ejusdem acta his plane verbis testantur: *Ex jussu autem ejus sepultus est in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria, milliario tertio ab Urbe pridie Kal. Ianuarias.* Hoc idem apud Bibliothecarium & alios expressum reperitur. Idemque sepulchri locus, ad S. Silvestrum pariter dici, ipso Bibliothecario teste, consuevit, in Adriani Papæ Primi gestis, ubi isthæc: *Pariter in eadem Via Salaria Cœmeterium S. Silvestri Confessoris atque Pontificis, aliorumque sanctorum multorum in ruinis positum renovavit.* Ubi & Ecclesiam in ejusdem B. Silvestri honorem erectam postmodum fuisse Franciscus Albertinus asserit in libro, quem de mirabilibus Urbis inscripsit, ubi Cœmeteria enumerans, ait: *Cœmeterium Priscillæ Via Salaria apud Ecclesiam S. Silvestri.*

S. Silvester Pontifex. *Act. S. Silv.* Cœmeterium S. Silvestri. *Bibl. in Hadr. 1.* Ecclesia S. Silvestri. *Franc. Albert. de mirab. Urb.*

10 Verum præter Pontifices jam recensitos, Liberium quoque, Siricium, & Cælestinum Romanos Præsules in hoc item Cœmeterio conditos fuisse ex eorundem apud Bibliothecarium gestis novimus. Cœlestini quidem præcipua mentio incurrit in Epist. 3. Adriani Papæ ad Carolum Magnum, ubi isthæc: *Sanctus Cælestinus Papa proprium suum Cœmeterium picturis decoravit.* Ejusdem autem Cœmeterium hoc loco appellatur ipsemet locus in hoc Cœmeterio ab ipso Cœlestino in sepulturam specialiter sibi delectus, vel certe hoc titulo communi omnium voce ejusdem post obitum (uti mos est) nuncupatus, quod videlicet ibidem à fidelibus conditus fuerat.

Liberius, Siricius, & Cælestinus Pontifices. Sepulchrum Cælestini. *Epist. 3. Adr. Pap. ad Carol. Magn.*

11 Ut studioso autem lectori singula ob oculos ponamus, quæ ad antiquorum temporum notitiam spectant, nec quicquam, quod sacram antiquitatem redolet, subterfugere patiamur, illud addimus, quod hac nostra ætate, Epitaphia quædam eorundem Siricii & Cælestini Pontificum sepulchris olim affixa, in lucem prodiere, quæ apud Gruterum Antiq. Inscript. & Baronium carminibus hisce expressa leguntur:

Sepulchralis Siricii Papæ lapis.

Epitaphium Siricii Papæ. *Grut. antiq. inscript. pag. 1171. Baron. an. to. 5. an. 398.*

Liberium lector mox & Levita secutus
Post Damasum clarus totos quos vixit in annos.
Fonte sacro magnus meruit sedere sacerdos.
Cunctis ut populis pacem tunc solidam daret.
Hic pius, hic justus, felicia tempora fecit.
Defensor magnus multos ut nobilis ausus
Misericors largus, meruit per secula nomen.
Ter quinos populum qui rexit in annos amore,
Nunc requiem sentit, Cælestia Regna potitus.

Sepulchralis Cælestini Papæ lapis.

Epitaphium Cælestini Papæ. *Item ibid. Baron in app. to. 5. an 432.*

Præsul Apostolicæ sedis venerabilis omni
Quem rexit populo, decimum dum conderet annum.
Cælestinus agens vitam migravit in illam
Debita, quæ Sanctis æternos reddit honores.

Corporis

Corporis hic tumulus, requiescunt ossa, cinisque,
Nec perit hinc aliquid, Domino caro cuncta resurgit.
Terrenum nunc terra tegit, mens nescia mortis
Vivit, & aspectu fruitur bene conscia Christi.

Alii subinde Pontifices pari pietatis studio, ac munificentiæ sacerdotalis exemplo Cœmeterium idem instaurarunt; inter quos præcipuum sibi locum Joannes Papa Primus, & Adrianus itidem Primus vindicant, ut Bibliothecarius in utriusque vita testatur. Hoc vero reliqua inter Cœmeteria, ut infra patebit, amplissimum est, & complures ejusdem partes, in quas dividitur, variis passim nominibus appellantur, vel ab iis, qui primam construendo manum operi admoverunt, vel certe à recolenda potissimum sanctorum memoria, quorum corpora recondi, ac servari ibidem contigit, quod in Callisti pariter Cœmeterio supra adnotavimus.

Bibl. in Io. Pap. 1. et Hadr. Pap. 1.

Cœmeterium Priscillæ varia sortitum est nomina.

12 Complura item sanctorum corpora inde in Urbem translata, ac plures Ecclesiæ pretiosissimis eorumdem pignoribus tunc potissimum temporis apprime auctæ ac nobilitatæ sunt, cum idem Cœmeterium magna jam ex parte, interlapsorum temporum injuria, collapsum omnimodam intuentium oculis vastitatem præ se ferebat. Paschalis enim Primus in B. Praxedis Ecclesiam corpora beatorum Cælestini, & Siricii Pontificum, necnon S. Crescentionis, sanctarumque virginum Praxedis ac Pudentianæ corpora transtulit, ut vetus ibi inscriptio lectorem ultro admonet. Sacrum vero B. Marcellini Papæ caput apud S. Mariæ Majoris basilicam hodie digno religionis cultu à fidelibus asservatur. Corpus autem S. Marcelli Papæ in Ecclesiam ejusdem nomine Via lata celebrem translatum honorifice ibidem ad hanc usque diem quiescit: cujus reliquiis plures itidem, eæque insigniores Christiani orbis Ecclesiæ ditatæ sunt. Illud hoc loco addimus, beatissimi videlicet Silvestri Pontificis reliquias, tum in sacra S. Adriani æde, tum in aliis Ecclesiis asservari, ut inscriptiones, quæ ibidem positæ sunt, legentibus fidem faciunt. Ejusdem quoque beati Pontificis reliquiæ extra Urbem, ad Nonantulanum præsertim Cœnobium translatæ fuere. Quarum dignam, recolendamque translationem hic M. S. è Codicibus recensendam duximus, ubi post enarratum ipsius Pontificis obitum, & sepulturæ honorem eidem in Priscillæ Cœmeterio exhibitum, isthæc leguntur: *Quod de hujus eminentissimi Papæ postmodum sacro actum sit corpore, indubia prorsus narratione dicimus. Anno etenim Dominicæ Incarnationis septingentesimo tertio, cum Longobardorum jam per Italiam sceptra fulgerent, vir quidam nomine Anselmus regali ortus prosapia, meritisque clarus, Aistulphum Italorum adiit Regem, per sororem scilicet suam, quæ regio hærebat thalamo. Hujus namque imperatu tria non modica intra collatonem paulo ante idem vir construxerat cœnobia, fratrumque decorarat agminibus. In quorum maximo, quod Nonantula hactenus vocitatur, monachorumque præpollet phalangis, cum sanctissimi vellet artus recondere Silvestri, eundem Regem Romuleam usque comitatus ad Urbem, petiit ut eos se exinde sineret transferre. Quid plura? Rex annuit. Abbas stipatus perrexit fratribus, omnique pretioso obrizo de jam fato corpus immensa cum reverentia sepulturæ abstulit loco* (ex Cœmeterio scilicet Priscillæ, cujus supra meminerat) *Quamplurima vero miraculorum pariter fulserint prodigia, non est nostræ deponere facultatis. Ergo ad præfatum Nonantulanum cælesti venit cum thesauro Cœnobium, omni cum honore, multis delibutum aromatibus, ibidem nunc recondidit, ejusque sarcophagum multorum decoravit pondere metallorum.* Hæc ibi.

Ex Cœmeterio Priscillæ multa sanctorum corpora in Urbem translata.

B. Marcellini Papæ caput.

S. Marcelli Papæ corpus.

S. Silvestri Papæ corpus.

M.S. Codd.

13 Recensita autem hactenus translatio sub Stephano Papa Tertio, Pauli Primi, ejus germani, prædecessore contigit, qui cum satis aperte in edito à se diplomate testetur, ex eodem videlicet Priscillæ Cœmeterio B. Silvestri corpus unà cum aliis Martyrum corporibus, è variis Cœmeteriis in Monasterium, quod paternis in ædibus erexerat, & nunc S. Silvestri in Capite nuncupatur, à se translatum fuisse, ut illibatus veritati nitor ac robur sit, & congrue interim antiquis de rebus loquamur, non corpus utique, sed sacras ejusdem beatissimi Pontificis reliquias Nonantulam delatas fuisse nobis palam fatendum est; sed ut congruam veluti judex ipsemet lector sententiam ferat, diplomatis ejusdem hic verba, quæ ad propositi institutum spectant, in medium proferre præstat, hæc igitur ibi: *Cum per evoluta annorum spatia diversa sanctorum Christi Martyrum atque Confessorum ejus, foras muros hujus Romanæ Urbis sita antiquitus Cœmeteria neglecta satis manerent diruta, contigit postmodum ab impia Longobardorum gentium impugnatione funditus esse demolita, qui etiam & aliquanta ipsorum effodientes Martyrum sepulchra, & impie devastantes, quorundam Sanctorum auferentes secum deportaverunt corpora; & ex eo tempore omnino desidiose, atque negligenter eis debitus venerationis exhibebatur honor. Nam & quod dici nefas est, etiam & diversa animalia in aliquantis eisdem sanctorum Cœmeteriis aditum habentia: illic enim eorum existebant septa animalium, in quibus fœtoris egerebant squalorem. Unde conspecta eorundem locorum desidiosa incuria, & ex hoc valde ingemiscens, atque plurima doloris attritus mœstitia, aptum prospexi, Deo annuente, eosdem Sanctos Martyres & Confessores Christi, & virgines ex iisdem dirutis auferre locis: quos & cum hymnis & canticis spiritualibus in hanc Romanam introduximus Urbem, & in Ecclesiam, quam noviter à fundamentis in eorum honorem construxi, intra mœnia scilicet in domo, quæ mihi parentali successione obvenit, in qua me natum constat, atque nutritum, eorum sanctissima collocans condidi corpora: ubi congregationem constitui monachorum speciali censura in honorem Stephani Papæ & Martyris, atque Silvestri Papæ & Confessoris Christi, in qua veneranda eorum requiescunt corpora, &c.* Hæc in diplomate, quod omnino integrum apud Moniales S. Silvestri ad hanc usque diem asservatur, & apud Baronium Annal. to. 9. an. 761. ad verbum recitatur.

Translatio corporis S. Silvestri quando contigerit.

Reliquiæ ejusdem Nonantulam delatæ.

Diplom. Steph. Pap. 3.

Post irruptionem Longobardorum lacera Urbis Cœmeteria neglecta jacuerunt.

Stephanus Papa 3 sanctorum corpora e iis in Urbem transfert.

Baron. Annal. to. 9. an. 761.

14 Paulus igitur Pontifex hujus nominis Primus reliquam corporis beatissimi Silvestri partem sub Stephano prædecessore, ejusdem germano, diminuti, in suam perhonorifice Ecclesiam transtulit; ac tunc potissimum temporis, vel certe paulo post ex eadem sacras reliquiarum particulas desumi, ac enixe petentibus devotionis gratia easdem subdividi ac impertiri cœptum est; ac cæteras Urbis Ecclesias iis ditari contigit, videlicet S. Adriani, S. Praxedis, & sanctorum pariter Silvestri & Martini in Montibus, & nonnullas alias, in quibus fere singulis, ut fama atque opinio perperam fert, ipsiusmet B. Silvestri corpus requiescit, ex consueta nimirum verborum formula, qua passim scriptores utuntur, ac figurato loquendi modo, quem synecdochen appellant, cum pars videlicet pro totius significatione desumitur.

Sacris S. Silvestri reliquiis complures Urbis Ecclesiæ ditantur.

15 Porro Priscillæ Cœmeterium (de quo nunc sermo

sermo recurrit) vastissimum olim erat, ut ipsemet Bosius oculatus ejusdem testis, ac explorator affirmat, & satis superque conjicere potuit ex his, quæ inter investigandum ea loca deprehendit, quod & à nobis suo loco prolixius enarrabitur, cum de Cœmeteriis à Bosio Salaria potissimum Via adinventis agemus. In varias quippe partes veluti in membra hoc unum dividebatur, quæ deinde vel à beatis Martyribus ibidem sepultis, vel certe ab his, à quibus sacra eadem loca aut construi, aut instaurari contigit, nomen sumpsere. Id vero ea prorsus ratione huic accidisse putamus, qua Callisti Cœmeterio satis amplo contigit, & ex infra dicendis patebit, cum de Cœmeteriis sermo erit, quæ Via Salaria sita sunt, & in hoc Priscillæ Cœmeterium velut lineæ à circumferentia ad centrum derivabant. Quoniam vero de vasto hujus Cœmeterii ambitu, ac circuitu nonnulla attigimus, haud à rei proposito alienum existimamus, hic demum paucis subtexere, quod Jacobo Abbati Crescentio primariæ inter Romanos nobilitatis viro inter perlustrandum hoc Cœmeterium olim contigit: quippe qui dum pia curiositate illectus spatiosum hujus subterraneæ regionis ambitum haud peritum ad commonstrandas latentium viarum semitas ducem nactus percurrit, perlustratque, jam viam, & vitam pariter unà cum sociis desperaverat, nisi divinitus illi Cœlo monstrante illinc emergendi aditus patuisset, sed ut rem totam summatim exponamus, hæc pauca interim accipe.

21 Crescentius Abbas, quem memoravimus, vir singulari pietate, ac eruditione conspicuus, S. Philippi Nerii discipulus, eidemque apprime charus, & de sacris Cœmeteriis optime meritus; quamplura enim ex his sæpesæpius ad perscrutandas B. Martyrum reconditas ibidem reliquias, solicite requisivit, invisit, perlustravit, & demum veneranda multorum sanctorum corpora, ingenti labore conquisita, haud ullis parcens expensis, sua manu è tenebris in lucem revexit, & sacras præcipue S. Caji Papæ exuvias recurrente ejusdem pervigilio non absque peculiari divini numinis instinctu apud Callisti Cœmeterium feliciter adinvenit. Hic igitur anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, dum Cœmeterialibus antiquorum Christianorum cavernis perlustrandis totus inhiat, à quibusdam, qui se abditos loci sinus probe nosse jactabant, intra præmemoratum Priscillæ Cœmeterium deducitur, eam nimirum ob causam, ut multorum Martyrum, quæ ibi tumulata sunt corpora illi suspicienda, veneranda, & nonnulla alia recolendæ antiquitatis, quæ adhuc extabant, monimenta pio devotionis studio, quod summopere cupiebat, contemplanda suppeterent. Ejuscemodi spe ductus juxta Salariam Viam unà cum amicis per foramen quoddam adeo angustum ingrediens, ad inferiora delabitur, ut haud exiguum incœpti itineris pensum demisso corpore angujum instar rependo peragere opus fuerit. Verum dum iter ad quinque horarum spatia, huc illuc discurrendo, pertrahunt, à recto tramite prorsus aberrant. En tibi vir ille, qui se ducem jactabat, tandem exterritus inclamat: Heu rectam socii amisimus. Ad hujus vocem expallescunt omnes, pergentesque, ad locum tandem deveniunt, qui labyrinthi cujusdam faciem intuentibus præ se ferret. At dum anxii huc illuc cursitant, eoque semper redeunt, unde discesserant, eodem insistentes loco, evadendi animum omnino despondent. Illud vero etsi corpore, animo tamen magis magisque fatigatos hujuscemodi inter angustias angebat, quod facibus, quæ lumen refunderent, jam penitus consumptis, cereus dumtaxat ad semidigitum supererat. Videbantur autem sibi intra mortis quodammodo fauces deprehensi, evadendi viam frustra quærere, ac tentare, tunc, ut poëta ait, *gelidusque per ima cucurrit ossa tremor*, digito enim jam à morte distabant, nec spes ulla ad superos remeandi ipsas intra latebras dabatur. Dolor autem inde amplius augebatur, quod cum ipsi clam, & nemine prorsus sciente ingressi illuc fuissent, eorum corpora inter oblivionis tenebras consepulta haud cuiquam ullo umquam tempore innotescere contingeret, nec de ipsis quidquam amici suspicando assequi posthac valerent.

22 Cum igitur ejuscemodi inter angustias deprehensi, ac tortuosas viarum ambages cum imminente jam fato propius luctari cœpissent, auxilium è Cælo omni penitus ope destitutis adfuit. Abbas quippe bonam vel desperatis inde rebus spem concipiens, his verbis socios alloquitur: Quorsum animos ô socii despondimus, Deo fidamus, ipse enim viam errantibus monstrabit, unanimes fundamus ei preces, subnixi meritis Beati Philippi Nerii, & protinus nobis, ut spero, auxilium præsto erit. Vix ea, se humi omnes projiciunt, orant, invocant, eidemque, cujus patrocinio fidebant, vitam jam cum via deperditam enixe commendant. Haud spe frustrari passus est suorum preces beatus Philippus: nam brevissimo temporis intervallo vix elapso, res mira; ipsummet foramen, per quod aditus primum illis patuerat, prompta manu offendunt, & inde quasi è profundo pelagi sinu in portum, è tenebris in lucem salvi, atque incolumes emergunt, postquam integro septem horarum spatio (quod incredibile dictu est) defessi in incertum perambulaverant. Verum postea haud beneficii accepti immemores, etsi dira premerentur fame, lassa antequam membra recrearent, ejusdem beati Philippi sacellum continuo adeunt, ibique gratiarum vota persolvunt, & ut res tanta omnibus innotesceret, idem Abbas votivam ex argento tabellam ejusdem sepulchro ad perpetuum rei monimentum appendit. Et hæc interim in gratiam Cœmeterii Priscillæ obiter enarrasse satis est. Jam, si libet, ad ulteriora progrediamur.

B. Philippo Nerio opitulante viam mire reperit, & in lucem spe ac opinione citius emergit.

Votivam ex argento tabellam ad ejusdem sanctisepulchrum beneficii testem appendit.

CAP. XXIX.

De Cœmeterio SS. Felicitatis, Alexandri, Vitalis, & Martialis; Iordanorum item, ac septem virginum, necnon Chrysanthi & Dariæ nuncupato.

1 Cum conspicuæ sanctitatis mulier felici quidem omine ac nomine pariter Felicitas unà cum septem filiis Romæ sub Antonino Imperatore, ut sacra Martyrologia testantur, martyrio coronata fuerit, & toties martyr extiterit, quot libens ante se filios ad martyrium præmisit, ut eam jure merito condignis laudibus sancti Patres concelebrant. Sepulturæ vero locus, quo præstantissima post triumphum fœmina excepta est, in eisdem Martyrologiis desideratur. Nullius tamen menti dubitandum suppetit, celeberrimum ejusdem, ac filiorum Cœmeterium Via quondam Salaria extitisse, cum id ex Bibliothecario aperte comprobetur, qui in S. Eo-

SS. Felicitas, & filii.

Cœmeterium S. Felicitatis.

S. Bonifacius Papa I. S. Bonifacii Papæ Primi gestis, eundem in Cœmeterio S. Felicitatis Via Salaria degisse refert; hæc autem inquit: *Qui dum compulsi exissent, ipse nempe Bonifacius, & Eulalius schismaticus, habitavit Bonifacius in Cœmeterio S. Felicitatis Martyris, Via Salaria.* In eodem insuper Cœmeterio oratorium ab ipsomet Bonifacio constructum fuisse idem Bibliothecarius his verbis asserit: *Hic fecit oratorium in Cœmeterio S. Felicitatis juxta corpus ejus, & ornavit sepulchrum S. Martyris Felicitatis & S. Silvani, &c.* Addit insuper eodem quoque loco ipsummet Bonifacium conditum fuisse: *Qui etiam*, inquit ille, *sepultus est in Cœmeterio S. Felicitatis Martyris Via Salaria 8. Kal. Novemb.* Idem plane probatissimi scriptores, Ado & Beda disertis verbis affirmant, qui itidem eundem juxta ipsiusmet S. Felicitatis sepulchrum illatum fuisse asserunt.

Bibl. in S. Bonif. I.

Oratorium in Cœmeterio S. Felicitatis. *Idem loc. cit.*

Sepulchrum S. Bonifacii I. *Idem.*

Ado et Beda in Martyrol.

2 Extant vero apud Gruterum in antiq. Inscript. & Baron. in Append. to. 5. Annal. anno 423. duo hæc Epitaphia, ejusdem olim Bonifacii sepulchro affixa, quæ in studiosi lectoris gratiam nunc in medium proferentur.

Primum Epitaphium.

Epitaphium S. Bonifacii I. *Grut. in antiq. inscrip. in appen. pag. 1164. Baron to. 5. annal. an. 423.*

Postquam mors, Christi pro nobis morte, peristi,
In Domini famulis nil tibi juris erit.
Pone trucem rabiem, non est sævire potestas,
Aut quid victa furis nil nocitura piis?
Hoc siquidem melius demisso vivitur orbe,
Cum tamen ut vivat hic sibi quisque facit.
Hic sita sunt Papa Bonifacii membra sepulchro
Pontificale sacrum qui bene gessit opus.
Iustitiæ custos, rectus, patiensque, benignus,
Cultus in eloquiis, & pietate placens.
Flete ergo mecum Pastoris funera cuncti,
Quos tædet citius his caruisse bonis.

Secundum.

Sedis Apostolicæ primævis miles in annis,
Post etiam toto Præsul in Orbe sacer.
Membra beata senex Bonifacius hic sua clausit,
Certus in adventu glorificanda Dei.
Mitis adunavit divisum Pastor ovile,
Vexatos refovens, hoste cadente, greges.
Iram supplicibus humili de corde remisit,
Debellans cunctos simplicitate dolos.
Egit, ne sterilis Romam consumeret annus,
Nunc orando fugans, nunc miserando famem.
Quis te, sancte Parens, cum Christo nesciat esse,
Splendida quem tecum vita fuisse probat?

Ecclesiæ SS. Felicitatis, Silvani, & Bonifacii Papæ. 3 Ecclesiæ quoque ibidem in honorem S. Felicitatis, ac sanctorum Silvani & Bonifacii Pontificis erectæ fuere. Nam Ecclesiæ S. Felicitatis ipse Bibliothecarius meminit, dum in Symmachi Papæ gestis hæc narrat: *Hic reparavit basilicam S. Felicitatis, quæ jam in ruinam imminebat.* Ubi postea B. Gregorius Papa Homiliam tertiam in Euang. habuit. Verum Ecclesiæ beatorum Silvani, & Bonifacii idem in vita Adriani Papæ Primi meminit, qui memoratas hactenus Ecclesias unà cum ipsius B. Felicitatis Cœmeterio instauravit. Hæc autem inquit: *Cœmeterium vero S. Felicitatis Via Salaria unà cum Ecclesiis S. Silvani Martyris, & S. Bonifacii Confessoris, atque Pontificis, uno cohærente solo, miræ restauravit magnitudinis.* Harum tamen Ecclesiarum nullum prorsus hac nostra ætate vestigium suspicitur.

Biblioth. in Symmac. Pap.

Id. in Hadr. Pap. I.

4 Hoc porro S. Felicitatis Cœmeterium, Jordanorum quoque nomen, quorundam appellatione, sortitum est: sub hoc enim titulo à Bibliothecario in Symmachi Papæ gestis describitur, dum illud ab eodem instauratum fuisse enarrat: *Hic fecit Cœmeterium*, inquit ille, *Iordanorum in melius, propter corpus S. Alexandri.* Qui quidem Alexander unus fuit ex filiis S. Felicitatis. Verum aperte magis ad rem nostram Bibliothecarius idipsum in vita Adriani Primi explicat; ubi cum multiplicia ab eo Cœmeteria, quæ Salaria Via extabant, restituta fuisse describat, hoc quoque interserit: *Immo*, inquit, *& Cœmeterium Iordanorum, videlicet sanctorum Alexandri, Vitalis & Martialis martyrum, seu sanctarum septem virginum à novo restauravit.* Ex quibus liquido, ut videre est, in ipsomet Cœmeterio, quod Jordanorum olim nuncupabatur, sacra beatorum Alexandri, Vitalis filiorum S. Felicitatis corpora recondita, idemque Cœmeterium multiplicibus hisce nominibus appellatum fuisse, comprobatur.

Cœmeterium Iordanorum. *Idem in Symm. P.* S. Alexan[dri] Cœmeter[ium] Via Sala[ria] sita. *Biblioth. Hadr. P.*

5 Nomina vero sanctarum septem virginum, hoc eodem loco quiescentium, à quibus denominari meruit, in Martyrologio Romano pridie Kal. Januarii his quidem verbis recensentur: *Romæ Via Salaria in Cœmeterio Priscillæ sanctarum Martyrum Donatæ, Paulinæ, Rusticæ, Nominandæ, Serotinæ, Hilariæ, & sociarum.* In pervetusto itidem M. S. Basilicæ Vaticanæ Martyrologio earumdem mentio fit, & sociarum pariter, quæ in Romano desiderantur, singillatim nomina describuntur; hæc autem ibi: *Romæ Via Salaria in Cœmeterio Iordanorum natale sanctarum Donatæ, Paulinæ, Rusticianæ, Nominandæ, Serotinæ, Hilariæ, Rogatæ, Dominandæ, Hilarinæ.* At vero lectori sacræ antiquitatis, ac veritatis pariter studioso negotium aliquod facessere videtur, virginum earumdem numerus in Romano Martyrologio indefinite descriptus, in Vaticano autem peculiariter auctus: verum cum in reliquis utraque consentiant, nobis quidem credere par est, vel librariorum incuria septem pro novem apud Bibliothecarium descriptas fuisse, vel certe nomina ipsa *Hilarinæ* videlicet pro *Hilaria*, & *Denominandæ* pro *Nominanda* perperam repetita fuisse. Nec autem inde scrupulus hic lectoris menti obrepat, quod in Martyrologio Romano legatur in Cœmeterio Priscillæ, apud Codicem vero Vaticanum, in Cœmeterio Jordanorum, haud utrisque cohærentibus, ut constat, inter se nominibus: nam ut iste difficultatis nodus facili negotio eludatur, quis nesciat sub amplissimo ac generico Priscillæ nomine, cætera frequenter, quæ hac Via Salaria existunt, Cœmeteria recenseri, cum reliqua ejusdem sint partes, in quas illud subdividitur, uti de hoc præsertim Jordanorum Cœmeterio pronunciandum est. Nec demum quispiam dixerit Bibliothecarium de septem virginibus loqui, quæ hujusmodi nomine in Romano item Martyrologio v. Id. Aprilis prænotantur; cum illæ haud Romæ, sed Sirmii, ut expressis verbis ibidem legitur, martyrium pro Christi fide subierint.

Cœmeterium [sa]nctarum septem [vir]ginum. *Marty. Rom. pr. Kal. Ia[n.]* *M. S. C[od.] Vat.* 4[...] S. Cæci[...] SS. Don[atæ,] Paulin[æ,] Rustici[anæ,] Nomin[an]da, Sero[ti]na, Hil[ariæ,] Rogat[æ,] Domin[an]da, & H[ila]rina.

6 Porro hæc ipsa nobilissima Cœmeterii Priscillæ pars, Alexandri quoque titulum sortita est, ob veneranda nimirum beati ejusdem Alexandri Felicitatis filii pignora ibidem condita, iisdem Bibliothecario, Adone, ac Beda testibus.

Cœme[te]rium S. [A]lexand[ri.] *Bibl. A[...] Beda i[n] Mart.*

7 Eodem insuper Cœmeterio nobilissima Christi virgo & Martyr Susanna sub impio Imperatore Diocletiano celebri quondam martyrio coronata, ut iidem Ado & Beda affirmant, tumuli obsequio

S. Susa[nna] virgo, marty[r.] *Ado & [Be]da in [...]*

excepta eſt, quod & in ejuſdem Actis hiſmet verbis legitur: *Hoc cum audiſſet Serena Auguſta, cum gaudio noctu veniens, collegit corpus S. Suſannæ Martyris, & ſanguinem, quem effuderat in eodem loco, cum ſuo velamine deterſit, & poſuit in capſa argentea in palatio ſuo; ubi diu noctuque furtivis vicibus orare non ceſſabat. Corpus autem S. Suſannæ ipſa manibus ſuis ornavit cum linteaminibus & aromatibus, & poſuit juxta corpora ſanctorum in Cœmeterio Alexandri in arenario, in crypta juxta S. Alexandrum in civitate Figlina* III. *Id. Aug.* In cæteris verò M. S. Baſilicæ Vaticanæ Codicibus, in quibus hæc eadem acta recitantur, illud ſubtexitur, eandem videlicet apud ſanctorum Chryſanthi & Dariæ corpora depoſitam fuiſſe; hæc enim ibi: *Corpus autem ejus ipſa manibus ſuis ornavit linteaminibus, & condivit aromatibus, & poſuit juxta corpora ſanctorum Chryſanthi & Dariæ Via Salaria in arenario, juxta Sanctum Alexandrum in civitate Figlina* III. *Id. Aug.*

8 Ex recenſitis autem Cœmeterium illud prope figlinas olim extitiſſe, manifeſte convincitur, quarum frequenter in pluribus ſanctorum Martyrum Actis mentio iteratur. Et iſte quidem locus, ut credere par eſt, civitatis forte nomen ob plurimas figulorum domos ibidem exiſtentes obtinuit, quæ civitatis cujuſdam faciem intuentibus præ ſe ferebant. Quod autem in hac potiſſimum regione figulorum officinæ olim extiterint, aperte, ut reor, ex ipſomet Viminalis Portæ, quæ proxime adjacet, nomine comprobatur, quæ, ut jam ſupra oſtendimus, *Figulenſis* dicebatur. Verum id lector præmonendus eſt, in hujuſcemodi videlicet Actis mendum irrepſiſſe, ut pro *Fidenæ* corrupto vocabulo *figlinæ* legantur. Salaria enim Via ad V. ab Urbe lapidem Fidenæ erant, vetus ac celebre quondam oppidum, ubi nunc caſtellum extat, quod Jubileum nuncupatur. In his verò actis oppidi hujus nomen in Figlinas, vel exſcribentium, aut certe legentium inſcitia, detortum, commutatumque eſſe crediderim. Alterum enim oppidum, quod *Ficulea* dicebatur, ex quo *Ficulenſis* porta, Nomentana Via ſitum erat. Quapropter in epiſtola 7. Innocentii Papæ Primi pro una eademque recenſetur Nomentana, ſive Felicienſis, vel Ficulenſis Parochia, hoc quippe modo legendum iſthic videtur, cum alterum ex præmemoratis nominibus, velut quid ſibi minus notum, librariorum imperitia ipſorum verborum ſenſum ac literas immutando corruperit. Sed Fidenæ, ut diximus, Viæ Salariæ, cum Ficulea Nomentanæ Viæ haudquaquam ab imperitis hominibus confundendæ ſunt: ni forte, ob ipſius loci propinquitatem, hoc nomen promiſcue uſurpatum fuiſſe aſſeratur.

9 Cum iiſdem igitur in Actis lectiſſimam virginem Suſannam juxta ſanctorum martyrum Chryſanthi, & Dariæ corpora depoſitam fuiſſe deſcribatur; fateri quoque neceſſe eſt, Martyrum eorundem Cœmeterium, ipſummet eſſe, quod Adrianus Papa hujus nominis Primus, Bibliothecario teſte, inſtauravit: *Baſilicam*, inquit ille, *Sancti Saturnini Via Salaria poſitam unà cum Cœmeterio ſanctorum Chryſanthi & Dariæ renovavit.* Et Salaria quidem Via invicti Martyres Chryſanthus, & Daria ſub Numeriano diris pro Chriſto pœnis affecti, inaudito ibidem crudelitatis ac ſupplicii genere viventes adhuc terra obruti, ac ſepulti ſunt: ad quorum deinde ſepulchrum cum numeroſa populi multitudo ad celebranda eorundem natalitia confluxiſſet, eodem jubente Numeriano, obſtructo Cœmeterii aditu, omnes, qui aderant, optatam pro Chriſto martyrii palmam aſſecuti ſunt; inter quos Diodorus presbyter, & Marianus Diaconus præcipui erant, quorum duntaxat ex tam ingenti martyrum numero Chriſti fidelibus nomina noſſe datum eſt, cum reliquorum, quæ adhuc ignorantur, digito Dei vivi in vitæ libro ſcripta recenſeantur. Horum autem illuſtre ac recolendum jugiter in Eccleſia martyrium, eorumdem in Actis his plane notis exprimitur: *Tunc Numerianus Imperator non virtutibus divinis hæc, ſed maleficiis imputans, juſſit eos duci Via Salaria, atque in arenario deponi, Chryſanthum nimirum & Dariam ſimul & illuc utroſque vivos, terra & lapidibus obrui. Tunc beatiſſimus Chryſanthus cum beata virgine Daria deponuntur in foveam, pſalmis & orationibus inſiſtentes; facti ſunt in paſſione ſociati ſanguine, ſicut fuerant mente etiam conjuges; quaſi in uno lecto, ita in una fovea, in una voluntate durantes. Talis fuit paſſio, quæ magis ſepulturam Dei famulis intulit, quam pœnam ingeſſit. Accepit autem Deus hoſtiam viventem, cujus gratia hoc factum eſt, ut qui ſimul fuerant in virginitate durantes; ſimul pertingerent ad coronam. Igitur cum multa beneficia Deus venientibus ad eorum ſepulchra præſtaret, evenit ut die natalis eorum infinita populi multitudo concurreret, viri ſimul & mulieres, pariter & infantes, & innuptæ puellæ, & juvenes. Hoc cum fuiſſet Numeriani auribus intimatum, juſſit ut in introitu, quo introjerant in crypta paries levaretur; quod cum fuiſſet impletum, deſuper à Sabulone ſuper eos montem dejecit. Omnes ergo pariter, dum communiter ſacramenta perciperent, & martyrum gloriam celebrarent, ipſi quoque ad coronam martyrii pertigerunt. Inter quos erat Diodorus presbyter & Marianus diaconus, & plurimi clericorum. Populi autem multitudo nec numerum, nec nomina collecta ſunt, quia & laciniosum & ſuperfluum judicavimus.* Vides hinc martyrum obſequio deditos, ac intra abdita Cœmeteriorum loca ad eorumdem recolenda certamina, divinorumque Sacramentorum participanda myſteria confluentes, martyrii palma, ac martyrum ſocietate donatos.

SS. Diodorus, Marianus, & ſocii.

Act. SS. Diod. & Mart. Cod. Vat. S. Petr. D. Vall 3. 10.

10 Porro celeberrimum hunc martyrii locum à S. Damaſo Papa nobili carminum præconio exornatum S. Gregorius Turonenſis de glor. Mart. lib. I. cap. 38. luculenta quidem oratione deſcribit; cujus hic verba, utpote quæ rei propoſito mirum in modum conſonant, recenſere haud pigebit. Hæc igitur Gregorius: *Chryſanthus martyr, ut hiſtoria paſſionis declarat, poſt acceptam martyrii coronam cum Daria virgine, multa populis ſanitatum beneficia tribuebat, & ob hoc etiam crypta ſuper eos miro opere fabricata eſt, quæ in arcuum modo tranſvoluta, firmiſſima ſtabilitate ſubſiſtit. Denique cum ad ejus feſta populorum frequentatio confluxiſſet, iniquiſſimus Imperator erectum in illius cryptæ introitu parietem, concluſa multitudine, juſſit ædem arena & lapidibus operiri: factuſque eſt deſuper mons magnus. Idque geſtum certiſſime ipſius manifeſtant ſcripta certaminis. Quæ crypta diu ſub hoc velamento permanſit operta, donec Urbs Romana, relictis idolis, Chriſto Domino ſubderetur. Iam procedente tempore nulli erat cognitus locus ipſius ſepulturæ, donec Domino Ieſu revelante pàtefactus eſt, cujus partem in una loci interpoſito pariete, ſepulchra martyrum Chryſanthi & Dariæ ſegregata parte, in alia ſanctorum reliquorum cadavera ſunt congregata. Veruntamen in pariete illo; qui* eſt

Locus martyrii SS. Chryſanthi, & Dariæ deſcriptus.

Greg. Turon. lib. I. c. 38.

est in medio positus, fenestram structor patefactam reliquit, ut ad contemplanda sanctorum corpora aditus aspicienti pateſceret. Ferunt etiam, quod eo tempore, quo ad sancta ſolemnia accedentes incluſi ſunt, urceos argenteos ex metallo formatos, cum vino, quod ab oblationem ſacrificii divini offertur, ſecum homines detuliſſent, argentumque ibi remanſiſſe manifeſtum eſt, idque hodie à conſpicientibus cerni. Sed quia jugiter mens humana turpibus, erubeſcendiſque cupiditatibus inhiat, ſubdiaconus quidam viſo per feneſtram argento, cogitat intra ſe, quod poſtero die, avaritia impellente, complevit. Nocte enim conſurgens, ingreſſus eſt baſilicam ſanctorum: deinde per feneſtram ingrediens cellulam, ac per obſcuritatem noctis palpans manibus, aliquos de urceis cepit, deinde egredi cum præda cupiens, per totam noctem circumiens, nunquam potuit aditum, unde ingreſſus fuerat, reperire. Deo quippe ſcelerum vindice avarus æque ac ſacrilegus homo dum patrando ſceleri totus incumbit, vel nolens, vel inſcius, ut ab argento manum & cor pariter ab impietate coerceret, carcerem patiebatur. Sed interim, quæ Gregorius ſubtexit, audiamus: *Dato vero,* inquit, *die dum opera ſua obtegi conſcius ſceleris voluit, juxta illud Dominici oraculi dictum, quod omnis, qui male agit, odit lucem, ut non manifeſtentur opera ejus, occultavit ſe in angulo cellulæ tota die, ne videretur: ſequenti vero nocte quæſivit iterum aditum, ſed reperire non potuit: ſic per trium noctium curricula fecit. Tertia vero die, cum jam fame cruciaretur, acceſſit coram populo ad feneſtram, & relicto argento confeſſus eſt opus ſuum; egreſſus eſt foras cum magna verecundia, nec latuit ſcelus, quod geſſerat, populis qui aderant. Poſt multum vero temporis cognoſcens hoc factum Damaſus Antiſtes ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, juſſit diligentius operiri feneſtram, ubi & verſibus decoravit locum, & ibi benedicitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad laudem nominis ſui uſque in hodiernum diem.* Hæc Gregorius Turonenſis.

Avaritia ſubdiaconi argentum è crypta Cœmeteriali furtim auferre nitentis punita.

Splendida Eccleſiarum olim ſupellex.

11 Ex enarratis autem hactenus à Turonenſi, de argenteis vaſis, quæ in præmemorato SS. Chryſanthi & Dariæ martyrum Cœmeterio aſſervabantur, hic vel obiter contemplantibus palam fit, quam ſplendida ornamentorum genera apud primævos Chriſtianos uſui extitiſſent, quibus Eccleſia ſub ipſiſmet perſecutionum temporibus mirifice refulgebat. Si quis enim hæc mente altius repetat, vaſa aurea, vel argentea ad ſacrum altaris miniſterium perſecutionis tempore ab Urbano Pontifice facta eſſe ex ejuſdem actis comperiet. Si vero de Diocletiani potiſſimum temporibus ſermo ſit, egregium illud apud ſanctum Auguſt. epiſt. 165. Monumentum extat, ubi proconſularibus ex actis legitur, inter vaſa ad Eccleſiæ uſum compoſita lucernam argenteam adnumeratam fuiſſe: & ipſemet Optatus Milevitanus de ſævis Diocletianæ perſecutionis temporibus agens, hæc ait: *Extant ex auro & argento quamplurima ornamenta, quæ nec fodere terra, nec ſecum portare poterat, &c.* Et Auguſtinus ex proconſularibus item actis inter Eccleſiaſtica ornamenta calices duos aureos, & ſex argenteos recenſet. *Vaſa inſuper argentea miniſterialia è cryptis effoſſa, in quibus ſancti Martyres* (ut Baronius ait) *ſacra peragentes delitescebant, Gregorius Turonenſis teſtatur de glor. Martyrum cap.* 38. Hæc autem ante Chriſtianos Imperatores: poſtea autem (ut idem Baronius adnotat) quam abundaverint Eccleſiæ vaſis aureis & argenteis pretioſiſſimis, ſuperfluum eſt dicere: erant enim ipſis gentilibus in admiratione. Unde Julianus Præfectus orientis avunculus Juliani Apoſtatæ, illa Antiochiæ intuens, & obſtupeſcens dixit: *En quam ſumptuoſis vaſis Filio Mariæ miniſtratur.* hæc ille apud Theodoretum hiſt. lib. 3. cap. 17. Maximus igitur ornamentorum Eccleſiaſticorum ſplendor apud Chriſtianos, & ea in rebus divino cultui dicatis pompa gentilibus obſtupeſcentibus extitit, ut nil prorſus lector mirari queat, ſi argenteos, quos ſupra meminimus, urceos Chriſtianorum miniſterio olim adhibitos fuiſſe perlegat.

In geſt. S. Urb. in lib. de Rom. Pont.

Aug. ep. 165.

Optat. lib. 1. cont. Parmen.

Baron in Mar. Rom. die 16. Aug.

Theod. l. 3 c. 1[7]

12 At non vaſa dumtaxat, ſed loca ipſa Dei obſequio dicata, ingenti ſplendoris cultu habita, & mirifice à Chriſtianis exculta fuere, cujus quidem rei infenſiſſimi Chriſtianæ fidei hoſtes, & ipſiuſmet nominis Chriſti adverſarii teſtes ſunt, ita ut illud merito aſſeri poſſit: *Et inimici noſtri ſunt judices. Quo enim olim ſumptu, qua impenſa & ornatu iſthæc peragerentur* (ut Baronius ait) *ex his certe, quæ Chriſtianis infenſiſſimus hoſtis (licet res noſtras deridens, & carpens) ethnicus homo tradit, qui Apoſtolorum temporibus, ac etiam Trajani vixiſſe ex ſuis ipſius ſcriptis cognoſcitur, aliqua ſaltem ex parte intelligi poſſe videtur: ac proinde qualis eſſet rerum noſtrarum cultus, quantumlibet perſecutio acrior undique vigeret, idem auctor, licet aliud agens, pennicillo quidem figurare videtur, nec adeo obſcure, ut non liceat velut per rimulas quaſdam rem ipſam aliqua ex parte cognoſcere.* Lucianus enim iſte de rebus Chriſtianorum loquens Criteam quemdam introducit, qui cum ab aliquo fidelium Chriſtianus fieri perſuaderetur, ab eodem in locum, ubi Chriſtianorum cœtus peragebantur, deductus eſt, quem quidem ille locum ſatis ſplendidum hunc in modum eleganter deſcribit: *Pertranſivimus,* inquit, *ferreas portas & ærea limina, multiſque jam ſuperatis ſcalis in domum aurato faſtigio inſignem aſcendimus, qualem Homerus Menelai fingit eſſe: atque ipſe quidem omnia illa contemplabar, quæ inſularis ille adoleſcens. Video autem non Helenam, ſed mehercule viros in faciem inclinatos, & palleſcentes, &c.* Hæc quidem & alia apud Lucianum de Chriſtianis deriſionis gratia dicta leguntur. Ex quibus dum auro parietes, ac laquearia, & totus circumquaque locus (ut ipſe prolixius deſcribit) fulgeret, Chriſtianorum dumtaxat facies jejuniis aridæ, & jugi carnis maceratione attritæ ac palleſcentes horrorem intuentibus incutere videbantur. Et hæc ſunt, quæ hic vel obiter in rem præſentem enarraſſe voluimus.

Veterum Chriſtian[orum] ſplendida Templa.

Baron. ad an. 57. n. 101.

Apud Lucian. in Philop.

14 Porro ut ad noſtra redeamus, & perluſtrato SS. Chryſanthi ac Dariæ Cœmeterio, carmina, quæ beatus Damaſus in eorumdem martyrum honorem conſcripſit, recenſeamus, hęc in Poëmatum ejuſdem nuperrime edito opuſculo leguntur, carm. XXXVI.

Hic votis paribus tumulum duo nomina ſervant
Chryſanthi, Dariæ nunc venerandus honor.
Effera quæ rabies neglecto jure ſepulchri, &c.

Ex carm. S. Dam. Pap.

14 Sacræ hujus cryptæ venerationis cultu digniſſimæ veſtigium omne, ac memoria exciderat, & licet Sanctorum meritis ac ſignis locus apprime nobilitatus eſſet, inter oblivionis tamen tenebras incultus latuit uſque ad Stephani Papæ Sexti tempora, qui divino lumine afflatus & locum, ac eorumdem pariter Sanctorum corpora adinvenit, atque in Urbem (ut par erat) perhonorifice tranſtulit. Cujus recolendæ inventionis, ac tranſlationis item hiſtoriam Surius exacte deſcribit to. 1. 17. Januarii, & brevi quodam compendio in ſacris ſeptem Urbis Eccleſiarum Monimentis, in Baſilicæ videlicet Latera-

Tranſla[tio] corporum SS. Mar[t.] à S[te]phano P[apa] peracta.

Sur. to. 1. 17. Ian.

Lateranensis descriptione, à Severano nostro recensentur; apud quam præcipue maxima sacrorum pignorum pars, uti pariter in Ecclesia Sanctorum Apostolorum nunc condigno honore asservatur.

Translatio corporis S. Susannæ. Ecclesia eadem. 15 Porro præclaræ virginis & Martyris Susannæ corpus eodem è Cœmeterio in Ecclesiam ejus nomini dicatam translatum fuit; ubi & paterna quondam ejusdem domus fuerat, in regione scilicet Altæ semitæ Diocletianas prope Thermas; quo loco magnificentius ad nostra hæc tempora exornato, majori sub ara conditum, summa Urbis totius, ut par est, veneratione colitur. In præmemoratæ autem ejusdem olim Ecclesiæ Confessione versus hujusmodi insculpti legebantur:

Vetus inscriptio in æde S. Susannæ.

OLIM PRESBYTERI GABINI FILIA FELIX.
HIC SUSANNA JACET IN PACE PATRI SOCIATA.

Translatio corporis S. Felicitatis. 16 In eandem postea B. Susannæ Ecclesiam à S. Leone Papa Tertio, sacrum quoque S. Felicitatis corpus delatum est, ut quemadmodum eodem in Cœmeterio beata corpora tumulata jacuerant, ita pariter ejusdem Ecclesiæ sinu, ac pari devotionis cultu excepta in Domino conquiescerent. Verum ipsemet B. Leo, cujus jam meminimus, Ecclesiam hanc vetustate penitus collabentem iterum à fundamentis extructam pristino decori restituit: cujus recolendæ instaurationis memoria majori in apside his verbis musivo opere olim intextis prænotabatur:

Vetus inscriptio in Ecclesia S. Susannæ.

BEATÆ SUSANNÆ MARTYRIS AULA COANGUSTO
ET TETRO EXISTENS LOCO MARCUERAT: QUAM
DOMINUS LEO PAPA TERTIUS A FUNDAMENTIS ERIGENS,
ET CONDENS CORPUS S. FELICITATIS MARTYRIS
COMPTE ÆDIFICANS ORNAVIT ATQUE DEDICAVIT.

Translatio corporis S. Alexandri. Abbas Usperg. Crantzius. 17 At vero beati Alexandri corpus in Saxoniam sub S. Leone Papa Quarto delatum fuisse Abbas Uspergensis, & Crantzius asserunt. Reliqua filiorum beatæ ejusdem Felicitatis corpora quampluribus ipsius Romæ Ecclesiis ditandis pariter ac illustrandis præsto fuere, inter quas merito Sacræ B. Mariæ in Cosmedin, nec non Sanctorum Marcellini & Petri prope Lateranum Ædes adnumerandæ sunt: in quibus sub Sanctorum Septem fratrum nomine, inscriptis ibidem titulis, eorundem reliquias asservari perhibetur. Sed de his hactenus.

CAP. XXX.

De Cœmeterio Novellæ.

1 QUa potissimum de causa Cœmeterium, de quo nunc sermo incurrit, appellationem ejusmodi sortitum fuerit, ut quod verum est, fateamur, nos penitus latet: quamvis à religiosa quapiam muliere istius nominis sumpsisse derivationem, merito arbitrari ac suspicari quis valeat. At *Novellæ*, vel certe *Noëllæ*, ut alii legunt, nomine in sacris quidem Martyrologiis, ac sanctorum Martyrum Actis, quod noverimus, nulla prorsus mulier inscripta legitur: quamvis in pervetustis Gentilium inscriptionibus hoc utique nomen frequentissime repetatur. Ex quo, ut nobis probabilis quidem conjectura suadet, Cœmeterium istud à nobili quadam Romanarum illustrium matrona, Novellæ titulum, ac nomen desumpsit. Quod item Cœme- (Novella matrona.)

terium tertio ab Urbe lapide Via Salaria existit, ejusdemque scriptor actorum Liberii, & Damasi meminit, qui, additis insuper beati Pontificis Damasi carminibus, nuper editus est, & ab Onuphrio speciali titulo S. R. E. Protonotarius appellatur, qui eundem Liberium Pontificem Urbe à Constantio ejectum diu in hoc Cœmeterio habitasse his verbis constanter affirmat: *Tunc Liberius cœpit Constantium publice redarguere, asserens eum post Christianæ professionis susceptionem Ecclesiæ Christi emolumenta, non incommoda conferre debere. Unde Constantius vehementer iratus, hunc extra civitatem, quasi in exilium deportari præcepit; & habitavit extra milliario tertio, in Cœmeterio, quod dicitur Novellæ, Via Salaria.* Et paulo infra, ut iisdem in Actis fertur, ipse Liberius solemni appropinquante dierum Paschalium festo, clero ab Urbe accersito, luculentum ac pastorali solicitudine dignum sermonem ibidem habuit; hæc enim ibi recitantur: *Eodem tempore appropinquante solemnitate Paschali, qua in Christo renasci plurimi exoptabant, convocavit Liberius Urbis Episcopus universos Catholicos Ecclesiastici gradus; sedensque in Cœmeterio supradicto, sic loqui exorsus est: Dies tribulationis & angustiæ, fratres charissimi, emerserunt: in quibus navis Petri, ventis insurgentibus, perturbata, tanquam Christo dormiente naufragium pertimescit. Nam & piratæ undique imminent, & interdicitur nobis gubernandi facultas. Necesse itaque est, ut Dominum clamoribus excitemus, quatenus eo nobis dexteram porrigente, & inimicorum reprimatur incursus, & omnis perturbatio conquiescat: cui spei præsumptio nobis sit, quod caput horum malorum Arrius est extinctus. Dum enim de exilio revocatus apud Alexandriam cum fratre nostro Alexandro de fidei causa confligeret, humanæ causa necessitatis ad locum publicum declinavit; ubi cum sederet, intestina ipsius, atque omnia viscera ab ejus corpore defluxerunt. Confidamus itaque in Domino, quoniam iniquorum capite, eo favente, destructo, & membra reliqua facile destruentur. Ego interim, fratres, vobiscum esse nequeo præsentia corporali: habetis autem vicarium fratrem, & compresbyterum Damasum, virum utique fidelissimum, & cunctis virtutibus adornatum: cujus prudentiam & constantiam mihi publice prædicatis, eo prævio post Deum in cunctis viis vestris utamini. De Baptismate autem quid sit agendum, decernite, & in quo loco celebrandum est, providete, quoniam Paschalis instat solemnitas, in qua multi baptizari desiderant. Respondit Dionysius presbyter; & ait: Præsul sancte & innocens confice Chrisma in nomine illius, quem publice prædicas, & celebremus Baptismum. Respondit Damasus Vicarius, dicens: Certi esse possumus, quia non relinquet Dominus plebem suam, cum qua usque ad finem mundi permansurum se esse promisit. Exhibe nobis ad præsens celebrare Pascha. Ego in humilitate loquor, onus enim quod super te bajulas, nos sublevare non possumus; quia ignoras ubi baptizes. Nonne Ioannes in deserto baptizabat? Patres quoque nostri in typo Baptismi per medium mare transierunt: nam & in fluminibus & in paludibus, maxime instante necessitate, convenit baptizare. Hunc sermonem cum gaudio suscepit Liberius Episcopus, ita ut præ gaudio fleret. Audiens autem per os beati Damasi, quem Vicarium ipse delegerat, divinum consilium; & conversus ad eum, dixit: Eris major ministrorum, sicut ille, qui Baptismum instituit. Et ad clerum de illo ait: Qui est vester minor; major fiet, & qui se humiliat, exaltabitur. Cum enim esset Pontifex, prophetavit,*

Acta Liberii & Damasi. — Onuphr. — Sermo Liberii Papæ in Cœmeterio Novellæ. — Ibid. — Arrius hæresiarcha extinguitur. — Damasi encomium. — Omnis locus Baptismo peragendo aptus ac conveniens.

phetavit, quod B. Damasus præeminentia humilitatis, & vigilantiæ ad culmen Sedis Apostolicæ esset quandoque provehendus. Hæc ibi.

2 In aliis quoque M.S. Codicibus eadem utique apud hoc Cœmeterium gesta, diverso licet, ac immutato stylo, leguntur: in illis etenim quem ad Romanum clerum Liberius sermonem habuit, ab illis verbis orditur: *Nolite timere, quod ego vobiscum non habito, &c.* Ex quibus, ut vides, ad sacra obeunda munia, & ad Sacramentorum mysteria peragenda, Baptismi videlicet, & Eucharistiæ, dum persecutionum tempora ingruerent, fideles passim unà cum ipsis Summis Pontificibus in Cœmeteriales latebras se recipere, ibidemque latitare consuevisse, exploratissimum redditur. Cum autem post hæc de præmemorato Novellæ Cœmeterio, nec in sacris Martyrum Actis, neque apud Bibliothecarium, ac cæteros antiquos scriptores mentio ulla habeatur, hoc quoque, ut alibi diximus, Cœmeterii Priscillæ partem extitisse conjicimus, cum tertio ab Urbe milliario recenseatur, quanto, & illud ab Urbe intervallo distat. Et hæc interim de celebri Novellæ Cœmeterio, quod penitus antiquatum est, lectori indicasse sufficiat.

Cœmeterium Novellæ pars Cœmeterii Priscillæ.

CAP. XXXI.

De Ostriano Cœmeterio.

Familia Ostoria. *Tacit. in hist. Tertul.*

1 AB Ostoria Romanas inter familias præclarissima, cujus frequenter Tacitus, ac ipsemet Tertullianus meminit, Ostorianum hoc Cœmeterium initium traxisse, corruptoque deinde vocabulo, Ostrianum nuncupatum fuisse, aliqua nec quidem temere suspicio menti obrepit. Ejusdem vero in supra recitatis Liberii & Damasi Actis mentio incurrit, in quibus fertur, hunc potissimum apud locum non Liberium dumtaxat, sed & Petrum ipsum Apostolorum principem aliquando baptizasse, hæc enim ibi: *Erat autem non longe à Cœmeterio Novellæ, Cœmeterium Ostrianum, ubi beatus Petrus Apostolus baptizaverat. Eodem ergo tempore habito consilio, baptizavit ibi Liberius Episcopus promiscui sexus quatuor millia duodecim, quia non solum Romani, sed & Romanorum finitimi ab eo baptizari optabant.* Quantus quotidie ad Christi fidem accessus fiebat, cum vel ipsas inter persecutiones tot millia hominum, ut sacris baptismi aquis abluerentur, undique ad Cœmeteria convolarent: sed hic quæso, quæ ad Baptismum pertinent, ex eisdem Actis repetamus: hæc enim infra de solemni Baptismate ejusdem Liberii manu sub ipso Pentecostes die celebrato in Basilica Sancti Petri, suggerente Damaso, qui Baptismatis illic fontem paraverat, eisdem in Actis recitantur: *Et cum solemnitas Pentecostes advenisset, multitudo promiscui sexus urgebatur ad Baptismum propter metum persecutionis. Volente autem Liberio in præscripto Cœmeterio baptizare, ait ad eum Damasus: Quare opportunitate accepta non baptizas ad primum nostrum Pontificem Petrum Apostolum?* Ex quo apertis utique verbis, Cœmeterium hoc præ cæteris vetustissimum æque, ac præclarissimum esse constat, ubi Petrus Apostolorum Princeps accedentes baptizare consueverat. Et quidem credere nobis par est, Ostrianum olim Cœmeterio Priscillæ adjunctum, ejusdemque partem fuisse, quod nimirum beatissimus Christi Apostolus frequenter in hospitis sui gratiam inviseret, Prudentis videlicet Priscillæ filii, quæ Cœmeterium istud, ut jam supradictum est, divino potissimum cultui, martyrum obsequio, ac publicæ piorum utilitati construxerat. Sed nobilissimi Cœmeterii faciem lectori quam paucis delineasse, contemplandamque ob oculos exposuisse satis sit.

S. Petrus Ap. Baptizat in Cœmeterio Ostriano.

Act. Liber. & Damas.

Liberius baptizat in eodem Cœmeterio.

Ibid.

CAP. XXXII.

De Cœmeterio B. Hilariæ.

1 COemeterium hoc sub Numeriano Imperatore ab Hilaria Claudii Tribuni uxore, in quodam ejusdem horto, tunc potissimum temporis initium accepit, cum eundem Claudium, Jasonem ac Maurum filios martyrio coronatos eodem in horto marmoreis duobus tumulis perhonorifice deposuit: quo deinde loco ipsamet Hilaria eisdem pari sanguinis ac tumuli consortio juncta, recondi meruit, quod in sanctorum Chrysanthi & Dariæ Actis hunc in modum describitur: *Corpora autem filiorum collegit Hilaria relicta martyris Claudii, & singillatim condiens, Mauri & Iasonis in sarcophagis singulis collocavit. Quæ dum assiduis obsequiis circa sanctorum confessionem oraret Deum, tenta est: quæ dum traheretur, rogabat eos, qui se trahebant, dicens: Obsecro vos, permittite me prius orationem meam complere, & veniam quocunque volueritis. Igitur dum fixisset gradum, accepit Sacramentum Domini, & expandens manus suas, dixit: Domine Iesu Christe, quem toto corde confiteor, modo me associa filiis meis, quos ex utero meo ad martyrium convocasti: & hoc dicens projecit se in oratione, & dum oraret, projecit spiritum. Tunc illi, qui eam tenuerant, dolentes super repentinum obitum ejus, reliquerunt duas ancillas ejus, quæ cum ea erant. Illæ autem sepelierunt eam diligentissime sepulturæ, & super eam brevissimam Ecclesiam fabricaverunt, quia locus, in quo defuncta erat, ejusdem erat hortus Hilariæ, & ex quo sancti passi fuerant, ibidem sibi mansionem collocarat.* Idipsum apud Bedam, Adonem, sacra item Martyrologia, & Petrum in Catal. lib. 1. cap. 23. legitur, qui beatam insuper mulierem Hilariam optatissimo apud filios tumuli consortio dignatam fuisse affirmat.

S. Hilaria. S. Claudius. SS. Jason, & Maurus. Hortus S. Hilariæ.

Act. SS. Chrys. & Dar. Cod. Vat. 5. S. Petr. D. Vall. t. 3. x

Beda, & Ado. in Mart. Pe in Cat. lib. c. 23.

2 Verum de hoc B. Hilariæ Cœmeterio apud Bibliothecarium in Adriani Papæ Primi gestis mentio agitur; ubi de Ecclesiis, atque Cœmeteriis ab eodem Pontifice Via Salaria instauratis isthæc recitantur: *Atque Cœmeterium sanctæ Hilariæ innovavit.* Sepulchro autem S. Mauri, qui unus extitit ex ejusdem Hilariæ filiis, beatissimus Pontifex Damasus nobile hujuscemodi epitaphium inscripsit, quod apud Gruterum in Antiq. Inscript. & Baronium Annal. to. 4. ann. 384. recensetur, & inter carmina S. Damasi n. 21. legendum occurrit:

Bibl. in A Pap. 1.

Epitaphiu S. Mauri.

Gruth. in ant. inscr in app. pag 1171. Ba annal. to. an. 384.

Martyris hic Mauri tumulus pia membra retentat,
Quem Damasus Papa longo post tempore plebis
Ornavit supplex cultu meliore decorans,
Insontem puerum, cui pœna nulla dejecti.

Sacra vero ejusdem Mauri, & Jasonis corpora à Paschale Primo ad S. Praxedis Ecclesiam translata fuisse apposita ibidem inscriptio docet: quæ tamen postea unà cum S. Hilariæ matris corpore Lucam ab Alexandro Papa Secundo delata, & in Ecclesia S. Martini, quam ipsemet Pontifex erexerat, condita fuere, ut antiquissima ejusdem Ecclesiæ monumenta legentibus fidem faciunt, quibus Baronius quoque in suis Annalibus constanter adstipulatur.

Translati corporum SS Jasoni Mauri, & Hilariæ.

Bar. an. 11. an. 1

latur. Sed his interim expediti, ad alia orationis stylum convertamus.

CAP. XXXIII.

De Cœmeterio beatorum Thrasonis & Saturnini.

1 Quoniam Cœmeterii beatorum Thrasonis ac Saturnini opportune quidem nobis mentio incurrit, nonnulla hic, quæ maxime ad rei notitiam pertinent, antequam ad ulteriora progrediamur, præmittere libet, quò singula deinde lector facili negotio assequi valeat. Repetenda igitur hoc loco sunt, quæ de S. Thrasone in M. S. sanctæ Susannæ Actis his quidem verbis leguntur: *Maximus autem omni noctu venundabat facultatem suam per quendam amicum suum Thrasonem Christianissimum, togatum, qui occulte assidebat publico, habens in corde suo cum reverentia religionem Christianam, quem ante multos annos Cajus Episcopus baptizaverat: qui magis gesta Martyrum sanctorum colligens ornabat, & omnia nocturnis temporibus, pauperibus Christianis erogabat, circumiens per vicos & carceres & custodias.* Idem plane in M. S. sancti Marcelli Papæ Actis exponitur his verbis: *In ipso itaque tempore erat vir Christianissimus, nomine Thrason, vir potens, & facultatibus locuples, & vita fidelis. Hic cum vidisset affligi Christianos in fatigatione & labore, cœpit in sua facultate sanctis Martyribus alimoniam, & victum ministrare per manus virorum Christianorum, Sisinnii, Cyriaci, Largi, & Smaragdi.* Vides quanto studio Christianorum fidei causa laborantium inopiæ sublevandæ pii quique viri manum jugiter, atque operam suppeditarent. Ac demum de illustri Thrasonis ejusdem martyrio, quod sub Maximiano Imperatore contigit, in sacris Martyrologiis, & in Romano præsertim III. Id. Decembr. præclarum hoc elogium attexitur: *Romæ passio sancti Thrasonis, qui cum Christianos laborantes in Thermis, aliisque operibus aleret, jubente Maximiano tentus, cum aliis duobus Pontiano & Prætextato martyrio coronatus est.* Ut Euangelicum illud videlicet oraculum in eo adimpletum sit: *Qui recipit prophetam in nomine meo, mercedem prophetæ accipiet.* Hic enim martyres, ac pro fidei confessione strenue laborantes paterno sinu excipiens, martyrum mercedem martyr effectus recepit.

[Margin: ...hrason. | ...Act. S. ...nn. Cod. ...ecil. ...Natal. ...7. c. 49. | ...S ...r. Pap. | ...rt. Rom.]

2 A viro igitur pietate ac meritis clarissimo, qui Thrason dicebatur, Cœmeterium, de quo nunc agimus, initium habuit. In quodam enim sui ipsius prædio, quod Via Salaria situm erat, illud extruendum curavit; ubi ipsemet una cum Ioanne presbytero sacra beatorum Saturnini & Sisinnii Martyrum corpora sepelivit, ut in eorundem Actis hismet verbis describitur: *Eodem die dedit eis capitalem sententiam subire, & depositi de equuleo, ducti sunt Via Nomentana, milliario secundo, & ibi capite sunt truncati. Quorum corpora collegit Thrason cum Ioanne presbytero, & sepelivit in prædio suo Via Salaria sub die quarto Kalendarum Decembrium.* Hæc ibi.

[Margin: ...dium S. ...rasonis ...Salaria. | Saturni... ...& Si... ...nius. ...a SS. ...nnii &]

3. Dignissimum vero beati Saturnini sepulchrum his itidem carminibus eruditissimus ille, æque ac piissimus Pontifex, Damasus inquam, exornavit, atque hujusce modi titulum, perpetui impensique erga Christi Martyrem obsequii locupletissimum veluti monimentum non tam ferro, quam calamo insculpsit:

[Margin: ...taphium ...aturnini.]

Horum Martyrum cultor Damasus Episcopus servus Dei.
Sola Dei nunc Christi fuerat crarta cinis an.
Tempore quo gladius secuit pia viscera matris.
Sanguine mutavit patriam, vitamque, genusque
Romanum civem sanctorum fecit origo,
Mira fides rerum docuit post exitus ingens,
Cum lacerat pia membra, fremit Gratianus, ut hostes
Postea quam fellis vomuit concepta venena,
Cogere non potuit Christum te sancte negare,
Ipse tuis precibus meruit confessus abire.
Supplicis hæc Damasi vox est, venerare sepulchrum,
Solvere vota licet, castasque effundere preces,
Sancti Saturnini tumulus quia Martyris hic est.

[Margin: *Antiq. Inscrip. in Append. pag.* 1172.]

Hæc eadem carmina apud Gruterum in Appendice antiquit. Inscript. recensentur.

[Margin: *Gruth. in app. Antiq. Inscrip.*]

4 Cum vero eodem postmodum loco, ipsum supra Cœmeterium in honorem B. Saturnini Ecclesia erecta fuerit, ab utriusque martyris nomine, Thrasonis videlicet & Saturnini Cœmeterium appellari contigit; quinimo ipso Cencio Camerario teste lib. quem de Censibus scripsit, immutato paucis titulo Cœmeterium Thrasonis ad sanctum Saturninum nuncupari itidem consuevit. Hanc porro Saturnini Martyris Ecclesiam incendio pene absumptam Felix Papa Quartus restituit, ut Bibliothecarius hæc scribens tradit: *Hujus temporibus*, Felicis nempe, *consumpta est incendio basilica S. Martyris Saturnini Via Salaria, quam à solo refecit.* Subinde vero pari ratione ab Adriano Papa Primo; & demum à Gregorio Quarto hanc instauratam fuisse idem Bibliothecarius asserit. In Vaticanis insuper tabulis Nicolai Papæ Quarti diploma recensetur, in quo Pontifex plenissimam è thesauro meritorum Christi iudulgentiam impartitur his, qui descriptam hactenus beati Martyris Saturnini Ecclesiam invisent, apud quam nonnulli tunc Ord. S. Benedicti eremitæ morabantur; expressisque in eodem diplomate verbis præmemoratam Martyris Ecclesiam in Priscillæ ac Basillæ Cœmeterio existere pronunciatur; ex quibus aperte item colligitur, hoc ipsum Thrasonis Cœmeterium, Cœmeterii pariter Priscillæ quod dicitur, partem computari, & cum ejusdem ambitu protendi, eidemque pariter protenso circuitu jungi.

[Margin: Ecclesia S. Saturnini. | *Cenc. Camer. lib. de cens.* | *Bibl. in Felic. Pap.* 4. | *Nicol. IV. in Reg. to.* 1. *epist.* 669. Indulgentiæ Ecclesiam S. Saturnini visentibus concessæ. | Cœmeterium Priscillæ, & Basillæ.]

5 Porro antiquissima hæc unà cum eodem Cœmeterio Ecclesia, longo temporum interlapsu ruinis obruta, pretiosissima Sanctorum Martyrum Saturnini ac Sisinnii corpora inde in Urbem transferri contigit: Beati nimirum Saturnini corpus in Pammachii titulum, qui hodie sanctorum Ioannis & Pauli nuncupatur, quamvis venerandum ejusdem caput apud Eudoxiæ titulum, hoc est, ad sacram ædem B. Petri ad Vincula, condigno venerationis cultu servetur. Pretiosa autem B. Sisinnii Martyris pignora à Sergio Papa Secundo in Equitii titulum, ad Ecclesiam videlicet Sanctorum Martini & Silvestri in montibus honorifice delata fuisse vetus, quæ ibidem exsculpta est, inscriptio testatur: in qua & corpus item gloriosi Martyris Thrasonis illatum illuc fuisse narratur. Et quidem, ut quod verum est, fateamur, verisimile satis rem altius perscrutanti redditur, beatissimum videlicet Martyrem hunc haud alibi, quam ipsomet sui nominis Cœmeterio pia fidelium manu conditum fuisse. Et de his hactenus.

[Margin: Translatio corporum SS. Saturnini, & Sisinnii. | Titulus Pammachii. | Titulus Eudoxiæ. | Titulus Equitii. | Translatio corporis S. Thrasonis.]

CAP.

CAP. XXXIV.

De beatorum Martyrum Hermetis, Basillæ, Proti & Hyacinthi Cœmeterio.

1 Cœmeterium istud, cujus nomen, atque origo ipsas inter tenebras nobis investiganda proponitur, Via veteri Salaria haud procul ab Urbe situm est, ac variis quidem nominibus prænotatur. Hoc idem enim, ut breviter singula repetamus, Hermetis quandoque Cœmeterium appellatur, id est, à beato Martyre Hermete Urbis quondam Præfecto, qui ibidem conditus est; hic enim cum à Sancto Alexandro Papa ad Christi fidem traductus fuisset, illustre sub Adriano Imperatore, atque Aureliano Judice martyrium capitis obtruncatione promeruit: de quo in probatissimis Beati ejusdem Alexandri Papæ actis hujuscemodi mentio subtexitur: *Tunc data sibi opera cum summo studio ac desiderio magno pervenit ad illa Vincula* (S. Petri scilicet, quæ S. Alexander inquiri jusserat) *S. Balbina, deditque ea Theodoræ illustrissimæ fœminæ sorori S. Hermetis Præfecti Urbis; qui cum ab Aureliano decollatus fuisset, corpus ejus Theodora collegit, & in Salaria veteri sepelivit, non longe ab Urbe Roma, die v. Kalendarum Septembrium.* Hæc ibi. Idem plane scriptores cæteri, Ado, Beda, & Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 129. testantur, qui insuper apud eundem Christi Martyrem Hermetem, Theodoram quoque sororem ejus tumulo illatam fuisse addunt: quibus Martyrologium Rom Kal. Aprilis his verbis egregie adstipulatur: *Romæ passio Sanctæ Theodoræ sororis illustrissimi Martyris Hermetis, quæ sub Hadriano Imperatore ab Aureliano Iudice affecta martyrio, sepulta est juxta fratrem suum Via Salaria non longe ab Urbe.*

S. Hermes Urbis Præfectus. — Act. S. Alex. Pap. — Ado, Beda Petr. de Nat. lib. 7. cap. 129. — S. Theodora. — Martyr Kal. April.

2 Idem Cœmeterium Basillæ nomine à quibusdam nuncupatum est; à Basilla videlicet inter Urbis Martyres inclyta, ac regiis orta natalibus, quæ sub Valeriano & Gallieno Imperatoribus nobili martyrio coronata, ibidem pariter condita est. Cujus memoria in Martyrologio Romano XIII. kal. Junii recolitur. Alio item titulo Cœmeterium Sanctorum Proti & Hyacinthi Eunuchorum S. Eugeniæ locum hunc à quibusdam denominari quandoque contigit. Ibi enim eisdem sub Imperatoribus hi Martyres coronati, tumulo excepti fuerant, ut apud Adonem videre est, & in Romano Martyrologio III. Id. Septembr. expresse adnotatur. Quorum sacræ Confessionis locus in ipsomet Cœmeterio ipsius Symmachi Papæ munificentia argento exornatus, ut Bibliothecarius in ejusdem Symmachi Papæ gestis refert, in splendidiorem formam redactus est.

S. Basilla. — Rom. Martyr. 13. kal. Iun. — SS. Protus, & Hyacintus. — Ado in mart. Martyr. Rom. 3. Id. Sept. — Bibl in Symmac. Pap.

3 Quod autem Cœmeterium, de quo nunc agimus, variis quidem nominibus appellatum unum, idemque sit, satis perspicue ex eodem Bibliothecario in Adriani Papæ Primi gestis comprobatur, à quo Cœmeterii ipsius basilicam instauratam esse his verbis asserit: *Basilicam Cœmeterii Sanctorum Hermetis, Proti & Hyacinthi, atque Basillæ miræ magnitudinis innovavit.* Quod utique nomen *Basil.* hac ratione decurtatis litteris exaratum, in M. S. Codice Vaticano, *Basillæ* interpretandum est, non autem *Basilicam*, ut ex recentioribus nonnulli, etsi perperam, autumarunt, & sane in quibusdam codicibus, ubi singulæ exprimuntur notæ, quæ integrum nomen significant; palam legitur; frustra enim vox illa, *Basilicam*, iteratis ibidem vicibus inscriberetur; his adde, quod in sacris Martyrologiis III. Id. Septembris natalis horum Sanctorum Martyrum dies in Cœmeterio Basillæ recenseatur; hæc enim ibi: *Romæ Via Salaria veteri in Cœmeterio Basillæ natalis sanctorum Martyrum Proti & Hyacinthi fratrum, &c.* Quapropter mendum aliquod in Cencii Camerarii codicibus irrepsisse putamus, ubi hoc ipsum Cœmeterium Hermetis ac Domitillæ, pro *Basillæ* denominatur: Domitillæ enim Cœmeterium alibi extare jam supra, si bene lector meminit, demonstravimus. Quod quidem mendum ex consimili vocum definentia, conscriptis paginis obrepsisse credendum est, ubi apud quosdam è recentioribus, Sanctorum eorundem corpora in Cœmeterio *Priscillæ* pro *Basillæ* condita fuisse legitur; longo tamen intervallo hæc utraque Cœmeteria ab invicem distant, cum Priscillæ Cœmeterium Via Salaria nova, & juxta pontem Salarium, ut patet oculis, situm sit: hoc autem quod Basillæ dicitur, Via Salaria veteri extat, quæ pontem Milvium respicit. Quamvis ex quodam indulgentiarum diplomate ipsius Nicolai Papæ Quarti, in quo Cœmeteria *Priscillæ*, *Basillæ* pariter & Saturnini unà simul confunduntur, arguere quis possit, sub ipsa videlicet persecutionum tempora, Cœmeteria isthæc sejuncta olim fuisse, ita ut unum ab altero haud modico itineris tractu distaret; at suborta deinde Christianorum Reipublicæ, ac Romanæ Ecclesiæ pacis tranquillitate, cum ipsamet Cœmeteria humandis piorum cadaveribus inservire jugiter consueverint, & hanc præcipue ob causam cæteræ pariter utrasque inter Vias cryptæ effoderentur, haud minus probabili quidem argumento contigit, ut post longa evoluta annorum curricula, utraque in unum Cœmeteria coalescendo indistincta, eorundem nomina passim à fidelibus usurparentur, ac sub Priscillæ potissimum nomine, quod Cœmeterium cæteris amplitudine præcellit, singula deinde nuncuparentur.

Ecclesia SS. Hermetis, Basillæ, Proti, & Hyacinthi. — Bibl. in Adr. Pap. 1. — Mart. Rom. 3. Id Sept. — Cœmeterium Priscillæ. — Cœmeterium Basillæ. — Diplom. Nicol. Pap. 4.

4 Studioso interim lectori adnotandum est, duo videlicet epitaphia à beatissimo Pontifice Damaso conscripta, & sepulchro quondam sanctorum Proti & Hyacinthi insculpta, in hactenus recitato Antiq. Inscript. Gruteri libello recenseri, ex quibus studiosus lector probe didicerit, Cœmeterium hoc quodam sub colle olim extitisse, ac ipsummet beatorum martyrum sepulchrum à Theodoro presbytero ornamentis quam eleganter exc ultum fuisse. Epitaphia vero martyrum sepulchro affixa, hæc sunt.

Inscriptiones sepulchris SS. Proti, & Hyacinthi à B. Damaso affixæ.

Primum Epitaphium, quod à B. Damaso conscriptum est.

Extremo tumulus latuit sub aggere montis
Hunc Damasus monstrat, servat quod membra piorum,
Te Protum retinet melior sibi regia cæli,
Sanguine purpureo sequeris Hyacinthe probatus.
Germani fratres, animis ingentibus ambo.
Hic victor meruit palmam prior, ille coronam.

Antiq. inscript. in append. pag. 117.

Alterum B. Damasi Epitaphium.

Adspice descensum, cernes mirabile factum,
Sanctorum monumenta videns patefacta sepulchris.
Martyris hic Proti tumulus jacet, atque Hyacinthi,
Quem cum jamdudum tegeret mors, terra, caligo,
Hoc Theodorus opus construxit presbyter instans,
Ut Domini plebem opera majora tenerent.

Hæc

Hæc sunt, quæ Damasus in martyrum Christi obsequium metro cecinit.

5 Cæterum venerandas sanctorum Hermetis, Proti, & Hyacinthi reliquias sub Gregorio Papa Quarto in Gallias ob devotionis cultum translatas fuisse, Eginardus Caroli Magni Cancellarius refert: sacrum enim corpus martyris ejusdem beatissimi Hermetis in titulum D. Marci pristino nitori redditum idem Pontifex transtulit. Cujus translationis historiam prolixo sermone à Surio to. 3. 2. Junii in SS. Marcellino & Petro lib. 4. cap. 25. descriptam, quippe quæ ad instituti propositum facit, hoc potissimum loco recensere operæ pretium duximus, hæc igitur ibi: *Gregorius Romanæ Urbis Episcopus, qui Eugenio simulque Valentino in Pontificatus honore successit, cum titulum S. Marci Euangelistæ, in quo presbyter fuerat, ampliare, & in eo monasterium vellet extruere, quæsivit per Cœmeteria, & Ecclesias longius ab Vrbe constitutas, sicubi Sanctorum Martyrum corpora posset invenire: inventaque Titulo, quem opere magnifico extruxerat, curavit inferri. Casu igitur factum est, ut eo tempore, quo sepulchrum beatissimi Hermetis erat aperturus, & sacrum illius corpus erat inde sublaturus, unus ex nostris, qui eodem anno supplicandi gratia, ut moris est pœnitentibus, Romam venerat, congregatæ ad basilicam martyris multitudini cum cæteris peregrinis interesset. Is negotio, quod agebatur, diligenter inspecto, spem adipiscendarum memorati Martyris reliquiarum, licet corde simplici, non tamen sine causa concepit; & Deusdonam diaconum adiens, obnixe rogavit, ut ex his quantulumcunque à custodibus loci acciperet, mihique deferendum sibi præstaret. Qui confestim precibus ejus annuens, id se sine mora facturum pollicetur: datoque custodibus pretio, non solum S. Hermetis, sed etiam Sanctorum Proti atque Hyacinthi, quorum in eadem basilica corpora erant posita, reliquias accepit, &c.*

6 Ex his igitur manifeste patet, unum, idemque esse Sanctorum eorundem Proti, Hyacinthi, Hermetis, ac Basillæ Cœmeterium: & veneranda martyrum eorundem corpora in prædicti Cœmeterii basilica recondita simul fuisse. Porro Hermetis Martyris corpus in Divi Marci Ecclesia, in quam translatum fuerat, condigno adhuc honore asservatur: beatorum vero Proti & Hyacinthi reliquiæ sub Clemente Octavo ab Ecclesia Sancti Salvatoris, quæ juxta pontem Sanctæ Mariæ est, ad Ecclesiam sancti Ioannis Baptistæ Florentinorum, solemni ritu ac pompa, perpetuo illic asservanda, delata fuere. Demum S. Basillæ corpus suo è Cœmeterio levatum, in Ecclesiam S. Praxedis à Paschale Papa I. transferri contigit, ut insculptus ibidem marmori titulus legentibus fidem facit. Et hæc de Cœmeterio Basillæ lectori indicasse voluimus.

[Margin: ...flatio ...orum ...ermetis, ...roti, & ...inthi.] [Margin: ...to. 3. 2. ...n SS. ...ellin. ...etr. ...c. 25. ...6.] [Margin: ...flatio ...orum ...roti, & ...inthi.] [Margin: ...flatio ...oris ...sillæ.]

CAP. XXXV.

De Cœmeterio ad Clivum Cucumeris.

[Margin: ...is Cu... ...ris.]

1 Cœmeterium, quod ad *Clivum Cucumeris* dicitur, veteri Via Salaria secundo circiter ab Urbe lapide extructum fuit. Hoc autem titulo idcirco (ut ejus originem altius repetamus) inscriptum, appellatumque est, vel quod sub clivo quodam situm erat, qui cucumeris formam intuentibus præ se ferret; vel certe quia id genus poma ab agricolis ibidem seri consueverant; vel demum, ut nil prorsus lectorem lateat, ob pomi ejusdem formam alicui lapidi, vel ædificio insculptam, ex quo sub-

inde locus nomen traxerit, quod plerisque aliis in Urbe locis contigit; & his præcipue, qui ab antiquis multipliciter denominati sunt, ut exempli gratia, *Ursus Pileatus*, *Capita bubula*, *Caput tauri*, *Ad Pyrum*, *ad Malum Punicum*, *Inter duas lauros*, & alia ejusecemodi nomina, quæ ab antiquis derivata ad nostra usque tempora pervenerunt.

2 Porro hujus Cœmeterii mentio in Actis præsertim Sanctorum ducentorum sexaginta Martyrum agitur, qui primum sub Imp. Claudio, anno Christi 170. ad effodiendas Via Salaria arenas damnati, demum à militibus in Amphitheatro, universo populo inspectante, sagittis confixi fuere; quorum corpora à BB. Mario & Martha conjugibus una cum Ioanne presbytero veteri Via Salaria, ad Clivum hunc Cucumeris tumulata fuisse M. S. eorundem Acta, quæ vulgo sub nomine S. Valentini circumferuntur, his plane verbis enuntiant: *Eodem itaque tempore jussit Claudius, ut ubicunque Christiani inventi fuissent, vel in vulgo, aut in custodia, sine interrogatione punirentur. Ipso præcepto divulgante, tenuit ducentos sexaginta Christianos Via Salaria, qui arenam fodientes damnati fuerant pro nomine Christi: quos jussit ut infiglinas foras muros portæ Salariæ in eodem loco includerentur in Amphitheatro, & jussit ibi eos milites sagittis interficerent. Quod cum factum fuisset, contristati sunt nimis Marius & Martha uxor ejus, & duo filii eorum Audifax & Abacum: qui venerunt ad locum, ubi corpora Sanctorum interfecta fuerant, una cum beato Ioanne presbytero, & invenerunt super corpora Sanctorum ignem super positum, & sumentes cœperunt super corpora subtrahere, & sepelire cum linteaminibus ex facultatibus suis, quia locupletes erant: & sepelierunt eos IN CRYPTA VIA SALARIA IN CLIVUM CUCUMERIS, & sepelierunt cum eis Tribunum quendam Claudii, Blastum nomine, & in eodem loco una cum Ioanne presbytero vigilias & orationes celebraverunt.* hæc ibi in Actis.

[Margin: 260. Martyres.] [Margin: Martyres ad effodiendas arenas damnati.] [Margin: Via Salaria vetus.] [Margin: Cod. Lat. Vat. 8. S. Petr. A. F. Vall. 1. 5.]

3 De eisdem quoque Romanum Martyrologium agit Kalendis Martii: & celeberrimum ipsorum certamen Metellus Tersegensis antiquissimus inter scriptores carminibus concinne, eleganterque in suo Quirinali cecinit: quæ Canisius ut recolendæ antiquitati prospiceret Antiquit. lect. Tomo primo collegit, eademque ex parte saltem nobis hoc loco recensere haud pigebit. Postquam igitur acerbissimam temporum ac persecutorum immanitatem ob oculos posuit, isthæc de beatorum Martyrum certaminibus Metellus subinfert:

[Margin: Mart. Rom. Kal. Martii] [Margin: Metell. Tersteg. in suo Quirin. apud Canis. to. 1. antiq. lect.]

Istud edictum procul evulgat, ubi satelles
Urbe foroque toto
Bis decem tredecies catholicis trahuntur
Ante diu metallis
Mancipati pro fide robore fortiori
Portæ Salariæ, qua
Transeuntes Urbe foras evehit ad metalla præter eos
tenentes,
Plurimi quos Theatro dispositos sagittis
Enecuere cunctos.
Concremandis corporibus ligna supra struentes
Igne, ferro perarmant
Insecuta nocte pii diripuere Persæ
Corpora Sacra flammis
Et Ioannem presbyterum solicite vocantes,
Exequias agebant.

De suo Sanctis pretioso satis apparatu
Lintea sericasque
Tinxerat pallas sanie purpurea sacrandas
Nec saraballa chara
Abstinebant obsequio religionis hujus
Sic tumulant beatos
In sinu cryptæ positos, cui juga montis instant
Plena cucurbitarum
Sobrio luctu celebrant funera digna digne.

Ex quibus satis aperte, ut jam diximus, Cœmeterium illud olim in Clivo Cucumeris situm fuisse convincitur, qui locus à Metello *Cucurbitarum mons* alio vocabulo nuncupatur.

4 Ex iisdem insuper carminibus, & ex Romano item Martyrologio Acta, quæ supra citavimus, corrigenda à nobis sunt, ubi ipsorummet librariorum incuria martyres ducentos sexaginta duos pro ducentis ac sexaginta, pro Christo pœnis affectos fuisse legitur. Ut enim assertionis veritas elucescat, alii prorsus ab his milites illi ducenti sexaginta duo extitere, qui haud sub Claudio, sed sub Diocletiano Imper. coronati sunt, de quibus suo infra loco agemus. Sub eodem item Claudio in hoc ipso Cœmeterio quadraginta & sex pariter milites post consummatum nobilis martyrii agonem depositi sunt, ut M. S. eorundem Acta his verbis enunciant: *Tunc obtulit B. Iustinus milites quadraginta sex ad Baptismum venerabili Dionysio Episcopo Urbis Romæ, & baptizavit eos in nomine Trinitatis.* Et paulo infra hæc ibi subtexuntur: *Eodem tempore jussit Claudius exercitum armatum in palatium Sallustii includi, & jussit sibi milites præsentari, qui baptismum perceperant, & præcepit exercitui, ut educerent eos foras muros porta Salaria in civitate figlina, & ibidem eos capite cædi. Qui decollati sunt omnes pro Christi nomine, numero quadraginta sex, extra uxores eorum. Quorum corpora noctu collegerunt Beatus Iustinus presbyter, & Ioannes, & sepelierunt in crypta cum multitudine Christianorum, Via Salaria veteri, in Clivum Cucumeris* VIII. *Kalend. Novembris: ubi florent orationes eorum usque in hodiernum diem; cum aliis centum viginti Martyribus; inter quos fuerunt quatuor milites Christi, Theodosius, Lucius, Marcus & Petrus. Hi videntes ad se armatos venire, dicebant rogantes omnes, ut primus à primo decollaretur, cum intentione ferventes mori læti, quam vivere male.* Idem plane apud Adonem, Bedam, Usuardum, & in Martyrolog. item Rom. VIII. kal. Novemb. ubi tamen centum & viginti Martyrum numero, quos juxta eosdem quadraginta sex tumulatos fuisse eorundem exhibent Acta, unus insuper adscribitur, ac centum viginti & unus adnumerantur: qui omnes sub Maximiano Imp. gladio consumpti fuerant, ut in B. Marcelli Papæ Actis perhibentur, & apud Baronium & Petrum in Cat. videre est. Ex his autem illud profecto colligi potest, recensitos videlicet Martyres clarissimi illius Maximi milites fuisse, qui B. Marcelli Papæ & Joannis presbyteri manu in hoc eodem Cœmeterio sepulturæ traditi sunt, juxta aliorum cineres, suorum è numero militum Dei charitate succensi, flammis pro fide absumpti, millenarium quidem numerum complebant. Ex eorundem autem Actis recensere hic præstat, quæ ad rei historicæ propositum faciunt, & quibus jam supra enarrata, valide comprobantur; hæc igitur iisdem in Actis: *Quorum primo Maximus, qui Comes millenarius erat, ab infantia sua Christianus, ex parentibus Christianis exortus, centum & viginti ex suis militibus conversos à S. Marcello Papa baptizari fecit. Quod audiens Maximianus, eundem Maximum comprehensum, unà cum dictis centum & viginti militibus damnavit ad arenam fodiendam; & post menses novem, dum Marcus Tribunus comperisset, Maximus Comes cæteros suos milites, qui ex millenario residui fuerant, qui ad eum visitandum accesserant, convertisset, fecit Maximum in carcerem mitti; deinde eductum fustibus cædi jussit; & cum cæderetur; Tribunus excæcatus est: quod Maximianus Imp. audiens, & moleste ferens, Maximum Comitem cum centum viginti militibus ad arenam damnatis, fecit decollari. Reliquos vero ex mille militibus conversos, in arenario missos, flammis jussit incendi. Quorum corpora Sanctus Marcellus Papa cum Ioanne presbytero sepelivit in Clivo Cucumeris, secundo ab Urbe milliario.*

Quadraginta sex milites martyres.

Cod. Vat. 3. 4. *S. Petr. C. Vall.* 1.

Centum viginti martyres. SS. Theodosius, Lucius, Marcus, & Petrus.

Ado, Beda, Usuard. in Martyr. Marty. Rom. 8. *Kal. Novemb.*

Acta S. Marcel. Pap. Baron. annal. to. 2. *an.* 298. *Petrus de nat. in catal. lib.* 3. *c.* 41.

S. Maximus. Mille milites martyres.

Acta S. Marcel. Pap.

5 Celeberrimo item hoc Cœmeterio tres alios & viginti milites, qui sub Diocletiano ob martyrii palmam strenue decertaverant, humatos fuisse Romanum apud Martyrologium Nonis Aug. his plane verbis legimus: *Romæ passio Sanctorum Martyrum viginti trium, qui in persecutione Diocletiani, Via Salaria veteri, capite truncati, ibidem sepulti sunt ad clivum Cucumeris.* Eorundem item in Beatorum Abundii & Abundantii Actis, quibus martyrii consortio sosiati sunt, mentio recurrit. Hęc autem ibi enarrantur: *Tunc iratus Diocletianus jussit amoveri sanctos Abundium & Abundantium, & in carcerem recipi in custodia Mamertini: cæteri vero viginti tres fideles in Christo, jussit duci foras muros civitatis Romæ Via Salaria veteri, & ibidem capite truncari. Martyres vero inclyti Christi ducti cum gaudio ad perfectam & sine dubitatione viam, prospicientes in cælum, dixerunt: Deus omnium, & Domine unigenite &c.* Et paulo infra: *Orantes vero, & signaculum Christi in fronte sibi facientes, tendentes simul capita sua, prompte cum lætitia magna finem hujus seculi susceperunt; & sic per proprium sanguinem gratia Dei sibi ipsis memoriam æternam instruxerunt Nonis Aug. Quorum corpora tunc collegit Ioannes presbyter, & Theodora matrona, & sepelierunt ea in crypta in* CLIVO CUCUMERIS. *Tunc beata Theodora venit ad carcerem ad beatum Abundium presbyterum & Abundantium Diaconum, & narravit eis quomodo constanter suscepissent Sancti martyrium; & quomodo venisset Ioannes presbyter una cum ea, & collegisset corpora sanctorum, & cum aromatibus & linteaminibus sepelisset eos in* CLIVO CUCUMERIS, *in crypta, & post sepulturam eis exhibitam cum gloria illic celebrasset divina mysteria in pace.* Incruentum quippe altaris Sacrificium à Christianis jugiter, ut diximus, in honorem martyrum offerri consueverat.

6 In Romano item Martyrologio XV. Kalend. Julii ducenti & sexaginta duo illi Martyres, de quibus supra, & qui sub Diocletiano quondam coronati fuerant, eodem hoc Cœmeterio depositi recensentur: iidemque pariter apud Adonem, Bedam, Usuardum & alios ipsamet die adnumerantur. In quodam insuper pervetusto nostræ Vallicellanæ Bibliothecæ codice beati Pastoris Martyris, discipuli sancti Erasmi Episcopi acta recitantur, qui é Nicomedia Romam adveniens, sub Diocletiano, Salaria Via martyrio affectus hoc eodem Cœmeterio VII. kal. Aug. sepultus est ipsamet die, qua in Martyrologio natalitius alterius Pastoris presbyteri dies adscribitur, hæc autem de eo ibidem recitantur: *Audiens autem Maximianus Imperator famam beati Pastoris, jussit eum comprehendi,*

Tres & viginti mil... tes marty... res.

Rom. M... Non. ...

SS. Abu... dius, & ... bundan...

Act. SS. Abun. ... Abund. ... press ... Soc. Iesu

Ibid.

Mart. R... 15. kal... Ducent... sexagint... duo mar...

Ado, B... Usuard. Martyr...

M.S. Co... Val. Ma... Rom.

7. kal. ...

& ad

& ad se duci; & cum multa illi intulisset supplicia, & illum immobilem invenisset, fecit eum recludi in custodia publica, ubi per totam noctem psallere Domino non cessavit. Mane vero præsentatus Imperatori, & de sua fide interrogatus, cum constantissimus fuisset inventus, in candentem fornacem missus est, unde adiutus divina virtute B. Pastor exivit illæsus. Ad quod miraculum obstupuit Imperator, & maxima Domino credidit multitudo. Tandem jussu tyranni beatus Pastor extra portam Salariam ductus, & ad collum equi indomiti ligatus, ac per saxa & spinas tamdiu tractus est, donec Domino spiritum redderet. Cujus corpus noctu Ioannes presbyter tulit, & juxta CLIVUM CUCUMERIS sepelivit VII. *Kal. Aug.*

[Ioannes presbyter.] 7 Demum sub impio Apostata Juliano idem Joannes presbyter, cujus supra meminimus, nobili ibidem consummato martyrio, honorifico pariter tumulo piorum manibus conditus est, ut M. S. sanctæ Bibianæ Acta hismet verbis edocent: *Ob hanc itaque causam, quod scilicet martyrum corpora noctu raperet, & sepulturæ mandaret, iniquissimus Iulianus fecit eum teneri, & duci foras muros portæ Salariæ in Via vetere, ligatus retro manibus in CLIVO CUCUMERIS ante Templum Solis; ibique nulla mora, sed eum sine interrogatione decollari fecit. Cujus corpus collectum est à Concordio presbytero, & sepultum est in ipso sarcophago in crypta, quæ est in eodem loco, cum hymnis & canticis spiritualibus, juxta concilia martyrum sub die* x. *Kalend. Ianuarii.* huc usque eadem Acta. Willelmus quoque Malmesburiensis in lib. quem de gest. Angl. scripsit lib. 4. alios insuper Martyres enumerat, qui eodem in clivo post agonem, tumulo recepti fuere. Quem quidem ipse locum, Pincianam extra portam, ab ipso *Portitianam* corrupto vocabulo appellatam, statuit; hæc autem inquit: *Tertia porta Portitiana, & Via eodem modo appellata: sed cum pervenit ad Salariam, nomen perdit, & ibi prope in eo loco, qui dicitur Cucumeris, requiescunt Martyres, Festus, Ioannes, Liberalis, Diogenes, Blastus, Lucia, & in uno sepulchro ducenti sexaginta, & in altero, triginta.* Hinc profecto, ut vides optime lector, Salariæ veteris, ac novæ, de qua supra egimus, satis perspicue discrimen agnoscitur, & rem altius expendenti luce clarius apparet. Et hæc interim sunt, quæ de antiquo Cœmeterio, quod ad Clivum Cucumeris dicitur, studioso lectori delibanda proposuimus.

[Margin: Pass. S. Bibianæ M. S. ... Mart. ... c. 5. 6. ... ill. 5. — Malm. de gest. Angl. — ...stus, ...nes, ...ralis, ...genes, ...us, & ... Marty... ...Mar...]

CAP. XXXVI.

De Martyribus, qui Salaria Via coronati, aut certe conditi sunt.

[Getulius, Cerealis, Amantius & Primitivus.] 1 UT gloriosa hic eorum præcipue nomina recenseamus, quorum vel triumphis, vel certe sacris pignoribus Salaria præsertim Via illustris, ac toto orbe terrarum celebris redditur. Quis quæso nesciat præter eos, quos supra nominatim descripsimus, in Martyrologio Romano IV. Id. Junii natalitium beati martyris Getulii & sociorum diem, Cerealis nempe, Amantii, & Primitivi, Salaria Via recoli, quos martyrio ibidem affectos, eorundem apud Surium Acta tom. 3. 10. Junii his plane verbis testantur: *Ducti sunt ergo sancti Martyres ad tredecim milliaria ab Urbe Roma, & illic ligatis manibus, & pedibus ad flumen Tyberim in ignem conjecti sunt. Cum autem B. Getulium flammæ non contingerent, & ille magis etiam in Domino confortatus, solutis vinculis, Christum Dei Filium glorificaret, milites caput ejus fustibus confregerunt, & sic invocans Dominum, emisit spiritum. Cujus sacrum corpus colligens Symphorosa uxor ejus, honorifice eum sepelivit in arenario prædii sui.* Eadem quoque Acta eruditissimis annotationibus aucta demum edita fuere à Cardulo. Eorundem insuper meminit Ado, qui claris utique verbis eorundem martyrii locum edocet, dum hæc inquit: *Consummati sunt beati Martyres in fundo Capreolis Via Salaria, ab Urbe Roma plus minus milliario tertiodecimo, supra fluvium Tyberim in parte Sabinensium.* Idipsum Petrus in Catal. lib. affirmat. [Card. in annot. ad acta S. Getul. Ado. — Fundus Capreolis. — Petr. in Catal.]

[S. Romanus.] 2 Haud item silentio prætereundum est, Romanum quoque invictissimum Christi Martyrem Via Salaria nobile sub Valeriano martyrium consummasse; quamvis ejusdem deinde corpus Tyburtina Via conditum sit, ut in B. Laurentii Actis legitur. In ipso autem martyrii loco postmodum in ejus honorem Ecclesia erecta fuit, cujus eisdem in Actis mentio his recolitur verbis: *In loco autem, ubi capite truncatus est, sedata persecutione parvam Ecclesiam Christicolæ condiderunt, quæ usque hodie beati Romani militis martyrii memoriam repræsentat.* Ejusdem Ecclesiæ Bibliothecarius quoque in Sergii Papæ Secundi gestis, qui & eandem instauravit, in hæc verba meminit: *Nam & basilicam beati Romani Martyris, quæ non longe ab Urbe foris portam Salariam sita est, à fundamentis perfecit.* [Act. Rom. Mart. Cod. Vall. 7. — Ecclesia B. Romani. — Bibl. in Sergi. Pap. 2.]

[Milites Claudii Tribuni martyres.] 3 Eadem quoque Via sub Numeriano Imperatore, pro fide viriliter decertantes B. Claudii Tribuni milites gladio consumpti sunt, qui Christi fidem amplexati cum crebra miracula cernerent, quibus gloriosum B. Chrysanthi certamen divinitus illustrabatur, datis pro Christo cervicibus, securi percussi sunt, & sacra eorumdem corpora hac ipsa Via, in Subterraneo quodam cuniculo, qui ibidem extabat, condita fuere, de quorum tumulo hæc in M. S. Sanctorum Chrysanthi & Dariæ Actis recitantur: *Erat autem in loco, ubi decollati sunt cuniculus antiquus: hunc emundantes & pernoctantes Christiani simul in unum omnia corpora sepelierunt non longe ab Urbe in Via, quæ Salaria nuncupatur.* [M. S. Act. SS. Chrys. & Dar.]

[S. Crescentius puer. S. Apronianus.] 4 Salaria eadem Via strenue pro Christo ad sanguinem usque invictissimus sub Diocletiano puer ille Crescentius decertavit; cujus digna in Martyrologio præconia XVIII. Kal. Octobr. celebrantur. Sanctus item Apronianus Commentariensis ibidem coronatus est, ut in eodem Martyrologio IV. Nonas Februarii, de quo potissimum in B. Marcellini Actis mentio repetitur, quæ sub nomine S. Marcelli à Surio Tomo primo recitantur. Eisdem insuper in Actis, hac eadem Via à Ioanne presbytero corpora Sanctorum Cyriaci, Largi & Smaragdi; aliorumque numero viginti condita fuisse perhibetur: quæ in Ostiensem viam, ut jam diximus, honorifice postmodum deferri contigit. Sub eadem quoque immanissima Imperatorum Diocletiani & Maximiani persecutione, martyrii palmam eadem Salaria Via Anthymus presbyter, Maximus, Bassus & Fabius adepti sunt, quorum dies natalitius in Martyrologio Romano V. Idus Maji recolitur; eorundemque Acta Surius eadem die Tomo tertio recenset, in quibus hæc præsertim enarrando profert: *Porro Anthymus presbyter non longe ab Urbe, Via Salaria latitabat apud prædia Piniani* (viri scilicet S. Lucinæ) Et infra de beati ejusdem [Mart. Rom. 18 Kal. Octobr. — Mart. Rom. 4. Non. Febr. — Sur. tom. 1. — SS. Cyriacus, Largus, & Smaragdus. — Anthymus, Maximus, Bassus, & Fabius. — Mart. Rom. 5. Id. Maj. — Sur. to. 3. — Prædium Piniani.]

viri certaminibus loquens, addit: *Ligato ad collum saxo in medium Tyberim cum jactaverunt. Angelus autem Domini apparuit ei, & ruptis vinculis reduxit eum in cellam Oratorii sui.* Enarrato demum prolixioribus verbis nobili ejus ac sociorum martyrio hæc subtexit: *Atque ita omnes isti, Anthymus, Maximus, Bassus, & Fabius illis locis cæsi sunt, in quibus orare consueverant, Via Salaria, quæ mittit ad Picenum.* Hic interim, amice lector, de veteri Salaria Via, ut nos supra ostendimus, quæ dicuntur, intellige. Eadem quoque Acta in M.S. quodam Vaticano Codice inferuntur, ubi isthæc de Beati Anthymi sepultura: *Cujus corpus populi, qui per eum conversi fuerant, in suo oratorio, ubi orare consueverat, posuerunt Via Salaria, milliario ab Urbe vigesimo octavo, territorio Sabinensi; in quo loco exuberant orationes ejus ad salutem omnium in Christo credentium.* His adde, si libet, quæ de Maximi Martyris sepulchro ibidem hisinet verbis enarrantur: *A Christianis autem ereptum corpus ejus, positum est Via Salaria, milliario ab Urbe Roma octavo decimo, in eodem loco, ubi orare consueverat.*

Oratorium S. Anthymi Via Salaria. — *M.S. Cod. Vat.* — *Ibid.*

5 Ut tandem ejuscemodi narrationi coronidem imponamus, quam de Martyribus ac sacris Salariæ Viæ monumentis trophæorum instar conteximus, enarratis hactenus adjicere præstat, quæ Willelmus Malmesburiensis de eadem loco citato luculenter scribit: hic enim Ecclesias singillatim recensens, quæ extra Salariam portam beati Silvestri ab ipso nuncupatam, suo adhuc ævo adnumerabatur: ac sanctorum pariter corpora in iisdem Ecclesiis condita describens, isthæc in rem præsentem ait: *Quarta porta est Via Salaria, quæ modo S. Silvestri dicitur: ibi juxta Viam Sanctus Hermes requiescit, & Sancta Vasella* (sic ille Basillam intelligens) *& Protus & Hyacinthus, Maxilianus, Herculanus, Crispus: in altero loco prope requiescunt sancti Martyres Pamphilius & Quirinus, septuaginta gradibus in imo terræ. Deinde basilica Sanctæ Felicitatis, ubi requiescit illa, Silvanus filius ejus, & non longe Bonifacius Martyr. Ibidem in altera Ecclesia sunt Chrysanthus & Daria, & Saturninus & Maurus, & Iason & mater eorum Hilaria, & alii innumerabiles: & in altera basilica sancti Alexander, Vitalis, Martialis filii sanctæ Felicitatis, & sanctæ virgines, Saturnina, Hilaria, Dominanda, Rogantina, Serotina, Paulina, Donata. Deinde basilica Sancti Silvestri, ubi jacet marmoreo tumulo coopertus; & Martyres Cælestinus, Philippus & Felix: & ibidem Martyres trecenti sexaginta quinque in uno sepulchro requiescunt; & prope Paulus & Crescentianus, Priscilla et Symmetrius, Praxedes, Pudentiana pausant.* Hæc Malmesburiensis, ex quibus videas, lector piissime, quam deploranda sit nostrorum præcipue temporum calamitas; cum ex tot Ecclesiis hic à probatissimo auctore descriptis, & tot sacris beatorum Martyrum pignoribus in iisdem honorifice conditis, nulla penitus ad hodiernam usque diem memoria pervenerit, nec ullum prorsus sacræ ac recolendæ antiquitatis vestigium, quod sciamus, superfit. Hinc demum revoluta jam annorum curricula perlustranti compertum fit, quam dira & acerba clades, & quam grave detrimentum, quod refici vix unquam possit, Romana Ecclesia ex commigratione & diutina Romanorum Pontificum commoratione Avenionensem apud urbem perpessa sit. Ad illa enim usque tempora salva & sarta tecta sacrorum locorum ac rerum Ecclesiasticarum recolenda jugiter memoria extitit; quæ longæva subinde Pontificum, ac totius Romanæ curiæ absentiami ferandum in modum plane intercidit: cum antiquissimæ interim Ecclesiæ profanum in usum redactæ, dirutæ, ac penitus haud infidelium, sed fidelium ipsorum manu atque injuria, vel potius incuria eversæ, ac humo æquatæ sint, ita ut posthac nec nomen quidem, nec ulla sacram & antiquam in Urbe Urbem explorantibus recolenda ac contemplanda vestigia, extent. Et de his hactenus.

Porta S. Silvestri. Martyres Via Salaria. Will. Malmesf. de gest. Reg. Angl. lib. 4. SS. Hermes, Basilla, Protus, Hyacinthus, Maxilianus, Herculanus, & Crispus. SS. Pamphilius, & Quirinus. SS. Felicitas, Silvanus, & Bonifacius. SS. Chrysanthus, Daria, Saturninus Maurus, Jason, & Hilaria, SS. Alexander, Vitalis, Martialis, Saturnina, Hilaria, Dominanda, Rogantina, Serotina, Paulina, & Donata. SS. Silvester, Cælestinus, Philippus, & Felix. 365 Martyres. SS. Paulus, Crescentianus, Priscilla, Symmetrius, Praxedes & Pudentiana.

CAP. XXXVII.

De Cœmeteriis à Bosio Via Salaria nova & veteri repertis.

1 Indefesso jugiter animi studio explorandis venerandæ antiquitatis, quæ extra Urbem sunt, vestigiis Bosius institit, nec à proposito, quod semel imbiberat, ullo vel tædio, aut labore retardari potuit. Cum totus igitur Cœmeteriis Romanæ Urbis ubique locorum perquirendis operam daret; nec jam adinventis pia ac studiosa ejusdem solicitudo expleretur, omnem penitus lapidem movit, ut singulos fere in dies nova, & quæ Urbi hactenus invisa, atque incognita essent, ipsasmet tenebras explorando, in lucem proferret. Quapropter semel atque iterum omnem illam regionem perlustravit, quæ inter Pincianam ac Salariam portam concluditur, à quibus ejusdem nominis Via, vetus scilicet & nova initium sortitur; & dum subterraneis locis indagandis instat, cryptas quamplures, Cœmeteria insuper & Arenaria penetravit, quæ in proximo regionis ambitu innumera existunt, ita ut regio ipsa, (mirum dictu!) pensilis quodammodo omni quidem ex parte subsistere videatur. Ubicunque enim ad aptandas, inserendasque vineas humum effodi opus est, ibi latentis cujuspiam cryptæ aditum effodientibus occurrisse experientia ipsa per se edocuit: quæ quidem subterraneæ cryptæ usque ad ipsiusmet Urbis mœnia pertingunt: ex quibus nos permoti, ultro fateri cogimur, quod & alibi præmisimus, hujus nimirum Viæ Cœmeteria, quamvis inter se discreta olim, sejunctaque ab invicem fuerint, temporum tamen decursu ob nova ac multiplicia Christianorum sepulchra, quæ in eisdem, vel ipsa secundarum rerum tranquillitate Ecclesiæ oborta, effodi necessitas compulit, mirum in modum aucta, & dilatata, cuncta simul jungi, atque inter se copulari contigit. Quoniam vero hac nostra ætate Ecclesiæ, quæ supra eadem Cœmeteria erectæ fuerant, jam omnino exciderunt, & pervetusti eorumdem Cœmeteriorum aditus penitus ignorantur, singularum, quas ille passim perlustravit, cryptarum descriptionem silentio obvolventes, illa dumtaxat loca, in quibus quid admiratione dignum suppetit, recensebimus, & primum quidem Monimenta hic, quæ contemplanda sese offerunt, Via Salaria nova, Nomentanæ propiori, subinde vero illa exacte describemus, quæ in iis potissimum Cœmeteriis suspicere licuit, quæ veteri pariter Via Salaria continentur.

Bosius nova, ac incognita Cœmeteria investigat. — *Regio crebris subterraneis cryptis pensilis.*

2 Ut hujus igitur itineris initium à Thrasonis Cœmeterio ad S. Saturninum desumatur: extant adhuc supra illud perantiquæ B. Martyris Saturnini Ecclesiæ parietinæ quædam, haud procul videlicet à Collina porta, Via Salaria nova, qua sinistrorsum ad pontem ejusdem nominis itur: qui quidem locus inditum sibi ab antiquis recolendum beati

Cœmeterium Thrasonis ad S. Saturninum.

beati Saturnini nomen adhuc retinet, & vulgo S. Citronina, corrupto vocabulo, appellatur. Subterraneus verò quidam aditus ibi extat, per quem olim ab Ecclesia in Cœmeterium descendebatur, scala scilicet permultis distincta gradibus, fornice desuper obducta, ac variis picturis affabre exornata, quamvis jam præ temporum injuria accedentibus impervia omnino reddatur. Veruntamen per hujuscemodi aditum humi reptando Bosius descendens, Cœmeterium, quod in imo latet, multis fatigatus incommodis penetravit. At ruinis eum in modum obstructum, deformatumque offendit, ut haud ultra progredi licuerit. Dum autem singula lynceis oculis perlustrat, Cœmeteriales ibi semitas quamplures comperit, quæ sepulchra hinc inde ex more in topho excavata continebant. Alio interim, etsi fortuito, haud longe ab eadem Ecclesia patefacto inter perscrutandum aditu, & altero pariter alibi reserato, cum ingressus eosdem fuisset, complures profundissimi Cœmeterii partes diligenter perlustrans, miræ quidem amplitudinis illud esse, cæterisque ejusdem Viæ Salariæ veteris ac novæ pariter adjungi deprehendit.

...us di- S. Sa- ini. — ...us Cœ- eru.

3 Innumera vero ibi cubicula, & arcuata monumenta, ornamentis fere omnibus destituta, & pleraque ruinis impia fossorum manu addicta contemplatus, vehementer indoluit. Porro sacræ quamplures, ut traditio fert, in eisdem picturæ olim extabant, argenteæ item lucernæ Christi nomine insignitæ; columnæ insuper ex alabastro: inscriptiones quoque Græco idiomate, ac characteribus expressæ: in quarum altera, quam ibi reperiri contigit, hæ quidem notæ legebantur:

...icula ...nete- ...a. — ...riptio ...ca in ...nete-

ΚΡΑΤΕΙΑ
ΘΥΓΑΤΡΙ
ΓΛΥΚΥΤΑΙ.

Plura id genus alia ibi quondam studioso viro contemplari licuit, quæ sane nobilissimam hujus Cœmeterii faciem, ac religiosum quendam sanctimoniæ cultum adstantium animis ingerebant. Quædam enim Vasa inde fossorum manu ipso vidente Bosio extracta fuere, ossibus beatorum utrique Christi Martyrum igne absumptis referta. Salaria item Via dum pontem, qui Salarius dicitur, viator eundo respicit, & quingentorum circiter passuum intervallo à dirutis B. Saturnini Ecclesiæ parietinis, quæ ibidem existunt, villa quædam sita est, quæ ad conspicuæ inter Romanos gentis Crescentiæ ditionem sub Lateranensis basilicæ proprietate olim spectabat; in cujus loci umbilico juxta quandam domunculam subterraneæ quædam constructiones, quæ duas cohærentes sibi Ecclesias, diversæ tamen formæ, præ se ferunt. Prima autem, per quam ad alteram ingressus patet, sphæricæ formæ est: altera vero figura quadrangulari constat, geminarum videlicet adinstar Ecclesiarum BB. Martt. Cosmæ & Damiani, quæ in foro boario, juxta Pacis Templum mutuo sibi copulatæ adhærent. Et argumentis quidem satis probabilibus quidam adducti has Ecclesias ipsasmet esse conjiciunt, quæ sanctorum Silvani & Bonifacii quondam dicebantur, & ipso Bibliothecario teste, uno eodemque solo invicem cohærent, quarum altera primum quidem in B. Felicitatis honorem extructa, postmodum S. Silvani ejus filii nomine nuncupata est.

Duæ Ecclesiæ contiguæ. — Ecclesiæ SS. Silvani & Bonifacii. — Ecclesia S. Felicitatis.

4 Prima igitur, quæ Sphæricam, ut diximus, formam præ se fert, fornicem, seu tholum habet, in cujus media parte foramen rotundum cernitur, per quod in interiorem sacri ejusdem loci sinum lumen desuper immittitur. In ejusdem verò Ecclesiæ ambitu septem arcus, iidemque testudinati in sublime tolluntur, qui totidem ibidem sacella aspectu ipso repræsentant. In altero autem ex præmemoratis arcubus porta quædam humo, maceriis, ruderibusque è loci summitate delapsis jam penitus obserata conspicitur, quà olim aditus, ut par est credere, in templum descendentibus pandebatur. Hoc porro altum palmis XXX; totidemque, vel paulo amplius latum est. Ab uno eorundem Arcuum reserato, liber ad aliud quadrangularis formæ templum ingressus suppetit, quod quidem longitudine constat palmis XXXVII. cum dimidio, latitudine palm. XXIII. altitudine vero palm. XXII. cum dimidio. In cujus media fornicis parte quoddam item foramen quadratæ formæ ad excipiendum lumen artificum manu aptatum cernitur. In primario vero hujus templi pariete arcus quidam satis amplus suspicitur, ubi sacram olim extitisse aram ipsa loci facies intuentium oculos commonefacit. Porta ibidem saxis & muro obstructa subest, per quam ad Cœmeterium infra describendum olim descendebatur: quæ singula diligenter in earundem Ecclesiarum ichnographia hic typis impressa exhibentur.

Primæ Ecclesiæ à Bosio repertæ descriptio.

A Ostium, per quod aditus descendentibus in Templum olim pandebatur, humo ac ruderibus nunc obseratum.

B C D E F Arcus quinque testudinati, qui cum duobus aliis ad alteram partem subsistentibus numerum septenarium efficiunt, quorum aliqui in hac Ecclesia sacellorum, & altarium vicem proculdubio præstabant. Singuli autem hi arcus alti sunt palmis septendecim.


G Foramen sphæricæ figuræ in medio fornicis fabrefactum, quà lumen desuper admittitur.

H Ostium, quà in aliam ei contiguam Ecclesiam ingressus patet, altum autem illud est palmis undecim, latum vero sex cum dimidio.

I Foramen quadratæ formæ ad excipiendum lumen in fornice alterius illius Ecclesiæ adaptatum.

K Arcus è conspectu memoratæ Ecclesiæ altitud. palm. XXII. latitud. XV. & profund. X.

L Ostium, per quod aditus in Cœmeterium patet.



5 Per hanc item portam cum nullatenus ad Cœmeterium ingressus nunc pateat, alia subinde explorando loca, aditum perquirendo assequi opus fuit: quem sane eadem in vinea ad ipsius sepem, qua quis ad lævam ingreditur, nec longe ab iisdem Ecclesiis reperiri tandem contigit: ibi enim scrobs modica investiganti sese obtulit, in quam cum Bosius anno Christi 1594. ingressus, aliquantulum processisset, ad arenarias primum cryptas, & paulo post Cœmeteriales ad semitas pervenit, quæ effossa undique in topho sepulchra de more exhibent. Ipsum vero Cœmeterium satis quidem amplum quondam extitisse intelligere unusquisque poterat. Alia item Cœmeteria in inferiori adhuc terræ sinu latere, etsi formæ satis angustæ, Bosius explorando animadvertit.

Arenariæ cryptæ.

6 Porro in sepulchris eadem Christiani nominis signa videre est, quæ in cæteris hactenus descriptis conspiciuntur; eburnei item annuli, ampullæ vitreæ, lucernæ fictiles, & id genus alia. In hoc insuper Cœmeterio cuniculus quidam subest, haud tamen aptatis de more sepulchris auctus, valde quidem depressus, intuentium oculis aquæductus formam præ se ferens, quem cum quis perlustraverit, aliæ subinde Cœmeteriales semitæ sese offerunt. Ex pictis autem imaginibus, quæ adhuc ibidem extant, & viros quosdam militari habitu, ac militiæ ducum indumento insignitos exhibent, profecto hunc ipsummet cuniculum esse conjicitur, ubi quondam invicti illi sexaginta duo Claudii Tribuni milites conditi fuere, qui prompto, libentique animo pro fidei confessione martyrium, ut jam enarravimus, sub Numeriano Imperatore subierunt.

Cuniculus sepulchra martyrum.

Sexaginta duo milites martyres.

7 In plerisque autem ejusdem Cœmeterii semitis parva, ac perexigua excipiendis infantium duntaxat ac puerorum corpusculis disposita, atque aptata sepulchra conspicere licet: inter duos vero ex his breves quidem, atque angustos loculos quendam in topho incisum malleum, etsi nos rei causa omnino lateat, contemplari quis valet.

In



In quodam autem marmoreo fragmento inſcriptio hujuſcemodi ineſt:

…lchra … inſcri… …nibus.

S·AVR·IRE
IXIT AN·XX
PLACIDO ET
CONSS·

Verum Hujus Placidi Conſulatus una cum Romulo ejuſdem collega ſub Conſtantio & Conſtante Imperatoribus contigit, anno Chriſti cccxl. Julii Papæ VII. ipſe teſte Baronio Annal. To. 3. ſub recenſito hactenus anno. Sepulchrales item aliæ inſcriptiones lapidibus inciſæ, & permultæ quidem ibi conſpiciuntur; ſed quoniam Conſulum nominibus carent, eaſdem nos quidem conſulto omittimus; ex quarum numero ſi præcipuas ſtudioſus lector noſſe cupit, has videlicet è Subterranea Roma ſelectas repetat.

…n. an… …o. 3. …03.

MACEDONIUS
IULIANUS
MACEDONIE PRO
TINE SORORI ET SIBI

In alia inſuper Tabula marmorea duobus circiter palmis cum dimidio longa, alta autem uno dumtaxat, ejuſcemodi inſcriptio legitur:

SEVERO BENEMERENTI IN PACE
QUI VIXIT ANN ❦ I MENS ❦ V. ❦
DIES. III. ❦ D K OCT

Arcuata vero Monumenta ac Cubicula in eodem Cœmeterio haud pauca numero exiſtunt, quæ mox ſub Cœmeterii Priſcillæ titulo deſcribenda a nobis erunt, cum reliqua, ut jam expoſuimus, eidem cohæreant, quibus peculiare, quo prænotantur, nomen inſcribere nullatenus in tanta rerum caligine, etſi cupientibus, facultas ſuppetit.

Cubiculum primum Cœmeterii Priſcillæ, aliorumque SS. Martyrum Via Salaria nova deſcribitur.

1 CUbiculum hoc magna quidem ex parte dirutum, calce olim oblitum, ac picturis excultum fuiſſe ipſemet loci adſpectus intuentes admonet; picturæ tamen fere omnes longo temporum decurſu excidere penitus, atque abolitæ ſunt: quæ vero in arcuato quodam Monumento illibatæ adhuc perſeverant, ſequenti Tabula deſcribentur. Cubiculi ejuſdem ſtructura altitud. palm. VIII. latitud. XI. cum dimidio, longit. X. cum dimidio conſtat. Porta, per quam accedentibus in ipſum Cubiculum ingreſſus patet, palm. IV. cum dimidio lata eſt, profunda II. alta VIII. ad ejuſdem vero Cubiculi menſuram attollitur, & ad fornicem uſque pertingit. Primario ſubinde in pariete ipſius è conſpectu oſtii arcuatum quoddam Monumentum extat, haud tamen omni ex parte dirutum, ubi adhuc pictæ aliquot imagines ſuſpiciuntur, atque ſepulchrum aliud in topho ibidem exciſum apparet. In altero item pariete ad lævam ingredientibus arcuatum pariter Monumentum contemplandum exhibetur, in quo tria item in topho ſepulchra effoſſa conſpicere licet. In alio hujus è regione parietis quoddam magna quidem ex parte dirutum Monumentum exiſtit, illud tamen olim, ut ipſamet rei facies perſpicue comprobat, picturis exornabatur.

A Mo-

A Monumentum arcuatum, quod in pariete primario visitur, in quo figuras, quæ proxima sequenti Tabula exhibentur, contemplari licet.

B Monumentum arcuatum in pariete ad dexteram ingredientis, quod olim, ut prompta est conjectura, picturis exornatum floruit, nunc autem stolida fossorum incuria vehementer labefactatum squalet.

C Aliud Monumentum arcuatum in pariete obverso.

D Sepulchra in ipsismet Monumentis arcuatis in topho excisa.

E Ostium, per quod in Cubiculum aditus patet, repræsentatum à parte exteriori, antequam illud ingredimur.

F Ostium à fossoribus dirutum.

G Monumenta utrimque per semitam, in cujus termino præsens hoc Cubiculum situm est, excisa.

Vnica Cubiculi primi Tabula.

Arcuatum hac Tabula Monumentum repræsentatur, quod in primario ipsomet pariete aptatum est, ac imagines insuper, quæ in eo ipsas inter ruinas perstitere.

I. In meditullio ipsius Monumenti, cum ipsa parietis superficies, quæ coloribus olim imbuta erat, humore nimio labefactata corruerit, veneranda ibidem, ut conjicimus, Christi Servatoris panes divina virtute multiplicantis effigies desideratur: ad quod afferendum nos eo potissimum argumento ducimur, quod videlicet juxta viros illos humi procumbentes, septem sportæ aut cophini panibus referti, affabre coloribus efficti, exprimantur.


II. Trium puerorum in Babylonica fornace psallentium imago contemplanda illic etiam proponitur.

III. Juvenes quidam, vel potius adolescentuli, qui in genua humiliter procumbunt, & septem plane numero exhibentur: quæ quidem figura vel septem B. Felicitatis filios indicat, vel certe sacras totidem numero virgines, quæ, ut supra dictum est, eodem olim Cœmeterio conditæ fuere, vel forte, si altius rem interpretari libeat, selectos turbæ illius homines, qui multiplicatis à Domino panibus refici meruere.

IV. Septem cophini fragmentorum, quæ superfuerunt de septem panibus à Christo Domino divinitus multiplicatis.

Cubi-







TABVLA VNICA CVBICVLI PRIMI COEMETERII PRISCILLÆ VIA SALARIA



Cubiculum secundum Cœmeterii Priscillæ Via Salaria describitur.

CUbiculum istud quadratæ formæ est, latitud. palm XI. longitud. X. cum dimidio, altitud totidem, aliqua item ex parte cæterorum more calce lævigatum. Primario in pariete, ipsius è regione ostii, arcuatum Monumentum extat; supra quod sepulchrum qu ddam in topho excavatum subsistit, cui alterum haud absimile, in ipsa pavimenti planitie, monumento eidem substernitur. In pariete vero, in quo ostium aptatum est, undecim numero Sepulchra parvulorum apta corpusculis conspiciuntur: in quorum altero palma, & venerabile Christi nomen; in altero vero impressi tres numero annuli cernuntur. Dexteram autem ipsius loci partem ingredientibus arcuatum Monumentum occurrit, quod aliorum instar picturis decoratur, supra quod aliud consuetæ formæ monumentum, quandam in medio palmam impressam continens, extat.

A Monumentum arcuatum, quod ad dexteram ingredientium in pariete fabrefactum conspicitur, estque picturis, ut inferius exhibebitur, adornatum.

B Monumentum arcuatum, quod in pariete præmemorati ex adverso visitur, tectorio, albarioque expolitum.

C Monumentum arcuatum tophinum in pariete è regione ostii.

D Sepulchra excisa subter, ac supra jam dicta Monumenta arcuata.

E Undecim parvulorum sepulchra, quæ in pariete, cui ostium inest, existunt, inter quæ unum pusillum admodum conspicitur.

F Ostium Cubiculi.


Unica Cubiculi Secundi Tabula.

I. Sacræ in hac Tabula imagines delineantur, quæ arcuatum idem Monumentum ambiunt, atque exornant: cujusdam nempe adolescentis ad pectus usque denudati effigies miro artis studio ad vivum exprimitur, qui quoddam pariter linteum humeris præ se ferre videtur. Ut nobis autem in rem præsentem opinari licet, recensita hactenus Ducis cujuspiam bellorum gloria, ac triumphis inclyti imago extitit, qui eodem Monumento clausus reconderetur. In arcu enim, & angulis ipsius Monumenti palmæ, coronæ, alatæ victoriæ, currus triumphales, aliaque id genus rerum militarium insignia coloribus adumbrantur. Quamvis autem nullo sepulchrali titulo prænotetur, ex cæteris tamen militum imaginibus, quæ infra lectori contemplandæ apponentur, probabilibus adducti rationibus, hic sanctorum militum Martyrum sepulchra extitisse conjicimus, de quibus supra egimus.

II III. Porro ex utroque descriptæ jam imaginis latere mulieres binæ adstant, quæ volumen quoddam explicitum manu præferunt, in quo nimirum præclara invicti hujus Ducis gesta, ac laudum ejusdem præconia ad perennem nominis gloriam adnotari fortasse contigit.

IV V. Currus Triumphales, quibus insident viri duo, qui palmas, ac coronas, ut vides, præferunt.

VI. VII. Victoriæ alatæ cum palmis item ac coronis.



TABVLA VNICA CVBICVLI SECVNDI COEMETERII PRISCILLAE VIA SALARIA



Primum arcuatum Monumentum Cœmeterii Priſcillæ Via Salaria deſcribitur.

HAud procul à ſecundo Cubiculo arcuatum primum hoc Monumentum occurrit, altitud. pal. 4. cum dimidio, latitud. 8. profund. 4. In cujus pariete bina infantium apta inferendis cadaveribus ſepulchra apparent: quorum extruendorum gratia picturas in eo exiſtentes magna ex parte labefactari contigit. Intra idem vero Monumentum, aliud in topho excavatum ſepulchrum conſpicitur. Porro hæ potiſſimum imagines recenſentur, quæ arcuatum Monumentum ambientes ad hæc uſque tempora ſuperſunt.

I. Totius in primis præmemorati Monumenti orthographia.

II. Militis altera manu haſtam tenentis, altera vero globum tangentis effigies, cui adoleſcentulus quidam præſto eſt, exiguum quoddam inſtrumentum geſtans, quod haud facile deprehendi poteſt, an globulum, vel certe tympanum bellicum repræſentet.

III. Vir quidam inſuper virgam manu præ ſe ferens exprimitur, quem quis ipſum forte Moyſen Hebræorum ducem interpretari queat, juxta quem bini adſtantes viri confabulari ac ſimul miſcere colloquia videntur.

IV. Alterius ibidem militis imago conſpicienda exhibetur, qui provectæ quidem ætatis eſt, ut ex aſpectu diiudicari poteſt, militari autem purpura, ex more indutus, bellicam manu haſtam tenet.

V. Illic demum Abraham contemplari licet, qui evaginatum gladium vibrat, ac dulciſſimi Iſaaci in genua ſuper lignorum ſtruem provoluti cervicibus imminet: juxta quos corona ab alto, certum utique victoriæ omen, pendet, quæ ex inſigni obedientiæ merito portendebatur; juxta id quod divinæ Scripturæ loquuntur: Vir obediens loquetur victorias.

Secundum arcuatum Monumentum Cœmeterii Priſcillæ Via Salaria deſcribitur.

MOnumentum iſtud latitudin. eſt palm. 8. altitud. 4. profund. 4. cum dimidio. Picturis quoque ſatis conſpicuum redditur, & imagines, quæ hic à nobis deſcribentur, contemplandas exhibet.

I. Totius Monumenti arcuati Orthographia.

II. Stolata quædam mulier, elevatis ex more manibus orans, ac veſte adinſtar caſulæ induta, affabre coloribus exprimitur.

III. Abrahamus item & Iſaacus, qui hirco juxta eoſdem ad holocauſtum perficiendum conſiſtente, exporrectis item manibus orantes, condignas Deo gratiarum actiones perſolvunt.

IV. Conſuetum quoque Euangelici Paſtoris ſymbolum ovem humero geſtantis intuentium oculis proponitur.

V. Moyſes, qui virga, quam manu tenet, petram quatiens, ex ea deſertas inter regiones uberrima aquarum fluenta educit.

In

MONVMENTVM PRIMVM ARCVATVM COEMETERII PRISCILIAE VIA SALARIA.



MONVMENTVM ARCVATVM SECVNDVM COEMETERII PRISCILLAE VIA SALARIA.



Verum enimvero cum hæc inter perlustrandum Bosius deprehendisset, haud à proposito ulteriora investigandi loca, utpote in sacrarum antiquitatum vestigiis perquirendis adeo jugiter lynceus, destitit. Cum igitur juxta vineam, quam nuper descripsimus, curiosius abdita quæque perscrutaretur; en tibi, in altera, quæ pontem Salarium respicit, alios quoque ad alteram ejusdem Cœmeterii partem aditus offendit: quibus, qua maxima potuit, celeritate patefactis, cum in subterranea illa loca se ultro infudisset, Cubicula ac monumenta ibidem integra haud numero pauca, inscriptiones pariter, atque innumera fere epitaphia marmori incisa, consuetisque religionis Christianæ signis ac symbolis prænotata reperit. Quamplures autem imagines miro artis studio effictæ ibidem extant: nonnulla item martyrii instrumenta, & quædam insuper ex iis, quæ olim artificum usui inservire consueverant: Pisces, item, nec non columbæ pennicillo exprimuntur, à quibus hinc inde velamina ornamenti gratia fulciuntur; columbæ item nonnullæ, quæ olivarum ramos deferunt, & id genus alia: quæ singula tabulis ad unguem excerpta in sexaginta & octo inscriptionibus tum Græco tum Latino idiomate conceptis in hoc secundo Subterraneæ Romæ volumine exhibentur. Nos interim iis, in quibus Consulum nomina desiderantur, postremo loco rejectis, hic primum unicam recensebimus, quæ olim quidem ethnicorum usui destinata, marmorea subinde tabula inversa, & meliorem in usum traducta, ipsorum Christi fidelium sepulchro inservire cœpit. Sepulchralis autem hujuscemodi titulus ex uno latere hæc legenda præ se fert:

Solemnia Christianorum symbola in sepulchris.

PRINCIPALIS
QUI VIXIT ANNIS
XLV. MESIS II. DEPO
SITUS NATALE SUSTI
BENEMERENTI CESQUET IN PACE.

Porro idem lapis apud ethnicos quondam inscriptus, altero ex latere notis hisce insculptus est:

D. M.
ULPIÆ KAPUENI
M. ULPIUS
FAOR. CONIUGI
KARISSIM. FECI
CON. QUA VIX. AN.
XX ET MENS....

Subsistendum interim nobis hic paululum, amice lector, & quidem, ut ipsemet Bosius ait, dolendum est, quod hæc una videlicet præclarissimi Cœmeterii pars, quæ diu illibata perstitit, ingenti plane ipsius recolendæ antiquitatis detrimento, avara diximne, an impia, atque sacrilega fossorum manu, (ò manus, inquam, abscindendæ, quæ lugubrem sacro huic loco cladem, atque excidium intulere!) ipsa quoque sub omnium oculis ruinis ac vastitati addicta sit: sed ob immane facinus, ac maxime detestandum, Deo loci injuriam vindicante, hi haud impunes evaserunt, sed condignas ultro sceleris pœnas dedere; postmodum enim diutino carceris squalore confecti, inopia atque omnibus fere incommodis absumpti, piaculum, quod patrarant, vel in pœnis, quas inviti tolerabant, agnoscere compulsi sunt. Sepulchrales vero lapides, qui suo è loco per summam injuriam avulsi, ac pretio distracti fuerant, Deo disponente, in manus Horatii de Valle magna quidem ex parte devenerunt, & Bosius ipse ingentem eorumdem numerum oblata ultro pecunia sibi comparando congessit. At reliquos sepulchrales titulos, quos diligenter eodem in Cœmeterio adnotare licuit, ex Opere hactenus edito excerpendos, & hic studioso lectori proponendos voluimus.


Inscriptiones è Christianorum veterum sepulchris.

TIGRINIANO CONIUGI
BENEMERENTI PRO FUTURA
FECIT QUI VIXIT MECUM
ANNIS XXV EGIT AUTEM VITA
ANNIS LVIII IN PACE


FILI MATRI SILVESTRE
FECERUNT NOFITE IN PACE


MARCELLA QUE VIX CUM
MARITUM SUNT ANNOS XXX
CUM MARITUM IV UM
ISTEFANU.


RESPECTUS QUI
VIXIT ANNU ET
MENSES VIII
DORMIT IN
PACE


MAXIMINO FILIO VIXIT AMNIS XXVI
VENERIA MATER
FECIT




AURELIUS VEKUS
AURELIÆ LUCINÆ
CONJUGI


UR BICO FRATRI BENE
MERENTI QUI VIXIT
ANNIS XV. DIB. XXXIIII
FELIX FRATER
IN PACE



GAVDENTIO FECERVM
FRATRI QVI VICSIC ANNIS
XXVIIII M VIII DXVII
DM

EGREGIUS. FILIE. K M
BONIFATE


QE. VISXE
ANIS. IIII.
D XI
MATER. I PACE. CES.

PR

PRIMAMFECIT PRIME
VENEMERENTI QVAE VIXIT
ANNIS LI MES IDVS V DIEBVS



IRENETI BENEME
RENTI COIUGI
MARITUS
FECIT
IN PACE



IVLIANO
QVI VIXIT
ANNIS. VI
MENSIBVS IIII


FILIO CARISMO
CESANO PARENTES
FECERUNT BENE
MERENTI IN —
PACE

CONSTANTYO FILIO
INNOCENTISIMO QVI BXANVS
VII MEVI DI XVII IN PACE
DEC XIII KAL SEPT.

CLODIO DISCOLIO
BENEMERENTI QUI
VIXIT ANNIS XXI
M X D XII FRATRES
FECERUNT IN
PACE



NARCISANE
PERIT ANNO
RVM PLVS
MINVS XIII




VIXIT ANNIS XX ET
UNU MENSIS SEX
DIES XX ET SEX
DICESSIT DIE. V.
KAL OCTOBRES


SCAMNA
TIUS IN
PACÆ



Hæc in præsens reperitur in Villa Sixti V.



PARENTET PART
ENIO BENEMEREN
TI QI BIXIT ANNIS XIII



HOCTAV
IE COIVGI
NEOFITE BI
SOMV MA
RITVS FE
CIT.

Hæc cum septem proxime sequentibus apud Horatium de Valle extat.

KY. PA. KE. ΨY. XH. KA. ALI. XPI.
TOG. ΩE. TA. COY



URBICO BENE
MERENTI
Q AN III
XI
IMP



SIMPLICIO BONE MEMORIA. Q. V.
ANNOS XXIIII D XLIII.
IN PACE FECERUNT
FRATRES.

JANUARIO DULCI ET BONO
FILIO OMNIBUS
HONORIFICENTISSIMO ET
IDONEO QUI VIXIT
ANNIS. XXIII M. V D XXII.
PARETES



DONA-

DONATUS. QUI BIXIT. ANIS. XXX
MENSIS. VI. DIES XVIII.
DEPOSITIONE. NONY. KL. IMIAS
QUESQUI. IN PACE



PETR O NI ANIMA INNOX
QV ANN. III. ☧ VIII. D
PARENTES FILIO
IN PACE

RIMENIUS QUI VIXIT
ANNIS XVIII IN PACE

PREJECTUS BIZINUS QUI VIXIT
AN VI. M. V. ET DIES XXVI.
DULCISSIMO PARENTES
POSUERUNT

EUPLIÆ KAR.

LARONI COPARI BIRGINIO QUI
BIXIT. ANNUS MECU XXVII
IM PACE

CALPURNIUS. PELACIUS
AURELIÆ. SOFIATI. COJUGI
BIXIT
MERENTI. POSUIT. AN. XXX

ZOSIMO BENEMERENTI GOJUGI IN
PACE CUM QUEM VICXIT
ANNIS XXXVIIII

LUCRETIUS GERMANUS CEPASIÆ
COJUGI ET SIBI IN PACE

BITALI IN PACE QUE BIXIT
ANNIS XVI.

FLORENTIÆ PIENTISSIMUS
CONJUGI SUE BENEMERENTI
QU AN XLq MXDX

COJUGI BENEMERENTI
IN PACE SEVERIANO

ANTONIO FIRMINO



GENEROSA CONJUGI SUO
FILOSTORGO QUI BIXIT
AN. OCTOGINTA

CORENTIANO INNOCENTI
QUI V. AN IIII.

SECUNDINUS QUI VIX ANN
PLUS M. LXII IN P.

JANUARIUS MATRONÆ
CONJUGI



B
. NAUTICO. O
NIS. VIII. M. II. D XX.

Hujus Inscriptionis characteres lapidi incisi non sunt, sed auro exarati: in præsens extat apud Horatium de Valle simul cum 21. proxime sequentibus.

FORTUNATUS. PATER. FECIT
FROCTOSE. FILIÆ.
DULCISSIME ET CARISSIME
DECESSIT ANNOR XIII

AUR. TIGRIS C. F. AUR
FELICIANO V. P. MARITO
INCoMPARABILI CvM C. VI
XI ANNIS XXI. SINE ULLA
DISCORDIA BENEMERENTI
CUM DOLORE MEO
ISSCULPI JUSSI.

☧ DOMINO FILIO INNO
CENTISSIMO ET
DULCISSIMO BO ☧
NO. SAPIENTI.
PELAGIO. QUI. VIXIT.
ANNIS. VI. M. VII. D. XIIII
H. VIIII. SOCRATIANUS. ET.
YRENE. PARENTES. B. QUES.
IN PAC

PLACIDE COIUGE
ME MARITUS FECIT
CUM PACE



HERCULIO. INNOCENTI
IN D M ☧
QV AN III VIII
JENUARIA. ALUMNO MERE.
IN PACE

DOMITIANÆ FORTUNATE
VENEMERENTI TE IN PACE.

SECURA QUÆ VITXIT
ANNIS. VI. ET DEFUNTA EST
IIII. KA. NOMEMB. RES.

LEONTIA FILETO COJUGI
BENEMERENTI IN PAC

ÆLIÆ. SEXTÆ. FILIÆ DULCIS
SIME QUÆ. VIXIT. ANNIS. XXI ☧
V. D XXII. H. V. ÆLII. CALLISTUS
ET PROFUTURA PARENTES

PETRONIANI MA INNOX
QV ANN. III. ☧ VIII. D. X
PARENTES FILIO IN PACE

REGINA VIBAS
IN DOMINO
ZESU

FLAVIO ITALO
INNOCENTISSIMO PVERO

FILI PATRI. BENEMERENTI
FECERUNT. IN PACE. FAVSTIN
QUI BIXIT ANNIr. L. d. XXX
ORAr. q.

INNOCENTIUS. INNOCENTIO
FILIO PRO INNOCENTIA
SUA BENEMERENTI QUI
VIXIT ANNO UNO DIEBUS
XqIII ORAS III 8 IN PACE

AGAPE COJUGI
BENEMERENTI IN PACE

FAUTINA
QUE VIXI ANNUS TRES
ET MESIBUS TRES
ET DIES XIII IN PACE.

☧ LOCUS BENEDIC
TI QUI VIXIT AN
P M XXX BENEME
RENTI IN PACE.

DOMUM ÆTERNE
VALERIANE MERENTI QUI VIXIT
ANNIS XXXIII MESIBUS DUO
DIEBUS XII MARITUS ET CENUS
ÆIV MERETI FECERUNT
IN PACEM

CON-

CONSTANTIUS
DECIÆ CONJUGI
QUE VIXIT MECUM
ANNOS XXXIII.




HEYMHΡΟΥΟΥΓΑΤΡΙ
ΑΓΑΠΗΝΗΕΤΩΝ
ΕΓΘΝΕΙΣΕΓΟΙΗΣΑΝ



ΡΕΚΕΠΤΟΣ ΕΝΕΡΗΝΗ
ΠΡΟΑΓΕL

ΛΕΩΝ ΝΙΚΟΝ ΠΑΚΕ





8 Verum ut ad ſuſceptam Cœmeteriorum enarrationem revertamur, à qua diu cætera exponendo, noſtra deflexit, imo potius aberrando ſubſtitit oratio: haud hic obvolendum ſilentio duximus, quod Cœmeteriorum gloriam, nec non antiquitatis recolendæ ſplendorem mirifice adauget, ac poſteris apprime commendat: nam prope ejuſdem regionis ambitum, qua pontem Salarium ſpectat, dum ſub Chriſti annum quingenteſimum ſeptuageſimum octavum ſupra milleſimum in Villa Illuſtriſſimi Præſulis de Ruvere, arena, uti mos eſt, effoderetur, aditus quidam ad Cœmeterium, quod ibidem in ſubjecta loci area latebat, patefactus eſt, cujus rei fama ubi primum percrebuit, tota fere Urbs turmatim ſuis è ſedibus proſiliens, quantocyus ad illud inſpectandum ſe contulit, ut Alphonſus Ciacconius oculatus rei teſtis Boſio deinde perantiquis ejuſcemodi Cœmeteriis indagandis, perluſtrandiſque incumbenti narravit. Tunc enim temporis cum Cœmeterium præmemoratum innotuit, Boſius ipſe triennis adhuc ætate puer erat; qui inſuper à graviſſimo, ac ſtudioſiſſimo alioqui viro, quem memoravimus, ſe accepiſſe refert, Cœmeterium iſtud magna ex parte ruinis obſitum perſcrutantibus patuiſſe: ſepulchra item omnia perſcrutantium manu reſerata, ac marmora, quæ exſculptis titulis inſcripta erant, omnino confracta, atque humi paſſim projecta, ab exploratoribus loci reperta fuiſſe. Ex his tamen ſepulchralibus titulis octo duntaxat integros, illibatoſque tot inter ruinas ſeligere licuit, qui in Opere hactenus edito typis demandati ſunt. Hos autem cum ex eodem Ciacconio Boſius acceperit, hic pariter, ut plene ſtudioſi lectoris deſiderio fiat ſatis, & ne quid eumdem rerum antiquarum lateat, repetendos eſſe decrevimus:

(margin: ...Præ-...de ...ere.) (margin: Sepulchrales Cœmeteriorum tituli.)

ΤΟΠΟϹ ΑΝΑΠΑΥϹΑΙΩϹ
ΑΜΜΟΝΙΟΥ ΚΑΙ ΕΥΤΥΧΕΙΟΥ
ΘΡΕΠΤΟΥ
id eſt
LOCUS QUIETIS
AMMONII ET EUTYCHETIS
NUTRICIS

ΙΑΝΟΥΑΡΙΩ ΘΡΕΠΤΩ
id eſt:
JANUARIO NUTRICIO;

EROS HILARAÆ BIDVE FECIT

QUINTINIÆ URSULÆ CONJUGI
BENEMERENTI AMULIUS
MELIOR FECIT

RUFINÆ FILIÆ BENEDICTÆ

..... MURDIUS CAM
RUFUS FONTEJADADA
CONJUX

VITALIANO
ALUMNO
KARO
EUTROPIUS FECIT

GREGORI
SILICIA FAUSTIN
VIXIT ANN. IIII
M. V. DIE UNO

At vero, ut breviter ſingula hujus Cœmeterii complectamur. Vitreas nonnullas quibuſdam in Monumentis imagines, ſphæricæ utique formæ, nec non affabre circumdeauratas reperiri contigit, quæ ab exteriori parte valido calcis glutino obfirmatæ erant; quarum ectypa hic contemplanda ſubjicimus.

I. Fragmentum vitreum deauratum in ſepulchris Cœmeterii Priſcillæ Via Salaria repertum.

II. Aliæ pariter hujuſcemodi inſcriptæ notis adinventæ ſunt.

CUM TUIS PIE ZESES.

Quas notas Boſius ipſe aliis ſecum ad ferendam obſcura ſuper re ſententiam adhibitis, hoc plane modo legendas, explanandaſque duxit: PIE JESUS.

III. Vitrum antiquum è nobili, ac celebri Equitis Franciſci Gualdi Arimin. Muſæo, quod nunc præclarius, mutato nomine, & ſede, Regium in Monte Pincio Muſæum vulgo nuncupatur; ex quo videlicet idem Gualdus illud Ludovico XIV. Galliarum Regi dono dedit, atque in Cœnobium PP. Minimorum nationis Gallicanæ in vertice montis Pincii ſitum transferre cœpit. Vitrum autem, ut vides, Chriſtiana bene precandi formula circumſcriptum eſt. At ſi quæris, quid ſit iſtud SIRTCA. Si ordine inverſo legeris, & ſecunda litera pro Græco ſigmate acceperis, ſcies. Igitur LUCIFER ZESES eſt Jeſus Chriſtus: capita, quæ coronantur, ſunt ejus Aſtra.

IV. Altera itidem vitrea imago in lucem prodiit, in qua iſta potiſſimum verba leguntur: PIE ZESES. Veruntamen in inſcriptione hac haudquaquam ſacrum JESUS nomen continetur, nam ζήσεις Latine idem ſonat, quod VIVES, ſeu VIVAS: perantiquus autem hinc illius ſeculi uſus convincitur, cum utraque nimirum lingua vulgo, ut videre eſt, uſitato loquendi more confunderetur.

V. Vitrum antiquum eodem ex Cœmeterio erutum, cui effigies, & nomina eorum, quos inibi ſepultos credimus, inſcripta leguntur, videlicet Petrus, Paulus, & Peregrina.

VI. Vitrum, in quo binæ effictæ viſuntur imagines, abſque ulla tamen inſcriptione.

VII. Vitrum, in quo BB. Petri, Pauli, Laurentii, Cypriani, Juſti, et Hippolyti imagines, additis inſuper eorumdem nominibus, exhibentur. In medio autem ejuſdem ſinu duæ aliæ imagines extabant, quarum capitibus Angeli ibidem efficti manu coronæ, ſeu diademata imponebantur.

VIII. IX. X. Earundem quoque ſacrarum imaginum fragmenta id genus quamplurima reperta ibidem fuere. Perexiguæ inſuper nonnullæ ex vitro itidem confectæ imagines, in quarum ſingulis virorum quorundam effigies delineantur, qui manu quidpiam, Magorum adinſtar Regum Deo infanti munera deferentium, præ ſe ferunt. Quas quidem ſingulas imagines in editis Subterraneæ Romæ lucubrationibus impreſſas etſi videre quis poteſt, tamen, ut ſacrarum antiquitatum, lector quicumque es, oculatus ſis teſtis, hic earumdem quoque typum ad libitum contemplare. ſed de his hactenus.

9 Marmorei quoque ibidem Sarcophagi minutatim confracti extabant: in altero ex his funeralis Agape, uti mos erat antiquis, impreſſa ſuſpiciebatur: in altero autem Euangelici Paſtoris apprime commendati, qui ovium cuſtodiæ inſiſtit, imago contemplanda exhibebatur.

Inſcriptio Græca Latine reddita, hac prorſus ratione interpretanda eſt:

HIC PAULINA
IACET BEATORUM
IN LOCO.
QUAM SEPELIVIT PACATA
SUAM NUTRICEM
DULCEM
SANCTAM IN CHRISTO.

Ex hac vero inſcriptione validiſſimo ex antiquitate petito argumento, Sanctos olim in venerabili hoc Cœmeterio conditos fuiſſe ſatis aperte verbis illis convincitur: *Hic Paulina jacet Beatorum in loco.* Eundem enim loquendi modum apud Græcos uſurpatum frequenter invenimus, & præſertim apud Gregorium Nazianzenum Oratione funebri, quam in Baſilii laudem conſcripſit, ubi iſthæc recitat: *Greg. N orat. fu bri in B laud.*

——— οὐ μ' ἀναείρων
Θήσεις ἐς μακάρων, σὴν τε χοροστασίην.

Id eſt:

——— *non me ſurſum tollens*
Pones ad Beatorum, tuamque chori ſtationem.

Idem plane in Epigrammatum Græcorum lib. 5. Epigr. 5. legitur. *Lib. 5. ep Græc. ep 5.*

——— ἀλλά σε χῶρος
Ἄμβροτος ἀθανάτων ἁγίων ὑπέδεκτο καμόντα

Id eſt:

——— *ſed te locus*
Immortalis immortalium ſanctorum ſuſcepit defunctum.

Porro


I
II
III
IV
VIII
IX
X
V
VII
IMAGNES VITREÆ DEAVRATÆ IN SEPVLCEIS
COEMETERII PRISCILLAE VIA SALARIA REPERTÆ
VI


SARCOPHAGVS MARMOREVS EX COEMETERIO PRISCILLA
VIA SALARIA EFFOSSVS
SARCOPHAGVS MARMOREVS EX EODEM COEMETERIO PRISCILLA
VIA SALARIA EFFOSSVS
ЄΝΘΑΔЄΠΑΥΛЄΙΝΑ
ΚЄΙΤΑΙΜΑΚΑΡΩΝ
ЄΝΙΧΩΡΩ
ΗΝΚΗΔЄΥϹЄΠΑΚΑΤΑ
ЄΗΝΟΡЄΙΤЄΙΡΑΝ
ΓΛΥΚЄΡΗΝ
ΑΓΙΑΝЄΝΧΡΩ

Cœmeterium Ostrianum. 10 Porro Cœmeterium istud à Ciacconio & aliis, qui hac de re luculenter scripsere, ut probabiles quidem rationes ultro suadent, ipsummet Ostrianum esse creditur, ubi quondam B. Petrus Apostolorum Princeps, ut jam diximus, recens ad Christi fidem traductos baptizabat: ex illius enim vineæ humo crystallina jugiter aqua emanat, quæ in idem ubertim Cœmeterium influit. Septena in eo arcuata tunc monumenta visa sunt. Imagines autem, quæ inibi existebant, à Philippo Vinghio, & Alphonso Ciacconio inde quamdiligenter excerptas, cum eorundem è manibus Bosius accepisset, ne condigna rerum hujuscemodi memoria penitus excideret, typis consignandas curavit; & nunc in isto Subterraneæ Romæ volumine edito inter recolenda Cœmeterii Priscillæ monumenta jure quidem merito recensentur, cui Cœmeterio istud quoque successu temporum jungi, & copulari contigit. Interim vero notandum est, quod priusquam Bosius conscribendo rerum Cœmeterialium operi animum pariter ac manum applicuisset, impio fossorum, vel perfossorum potius, ut ita loquamur, conatu antiquum hoc, venerandumque Cœmeterium (plane instigante dæmone, ac Deo permittente) omnino dirutum, atque abolitum est, qui subinde ob perpetratum tam immane facinus ultricem de cælo, ut crimini par erat, manum haud effugere: dum enim impii homines humum altius effodiunt, & totis viribus operi instant, ingenti collapsa desuper ruinarum mole, beatorum effossores sepulchrorum tanquam luce prorsus indigni, condigno plane suppliciorum genere terra adhuc viventes absorpti, spirantesque necdum mortui sepulchro, dum Martyrum sepulchra demoliuntur, cælo vindice, illati sunt. A nobis vero, qui hactenus descriptam Monumentorum seriem prosequimur, Monumentum hoc, ut probe ordo teneatur, hujus quidem Cœmeterii primum, Priscillæ vero tertium adnumerandum, atque inscribendum est.

Monumenta arcuata.

Tabula prima Monumenti tertii in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria.

I. Totius in primis Monumenti arcuati orthographia in conspectum, ut vides, hic datur. In eo autem sacræ infra exponendæ, coloribus historiæ adumbrantur, videlicet:

II. Christi Domini Servatoris Lazarum à monumento excitantis.

III. Moysis supra septenas mannæ sportas, seu cophinos dexteram protendentis, vel potius dixerim, ipsiusmet Christi Domini panes divinitus multiplicantis.

IV. Ejusdem iterum Moysis petram virga ad aquarum venas inde eliciendas percutientis imago illic visitur.

Tabula secunda Monumenti tertii in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria.


I. Hæc quidem Tabula consuetum Pastoris Euangelici symbolum dilectam humeris ovem deferentis exhibet.

II. Mulier quædam præterea elevatis manibus orans exprimitur.


III. Noëmi insuper, dum universalis aquæ diluvii inundarent, intra arcam recepti, & manus ultro ad excipiendam una cum olivæ ramo redeuntem ad se columbam porrigentis effigies.

IV. Daniel quoque eundem in modum inter rabida leonum fame exasperatorum ora Deum impense deprecans.

TABVLA PRIMA MONVMENTI TERTII ARCVATI CŒMETERII PRISCILLÆ ET ALIOR SS^TOR VIA SALARIA.












TABVLA SECVNDA MONVMENTI TERTII ARCVATI CŒMETERII PRISCILLÆ ET ALIOR. SS^TOR VIA SALARIA.













Tabula unica Monumenti quarti in Cœmeterio Priſcillæ Via Salaria.

I. Monumentum arcuatum.

II. Hic itidem myſtica ac recolenda Euangelici Paſtoris forma intuentium oculis ſubjicitur.

III. Beatus quoque Apoſtolus Paulus ſacro diademate redimitus, hujuſcemodi hinc inde titulo decoratur, ab uno videlicet latere hiſce notis exſculptis: PAULUS PASTOR, quibus ab altero iſtæ pariter reſpondent: APOSTOLUS.





Tabula unica Monumenti quinti in Cœmeterio Priſcillæ Via Salaria.

I. Monumentum arcuatum.

II. Moyſes uberes aquarum rivos è ſilice virga exhauriens proponitur.

III. Daniel, qui ſævos inter leones illibatus degit.

IV. Jonas quoque, qui amœno ſub umbraculo dulces recubando ſomnos carpit.

Tabula

Tabula prima Monumenti ſexti arcuati in Cœmeterio Priſcillæ Via Salaria.

I. Hac Tabula totius in primis Monumenti arcuati orthographia oculis ſubjicitur.

II. Chriſtus deinde Servator ſublimi quodam throno medius inter duodecim Apoſtolos conſidentes exceptus exhibetur.

III. Jonas, qui ab immani ceti alvo incolumis ad maris litus projicitur.

IV. Ipſemet iterum Ionas ſub umbraculo admota capiti dextera conſiſtens contemplandus objicitur.





Tabula ſecunda Monumenti ſexti arcuati in Cœmeterio Priſcillæ Via Salaria.

I. Mulier quædam hoc loco exporrectis in altum manibus orans coloribus exprimitur.

II. Abrahamus quoque evaginatum una quidem manu gladium, altera vero Iſaacum filium mox immolandum tenens, juxta quos hircus omnem præter ſpem ſacrificio illi ſufficiendus adumbratur.

III. Tres inſuper pueri in Babylonicam fornacem injecti, & pileum, ut Perſarum mos eſt, impoſitum capiti geſtantes repræſentantur.

Tabula

Tabula unica Monumenti septimi arcuati in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria.

I. Monumenti arcuati orthographia.

II. Consuetum Pastoris dominici symbolum hic pennicillo delineatur.

III. Daniel insuper devorandus leonibus objectus.

IV. Jonas è navi, Deo ejus inobedientiam vindicante, in mare præceps dejectus, & vastissimi subinde ceti alvo exceptus.

Tabula unica Monumentorum octavi & noni in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria.

Hac unica Tabula duorum Monumentorum imagines una simul delineatæ sunt.

I. Monumentum octavum.

II. Monumentum nonum.

III. In octavo autem hæ potissimum figuræ exprimuntur, sanctissimi videlicet Patriarchæ Noëmi columbam intra arcam una cum olivæ ramo excipientis.

IV. Viri cujuspiam elevatis de more manibus orantis effigies.

V. In nono autem Monumento fossoris cujusdam dextera malleum gestantis imago exhibetur, hujuscemodi inscriptionis titulo prænotata, videlicet: FOSROTOFIMUS; quæ verba innuunt fortasse ac sonant: FOSSOR TROPHYMUS: hoc enim nomen in ipsa quoque Dorothei synopsi, septuaginta inter discipulos legitur, ejusdemque meminit D. Paulus in 2. epistola, quam ad Timoth. scripsit, cap 4. *Apost. 2. ad Timot. c. 4.*

Porro fossorum munus, quibus videlicet defunctos humandi cura erat, primum quidem ac præcipuum inter cætera Ecclesiæ munia, Hieronymo teste, locum antiquitus obtinebat. *De 7 grad. Eccl.* Et sane, ut nobis credibile fit, horum tam numerus, quam ministerium magnum, iis præsertim temporibus, extitit, cum Christiani omnes in subterraneis Cœmeteriorum cryptis sepulturæ demandarentur: sine quorum opera ac labore tot cuniculi effodi, tot viarum semitæ instrui, tot cubicula excavari, tot numero sepulchra aptari, atque disponi, quot ibi cernuntur, tam ingens terræ moles ab imis visceribus egeri nullatenus potuit. Sed de fossoribus Cœmeteriorum hactenus: nunc quæso ad rem nostram, si libet studiose lector, revertamur.


10 Eadem Via Salaria, cujus nunc sermo recurrit, si quis dexteram in partem, & pontem versus progrediatur, in villa quadam duo ad inferiorem Cœmeterii cujusdam sinum, accedentibus quidem satis commodi ac faciles aditus patent, eum in modum dispositi, ut vel ab his, qui à Cœmeterii ipsius ingressu abstinent, ex ipsomet loci prospectu, ipsæ Cœmeteriales semitæ conspiciantur. *Aditus Cœmeteriales.* Sepulchra autem, quæ ibi sita sunt, licet consumptis omnino ac fragilibus cadaverum ossibus adhuc scateant, reserata tamen, ac repagulis omnino sublatis patentia se offerunt: cum ossa interim, quæ in interiori parte subsidunt, vel levissimo tactu penitus solvanrur, atque in pulverem abeant. *Sepulchra in Cœmeteriis.* Complura illic arcuata monumenta, sed picturis omnibus destituta, & dealbata duntaxat videre est: *Monumenta arcuata.* Cubicula vero ibidem numero pauca. Porro fragmenta quamplurima intra ejusdem loci ambitum ubique passim dispersa intuentibus contemplari fas est: ex quibus plane conjicitur, huic quoque Cœmeterio sua olim decora, atque ornamenta haud defuisse, quibus cæterorum instar excultum, ac conspicuum pariter redderetur.

11. Consueta vero in sepulchris Christiani nominis signa prænotantur, videlicet *Solemni[a] Christia[no]rum sign[a]*


  

Annulos quoque, conchylia, ac vitra rotundæ haud hic quoque desiderari contigit: in quibus quædam, etsi nimia jam vetustate abolitæ, imagines conspiciebantur: eburneæ item imagunculæ sepulchrorum angulis, terminorum instar affixæ: lucernæ quoque fictiles, ac vitreæ ampullæ, & id genus alia, sacræ recolenda antiquitatis indicia extabant. Tot autem inter fragmenta unus dumtaxat sepulchralis integer lapis adinventus est, hac videlicet inscriptione notatus: *Inscripti[o]nes sepu[l]chrorum*


Verum



TABVLA VNICA MONVMENTII SEPTIMI ARCVATI IN CŒMETERIO PRISCILLÆ VIA SALARIA.



TABVLA VNICA MONVMENTORVM OCTAVI ET NONI ARCVATORVM IN COEMETERIO PRISCILLÆ VIA SALARIA.



Verum iisdem conjecturarum argumentis innixi, quibus eam, quam supra enarravimus, Ostriani Cœmeterii partem esse asseruimus, hanc quoque Cœmeterii Novellæ partem recensendam fore arbitramur. Ambo enim Cœmeteria hæc mutuo propinquitatis nexu sibi quodammodo cohærebant, & pari utrumque intervallo, tertio videlicet ab Urbe lapide, distabat, quoto pariter & illud Priscillæ ab ipsis mœniis distat. At longa postmodum recurrente temporum serie, singula in unum tandem coaluisse, probabiles quidem rationes convincere, ac suadere videntur. Porro unicum duntaxat in hac Cœmeterii parte Monumentum arcuatum, altitudinis palm. III. latitud. VII. profund. III. cernitur, pictasque ejusdem imagines unica, quam subjicimus, Tabula præ se fert.

Cœmeterium Novellæ.



Tabula unica Monumenti decimi in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria.

I. Totius in primis Monumenti orthographia.

II. Euangelicus hic Pastor describitur, duas inter arbores consistens; quem binæ ad dexteram oves, ac bini hinc inde galli ambiunt.

III. Quædam item mulier elevatis de more manibus orans, ac velo capiti circumamicta exprimitur.

IV. Pavo quoque versicoloratis in gyrum pennis conspicuus.

V. Noëmus insuper pennicillo adumbratur, qui in arca consistens, protensis manibus columbam ad se cum olivæ ramo redeuntem festivo vultu excipit.

12 Sed ne minutis quibusque rebus diutius enarrandis immoremur, hæc interim retulisse sufficiat: susceptum autem una cum Bosio iter, cætera quæ latent, perscrutaturi prosequamur. A villa igitur, quam nuper descripsimus, pedem ad lævam moventes, qua scilicet ad pontem Salarium itur, altera

altera eunti vinea, ab ea, quam nuper lustravimus, quadraginta circiter passibus distans occurrit, quæ inter prædia olim familiæ de Cuppis adnumerabatur. Hæc autem una ex parte eum in modum declivis est, ut perexiguum quendam collem efformare videatur, qui quidem ab omnibus nobili ac pretioso vocabulo Gemmarum mons, vulgo Monte delle gioje, nuncupatur; & jure quidem merito, neque casu aut temere, sed condigno divinitus omine accepto, pretiosum hoc nomen locus ille sortitus est; cum gemmas fere innumeras sua intra viscera haud ullo æstimandas pretio, sinus iste beatissimus recondens, concludat. Sacra nimirum, ac veneranda purpuratorum Christi Martyrum pignora, quæ in Cœmeterio Priscillæ, quod ibidem situm est, requiescunt. Hanc autem, quippe quæ præstantior ejusdem Cœmeterii pars est, Priscillæ olim Cœmeterium appellatam fuisse arbitramur. Cum hæc una ex omnibus vastissimi hujus Cœmeterii partibus Salario ponti proximior sit, quo potissimum loco antiqui rerum Ecclesiasticarum scriptores, & præsertim Cencius Camerarius una cum aliis nonnullis Cœmeterium hoc statuunt; hæc quippe Cencius scribit: *Cœmeterium Priscillæ ad Salarium.* Quibus Baronius quoque, ac Ciacconius pari sententia adstipulantur.

13 Hanc igitur villam maximo animi, ac præcordiorum æstu, utpote rem sibi optatissimam nactus, cum Bosius ingressus fuisset, dexteram tenens partem, parietinas complures introspexit; quæ quoddam ibi templum extitisse vel ipsomet adspectu testabantur; hoc autem ipsummet, quod B. Silvestro dicatum erat, haud quis temere pronunciaverit, cum supra Cœmeterium ejusmodi olim templum erectum fuisse constanti assertione præmiserimus. Haud procul igitur ab his ruinarum vestigiis, ad dexteram progrediendo, inter alias, quæ condensis hederæ foliis operiebantur, parietinas, latentem ad Cœmeterium, de quo sermo nunc est, aditum invenit. Hinc ad subterraneam loci aream delapsa humo repletam festinus descendit: ubi alii duo aditus ad occidentem ultro respicientes patent. In altero autem ex his Cubiculum calce, ut mos est, incrustatum perscrutantibus se primo obtulit; in cujus tholi umbilico quoddam quadratæ formæ ad lumen excipiendum foramen studiosa artificum manu aptatum conspicitur; quod nunc quoque inter ipsius loci ruinas superstes est: & juxta hoc eodem in tholo foramen aliud sphæricæ pariter formæ, palm. circiter sex obseratum suspicientibus contemplari licet.

14 Porro in ejusdem Cubiculi ambitu, ut videre est, plures quondam aditus patebant, qui accedentibus nunc omnino impervii, utpote humo ac maceriis obducti, redduntur. Horum igitur alterum Bosius ingressus, arctum quidem adeo, ac perangustum, ut nonnisi demisso humi corpore, contractisque genibus progredi alicubi liceret; ad alterum consimilem aditum devenit: inde ad abditos quosque ejusdem loci sinus explorandos contendenti semitæ quidem altiores terendæ sese obtulere, quas cum avidis interim oculis perlustraret, erecto corpore, huc illuc incedendo, excurrere potuit. Cœmeterium autem istud satis quidem amplum est, longo item circuitu protenditur, semitisque compluribus, etsi magna ex parte obseratis, distinguitur: quo plane argumento, (ut cætera sileamus) valide assertionis nostræ propositum confirmatur; Cœmeterium videlicet hoc, quod plures in partes veluti corpus in membra subdividitur, cæteris ejusdem Viæ Cœmeteriis jungi & cohærere. Verum quamplurimas ibi parietum constructiones, ex topho nimirum, lateribusque calcis glutino compactis, videre est: in his autem monumenta de more excisa, bases quoque & columnas id genus ad Cœmeterium suffulciendum affabre concinnatas intuenti passim facultas datur; & ut de cæteris taceamus, quodam præsertim loco ingens æque ac validus quadratæ formæ paries inter perscrutandum visitur: in quo portæ ad numerum quatuor sphæricam singulæ formam præ se ferentes in quatuor parietis ejusdem lateribus aptatæ, dispositæque subsistunt; è quibus reliquæ subinde viarum, quæ sibi invicem respondent, semitæ derivantur. Substructiones vero, quas hactenus memoravimus, posteriorum proculdubio Pontificum jussu perfici contigit; quibus Cœmeteria hæc ruinam minitantia ultro suffulciri voluere: atque hujuscemodi quidem restaurationes potissimum Leonis, Adriani, aliorumque Pontificum Romanorum studio præstitæ sunt, quas passim in ipsorum Pontificum gestis Bibliothecarius memorat. Sed ad ulteriora quæso Cœmeterialia perscrutanda progrediamur.

Bibl. in gestis Pontif.

15 Si quis enim ad plagam orientalem respiciens arrepti cursum itineris prosequatur, Viam muro hinc inde munitam, dealbatamque offendet, haud tamen ulla ibi cadaverum sepulchra videre est, quinimo, ut indita menti opinio fert, hæc quidem priscis temporibus aquæductus usui, vel certe pluvialibus colligendis, servandisque aquis deservivit. Quoad cætera vero, quæ pervestigando adnotare licuit, Cœmeterium hoc reliquis plane consonat, atque ejusdem formæ vias pariter ac sepulchra continet. Porro tenues quidam ac perexigui arcus alicubi calce obliti conspiciuntur, in quibus ad sacros de more peragendos Christianorum cœtus lampades apponebantur. Sepulchra vero, quæ ibidem sunt, singula intuentibus patent, in quorum nonnullis adhuc defunctorum ossa substernuntur: in aliis vero nedum ossa, imo nec tenuissimus quidem pulvis perstat, sed monumenta omni ex parte diligenti manu tersa atque expolita subsistunt. Quod nobis argumento est, sacras olim Martyrum iisdem in loculis reliquias inclusas atque asservatas fuisse, indeque studiosius pia fidelium opera gratia honoris collectas alio asportatas fuisse. Nobilissimum vero ac præ cæteris celeberrimum Cœmeterium hoc extitisse, ex marmoreis columnarum, & Sarcophagorum innumeris fere fragmentis, ac cæteris hujuscemodi, quæ extant, vestigiis conjicere prudens quisque potest: quæ singula miro artis studio cæmentariorum manu elaborata in eo passim conspiciuntur. Complures itidem ibi Inscriptiones, sepulchrorumque titulos absque numero quidem adnumeratos olim fuisse crebra, quæ occurrunt ad manus fragmenta, edocent. Ex quibus omnibus unicum duntaxat integrum, imaginem quandam insculptam contemplantibus exhibens reperiri contigit; quæ sacrum Christi nomen ea, ut infra vides, ratione exsculptum, delineatumque nobilis instar trophæi manu sustentat: characteribus autem hisce titulus prænotatur:


Arcuati loculi in Cœmeteriis.

Sepulchra Cœmeteriorum.

Insignia marmorea fragmenta in hoc Cœmeterio.

Item Inscriptiones sepulchrales.

Sacrum Christi nomen sepulchro veteri insculptum.



Baron. annal. to. 3. an. 312.

16 Porro Inscriptionis hujus Baronius quoque meminit Annal. to. 3. ann. 312. ubi & ipsammet typis imaginem expressam refert, è perantiquo Priscillæ Cœmeterio, ut ipse inquit, exceptam. In eâ tamen deinde imprimenda ipsiusmet delineatoris error irrepsit; quem Bosius candidæ veritatis, ac illibatæ pariter antiquitatis amator, ex ipsomet prototypo studiosè corrigendum curavit, ut nunc in exsculpta operis imagine suæ reddita integritati videre est. Porro Arbetionis, & Lolliani Consulatus, qui hac potissimum inscriptione prænotatur, anno Christi 335. contigit Liberii Papæ IV. Constantis Imperatoris XIX. ut Baronius locupletissimus loco supra citato testis est.

Arbetionis, & Lolliani consulatus.

Baron. annal. to. 3. an. 335.

17 Alter subinde inscripti lapidis titulus sacro Christi nomine hac item ratione exsculptus, haud ullam tamen imaginem præ se ferens, ibidem visitur:



REDEMPTA
POLYXENE

Fragmentum quoque cujusdam Sarcophagi ibidem repertum est, cui bini dumtaxat delphini insculpti conspiciebantur cum ea, quæ proxime sequitur, inscriptione:

L. SEPTIMUS AULU
ZANUS. q. COH. VI. VIG.
OCTAVIE PETRONIE
DEMETRIE CONIUGI
DULCISSIME BENEME
RENTI FECI.

Elementa, seu verba dimidiata, quæ secundo versiculo hujus Inscriptionis habentur, ita legenda sunt: CENTURIO COHORTIS SEXTÆ VIGILUM. De quibus Centurionibus, & Vigilum cohorte, eorumque munere Wolphanghus Latius pluribus agit.

Wolph. de Rep. Rom. l. 4. c. 10. l. 6. c. 1.

Eodem in Cœmeterio proxima isthæc inscriptio characteribus minio tinctis in pariete depicta visitur, tribus pariter appictis vasculis, ut hic videre est.

SALUTIÆ CO
JUGI BENEME
RENTI

JUSTUS SE
RENU PO
VALERIÆ
VICTORINÆ
FILIÆ



In quodam insuper marmoris fragmento, quod è Cœmeterio hoc erutum, in lucem prodire contigit, & nunc in porticu domus ejusdem villæ incultum, neglectumque jacet; cæteris omnibus vetustate abolitis, hæ duntaxat, quæ supersunt, inscriptionis notæ leguntur:

POSITUS EST PETRUS VIII. IDUS
TIAS QUI VIXIT ANNIS XVIIII
DEP. IN PACE PHILIPPO ET SALIA
COSS. DUO FRATRES
ANTIUS LECTOR DE PALLACINE
QUI VIXIT
EP. XII. KAL. SEP.

18 Et Philippi quidem, & Salliæ Consulatus in Christi ann. CCCXLIII. Julii Papæ XII. Constantii & Constantis Impp. XII. incidit. Ut congruam autem verbis illis, quę in hoc inscriptionis titulo recitantur, commodamque & plenam explanationem in medium afferamus, illis, inquam, verbis videlicet LECTOR DE PALLACINE; studioso utique lectori memoria repetendum est, Romæ olim juxta B. Marci Ecclesiam monasterium quoddam, cui nomen *Pallacinum*, D. Laurentio Martyri dicatum extitisse, cujus Biblioth. quoque in Adriani Papæ Primi gestis meminit: ibi enim cum Tyberis alluvionem quandam prolixius enarrat, hæc ad rem habet: *Atque ultra basilicam Marci remeans, & porticum, quæ vocatur Pallacini per plateas se extendit*, &c. Et clarioribus item verbis utitur, dum Nicolai Papæ I. gesta recensens, atque in his inundantes pariter Tyberis ejusdem iterum aquas describens, isthæc subtexit: *Exinde remeans ingressus est per porticum, quæ est ante Ecclesiam S. Marci; inde impetum faciens, cæpit decurrere in cloacam, quæ est juxta monasterium S. Laurentii Martyris, quod vocatur Pallacini*. Ejusdem insuper loci ipsemet B. Greg. Magnus in suo registro meminit lib. 5. ep. 44. Ind. 14. & lib. 7. ep. 44. Ind. 2. cùm de muneribus monasterio suo collatis verba faciens, isthæc inserit: *Tabernam in hac Urbe, quæ est posita juxta Pallacenas*. Sed jam ad locum quæso, unde primum discessit, oratio revertatur.

Cassiod. in Chron. Baron. ann. to. 3. an. 348.

Bibliot. in Hadr. Pa. 1.

Idem in Nicol. Pa.

S. Gregor. in reg. l. 5. ep. 44. Ind. 14. lib 7. ep. Indic 2.

19 Aliæ quoque eodem in Cœmeterio inscriptiones visuntur, & una præcæteris exiguo marmori incisa, in quo & piscis item ferro insculptus exhibetur, & hæc tantummodo verba perleguntur:

CONSTANT
DULCIS

P. AUFIDI. P.
SALVI




Alterius vero sepulchralis tituli fragmentum, quod superest, hujuscemodi inscripta legenti carmina præ se fert:

O FELIX DUM VITA FUIT QUAM DI...
MARITO...
URBICA SUBTRAHERIS CUNCTIS
DEFLENDA PROPINQ.....
REDDITA PRO MERITIS CÆLESTIA
REGNA RETENTA....
BENE SERVARE FIDE CONSCIA
CHRISTO.......
IN EA PERMANSIT QUÆ DOCUIT
ALTUS.........
CERNUNTUR PLURES UT UNUS
EVADAT........
AUXILIUM CHRISTI CASTA PROBATUR
AB.........

URBICA

URBICA
QUÆ VIXIT DEPOS.
ANN. XXXV.

20 Inter marmorea vero Sarcophagorum fragmenta, quæ antiquis temporibus ibidem asservabantur, quoddam præcipue repertum est, ubi Jonæ sub umbraculo quiescentis insculpta imago cernitur; juxta quam eadem in Tabula draco, vel certe marinus cetus aut balena sub immani illa draconis specie exprimitur; à quo videlicet prophetam Jonam sacræ historiarum paginæ absorptum fuisse enarrant.



21 Ut antiqua autem majorum traditio præfert, quæ ad nos quoque per manus, ut ita dicam, transmissa pervenit, Sarcophagi quamplures, & quidam ex his omni ex parte integri atque illibati, nonnulli autem perfracti, tunc primum inde extracti fuere, cum Cœmeterium hoc longa post secula in lucem quodammodo redivivum prodiens, ipsimet Urbi ac Orbi pariter innotuit. In his porro Sarcophagis sacrarum plerunque rerum historiæ studiosa artificum manu insculptæ, trium præsertim puerorum, Moysis, ac Danielis intuentium oculis contemplandæ exhibebantur; qui omnes tanquam digna recolendaque anteactorum seculorum monumenta, trophæorum instar, Christianæ tum pietatis, tum antiquitatis suspicienda in Urbem delata sunt.

22 Ut hic vero singula, quæ ad memoratum Cœmeterium pertinent, breviter perstringamus, studiosum lectorem latere nolumus, hoc videlicet, de quo sermo est, aliud sub se ejusdem amplitudinis Cœmeterium continere; ad quod aditus per foramen quoddam in topho excisum patet; ubi descensus eum in modum profundus, ut credi vix possit, cujusdam instar scalæ topho, ac lateribus extructus, fornice desuper obducto, occurrit; gradus tamen ingesta desuper humo requirentibus haud apparent. Eo autem loco, ubi descensus iste suo, uti mos est, termino concluditur, tres quidem portæ lateribus pariter compactæ perscrutantium oculis objiciuntur; ex quibus deinde plures, ac longissimæ viarum semitæ derivantur. Cubicula interim, consuetaque ornamentorum genera, ut in cæteris mos obtinuit, hic omnino desiderari contingit: unicum duntaxat arcuatum Monumentum perexiguis versicoloratorum marmorum fragmentis tessellato opere simul compactis affabre exculptum contemplari licuit: alterum insuper consuetæ formæ sepulchrum à perscrutantibus ibidem adnotatum est; in quo defuncti cujusdam corpus linteo obvolutum jacebat; cæterum sepulchralis, ut in reliquis mos est, inscriptio deerat. In descripto autem loco haud quid præterea admiratione dignum reperiri contigit. Quocirca rem altius consideranti, Cœmeterium quidem, quod in superiori parte situm est, inferiori altero, quod subest, longe præstantius, magisque conspicuum pronunciandum est. Ut probe enim prudens lector inter utrumque per se dijudicare queat, innumera fere arcuata in eodem monumenta existunt, cubicula item quamplura, etsi perexigua, ac satis angusta, adnumerantur, in quibus portæ, quæ substant, stipitibus, ac peristyliis marmoreis exornantur; & ipsa parietum superficies, calce desuper obducta, artificumque manu dealbata, conspicitur. Quatuor ex recensitis hactenus Cubiculis pictorum manu cæterorum instar exculta videre est: ut ordo autem à nobis servetur, descriptis jam supra Cubiculis istius descriptionem subtexendo, quod hujus quidem Cœmeterii primum est, si quis numerum attendat, tertio plane in ordine respondebit.

[Margin: ...us Cœ-...erio...]

[Margin: Cubicula Cœmeterii Priscillæ Via Salaria.]

Cubiculum tertium Cœmeterii Priſcillæ Via Salaria deſcribitur.

CUbiculum iſtud haud longe ab aditu, quem ſupra memoravimus, ſitum eſt: altitudine pal. x. cum dimidio, latitudine xii. longitudine ix. conſtat. Quadratam oſtium formam præ ſe fert; latum præterea eſt palm. iii. cum dimidio, altum ix. profundum verò ii. ſuper quod ipſius intra Cubiculi ambitum corona quædam ex floribus, frondibuſque virentium inſtar contexta ſuſpicitur. Cubiculum ipſum calce dealbatum quampluribus variicoloratis lineis, avibuſque ſtudioſe effictis circumdatur. Primario in pariete arcuatum quoddam monumentum ſitum eſt, quo foſſorum manu diruto, locus quidam calce nunc dealbatus contemplandus objicitur, in quo ſubinde nonnulla ſepulchra inciſa fuere. Paries verò, qui ad lævam cernitur, quatuor conſuetæ quidem formæ monumenta in topho excavata continet: in altero verò pariete, qui huic è regione reſpondet, locus quidam diſcretus à cæteris parvi adinſtar Cubiculi, fornice deſuper obductus viſitur, quem per circuitum ſepulchra ferro de more exciſa, ornamentis tamen omnibus deſtituta, ambiunt. Cubiculi fornix variis picturis, atque imaginibus infra deſcribendis mirifice decoratur.

A Cubiculi fornix variis picturis, atque imaginibus adornatus.

B Mulier orantis in modum, quæ ad dexteram intrantis in pariete depicta cernitur.

C Alia item mulier veluti orans, quæ ingredienti ad lævam occurrit.

D Oſtium, per quod aditus in hoc Cubiculum patet.

E Monumentum arcuatum, quod è conſpectu oſtii hujus Cubiculi ſitum eſt, à cujus parte poſteriori locus quidam exiguus, in quo nonnulla ſepulchra viſebantur, repertus eſt.

F Locus quidam ad lævam intrantis, puſilli adinſtar Cubiculi, concamerato ſtructus opere, quem ſepulchra ferro exciſa circumeunt.


G H Bina ſepulchra in area pavimenti effoſſa.


I Sepulchra vulgaria in topho exciſa.

Tabula unica Cubiculi Tertii Cœmeterii Priſcillæ Via Salaria.

I. Euangelicus ille, qui toties Dominico ore celebratur, Paſtor, duas inter arbores conſiſtens, biniſque cuſtodiendis ovibus operam impendens, coloribus adumbratur, qui charam ſibi, ſelectamque oviculam dorſo geſtat: cujus item ab humero paſtoralis fiſtula ſuſpenditur.

II. III. Binæ item hinc inde mulieres expanſis de more manibus Deum precantes intuentium oculis exhibentur.


CVBICVLVM TERTIVM
COEMETERII PRISCILLÆ
VIA SALARIA
D
G
H


TABVLA VNICA CVBICVLI TERTII COEMETERII PRISCILLÆ VIA SALARIA
I
II
III

Cubiculum quartum Cœmeterii Priscillæ Via Salaria describitur.

CUbiculum hoc, quod meridiem respicit, longitud. est palm. XVI. cum dimidio. latitud. XV. pariter cum dimidio, altitud. IX. cum dimidio. Ostium autem Tyburtino è lapide aptatum est, altitudine palm. VIII. latitudine IV. profunditate totidem constat; super quod satis breve, atque angustæ formæ monumentum cernitur. Cubiculi ejusdem fornix picturis conspicuus redditur. Sacellum quoddam ad dexteram ingredientibus, etsi perangusto spatio inclusum, occurrit. Paries tamen, qui primarium inter cæteros locum tenet, picturis affabre excolitur. In ipsius verò ad lævam Cubiculi pariete, obvius quandam ad semitam, quæ sepulchris referta est, aditus panditur. In altero autem pariete, qui portam respicit, consuetam Euangelici Pastoris imaginem pictam quondam fuisse conjicitur; quamvis magna jam ex parte præ injuria temporum hæc exoleverit: istiusmodi verò, quas recensuimus, imagines, duabus infra Tabulis lectori contemplandæ subjicientur.

A Cubiculi fornix depictis imaginibus excultus.

B Sacellum fornicata exædificatum structura, in quo Jonæ Prophetæ, & Lazari ad vitam redeuntis imagines conspiciuntur, ut Tabula secunda exhibetur.

C Locus à fossoribus dirutus, ubi, ut conjectura est, Euangelicus Pastor cum ovicula in humeris depictus extabat.

D Ejusdem Cubiculi fornix super ostium, in quo hirci effigies coloribus adumbratur.

E Ostium, per quod Cubiculum ingredimur.

F Aditus in semitam quandam, quæ exitu caret, estque sepulchris plena.

G Sepulchra in topho excisa.

H Sepulchrum in planicie pavimenti ad ingressum ejusdem Cubiculi effossum.

Prima Cubiculi quarti Tabula.

Tabula hæc pictas ipso in fornice imagines exhibet; mulieris nimirum cujusdam sedentis effigiem, ante cujus conspectum vir quidam stans, protensaque manu quid indicans, vel certe quidpiam sedenti exporrigens exprimitur.

Tabula Secunda Cubiculi quarti in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria.

Hac potissimum Tabula imagines, quibus sacellum ipsum spectabile intuentibus exhibetur, ordinatim repræsentantur.

I. In ipsius igitur arcus fornice Christum Dominum pennicillo adumbratum videre est, qui Lazarum è tumulo excitat.

II. In sinistro autem arcus ejusdem latere Ionam, qui sociorum manu in mare præceps dejicitur.

III. In dextero subinde ipsummet Ionam, qui post triduum è Ceti alvo vegetus in auras prosilit.

IV. In primario autem sacelli ejusdem pariete eodem in arcu idem, qui supra Ionas, sub umbraculo dulci correptus somno exprimitur.

Cubi-





TABVLA PRIMA CVBICVLI QVARTI COEMETERII PRISCILLÆ VIA SALARIA



TABVLA SECVNDA ET VLTIMA CVBICVLI QVARTI COEMETERII PRISCILLÆ VIA SALAR̄



Cubiculum quintum Cœmeterii Priscillæ Via Salaria describitur.

POst perlustratum Cubiculum, quod paulo ante enarravimus, excurrenti semitæ aliquot ultro se offerunt, quæ ad meridiem respiciunt. Si recto quis igitur tramite easdem terendo semitas iter progrediatur, sinistrorsum quidem ad orientalem plagam quintum istud in ordine Cubiculum, quadratæ nimirum formæ, altitud. palm. XI. latitud. IX. longitud. IX. cum dimidio occurrit. Porta ejus sphæricæ formæ est, altitud. ad Cubiculi mensuram, latitud. palm. V. cum dimidio, profund. IV. Ut de Cubiculo autem loquamur, magna illud ex parte labefactatum ad præsens cernitur, quamvis calce olim oblitum ac picturis curiose concinnatum fuisse quædam pars, quæ sacrilegas fossorum manus evasit, ultro respicientes admoneat. Ipsius enim Cubiculi fornix, portæ arcus, lunulæ quoque in ipsamet parietum summitate colores adhuc & picturarum vestigia præ se ferunt. Duodecim duntaxat consuetæ formæ sepulchra continet; tria videlicet in primario pariete ipsius è regione portæ; quatuor in dextero; quinque autem in pariete altero, qui ad lævam ibidem situs est. Quas quidem singulas tribus infra Tabulis imagines describemus.

A Cubiculi fornix variis depictis imaginibus conspicuus.
B Ostii fornix figuris item adornatus.
C Imagines, quæ in pariete primario è regione ostii; in sublimi prope fornicem loco conspiciuntur.
D Imagines, quæ in pariete ad lævam intrantis in hemisphærio coloribus adumbrantur.
E Imagines, quæ in altero hemisphærio superiori adverso conspici dantur.
F Ostium formæ sphæricæ, per quod aditus in Cubiculum patet.

Tabula prima Cubiculi quinti in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria.

I. In hujus quidem Cubiculi fornice consuetum Euangelici Pastoris symbolum, pastoralem è collo fistulam, & hircum quendam humeris, haud oviculam de more gestantis, ad vivum coloribus adumbratur. Ad cujus lævam alter pariter hircus, ovicula verò ad dexteram cernitur, cui manum in benevolentiæ signum expandere videtur: ipse interim duas inter olivarum arbores consistit, quibus candidæ hinc inde columbæ subsidunt, ac si earumdem arborum ramos excerpere rostro gestiant.

II. In portæ ipsius arcu Jonas à ceto incolumis tandem projectus exprimitur: in ejusdem verò portæ lateribus bini hinc inde arietes, ac binæ itidem columbæ effictæ coloribus exhibentur, quæ singulæ virentis ramum olivæ pacis utique symbolum rostro deferunt.

Tabula secunda Cubiculi quinti Cœmeterii Priscillæ Via Salaria.

I. Insculptas hic ferro imagines, lector, inspice, quæ in primario Cubiculi hujus pariete existunt, & primo quidem loco stolata quædam mulier, expansis consueto orantium more brachiis precationi insistens, oculis contemplanda proponitur. Et symbolice quidem ipsa extensio manuum salutare, quod tam frequens est in Cœmeterialibus imaginibus, crucis signum intuentibus præ se fert, ut Justinus Mart. satis erudite edocet, dum in cunctis fere crucis signum, ac symbolum designari affirmat: Considerate, inquit, omnia, quæ in mundo sunt, an sine hoc crucis signo gubernentur, aut possint præbere sui usum. Mare enim non scinditur, nisi malus salvus in navi maneat; terra non aratur sine eo signo: humana figura à belluis differt, quod erecta sit, & manuum extensionem habeat. Quod idem apud Ambr. ser. 6. prolixius videre est. Imago autem hæc, quæ nobis contemplanda occurrit, ut quorundam haud contemnenda quidem opinio suggerit, ipsammet sanctissimam fœminam Priscillam præ se fert, cui hoc idem pariter Cubiculum dicatum fuisse ex scriptoribus nonnulli constanter asserunt; in quo videlicet & illa unà cum beatis virginibus Pudentiana ac Praxede condigno tumuli honore excepta fuit. Quod quidem ipsemet Bosius vir alioqui prudens, atque oculatus, vel ex hoc uno conjectari non timuit, quod nimirum haud casu, haud temere, sed Deo prorsus disponente, ipsomet natalitio recurrente Beatæ ejusdem Priscillæ die, 17. nempe Kal. Febr. Cubiculum hoc inter tenebras perscrutando deprehendi, adinveniri, ac delineari contigit. Quam sane conjectandi rationem duæ pariter pictæ ibidem imagines valide confirmare videntur. Quippe quæ sacrum velandarum virginum intuentibus ritum exhibent.

Iustin. Mart. in Apolog.

II. Præmemorata autem imago (si quis rem probe discutiat) Praxedem, aut Pudentianam ejus sororem præ se fert, quæ ambæ illibato animi candore, firmoque mentis proposito suam Christo virginitatem devovere. Verum ut altius rem expendendo, ipsum lector veritatis tramitem assequatur: contemplanda ibidem oculis intuentium subjicitur mulier stans, velamen quoddam manu gestans, cui Pontifex (ipse forte beatus Pius Papa) throno receptus manum imponit; juxta quem presbyter quidam erecto item corpore exprimitur, Pastor videlicet, si ita nobis interpretari fas est.

III. Subinde ad ejusdem Tabulæ lævam mulier considens, infantemque sinu gestans conspicitur, quæ Deiparam Virginem unà cum Deo infante in ulnis, ut nobis credere par est, repræsentat.

23 Quo-



TABVLA PRIMA CVBICVLI QVINTI COEMETERII PRISCILLAE VIA SALARIA



TABVLA SECVNDA CVBICVLI QVINTI COEMETERII PRISCILLAE VIA SALARIA



Velamen virginum. 23 Quoniam verò de sacro velamine, quo Christianæ olim virgines dicari Deo consueverant, opportunam nobis proposita Cœmeterialis imago mentionem ingerit, hic nonnulla sacris è paginis in recensitæ imaginis elucidationem repetenda videntur. Porro sacrum velamen, quo dicatæ olim Deo virgines utebantur, haud cum cæteris mulieribus erat commune, densiori enim tela contextum, ex nulla prorsus parte perspicuum reddebatur, de quo & Ambrosius isthæc: *Attollant mentis, & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, consilium virginitatis. Non vitta capiti decus, sed ignobile velamen, usu nobile castitatis, non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis.* (Ambros. aduc Sym. epist. 12. edit. Rom. c. 5.) De ejusmodi autem velaminis genere hæc & Tertullianus apte in rem præsentem ingerit: *Vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quam semetipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet: confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversus ictus tentationum, adversus jacula scandalorum, adversus suspiciones, & susurros.* (Tert. de virg. veland. c. 15.) Illud quoque solemne habuit sacrarum virginum velamen, quod à sacerdote peculiari precum ritu benedici consuevit; quapropter Hieronymus ad Demetriadem: *Scio*, inquit, *ad imprecationem Pontificis flammeum virginale sanctum operire caput.* (Hier. ep 8.) Quibus nonnulla item verba, quæ tunc temporis, cum sacræ virgines obtegerentur, tum à sacerdote, tum à virgine dici consueverant, subinfert. Pari autem ratione dum sacrandæ Deo virginitatis ritum Ambrosius commemorat, inter alia hæc de sacro velaminis ornamento inferit: *Sacro*, inquit, *velamine tecta es.* (Ambr. ad virg. laps.) Solemni enim ritu, & nonnisi certis diebus, ut Gelasius monuit, id fieri moris erat: (Gelas. ad ep. Luc. c. 14.) & secularium instar nuptiarum, ut Baronius ait, magna velationis dicandæ Deo virginis celebritas habebatur. Augustinus quippe dum Demetriadis nobilissimæ virginis meminit, hæc post multa subtexit: *Velationis Apophoretum gratissime accepimus.* (Aug. ep. 179 in fine.) Apophoreta enim nonnisi in sumptuosissimis conviviis, quæ post cœnam secum convivæ domum referrent, exhiberi consueverunt.

Festiva Virginum velatio nuptiæ earum dicuntur. 24. Hæc enim festiva solemnitas haud alio quam nuptiarum nomine, quod virgines videlicet Christo spiritualiter nuberent, apud Christianos dici consueverat. Christo enim eas potissimum nubere, quæ ipsi perpetuo virgines dicantur, antiquo in Ecclesia loquendi usu receptum fuit: unde & Tertullianus: *Nupsisti enim Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi desponsasti maturitatem tuam. Incede secundum Sponsi tui voluntatem.* (Tertull. de velan. virg. c. 16.) Quapropter ejuscemodi virgines, quæ Christo se perpetuo devoverunt, si prævaricatæ fuerint, Cyprianus contumelioso, sed apto quidem titulo Christi adulteras appellat: (Cypr. ep. 62. & lib. de discip. & habitu virg.) *Quem dicendi modum*, ut Baronius ait, *Basilius, Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, ac Græcorum cæteri, & Latinorum Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, ac denique reliqui imitati sunt.* Ad mysticum autem hoc nubendi genus, & ad cælestem nuptiarum formulam Optatus Milevitanus verbis illis argute allusisse visus est: (Opt. Milev. l. 6.) *Spiritale*, inquit, *nubendi hoc genus est: in nuptias sponsi jam venerant: voluntate & professione sua, & ut secularibus nuptiis se renunciasse monstrarent, spirituali sponso solverant crines: jam cælestes celebraverant nuptias.* Idem quoque Innocentius Papa ad Victricium scribens, hunc in modum asserit: (Innoc. ep. 2. c. 12.) *Quæ*, inquit, *Christo spiritualiter nubunt, & à sacerdotibus velantur, &c.* Qua plane de mysticis virginum nuptiis loquendi formula Hieronymus eo progressus est, ut ipsammet virginis Christo sacratæ matrem honoris, ac prærogativæ singularis gratia, Dei socrum nominaret: (Hier. ep. 22.) quod tamen Ruffino nodum in scirpo quærenti displicuit. (Ruff. invect. in Hieron.)

Christi sponsa virgo. 25 Porro ut res ipsa, ac ratio apte nomini consonet, idcirco virgo, Christi sponsa appellata est (ut egregie Baronius adnotat) quod sicut juncta conjugio cogitat, quæ viri sunt, *quomodo*, ut ait Paulus, *placeat viro, ita ista veluti altero conjugio obligata, Christo nimirum oppignorata, cogitat tantum, quæ sunt Dei*, nempe, *ut sit sancta corpore, & spiritu.* (1. ad Cor.) Erant hæ Christianarum virginum voces, quæ ne dispendium paterentur virginitatis, libentius martyrium oppeterent; nefas clamantes, Christo semel desponsatas hominis cujuspiam jungi consortio. Quocirca B. Agnes cum ad nuptias expeteretur: *Ipsi*, inquit, *sum desponsata, cui angeli serviunt, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, ipsi soli servo fidem cujus mater virgo est, cum pater fœminam nescit.* (In act. S. Agnetis v.) Et item: *Et hac sponsi injuria est expectare placituram, qui me prior sibi delegit, accipiet.* Ex quo hæc Ambrosius: *Cæterum quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro, & jam si voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* (Ambr. l. de virg.) Ad hæc sacratas Deo virgines non tantum tegi sacro velamine, sed nigra indui veste & operiri pallio, olim in Ecclesia consuetudo fuit. (Ambr. ad virg. lap. Conc. Nic. act. 4.) Qua de causa apud S. Asterium, de S. Euphemia nobilissima martyre Chalcedonensi, coram judice assistente id habes: *Adstabat virgo pulla veste, & pallio philosophiam professa.* Et Hieronymus: *Solent quædam cum futuram virginitatem spoponderint, pulla tunica eam induere, & furvo operire pallio, auferre linteamina.* (Hier. ep.) Et alibi: *Vili tunica induitur, viliori tegitur pallio.* (Idem ad metr. ep.) Et ad Marcellam: *Pulla tunica minus, cum humi jacuerit, sordidatur.* (Ad Marc. ep. 23.) Ibi & de cingulo: *Cingulum laneum, & tota simplicitate purissimum, quod possit magis adstringere vestimenta, quam scindere.*

Incisio capillorum. 26 Quoniam verò in præmemorati Cœmeterii imagine virginis velandæ, quam descripsimus, virgo caput crinibus utique resecandis, & velo obtegendum Pontifici offerre videtur, haud abs re videatur, si aliqua interim antiquæ resecandorum crinium consuetudinis in medium proferantur. Si quidem in aliquibus, Syriæ præsertim, & Ægypti Ecclesiis, *tam virgo, quam vidua, quæ se Deo vovissent, & seculum calcassent* (inquit Hieronymus) *crinem monasteriorum matribus offerunt desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessura capite, sed ligato pariter, & velato.* (Hier. ep.) Nec id quidem, ut Vestales imitentur Romanorum virgines (sicut Baronius adnotat) quæ incisos sibi capillos ad arborem Loton suspendebant, (Plin. l. 16 c. 44.) sed aliis ex causis, quas Hieronymus recenset: immo & propter mysterium. Cum enim in signum subjectionis dati sint illis capilli: Christo jam desponsatæ, in libertatem vindicatæ, nequicquam amplius viris debent. Nec de his dicit Apostolus: *Mulier, si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine dati sunt.* (1. Cor.) De illis enim, quæ viro sunt obligatæ, Paulus loquitur: *Porro*, quod superius ait, *si turpe est mulieri tonderi, vel decalvari, velet caput suum.* Sacro jam velamine cum illarum caput obducatur,

catur, capillis, quibus tegantur, non indigent, & cum nec capillorum cultu viris placere cupiant, quæ Christo tantum morum probitate gratæ esse student eo dispendio pulchritudinis, cælesti sponso magis acceptæ redduntur. Verum enimvero quam Deo capillorum ornatus, & nimius corporis cultus in virgine displiceat, quæ virginitatis propositum servandum arripuit, pavendum plane de Prætextata Romanarum fœminarum nobilissima in medium afferre exemplum possemus, quod ab Hieronymo ad Lætam scribente didicimus, sed ad eum studiosum ac cupidum lectorem remittimus. Quod autem nunc reliquum esse videtur, hic haud omittimus de incidendis videlicet crinibus non eamdem omnium in Ecclesia consuetudinem extitisse: apud alios enim in delicti pœnam, si lapsa virgo ad pœnitentiam redacta fuisset, crines eidem amputari solitos, Ambrosius testatur, quod & in capitularibus Francorum expressum habetur.

…on. ad …m ep. 7.

…b. ad …r. lap- …c. 8. …ap. Reg. …n. l. 2.

27 Sane quod ad mulierum capillaturam attinet, turpe quidem esse mulieri tonderi, ac decalvari significat Apost. 1. Cor. c. 11. Et penes ipsosmet gentiles id olim ignominiosissimum extitisse satis docet Apuleii sententia de asin. aur. lib. 2. cujus hæc sunt verba: *At vero* (quod nefas est dicere, ne quid sit ullum hujus rei tam durum exemplum) *si cujuslibet, eximiæque, pulcherrimæque fœminæ caput capillo spoliaveris, & faciem nativa specie nudaveris, licet de Cœlo ejecta, mari edita, fluctibus educata, licet, inquam, Venus ipsa fuerit, licet omni gratiarum choro stipata, & toto cupidinum populo comitata, & baltheo suo cincta, cinnama fragrans, & balsama rorans, si calva processerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem suo.* Et inferius isthæc: *Tanta denique est capillamenti dignitas, ut quamvis auro, veste, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen nisi capillum distinxerit, ornata non possit videri.* Hæc ille, & in eamdem sententiam Cyprianus his verbis: *Est & Venus calva multo hic turpior, quam apud Homerum vulnerata.*

…pe… …em ton- …d Cor. …11. …l. lib. 2. …fin. aur.

…r. lib. de …vanit.

28 Sed tam apud Gentiles, quam etiam apud Christianos, ut Baronius ait, probavit usus, ut quæ opinione hominum viderentur contemptibilia, ac ludicra, si religionis causa fierent, non tantum honesta ac digna, verum etiam sacrosancta haberentur, ut S. Ambrosius pluribus disputat in epist. 30. ad Sabinum lib. 6. edit. Rom. unde & Gentiles etiam suas Vestales virgines tondere consueverunt, ut scribit Plinius. Id ipsum etiam in Ecclesia hactenus fieri moris esse, omnes norunt. Porro diversimode ab Ecclesia tum occidentali, tum orientali id olim servatum fuisse ipsæ rerum historicarum paginæ testantur, & in Ægypto quidem, & Syria morem hunc usu fuisse receptum, ut virgines capillos tonderent, S. Hieronymus ep. 48. ad Sabinianum his verbis testatur: *Moris est in Ægypti, & Syriæ monasteriis, ut tam virgo, quam vidua, quæ se Deo voverint, & seculum conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter, & velato, nec hoc quispiam præter tondentes novit, & tonsas: nisi quod quia ab omnibus fit, pene scitur ab omnibus. Hoc autem duplicem ob causam ex consuetudine versum est in naturam, vel quia lavacrum non adeunt, vel quia oleum nec capite, nec ore norunt, ne à parvulis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni solent, & consuetis sordibus opprimantur.* Crinem vero Tabennensiotas sanctissimas virgines, quas S. Pachomius ab angelo monitus instituit, crinem amputare consuevisse auctor est Palladius in Lausiacis. Et hæc satis de crinium tonsione, quæ à sacris virginibus laudabiliter usurpata est.

…on. in …ad …t. Ro. …20. Sept.

…br. ep. …ad Sab.

…lib. 16. …4.

…ron. ep. …ad Sab.

Pallad. in Lausiac.

29 Porro de velamine, quod à sacris virginibus deferri olim consueverat, dum Ambrosius sermonem habet, id exemplo S. Soteris mart. in exhortatione ad virgines his verbis confirmat: *At illa ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit, soli invelata & intecta martyrio, & volens injuriæ occurrit, ut ibi martyrii fieret sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris.* Idemque plane Hieronymus inculcat ad Eustochium scribens: *Excuses licet atque causeris, obducto velamine ora contexi.* Et paulo inferius: *Dimittunt*, inquit, *supercilium, & operta facie, vix unum oculum liberant ad videndum.* Verum haud omnes velamine, sed & complures pallio obtegebantur, ut supra ex Hieronymo diximus, & cum huic rei Christianæ mulieres assuetæ essent, gravissimum pudoris dispendium se pati existimabant, si capitis velamine nudarentur. Unde hæc sentiens aliquando persecutor, ea ignominia, ut gravi supplicio Christianas mulieres afficiendas esse mandabat, teste in suis ad Martyr. notis Baronio, ut Aretæ martyris, & germana quidem, acta his verbis demonstrant: *Cum ille audisset jam corde succensus aspexit eos, qui aderant, & cum dixisset, quam impudenter se gerit adversus nos hæc execranda mulier, jubet ejus capitis auferri tegumentum, & ejus filiarum, & sic eas nudo capite, & prolixa coma in castra deduci per ignominiam.* Hæc ibi. Porro solemnis plurimarum virginum in sacris historiarum paginis mentio recolitur, quæ ob servandæ virginitatis propositum, quo se Christo devoverant, sacro velamine donatæ sunt. Inter quas præcipua est Flavia Domitilla nobilissimæ prosapiæ virgo, & martyr. *Quæ* (ut in Romano Martyrologio legitur) *cum esset Flavii Clementis Consulis filia, & à sancto Clemente sacro velamine consecrata, in persecutione Domitiani ob testimonium Christi cum aliis plurimis in Insulam Pontiam exilio deportata longum ibi martyrium duxit.* Constantia item Constantini Magni filia unà cum Attica, & Arthemia virginibus Gallicani filiabus monasterio juxta D. Agnetis basilicam exstructo suam Deo virginitatem devovit, & sacro nimirum, ut moris est, velamine accepto, ibidem vitam finivit, ut ex actis oborti inter Felicem, & Liberium schismatis hunc in modum enarratur: *Hæc autem Constantia augustæ memoriæ puella, juxta Oratorium habitabat, quod bonus pater Constantinus sibi fabricaverat, ubi & dominæ suæ sanctissimæ martyris Agnetis famula virgo erat.* Quin & Marcellina virgo D. Ambrosii Episcopi soror, Romæ in Ecclesia D. Petri sacrum velamen solemni ritu accepit, ut Martyrologii Romani paginæ his verbis fidem faciunt: *Mediolani S. Marcellinæ virginis, sororis B. Ambrosii Episcopi, quæ Romæ in basilica S. Petri à Liberio Papa velum consecrationis accepit.* Ubi isthæc in notis Baronius: *De sacro velamine à Liberio Papa Romæ suscepto, cujus hic mentio habetur, scribit S. Ambrosius lib. 3. de virgin. ubi idem recitat ejusdem Liberii sermonem eo die in illis solemnibus habito.* Cui quidem illis verbis initium fecit: *Bonas nuptias filia exoptasti, &c.*

Am. exhort. ad Virg.

Hier. ep. 22. ad Eustoch.

Baron. in not. ad Mart. die 7. Maii.

In actis Aretæ mart.

Mart. Rom. die 7 Maii.

Acta sup. cit. Bonif. Pap. cod. M. S. S. Petri.

Mart. Rom. die 17. Iul.

30 Quod autem dicandarum Deo virginum ritus, & pia item earumdem virginitatem devoven- tium

Antiquus Deo dicandarum virginum mos.

tium consuetudo ab ipsiusmet Ecclesiæ incunabulis viguerit, ipsimet sepulchrales lapides, quos in Cœmeteriis, præter pictas, quas nunc describimus imagines, rem oculis explorantibus fidem faciunt. In celebri quippe Francisci Angeloni rei antiquariæ studiosissimi Musæo palmaris quidam sepulchralis lapis hoc nobili titulo inscriptus, & columba item in lapidis fronte unà cum palma exsculpta visitur, videlicet:





FURIA HELPHIS
VIRGO DEVOTA

Ista quippe virgo, cujus mentio est, suam Deo virginitatem devovisse describitur, & columba virginum Deo dicatarum apte typum exprimit: laudabilis enim ista virginum se Deo offerentium consuetudo perpetuo in Ecclesia viguit, & constantissime quovis seculo retenta est; cum enim virginitatem Christo devovissent, hanc ad extremum usque vitæ diem illibatam custodiebant. De quibus inscripta nonnulla in Ausonianis Parentalibus epigrammata recensentur, & præcipuum, quod septimum in ordine est, in laudem ÆMILIÆ MATERTERÆ VIRGINIS DEVOTÆ, his carminibus concinnatum est:

Auson in Parent. epigr. 7.

Fœminei sexus odium tibi semper, & inde
Crevit devotæ virginitatis amor.
Quæ tibi septenos novies est culta per annos,
Quique ævi finis, ipse pudicitiæ.

In altero item, quod vigesimumsextum adnumeratur, Julia Cataphronia amita virginitatis laude suspicienda proponitur:

Id. epigr. 26.

Innuba devotæ, quæ virginitatis amorem,
Parcaque anus coluit.

Differentia inter virgines Deo sacratas.

Porro devotæ Deo virgines ea potissimum ratione inter se differebant: nam aliæ seipsas Deo vovebant, aliæ vero devovebantur: de virginibus autem, quas primo loco recensuimus, Ausonius intellexisse visus est, de secundis autem D. Ambrosius meminit in libello ad virginem devotam. Porro hæ virgines Deo devotæ intra ædes privatas habitabant, ut videre est ex Can. 27. Concilii Eliberitani, ubi sancitur, quod Episcopus, vel clericus, aut sororem, aut filiam virginem Deo dicatam secum dumtaxat habeat, nullatenus vero extraneam.

Conc. Eliber. c. 27.

31 Porro etsi velandi capitis legem Christianæ fœminæ tam pie constanterque servarint: haud tamen existimandum est, ut Baronius ait, illis tantummodo eam fuisse præscriptam: siquidem ante Christi Redemptoris nostri adventum eidem Judæi, Romani, Græci, & barbari paruere; de Judæis Tertul. lib. de corona militis sic habet: *Apud Judæos tam solemne est fœminis eorum velamen capitis, ut inde dignoscantur, &c.* De Romanis exemplum suppetit, quod Val. Max. lib. 6. c. 3. de severitate 13. sic describit: *Horridum C. quoque Sulpicii Galli maritale supercilium: nam uxorem dimisit, quod eam capite aperto foris versatam cognoverat.* In hanc sententiam Tacit. lib. 14. de Poppæa Sabina sic ait: *Rari in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic dicebat.* Hæc ille. Id quoque ex antiquis numismatibus palam comprobari videtur, quæ Liviam, Faustinam, Martiam Augustas, & alias velato capite contemplandas exhibent. Alia item complura videre est, quæ fœminam obvelato capite præferunt, ejuscemodi inscriptionis titulo notata: *Pudicitia.* Et quidem Plutarchus in Problem. quæstion. Rom. fœminas velato olim capite incedere consuevisse his verbis affirmat: *Solent fere mulieres tectis, mares nudis capitibus in publicum progredi.* Græcis autem mulieribus eumdem extitisse morem Apulejus asserit: *Misella*, inquit, *textili contecto capite*, & lib. 11. hæc subinfert: *Mulieres candido splendentes amicimine. Porro Lacænæ virgines aperta facie, uxores autem velatæ in publicum prodire consueverunt: illæ ut sic maritos invenirent, istæ vero quod haberent, non tam alteri, quam viro placere studerent.* Hæc Plutarchus Apoph. Lacon. in Charillo. Verum quod ad barbaros pertinet, quos ipsamet laudabilis honestas pariter cohonestare visa est: de ethnicis quidem Arabibus mulieribus Tertullianus hæc scribit: *Iudicabunt*, inquit, *nos Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ sint dimidia frui luce, quam totam faciem prostituere.* Ejusmodi autem velamen, seu pallium *Theristrum* appellatum fuisse Isidorus testatur: *Quo* inquit, *usque hodie Arabiæ, & Mesopotamiæ mulieres velantur, quibus in æstu, tutissimo teguntur umbraculo, de quo in Isaja legitur.* hæc ille, qui aliorum velaminum nomina recenset, atque declarat, ut *Regillum*, quod erat Reginarum amiculum, pallam, stolam sic dictam, *quæ* inquit, *cooperto capite scapula à dextro latere in lævum humerum mittitur, stola enim Græce vocatur, quod supermittatur: eadem & ricinium Latino nomine appellatur, eo quod dimidia ejus pars retro rejicitur, quod vulgo Mavortem dicunt.* Hæc ille. Habes idem appellatum Maphortem, seu Mavortem in actis martyrii B. Pauli Apostoli, quæ sub Lini nomine circumferuntur, cum de Plautillæ velamine, quod ibi Mavortis nomine appellatur, beatissimo Apost. ad martyrium properanti exhibito mentio incurrit. In actis insuper sanctorum martyrum Faustæ, & Evilasii, quorum fragmentum Beda in suo Martyrologio recitat, hæc de Maphorte: *Iussit Faustam nudam, & sine Maphorte flagellatam, incarceratam caput terebrari, &c.* De Maphorte item Hieronymus epist. ad Eustochium: *Per humeros hyacinthina læva mavorte volitans.* Cassianus item de monachi habitu agens, angustum palliolum, quo Monachi colla, & humeros tegerent, Maphortem appellat, in quem locum Petri Ciacconii adnotatio referenda est: quin & apud Isidorum Anaboledium recensetur: *Sic dictum*, inquit, *amictorium lineum fœminarum, quo humeri operiuntur, quod Græce & Latine Sindonem vocant: amiculum autem dictum esse pallium lineum, quod usui erat meretricibus, quo & amiciebantur matronæ in adulterio deprehensæ, idem testatur.* Verum amiculum pro omni velaminis genere, Baronio teste, usurpari consuevit. Et hæc vel obiter delibasse voluimus, ubi opportuna de sacro Christianarum virginum velamine mentio incurrit in elucidanda recolendæ virginis imagine, quæ sacrum velamen de more Pontificis è manu accipit, & in Priscillæ Cœmeterio nobis contemplanda exhibetur.

Apud Baron. in not. ad Mart. die 7. Maj.

Valer. lib. 6. cap. 3.

Tacit. l. 14.

Plut. l. 14. Probl.

Apull. 7. de asin. aur. & l. 11.

Tert. l. de reb. velam. virg.

Isid. lib. 19 orig. c. 24. de fœm.

Beda Mart. 20. Sept.

Hier. ep. 22 ad Eustoch.

Cassian. l. 1 c. 7. de hab

Tabula

Tabula tertia Cubiculi quinti Cœmeterii Priſcillæ Via Salaria.

I. Hic imagines utique delineantur, quas in reliquis Cubiculi ejuſdem parietibus conſpicere licet; Abrahamus videlicet, qui paratum ſupra altare

TABVLA TERTIA ET VLTIMA CVBICVLI QVINTI COEMETERII PRISCILLÆ VIA SALARIA.



conſummando ignem holocauſto manu deſignat, Iſaacus item qui ſubjicienda altari holocauſto ligna defert.

II. Tres item pueri, in fornace Babylonica pileos Perſarum more præferentes adumbrantur; ad quos columba virentis ramum olivæ certum utique pacis ac victoriæ ſignum deferens feſtina volitat.

Cubi-

Cubiculum ſextum & ultimum Cœmeterii Priſcillæ Via Salaria deſcribitur.

HAud longe à Cubiculo quinto, vel ipſo ſemitæ cujuſdam initio, quæ haud ultra protenditur, Sextum hoc Cubiculum extat altitud. palm. IX. longitud. totidem, latitud. VIII. cum dimidio. Porta quadratæ formæ eſt altitud. palm. IX. latitud. III. profund. VII. parietibus autem calce omni ex parte dealbatis ambitur. Fornix ac primarius paries picturis decoratur. Arcuatum in ipſomet pariete monumentum cernitur, quod longe à cæteris forma differt: ſub quodam enim fornice apſidis inſtar elaborato ſternitur, qui binis hinc inde columnis, in topho excifis, calce dealbatis, & colore inſuper obductis ſuffulcitur. In pariete verò, qui ad lævam ingredientibus occurrit, quinque conſuetæ formæ monumenta in topho exciſa cernuntur: quibus tria ejuſdem generis in altero, qui è regione ſitus eſt, pariete reſpondent. In pavimento autem ipſius è conſpectu oſtii totidem ſepulchra ſubſtant: aliud item iiſdem haud abſimile, ad ſiniſtrum latus conſpiciendum ſepulchrum patet. Imagines autem ibidem expreſſæ duabus infra Tabulis exhibentur.

A Cubiculi fornix picturis undique exornatus, quas proxima inferior Tabula contemplandas ſubjicit.

B Paries primarius Cubiculi, qui è regione oſtii erigitur, cui Monumentum quoddam picturis conſpicuum inhæret, ut Tabula ſecunda repræſentatur.

C Oſtium Cubiculi.

D Sepulchrum, quod ad ſiniſtrum oſtii latus conſpicitur.

E Sepulchra vulgaria utroque latere hujus Cubiculi in topho exciſa.

F Tria in ipſomet hujus Cubiculi pavimento effoſſa ſepulchra.

Tabula prima Cubiculi ſexti in Cœmeterio Priſcillæ Via Salaria.

I. Tabula hæc delineatas fornicis ipſius imagines præfert: myſtici videlicet Paſtoris effigiem, qui dilectam oviculam blande humeris impoſitam bajulat: ad cujus item pedes binæ aliæ ejuſdem cuſtodiæ commendantur.

II. Noëmi intra arcam confidentis, ad quem cum pacifero olivæ ramo poſt decreſcentes diluvii aquas columba certo tranquillitatis auſpicio remeat.

III. Jonæ inſuper in mare ob admiſſum inobedientiæ piaculum projecti.

IV. Ejuſdem item incolumis è belluæ alvo ad litus proſilientis

V. Jonæ iterum imago ſub amœna foliorum umbra molliter recubantis.

Fornicis ejuſdem anguli mulieres quatuor orantium in morem contemplandas præferunt.

Tabula ſecunda & ultima Cubiculi ſexti Cœmeterii Priſcillæ Via Salaria.


I. In ipſius Monumenti apſide pavo pennis diverſimode coloratis effictus cernitur, cujus pedibus orbis ſubſternitur. Utrumque autem ad latus bina prunis ardentibus referta vaſa repræſentantur.

II. In primario hujus Cubiculi pariete viri octo pictorum arte adumbrantur, ingenti cuidam dolio aſportando operam dantes, quorum ſinguli binos quidem baculos, alterum humeris manu alterum geſtant.

III. Hoc eſt Monumentum, quod ad ſimilitudinem urnæ in topho exciſum eſt.

IV. Innuitur illic ſepulchrum quoddam intra ipſummet Monumentum primarium topho inciſum.

CVBCVLVM SEXTVM ET VLTI COEMET-
ERII PRISCILLAE VIA SALARIA.



TABVLA PRIMA CVBICVLI SEXTI COEMETERII PRISCILLAE VIA SALARIA.



TABVLA SECVNDA ET VLTIMA CVBICVLI SEXTI ET VLTIMI COEMETERII S AGNETIS VIA SALARIA



Via Salaria vetus.

32 Sed quoniam Salariæ Viæ Cœmeteriis investigandis, describendisque, ut lector vides, diutius immorati sumus, reliquum nunc est, ut pedem ac pariter stylum revocantes, ea potissimum, quæ veteri Via Salaria sita sunt, describere aggrediamur. Hac igitur Via, quæ Pinciana è porta, à proximo videlicet Pincio colle nuncupata, initium accipit, haud ab ipsa procul porta Cœmeteriales cryptæ reperiuntur: quarum complures in villa olim Card. Montelpari, & aliæ in nobilissima item Burghesiorum villa subsistunt; ut in plerisque regionis ejusdem vineis longe lateque perscrutando contemplari passim licuit; haud quid tamen in iisdem admiratione dignum, aut studioso lectori adnotandum occurrit.

Porta Pinciana.

Cœmeterium Via Salaria veteri.

33 Porro duo inter cætera potissimum merito sacræ antiquitatis titulo recolenda hac veteri Salaria Via olim Cœmeteria extitere; unum videlicet quod ad clivum Cucumeris, ut jam vidimus, appellabatur; alterum vero quod Sanctorum Hermetis, Basillæ, Proti, & Hyacinthi nomine insignitum est; quæ ambo quidem Cœmeteria tertio ab Urbe milliario distant. Cœmeterium autem, quod ad clivum Cucumeris dicitur, illud esse Bosius affirmat, quod à se repertum fuisse anno Christi quingentesimo nonagesimo quarto supra millesimum enarrat. Exiens enim (ut inquit ille) Pincianam extra portam, ac recto itinere ad usque locum illum progrediens, qui vulgo Leoncino, à marmoreo videlicet sito ibidem Leonis simulachro dicitur; hic vero ubi via in binas partes dividitur, sinistrorsum octingentis circiter à porta eadem passibus vineam quandam offendit, in qua ad Cœmeterium aditus panditur. Huc igitur ille festinanter ingressus, memoratum à nobis hactenus Cœmeterium excurrendo diligenti studio ac labore perlustravit, ac de eodem isthæc, quæ à nobis his paginis inseruntur, ipse rerum testis oculatissimus refert. Complures nimirum, ut ipso enarrante didicimus, extant ibi viarum semitæ, quæ hinc inde excisa in topho sepulchra continent; in quibus defunctorum adhuc ossa subsidunt; præ nimia autem vetustate eum in modum absumpta ac diminuta, ut vel levi tactu protinus in cinerem solvantur. Permultæ itidem imperviæ omnino ibi inter perscrutandum semitæ adnotantur, quæ vastissimum olim hujus Cœmeterii ambitum extitisse convincunt. Arcuata in eo Monumenta pauca, ut pariter Cubicula recensentur, quæ calce tantummodo dealbata, picturis omnibus destituuntur. Unicum hic arcuatum duntaxat monumentum videre est, in quo ramusculi quidam rubeo obducti colore avibus eorumdem foliis concinne insidentibus, rudi quidem opere delineati suspiciuntur. Quoddam item Cubiculum cæteris tum amplitudine, tum venustate præcellens contemplandum ibidem offertur, quamvis singulæ fere imagines, quibus artificum manu olim excultum erat, præ nimia vetustate jam penitus interciderint. Quatuor ibi columnæ, quibus fornix innititur, adnumerantur; in fornicis autem umbilico ferrum quoddam adhuc visitur, ex quo olim lampades appendebantur. Verum in primario Cubiculi ejusdem pariete, ipsius è regione ostii monumentum, forma quidem satis protensum, extat, ubi picturæ quædam, palmarum instar, conspiciuntur: supra ejusdem vero monumenti arcum corona satis ampla, calcis glutino efformata cernitur; nullus tamen ibi titulus, aut inscriptio, quæ cujusnam sepulchrum fuerit, uti mos est, perquirentes ultro edoceat. At ipsomet ex adspectu prudens quisque Cœmeterium hoc inter reliqua urbis Romæ vetustissimum esse conjicere valet, ex substructionibus videlicet, ac lateritiis fulcimentis, quæ excurrenti passim occurrunt, ac validissimis item ex muris, qui iteratas Cœmeterii ejusdem Summorum Pontificum jussu instaurationes, quas præstari contigit, satis aperte testantur.

Cœmeterium ad Clivum Cucumeris.

Monumentum arcuatum.

Cubiculum subterraneum.

Monumentum majus, ejusque descriptio.

34 Arcuata eodem in Cubiculo, ac toto passim Cœmeterio excisa in topho foramina quamplura visuntur: marmoreæ item, ac lateritiæ calcis glutino bases obfirmatæ, in quibus lucernæ, dum sacri de more cœtus peragerentur, apponi consueverant; quas singulis insuper sepulchris aptatas conspicere fas est, ita ut oculatus quisque vir haud mirari non queat, tot uno eodemque Cœmeterio fidelium manu luminaria olim disposita, concinnataque fuisse: ex quibus proculdubio arguendum est, quam celebre antiquis temporibus, & quam frequenti hominum numero hoc jugiter Cœmeterium excoleretur. Arcuatum quoddam Monumentum in alio item Cubiculo suspicitur, in primario videlicet Cubiculi ejusdem pariete aptatum; ubi venerandum Christi nomen his plane notis exaratum legitur ☧ Hæc autem & id genus alia Christianæ religionis indicia, ac symbola frequenter sepulchris affixa eodem loco prænotare fas est. Eburnei item annuli, fictilia vasa, ac vitrea, uti in Monumentis jam supra descriptis, hic exhibentur. Deaurata vero in quibusdam vitra reperiri contigit, & hæc quidem quæ imagines affabre olim efformatas præ se tulisse, quæ adhuc supersunt, fragmenta contemplantibus testantur; in quorum altero legebatur, eodem quo supra modo, partim Græcis, & partim Latinis notis: *Pie zeses*, hoc est, *Pie vivas*.


Bases lucernis sustinendis creberrimæ in Cœmeteriis.

Sacrosanctum Domini Jesu nomen.

Solemnia Christianorum in sepulchris insignia.

35 Nullum prorsus inscriptionis titulum ibidem marmori insculptum reperire licuit: sed aliquot in calce duntaxat, aut testis, aut certe in pariete dealbato impressæ, quæ characteribus rubro colore delineatæ exhibebantur: quarum nonnullas sedulo ac studiose Bosius in unum selegit, & singulæ in edito hactenus Romæ Subterraneæ opere & hic pariter recensentur. Nos autem primo quidem loco eas duntaxat, in quibus Consulum inscribuntur nomina, reliquas subinde recensebimus. In Monumenti igitur cujusdam arcu, qua quis ad sinistram ingreditur, angustum quoddam, infantilibus videlicet membris Monumentum aptatum visitur: cujus hæc tantum inscriptionis verba legenda supersunt:

Sepulchrales Cœmeteriorum inscriptiones.




Porro Tauri & Florentii Consulatus anno Christi trecentesimo quadragesimo primo, Liberii Papæ x. Constantii Imperatoris xxv. & ult. juxta Cassiod. supputationem in Chron. & Baron. Annal. to. 3. anno eodem contigit.


Cassiod. in chron.
Bar. an. to. 3 an. 341

36 In

In alio item ejusdem formæ Monumento Philippi & Salliæ Consulatus exprimitur, qui in Christi annum trecentesimum quadragesimum octavum incidit, Julii Papæ XII. Constantii & Constantis Imperatorum XII. Baronio teste Annal. To. 3. eodem pariter anno, hunc in modum.

: m. to. 3. .348.







In alio Monumento fornice desuper obducto, à parte exteriori proxima inferior legitur inscriptio characteribus rubro tinctis: atque intus in ipso Monumento alia illi simillima, sed à fossoribus labefactata, visitur.










37 Hoc igitur Cœmeterium, quod secundo ab Urbe milliario situm est, ac sub adiacentibus vineis longe lateque protenditur, quæ simul junctæ clivi cujusdam formam contemplantibus exhibent, Cœmeterium, quod ad Cucumeris clivum dicebatur, extitisse haud improbabiles quidem conjecturæ affirmandum esse convincunt: & satis quidem amplum hoc olim fuisse ex obliteratis quampluribus viarum semitis, ac permultis late se protendentibus ejusdem partibus, ad quas multiplices eisdem in vineis aditus patent, ut abditos loci sinus perscrutanti compertum fit. Verum amice lector, si ultra villam, quam supra memoravimus, paulu-

ete- id n meris.

lum progrediaris, ad bivium quendam locum tandem devenies, qui nunc vulgo Italico idiomate appellatur, Le tre Madonnelle. Subinde autem ad lævam iter arripiendo, ac ducentis circiter passibus prosequendo, bivium aliud quoddam se offert, ubi sinistrum ad latus RR. Patrum Societatis Jesu villa sita est, in cujus domo perantiqua quædam ac Subterranea Ecclesia extat, & ipsummet recolendum, ut vidimus; Basillæ ac Beatorum Martyrum Hermetis, Proti, & Hyacinthi Cœmeterium, quod ex hujuscemodi inscriptionis fragmento, singula lynceis oculis exploranti Bosio evidenter innotuit, in quo B. ejusdem Basillæ expressa utique mentio fit.

Cœmeterium Basillæ.



38 Porro in Consularibus fastis, Justi Consulatus unà cum Januario Collega sub Imperatore Constantino, Silvestri Papæ anno XV. recensetur, qui in Christi annum trecentesimum vigesimum octavum incidit. Integra adhuc hujus Cœmeterii Ecclesia in beati martyris Hermetis honorem olim erecta subsistit, ut ex Eginardo in recensita translationis ejusdem historia palam fit, quam supra ex Actis beatorum Petri & Marcellini apud Surium to. 3. die 2. Julii descripsimus. Ejusdem quoque Petrus Manlius disertis, apertisque verbis meminit, singula enim Urbis Cœmeteria, quæ Pincianam extra Portam sita sunt, enumerans, hæc habet: *Cœmeterium S. Hermetis & Basillæ est foris portam Pincianam, ubi est Ecclesia S. Hermetis Martyris.* Quod plane ex marmoreo quodam peristylii fragmento comprobatur, ut in ipso præmemoratæ domus liminari adhuc cernitur: quo dum illuc post Bosii obitum, ad delineandam Cœmeterii ichnographiam ventitatum esset, ejuscemodi fragmenta studiosis oculis exquirendo ac perlustrando, ipsummet sancti Hermetis nomen his quidem notis enarratum perlegi contigit:

Cassiod. in Chron. Bar. Annal. to. 3. an. 328. Ecclesia S. Hermetis. *Sur. to. 3. die 2. Julii.* *Petr. Manl.*


.... HERME ....

Quod utique peristylium portæ ejusdem Ecclesiæ sancti Hermetis, tituli instar, præfixum quondam fuisse probabiles ultro nobis conjecturæ suadent.

39 Ut ipsam autem Ecclesiam perlustremus; hæc quidem ambitu satis ampla est; longitudinis nempe palmorum XC. circiter, latitudinis XXX. cum dimidio, altitudinis I. Apsidem insuper satis amplam præ se fert, quam picturis quoque affabre olim exscultam, concinnatamque fuisse ipsemet adspectus edocet. Hic vero venerandas Christi Domini Servatoris, ac beatorum Angelorum imagines primum extitisse, seniores Societatis ejusdem Patres affirmant. Quoniam vero subterraneo loco

Descriptio Ecclesiæ S. Hermetis.

Ecclesia sita est, è foramine quodam, quadratam præferente formam, quod super apsidem aptatum cernitur, demissum ab alto lumen hæc recipit. In imis autem ejusdem parietibus, qui pavimento adhærent, haud pauci ad Cœmeterium aditus, etsi humo obducti, à perscrutantibus deprehenduntur. Altero igitur eorundem reserato, obvius ad Cœmeterium illico ingressus patuit, is tamen eum in modum depressus, atque angustus, ut demisso prostratoque corpore humi aliquandiu repere opus fuerit, ad alteriores quousque semitas, non absque ingenti incommodo ac labore deveniretur. Ipsius autem Ecclesiæ iconem proxima inferiori Tabula oculis contemplandam subjicimus.



Tabula ista dimidiam Templi S. Hermetis partem in longitudinem sectam contemplandam hic exhibet: alteram in omnibus ei simillimam scias, nisi quod in illa nulli ad Cœmeterium aditus existant, qui omnes in hac parte, quam vides, reperiuntur.

A Templi apsis, quæ coloribus olim figurisque exornata erat.

B Foramen quadratæ figuræ, quà Templum subterraneum superne lumen accipit.

C D Bina spiracula, quæ Templi fornicem suffulciunt.

E F Columnæ binæ, quæ cum duabus aliis ad alteram partem hisce simillimis loco illi fulciendo positæ fuerunt.

G Porta, per quam in partem Templi superiorem adscenditur, scalarum adinstar, quæ, quoniam humo nunc obstructa est, haud facile inspici, ac cognosci potest: pro certo autem putaverim, antiquum illic aditum in Templum & Cœmeterium patuisse.

H Fenestra, quæ interiora Templi respicit, quà lumen descendentibus olim præstitum existimaverim, nunc autem occlusa est.

I. Aditus, per quem Cœmeterium ingredimur.

K Alius Cœmeterii aditus, sed terra oppletus.

L Similis Cœmeterii ejusdem aditus.

M Alius denique similis aditus, in pariete scilicet hujus Templi, apsidi adverso.

40 Porro

40 Porro Cœmeterium hoc satis amplum, diligenter singula perscrutanti se offert, binosque ordines semitarum, inferiorem videlicet, ac superiorem continet: singulæ interim viarum semitæ, si altitudinem, latitudinemque respicias, unum vix hominem capiunt. Consueta in Monumentis, & numero quidem plura Christiani nominis signa, ut in Cœmeteriis jam supra descriptis enarravimus, extant, videlicet ☧. In uno præsertim numerus hic xxv. impressus A☧ calci prænotatur.

41 Verum quoniam de præcipuis sepulchralibus hujus Cœmeterii titulis mentio agitur, haud silentio obvolvendum duximus, quod in hoc Cœmeterio Priscillæ Via Salaria, amplissimum quippe præ cæteris est, ut diximus, & velut unum corpus in multa membra subdividitur, cujus & istud pars describitur, à viris fide dignis, cum illud post Bosii obitum pia curiositate excurrerent, haud semel, ut nobis hæc scribentibus relatum est, adnotari contigit. In præmemorati enim Cœmeterii ambitu, quod in Pincio Monte situm vulgato titulo Cœmeterium, ut supra diximus, *Basillæ*, seu potius sanctorum Martyrum *Hermetis*, *Proti*, *&* *Hyacinthi* nuncupatur, & in quod per vineam RR. PP. Societatis Jesu, seu Alumnorum Collegii Germanici, atque Ungarici transeundo aditus patet, in quodam sepulchro corona ac palmis duabus prænotato, nobilis iste titulus legebatur, videlicet:

MARCELLA, ET CHRISTI MARTYRES
CCCCCL.

Marcella autem ista insignis proculdubio fœmina extitit, quæ Christianis ad martyrium dux & antesignana præmittitur, cujus nomen velut omnibus tunc satis notum describitur: quingenti vero, & quinquaginta isti Martyres unà pariter interempti, forte ad eam pertinebant.

42 Vides hinc, & vel uno ex lapide patentibus notis, amice lector, ediscis, quam ingens persecutionum tempore beatorum Martyrum numerus in Orbe excreverit, & quot preciosis Athletarum Christi exuviis Cœmeteriales Urbis cavernæ ditescant, cum tot numero martyr. pro fide unà simul interempti sub uno, eodemq; sepulchrali titulo legentibus innotescant. Verum hoc eodem loco haud longe à descripto hactenus titulo, in sepulchri cujusdam labro hæ notæ calci insculptæ legebantur: REFRIGERIA EXPECTATE. Alludere enim titulus ad hos quingentos & quinquaginta conditos ibidem martyres videbatur, qui sanguine madidi ad refrigeria transierant, juxta illud: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Alius item ibidem lapis specioso inscriptus titulo, palma in triumphi, ac victoriæ signum prænotatus, perscrutantibus contemplandus offertur, qui ejusdem Cœmeterii gloriam haud obscuris notis inculcat, videlicet:

RUFFINUS, ET CHRISTI MARTYRES
CL. MARTYRES CHRISTI.

Ruffinus iste, qui primo loco nominatim describitur, cæteros istos centum quinquaginta, vel ad martyrium exemplo velut suæ curæ commendatos incitasse, vel certe unus præ omnibus ex nomine veluti conspicuus dumtaxat ac notus, cæteris silentio obvolutis, recensetur. Quod plane ex novissima quorundam relatione comprobari videtur: in Cœmeterio enim, quod hactenus memoratum est, in quod ex Alphonsi Buccabellæ vinea aditus aperitur, dum sub anno Redempti Orbis MDCXXXX. illuc nonnulli sacrum loci ambitum perscrutaturi introissent, in viæ cujusdam ingressu, ubi recondita, ut præmisimus, viginti quinque Martyrum corpora delitescebant, inventa est Angeli imago, laterculo cuidam palmari insculpta, qui palmam, & coronam pariter beatorum Martyrum ibi quiescentium indices manu præ se ferebat: quinimo, ut loci sanctitas intuentibus clarior fieret, haud procul à semita, cujus mentio est, tres unci calcis glutino valide obfirmati ad lampades in eorumdem ibi olim quiescentium honorem sustinendas aptari cernebantur. Præterea cubiculum quoddam sacram intuentibus antiquitatem, & primævorum Christianorum pietatem redolens in hoc eodem Cœmeterio inter excurrendum à se deprehensum fuisse Io. Baptista Marrus Canonicus sancti Angeli in foro Piscium, quem alibi memoravimus, nobis hæc scribentibus retulit, qui & supra descriptos titulos, quos subjecimus oculis, se explorasse & singulariter admiratum fuisse affirmat. Nec verò quid novi, etsi mirum lectori videatur, si hæc Bosium studiosissimum alioqui Cœmeteriorum omnium, & istius pariter exploratorem præterierint; aditus enim, qui ad isthæc loca deducit, haud illi inter explorandum tunc innotuit, nec singulos abditorum Cœmeteriorum sinus unus ipse, etsi cuperet, assequi, ac penetrare valuit, quos postmodum aliis interlapsu temporis patefieri contigit, & cum *plus videant oculi* (ut proverbium fert) *quam oculus*, quod ipse tunc oculis assecutus minime est, viderunt pro ipso alii post ipsum: *Dies enim diei* (ut cum Psalmista loquamur) *eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Et hæc sunt, quæ haud pium lectorem veluti digna Christianæ pietatis monimenta hic præterire voluimus. Sed Cœmeterii, quam aggressi fueramus, cum Bosio descriptionem prosequamur.

43 In quibusdam subinde Monumentis defunctorum ossa, si quæ adhuc subsidunt, eum in modum consolidata sunt, ut loco, ubi jacent, dimoveri nullatenus queant. Aqua insuper gelu ibidem concreta conspicitur, quæ multiplices glaciei formas, pendentibus undequaque stiriis visu quidem pulcherrimas, haud ullo artis, sed miro ipsius naturæ studio effictas intuentibus exhibet. Sepulchrales item tituli quamplures variis quidem Christianæ religionis, vel martyrii notis insculpti, atque insigniti adnumerantur, in quibus sacrosanctum Christi nomen multiformiter adnotatum exprimitur. Columbæ item, quæ olivarum ramusculos rostro præ se ferunt: pisces insuper, mallea, lanceæ, anchora, & alia id genus artificum manu diligenter exsculpta, intuentium oculis passim contemplanda occurrunt. Et priores quidem, quæ sequuntur, inscriptiones ipsimet calci impressæ erant.

Psal. 18. | Sepulchra cum titulis in Cœmeteriis.

T 3 VICTO-

VICTORIA

DATVS ☧

TERENTIANVS θ

TIGRINVS IN PACE PRID·NON·SEM

BIKT ωRЄ BENE

PETRONIA

CABATIC

DEP PAPA V·KAL SEPTE BRIS

DEFVNTA ЄST TOTIMA·V·K·OCT

EXPECTATE REFRIGERA·

DONVS...... DEP·PRI ∂IЄKL APRILIS


FI ☧ ☧ LI CI TAS

Aliæ, quæ sequuntur, marmori incisæ legebantur.

VAL. NIGRINÆ INFANTI INNO
CENTISSIME QUE B. ANN. II.
M. II. D. X. OR. V. IN PACE

FLORENTIA





☧
CONSTANTIUS ET EUTICHIANE
LENDONIO KARISSIMO FILIO
QUIESCENTI QUI VIXIT
ANOS XVIII · DEPOSSIO
EJUS VIIII KALENDAS
DECEMBRES



Ad alterum ejusdem inscriptionis latus.

HIC EST POSITA RODOPE
IN PACE QUA VIXIT AN PLUS M
....TA DIE ♂ XVII KAL. OCT DNS
VALEN ..... ET HABIENO

Verum Havieni Consulatus, cujus hic nomen antiquorum more B. pro V. usurpato, describitur, quondam unà cum Valentiniani septimo, anno redempti orbis quadringentesimo quinquagesimo contigit, B. autem Leonis Papæ undecimo, ex Cassiodoro in Chronico, & Baronio in suis Annal. to. 6. eodem sub anno. *Cassiod. in Chron. Baron. to. 6 Ann. an. 450.*

ASEL-

ASELLVS QVI VIXIT AN ꝺ LV BENEMER
ENTI IN PACE VXOR SA FECIT




RFRITE
TEIN PACE




D M S
CÆSONIUS. SALVIUS. VONE
MEMORIÆ INNOX QUI
VIXIT. ANNIS. XX. M. VI. ET
HOR III. CUI FECERUNT SUCCISSA
MAIIRII MARINUS FRAIIK
id est MATER ET MARINUS FRATER





NERIA SEBERA COJUCI DULCIS ....
MARIO INNOCENTIO CUM QUO
FE.... ANNOS SEDECIM MENSES III
QUI VIXIT ANNIS XXXIIII. MENSES
qII ET DEFUNCTUS EST qI IDUS
APRILES SIBI ET ILLI FECIT IN
PACE DOMINI DORMIT.

SIRICIUS QUI VIXIT ANNIS IXX
IN PACE





AMIANOC




Sepulchralis verò alter lapis, in quo piſcis & anchora pariter exſculpta cernitur, his plane notis inſcriptus eſt:

TI. CL. MARCIANUS. ET.
CORNELIA. HILARITAS.
CORNELIÆ. PAULÆ. PAR.
FECR. QUÆ. VIX. ANN. X. DIEB.
VIII. DEC. X. KAL. AUG. MAX.
ET. URB. COS.



41 At quod ad Maximi & Urbani Conſulatum ſpectat, hi quidem anno redempti orbis ducenteſimo trigeſimo ſexto; Pontiani Papæ tertio, & Alexandri Imperatoris decimotertio Conſules renunciati fuere, ut ex Baronio conſtat Annal. To. 2. anno ſupra citato. In quibuſdam item præmemoratis marmoreis fragmentis, Arbetionis & Lolliani Conſulatus expreſſus eſt, qui in Chriſti annum trecenteſimum quinquageſimum quintum incidit; Liberii Papæ IV. Conſtantii Imperatoris XIX. ipſomet in ſuis Annal. Baronio teſte.

V	ΦΛΑΒΙΑ	V
V		V
V	ΧΡΗϹΤΙΝΑ	V
V		V

42 Sed ut ſuſceptæ enarrationis curſum proſequamur, Cubicula apud Cœmeterium, de quo nunc ſermo eſt, pauca quidem numero, & forma ſatis brevi ac perangusta, picturis penitus deſtituta conſpiciuntur. Complura interim Monumenta, quorum tria duntaxat picturis conſpicua in eadem viarum ſemita objiciuntur. Sunt autem quæ hic modo deſcribentur.

Monu-

Monumentum arcuatum primum Cœmeterii SS. Hermetis, Basillæ, Proti, & Hyacinthi Via Salaria veteri describitur.

Monumentum hoc altitudinis est palmorum IV. longitudinis V. latitudinis III. atque imagines infra recensendas exhibet.

I. Totius in primis Monumenti arcuati orthographia repræsentatur.

II. Veneranda deinde ipsiusmet Christi Domini throno considentis effigies, sinistra explicitum quoddam volumen gestantis, dextera verò puerum tangentis; sedenti autem duo hinc inde viri stolati adstant. Cujus rei gratia hic interim in controversiam revocari potest, an sacer potissimum ritus, quo quis Ecclesiasticis de more ordinibus initiatur, an verò ipsemet Dominus puero, quod plerumque consueverat, manum imponens, descripta hactenus imagine designetur.

III. Daniel item medios inter leones tuto consistens adumbratur.

IV. Moyses insuper Hebræorum genti, cum in desertis regionibus siti contabesceret, uberrima è petra aquarum fluenta educens.

V. Idem Dominus quatriduanum Lazarum è tumulo supernæ vocis imperio excitans.

VI. Tres demum pueri in Babylonicam fornacem injecti, pileo in Persarum morem capiti circumdato repræsentantur.

Monumentum secundum arcuatum Cœmeterii SS. Hermetis, Basillæ, Proti, & Hyacinthi Via Salaria veteri describitur.

Haud procul à primo, quod nuper descripsimus, Monumentum hoc extat: altitudinis autem est palmorum IV. longitudinis VII. cum dimidio, latitudinis III. Porro subtexendæ infra imagines oculis intuentium ibidem subjiciuntur.

I. Totius Monumenti arcuati orthographia.

II. Christus Dominus manum pariter juxta Euangelicæ historiæ textum puero cuidam imponens. Dextero autem è latere vir ille omnium strenuissimus Sampson exprimitur, qui sublatas Gazæ portas humeris defert: at sinistro è latere Jonas in lucem è belluæ marinæ ventre prosiliens.

III. Idem Jonas sub umbraculo, qui defessos præ nimio labore artus dulci sopore recreat: & ipsemet iisdem foliis præ nimio caloris æstu arefactis totus animi tædio ac mœrore confectus inducitur.

IV. Moyses insuper, qui duro è silice aquas potenti manu elicit.

V. Pastor item Euangelico clarus oraculo dilectam oviculam prompto libentique humero bajulans.

VI. Jonas iterum sub amœno cucurbitæ umbraculo recubans.

VII. Demum Christus Dominus, qui Lazarum tumulo illatum, triduanas post latebras in lucem advocat.

Monumentum tertium, & ultimum arcuatum Cœmeterii SS. Hermetis, Basillæ, Proti, & Hyacinthi Via Salaria veteri describitur.

Secundi è regione Monumenti, ipsamet, quam supra memoravimus, semita Monumentum hoc existit, quod palmis IV. cum dimidio altum est, longum VIII. latum III. Picturis autem olim omni ex parte excultum fuisse liquet; nunc verò singulis fere imaginibus humore consumptis, hæ dumtaxat in eo perscrutantibus inspectandæ occurrunt.

I. Totius Monumenti orthographia.

II. Mulieris expansis de more brachiis Deum exorantis imago.

III. Christi quoque Servatoris nostri virga septem sportas, seu cophinos panibus onustos pertingentis effigies.

IV. Nonnullæ illic imagines olim conspiciebantur, quæ, coloribus jampridem exolescentibus, penitus evanuerunt.


V. Boves insuper duo coloribus adumbrantur, & quædam insuper delineamenta, quæ ut conjici fas est, virum quendam stantem intuentium oculis repræsentant. In medio autem ac curvo arcus ejusdem sinu locus suspicitur, qui egregie picturis olim excolebatur, sed præ longa subinde temporum injuria ipsæmet penitus exolevere.


Monumentum Primum Arcuatum Coemeterii
SS. Hermetis Basillæ Prothi Iacinthi
Via Salaria
Veteri
I
II


III
IV
V
VI


Monumentum Secundum Arcuatum Coemeterii
SS. Hermetis Basillæ Prothi et Iacinthi
Via Salaria Veteri
I
II


III
IV
V
VI
VII


Monumentum Tertium et ultimum Arcuatum Coemeterii
SS. Hermetis Basillæ Prothi et Iacinthi
Via Salaria veteri
II


III
IV
PICTVRÆ
QVÆ IN HVIVS
MONVMENTI
MEDIA ARCVS
CVRVITATE
OLIM
EXTABANT
PENITVS EXO
LEVERVNT.
V

Imago martyrii S. Sebastiani perveteusta.

Demum ne quid penitus ex his, quæ ad Priscillæ Cœmeterium spectant, studiosum lectorem latere patiamur, ex opere, quod Italico idiomate hactenus editum est, absolutissimam Tabulæ cujusdam lateritiæ ichnographiam, quodam super altari, intra idem Cœmeterium repertæ excerptam hoc loco adiecimus; in qua miro quidem opere artificum manu invictissimi militis Sebastiani martyrium concinne insculptum videre est. Quam quidem ichnographiam è Vaticana Bibliotheca Bosius paginis delineandam curavit; ubi ejusdem exemplar hoc nobili prænotatum titulo posteritati commendatur, videlicet:

MARTYRIUM SANCTI SEBASTIANI
DEPICTUM AD EXEMPLAR TABELLÆ
LATERITIÆ MIRIFICE HIS
IMAGINIBUS INSCULPTÆ, REPERTÆ
IN QUADAM CRYPTA,
IN COEMETERIO PRISCILLÆ,
VIA SALARIA
SUPER ARAM MURO AFFIXÆ.

MARTYRVM S SEBASTIANI IN SCVLPTVM IN TABELLA LATERITIA SVPRA ARAM MVRO
AFFIXA IN COEMETERIO PRISCILLÆ VIA SALARIA



Porro, ut sacram, recolendamque invicti Martyris Sebastiani, quam tibi delineavimus, imaginem, utpote sagittis egregie exultam, & sanguineis notis splendide exaratam, aliquo inscriptionis titulo cæterarum instar prænotemus, hic quippe martyr sub Christianitatis titulo sagittis valide confossus, singulari pro fide marryrio coronatus est, ipsamet carmina è Græco olim idiomate, in Latinum à Maphæo S. R. E. Cardinali Barberino, qui fuit postea Urbanus Octavus, in ejusdem martyris honorem reddita, tituli instar affigimus:

Depictus Christi miles, quem spicula figunt,
Os nec viventis, nec morientis habet.
Ne cadat expirans, metuis, quem vivere cernis,
Teque pro sensu, vulnera sæva cient.
Sed placide quanquam sic saucius inspicit astra,
Dum labra suppliciter, more precantis habet.
Non datur Artifici vocem depingere: pinxit
Hunc tamen, ut credas talia verba loqui:
Vincula solve: tuum Iesu sitit anxia visum
Mens mea, ceu fontis cervus anhelus aquam.

Ex lib. p[...] mat. Ma[...] phæiCard. Barb. & postea Vrb. Pap. 8. fol. 154

Et siquidem Urbanus VIII. præclari Martyris obsequio addictissimus, haud pictam ejus imaginem, vel

vel tum, cum Cardinalem ageret, Latinis hisce carminibus exornasse contentus fuit, qui & locum insuper in Urbe, ad Cloacam Maximam, in quem venerandum corpus sub Diocletiano projectum, & inde à Lucina Matrona honorifice sublatum fuerat, in nobili gentilium suorum sacello, intra Ecclesiam S. Andreæ (ut vulgo dicunt) de Valle, singulari pietate excoluit, & hoc specioso titulo, ad augendum loci cultum illustravit:

Franc. Maria Turrig. lib. de Crypt. Vatic. par. 2. *Sanctus Sebastianus miles Christi fortissimus sagittis Diocletiani jussu configitur, virgis cæditur, in Cloacam dejicitur: Inde à Lucina Matrona Romana ejus in somnis monitu eximitur, & in Callisti Cœmeterio conditur; facti indicem plebs olim venerabunda ædiculam excitavit, cujus hic nuper Altare majus cum apside stetit. Hanc Sixtus Quintus Pont. Max. ea lege æquari solo permisit, ut illius pars novæ ædis ambitu includeretur, ad restituendam loci religionem, reique memoriam Maphæus S. R. E. Presbyter Card. Barberinus Signaturæ Iustitiæ Præfectus hoc voluit extare Monumentum. Anno sal. MDCXVI.* Et hæc vel obiter in descriptæ apud Priscillæ Cœmeterium imaginis gratiam prælibasse voluimus.

Quamvis autem, ut hic breviter singula discutiamus, ex militum indumentis haud vetustissimas inter pictura hæc recensenda, ac dijudicanda videatur; cum tamen ad Cœmeterium, de quo nunc agimus, tanquam condignum loci monimentum referendum sit, ejusdem hic præ cæteris meminisse operæ pretium duximus; ad quod fideliter præstandum inde potissimum permoti sumus, quod in ea beatissimi Martyris Sebastiani effigies haud imberbis, qualem imperiti pictores effingunt, sed adultæ provectæque jam ætatis contemplanda lectori ob oculos proponatur.

Sebastianus virili ætate erat. At verò quoniam B. Sebastianus pubescenti adhuc ætate passim pingitur, hæc vel obiter pauca subteximus, id videlicet ex Actis Caji Pontificis provenisse: ibi enim hæc præsertim verba leguntur: *Itemque B. Sebastianus, & juvenis corpore pulcherrimus, sed mente pulchrior, &c.* Ex quibus verbis (ut Cæsar Becillus in suis ad Acta notis asserit) vel perperam acceptis fortasse exorta est falsa opinio existimantium S. Sebastianum tempore ejus martyrii fuisse adolescentem: recensita autem verba non ad ipsum, sed ad alium referri videntur. Cæs. Becill. not. ad Act. S. Caji

Sed quidquid sit de inolita hujus assertionis origine, eam profectò falsam esse, plura ostendunt, sed præcipue munus, quod B. Sebastianus in castris gerebat: haud enim junioribus conferri consuevisse prudens nemo existimabit; erat enim dux primæ cohortis: id ipsum confirmant antiquiores imagines, ut quæ apud S. Petrum ad Vincula, & apud S. Mariam, seu Andream in Pallari conspiciuntur. De quo item Baronius in suis ad Rom. Martyrologium notis isthæc: *Egregium etiam sancti martyris Monumentum, veneranda ejus imago opere musivo expressa, atque hactenus integra extat in titulo Eudoxiæ ad Vincula S. Petri, senili aspectu & barba: quod pictores admoneat, qui eum juvenem palo alligatum perperam pingunt.* Hæc ille. Ex mystico autem fortasse symbolo iste pictorum mos initium sumpsit, quia videlicet ardore, & constantia pro Christo ardua quæque perferendi, juvenile robur, & senilem haud ætatem, sed vividam, robustamque, pubescentis instar, invictus martyr exhibuit. Nec demum improbabilis omnino nobis conjectura suadet, hanc ibi Tabulam tunc potissimum temporis constitutam, cum sacrum hoc Cœmeterium sub variis, qui successivo in Petri Cathedra ordine sederunt, longa post secula instaurari contigit, & præsertim à B. Silvestro, Cælestino Primo, & Joanne item hujus nominis primo. Porro ejusdem archetypus veluti nobilissimum quoddam sacræ ac recolendæ antiquitatis trophæum è ruinis sublatum, in marchionis Castelli musæo nunc condigno honore asservatur. Et hæc sunt, amice lector, quæ de perantiquis potissimum Cœmeteriis Via Salaria tum nova, tum veteri existentibus, Bosio perscrutante, paginis hisce, tabulisque excerpta innotuere. Jam verò ad cætera indaganda viarum monumenta progrediendum nobis est.

(Margin: Baron. in not. ad Mar. tyrol. 20. Ian. — Artifices S. Sebastianum juvenem effingant?)

CAP. XXXVIII.

De Via Flaminia, & Claudia, seu Clodia, & de recolendis earundem monimentis.

1 POstquam Salariam (ut vides lector) Viam perlustravimus, nunc Flaminiam, si libet excurrere, aggrediamur, quam ut propositum hactenus iter feliciter prosequamur, præmemoratæ subnectendam Viæ ducimus, quamvis in recolendis beatorum Martyrum actis, ac pervetustis rerum Ecclesiasticarum Tabulis nulla prorsus de Via hac mentio recurrat; quod ubi præstitum fuerit, totum, atque integrum ipsorum Urbis mœnium circuitum, etsi quandoque alicubi substiterimus, nobis tandem perfecisse, vel certe potius excurrisse (quod vel maxime in votis est) continget. Via Flaminia.

2 Via autem hæc à porta initium sortitur, quæ *Flumentana* olim, Sexto Pompeio teste, ab ipsomet Tyberino flumine vocabatur: *Flaminia* vero deinde ex ejusdem portæ nomine nuncupata est: quo plane titulo eam Procopius de bello Goth. lib. 1. appellat. Demum *Sancti Valentini*, ab ejusdem Martyris Ecclesia, quæ hac Via sita est, nomen quoque obtinuit. Verum hac nostra ætate communi omnium voce *Populi Porta* denominatur, quippe quæ frequentiori præ cæteris adeuntium pede atteritur, ac passim confluentium ore celebratur, per quam videlicet catervatim populus, ut ita dicam, in Urbem quotidie influit. Porta Flumentana. Sext. Pomp. de Via Flam. Procop. de bell. Got. l. 1. Porta S. Valentini. Porta Populi.

3 De celebri vero Flaminiæ Viæ apud antiquos nomine Tacitus hæc recitat: *Vocatus Dolabellam per epistolam, vitata Flaminiæ Viæ celebritate, divertere Interamnam, & ibi interfici jussit.* Porro Flaminiam à Flaminio viro Consulari denominatam fuisse Sext. Pompejus his verbis tradit: *Flaminius Circus, & Via Flaminia à Flaminio Consule dicta sunt, qui ab Hannibale interfectus est ad lacum Trasimenum.* Idem Sigonius pariter Comment. in fastis anno quingentesimo trigesimo tertio asserit: *C. Flaminius Censor* (inquit ille) *Viam Flaminiam munivit; & Circum Flaminium extruxit.* Quibus Cassiodorus quoque pari sententia adstipulatur, dum ipsummet tempus, quo id potissimum contigit, exacte describens, isthæc subiicit: *L. Veturio & Caio Lutatio Coss. qui fuit annus Urbis quingentesimus trigesimus tertius, Via Flaminia munita, & Circus factus, qui Flaminius appellatur.* Verum Strabo lib. 5. id Iuniori Flaminio hæc dicens attribuit: *Eodem in Consulatu M. Lepidus, & C. Flaminius collegæ fuere: victores autem Ligurum stravere, hic quidem Flaminiam è Roma per Thuscium & Umbriam usque Ariminum.* At vero, ut res apte consonet, accidisse utique potuit, ut quam Flaminius ille Senior sternere incepit, Tacit. decal. decad. 4. l. 9. Sext. Pomp. Sigon. comment. in fast. an. 533 Cassiod. Strabo l. 5.

incepit, Junior subinde supremam operi manum imponendo perfecerit; quod Livius Decad. 4. lib. 9. satis aperte his verbis innuere videtur: *His quoque perdomitis, Consul pacem dedit militibus, & ne in otio militem haberet, Viam à Bononia perduxit Aretium.* Eandem postmodum Viam à Cæsare Augusto instauratam fuisse Suetonius cap. 30. in ejusdem gestis affirmat: *Quo autem*, inquit ille, *facilius undique Urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia Via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.* Et hujus quidem assertæ instaurationis vestigia, præclaraque monumenta apud Ariminensem adhuc Civitatem, arcus videlicet una cum inscriptionibus, extant.

Livius de cad. 4. l. 9.

Suet. in Aug. cap. 30.

4 Eadem hac Via, nono ab Urbe lapide, ipsumque juxta Tyberim, celeberrima olim Cæsarum Villa extitit, quæ *ad Gallinas* nuncupabatur, de qua isthæc Livius lib. 15. c. ult.: *Gallinam conspicui candoris sedenti Liviæ Drusillæ aquila ex alto abjecit in gremium illæsam, intrepideque miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis. Conservari alitem, & sobolem jussere aruspices, ramumque eum seri ac rite custodiri. Quod factum est in Villa Cæsarum fluvio Tyberi imposita, juxta nonum lapidem, Flaminia Via, quæ ob id vocatur, Ad Gallinas.* Idem plane Suetonius in Imperatoris Galbæ gestis cap. 1. affirmat, qui & gallinas easdem ultimo Neroniani principatus anno simul defunctas fuisse addit; ac lauretum ex præmemorato ramusculo consitum, novo inopinatoque portento penitus arefactum, futurum utique, ut ipsamet Romanorum Cæsarum prosapia brevi intercideret, atque aboleretur, mirabiliter præsagisse pronunciat.

Villa Cæsarum. Locus ad Gallinas albas. Livius l. 15. c. ult.

Suet. in Gal. c. 1.

5 Hac item Via quidam olim locus extitit, *Ad rubra saxa* communi omnium voce nuncupatus: cujus Cicero Philipp. 2. meminit, Livius quoque Decad. 1. lib. 2. dum castra ibidem à Vejentibus adversus Romanos locata fuisse asserit, Tacitus item Annal. lib. 9. & Histor. lib. 3. *Antonius*, inquit ille, *per Flaminiam ad Saxa rubra, multo jam noctis serum auxilium venit.* Sext. Pompejus hac insuper Via Clitellas extitisse refert, concava quædam & accliva videlicet loca, quæ hujuscemodi nomine nuncupabantur.

Locus ad Saxa rubra nuncupatus. Cic. phil. 2. Livius dec. 1. lib. 2. Tac. an. l. 9. & hist. l. 3. Sext. Pomp.

6 Complura quidem hac Via sepulchrorum vestigia contemplantibus objiciuntur; & sane hic quondam Pantomimi Paridis tumulum extitisse Martialis describit lib. 2. Epigr. 2. dicens:

Epitaphium Pantomimi. Martial. l. 2. epig. 2.

Quisquis Flaminiam iveris viator,
Noli nobile præterire marmor,
Urbis deliciæ, salesque Nili,
Ars & gratia, lusus & voluptas
Romani decus, & dolor Theatri,
Atque omnes Veneres, Cupidinesque
Hoc sunt condita, quo Paris sepulchro.

Glauciæ quoque Melioris liberti sepulchrum ad ejusdem olim Viæ ambitum suspiciebatur, de quo idem Martialis lib. 6. Epigr. 21. sic:

Epitaphium sepulchro pueri Glauciæ inscriptum. Martial. l. 6. epig. 21.

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Chari deliciæ breves patroni,
Hoc sub marmore Glaucias humatus
Juncto Flaminiæ jacet sepulchro:
Castus moribus, integer pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Bissenis modo mensibus peractis
Vix unum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas viator.

Porro Viæ ejusdem Martialis pluribus quidem in locis memoriam recolit, & præsertim lib. 4. Epigr. 51. ubi prospectum, qui è suis in Janiculo hortis patebat, commemorans sic ait: Martial. l. 4. epig. 51.

Illic Flaminiæ, Salariæque
Gestator patet, essedo tacente.

Et lib. 10. epigr. 6. de Cæsaris in Urbem adventu isthæc recitat: Idem l. 10. epig. 6.

Quando moræ dulces, longusque à Cæsare pulvis,
Totaque Flaminia Roma videnda Via;

Livius quoque ejusdem meminit Decad. 3. lib. 2. ubi de Quincto Fabio Dictatore agens, hæc inquit: *Ipse Via Flaminia profectus obviam Consuli, exercituique; cum ad Tyberim circa Otriculum perspexisset agmen, Consulemque cum equitibus ad se progredientem, viatorem misit, qui Consuli nuntiaret ut sine lictoribus ad Dictatorem veniret.* Ipse item Cicero prima ad Atticum epistola de Thermo quodam Viæ Flaminiæ curatore mentionem repetit. De ejusdem pariter Viæ Flaminiæ curatore apud Onuphrium in sua pervetusta Roma hæc inscriptio recensetur:

Livius decad. 3. l. 2. Cic. ep. 1. ad Attic. Onuph. Pa[…] in Rom. des[…]

L. OVINIO L. F. Q. VIR
RUSTICO CORNELIANO
COS. DES. PRÆT. INTER
TRIBUNICIOS ADLECTO.
CURAT. VIÆ FLAMINIÆ
LEG. LEG. VII. ALIIS INTER
CURAT. VIÆ TYBURTINÆ
CURAT. REIP. RICINENSIS
RUSTICA OVINIA
CORNELIANA FILIA
PATRI PIENTISSIMO.

7 Porro Via hæc paulo ultra primum ab Urbe lapidem à Tyberi fluvio intersecatur, eo potissimum loco, ubi pons Milvius, vulgo Italico idiomate *Ponte Molle*, ad præsens subsistit; quem à M. Scauro extructum fuisse Marcellinus in Constantini ac Valentis Imperatorum gestis refert. Ex quo item ponte sacrilega impiorum manu, atque immani execrandoque antiquæ religionis cultu quotannis præceps vir Saturno hostia, ipso Lactantio Firmiano teste, offerebatur, qui de fals. relig. lib. 1. c. 2. isthæc recitat: *Saturnus in Latio eodem genere Sacrificii cultus est, non quidem ut homo ad aram immoletur, sed ut in Tyberim de ponte Milvio mitteretur.* Ibidem quoque, ut idem Lactantius ait, cum primum Hercules ex Hispaniarum regionibus in Urbem rediens advenisset, constituit, ne ullus in posterum vir, sed virorum dumtaxat imagines Vestalium virginum manu ad consuetum eidem Saturno cultum exhibendum in flumen projicerentur. Eundem olim supra pontem, Ciceronis potissimum, qui tunc Consulatum gerebat, in publicæ Romanæ rei bonum vigilantissimi studio pariter ac prudentia Allobrogum nuntios interceptos, atque ex epistolis, quas deferebant, detestandum Catilinæ adversus ipsammet patriam conspirationis facinus detectum fuisse, diserte Sallustius de Catilinæ Conjurat. describit. Huc quoque Nero ventitare consueverat, ut Tacitus l. 3. his plane verbis affirmat: *Pons Milvius in eo tempore celebris nocturnis illecebris erat, ventitabatque illuc Nero, quo solutius Urbem extra lasciviret.* Demum ut singula Romanarum antiquitatum monimenta exacte recolantur, eundem juxta pontem Constantinus Magnus Romanæ Urbis publicæ salutis ac libertatis vindex Maxentium tyrannum celebri, ac recolendo jugiter victoriali certamine devicit, ac Tyberinis aquarum gurgitibus demersum funditus delevit. De quo canit Prudentius:

Pons Milvius. Marc. l. […] in Const. Valen. Imp[…] Lactan. l[…] c. 2. de f[…] relig. Conjura[…] Catilina[…] Salust. […] conjurat[…] Cat. Locus, […] Nero a[…] causa v[…] titabat. Tac. l. 3. Consta[…] tinus M[…] gnus. Maxent[…]

Testis

Prud. contr. Symm. l. 1.

Testis Christicolæ ducis adventantis ad Urbem
Milvius exceptum Tyberina in stagna tyrannum
Præcipitans.

8 Milvio autem transmisso ponte, Flaminia hæc Via in duas partes dividitur: harum altera secus flumen dexterum ad latus porrigitur, quæ & peculiari titulo *Flaminia* dicitur: altera vero, quæ recta pergit, in duas itidem partes divisa protenditur, ac demum viis Aureliæ, Corneliæ, & Triumphali jungitur. Harum pars, quæ Flaminiæ propior est, *Claudia*, seu *Clodia* nuncupatur, quam Ovidius, qui suos juxta eandem hortos obtinebat, his plane verbis describit:

Via Claudia.

Ovid. l. 1. de Pont. ad Seu.

Nec quo pomiferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta Viæ.

Front. de Aquæduct.

9 Porro ejusdem Viæ Claudiæ Frontinus quoque de Aquæductibus agens meminit, cum de Alsietina præsertim aqua hunc in modum loquitur: *Concipitur è lacu Alsietino Via Claudia milliario* XIIII. Ex quo plane eandem ipsammet Claudiam Viam esse convincitur, quæ directo Etruriam versus tramite extenditur; quod etiam ex conscripto Antonini Imperatoris Itinerario comprobatur. In quadam item pervetusta apud Onuphrium inscriptione ejusdem Viæ Clodiæ curatoris, his verbis mentio recurrit:

Curator Viæ Clodiæ. Onuph. Pan.

C. OPPIO C. F. VEL
SABINO JULIO NEPOTI
M. VIBIO SOLEMNI SEVERO
COS.
ADLECTO A SACRATISSIMO IMP.
HADRIANO AUGUSTO
INTER TRIBUNICIOS PR. PEREGR.
CANDIDATO AUG.
LEGATO PROV. BAETHICÆ CUR. VIARUM
CLODIÆ, ANNIÆ, CASSIÆ.
CIMINÆ, TRIUM. TRAJANARUM
ET AMERINÆ LEG. LEGION. XI.
CL. P. F. LEG. AUG. PR. PR.
PROVINCIÆ LUSITANIÆ
PROCOS. PROV. BÆTHICÆ
PATRONO COL.
LEONES. LIB. ADSCENSUS PATRONI
ET IN DEDIC. STATUÆ
COLONIS CÆNAM DEDIT.

10 Clodia item alio nomine Via hæc à Julio Capitolino in gestis Veri Imperatoris appellatur, ubi peramœnam, conspicuamque ab ipso Via eadem villam extructam fuisse his plane verbis edocet: *Villam præterea extruxit in Via Clodia famosissimam, in qua per multos dies & ipse ingenti luxuria debacchatus est cum libertis suis, & amicis paribus.* Hujus autem villæ vestigia ad hæc usque tempora ad lacum Sabatinum, sive Braccianum extant; cui loco inditum adhuc ab auctore *Vici Aurelii* nomen viget. Et ab hac ipsamet Via *Massa* olim *Clodia* denominata fuit; de qua in edito Beati Leonis Papæ Noni Diplomate, VIII. Kal. April. anno IV. quod in Vaticanæ adhuc Basilicæ Archivo servatur, hæc leguntur: *Concedimus Massam Clodianam cum lacu Papirano; & sicut ipsa Massa extenditur usque in Soractem, cum lacu Bacchanis, & cum omnibus pertinentiis suis.* Ita pariter Clodianus lacus ab ipsamet Via nomen desumpsit. Et hæc de Flaminia Via studioso Romanarum Antiquitatum lectori prælibasse sufficiat: nunc vero à profanis ad sacra investiganda ejusdem Viæ monimenta progredimur, ut totius tandem Urbis ambitum, longo protensum circuitu, percurrisse, & singula, quæ ibidem sita sunt, Cœmeteria perlustrasse contingat.

Villa Veri Imperatoris. Jul. Cap. in Luc. Ver. Imp. Massa Clodiana. Dipl. Leon. Pap. 9. Lacus Clodianus.

CAP. XXXIX.

De Cœmeterio sanctorum Valentini Mart. & Iulii Papæ Via Flaminia.

1 Unicum quidem Cœmeterium Via Flaminia situm est, quod Beati Julii Papæ nomine, qui illud extruxit; ac item S. Valentini Martyris, qui conditus ibidem fuit, ad hanc usque diem nuncupatur. In Actis enim Beatorum Marii & Marthæ, Valentinum recolendum Christi Martyrem sub Claudio Via Flaminia capite obtruncatum, ac sacrum ejusdem corpus à Sabinella matrona eadem Via honorifice tumulatum fuisse his quidem verbis legitur: *Decollatus est autem Sanctus Valentinus Via Flaminia, sub die* XVI. *Kal. Martiarum: cujus corpus collegit quadam matrona Sabinella, & sepelivit in eodem loco, ubi decollatus est.* In iisdem subinde Actis à Beato Julio Pontifice Ecclesiam in ejusdem honorem erectam fuisse his item verbis describitur: *Ibi postea à Iulio Papa fabricata est Ecclesia in honorem Sancti Valentini presbyteri & Martyris, & mirifice decorata: in qua devote petentibus beneficia Domini præstantur usque in hodiernum diem.* Bibliothecarius vero in ejusdem Sancti Julii Papæ gestis, illum non Ecclesiam duntaxat, sed & Cœmeterium insuper ibidem extruxisse conscribit: *Fecit,* inquit, *duas basilicas in Urbe Romana; unam juxta forum, & aliam Via Flaminia. Fecit autem & Cœmeteria; unum Via Flaminia, & aliud Via Aurelia; atque aliud Via Portuensi.*

S. Julius Papa. S. Valentinus. Sabinella Matrona. Act. SS. Mar. & Mart. Ecclesia S. Valentini. Ibid. Bibl. in S. Iul. Pap.

2 Porro de his tantummodo Cœmeteriis nunc mentio à nobis agitur, quod nostri potissimum instituti ratio exigit: de beati vero Valentini Ecclesia pluribus quidem in locis Bibliothecarius sermonem ingerit, qui eandem à Theodoro, Benedicto II. Adriano I. Leone III. & Gregorio IV. Summis Pontificibus instauratam, atque exornatam fuisse testatur. Ex quibus plane constat celeberrimam istam olim Ecclesiam unà cum Cœmeterio, ac præcipuo conspicuam cultu extitisse. Quod item ex recepto antiquæ consuetudinis ritu conjicitur, ad eam videlicet totum Romanæ Urbis clerum accedendi, dum publicæ supplicationes haberentur, quæ Litaniæ Majores dicuntur, & ipsomet festivo beati Evangelistæ Marci die celebrari consueverunt. Tunc enim universa populorum collecta apud Ecclesiam beati Laurentii in Lucina, ipso Bibliothecario in sancti Leonis Papæ Tertii gestis teste, fiebat: inde vero omnes ac singuli ad eandem sancti Valentini Ecclesiam ordinatim procedebant, à qua deinde per Milvium pontem, ac Neroniana prata solemni ritu ad S. Petri Basilicam progredientes, uno agmine, & unanimi in supplicantium morem cœtu deveniebant. Sacræ autem, ac recolendæ ejuscemodi supplicationis ordo in M.S. duobus, vetustissimis quidem, ejusdem Basilicæ codicibus recitatur; ubi & ad verbum Collectæ inseruntur, quæ in eadem supplicatione, cum isthæc perageretur, devote interim recitari mos erat, quas hic, ut pii studiosique lectoris curiositati pariter, ac pietati consulatur, recensere operæ pretium duximus. Sunt autem hujuscemodi.

Bibl. in Theod. Bened. 2. Adr. 1. Leon. 4. Greg. 4. Supplicum agmen, ac iter in Litaniis, ut aiunt, majoribus. Bibl. in S. Leon. Pap. 3.

VII. Kalendas Maii Litania Major
AD S. LAURENTIUM
ORATIO AD COLLECTAM.

Mentem familiæ tuæ quæsumus, Domine, intercedente

Preces in supplicatio-

nibus Litaniæ Majoris. *dente B. Laurentio martyre tuo, & munere compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. Per Dominum, &c.*

AD S. VALENTINUM.

Deus, qui culpas delinquentium districte feriendo percutis; fletum quoque lugentium non recuses: ut qui pondus tuæ animadversionis cognovimus, etiam pietatis gratiam sentiamus. Per Dominum, &c.

JUXTA PONTEM MILVIUM.

Parce Domine, parce populo tuo: ut nullis jam patiaris adversitatibus fatigari, quos pretioso sanguine Filii tui redemisti. Per eundem Dominum, &c.

AD CRUCEM DOMINICAM.

Deus, qui culpas nostras piis verberibus percutis, ut nos à nostris iniquitatibus emundes: da nobis & de verbere tuo proficere, & de tua citius consolatione gaudere. Per Dominum, &c.

IN ATRIO S. PETRI.

Adesto Domine supplicationibus nostris: & sperantes in tua misericordia, intercedente Beato Petro Apostolo tuo, cælesti protege benignus auxilio. Per Dominum nostrum, &c.

3 Et merito quidem jure pius, ac religiosus Ecclesiæ Beati mart. Valentini, ac venerandi ejusdem Cœmeterii cultus ac nominis ejusdem celebritas ex denominatione convinci utique palam potest, quam Flaminia primaria inter cæteras Urbis Romanæ portas secum olim traxerat, quæ & S. Valentini, ut supra jam diximus, aliquando nomen obtinuit. (Porta S. Valentini.) Sic enim eandem Willelmus Malmesburiensis appellat, dum portas Urbis his plane verbis recenset: (*Will. Malmesb.*) *Secunda porta Flaminia, quæ modo appellatur sancti Valentini, & Flaminia Via cum ad pontem Milvium pervenit, vocatur Via Ravenniana, quæ ad Ravennam ducit. Ibi in primo milliario foris sanctus Valentinus requiescit.* (Ecclesia & corpus S. Valentini. Abbatiæ Urbis.) Demum hæc eadem Ecclesia Abbatiæ olim titulo decorata est, & inter cæteras Urbis Abbatias à Petro Manlio his verbis recensetur: (*Petr. Manl.*) *Extra Urbem Via Flaminia est Abbatia sancti Valentini.* Qua pariter ratione in pervetusto Basilicæ sancti Petri Rituali legitur: *Abbatia S. Valentini juxta pontem.* Nunc vero eadem, ut videre est, Ecclesia ruinis obruta, ac penitus inculta jacet: ejus tamen memoria, uti & ipsius pariter Cœmeterii, ut infra enarrando videbimus, haud omnino inolevit. Sed his interim prælibatis, ad recolendam martyrum, qui hanc potissimum Viam sanguine illustrarunt, memoriam nunc, quæso lector, orationis stylum convertamus.

CAP. XL.

De Martyribus, qui Via Flaminia, & Clodia coronati, aut certe sepulti sunt.

1 PRæter beatissimum Christi martyrem Valentinum, cujus condignam hucusque memoriam recoluimus, Flaminia quoque Via decimo ab Urbe lapide Abundius presbyter, Abundantius diaconus, Marcianus & Joannes ejus filius, martyrium pro Christo subiere: (SS. Abundius, Abundantius, Marcianus, & Joannes.) de quibus isthæc Romano in Martyrologio XVI. Kalend. Octobris recensentur: *Romæ Via Flaminia sanctorum martyrum Abundii presbyteri, & Abundantii diaconi, quos Diocletianus Imperator unà cum Marciano viro illustri, & Joanne ejus filio, quem à mortuis suscitaverat, decimo ab Urbe lapide gladio feriri jussit.* (Rom. Mart. 16. Kal. Oct.) Hoc ipsum eorumdem in actis legitur, in quibus præterea subditur veneranda eorum corpora à piissima Theodora matrona in suo prædio XXVIII. ab Urbe milliario tumulata fuisse. (Prædium Theodoræ matronæ.) Sed ipsamet hic actuum verba excipiamus: (*Act. SS. Abun. & Abund.*) *Eadem vero nocte venit Theodora matrona cum pueris suis, & posuit eos in vehiculo suo, & deportavit eos in prædium suum milliario ab Urbe vigesimo octavo: & ibi eos aromatibus & linteaminibus honoravit, & sepelivit in pace.*

2 Porro hujusmodi eadem prædium Via Flaminia juxta montem Soractem, eo potissimum loco extabat, ubi nunc *Regnani* oppidum situm est; (Mons Soractes. Regnanum.) in eorundem quippe honorem Ecclesia erecta cernitur; ubi ipsa insuper Theodora, digno martyribus meritorum consortio juncta pari quoque honore condita est: (Ecclesia SS. Abundii, & Abundantii S. Theodoræ.) cujus pariter in Martyrologio Romano XV. Kalend. Octobr. his quidem verbis mentio fit: *Romæ Sanctæ Theodoræ matronæ, quæ in persecutione Diocletiani sanctis Martyribus sedulo ministrabat.* (*Mart. Rom. 15. Kal. Octob.*) Singula vero hæc beatorum corpora sub Othone Tertio Imperatore inventa, idem piissimus Imperator in Urbem transferri, & in Ecclesia, quam ipse in honorem Beati Adalberti Tyberina in insula erexerat, & nunc Sancti Bartholomæi nuncupatur, reponi jussit: (Inventio corporum SS. Abundii, Abundantii, & sociorum. Translatio eorundem. Ecclesia S. Bartholomæi.) præter veneranda martyrum Marciani & Joannis corpora, quæ in Faliscos ad Castellanam Civitatem translata fuere. Cujus quidem translationis historia prolixe in M. S. eorundem Actis Codicis Ecclesiæ Castellanæ, verbis istis exponitur: (*Act. M.S. SS. Marc. & Io.*) *Tunc cœpit inquirere*, Otho Imper. scilicet, *corpora Sanctorum Martyrum, & præcepit, ut ubicunque inventa fuissent, ad Ecclesiam S. Adalberti deportarentur. Et nuntiatum est illi, quod in Ecclesia beatorum Abundii & Abundantii Martyrum; quæ est juxta montem Soractis, erant plura Sanctorum Martyrum corpora. Qui misit suos nuncios Episcopos, & clericos & monachos, ut cum omni honore & diligentia & hymnis Dei ad Ecclesiam beati Abalberti ea deferrent. Qui protinus abierunt, & cœperunt inquirere, ubi essent tumuli eorum. Et invenerunt in uno tumulo corpora beatorum Abundii & Abundantii posita; & in alio corpus B. Theodoræ, quæ in prædio suo ea sepelierat. Invenerunt etiam inter eos Sanctos Martyres, qui habebant inauratas vestes, & mire exornatas, & super altare eorum mensam sculptam & nimis decoratam: & deportata sunt omnia secundum jussum Imperatoris ad Ecclesiam B. Adalberti Martyris. Tunc Episcopus, qui præerat Sanctæ Castellanæ Ecclesiæ, Crescentianus nomine, post sanctorum prædictorum Martyrum corpora deportata, cœpit tristis esse & plorare; & accedens ad locum eundem, cœpit quærere diligenter, & amplius inferius fodi fecit, si ibidem remansissent aliqua corpora sanctorum, quæ sibi consolationem præbuissent: quod nutu Dei factum est, & inventa ibi corpora beatorum Martyrum Marciani & Ioannis filii ejus; quos B. Abundius presbyter & Martyr baptizaverat, & cum magno honore & reverentia, collectis clericis ad civitatem Castellanam ipsa corpora cum lætitia deportavit.* (Translatio corporum SS. Marciani & Ioannis ad Civitatem Castellanam.) Hæc ibi. Videas ex his suspiciendam eorum martyrum gloriam, ac jugiter in Ecclesia eorundem sacrorum ossium translatione pariter, ac veneratione vigentem, quin & ipsorummet Imperatorum manus iisdem excipiendis fovendis, recondendisque

intra

intra tumulum ambitioso utique ministerio deservientes.

Translatio corporum SS. Abundii, & Abundantii. Alia eorundem translatio.

3 Porro sacra beatorum Marciani & Joannis pignora religiose adhuc Castellanam apud Ecclesiam servantur: corpora vero sanctorum Abundii & Abundantii ex templo, quod Sancto Adalberto dicatum fuerat, ad Sanctorum Cosmæ & Damiani Ecclesiam in foro postmodum delata fuere: inde vero anno redempti orbis quingentesimo octuagesimo tertio supra millesimum die 15. Octobris, solemni ritu, ac pompa in Farnesianum Societatis Iesu Templum rursum translata, ibidem, quo par est, religionis cultu asservantur: ac recolenda interim hujus translationis historia à P. Fulvio Cardulo cum ipsismet beatorum eorumdem Martyrum Actis edita in lucem prodiit.

Fulv. Cardul. in Actis SS. Abund. & Abundan.

Templum Romæ Nomini Iesu sacrum sanctorum reliquiis ditatum.

4 At quoniam de beatorum Martyrum corporibus, quæ in Farnesiano Societatis Iesu Templo, condigno venerationis cultu, asservantur, hic mentio incurrit, haud obiter silentio præterire visum est, augustissimum Templum præ cæteris Sanctorum reliquiis, & insuper S. Ignatii Loyolæ Societatis ejusdem Fundatoris venerandis utique exuviis conspicuum reddi. Sanctissimus quippe vir, cum permultos Romæ annos procurandæ proximorum saluti, promovendo Christianæ Religionis cultui, & Dei gloriæ amplificandæ totus jugiter institisset, à Deo tandem ad laborum præmia feliciter evocatus, Romæ decessit: illic videlicet, ubi de superno sibi, ac suis adfuturo auxilio jam primum, cum de instituenda Societate, ac Sodalitio aggregando cogitasset, antequam pedem ipsam intra Urbem inferret, & vix oculis à longe salutasset, dum inter ambulandum appropinquaret, divinitus illis plane verbis oraculum acceperat: *Ego vobis Romæ propitius ero. Effectus postmodum* (ut Augustini verbis utar) *probavit virtutem*; rebusque ex voto succedentibus, exhibitum è cælo oraculum comprobatum est.

S. Ignatius Loyola.

S. Ignatio Romam adeunti Dominus occurrit, & auxilium spondet. In vit. S. Ign. Aug. in Ps.

5 Nam ubi primum Societatis Iesu intra Romanorum Arces vexillum, Apostolicæ Sedis auctoritate suffultus, vir plane divinus invexit, & socios quamplures per totum mox terrarum orbem ad jacienda Euangelicæ prædicationis semina, & bellum tartareis legionibus inferendum, transmittendos novæ militiæ adscivit, sub præconceptis divinissimi nominis Iesu auspiciis cuncta prospera, fausta cuncta persensit. Alumni enim, qui sub tutelari ejus vexillo in Societate ab Ignatio instituta, sanctissimisque tum moribus, tum legibus exculta, militant, divino votis Numine adspirante, interlapso jam seculo, toti in proximorum salute verbo, ac opere perpetuo incumbentes, majora indies (ut videre est) incrementa accipiunt, atque ingenti bonorum operum cumulo, ac miro virtutum exemplo in Urbe præfulgent, ita ut qui rem tacitus serio expendit, illud merito pronunciaverit: *Isti sunt semen, cui benedixit Dominus*: & mente ad ipsamet initia recurrens, benedictionis gratiam in filios à parente cælitus corrivatam fuisse affirmare non dubitaverit, *qui majorem Dei gloriam in ore semper habuerat, semper in omnibus quæsierat*, ut de ipso Romani Breviarii tabulæ perhibent. Quippe in Ignatio conspicuæ sanctitatis Urbs, & Orbis pariter universus mirifice adimpletum vidit, & non vehementer admirari non potuit, quod Deus aliquando in sacrarum Scripturarum paginis contestando prædixerat: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me; erunt ignobiles.* Ita plane vir iste, qui pro Christo inglorius inter homines degere, & in Ecclesiæ castris militare concupierat: vir, inquam, iste, qui Dei dumtaxat, non hominum gloriam ambitioso mentis proposito exquisierat, gloriam vel inter homines à Deo pro mercede amplissimam obtinuit, juxta id, quod Propheta canit: *Gloria, & honore coronasti eum, Domine.* Quinimmo & ipsismet Sanctorum splendoribus, ut magis innotesceret, adhuc vivens illustratus est. Porro quam magnum gloriæ cumulum vir iste, quem adhuc mortalem *similem fecit Deus in gloria Sanctorum*, in Cælo adeptus fuisse dicendus est; è cujus vultu, cum adhuc in terris degeret, veluti è Moysis facie uberrimi splendoris radii emicabant. Quapropter S. Philippus Nerius nostræ Congreg. Oratorii Fundator internam Ignatii pulchritudinem, ac mirum animi decorem, erumpentibus ultro è vultu splendoribus, speculator haud semel, & testis pariter cælestis viri gloriæ factus, oculis delibare, ac digito mortalibus præmonstrare meruit. Sed mortuus, nedum vivus inter homines Ignatius majora gloriæ incrementa persensit. Nobili quippe sepulchro, ac regio plus quam Mausoleo, quod pretiosis lapillis, ære, atque auro, miro artis studio compactum est, sacrum ejusdem corpus illatum, totius Urbis veneratione colitur, & condigno sepulchrali titulo decoratur, cum sacrum beatissimi viri caput argento, quod ejus effigiem exhibet, inclusum, ac gemmarum monilibus splendide circumdatum, fidelium oculis suspiciendum, ac venerandum proponatur.

Societas mox incrementa, cum summa prosperitate experitur.

Ps. 111. 9.

Brev. Rom. in fest. S. Ignatii.

S. Ignatius à Deo adeo in filiis auctus, tantum Deo honorem pro meruit?

1. Reg. c. 3. 30.

Psal. 8.

Eccl. c. 45.

Ignatii in mortali adhuc corpore vultus splendet.

Sepulchrum S. Ignatii.

Templum Romæ magnificentissimum in honorem S. Ignatii Deo dicatum.

6. Nec demum silentio obvolvendum hic est, ubi opportuna tanti viri mentio recurrit, magnificentissimum in Urbe ejus nomini Templum juxta Collegium Romanum Societatis Iesu, ubi litteris, ac bonis moribus adolescentes instruuntur, à Ludovico Card. Ludovisio S. R. E. Vicecancellario erectum, dicatumque fuisse, cujus sacræ dedicationis encænia, post viginti & quatuor annos, quibus Templum exædificatum est, hoc Iubilæi anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo recurrente ingenti Urbis plausu, magno populi concursu, Purpuratorum denique Patrum, & ipsiusmet Innocentii X. Pont. Max. præsentia, dum octava festivæ solemnitatis dies recurreret, celebrata sunt. Templi autem facies, ut Ignatii gloriam intuentium jugiter oculis ingerat, his notis insculpta est.

S. IGNATIO LOYOLÆ
SOCIETATIS IESU FUNDATORI,
LUDOVICUS CARDINALIS LUDOVISIUS
S.R.E. VICECANCEL.
ANNO DOMINI MDCXXVI.

Prov. 10. & 17. 6.

7. Porro quoniam *Filius sapiens lætificat patrem, & corona senum filii filiorum sunt.* ut Scriptura loquitur; Ignatii gloria, sanctissimi viri Francisci Xaverii Indiarum Apostoli, meritissimi ejusdem filii meritis, & consortio augetur, & Farnesianum itidem Templum binis hisce luminibus apprime illustratur: conspicuum enim ibi sacratissimæ manus pignus, quod ab Oriente transmissum est, condigno honore asservatur. Et congrue quidem huc orientalium Christianorum dux, atque Apostolus victor tandem remeavit, qui quondam ex Urbe Paulo III. Summo Pontifice annuente, & ipsomet Ignatio in primis adnitente, Sedis Apostolicæ Nuncius, Euangelii falcem in vastissimos, extremosque orientalis plagæ sinus illaturus, ab ipsismet Ecclesiæ Romanæ arcibus prodierat, & manu, quam vel semel aratro admoverat, haud umquam avulsa, uberrimos spicarum

S. Franciscus Xaverius.

rum

rum manipulos revehendo regreditur: *unde enim*
Eccl. 1. v. 7.
exeunt flumina illuc revertuntur. Franciscus igitur ad primævum fontem, hoc est ad Ignatii parentis sinum, ad Societatis ubera redire gestiens, etsi corpore in oriente perstitit, attamen inimicorum spoliis, ac palmis onustus Urbem amicam convenire, salutare, & tandem amice complecti voluit: *Vir*
Prov. 21. v. 28.
enim obediens loquetur victorias, ut sic quodammodo orbem pede, quem velociter excurrerat, manu Urbem, quam unice dilexerat, fovere videatur.

Sacra Xaverii manus ex Indiis in Urbem delata in Farnesiano Templo colitur.

8 Divino igitur plane consilio, Apostolici viri manus, à corpore quantumvis recisa, recens tamen, ac vivida, piis laboribus singulariter exculta, ac triumphalibus palmis apprime cumulata ab extremis Indiarum regionibus in Urbem deferri meruit, ut velut ingens totius terrarum orbis miraculum in Urbe, quæ Religionis caput est, recolenda jugiter manus hæc ab omnibus suspiciatur, quæ tot passim ubique portenta divinitus patravit, quæ tot hominum millia Christo peperit, & sacri baptismatis fonte abluit, quæ Idololatriam, & fidei hostes subegit, que tactu, ac nutu duntaxat innumeros morbos fugavit, tot ad vitam mortuos revocavit, & omnimodum tum vitæ, tum mortis imperium obtinuit, ac jugi ubique animi studio in Dei excolenda vinea ita elaboravit, ut quod Paulo,
1. ad Cor. 15. 10.
id & Francisco jure merito consonet: *Abundantius omnibus laboravi*: merito, inquam, manus hæc, Sampsonis manui longe anteferenda, ad nos in Urbem spoliis onusta remeavit, apud Romanum videlicet Capitolium in Farnesiano Templo, nobili velut theatro meritis provehenda triumphis & condignam jugibus athletæ Xaverii, sudoribus palmam pro exantlatis in Oriente laboribus receptura, quæ ob Christi amorem, & martyrii, quo tenebatur, desiderium, cum Apostolo enim Apostolicus vir
2. ad Cor. 5.
clamabat jugiter: *Charitas Christi urget nos*; haud semel, inquam, sed toties animam in manu sua
Psal. 118.
posuit, juxta illud: *Anima mea in manibus meis semper*, & perennem jam in cælo coronam consecuta est. O dignum plane Francisci de Christiana Republica optime meriti, quo haud ullus par est, triumphum, quem Roma tandem vel longa post secula videre promeruit, hominem videlicet vel post mortem de hostibus obtruncata jam manu triumphantem: hic enim unus alter veluti Sampson multo *plu-*
Iud. c. 16. 31.
res interfecit moriens, *quam ante vivus* subegit. Verum quoniam Seraphici, invictique hominis exuvias, quas ipso Indiarum auro, ac gemmis longe pretiosiores apud Goam deponi contigit, Urbs Roma non obtinet, ejus saltem Sacerdotalem manum, nobile veluti laborum, ac præliorum pro Christiana fide instrumentum, ac indicem pariter se possidere congaudet. Defixis igitur manum hanc triumphalem oculis suspiciamus, ac fixis eandem devotionis ergo osculis venerantes, plaudentesque manibus complectamur, atque in ejusdem obsequium perenne nunc cælestis viri meritis monimentum, ac titulum erigentes, carmina, quæ olim Marthæ Marchinæ virginis Parthenopensis ore decantata sunt, nostris hisce Subterraneæ Romæ paginis inscribentes, aræ, quæ intra Farnesiani Templi Sanctuarium Francisco dicata est, venerabundi quodammodo suspendentes affigere volumus:

Corpus sancti Francisci Xaverii apud Goam quiescit.

Marthæ Marchinæ carmina in Manum Xaverii.

Quem procul à nostris Neptunus dividit oris,
Ecce triumphato dextera ab orbe redit.
Et quæ tot Christo populos, tot Regna subegit,
Terrarum Domina regnet in Urbe manus.
Hæc eadem qualis medio apparebit Olympo
Dextera, Xaverius cum premet astra pede.

Et hæc interim sunt, amice lector, quæ vel obiter in binorum luminum gloriam, quibus postremo hoc seculo Hispania, Urbs Roma, ac Ecclesia pariter illustris reddita est, propinare voluimus:

Via Claudia.

9 Ut autem ad rei nostræ propositum, à quo paululum digressi sumus, consulto nunc redeamus, illud hoc loco jam enarratis adjiciendum est, Claudia videlicet, seu Clodia Via haud ullius Cœmeterii memoriam extare. Beatus autem Alexander Episcopus martyrio ibidem sub Antonino Imperatore coronatus fuisse legitur: cujus corpus à Sancto Damaso Papa in Urbem translatum fuit, ut ex Romano Martyrologio constat XI. Kal. Oct. & ex ejusdem Actis apud Petrum in Catal. lib. 8. cap. 102. recensitis, & ex Adonis item Martyrol. ipsamet die, ubi & sepulturæ locus his verbis describitur: *Sanctus autem Crescentianus, & hi, qui cum illo erant, revelante Martyre, tulerunt cunctas reliquias ejus, & sepelierunt in loco, ubi fornacis ignem extinxerat: & posuit suprascriptum marmor continens:*

Translatio corporis S. Alexandri Episcopi. *Rom. Mart. 11. Kal. Octob. Petr. in Catal. l. 8. c. 102. Ado in Mart.*

Hic requiescit Sanctus & venerabilis Martyr Alexander.

Hujus depositio celebratur XI. Kal. octobris. Cui Papa Damasus cryptam condignam faciens, illic eum VI. Kalend. Decembr. transposuit, quando & festivitatem ei dicavit. Hæc apud Adonem. Nobile quoque martyrium Via Claudia vigesimo octavo ab Urbe Roma milliario, haud procul à Lacu Sabatino, sanctus Marcianus presbyter unà cum Macario exorcista, & Stratoclino lectore sub Maximiano Imperat. perpessus est, ut ex M.SS. Marciani Actis in Vat. Bibliot. constat, ubi hæc inter alia leguntur: *Tunc vicarius Protogenus veniens secundum præceptum ad lacum, qui dicitur Sabbatinus, jussit in thermas aquarum sacrificia offerri, & sacrificavit in eisdem thermis.* Et mox hæc adduntur: *Tunc Silvinus ex magistratu cucurrit, & tenuit Marcianum presbyterum cum Macario exorcista, & Stratoclino lectore, quos vinctos adduxit ad Protogenem vicarium in Foro Cludi, & obtulit eos in conspectu civium.* Et hæc ibidem sub finem enarrantur: *Tunc iratus Cornelius, jussit eos duci in quondam arenarium, & ibi eum cum duobus, capitis subire fecit sententiam. Qui vero decollati sunt subter milliario firmo, sub die IV. Nonas Ianuarias. Quorum corpora collegit quidam ex familia Protogenis, nomine Narcissus, & sepelivit in eadem crypta ab Urbe milliario vigesimo octavo, ubi florent orationes Sanctorum in Via Claudia usque in hodiernum diem.* Hæc ex recensitis pridem Actis, quorum indicium, ac recolendæ item antiquitatis notitiam, quam tenes, acceptam utique studiose lector, referre debes doctissimo viro, rerumque historicarum peritissimo Lucæ Holstenio Vaticanæ Basilicæ Canonico: ex cujus insuper relatione paulo ultra Braccianum ipsamet Via Clodia, Beati Marciani videlicet Ecclesiam adhuc extare, & magna quotannis populi devotione solemni ritu frequentari didicimus: eademque in Ecclesia arenarios adhuc aditus existere, in quibus condita Sanctorum corpora quiescunt, licet hi nunc aditus occlusi penitus, atque obserati adeuntibus sint. Ut idem præterea nobis apertis assertionem hanc argumentis comprobando retulit, thermæ, quarum Acta meminere, vulgari nunc, corruptoque vocabulo *Balnea Vicarelli*,

Mart. 11. Kal. Octob.

Lacus Sabatinus.

SS. Marcianus & Macarius. *M.S. Cod. Vat.*

Ecclesia S. Marciani Via Clodia.

Vicarelli, sive Vici Aurelii, appellantur; quo potissimum loco spectatissimæ quondam villæ Veri Imperatoris vestigia ingentis quidem magnitudinis conspiciuntur. Forum autem Cludi, sive Clodii uno duntaxat milliario ultra memoratam Sancti Marciani Ecclesiam situm fuisse, eo plane loco, ubi nunc vicus est, qui vulgo dicitur *Oriolo*, quæ prolixiori sermone Holstenius suggeret, atque explicabit opere illo, quod de Romanis Viis, ac de Suburbicarii agri antiquitatibus pro manu habet, studioso lectori (ut credimus) palam demonstrabunt.

10 Claudia item Via (de qua nunc sermo nobis est) sexagesimo ab Urbe lapide beatum Flavianum nobilissimum Sanctæ Dafrosæ virum, & dignissimum Demetriæ & Bibianæ virginum parentem primariæ inter Romanos nobilitatis, in exilium asportatum fuisse, ibique fundendis Deo precibus intensius insistentem feliciter in Christo obdormisse, beatæ ejusdem Bibianæ virginis ac Martyris Acta his quidem verbis testantur: *Tunc Iulianus Imperator inscriptione Flavianum damnari præcepit, & omnes facultates ejus fisco dari jussit: ipsum verò Flavianum ad Aquas Taurinas milliario sexagesimo ab Urbe Roma, Via Claudia, in exilio deportari præcepit. Qui triduo postquam directus in exilium, in oratione permanens, jejunans & plorans, atque Dominum Iesum Christum exorans, cum nimia lamentatione Dominum deprecans, tunc obdormivit in Domino x 1. Kalend. Ianuarii.* Hæc ibi in Actis. Extat adhuc juxta Faliscum montem venerandi hujus loci memoria, ubi sanctus Flavianus multiplicibus quidem ærumnis consumptus vita decessit; ad ejusdemque montis radices, ipsa Via Claudia, quæ ducit Pyrgum, Urbem scilicet veterem, Ecclesia in ipsius viri beatissimi honorem erecta ad hanc usque diem visitur, sub cujus altari pretiosum ejusdem corpus conditum olim fuisse recepta apud incolas traditio fert. Sacrum autem, venerandumque dignissimi Martyris caput in cathedrali montis Faliscorum Ecclesia religioso, ut par est, cultu asservatur.

11 Quoniam verò Flavianus nobilissimus martyr sub Imperatore Juliano recensetur, & opportuna hic mentio de martyribus, qui sub Iuliano Apostata coronati sunt, incurrit, repetendum nobis est, qua potissimum ratione id obtigerit, cum nulla recens, ac edictis obfirmata sub Juliano adversus Ecclesiam extiterit persecutio. Sed ut diserte Baronius in suis Annalibus asserit, longe dispar hæc persecutio ab aliis per alios Imperatores illatis extitit, cum illi Christianitate vetita, adversus ejus cultores edicta sancirent, ac promulgarent, quibus fideles omnes Diis sacra facere acerbissimis pœnis impellerentur, Julianus autem, ut ex ejus litteris satis exploratum habetur, gentilium colendi Deos vim nemini adhibendam esse putavit, nec invitum quemquam Christianæ fidei desertorem fieri cogebat. Quamobrem nec reliquas inter persecutiones hanc recensendam esse, complures merito existimarunt: at verò S. Augustinus contrarium plane sentit, cum ait: *Deinde quid respondent etiam de Iuliano, quem non numerant inter decem?* (persecutores scilicet) *An ipse non est Ecclesiam persecutus, qui Christianos liberales litteras docere & discere vetuit? Sub quo Valentinianus major, qui post eum tertius Imperator fuit, fidei Christianæ confessor extitit, militiaque privatus est: ut omittam, quæ apud Antiochiam facere cœperat, nisi unius fidelissimi & constantissimi juvenis, qui, multis, ut torquerentur, apprehensis, per totum diem primus est tortus, inter ungulas, cruciatusque psallentis libertatem, atque hilaritatem miratus exhorruisset, & in cæteris deformius erubescere timuisset.* Hæc S. Augustinus de quibus suo loco uberius in Annalibus apud Baronium. Cæterum quod non exerto palam gladio, ut Baronius ait, persecutio, ut priores illæ, quas supra memoravimus, grassaretur, inde fortasse evenit, ut S. Ioannes Chrysostomus in pace Ecclesiæ martyres illos passos esse pronuntiet, qui Iuliani tempore fidei causa necati sunt, ut cum agens de Iuventino, & Maximo sub eodem Imperatore martyribus, hæc præfatur: *Hi enim tanto amore Dei flagrabant, ut etiam extra persecutionis tempus, corona Martyrii redimiti fuerint, absque pugna triumphum retulerint, absque prælio victoria potiti sint, absque theatri certamine bravium rapuerint. Et quomodo hoc? ego dicam, sed forte rem paulo altius enarrabo. Erat Rex quidam etiam nostro ævo omnes, qui se præcesserunt, impietate vincens: de quo & heri à me dictum, qui cum videret res nostras martyrum morte clariores fieri, & ea causa non solum viros, sed & teneros pueros, virginesque nondum nubiles, & in summa ex omni sexu, & ætate quosdam pro religione ad mortem prosilire, cruciabatur, & dolebat. Cæterum movere bellum manifeste nolebat: omnes enim, dicebat, ad martyrium quasi ad alvearium apes volabunt. Hæc autem non à semetipso habebat, sed à progenitoribus suis didicerat. Etenim & illi, utpote tyranni, Ecclesiam infestarunt, & populi quoque in nos insurrexerunt, cum adhuc parva religionis scintilla esset: eam tamen non expugnarunt, neque confregerunt, sed ipsi potius confracti sunt. Augebatur quotidie scintilla hæc, ferebaturque in sublime, & omnem undique Orbem invadebat. Cum occiderentur, adurerentur, suspenderentur, præcipitarentur, bestiis objicerentur fideles, carbones, sicut lutum calcabant, mare & flatus sicut pratum intuebantur, ad gladium sicut ad diadema, & coronam currebant, omniaque tormentorum genera ita contemnebant, ut ea non solum generose, & fortiter ferrent, sed & alacriter, & volupe. Enimvero sicut palmæ rigatæ magis crescunt, ita & fides nostra oppugnata magis floret, & seditione agitata, incrementa majora sumit, neque horti aquis irrigati ita germinant & fœcundi sunt, ut Ecclesia, si martyrum irrigetur sanguine. Hæc enim atque plura cum Rex ille sciret, meticulosior erat, quam ut manifeste cum nobis confligeret.* Hæc ad rem Chrysostomus, quibus enarratis, novam indicendi belli, ac persecutionis adversus Christianos excitandæ, necnon exercendæ carnificinæ rationem, quam malis artibus improbus Iulianus secum meditatus est, his verbis acute perstringit: *Non*, inquit, *triumphos, & victorias & coronas mutuo parabimus, sed quid facit? Vide oro malignitatem. Medicos & milites, & oratores omnes, vel à professionibus suis discedere, vel fidem suam abjurare jubet; excitavitque in hunc modum contra nostros bellum, tela eminus mittens: ut si à fide desisterent, ridicule vincerentur, utpote qui fidem opibus non præferrent: sin generose perseverarent, & vincerent, neque sic egregia foret victoria, neque insignis triumphus: nihil enim magnum, artem vel professionem proprietate contemnere. Neque is sævitiæ ejus finis erat. Nam adhæc si quis superioribus annis, cum adhuc pii reges rerum potirentur, vel altaria demolitus fuisset, vel templa suffodisset, vel oblationes diripuisset, vel aliud tale quiddam egisset, rapiebatur ad tribunal, & occidebatur etiam insons,*

Marginalia (left): [Ecc]lesia Vi[ci] [Au]relii. — [F]orum Clo[d]ii. — Vicus Oriolo vulgo dictus. — [S]. Flavianus. — [C]od. Vat. 7. [S]. Petr. E[t] Mar. ad [Ac]tar. S. Cæc. — Mons Faliscorum. — Ecclesia S. [F]lavian. — Quæ ac [q]ualis contra Ecclesiam persecutio sub Iuliano Apost. fuerit. — [B]aron. t. 4. [a]n. 362. [n.] 12. — [A]ug. l. 18. de civ. Dei. [c.] 52. [I]ulianus [p]ersecutor Ecclesiæ [ac]errimus.

Marginalia (right): Chrys. ser. de S. Iuven. & Max. — Cur Ecclesiæ bellum aperte Julianus non intulerit? — Quis Ecclesiam persequendi modus à Juliano servatus. — S. Chrys. ser. de SS. Iuven. & Max.

insons, & dumtaxat delatus. Fingebat quoque & alias varias causas, ita ut pie viventium nemo non lugeret. Agebat autem hæc, ut obscuraretur, contemptaque esset martyrii corona, et nihilominus cædes, et strages fierent. Audisti lector descriptam non tam calamo, quam ferro, ac vivis in tabula coloribus à Chryſ. adumbratam Julianæ, seu Jodolianæ persecutionis funestissimam plane faciem, ac sævitiam, qua tunc Christi Ecclesiam perurgeri, tentari, concuti, ac probari contigit: quapropter haud mirandum, si Ecclesiasticæ Tabulæ martyres sub hoc pessimo principe, utpote Christianis infensissimo, coronatos perlegat.

Artes Juliani Apostatæ, quibus Ecclesia, quo occultius eo nocentius impetebat. *Bar. l. 4. an. 362. n. 24.*

12 Quasnam insuper technas teterrimus iste ac impius homo ad facessendum Christianis negotium excogitaverit, & occultis quasi cuniculis, omnes ingenii vires adhibens, suffodere ac convellere penitus Christi fidem, ac religionem conatus sit, Gregorius Nazianzenus, & ipse sui temporis res gestas exacte describens, summa fide, ac diligentia veridicus testis enarrat, ac inprimis de ejus animi consilio, cur videlicet haud palam, ut alii gentiles Imperatores, sed clandestine, ac dolose egerit, utpote invidens illis martyrii coronam, in eandem cum Chrysostomo sententiam apte locutus, hæc addit: *Turpiter autem, & ignave pietatem vexat, animique fraudes, & versutias persecutioni, quam adversus nos excitabat, inducit. Quocirca cum potentia in persuasionem, & coactionem divisa sit, ita se comparavit, ut quod inhumanius erat, omnium vim, atque tyrannidem populari turbæ, civitatibusque permitteret, ut quarum vesana audacia intolerabilior sit, propter temerarios animi motus, atque præcipites ad omnia impetus, idque nequaquam publico edicto, verum ex eo, quod impetum, audaciamque minime reprimebat, velut proposita quadam lege conscripta, se id velle promulgans. Quod vero lenius, atque humanius erat, magisque Imperatorem decebat, id sibi videlicet assumit, nempe suadendi, atque illiciendi partes, nec tamen id quidem usquequaque retinuit, &c.* Et paulo infra de subdola hominis vafricie, & obtecta, simulataque sæviendi ratione isthæc enarrat: *Verum quemadmodum Chamæleontem aiunt, in quidvis facile mutari, atque omnes subinde colores, candore uno excepto, suscipere (fabulosum enim illum Protheum Ægyptium sophistam prætereo) sic etiam ille Christianitatis præter clementiam, in quidvis se vertebat, ac perquam crudelis erat ipsius lenitas, & violenta persuasio: atque hujusmodi benignitate, acerbitati, crudelitatique suæ excusationem quærebat, ut non sine causa vim afferre videretur, cum blandiendo, & alliciendo nihil profecisset. Idque ex eo perspicuum, quod non multum suasione utebatur, sed plus violentiæ confestim sequebatur: ac quemadmodum in venatione, aut laqueis, aut persecutionibus caperemur, atque alterutro omnino modo nos in potestatem redigeret.* Hæc Gregorius de intentata sub Juliano Christianis persecutione: quo plane sæviendi genere primo domesticos exagitatos ab eodem fuisse affirmat, cæteros verò alliciendo, fortiter reluctantes mactando, alios expellendo: quo in certamine Cæsarium ejusdem Gregorii germanum primas tulisse constat: alios aliis coloribus ad sæviendum quæsitis, domo exactos, cum hunc in modum, ut ipse putabat, Regiam, Gregorio attestante, expurgasset.

Nazian. orat. 1. in Julian.

Subdola Juliani indoles ac mira vafrities.

Helpidius Præfectus Prætorii

13 Tunc autem potissimum temporis Helpidium insignis nominis Christianum (ut Baronius asserit) quem superiore anno Constantius Imperator ob egregiam, spectatamque hominis virtutem præfectura Prætorii decorarat: hunc verò cum in his, quæ religionis sunt, constantissimum comperisset, præfectura exutum in ordinem redegit, postea verò alia occasione quæsita, ut Imperii Romani perduellem, dire necandum præcepit. Porro ipsius & sociorum martyrum, tum apud Græcos, tum apud Latinos in Ecclesiasticis monumentis hoc nobili titulo consignatum est: *Sexto decimo Kalendas Decembris natalis sanctorum Martyr. Helpidii, Marcelli, Eustachii, & sociorum: ex quibus Helpidius cum esset ordinis Senatorii, & coram Iuliano Apostata Christianam fidem constantissime profiteretur, primum equis indomitis cum sociis alligatus, atque protractus, dein in ignem injectus, gloriosum martyrium consummavit.*

martyr, & socii.

Mart. Rom. 16. Kal. Dec.

14 Sed qua ratione bellum Christianis militibus Imp. indixerit, Gregorius his verbis enarrat: *Milites etiam partim per se, partim per eos, qui magistratibus fungebantur, allicit, quippe quos leviores magisque credulos arbitrabatur, alios honoribus capiens, alios animi simplicitate distrahens, nimirum eos, qui nullam aliam legem, quam principis voluntatem agnoscebant. Immo si rectius loquendum est, militum partem non minimam ad se pertraxit, & quotquot ex eis ægros, & labascentes invenit, temporisque, & tum & antea servos, quos partim subegerat, partim subacturum sperabat. Non enim omnes pertraxit, nec tantum ille adversus nos dedit, qui per eum persecutionem excitabat: verum plures septem hominum millibus reliqui fuerunt, qui non flexerunt genu coram Baal, nec auream imaginem adoraverunt, &c. multi scilicet, præfecturis, altissimisque dignitatibus ornati, quos minimum etiam minus fuisset, tum periculorum metu, tum bonorum spe cedere, & manus dare: multi etiam plebeji ordinis, & numero solo cogniti, quos cum adortus fuisset, non aliter repulsus est, quam levis quadam machina tormentaria à firmissimo muro. Cæterum eo erat animo, ut non magis angeretur propter eos, qui ipsi elabebantur, quam (utpote furore percitus) ob eos qui capiebantur, præsideret, voluntasque ipsa, id quod spe conceptum erat, quasi jam manu teneretur, repræsentabat.* Huc usque è Gregorio dira Juliani persecutione divexatam fuisse Ecclesiam satis liquet.

Quomodo milites Christianos pervertere studuerit Iulianus?

Greg. orat. 1. in Julian.

Greg. orat. 4. in Iulian.

15 Et quidem nobilissimos martyres sub eodem coronatos fuisse constat ex ipsis Ecclesiasticis tabulis, inter quos præcipui Romæ Joannes & Paulus adnumerantur, qui apud Constantiam Constantini filiam primis aulæ muneribus fungebantur, & sub tyranno Juliano honoribus, ac divitiis mulctati, clam domi interempti sunt, quorum memoria in Martyrologio Romano hoc nobili elogio die 25. Iunii illustratur: *Romæ in Monte Cælio SS. Mart. Ioannis, & Pauli fratrum, quorum primus erat Præpositus domus, secundus Primicerius Constantiæ filiæ Constantini Imperatoris, qui postea sub Iuliano Apostata martyrii palmam gladio cædente perceperunt.* Cæteros interim martyres, qui ubique terrarum passim ab impio homine, idololatriam ab inferis excitare conante, clam pro Christi fide interempti sunt, si quis nosse cupit, apud tabulas Ecclesiasticas descriptos perlegat, si tamen nomina, cum subdola, & clandestina esset persecutoris vis, descripta pro merito fuere.

Ioannes, & Paulus martyres.

Mart. Rom. die 25. Maj.

16 Recensendi autem sunt sub Iuliano Imperatore gloriosissimi martyres Gallicanus vir Consularis, & Flavianus ille, cujus mentio est, qui in exilium missus,

Mart. Rom. die 21. Dec.

missus, ibidemque ærumnis confectus decedens martyrii palmam accepit, cujus merita apud Martyrolog. Romanum his verbis celebrantur: *Romæ S. Flaviani expræfecti, qui sub Iuliano Apostata pro Christo inscriptione damnatus, & ad aquas Taurinas in exilium missus, &c.* Recensetur item Bibiana Virgo Rom. Demetria ejusdem soror, Dafrosa earundem mater, quæ tempore impii Juliani strenue pro fide decertarunt, & Bibianæ quidem mentio his verbis recurrit: *S. Bibianæ virginis, quæ sub Iuliano Imperat. sacrilego ob Christum tamdiu plumbatis cæsa est, donec redderet spiritum, &c. Romæ S. Demetriæ Virginis, quæ sub Iuliano Imperatore coronata est.* De Dafrosa sacrarum virginum parente in Breviario Romano mentio agitur in hæc plane verba: *Mater Dafrosa, & filiæ primum conclusæ domi, ut inedia conficerentur, mox relegata mater extra Urbem capite plexa est.* Et his, vel obiter enarratis, cum paulisper à Via Claudia pedem his intenti declinaverimus, nunc tandem ad eamdem viam pedem ac sermonem pariter convertimus.

S. Bibiana, & Dafrosa.

Mar. Rom. die 2. Dec.

die 27. Iunii.

Bre. Rom. die 2. Decemb.

17 Ipsamet insuper Via Claudia, ut martyrum exuvias, quibus illustris reddita est, recenseamus, Jacobi Intercisi, præstantissimi cæteros inter, Christi Martyris corpus depositum olim, quod è Perside, ubi sub Theodosio Imperatore strenue pro fide decertaverat, à Cyrillo quodam conspicuæ inter Romanos nobilitatis viro in Urbem delatum, ac suo in prædio juxta corpus beati Claudii fratris sui reconditum fuisse translationis ejusdem historia his plane verbis edocet: *Iacobus Intercisus, sic dictus, quod per omnes juncturas membrorum sectus fuerit, in Eleuza regione martyrio coronatus, jubente Rege tunc Persarum Arara, temporibus Honorii & Theodosii Romanorum Imperatorum: mirabilis in eo virtus, & constantia usque ad extremum. Erat autem Dominus adiutor ejus, pro quo militavit in vita. Et cum illis temporibus Romanorum dignitas religionis esset audita, contigit Cyrillum quendam ex nobilibus Romanis divino cultui mancipatum, auctoritate imperiali Bilapem civitatem adiisse, quæ est in regione Eleuza in Perside provincia; & exinde corpus Sancti Martyris repertum, Domino secundante, secum attulit; quod in proprio fundo recondidit, paucis scientibus, marmore imposito, & inciso literis indicantibus corpus ejus sepultum secus castellum Martinianum, prope lacum, qui Clodianus dicitur, juxta sepulturam beati Claudii fratris ejusdem.* Hæc in Actis. Porro Martinianum Castellum, cujus hic mentio incurrit, & Martinianus item lacus paulo ultra Baccanas, Cassiam juxta Viam, vel potius inter Cassiam & Claudiam, propius tamen Cassiam pertingendo existit.

S. Jacobus Intercisus.

Translatio corporis S. Jacobi Intercisi.

Histr. transl. Eccl. Bach. habetur in Arah. S. Pet. Ind. p. 305.

Lacus Clodianus.

18 Recolenda vero loci ejusdem memoria Nepesino in agro adhuc viget; ubi & hac nostra ætate ipsius S. Claudii Ecclesia suspicitur. Dignissimum vero invicti Martyris, ac multiplici martyriorum corona conspicui Jacobi corpus Bracham, Lusitaniæ urbem, à Mauritio Archiepiscopo Bracharensi translatum subinde fuit: ubi hodie in Archiepiscopali ipsius urbis Ecclesia ingenti populorum veneratione colitur. Ejusdem autem beatissimi capitis sincipur, apud Vaticanam Basilicam religioso, ut decet, inter cæteras sanctorum reliquias cultu asservatur. Cujus sane capitis identitas satis aperte anno Domini millesimo sexcentesimo comprobata est. Cum enim sacrum idem corpus in aliud ipsiusmet Ecclesiæ Archiepiscopalis sacellum solemni pompa transferretur, tunc venerandam capitis ejusdem partem, quam, Vaticana basilica obtinet, explorantibus qui spectaculo aderant ultro deesse innotuit. Et hæc interim de martyribus, quorum triumphis Flaminia, seu Clodia Via illustris redditur, lectori insinuasse voluimus.

Ecclesia S. Claudii

Translatio corporis S. Jacobi Intercisi.

CAP. XLI.

De Cœmeteriis à Bosio Via Flaminia inventis ac perlustratis.

1 Dum lynceus sacrarum antiquitatum explorator Bosius Flaminiam Viam, Cœmeteria si quæ ibi forte laterent, investigaturus frequenter terit, atque perlustrat, in villa Fratrum Eremitarum S. Augustini, quæ Via eadem sita est, dextrorsum quidem Milvium pontem respiciendo progrediens, nonnulla antiquissimæ Beati Valentini Ecclesiæ vestigia, perexiguas videlicet ejusdem parietinas offendit, quæ nunc ruinis omnino interceptæ subsidunt. Porro subest villa hæc monti, quem in antiquis quibusdam Tabulis villæ suæ Valentini nomine nuncupatum Bosius testatur: villa autem illa olim Bosii, nunc Abbatis Francisci & Laurentii fratrum de Rosa nobilium Parmensium in vertice ejusdem montis sita est; ad cujus radices scrobs quædam perscrutanti se obtulit, in quam ubi primum ille ingressus fuisset, Cœmeterialem, quam anxius perquirebat, semitam, longitudinis palmorum XVIII. latitudinis palmorum trium cum dimidio, adinvenit. Quæ quidem semita ad locum quendam deducit, parvæ cujusdam nimirum ædiculæ, vel certe Cubiculi formam præ se ferentem, qui longitudinis palmorum XVI. latitudinis palmorum XV. altitudinis VIII. mensuram exhibet. Tres ibi ad Cœmeterium aditus, quorum duos omnino impervios, atque humo ad summum usque obductos deprehendit, alterum interim ipsius è regione ostii locum hinc inde perlustranti contemplari licuit, qui tramite quidem satis facili ad quandam longitudinis palmorum LXVIII. cum dimidio semitam deducit. Hæc autem, iter ad lævam flectendo, in alias protinus viarum semitas ac diverticula subdividitur.

Ecclesia S. Valentini.

Villa olim Bosia, nunc Abbatis de Rosa Inclyto Ord. Hierosf. Romæ à negotiis.

2 Porro Cœmeterium ipsum haud longo (ut experimento innotuit) intervalli circuitu protenditur, quamvis nonnullas in eodem semitas humo, ac ruderibus animadverterit obseratas; quæ fortasse ad ulteriorem loci ambitum progrediendo, ampliorem ejusdem Cœmeterii sinum indicabant. Arcuata ibi Monumenta, vel Cubicula nulla prorsus existunt: sepulchra tamen in topho cæterorum instar excisa, sed inscriptionum titulis, atque ornamentis omnibus destituta conspiciebantur. In Cubiculo tamen, vel prima potius ædicula sacras nonnullas extare adhuc imagines, quamvis magna jam ex parte exoletas, cuncta singillatim loca perscrutando, didicit, quæ, postquam ipsiusmet Ædiculæ orthographiam oculis subjecimus, duabus descriptis infra Tabulis lectori exhibentur.

Descriptio Cœmeterii Via Flaminia.

A Imago Virginis Deiparæ unà cum aliis, quæ proxima inferiori Tabula exhibentur.

B Imago Christi Salvatoris Cruci quatuor clavis affixi, quæ Tabula secunda contemplanda subjicitur.

C S. Laurentii effigies, quam eadem Tabula secunda conspiciendam offert.

D Aliorum Martyrum imagines, quæ cognosci nullatenus possunt, cum nil præter diademata illic reliquum permanserit.

E Semita, quæ in ima Cœmeterii penetrat.

F G Aliæ semitæ, quæ Cœmeterium quoque subibant, sed nunc humo, ruderibusque obstructæ sunt.

H Ostium, per quod aditus ad Cœmeterium, & dictum Cubiculum patet.

I Imago cujusdam martyris, cujus nomen capiti adscriptum erat, sed modo, litteris præ multa vetustate exolescentibus, haud legi potest.

Tabula prima Cubiculi unici Cœmeterii S. Iulii Papæ Via Flaminia.

I. Sacra hic Deiparæ Virginis, infantem Jesum ulnis exceptum, ac sinu gestantis imago exhibetur. Quæ quidem venerationem intuentibus ingerens parvæ cuidam apsidi insculpta hæret, juxta quam dextero in latere, characteribus uno super altero exaratis, hæc verba leguntur: SANCTA DEI GENITRIX. Sub ipsamet hactenus descripta imagine sepulchrum quoddam excipiendo infantis corpusculo aptatum cernitur.

II. A dextero subinde præmemoratæ Virginis imaginis latere, mulieres binæ circulari item diademate caput circumdatæ, sese invicem amicos inter amplexus deosculantes coloribus adumbrantur, quæ proculdubio, ut pia imaginum earundem interpretatio præ se fert, recolendum Visitationis Deiparæ Virginis, cum in montanas regiones festina abiens Elisabeth salutavit, mysterium exhibent.

III. A sinistro autem picturæ hujus latere martyris cujusdam ferventis olei dolio injecti imago contemplanda proponitur, cui duo hinc inde viri, qui eum manu suffulciendo, vel certe carnificum more excruciando adstant; unus nimirum sede locatus, juxta quem, characteribus ut supra dispositis, hæ notæ leguntur: SALOMEV. alter vero stantis formam præ se fert.

IV. Infantis fasciis obvoluti ac diademate redimiti, & in capsula, vel potius cuna reclinati figura exprimitur: cujus forte imaginis typo Deus infans in cunis reclinatus repræsentatur.


Tabula secunda Cubiculi unici Cœmeterii S. Julii Papæ Via Flaminia.

I. Veneranda hic Christi Servatoris nostri è Cruce pendentis, & clavis quatuor transfixi, picta imago contemplanda subjicitur; cui sanctissima hinc Virgo Parens extensis manibus adstat; inde verò B. Joannes Apostolus, una quidem manu librum præferens, altera suffixum stipiti Redemptorem intuentibus indicans.

II. Devotissima item beati Laurentii martyris librum, ac gemmatam manu crucem gestantis imago proponitur.

III. Alia quoque suspicitur figura, quæ libro, quem sinistra tenet, coronam superimponit, eandemque ipsamet dextera festive contrectat. Hac verò, si nostram antiquæ picturæ monimentis dilucidationem inserere fas est, beati martyris Vincentii imaginem exhiberi putamus.

CVBICVLVM VNICVM COEMETERII S. IVLII PAPAE SEV S. VALENTNI PRESB. ET MARTYR VIA FLAMINIA.



TABVLA PRIMA CVBICVLI VNICI COEMETERII S. IVLII PAPÆ SEV S. VALENTINI VIA FLAMINIA.



TABVLA SECVNDA CVBICVLI VNICI COEMETERII S. IVLII PAPÆ SEV S. VALENTINI VIA FLAMINIA.



3 Ubi singula isthæc maximo animi oblectamento, ac devotæ antiquitatis studio inter perscrutandum Bosius assecutus est, haud inquirendi, qua jugiter tenebatur, cupiditati satis se fecisse ratus, collem, qui eidem imminet loco, ascendens, cum huc & illuc citato gradu anxius excurreret; en tibi alterum ad idem Cœmeterium, vel ad superiorem potius ejusdem Cœmeterii partem aditum reperit. Huc igitur cum nulla interposita mora ingressus fuisset, complures ibi, atque ampliores viarum semitas deprehendit: haud quid tamen in eis memoratu dignum, quod summopere exoptaverat, contemplari valuit, hoc uno duntaxat excepto, quod quibusdam in monumentis sacrosanctum ibi Christi nomen Græcis usitato more characteribus insculptum ejuscemodi ☧ ac cætera Christianæ religionis indicia & signa, ut in cæteris Cœmeterialibus cavernis consuevit, extabant. Et & hæc interim de Flaminia Via, ac de Cœmeteriis ibidem existentibus lectori paucis admodum verbis exposuisse satis sit.

Sacrosanctum Christi nomen in Cœmeteriis frequentissimum.

CAP. XLII.

De Cryptis & Cœmeteriis intra Vrbem, necnon de peculiaribus locis ac domibus, in quibus Martyres olim conditi fuere.

1 EXactam Cœmeteriorum, quæ extra Urbis mœnia sita sunt, descriptionem, singula diligenter loca percurrendo, tandem, ut vides amice lector, absolvimus; nunc reliquum est, ut ea, quæ ipsam intra Urbem adnumerantur, brevi orationis stylo perstringamus. Quamvis autem lege duodecim Tabularum, defunctorum corpora intra Urbis ambitum, ut jam diximus, inferre olim vetitum fuerit, sæpe tamen candidi Christianæ fidei cultores, cum acutæ ethnicorum persecutiones acrius impeterent, nec usquam tuto consistere loco possent, sacra beatorum Martyrum cadavera propriis etiam ædibus officiose excepta, & quovis è carnificum manibus pretio redempta, apud se clanculum honorifico sepulturæ ministerio donabant. Quod jure quidem optimo olim eisdem præstandi facultas suppetebat; quippe qui cum sponte libenterque se Christi jugo addixissent, profanis hujuscemodi soluti legibus, impietati ac superstitionis gentilitiæ ritibus nuntium remiserant. Et certe haud temere ex ipso Romanarum legum præscripto tentare id viros alioqui sanctissimos ausos fuisse quispiam validis argumentorum rationibus suffultus edixerit. Ex eisdem enim Tabulis, Heroibus, ac viris illustribus, qui domi, forisque præcipua virtutum, ac meritorum gloria percrebuissent, ac iis potissimum, qui post diutinos certaminum labores, subactis reipublicæ hostibus, victoriæ laurea potiti triumphum in Urbe promeruissent, sepulchri locum ipsa intra Urbis mœnia obtinendi facultas nullatenus denegabatur. Quocirca ipsismet Romanorum legibus inhærendo, haud rite Christi Martyribus sepulchralis istius intra Urbem honoris prærogativa subtrahi posse videbatur, quippe qui strenue pro Christo ad sanguinis usque profusionem decertantes, ac nobili revecto de Christianæ fidei hostibus triumpho, inter augustissimos cælestis Capitolii cives, ac suspiciendos jugiter Heroes adscribi, ac recenseri promeruerant.

Lex duodecim Tabularum.

Cœmeteria in privatis quampluribus ædibus.

Heroes itemque illustres intra Urbis mœnia sepeliri olim concessum.

Veri Heroes sunt martyres

2 Horum igitur plerosque Patricio in vico ad Viminalis & Quirinalis collium radices, ad locum, in quo præclarissimi viri Pudentis Senatoris Pudentianæ ac Praxedis virginum, necnon sanctorum Timothei & Novati parentis domus sita erat, ex antiquis historiarum monimentis conditos fuisse accepimus, illic videlicet, ubi Timothinæ & Novatianæ olim Thermæ, desumpto ab eisdem titulo, suspiciebantur: quæ quidem in Ecclesiæ postmodum usum, & martyrum sepulturam dicatæ fuere, ut in ejusdem Beatæ Pudentianæ Actis videre est, de quibus prolixius nos infra. Nepotiana itidem Crypta Patricio eodem vico antiquitus extitit, in qua Christi fideles, ut in Cœmeteriis consueverant, sacros de more cœtus ac synaxes peragerent, quod in plerisque Beatorum Martyrum Actis legitur. Hanc autem in privato hoc Cœmeterio sitam fuisse haud levis quidem ad id asserendum conjecturæ argumento ducimur, quin & eamdem *Nepotianam* forte pro *Novatiana* dictam fuisse haud quis temere ipsius vocabuli vim expendendo arbitrari valet. Eo enim loco, ut jam supra diximus, celeberrimæ Novati Thermæ extabant, quæ inferendis postmodum defunctorum corporibus usui concinnatæ fuere. Beatissimum enim Pontificem Stephanum in hoc Pudentis Titulo, ubi fons Baptismalis constitutus fuerat, accedentibus ad Christi fidem sacrum baptisma impertisse ejusdem ex Actis in hæc verba legitur: *Tunc itaque B. Stephanus, ut altera die in crypta Nepotiana omnes congregantur, & facto conventiculo in eadem crypta, inventi sunt promiscui sexus viri & mulieres numero centum octo, quos eadem die in nomine Domini nostri Iesu Christi sacri baptismatis mysteriis consecravit, &c.* Ex quibus plane, ut vides studiose lector, *Nepotiana* pro *Novatiana* in sacris interdum actibus usurpatur.

Vicus Patritius.

Domus S. Pudentis.

Crypta Nepotianæ. Vicus Patritius.

S. Stephanus Papa in crypta Nepotiana baptizat.

Act. B. Steph. papæ

3 Cæterum Nepotianam hanc cryptam eodem Patricio vico sitam fuisse ex Beati Laurentii Actis manifeste liquet, in quibus isthæc ad rem nostram recitantur: *Exiens inde* (ex domo scilicet cujusdam Narcissi, ubi erant Christiani collecti) *audivit, quod in vico Patricii multi Christiani congregati essent in crypta Nepotiana; & veniens ibi B. Laurentius, detulit secum ea, quæ necessaria erant Sanctis; & invenit animas sexaginta tres promiscui sexus: & introivit cum lacrymis ad eos, dans patem omnibus, & invenit ibi presbyterum nomine Iustinum, qui fuerat ordinatus à B. Xysto, & misit se ad pedes ejus, & cœperunt ambo se in pavimento volutare, ut invicem sibi pedes oscularentur. Dixit autem B. Laurentius ad B. Iustinum: Comple votum meum, ut laventur pedes sanctorum, & vestri per manus meas. Iustinus presbyter dixit: Hoc præceptum Dominicum est; fiat voluntas Domini nostri Iesu Christi; & posita pelvi, misit in ea aquam, & lavit omnium virorum pedes: veniens autem ad beatum Iustinum, cœpit primo osculari pedes ejus, & lavare, & ubi lavit omnium pedes, commendavit se B. Iustino, &c.* Et hæc quidem sunt, quæ interim ad instituti propositum conjectari nobis, haud tamen pro certo asserere libuit: ex quibus pariter vel id unum lectori didicisse satis sit, memoratam videlicet cryptam in Patricio vico sitam fuisse: quæ quidem etsi urbani hujus Cœmeterii haud pars ulla computetur; quocunque tamen loco illa substiterit, celeberrimam utique fuisse, & Christianos illuc ad synaxes frequenter convenisse, sanctorumque item Martyrum corporibus hanc apprime insignitam fuisse, haud dissonum atque à veritate alienum est affirmare.

Act. S. Laur. Cod. Vat. 3. Vall. 1.

4 Verum

[...]cœmete-[...]um ad [...]rsum Pi-[...]eatum.

4 Verum in hac eadem Urbis regione, haud longe à præmemorato, Cœmeterium aliud extitit, quod ad *Ursum Pileatum* nuncupabatur; diversum tamen omnino ab eo, quod supra, si bene quis meminit, Portuensem juxta Viam recensuimus. Istud autem, ut nobis credere par est, hujuscemodi denominationem accepit vel à vico, ubi situm est, qui à Sext. Rufo *ursi Pileati* dicitur, vel certe à marmorea aliqua ursi imagine, quæ ibidem olim consisteret. Idem autem Cœmeterium inter cætera Urbis à Cencio Camerario, & Petro Manlio his quidem verbis adnumeratur: *Cœmeterium ad Ursum Pileatum ad sanctam Bibianam.*

[...]icus Ursi [...]ileati. [...]enc. Ca-[...]er. Petr. [...]anl.

5 Initium autem sub impio Juliano Apostata in ipsamet Fabiani, seu Flaviani Martyris præclarissimi domo accepit; de quo isthæc in recolendæ Bibianæ Actis recitantur: *Erat enim homo timoratus, opera pietatis libenter exercens. Nam & more sancti Tobiæ, Christianorum corpora, quos Apostata occidi fecerat, cum omni diligentia colligebat, & sepulturæ tradere procurabat.* Singulari hoc igitur Christianæ pietatis studio erga Christi Martyres integerrimus virjugiter accensus, ne *Sancta darentur canibus*, & ne *margaritæ* diu inhumatæ *ante porcos projicerentur*, Cœmeterium intra domesticos lares extruendum curavit; quod item Bibianæ virgini ejusdem filiæ ad condenda beatorum Martyrum, qui passim jugulabantur, corpora postmodum inservivit. Quapropter iisdem in Actis post enarratum Dafrosæ martyrium hæc perleguntur: *Cujus corpus, Dafrosæ scilicet, Bibiana & Demetria sepelierunt in domo propria, in sarcophago pretioso.* Et infra: *Porro Bibiana, adhibito sibi quorundam solatio, sepelivit corpus sororis suæ Demetriæ juxta matrem suam in domo paterna.* Ubi demum & ipsammet præclaram virginem Bibianam nobili martyrio coronatam officiosa Ioannis presbyteri manu conditam fuisse, eadem Acta hunc in modum enarrant: *Cujus corpus jacuit in foro Tauri duobus diebus jubente Iuliano tyranno, ut terrorem incuteret Christianis. Veniens autem Ioannes presbyter noctu collegit corpus, & sepelivit cum matre & sorore in domo propria, in loco qui vocatur Caput Tauri, juxta formam Claudii, & palatium Licinii cognati piissimi Constantini, IV. Nonas Decembris.*

[...]omus S. [...]laviani. [...]ct. S. Bib. [...]d. Vat. 7. [...]Petr. E. [...] Cæcil. S. [...]ir. ad [...]irt. [...]œmete-[...]um intra [...]mum [...]Flaviani. [...]Bibiana. [...]Dafrosa. [...]Ibid.

6 Porro in Cœmeterium, seu conditorium istud, ubi veneranda eorundem beatorum Martyrum pignora perhonorifice, ut dictum est, tumulata conquiescebant, Christiani quoque frequenter religionis gratia ad sacras synaxes convenire cœperunt, & præsertim Pigmenius, & Ioannes presbyteri, ut iisdem in Actis his quidem verbis subditur: *Ubi cum frequenter Ioannes, & Pigmenius presbyteri venirent, nuntiatum est Iuliano Augusto, &c.* Postmodum autem, sublato è vivis divini impulsu numinis impio homine, ac teterrimo Apostata Juliano, eodem loco ab Olympina Romana primariæ nobilitatis matrona Ecclesia erecta est, quæ ex ejus nomine *Olympina* appellari meruit: cujus quidem ejusdem in Actis mentio his plane verbis incurrit: *Post mortem vero Iuliani impiissimi, erat quædam mulier, nomine Olympina, de genere Fabiani, & requisivit ibidem corpora sanctarum Dafrosæ, Demetriæ, & Bibianæ, & ibi construxit basilicam, quæ dicitur Olympina. Et omnibus diebus vitæ suæ in domo sancti Fabiani usque ad tempora sanctissimi Siricii Papæ, juxta corpora sanctarum virginum, Deo gratias reddere non cessavit: ibique jejuniis & orationibus diu noctuque cum hymnis & canticis spiritualibus Deum laudare studebat.* Hæc ibi.

[...]Ioannes [...]Pigme-[...]s [...] S. Bib. [...]Olympi-[...]matro-[...]na. [...]lesia O-[...]pina.

7 Ex recensitis vero supra Actis locum probe novimus, in quo paterna quondam præclarissimæ virginis Bibianæ domus extitit, & ubi Olympinam pariter Ecclesiam erigi, atque exædificari contigit, eo nimirum loco, in quo sacra nunc ejusdem sanctæ Bibianæ ædes suspicitur, quæ in quinta regione Exquilina sita est, vulgo *ad Tauri caput* nuncupata, ubi à Sexto Rufo *Ursi Pileati* vicus recensetur, juxta Aquæductus, vel Aquæ Claudiæ formam, & haud longe à vestigiis, atque ipsiusmet Liciniani palatii parietinis, ut eisdem ex Actis satis aperte legentibus innotescit. Porro Ecclesiam hanc præ nimia jam vetustate collabentem, ac undique ruinis obrutam, ne clarissimæ virginis, ac mart. Bibianæ, ac Olympinæ pariter matronæ memoria intercideret, iterum instaurandam, ac in meliorem formam Urbanus VIII. redigendam curavit, quod recurrente anno Jubilei 1625. egregie præstitit, hoc ad perpetuam ibi memoriam insculpto titulo.

Domus S. Bibianæ.

Caput Tauri. Formæ aquæ Claudiæ. Palatium Licinianum.

ÆDEM HANC
AB OLYMPINA MATRONA SANCTISSIMA
IN HONOREM
SS. BIBIANÆ, DEMETRIÆ, ET DAFROSÆ
PRIMUM EXCITATAM
A S. SIMPLICIO PAPA
DEINDE RESTITUTAM
AB HONORIO III. CONSECRATAM
URBANUS VIII. P. O. M.
INSTAURAVIT ET ORNAVIT
ANNO JUBILEI MDCXXV.
PONTIF. II.

Titulus Ecclesiæ S. Bibianæ.

Neque hic interim silentio à nobis obvolvendum est, Ecclesiam prædictam à fundamentis propemodum restitutam, ac multiplici ornamentorum, ac picturarum genere excultam, sacrorum quoque corporum earumdem Virginum ac martyrum thesauris cumulatam fuisse, quæ cum ad Ecclesiam S. Mariæ Majoris deposita interim fuissent, dum Ecclesiæ exædificandæ opera impenditur, iterum in suum pristinum locum solemni pompa illata fuere, & nobilissima urna ex onychino lapide elaborata pretiosum Bibianæ virg ac mart. corpus & sociarum pariter reconditum est, ut inscriptio hæc legentes docet:

URBANUS VIII. PONT. MAX.
CORPORA SS. BIBIANÆ, DEMETRIÆ,
ET DAFROSÆ
IN HAC OLYMPINA BASILICA
REPERTA, ET DUM ELEGANTIORI
CULTU ILLUSTRATUR,
IN LIBERIANAM TRANSVECTA
INDEQUE AD PRISTINAM
SEDEM RELATA.
LABRO ONYCHINO,
ÆNEISQUE LOCULIS INCLUSA
PIETATI URBIS EXPOSUIT.
ANNO A PARTU VIRGINIS MDCXXVI.
PONT. IV. III. ID. NOVEMB.

Inscriptio urnæ in qua corpus S. Bibianæ.

Ut autem veneranda pignora tutius servarentur, intra eandem urnam singulis thecis inclusa his notis idem Pontifex cumulavit:

URBANUS PAPA VIII.
CORPORA SS. BIBIANÆ, DEMETRIÆ,
ET DAFROSÆ
HIC INVENTA HONORIFICENTIUS
COLLOCAVIT
ANNO DOMINI MDCXXVI.
PONTIF. IV. II. NOVEMBRIS.

Porro nobilissimus Sarcophagus sub ara majori hujus Olympinæ Basilicæ reconditus, & statua ejusdem

dem D. Bibianæ ab Urbano VIII. erecta, & Equitis Io. Laurentii Bernini Sculptoris eximii manu miro artis studio elaborata suspicitur.

8 Quoniam vero alterius Rom. virginis, nobili pariter martyrio conspicuæ, Martinæ videlicet, corpus sub eodem Urbano Pontifice in Urbe adinveniri contigit, quam sacris idem Pontifex hymnis, & singulari Urbs Roma obsequio excoluit, invitant nos lectissimæ Virginis, quæ Dei nutu hoc seculo innotuit, merita, ut recolendam preciosi hujus thesauri, cujus alibi meminimus, inventionem hoc secundo Subterraneæ Romæ volumine de industria inserentes, quam perstrictim attigimus, prolixius enarremus. Ut igitur hic lectori vel obiter innotescat, qua ratione sacrum B. Martinæ corpus longa post secula redivivum in lucem venit, illud nobis præmittendum est, Ecclesiam videlicet eidem præclarissimæ virgini ac Martyri dicatam, ad Capitolini clivi radices in Urbe celebrem existere, quæ Romano in foro, sub octava regione recensebatur, eodem prorsus loco, ubi olim Martis Templum ab Octaviano Augusto erectum fuerat, ut perantiquus eidem Ecclesiæ inscriptus titulus, qui legebatur, lapidi insculptus comprobat; ibi enim bina hæc carmina extabant:

Ecclesia B. Martinæ Virg. & Mart.

Martyrij gestans virgo Martina coronam,
Ejecto hinc Martis numine Templa tenet.

Marl. Horat. in hist. S. Martinæ virg.

Et congrue quidem Martinæ martyri invictæ Mars impius devictus loco cessit, utpote quæ tot aucta triumphis, tot palmis nobilitata, quot pœnis, quot tormentis ante martyrium pro Christo excruciata est. Vicit enim haud semel Martina, quæ toties coronam promeruit, quoties inter gladios, ignes, feras, & inter quævis tormentorum genera invicto jugiter animo perstitit. Quod autem sacra Virginis pignora in hac Ecclesia reservarentur, haud ulli ad hæc usque tempora, etsi fama vigeret, satis innotuerat. Quippe post martyrium, juxta Romanorum consuetudinem extra Urbem ex legum præscripto, ejusdem corpus tumulatum fuerat: lege enim XII. Tabularum intra Urbis ambitum cadavera inferri vetitum omnino erat, ut nos supra diximus, & ipse Cicero in lib. de legibus luculenter edisserit. Illud autem ex ejusdem actibus compertum fit, ejus nimirum corpus primo quidem in agro Ostiensem apud Viam illatum fuisse, & à Christianis subinde iterum illud transferri contigit, in quodam horto tanquam nobilissimum thesaurum, *quem qui invenit, abscondit* (ut sacræ testantur paginæ) piorum hominum manu diligenter absconditum fuisse: nam primum Anthero Romano Pontifici divinitus patefactum est, ubi recolendæ virginis corpus delitesceret, & quo potissimum loco reponendum esset: quod & sanctus Pontifex egregie præstitit, illud perhonorifice redempti orbis anno 238. intra Urbem tumulando. Ut nobis autem verisimile fit, hic, ubi postea adinventum est, contigit. In ejusdem quippe actis asseritur, reperta tunc simul SS. Concordii, & Epiphanii corpora, & unà cum sacris Virginis exuviis honorifice in Urbem delata, in horto juxta Triumphalem Arcum deposita fuisse. Conjecturæ autem, quæ sacrorum pignorum inventioni adstipulantur, locum hunc digito præmonstrare videntur; Ecclesia quippe juxta triumphalem Septimii Severi Arcum sita est, & venerandæ Martyrum exuviæ, quæ olim simul tumulatæ fuerant, unà simul in lucem prodiere.

Ejus sepulturæ locus diu omnes latuit.

Cic. lib. 2. de leg.

Ubinam primum sepulta fuerit?

Anthero Pontifici divinitus sepulchrum ejus innotescit.

Corpus ejus in Urbem tumulandum defertur.

9 Ut recolendæ igitur adinventionis series lectori innotescat, sub anno Salutis Dominicæ 1634. cum ejusdem divæ Martinæ Ecclesia præ nimia jam vetustate ruinis pateret, pictoresque, ad quos eadem Ecclesia sub D. Lucæ, ac Martinæ titulo pertinebat, eidem instaurandæ manum admovere vellent, expensarum tamen magnitudine absterriti, à proposito detinebantur. Sed Petrus Bertinus Cortonensis primarius inter hujus nostri seculi pictores, cujus opera in ipsa Urbe totius Orbis theatro, luce clariora sunt, quippe qui pennicillo æternitati pingit: hic cum devotionis studio locum Confessionis B. Martinæ, quem ejus pietati excolendum, exornandumque Pictorum in Urbe collegium tradiderat, propriis instaurare sumptibus cœpisset, dum rem studiose prosequitur, sacri inveniendi corporis desiderio illectus, en tibi cæmentariorum manu pervetustum altare, quod in ejusdem Confessionis loco extabat, ferro perscrutatus, locum vacuum comperiens, de sacro ibidem latente thesauro ingentem animo spem concepit, & juxta id, quod mente præconceperat, 25. mensis Octobris 1634. die recurrente, voti tandem feliciter compos efficitur. Quippe cum locum aperuissent, eodem sub altari lateritia quædam arca longitudinis pal. 6. cum dimidio, latitud. 2. altit. vero 1. cum dimidio patuit, quæ lateritiis tribus perantiquis tegulis operiebatur, & validis hinc inde parietibus communita, terra insuper, ac lapidibus interjectis, haud ullum latentis ibidem thesauri indicium, vel leve intuentibus præferebat. Sub altari igitur, quod ad Orientem spectabat, è transverso quidem latere arca eadem sita, haud sine magno laboris incommodo cæmentariorum inde manu extrahi potuit. Et en tibi in superiori arcæ ejusdem parte venerandum Martinæ virginis caput, tot coronis, quot pœnis, nobilitatum in vase quodam æneo præ nimia rubigine ac vetustate satis comsumpto reconditum, oculis intuentium objicitur. Patentibus autem signis idem sanctæ virginis caput comprobatum est. Aderant præterea illic juxta sacrum caput nonnullæ carnis, ac cerebri particulæ in pulverem jam redactæ: vas unà cum venerando capite supra ejusdem lectissimæ virginis ossa, intra tumulum repositum, hæc tenerrimæ cujusdam virginis ossa præmonstrabat, & totum quidem corpus ibidem haud ulla ex parte diminutum extare, vel ipso aspectu intelligi dabatur.

Petrus Bertinus Cortonensis insigni pieta[te vir] illud invenire meruit.

Locus, u[bi] corpus S. Martinæ repertum.

10 Verum venerabilia inter ossa plumbeam item laminam adinveniri contigit, characteribus quibusdam, vetustate penitus obliteratis, prænotatam, qui perlegi vix possent. Porro hæc virginis ossa à duorum martyrum sociorum Concordii, & Epiphanii, & alterius item socii innominati ossibus lateritia interiecta lamina, & fragmento quodam lapideo his verbis inscripto secernebantur.

Lamina plumbea tumulo Martinæ reperta.

✠ HIC REQUIESCUNT CO
RPORA SCORUM MARTYRUM MARTINE
ET CONCORDII ET EPIPHANII
CUM SOCIIS EORUM ✠

Et inscriptio lapidi insculpta.

Præmemorati insuper intra loci ambitum, qui duobus parietibus concludebatur, quamplura coacervata simul ossa extabant, trium videlicet martyrum ibidem unà cum virgine reconditorum, quæ illuc Ostiensi è via, ut manuscripti Vat. Bibliothecæ Codices exhibent, simul translata fuerant.

11 Sub

11 Sub lateritia autem arca, quam hactenus memoravimus, duo item pervetusti parietes contemplantium oculis apparuere, inter quos altera persimilis arca locari, aptarique commode potuisset. Quamplura hic item ossium fragmenta in minutissimas particulas, ne dicam in pulverem, prætemporis diuturnitate redacta conspicere licuit. Hæc verò marmoreas supra laminas absque ullo peculiari conditorio, immo nullo prorsus inscriptionis apposito titulo consistebant.

12 Ut singula autem de adinvento S. Martinæ corpore prosequamur, sex postmodum interlapsis diebus lapidea altaris tabula loco sublata, sepulchrum, quod ad sacra mysteria peragenda de more aptari consuevit, reseratum est, quod palmis duobus qualibet ex parte protendebatur, marmoreisque crustis affabre interior ejusdem sinus obtegebatur. Hic tanquã nobiliori loco seposita, vasa duo vitrea, lampadum instar, què palmi unius latitudinem haud excederent, hac inscriptione prænotata visa sunt.

+ CORPVS S MARTI
NE VG ...
COPORA S CO COGII ...
PIPHANII ...

13 Quod autem mirum dictu, & hic silentio obvolvendum neutiquam est, in uno ex præmemoratis vasibus quædam ossium fragmenta, medullari adhuc imbuta pinguedine, contemplari licuit; quædam insuper pinguedinis ipsius particulæ, quæ consuetum adhuc candorem præ se ferebant, & in ipsius vasis imo carnis pars, rubei præcordiorum instar coloris, ac tactu mollitiem exhibens, adinventa est. In altero autem vase, quod eadem magnitudine constabat, pes quidam dexter, suis adhuc compactus articulis, affervabatur, ex quibus aliqui simul juncti, disjuncti alii cernebantur.

14 Præter vasa, quæ hactenus à nobis memorata sunt, in interiori sepulchri ipsius ara ossa quædam perexigua, velaminum item fragmenta jam in pulverem conflata, putridorum item fragmenta lignorum, & perexigua quoque Crux lignea affabre elaborata, quæ superiori è parte foramen exhibebat, contemplantium oculis oblata est. Hæc porro haud ulla temporum injuria labefactata, cum ligna plerunque computrescant, integra adhuc persistebat. Verum enimverò ut nobis ex ipso foramine conjicere fas est, hæc è collo suspensa, nobilis instar monilis ac thesauri, à lectissima virgine Martina, ornamentum pariter, ac munimentum Christiano, ac virgineo pectore dignum deferri consueverat, & è sacro ejusdem contactu ejuscemodi vim hausisse, ut diuturna post secula illæsa omnino perstiterit. Antiquissimus quippe primævos apud Christianos sacrosancta Christi Euangelia è collo suspensa deferendi mos extitit: cujus quidem rei cum multi quidem antiqui, probatique scriptores meminerint, ipsamet B. Cæciliæ virginis, quæ eodem, quo Martina, seculo vixit, Acta palam testantur: hæc enim sacrum Euangeliorum codicem è collo suspensum secum jugiter deferre, eodemque pectus communire consuevit, ut in sacris Romani Breviarii lectionibus hisce verbis videre est: *Virgo gloriosa semper Euangeliũ Christi gerebat in pectore.* Pari quoque ratione Martinam recolenda Dominicæ Crucis imagine ornamenta sibi, ac munimenta pariter conciliasse credere nobis par est. Porro Crucem hanc Urbanus Papa Octavus dum viveret, perenne augustissimæ virginis monimentũ apud se privatim habere ac custodire voluit.

Brev. die 22.

15 Cum sacræ igitur reliquiæ è tenebris, in quibus haud ulli cognitæ delitescebant, piorum manu vindicatæ in lucem venissent, ut novo Urbem spectaculo recrearent, eidemque opportunum à Romana virgine præsidium suppeteret, supra majorem Ecclesiæ aram contemplandæ omnibus exhibitæ sunt, solemni interim pompa ejusdem Ecclesiæ parietibus Francisci Card. Barberini jussu eleganter exornatis. Verum cum totius Urbis venerationi sacra pignora exposita fuissent, ad hæc veneranda die 9. mensis Novembris idem Urbanus summus Pontifex Purpuratis quamplurimis Patribus, ac Præsulibus comitatus supplex accessit, Virginemque, dum bellorum potissimum procellæ Italiæ ingruerent, novo tam Urbis beneficio, quam Ecclesiæ munimento in lucem quodammodo redivivam conceptis, ut par erat, votis enixius exoravit. Quo præstito tota subinde Urbs, Pontificis permota exemplo, ac recolendæ virginis, quæ Romam patriam habuerat, amore illecta confluxit; uberes interim indulgentiarum thesauros Pontifice ex apostolicæ liberalitatis promptuario illuc confluentibus elargiente. Loco demum in meliorem formam redacto, ac decentius exornato, in eadem subterranea Confessione, quæ à Petro Berrettino Cortonensi pie admodum, ac eleganter exculta, ac versicoloratis marmoribus exornata est, altari in medio ejusdem loci ambitu decenter extructo, sacra pignora totius Urbis lætitia reposita fuere, hoc addito titulo marmori insculpto:

Dies, quo primum S. Martinæ reliquiæ expositæ sunt miro populi concursu celebratus.

Quam præsentia sua Urbanus VIII. solemniorem reddidit.

Locus in quo eadem sacra pignora reposita sunt.

CORPORA SS. MARTINÆ V. & M.
CONCORDII, EPIPHANII,
SOCIIQUE EORUM.
URBANO VIII. PONT. MAX.
REPERTA,
FRANCISCUS CARDINALIS BARBERINUS
REPOSUIT
ANNO MDCXXXV.

Ecclesia interim, quæ in superiori parte extat, marmoribus affabre compactis Urbani VIII. P.M. jussu sub Eminentiss. Francisci Card. Barberini S.R.E. Vicec. auspiciis magnificentissimo quidem opere erigi cœpit, quæ perpetuum tantæ Virginis tot triumphis excultæ apud Romanos juxta Capitolinum collem Orbis & urbanæ pietatis, ac munificentiæ monimentum futura est. Anterior vero ipsius Templi facies notis hisce velut nobili titulo insculpta est.

S. VIRGINI ET MARTYRI MARTINÆ
URBANUS VIII. PONT. MAX.

Vetustissimam autem esse hanc B. Martinæ Ecclesiam ex Anastasio Bibliothecario in S. Adriani Papæ gestis convincitur, dum tres argenteos circulos ad luminaria sustinenda ab eodem donatos, & à S. Leone Papa III. sacras item ejusdem ministerio vestes concinnatas fuisse describit, quod & Pontificia sedes lapidea in subterraneo confessionis loco existens confirmare videtur, in qua Romani olim Pontifices sedere consueverant, & festivo præsertim Purificationis Deiparæ Virginis die ibi (ut Cencius Camerarius affirmat) Summus Pontifex sacros Romano Populo cereos in ejusdem Virginis honorem distribuere solitus erat. Quoniam vero opportuna hujus Ecclesiæ mentio incidit, vel ex eo antiquus ejusdem cultus palam fit, quod haud semel à Romanis Pont. instaurata, ac præcipuus honoribus exculta fuerit: ut enim adinventus, qui ibidem extat, lapis legentes admonet, quadringentis abhinc annis, cum jam ruinis pateret sacra Martinæ ædes, in novam plane formam ab Alexandro IV. Summo Pontifice restituta, pia ejusdem manu, consuetisque Ecclesiæ ritibus in Dei, & B. Martinæ honorem consecrata, venerandisque insuper Beatorum Martyrum, uti mos est, reliquiis cumulata est, nec non ad loci cultum magis augendum, sacris indulgentiarum ex Romanæ Ecclesiæ promptuario thesauris ditata fuit. Porro ne tantæ rei ullo unquam tempore memoria intercidat, Petrus Berrettinus, Martinæ Virgini, ejusdemque honoris cultui addictissimus præmemorati lapidis notas, velut loci veneratione dignissimi testatissimos indices, hic tibi delineandas voluit;

Anast. Bibl. in vit. Adrian. & S. Leon. Pap. 3.

Cenc. Camer. l. censuum Rom. Eccles. apud Vat. Bib.

ANNO· DO· M· CC· LVI· DNS ALER PP· IIII· APPIS MAIB· CV
DVOB· EPIS CARDINA LIB· S· TVSCVL· Z PENEST AD HO
NORE DEI Z BEATE MARTINE VGIS Z MAR· CONSECV
ECC ISTA· DAS IDLGECIA VNI ANI Z DVARV QRANTANE·
IN ALTARI VERO RECONDITE S· RELI QE· BTORV MARV·
COCORDII· ET BYPHANII· PAPIE· MAVRI· NEREY· Z ARCHI=
LEY· MARII· Z MATHE· VR BANI PP Z DE ZAGVITTA SATI
MACHARII CONSECRATO AVT HEC FCA FVIT I
MEDIA XL· QN EST STATO AD SCVM COSMA TVM
IN SILICE· IN TPE AR CHIPSBITERO ADREA FVIT
HEC ECC COSECRATA.



Et ne quid interim studiosum lectorem lateat, redivivam, ut diximus, una cum virginis corpore, ejusdem item memoriam idem Pontifex semiduplici officio posthac quotannis recolendam decrevit die 30. mensis Januarii, cujus sacras lectiones à nobis primum ex antiquis actibus collectas ipsemet Urbanus recognoscere, quædam addere, nonnulla immutare, & sacros insuper in ejus honorem hymnos pangere dignatus est. Cujus item historiam Marsilius Honoratus nostræ Congregationis presbyter satis erudite brevi libello digessit. Porro subterraneum Confessionis locum, in quo venerandæ virginis corpus inter effodiendum adinveniri contigit, Petrus Berrettinus Cortonensis, universo Pictorum Collegio concedente, præclare, ut par est, hactenus exornavit, & nobili insuper holoserica, atque argentea supellectili ad sacrum altaris ministerium auxit, totoque jam à fundamentis loci ambitu instaurato, & versicoloratis, ut dictum est, marmorum crustis obducto, ne quid ad loci splendorem desiderari contingat, splendide nunc sepulchralem B. Martinæ, unà cum altari, sub quo reconditur, urnam ex ære Corinthio affabre elaboratam, miroque artis studio à se concinnatam nuper constituit, cujus iconem, & subterraneæ item confessionis ab ipso exornatæ orthographiam pariter & ichnographiam delineatam hic tibi contemplandam ultro exhibemus.

[margin: ...t ejus memoriam di... ino officio ... Ecclesia ... Urba... jussit.]
[margin: ...ymnos ... in eam ... semet ...ntifex ...ndidit.]
[margin: ...thogra... con... ionis ...terra... S. Mar...]

16 Sed perlustrato confessionis loco, recolendam plane antiquitatis faciem, ruinis quondam patens B. Martinæ Ecclesia, cujus hic mentio est, intuentibus præ se ferebat: luteis quippe grandioribus tegulis Theodorici Gothorum regis nomine prænotatis ejusdem olim tectum cooperiebatur, qua quidem re, quod ad sacrum basilicarum cultum spectat, magnum nobis vel in luteis istis tegulis sacramentum proponitur, & in luto ipso, si quis altius perscrutari voluerit, absconditum est invenire thesaurum. Theodoricus enim iste quantumvis barbarus, quantumvis impius, mitem se erga Romanos orthodoxos Christi cultores, ac pium erga Ecclesiarum cultum exhibuit. Quippe qui, licet Arrianorum dogmatum sectator, & male de sana consubstantialis Deitatis fide sentiens, optimi tamen, probatique principis mores exhibuit: *Catholicis enim* (ut Baronius inquit) *bene usus est, non tantum nihil negotii illis more hæreticorum facessens, sed & indulgens, & gratiis ornans, & omni officiorum genere prosequens, deque illis benemereri in omnibus studens, adeo ut se ægro animo, indignoque ferre monstraverit, si quis in ejus gratiam è Catholica fide ad Arrianam sectam, cujus ipse cultor erat, transiret.* Quod & patentissimo exemplo declaravit; cuidam enim è suis, ut regium sibi animum magis devinciret, & principis gratiam aucuparetur, consubstantialitatis fidem abjuranti, supplicium ille pro gratia reddidit, caput quippe eidem amputari præcepit, hæc inquiens: *Si Deo fidem sinceram non servasti, quomodo mihi, quia homo sum, conscientiam sanam præstabis?* Theodoricus ergo in ipsa dogmatum impietate, pium se quodammodo erga Deum exhibere studuit, ejus desertores haud præmiis, sed pœnis afficiens.

[margin: ...esia S. ...tinæ.]
[margin: ...eodori... Gotho... Rex.]
[margin: ...to. 1. ...94.]

17 Verum Theodorici quantumvis Arriani, erga Vaticanam B. Petri Basilicam pietas, ac munificentia maxime enituit, haud minus enim se in hoc religiosum, quam Alaricus alter Gothorum Rex Arrianus præbuit: ille enim, ut de eo probatæ fidei scriptores prolixiori sermone enarrant, dum miles capta Urbe totus cædibus, ac rapinis inhians, cujusdam virginis domum perscrutaretur, & aurea, atque argentea vasa quamplura apud eandem servandi gratia deposita deprehendisset, ubi hæc ad B. Petri Basilicam pertinere, utpote à Constantino Magno eidem dicata, domi apud fœminam subsistere rescisset, re protinus ad Alaricum delata, Rex suorum à sacro Apostolico auro manus, ne sacrilegium admitterent, continendas ratus, etsi ob hæresim impius, pietati tamen consulens, solemni indicta supplicatione, vasa, quæ ab avaro milite expetebantur, ad Vaticanam Basilicam deferri, securitatemque portatoribus, & cunctis eadem comitantibus indulsit: quamobrem barbaris Urbem obtinentibus, hæc in triumphi morem ad locum, ex quo præ metu levata fuerant, militibus hinc inde evaginato mucrone sacra deferentes munera stipantibus deportari contigit, quod ab Orosio, & Procopio fideliter enarratur: quin imo non hunc rebus ad Apostolum spectantibus cultum dumtaxat impendit, sed basilicis insuper Apostolorum eum honorem detulit, ut bello intercepta Urbe, prosperis arridentibus rebus, neutiquam, uti mos est, insolescens, sed pietatem, sed clementiam hostiles inter furores, exertosque inter militum gladios edoctus, inhiantes sanguini, ac prædæ suorum animos edicto compresserit, præcipiens videlicet, ne cuiquam intra sacras præmemoratas Ædes, velut in publicum asylum se recipienti, molestia ac vis inferretur. Quod quidem memorabile factum in suis de Civitate Dei libris admirari vehementer non desinit Augustinus his plane verbis: *Testantur hoc martyrum loca, & Basilicæ Apostolorum, quæ in illa vastatione Urbis, ad se confugientes suos, alienosque receperunt. Huc usque cruentus sæviebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor, illo ducebantur à miserantibus hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui similem misericordiam non haberent.* Et paulo infra: *Postea quam ad loca illa veniebant, ubi fuerat interdictum quod alibi jure belli licuisset, tota feriendi refrænabatur immanitas, & captivandi cupiditas frangebatur.* At verò, ut ab Alarico, ad quem nuper nostra deflexit, ad Theodoricum revocetur oratio, ipse quoque Petri Basilicam donis summopere excoluit, de quo isthæc Baronius: *Sed & quod mirandum fuit, etiam hostis Catholicæ fidei, Rex Italiæ Theodoricus munus obtulit Rege dignum Basilicæ Vaticanæ, munus dixerim, non oblationem: solent enim oblationes tantummodo esse fidelium orthodoxorum, quæ solemni ritu in Ecclesiam inferri consueverunt, & recipi, munera verò, quæ nulla habita distinctione donantis in Ecclesiam tanquam in gazophylacium inferrentur.* Sed audi Anastasium: *Eodem tempore Theodoricus Rex obtulit beato Petro Apostolo cerostrata argentea duo pensantia libras septuaginta.* Vides quem barbari alioqui hominis manus Vaticanæ Basilicæ splendorem officiosa contulerit, dum argentea ad lumen refundendum vasa miro artis studio elaborata præstitit.

[margin: ...dorici ... erga ...ri Ba... ...n re... ...tia]
[margin: Et Alarici erga eandem religio.]
[margin: *Orosius hist. lib. 7. c. 30. Proc. de bel. Goth. l. 1.*]
[margin: *Aug. l. 1. de Civ. Dei c. 1.*]
[margin: *Bar. t. 7. an. 523. n. 8.*]
[margin: Theodorici munus S. Petro.]

18 Maximam insuper barbarus iste Rex curam publicis ædificiis impendit: *Quæ ipse, vel Romæ nova construxit, vel antiqua* (ut Baronius ait) *instaura-*

[margin: *Baron. an. 526. n. 11.*]


ſtauravit, atque reſtituit: deque Urbis mœniis inſtauratis, cuſtodiaque antiquæ Urbis faciei eſt locupletiſſimum teſtimonium conſcripta ipſius adSabinianum epiſtola, ubi ad finem hæc habet: *Quis enim dubitet fabricarum miracula hac proviſione ſervata, & pendenti ſaxo formatas cameras tegularum tegmine cuſtoditas? ut antiqui principes nobis merito debeant ſuas laudes, quorum fabricis dedimus longiſſimam juventutem, ut priſtina novitate reluceant, quæ jam fuerant vetuſtoſa ſenectute fuſcata.* Extat & de his epiſtola ad Senatum. Nil mirum igitur cuiquam videatur, ſi inſtaurandis urbanis ædificiis Theodoricus intendens, celebri S. Martinæ Templo, quod Marti olim dicatum fuerat, cum jam ruinas minaretur, manum ultro admovens grandioribus tegulis tectum ad pluviales arcendas aquas contexerit, ut Caſſiodori epiſtola, & ipſemet tegularum aſpectus fidem faciunt. Et quidem quam ſtudioſus in antiquorum ædificiorum ſubſtructionibus ſervandis Theodoricus extiterit, in epiſtola, quam adSymmachum Patricium ſcripſit, ſatis aperte convincit, cum eidem, plurimum ante laudato, & erga publica ædificia propenſiore adhibita ab eo cura commendata, Theatri Pompeii jam prope vetuſtate collabentis reparationem injungit, de cujus munifica ſedulitate iſthæc Baronius: *Qui quidem cum his, tum aliis officiis de Urbe ipſa, & tota Italia benemeritus inter magni nominis principes fuerat collocandus, niſi eum Arriana hæreſis infamaſſet, atque extrema crudelitas in probatiſſimorum Senatorum necem debacchata fœdaſſet.* Porro quantæ olim æſtimationis fuerit etiam apud Romanum clerum, vel ex eo accipe argumentum; quod Romanæ Eccleſiæ diaconus Ennodius eum publica laudatione laudavit, ipſe enim in eo panegyrico ad eundem Theodoricum converſus ait: *Vide divitias ſeculi tui, tunc vix fora habuere præfectos, nunc Eccleſia dirigit laudatorem.* Define igitur, quiſquis es, mirari, ſi eo potiſſimum tempore, quo Theodoricus Urbem tenebat, optimi principis partes exhibens, profanorumque totus inſtaurationi ædificiorum inſiſtens erga Martinam virginem Romanam, ut Romanos ſibi magis demereretur, quippe quæ Martis Templum fauſto nominis & ominis titulo obtinebat, ſe haud minus pium, ac religioſum, perantiquam ejuſdem Eccleſiam, ne detrimentum à pluvialibus aquis pateretur, aptatis fictilibus tegulis obtegendo, præbere voluerit. Ni forte præmemoratas tegulas alteri urbano ex profanis ædificio ab eodem olim concinnatas, inde poſtmodum pio Romanorum Pontificum ſtudio ſublatas, in meliorem utique uſum Eccleſiæ huic addictas fuiſſe aſſerere quiſpiam velit. Fictilium autem bipalmaris circiter menſuræ tegularum icones, & earum pariter notas ex prototypo earundem, quæ diligenter ad perennæ virginis monimentum ſervatæ ſunt, & tibi exhibendas Petrus Berrettinus Cortonenſis voluit: binas enim ex his, trophæorum inſtar, venerando Martinæ Virginis ſarcophago velut triumphalem alterum devicti Goliath gladium perpetuo manſuras pia hinc inde obſequentique manu dicavit, atque appendit. Primæ autem litteræ, quibus duæ ex præmemoratis tegulis notantur, hunc in modum legendæ ſunt, videlicet:


Apud Caſſiod. Var. l. 1. ep 25. & l. 4. ep. 20.

Bar. to. 7. an. 526. n. 21.

Theodoricus laudandus ni hæreſi fœdatus.

Tegulæ in tecto Eccleſiæ S. Martinæ Theodorici nomine notæ.





Reliquas autem notas ſtudioſo lectori interpretandas relinquimus. Ut ad locum autem, unde primum digreſſi ſumus lectoris venia, poſt Olympinam perluſtratam Eccleſiam, in qua corpus S. Bibianæ virginis, & ſororis pariter tumulatum eſt, revertamur, id eſt, ad nobile ejuſdem virginis titulo in Urbe Cœmeterium.

19 Hoc quidem etſi ibi extiterit, nullæ ad hanc uſque diem prope ipſam Olympinam Aedem ſubterraneæ cryptæ repertæ ſunt; nec ullum prorſus antiquiſſimi hujus Cœmeterii veſtigium deprehendi contigit, ex quo probabili plane argumento conjicere nobis fas eſt, in ipſamet B. Bibianæ domo ſubterraneum aliquod Cubiculum extitiſſe, in quo ſacra earundem beatarum, & aliorum ſubinde Martyrum corpora à venerabilibus Joanne & Pigmenio presbyteris condita fuerint. Et olim quidem (ut nihil lectorem lateat) juxta Beati Euſebii Eccleſia, & Marii Trophæa, ubi Via in binas partes ſubdividitur, in pervetuſto quodam pariete, rudi minerva, inſcriptus hujuſcemodi titulus ac marmori inſculptus legebatur,

HÆC

HÆC EST VIA, QUA ITUR AD LOCUM, QUOD VOCABATUR ANTIQUO TEMPORE, URSI PILEATI, ET MODERNO TEMPORE MONASTERIUM S. BIBIANE: IN QUO LOCO FUERUNT SEPELITA QUINQUE MILLIA DUCENTA SEXAGINTA, ET SEX MILLIA CORPORA SS. MARTYRUM, ABSQUE PUERIS ET MULIERIBUS. ET IBIDEM EST INDULGENTIA MAXIMA, PROUT IN CHRONICIS VERACITER ENARRANTUR, SCILICET ETIAM SEPTEM MILLIA AN. I. FESTO OMNIUM SANCTORUM USQUE AD OCTAVA.

Inscriptio Cœmeterii ad Ursum Pileatum.

Quæ ſane perantiqua inſcriptio, dum eadem Via ſubſterneretur, ac pariter ampliora ejuſdem ſpatia laxarentur, inde amota, in ejuſdem Eccleſiæ atrio affixa eſt. Ex quibus plane vides, quam immenſus olim BB. Martyrum numerus in Urbe extiterit, quos perſecutionis gladius jugiter demetebat, & ad triumphalem palmam proprio ſanguine purpuratos in Cælum Urbs Roma fertilis martyriorum ager tranſmittebat: adeo enim eorundem numerus adauctus eſt, ut nova in dies conſtrui, atque ad ſepulturam iiſdem exhibendam adaperiri Cœmeteria, cum, quæ conſtructa jam fuerant, nullatenus ſufficerent, & proprias Chriſtianorum domos ſacro huic miniſterio deſtinari opus fuerit.

Corpora Sanctorum translata è Cœmeterio Marcell. 20 Cæterum complura item in hunc, quem memoravimus, locum Sanctorum Martyrum corpora è Cœmeterio ſanctorum Marcellini & Petri tranſlata fuiſſe, ipſemet in ſuis ad Martyrologium Romanum notis IV. Id. februarii Baronius his verbis teſtatur: *Quod autem pertinet ad Viam Labicanam de qua agimus, complures Martyres extra portam Exquilinam more majorum, cum paſſi eſſent, eorum corpora à Chriſtianis ſublata inferebantur in Cœmeterium, quod ea Via erat nobile ſanctorum Marcellini & Petri nomine dedicatum. Verum ea omnia intra eandem portam Exquilinam, in vicum ad Urſum Pileatum dictum, in Cœmeterium, quod S. Anaſtaſii Papæ nomine appellatum eſt, putantur illata; qui locus hodie dicitur Sancta Bibiana.* Porro cum ſub eodem *Urſi Pileati* nomine Viæ Portuenſis Cœmeterium ab antiquis ſcriptoribus recenſeatur, inde nonnulli aberrandi occaſionem nacti, in Cœmeterio, de quo nunc agimus, eorundem ſanctorum potiſſimum corpora extare, etſi perperam, arbitrati ſunt, quæ apud illud depoſita olim fuiſſe leguntur, & præſertim Beatorum Innocentii & Anaſtaſii Romanorum Pontificum, ex quorum nomine & hoc ipſum *Sancti Anaſtaſii Cœmeterium* appellare non dubitarunt, ſed manifeſtum utriuſque diſcrimen ſatis ſuperque in enarratis hactenus demonſtravimus. Cæterum & id quoque nobis vero ſimillimum fit, ex præmemorato videlicet Viæ Portuenſis Cœmeterio innumera plane Sanctorum corpora ad hoc delata fuiſſe, & ut veritas quidem ipſa magis eluceſcat, ex ejuſdem Viæ Cœmeterio, quod *ad Sextum Philippi* nuncupatur, Sanctorum Simplicii, Fauſtini & Beatricis corpora tranſlata huc fuiſſe, apud omnes exploratiſſimum eſt: & quamvis ſub quo potiſſimum Romano Pontifice hujuſcemodi tranſlatio obtigerit, haud omnino compertum ſit, eam tamen ſub Simplicii pontificatum referendam proculdubio eſſe conjicitur. Is enim cum Beatæ Bibianæ Eccleſiam, Bibliothecario teſte, inſtauraſſet, eandem haud dubie beatiſſimi Simplicii corpore, cujus ipſe nomen gerebat, tanquam nobili quodam theſauro augere ac condecorare ſategit, & unà cum eodem digniſſima quoque aliorum Martyrum ſociorum ibidem pignora condidit. Eorum verò eadem adhuc in Eccleſia imagines ſuperſunt, & Beati potiſſimum Simplicii, & in marmorea inſuper Tabula hujuſmodi legentibus inſcriptio ſuppetit:

Baron. in not. ad Mart.

Bina Cœmeteria ad Ursum Pileatum.

Translatio corporum SS. Simplicii, Faustini, & Beatricis.

ANNO DOMINI.. . MENSE OCTOBRIS.. DEDICATIONEM SANCTORUM MARTYRUM SIMPLICII, FAUSTINI ET BEATRICIS AD COEMETERIUM URSI PILEATI JUXTA FORMAM CLAUDII AN. PO. TA TAURINAM, QUAM PRIMUS LEO PAPA MAXIMA DEVOTIONE CUM INDULGENTIA ET REMISSIONE III. ANNORUM, ET XL. DIERUM FECIT. IN QUO COEMETERIO REQUIESCUNT QUATUOR MILLIA, ET CCLVII. CORPORA SANCTORUM EXCEPTIS PARVULIS ET MULIERIBUS.

Inscriptio numerum martyrum in Cœmeterio ad Ursum Pileatum designans.

21 Porro inſcriptus hic beatorum Martyrum in Cœmeterio conditorum numerus, quatuor videlicet millium, & ducentorum quinquaginta ſeptem, multo quidem eo minor eſt, quem recenſita à nobis hactenus inſcriptio edocet: neutra tamen ex his, ſi quis rem ſerio diſcutere velit, ab ipſo veritatis tramite procul aberrat. Hæc enim, quam poſtremo loco expoſuimus, præcitata altera longe vetuſtior eſt. Quapropter cum ab aliis deinde ſummis Pontificibus è dirutis ſacrorum Cœmeteriorum locis alia item complura ſanctorum corpora huc illata fuerint, quid mirum, ſi eorundem in poſteriori titulo numerus auctus legatur? Illud quoque quod in eadem inſcriptione, de beatis videlicet Simplicio, Fauſtino & Beatrice, à Sancto Leone in Eccleſia, quam ipſemet erexerat, conditis recitavimus, his quidem, quæ jam pridem diximus, repugnare videtur, quod ſacra nimirum eorundem corpora in Eccleſiam ſanctæ Bibianæ à Simplicio Papa tranſlata fuerint. Verum ſi exacta ipſorum temporum ratio habeatur, & quæ ad hæc pertinent, lynceis oculis expendantur, res facili negotio ſolvitur, & quivis difficultatis nodus, qui ſuppetere poſſet, eluditur. Nam Leo Papa, cujus hic mentio incurrit, haud primus, ſed ſecundus in ordine recenſendus eſt; quippe qui ducentis circiter annis poſt Simplicium ſedit: vox etenim illa ibidem inſcripta, *Primus*, haud de primo in ordine Pontificum, ſed de primo utique ſubintelligenda eſt, qui in eorundem honorem Eccleſiam dicavit: quod quidem à Leone Secundo præſtitum fuiſſe his plane verbis Bibliothecarius teſtatur: *Hic fecit Eccleſiam in Urbe Roma, juxta ſanctam Bibianam, ubi corpora Sanctorum Simplicii, Fauſtini, & Beatricis, & aliorum Martyrum recondidit, & ad nomen B. Pauli Apoſtoli dedicavit.* Ab hoc igitur Pontifice eorum corpora è loco, ubi ſimplicius Papa ea quondam depoſuerat, in Eccleſiam à ſe erectam poſt ducentos ferme annos tranſlata fuiſſe, haud abſurdum erit aſſerere: quæ demum in Sanctæ Mariæ Majoris Baſilicam delata, in eadem nunc perhonorifice quieſcunt.

Martyres 4257 in Cœmeterio.

Bibl. in Leone Pap. 2.

22 Præterea quamplures alios Martyres apud privatas in Urbe domos ſepulturæ demandatos fuiſſe in Actis eorundem legimus, & in his præſertim, quæ nos infra recitabimus: glorioſi enim Martyres Abdon & Sennen ſub Claudio Imperatore martyrio coronati, à Quirino ſubdiacono in

Martyres in ædibus privatis sepulti. SS. Abdon, & Sennen: Domus Quirini subdiaconi.

in arca plumbea locati, domi suæ juxta Amphitheatrum sepulturæ traditi, ibi diutius perstitere: verum cum sub Constantino Imperatore divinitus innotuissent, ad *Pontiani Cœmeterium* sacra eorundem pignora delata sunt. Præclaræ item virginis ac Martyris S. Susannæ corpus à Serena Augusta inclusum argentea theca apud se in suomet palatio una cum ejusdem cruore, quem reverenti manu adhuc profluentem collegerat, depositum fuit; ubi in ejus honorem, ut in Actis legitur, furtivas die noctuque ad Deum preces iteratis vicibus offerre non desinebat: quamvis iisdem in Actis, Virginis duntaxat sanguine apud se reservato, corpus in Cœmeterio ab eadem Augusta conditum fuisse describatur. Invicti pariter Martyres Claudius, Castorius, Symphorianus Nicostratus, & alter ejusdem nominis Simplicius sub immani illa Diocletiani persecutione acerba quæque pro Christi fide tormenta perpessi, plumbeis inclusi loculis, & subinde in flumen projecti, pia cujusdam Nicodemi opera sublati, domi apud eumdem tumulati sunt, ut ex eorundem Actis constat, in quibus isthæc enarrantur: *Post dies quadraginta duos quidam Nicodemus Christianus levavit loculos cum corporibus, & posuit in domo sua.*

Sanguis S. Susannæ à Serena Augusta collectus.

SS. Claudius, Castorius, Symphorianus, Nicostratus, & Simplicius.

Domus Nicodemi Romani.

23 Illustri item sanguine fœmina ac martyrio conspicua Anastasia Romana, quæ sub Diocletiano pariter martyrii coronam promeruit, ab Apollonia eximiæ pietatis matrona in viridario quodam, condigno sepulchri honore donata est, ut in ejusdem Actis his verbis exponitur: *Tunc Apollonia Christiana matrona per matronam Præfecti meruit, ut corpus S. Anastasiæ tolleret: quod accipiens, osculabatur, & aromatibus condiens, atque dignis linteaminibus advolvens, intra viridarium domus suæ, ut decuit Martyrem, sepelivit: atque expenso non parvo pecuniæ numero, Basilicam, ubi eam sepeliret, fabricavit. Passa est autem B. Anastasia Kal. Ianuar. & in absconditis habita. Deposita autem est, posteaquam basilica fabricata est, in domo Apolloniæ* VII. *Id. Septemb. In eadem vero basilica operatur beneficii sua Dominus Iesus Christus.* Hæc ibi. Verum Romano in Martyrologio natalitius præclaræ hujusce fæminæ dies VIII. Kal. Januarii apud Palmariam insulam describitur, quo illa in exilium Imperatoris jussu deportata fuerat. In antiquo autem Romano pariter Martyrologio, quod modo in lucem prodiit, natalis ejusdem Romanam apud Urbem recolitur: & quidem in ipsius Actis ex præmemorata insula eandem revocatam gloriosum pro fide martyrium in Urbe consummasse legitur. Porro vetustissimus sub ejus nomine titulus in Urbe adhuc inter Circum Maximum, & forum boarium, ad Palatini montis radices perseverat; ubi pretiosæ Martyris ejusdem reliquiæ, & sanctarum Agapes, Chioniæ & Irenes, ac ducentarum item virginum, quæ pari sententia in exilium cum eadem relegatæ fuerant, magno devotionis cultu asservantur.

Apollonia matrona.

Act. S. Anast. Cod. Vat. 5.7. Vall. 1.

Rom. Mart. 8. Kal. Ian.

Insula Palmaria.

Ecclesia S. Anastasiæ Circus Maximus. Forum boarium. SS. Agape, Chionia, Irene, & aliæ 200. virgines sociæ Anastasiæ.

24 In Cœlio item monte prope Clivum Scauri celebris adhuc *Pammachii* titulus extat, ab ipsomet in honorem beatorum Joannis & Pauli Martyrum, in eorundem domo erectus, ubi sub impio Juliano Apostata hi clanculum martyrio coronati, & sepulchro pariter, ut eorumdem mors Urbem lateret, illati fuerant, ut ipsorum in Actis his plane verbis legitur: *Tertia hora noctis transacta Terentianus volens placere Iuliano, sicut ei dictum fuerat, ut sine strepitu familiæ, vita privaret eos, fecit fieri foveam intra domum ipsorum, & tunc decollari eos jussit, & statim involvi, & reponi* VI. *Kalend. Iulias, faciens hanc famam, dicens, quod jussu Cæsaris missi fuerant in exilium. Nullum enim signum interfectionis eorum inventum est super terram. Tunc B. Crispus presbyter & Crispinus clericus, & Benedicta lamentabantur in domo, & orabant, et cogitabant, & non cessabant lacrymæ ab oculis eorum die noctuque, ut aliquando signum eis Dominus Iesus Christus ostenderet de sanctis Martyribus, ubi fuissent sepulti. Et manifestavit illis Deus, & ipsi manifestarunt cæteris sanctis, cum quibus cœperunt frequentare opera eorum.* Hac interim frequenti Christianorum copia, quæ ad Martyrum jugiter sepulchrum confluebat, acriter permotus, atque ira judex excandens, Crispum, Crispinianum, & Benedictam capite mulctavit, ut eadem Acta his verbis testantur: *Tunc iratus Iulianus jussit eos capitalem sententiam subire, & corpora eorum canibus derelinqui. Tunc occulte noctu rapuerunt corpora eorum Ioannes presbyter, & Flavianus vir illustris expræfectus Urbis, & sepelierunt eos in domo Ioannis & Pauli, non longe ab ipsis in apside* V. *Idus Iulii.* Verum enimvero cum *non sit consilium*, ut Psalmista loquitur, *contra Dominum*, frustra impietatis viri piorum ora claudere conati sunt, ne sanctorum gloriam gentibus panderent, atque enuntiarent: ipsi enim immundi spiritus, quantumvis inviti, triumphorum Christi, ac fidei præcones effecti, pretiosam sanctorum mortem divinitus palam edicere, ac celebrando prædicare compulsi sunt: hi enim dum ab obsessis hominum corporibus, qui beatorum Martyrum sepulchrum adibant, protinus exire coacti, publice, quod omnes hactenus latebat, inclamabant: Paulum videlicet & Joannem, Terentiani gladio per summam injuriam è medio sublatos fuisse. Quinimmo & ipsiusmet Terentiani filius cum à dæmone acrius impeteretur, ad sanctorum tumulum deductus, illico liber evasit: admirando autem rei portento Terentianus tandem admonitus, abnegato sacrilego Deorum cultu, Christo protinus nomen dedit, & cum salutari baptismo ablutus fuisset, ipsemet eorumdem beatorum martyrum Acta, ex persecutore eorundem præco, ac laudator effectus, luculento sermone conscripsit; quinimmo nobile pro fidei confessione una cum filio martyrium alacri, ac constanti animo consummavit, & apud eosdem sanctos martyres, eisdem martyrii corona sociatus, ab Joanne & Pigmenio presbyteris post mortem recondi promeruit. Quod iisdem pariter in Actis hunc in modum legitur: *Quorum corpora, Terentiani scilicet & filii, rapuerunt Ioannes & Pigmenius presbyteri, & posuerunt in eadem domo sanctorum Ioannis & Pauli.* Vides ipsummet persecutoris gladium, divina virtute, ac immenso beatorum eorundem martyrum beneficio in laudatoris calamum repente, quod mirum est, immutatum fuisse, idem enim, qui sanguinem fuderat, & mucronem adversus eos exeruerat, calamum in recolendi martyrii præconium, eorum acta conscribendo, exacuit.

SS. Ioannes & Paulus. Domus SS. Ioannis, & Pauli.

Act. SS. Paul. & Ioan. Cod. Vat. 3.4.9. S. Petr. E. Vall. 10.

Crispus, Crispinianus & Benedicta matrona.

Act. SS. Paul. & Ioan.

S. Terentianus, cum filio.

Miracula ad sepulchrum SS. Ioannis, & Pauli.

24 At divino postmodum numine illatas Christianæ fidei contumelias ulciscente, Julianus impius è medio tollitur, quo sublato, Jovinianus, vir sane pius, ac acerrimus illibatæ religionis, ac reipublicæ Christianæ propugnator, Romani Imperii fasces obtinuit; cui id maxime sub ipsamet Principatus initia cordi fuit, ut sanctorum videlicet Joannis & Pauli sepulchrum ad illa usque tempora

Iovinianus Imperium obtinet.

tempora à Christianis ob gentilium metum occulta veneratione celebratum, diligenter perquireret: quo tandem adinvento, cum sacra beatorum martyrum pignora Urbi innotuissent, construendam ibi Ecclesiam curavit, ut hactenus recensita his verbis Acta exhibent: *Postea vero Iobianus sumpsit Imperium, misit & rogavit ad se venire Bizantium senatorem. cui ita dixit: Nos ad te mandavimus, quia per gratiam Domini nostri Iesu Christi jam nobis declaratum est de beato Crispo, Chrispiniano clerico & de Benedicta, quos interfici jussit Iulianus, quia sanctorum Ioannis & Pauli corpora, ubi sepulta fuerant, Christianis ostenderunt. Unde rogo, ut diligenter requiras corpora sanctorum Ioannis & Pauli, quia credo eos in domo sua sepultos. Tunc Bizantius cum filio suo Pammachio requisivit eos libenter, & cum invenisset, gratias agens Deo, renunciavit Iobiano Imperatori; quibus gratias agens, ita præcepit, dicens: Deus omnibus bonum dat, sicut & nobis. Accipe consilium meum, & utere sanctus Dei, & fac fieri Ecclesiam in domo sanctorum. Et cœpit eam studiose Bizantius cum filio suo Pammachio ædificare, quod contigit anno Domini* CCCLXVIII. Quam certe ob causam Titulus hujuscemodi *Pammachii* nomine appellari meruit: cui item lapis notis his plane inscriptus, tanquam nobilissimum sacræ antiquitatis monimentum, affixus est:

Ecclesia SS. Ioannis & Pauli.

Titulus Pammachii.

Antistes Domini celsa sacraria Christi
Vestibulum decorat gratia pulchra loci.
Quæ quia compta nitet, primaque in fronte renidet,
Ostendit quantum numinis intus inest.
Quis tantas Christo venerandas condidit ædes
Si quæris, cultor Pammachius fidei.

Inscriptio Ecclesiæ Pammachii affixa.

26 At vero eundem juxta Titulum domus olim sancti Fausti martyris extabat, ubi à Dafrosa sanctissima fœmina, cujus potissimum opera ad Christi fidem traductus fuerat, sepulturæ quoque officiosa manu demandatus est, ut in supra recensitis sanctæ Bibianæ Actis his verbis exponitur: *Eadem vero nocte veniens Dafrosa mater Demetriæ & Bibianæ, collegit corpus sancti Fausti, & sepelivit in domo ejusdem, juxta domum sanctorum Ioannis & Pauli, &c.*

S. Faustus.

Act. S. Bibian.

CAP. XLIII.

De Novati, ac Timothei Thermis: et de Pudentis domo ad Viminalis collis radices BB. Petri & Pauli Apostolor. hospitio & sacro Christianorum cœtu illustrata.

1 NOn ignobile quidem (ut Baronius ait) vel obscurum erat olim Romæ Novati nomen temporibus Neronis: ad Novatum enim extant tres libri Senecæ de Ira conscripti. Meminit idem auctor & de Novatilla in lib. de consolatione ad Marciam. Mentio item habetur de Thermis Timothinis in actis martyrii S. Justini philosophi, quæ legitima, germanaque esse à Baronio demonstratum est, & apud Surium extant t. 3. die 12. Junii. Porro quamplura nunc in Urbe loca subterranea extant, quæ jure merito præcipuam sibi apud omnes venerationem vindicant, vel pretiosis enim martyrum exuviis, Cœmeteriorum instar, quæ nuper memoravimus, nobilitata sunt, vel recolendis beatorum martyrum pœnis, vinculis, hospitio, præsentia insuper ac præclaris eorundem gestis, immo triumphis passim illustrata fuere: inter quæ primum quidem aurea illa, ac beata Pudentis Senatoris domus ad Viminalis Collis radices connumerari potest, quæ juge Christianorum asylum, martyrum diversorium, & nobile sanctorum hospitium, vel à primis Christianæ fidei primordiis, in Urbe extitit, eodem plane loco, in quo Novatianas, ac Timothinas thermas extitisse paulo ante descripsimus. Porro ipsæmet Novati, ac Timothei thermæ ex eo maxime ubique celebres, & conspicuæ redduntur, quod in his sub primæva Christianorum tempora, ut B. Pudentianæ acta legendum offerunt, Ecclesia sub ipso Pastoris titulo, tanquam venerandæ antiquitatis monimentum, erecta suspicitur. Vir enim, qui ejusmodi nomen præferebat primus huic titulo presb. præfectus, in eodem quoque, ut Acta testantur, conditus postmodum fuit. Hanc deinde Ecclesiam Deo in beatæ Pudentianæ honorem, à sanctissimo Pio Romano Pontifice, venerabili virgine Praxede ejusdem sorore enixis id ab eo precibus exposcente, dicatam, ac Baptismalem ibidem fontem extructum fuisse Bibliothecarius in ejusdem S. Pontificis Pii vita his verbis luculenter testatur: *Hic ex rogatu B. Praxedis dedicavit Ecclesiam Thermas Novati, in Vico Patritii, in honorem sororis suæ sanctæ Pudentianæ, ubi & multa dona obtulit: ubi sæpius sacrificium Domino offerens ministrabat: ubi & fontem Baptismalem construi fecit, manu sua benedixit, & consecravit, & multos venientes ad fidem baptizavit in nomine Trinitatis.* Hæc ibi.

Baron. in not. ad Mart. Rom. die 19. Iun. Senec. lib. de Ira lib. de consol. ad Marciam.

Domus Pudentis Senatoris.

Novati & Timothei Thermæ.

Titulus Pastoris.

Ecclesia S. Pudentianæ.

Sacer fons Baptismatis in Ecclesia S. Pudentianæ.

Bibl. in S. Pio Pap.

2 Verum non Pium ipsum dumtaxat venerandæ mem. Pontificem, sed & cæteros quoque summos ac beatissimos Urbis Romæ Pontifices, dum Ecclesiam Dei sævissimi quique tyrannorum acrius impeterent, eodem in titulo ad Christi fidem ultro accedentes baptizasse eorumdem in Actis legitur: & ut res prolatis in medium exemplis comprobetur, quis nesciat hoc potissimum loco à sancto Stephano Papa, beatos Nemesium & Lucillam sacris de more baptismalibus aquis ablutos fuisse; ut ejusdem acta his quidem verbis edocent: *Et statim eadem die beatus Stephanus Episcopus Urbis Romæ, duxit eum, Nemesium nempe, in titulum Pastoris, cumque catechizasset eum, & filiam ejus, secundum consuetudinem Christianorum indixit eis jejunium, usque ad vesperam. Hora autem appropinquante jam vespertina, benedixit fontem in titulo supradicto, deposuitque Nemesium in aqua, dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizo te. Tunc baptizavit & filiam ejus nomine Lucillam, quam etiam ipse de fonte levavit. Cœperunt autem multi ad vestigia B. Stephani Episcopi prosternentes se, flagitare cum lacrymis, ut baptizarentur ab eo: baptizatique sunt in eadem die, qua Lucilla illuminata est, promiscui sexus numero sexaginta duo. Et exinde multi cœperunt, divina gratia procurante, occurrere B. Stephano ex gentibus honesti viri, ut baptizarentur ab eo, &c.* Ex quibus nunc in primitivorum Urbis Romæ Christianorum laudem illud profecto compleri videbatur, quod Chrysost. de illis prædicat: *Domus*, inquit, *primis illis temporibus Ecclesiæ erant.* Ita plane Pudentis senatoris domus divino cultu, ac sacramentorum ministerio decorata, ex privata domo, publica, ac sacrosancta Urbis Ecclesia reddita est. Sed de eadem domo plura in rem præsentem infra, nunc interim de Novati, & Timothei duntaxat Thermis agendum est.

SS. Nemesius, & Lucilla.

Act. B. Steph. Pap.

Chrys. hom. 22. Act. Apost.

3 Extat vero adhuc hic idem in Urbe titulus

inter

inter cæteros tum præcipuo venerationis cultu, tum merito recolendæ antiquitatis jure celeberrimus; quem longa post secula præ nimia vetustate collabentem Henricus Cajetanus Presbyter Cardinalis ejusdem Tituli instauravit, atque ornamentis quampluribus egregie auctum meliorem in formam redegit. In sacræ hujusce ædis vestibulo locus quidam crate circum ferrea vallatus putei formam præ se ferens cernitur, in quo à piissima virgine Pudentiana sacrum beatorum quidem trium millium numero Martyrum sub Antonino Imperatore interemptorum, & isthic in præsens quiescentium cruorem collectum spongia, ibidemque reconditum fuisse, vetustissima ejuscemodi, quæ ibidem affixa est, inscriptio legentibus ultro testatur:

Puteus in Ecclesia S. Pudentianæ, in quo existunt corpora trium millium martyrum.

HOC EST COEMETERIUM
PRISCILLÆ,
IN QUO EXISTUNT CORPORA
TRIUM MILLIUM MARTYRUM,
MARTYRIO
PER ANTONINUM IMPERATOREM
AFFECTORUM. QUOS S. PUDENTIANA
FECIT IN HOC SUO VENERABILI
TEMPLO SEPELIRI,
ET PROPRIIS MANIBUS SPONGIA
COLLIGEBAT SANGUINEM
SUPRADICTORUM MARTYRUM,
ET REPOSUIT IN PUTEO,
QUI EST AD DEXTERAM HUJUS
ECCLESIÆ IN SACELLO
SANCTI PASTORIS.

Cœmeterium Priscillæ.

Priscilla senior.

Ex cujus nimirum inscriptionis titulo hic Cœmeterium sub Priscillæ nomine olim extitisse colligitur, illius videlicet, quæ dignissima Beati Pudentis Senatoris mater ac sanctarum Pudentianæ & Praxedis avia describitur; à qua potissimum Priscillæ Cœmeterium Via Salaria denominationem traxisse jam diximus. Et quidem satis superque verosimile nobis fit, sanctissimam eandem matronam privatum suæ item domi Cœmeterium statuisse, in quo veneranda Beatorum Christi Martyrum corpora conderet, quæ ad Salariam viam, ubi amplissimum illud extabat, aliquo interdum præpediente obstaculo, libera deferendi facultas haud suppeteret: cujus admiranda postmodum virtutum exempla Pudens filius, & beatissimæ ejusdem neptes sectari nullatenus destitere; dum pari pietatis studio parentum, majorumque suorum vestigiis inhærentes, eodem in loco tot beatorum millium Martyrum corpora religiosæ manus obsequio condiderunt.

Forma ac species Cœmeterii in domo S. Praxedis.

Thermæ Novati.

4 Cœmeterium autem hoc haud aliorum instar in topho excavatum est, sed subterranea quædam concamerata loca, quæ Cubiculorum formam præ se ferunt, ad inferenda defunctorum corpora, extructa atque aptata ibidem fuere. Hæc vero ipsamet forte loca haud temere quispiam extitisse dixerit, quæ Novati, seu Timothei thermarum olim usui deservierant, quas in Ecclesiam, ut dictum est, sacris de more ritibus commutatas, in Cubicula quoque, ac in sepulchralem sanctorum Martyrum usum atque obsequium à Christianis demum redactas fuisse ipsemet Baronius in suis ad Romanum Martyrologium notis XVII. Kalendas Februarii his verbis asserit: *Cœmeterium in ipso Titulo Pastoris, ubi erant Thermæ Novati, quæ & Timothinæ dictæ, ipse balnei inferioris cellæ instar porticuum, sibi concameratione conjunctæ, quæ usque in hanc diem cernuntur pene integræ, Cœmeterii loco adsepeliendos sublatos occulte Martyres inserviisse creduntur.* Quod plane ipsamet experientia, quæ rerum magistra est, Bosius antiquitatum oculatissimus explorator didicit, qui subterranea eadem loca sedulo perscrutari, ac abditos eorundem sinus rimari jugiter non destitit, ut ipsis quodammodo è tenebris rerum antiquarum lucem lynceus veritatis indagator erueret, ac posteris deinde, quæ studioso labore hauserat, libenti animo propinaret.

Baron. in Not. ad Mart. 15. Ian.

S. Symmetrius cum 22. martyribus.

5 Ut conscriptum autem ab Adone pariter Martyrologium die XXI. Junii lectori præ se fert, sanctus Symmitrius una cum aliis viginti duobus Martyribus hoc eodem Titulo officiosa beatæ Praxedis manu tumulo illatus est. hæc enim ibi: *Inde post innumera pietatis opera* (de sancta Praxede loquitur) *post multorum Martyrum sepulturas, inter quos B. Symmitrium presbyterum cum aliis viginti duobus, apud Titulum supradictum* (Pastoris nempe) *manibus suis sepelivit, qui per martyrii palmam ad regna Cœlorum transierunt.* Verum cum idem scriptor diserte alibi, martyrem eundem Symmitrium die XXVI. Maii, in Cœmeterio Priscillæ sepultum fuisse asserat, atque ejusdem ex Actis à beatissima virgine Praxede Via Salaria conditum fuisse constet; ubi illa Pudentem parentem suum, ac Pudentianam sororem ante condiderat, asserendum nobis proculdubio est, Symmitrium athletam Christi beatissimum, post nobile consummatum pro fide martyrium, confestim in privato hoc Cœmeterio depositum: subinde vero ad amplissimum Viæ Salariæ Cœmeterium, suborta temporum opportunitate delatum fuisse, ut & ipsi Pudentianæ virgini obtigisse recolendæ historiarum paginæ enarrant, cujus sacrum corpus cum in suo Titulo, seu Cœmeterio octo & triginta diebus quievisset, ad alterum postea, quod Via Salaria extabat, honorifice deportatum, in eo juxta Pudentem patrem officiose conditum est.

Ado in Mart. die 21. Iunii.

Ado in Mart. die 26. Maii.

Cœmeterium Priscillæ.

S. Pudentiana.

Porro ejusdem, & sanctissimæ item Praxedis virginis corpora à Paschale Primo in Urbem deinde translata fuere & sacræ earumdem reliquiæ unà cum vasis, quibus pretiosum beatorum Martyrum cruorem lectissimæ virgines passim hauriebant, dum Henrici Caietani S. R. E. Cardinalis studio Ecclesia, de qua nunc agimus, pristino decori redderetur, inter antiqua venerabilis ejusdem loci monimenta repertæ, majori sub ara eo honoris cultu, quo par erat, recondi meruerunt. Ut nunc autem à Thermis expediti, ipsiusmet Pudentis domum sanctitate conspicuam, & omni veneratione dignissimam ingrediamur.

Translatio corporum SS. Pudentianæ, & Praxedis.

Vasa in quibus sanguis martyrum colligebatur.

6 Quod ad Pudentem attinet, Baronius in Ecclesiasticis Annalibus consulendus est, qui condignas Viri hujus laudes exacte describens, eum quasi digito legentibus demonstrare videtur, cujus & Apostolus ipse jucundissimam in 2. ad Timoth. epist. mentionem his verbis ingerit: *Salutat te Ebulus, & Pudens, et Linus, & Claudia, & fratres omnes.* En qua ratione inter præcipuos Christianorum, qui Romæ tunc aderant, veluti Dux atque omnium antesignanus Pudens recensetur, qui cunctos fere Christianos paternis officiis, miro Christianæ pietatis studio, sibi demereri satagebat: *Hic vero* (ut Baronius ait) *est vir ille clarissimus Senatorii ordinis Civis Romanus, pater Novati, atque Timothei, Praxedis, ac Pudentianæ virginum: hujus domus ad radicem Viminalis posita prope Exquilinum patuit omnibus Christianis, ubi & Sacræ agebantur Synaxes. Conversaque deinde penitus in Ecclesiam eadem Pastoris titulo dicta est, de qua alibi pluribus.*

2. idem Timi 9.

Pudens Senatorii ordinis.

Baron. to. 1. an. 59. n. 18.

Hæc

Pudentis domus Petri Apostoli hospitio clara. Bar. to. 1. an. 44. n. 61.

Hæc Baronius, qui & illud singulare viri præconium addit, quod videlicet intra eamdem domum B. Petrus Apostolorum Princeps hospitio quoque exceptus fuerit, ubi Romanis primum Christi Euangelium, Petro annunciante, innotuit: *Cæterum* (inquit) *ubi Petrus Euangelium prædicans Gentilibus innotuit, non amplius apud Iudæos permissus est agere, sed à Pudente Senatore, qui Christo credidit, in domum suam exceptus est, quæ erat in Viminali, ubi postea titulus erectus est Pastoris titulo nuncupatus.* Vides igitur domum hanc ipsius Apostolorum Principis aspectu, atque hospitio apprime nobilitatam, & pia aliorum Sanctorum Christi confessorum ac Martyrum consuetudine singulariter excultam, & quod majus est, in Christianæ Religionis asylum, & Christianorum confugium dedicatam fuisse; quin imo ipsorum quoque Beatorum Martyrum sanguine, quem uberrime inter Urbis carnificinas redundantem passim Pudentiana Virgo spongia collectum, illic servandum ingerebat, ac si nobilissimo aurei liquoris thesauro, cæterorum instar Cœmeteriorum consecratam peculiari devotionis cultu suspiciendam esse, ut quis merito sanctitatem loci recolens admirabundus una cum Iacobo exclamare queat: *Vere hic domus Dei est, & Porta Cæli.* Domus, inquam, in qua Deus Sanctis suis veluti templis invisibiliter inhabitabat, ut enim scriptura loquitur: *In domibus eorum cognoscetur Deus*, & vere domus hæc porta Cæli, cum ubi Petrus Cæli ostiarius, cui Regni Cælorum claves à Christo Domino traditæ sunt, excipiendis intra Ovile Domini accedentibus Ecclesiæ fores adaperiens ac intra ipsam Cæli januam inserendis, jam tum omnibus patens morabatur.

Pudentis domus asylum Christianorum.

Gen. c. 28. v. 8.

7 Verum hic parumper tu quis es, pie ac studiose lector subsiste, & nobis interim hæc enarrantibus, immensam Apost. Principis gloriam admirabundis oculis suspice; quippe qui cum hospes aliquando ac inermis UrbemOrbis dominam subjerit, eamdem jugo Christi feliciter subegit: *Ut quæ erat magistra errorum*, ut D. Leo inquit, sub ipsius Petri magisterio *fieret discipula veritatis; & gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis, & regia per sacram B. Petri sedem, caput Orbis effecta, latius præsideret religione divina, quam dominatione terrena; quamvis enim multis aucta victoriis ius imperii sui terra, marique protulerit: minus tamen est, quod illi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subegit.* Ita plane magis patent Piscatoris, quam Imperatorum omnium triumphi: quapropter divini plane numinis impulsu factum est, ut B. Petro Apostolo, qui primum in Urbem adveniens à Pudente Senatore ad Collis Viminalis clivum hospitio exceptus, circumvicinas regiones, & totam subinde Urbem verbo, ac præsentia illustravit, perpetuum grati animi, & rerum præclare domi, forisque gestarum monimentum in Traiano foro ad Quirinalis Collis, qui Viminali proxime adjacet, radices sito: in foro, inquam, omnium celeberrimo, in quo insignioribus olim viris statuæ erigebantur, postremo seculo à Sixto Quinto Pontif. Maximo erectum, dicatumque sit, hoc nobili titulo in superno columnæ ejusdem fastigio perpetui instar monimenti inscripto:

Petri Apostoli gloria.

Leo Pap. ser. 1. de natali App. Petri & Pauli.

In foro Trajano Petro Apostolo statua posita.

SIXTUS V. B. PETRO APOST.
PONT. AN. IIII.

Hoc quippe forum, ut de cæteris taceamus, præter alia ornamenta multiplicibus statuis exornabatur, ut Gellius his verbis innuit: *In fastigiis fori Trajani, simulacra sita circumundique inaurata, &c.* Et congrue quidem Petrus Apostolus triumphali hac columna in Urbe insignitus est, qui quondam sub Nerone ad alteram ex columnis pariter, quæ nunc in beatæ Mariæ Transpontinæ Ecclesia suspicitur, ut Baronius in suis Annalibus refert, alligatus, ac fustibus verberatus, dedecoris notas exceperat, ut eleganter sacer poëta hisce carminibus rem totam eleganter expressit:

Apud Bapt. Manlium de Vrbis Topographia.

Ut vinclis tenuit Petrum, sic alta columna
Sustinet, hinc decus est, dedecus unde fuit.

Hoc igitur loco totius ordinis Apostolici Princeps, qui primum hospes intraverat, in cochlide Trajani columna, eidem Parthis olim, ac Dacis devictis erecta pedem fixit, ut quod ab Isaia Prophetico olim spiritu prænunciatum fuerat, in Petro quis adimpletum probe intelligat: *Civitatem sublimem humiliabit: humiliabit eam, usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.* Petro siquidem Apostolorum Principi, qui primus crucis vexillum Romanis arcibus intulit, & Urbem universo Orbi dominantem, Christi jugo subdidit, Trajanæ Columnæ fastigium, basis ac perpetui instar monimenti dicatum est, cui nos nobilissimum veluti titulum, quæ ab Angelo Bargæo conscripta sunt carmina, insculpimus.

Isaia. c. 26.

Quam quondam posuere Patres, populusque Columnam,
Trajano, ob victos, pectora sæva, Getas.
Hanc Xysti pietas quinti, ter maxima sanctis
Subegit pedibus, Petre beate tuis.
Ut quæ Barbaricis Urbem testata potentem est,
Gentibus imposito, colla gravasse jugo.
Hæc eadem parere tibi testetur, & Urbem,
Terrarum, & quidquid maximus Orbis habet.

Angel. Barg. apud Ciaccon. in Vit. Sixt. V.

Quibus vel obiter in rem præsentem memoratis, jam ad nostra, si libet, ad Pudentis videlicet domum, è qua paulo ante discessimus, pedem convertamus.

8. Porro Pudentis domus B. Petri hospitio nobilitata, præcipuo jugiter honoris cultu habita est, nec tantum enim frequentes huc Christiani convenire consueverant, sed & eorumdem sanguis, qui martyrii palma pro Christo donati sunt, sanctarum Pudentianæ & Praxedis Virginum manu in Urbe passim collectus, illuc servandus in puteum inferebatur: extat enim ad hanc usque diem puteus sacro refertus cruore, qui nobili item titulo illustratus, summa omnium veneratione colitur. In Ecclesia autem S. Viti in Exquiliis lapis quidam ferrea crate circumdatus adhuc visitur; supra quem multa sanctorum Martyrum millia (ut pia traditio fert) pro Christo interempti fuere: præmemoratus autem lapis, ut ex traditione item didicimus, unus ex illis extitit, qui *Petra scelerata*, vulgo appellabatur, quam gentiles hoc nomine ob intestinum, quo Christianos prosequebantur, odium, appellabant. Porro virgines, quas meminimus, Praxedes & Pudentiana tum pro fide peremptorum sanguinem studiose colligebant, tum etiam eorundem corpora clam sepultura donabant, ut palam in earundem actis exhibetur; corpora enim Symmetrii presbyteri, & aliorum duorum & viginti Christianorum, qui Antonini jussu in ipsamet Praxedis domo, quo Christiani confluere consue-

Pudentis domus multorum martyrum sanguine nobilitata.

Ecclesia S. Pudentianæ virg. Puteus sanguine martyrum abundans.

Lapis multorum martyrio insignis.

Petra Scelerata.

Symmetrius presbyt. & socii martt.

consueverant, cum pia virgo jugulatos vidisset, noctu in Priscillæ Cœmeterium perhonorifice humanda detulit. Certe quidem ipsemet Praxedis titulus innumeris sanctorum Martyrum exuviis illustratus est, tum eorum qui obsequente Virginis manu sepulturæ ibidem locum obtinuere collecto, illatoque unà cum corporibus eorundem sanguine, tum eorum etiam, quorum corpora Paschalis Papa è diversis Cœmeteriis levata illuc congessit, quæ quidem numero sunt bis mille, tercentum, ut inscriptus marmori titulus præ se fert, & picta parieti imago, quæ in majori arcu extat, videndum his additis notis exhibet:

S. Praxedis titulus.

Duo millia & trecenta corpora martyrum.

Emicat aula piæ variis decorata metallis,
Praxedis Domino super æthra placentis honore,
Pontificis summi studio Paschalis alumni
Sedis Apostolicæ passim, qui corpora condens,
Plurima sanctorum subter hæc mœnia ponit
Fretus, ut his limen mereatur adire polorum.

Sever. l. de sep. Eccles.

9 Præter recolenda autem beatorum Martyrum pignora, in præmemorata item Ecclesia imago quædam Christi Salvatoris effigiem ad vivum exhibens tessellato opere elaborata cernitur, quam S. Petrus Apostolus Pudenti Senatori Praxedis genitori, apud quem diverterat, dono dedit, Græcis quidem litteris ipsius Petri nomine exarato, cujus venerandæ imaginis Lindanus his plane verbis meminit: *Tam erat Pudens iste D. Petro charus hospes, ut ipsi tabellam donarit, quæ Domini Iesu effigiem habebat, non coloribus depictam, sed opere mosaico tessellatam, cujus fragmentum etiamnum hodie ad D. Praxedis (quæ ejusdem Pudentis fuit filia) videre est. Verum ipsa facies Domini sublatis spectantium peregrinorum pia cupiditate tesserulis est dominicæ faciei vestigio, quod Dominum Christum oblonga, non crassa, sed macilenta, & tenui fuisse facie contestatur, ut & veriores passim Romæ, alibique ipsius loquuntur effigies, sic & in illo stupendo D. Veronicæ peplo est animadvertere, qui studiose ipsum intueri valeat. Huc non parum facit, quod Tabellæ est litteris Græcis insertum* Πέτρος ὁ Ἱερεὺς. & hæc de Pudentis domo Principis Apostolorum hospitio, frequenti Christianorum cœtu & sacrorum martyrum exuviis nobilitata enarrasse sufficiat, quæ jure merito ad Subterraneam quoque Romam, tot martyrum sepulchris, & Christianorum ibidem persecutionum tempore delitescentium incolatu illustrem, congrua quidem ratione pertinere videtur. Extat in eadem Ecclesia ad dexteram intrantibus altare ligneum, ad modum arcæ compactum, in quo B. Petrus, dum apud Pudentem hospitio receptus moraretur, ut pia fert traditio, immortali Deo sacrificium offerebat. Lignea autem altaris tabula præ vetustate nimia consumpta cernitur, & sub altari lapideo locata est, in quo S. Petri statua cernitur, hoc autem titulo notatum est, videlicet.

Imago Domini Iesu in Ecclesia S. Praxedis.

Lindan. apolog. pro Liturgi. S. Petr. c. 17.

Faciei Christi Domini delineatio.

Sever. in lib. de sept. Eccl.

Altare in quo S. Petrus sacrificium fecit.

IN HOC ALTARI S. PETRUS
PRO VIVIS ET DEFUNCTIS, AD
AUGENDAM FIDELIUM MULTITUDINEM
CORPUS ET SANGUINEM
DOMINI OFFEREBAT.

Extat insuper ad lævam ejusdem Ecclesiæ, alter hic titulus marmori insculptus, qui totum loci ambitum præcipua veneratione dignum denotat: hæc autem sunt verba:

IN HAC OMNIUM ECCLESIARUM
URBIS VETUSTISSIMA,
OLIM DOMO S. PUDENTIS SENATORIS,
PATRIS SS. NOVATI, ET TIMOTHEI
ET SS. PUDENTIANÆ
ET PRAXEDIS VIRGINUM,
FUIT SS. APOSTOLORUM PETRI
ET PAULI HOSPITIUM PRIMUM AD
MARTYRUM ET CHRISTIANORUM
BAPTISMUM, ET AD MISSAS
SACRAMQUE SYNAXIM,
SUB ALTARI JACENT TRIA MILLIA
CORPORA SS. MARTYRUM,
ET COPIOSUS SS. SANGUIS, &c.

Titulus Ecclesiæ S. Praxedis.

Age jam ad alia properemus.

CAP. XLIV.

De subterraneis Domitianis, sive Trajanis Thermis, & de antiqua beati Silvestri Papæ intra easdem Thermas Ecclesia, quæ non multis abhinc annis Vrbi innotuit.

1 Quoniam de subterraneis potissimum Urbis Romæ locis mentio incurrit, in quibus Christiani, dum ingruerent persecutionum procellæ, ad sacra obeunda munia, & ad Synaxas de more peragendas convenire consueverant; hic de Domitianis, seu Trajanis Thermis, quæ diu subterraneas inter tenebras ab oculis procul toti Christiano orbi invisæ delituere, & vel ab ipsis Christianæ fidei incunabulis in sacrum Ecclesiæ usum destinatæ, confluentibus illuc fidelibus, nobilis instar asyli inservientes, ad divinorum participationem mysteriorum tuto omnes, qui illuc confugiebant, sinu excepere.

Thermæ Domitianæ jam inde ab initio Christianorum perfugium erant.

2 Cum enim B. Silvester Romanus ad summi Pontificatus apicem evectus tunc temporis fuisset, quando Christianis haud palam agere persecutorum metu fas erat. Quippe etsi Constantinus jam probe de Christianorum Religione sentiret, adhuc tamen eorumdem fides male admodum apud Senatum, urbanasque Præfecturas olebat, iidemque haud pacifice, ubi erant, versari permittebantur. Quamobrem, ut Baronius in suis ad Romanum Martyrologium Notis edisserit, Silvester paterna relicta domo, quæ ad Campum Martium eo loco sita erat, ubi nunc Monasterium, & sub ejusdem S. Silvestri titulo Ecclesia conspicitur, delitescendi gratia, in Exquilinum collem intra sacerdotis cujusdam prædium se recepit, cui nomen Equitius, & quo satis familiariter utebatur.

B. Silvester Pontifex.

Constantino fidei quidem æquo, sed Senatu adhuc iniquo Christiani latebant.

Baron. in not. ad Mart. fol. 710.

B. Silvester è domo paterna in collem Exquilinum concedit.

3 Porro Collis hic præclaris olim, ut historiæ narrant, habitatoribus, & inquilinis mirifice nobilitatus est: hic enim Pompeii Magni & Ciceronis domum, & aliam insuper, in qua ipse Octavianus Augustus educatus fuerat, extitisse fama percrebuit. Eodem in Colle recolendæ amplitudinis, ac magnificentiæ ædificia quamplura suspiciebantur. Inter quæ potissimum Titianæ Thermæ extabant, quæ à Tito Vespasiani Imperatoris filio erectæ primum fuerant, & postmodum Domitianæ, ac Trajanæ, utpote ab eisdem Imperatoribus aquarum rivulis abunde locupletatæ, ac multiplici adauctæ ornamentorum genere, dictæ sunt. In peculiari vero Thermarum, quas modo descripsimus, parte Equitius præclari nominis vir domum obtinebat, apud quem cum beatissimus Pontifex habitationis locum elegisset, ibidemque sedem mansurus fixisset, Oratorium sibi extruxit, ubi clam Pontificalia

Exquilinus præclaris olim habitatoribus illustris.

Et superbis ædificiis splendidus.

Equitii domus in eodem Colle sita.

munia

munia de more exercens, fidelibus illuc jugiter confluentibus sacramenta impertiri, mœstosque inter adversa, quæ tunc ingruebant, solari consueverat. Extat adhuc eodem in Oratorio picturis exculto marmoreum altare, supra quod idem B. Silvester omnipotenti Deo incruentum offerre Sacrificium in more habuit: & nonnullorum insuper sanctorum imagines ibidem ad hæc usque tempora conspiciuntur. Ne hic autem locus antiquitate, ac sanctissimi incolatu Pontificis jugiter recolendus, condigno venerationis cultu destitueretur, sacerdos quidam hoc nobili postmodum titulo insignitus, characteribus Gothico quam similibus, parieti inscriptis eundem postmodum illustravit, quæ studioso lectori hic recitare voluimus:

In illa S. Silvester Oratorium extruit. Altare ibi marmoreum hodieque visitur, in quo S. Silvester sacra faciebat.

Fracta vetusta nimis, solisque relicta ruinis,
Ne Silvestri obeat noctis amica domus,
Presbyter hanc renovat, sacrumque altare vetustum
Repparat, hincque Dei, Præsulis hincque decus.

4 Porro in præmemorato Equitii titulo multorum annorum spatio Silvestrum Pontificem delituisse, vel ex eo probabile fit, quoniam, etsi Constantinus Imperator Christianis propensius faveret, cum tamen ab Urbe procul esset, & Urbs truculentam Maxentii tyrannidem pateretur, Christianis clam inter tenebras degere opus erat; vel tum præsertim quia postquam Constantinus Christi fidem amplexus est, Idolorum cultores acriter in Christianos prosiliebant. Quapropter Silvester ut se gentilium furori (quod Christus in Euangelio edocuit) dando locum furentium iræ, subtraheret, iterum ab Urbe exul apud Soracten montem latebras quærere compulsus est. Sed Constantino deinde in somnis divinitus admonito, quanam ratione à lepræ, si vellet, contagio liber evaderet, dum salutari scilicet Baptismate ablutus, Christo nomen daret, profanisque Idolorum superstitionibus nuncium remitteret. Quapropter superno ipse afflatus numine ad conquirendum Silvestrum exploratores in Soracten misit, quos cum à longe vidisset imperterriti animi sacerdos, jam præ foribus optatum martyrii tempus adesse ratus, ad suos conversus ait: *Ecce nunc tempus acceptabile*, ac si mox ad tormenta, ad carnificinam, ad necem ob fidei confessionem sistendus esset. Sed res optime Christianorum Religioni cessit: Silvester quippe in Urbem evocatus, benigne ab Augusto exceptus, haud illatas sibi contumelias, sed honores ultro sibi delatos præter animi expectationem deprehendit. Mox igitur Imperator Baptismali fonte ablutus, & immane innocui sanguinis balneum detestatus, à lepra divinitus expurgari meruit. Quo tempore illud pro Christianis sanciendo rescripsit, ut ubique nimirum templa, & Ecclesiæ erigerentur, vel quæ jam à Christianis erectæ erant, adeuntibus ultro, ac libere paterent.

Ad Equitii titulum multos annos S. Silvester commoratus est.

A Constantino quæritur, & in Urbem accersitur.

... benigne ... eodem ... cipitur. ... onstanti... s bapti... tur, & à ... ra pur... tur.

5 Quocirca Silvester, haud ulla interposita mora, temporis opportunitate fretus, in præmemorato loco Ecclesiam extruere cœpit, & ad id opus Thermarum, quæ Titianæ dicebantur, partem, quæ sub Oratorio à se erecto sitæ erant, sapienti consilio destinavit: perfectoque jam opere, ad solandos Christianorum animos eandem in Ecclesiæ usum sacris de more ritibus sub præmemorati Equitii titulo instituit, ut ex M. S. Damasi Papæ Codicibus, qui apud Vaticanam Bibliothecam asservantur, & ex ipsius Bibliothecarii verbis hunc in modum videre est: *Hic fecit in Urbe Roma Ecclesiam in prædio cujusdam presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius, juxta Thermas Domitianas, quem titulum Romanum constituit, & usque in hodiernum diem appellatur titulus Equitii.* His interim enarratis isthæc paulo infra Damasus subjicit: *Eisdem temporibus constituit B. Silvester in Urbe Roma titulum suum in regione tertia juxta Thermas Domitianas, quæ cognominantur Trajanæ, titulum scilicet Silvestri.*

... Silvester ... Thermis Titianis Ecclesiam exstruit.

... Rom. ... in S. Silv.

... in Silv. ... 16.

Damas. lib. de Rom. Pont.

6 Ecclesiam autem, cujus hic Damasus meminit, Deiparæ Virgini ab eodem Silvestro dicatam fuisse nonnulli asserunt, ad id asserendum permoti ex perantiqua ejusdem Virginis imagine ex musivo confecta, quæ adhuc ibidem cernitur, etsi temporum injuria, hæc jam ex parte exciderit. Præmemorata autem imago quodam in loco, qui in ampliori Thermarum ambitu, in altaris formam aptatus est, cernitur. Sacris vero picturis eundem locum, quem in Ecclesiæ titulum Silvester erexerat, excultum fuisse, profano gentilitiæ superstitionis cultu, ac ornamentis omnino abolitis, credere par est, ut ipsiusmet loci prospectus intuentes admonet.

Ecclesiam Deiparæ dicasse S. Silvestrum opinio est.

7 Quod autem ad sacras nunc Christianorum imagines ibi expressas attinet; in fornice majoris Thermarum alæ, Crux miræ magnitudinis variis distincta coloribus contemplanda exhibetur, quæ præcipuum quidem Christianorum inter exurgentis fidei primordia signum, ac ornamentum esse consueverat. Ibi pariter in altero inferioris ordinis fornice Christi Salvatoris imago, unà cum sanctorum Pauli Apostoli, & Processi martyris imaginibus ad dexteram cernitur, ad sinistrum autem latus, B. Petri Apostoli, & Martiniani martyris effigies coloribus adumbratur. In cujusdam item arcuati fornicis prospectu, Agnus media quidem parte candidus, qui Christi symbolum est, librum sub pedibus præferens suspiciendus occurrit, quem à dextris Joannes Præcursor his plane verbis velut digito præmonstrare videtur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* eundem vero ad lævam Joannes Euangelista illis itidem verbis prænotat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Præterea, ut singula hic brevi sermone perstringamus, sacer idem locus quampluribus Deiparæ imaginibus diversimode pictorum penicillo delineatis nobilitatur: sanctarum item virginum, quas eidem beatissimæ Dei Genitrici ornamenti conciliandi gratia pictorum manus adjunxit. Verum haud hic silentio obvolvendum est, in tribus videlicet locis, quæ fornicem usque pertingunt, tres palmarum arbores fructibus onustas intuentibus contemplandas exhiberi: palmam quippe justorum symbolum esse, nemo sacræ antiquitatis studiosus est, qui nesciat: quapropter toties in sacris Christianorum Cœmeteriis Christi martyrum corpora hoc victoriali præsertim symbolo prænotantur: & cum locus, quem supra memoravimus, in interiori parte vacuus appareat, fieri etiam potuit, ut martyrum ibi exuviæ, sicuti olim mos erat, reconditæ subsisterent.

De picturis, quæ in Ecclesia S. Silvestri ad Thermas Titianas visuntur.

Palma justorum symbolum præ se fert.

8 Verum enimvero illud à nobis hic statuendum videtur, præmemoratas imagines sub ipsa Constantini tempora pia pictorum manu concinnatas ibidem fuisse, tum quia hæ parum perpolitæ sunt; cum eo potissimum seculo rudis admodum pictorum ars existeret, multiplici Christianorum artificum, & præcipue præstantium numero impiis persecutorum gladiis resecto; id autem vel ex eo per-

Temporibus Constantini dictas imagines ibi depictas dicunt.

Cultus sacrarum Imaginum ævo Constantini eximie floruit. Adriani Papæ ep. ad Carolum Mag.

ſpicue comprobatur, quod ſub ipſa Conſtantini tempora ſacrarum imaginum cultus magis magiſque vigere jam cœperat, ut ex verbis Adriani Papæ primi ad Carolum Magnum in hunc modum ſcribentis videre eſt: *Enimvero in primo ſancto Concilio ſæpius oſtenſum eſt, quia Sanctus Silveſter Papa, & Conſtantinus Chriſtianiſſimus Imperator, venerati ſunt ſacras Imagines, & cum nomine Chriſtianitatis palam coram omnibus fideliter, atque mirabiliter eas oſtenderunt, & à tunc uſque hactenus Sanctorum Pontificum, videlicet Silveſtri, Marci, & Iulii miræ magnitudinis ſanctæ eorum Eccleſiæ apud nos ſunt depictæ, tam in muſivo, quamque in cæteris hiſtoriis cum ſacris imaginibus ornatis.* En tibi, ò lector, patentibus utique notis venerandas ſub B. Silveſtro imagines, quæ coloribus in erecta ab eodem Eccleſia pictæ ſunt, deſignat, & digito, ut ita dixerim, demonſtrat: quas profecto picturas ea ætate, qua hæc ſcribebat, illibatas omnino, ad quadringentos videlicet annos poſt Silveſtrum perſtitiſſe credere par eſt, & quas hic innuere viſus eſt.

Eccleſia à D. Silveſtro ſupra Thermas Titianas excitata ſubſiſtit.

9 Porro deſcripta à nobis hactenus Divi Silveſtri Eccleſia ſupra Titianas Thermas ingentis molem magnitudinis exhibentes ſubſiſtit, quæ lateritia ſatis vaſta eidem ad ſuſtinendum fulcimenta præbent, in ejuſdem autem Eccleſiæ parietibus, & variis quidem locis, foramina quædam, & concavitates conſpiciuntur, quas ad martyrum inferenda, ſervandaque corpora, uti in Cœmeteriis conſuevit, aptatas pia Chriſtianorum manu fuiſſe, haud nobis improbabile redditur. Quod autem immanes iſtæ ſubſtructiones in Thermarum olim uſum deſervierint, ex variis quidem cuniculis, quibus aquæ infundebantur, & calidus aër evaporabat, patens ſit.

Pace reddita Eccleſiæ prima fuit, quæ à populo palam frequentari cœpit.

10 Oborta igitur optata temporum tranquillitate ad Eccleſiam hanc Chriſtiani hilares, vegetique confluebant, & patefactis ex inſperato Eccleſiarum valvis, haud clam, ſed in ipſa pomeridiana luce, immortali Deo placabiles hoſtias, ac ſacrificium laudis offerebant: cum interim Conſtantinus Silveſtri exemplo permotus, Eccleſiis munifice extruendis manum admovit. In ſuo quippe Lateranenſi palatio Salvatori Ædem conſtruxit: in Vaticano Colle B. Petro Baſilicam: aliam inſuper Oſtienſi Via B. Paulo erexit: Ædem quoque S. Crucis in agro Seſſoriano, D. Agnetis Via Nomentana, & Laurentii martyris Via Tyburtina magnificentiſſime exædificavit.

Conſtantinus Eccleſiis ædificandis continuo operam dedit.

Quot nominibus Eccleſia S. Silveſtri veneratione digna ſit. In ea fides Chriſti abjecto gentilium metu in publicum primum prodiit. In eadem duo Concilia à S. Silveſtro celebrata.

11 Porro quo venerationis cultu B. Silveſtri Eccleſia à fidelibus excolenda ſit, illud potiſſimum pio lectori ſuadere videtur, quod primum quidem eodem in loco Chriſti fides è tenebris emerſit, ibidemque pietas, ac religio domicilium, ac ſedem ſortita eſt: hic quippe poſt expiatum baptiſmali fonte Conſtantinum, duo Concilia à Silveſtro Pontifice celebrari contigit, primum videlicet Romanum anno Chriſti 324. in quo Epiſcopi numero 284. totuſque Romanus Clerus devote convenit ad hymnum laudis immortali Deo canendum ob Imperatorem Eccleſiæ feliciter adjunctum, & ad ſalubriter Eccleſiæ regimini proſpiciendum: ubi quoque præcipua ad Nicænum Concilium præludia communi Patrum conſenſu præhabita fuere; quod poſtea primum Concilium Nicænum appellatum eſt; in quo nefanda, ac impia Arrii dogmata rejecta, ac tenebris addicta ſunt: & orthodoxæ fidei ſymbolum, veluti validum Chriſtianorum propugnaculum cunctis plaudentibus editum eſt. Quod autem hoc potiſſimum loco Concilium quod primum Romanum dicitur, à S. Silveſtro conflatum ſit, ipſa Concilii verba id aperte legentibus demonſtrant: in primo enim Canone, qui ſancitus eſt, iſthæc recitantur: *Et quoniam mater Eccleſia genuerat filium chariſſimum Conſtantinum, Silveſter Epiſcopus Urbis Romæ collegit univerſam Synodum Epiſcoporum, cum conſilio Auguſti, vel matris ejus, & fecit parari in Urbe Roma, intra Thermas Domitianas, quæ nunc cognominantur Trajanæ. Collegit autem in gremio Sedis ſuæ &c.* Quibus verbis iſthæc Baronius ſubtexit: *Epiſcopi convenerunt in titulum Silveſtri, & fuerunt hæc veluti quædam Chriſtianæ pietatis encænia de primo Chriſtiano Imperatore ſummo omnium gaudio celebrata.*

Conc. gen. t. 1. p. 1.

Baron. in Silv. fol. 265.

Primo Concilio Conſtantinus cum matre Helena interfuit.

12 Porro in hoc ſacro Concilio ſoli dumtaxat Epiſcopi conſederunt; presbyteri vero cum reliquo clero ſtantes, ut acta exhibent, adfuere, & illud inſuper præſentia ipſemet Conſtantinus Magnus unà cum piiſſima matre Helena Auguſta illuſtrare, ac inſignire voluit, cui Calphurnius item Urbis Præfectus, qui ex gentilitate nomen Chriſto dederat, interfuit. Alterum vero Concilium, quod in ejuſdem Silveſtri ædibus celebrari contigit, illud fuit, in quo ipſemet ſanctiſſimus Pontifex una cum 275. Epiſcopis, & presbyteris tanquam ſupremum orthodoxæ Eccleſiæ caput, anno 325. ſingula Nicænæ Synodi decreta, Patribus ejuſdem Synodi exorantibus, Apoſt. auctoritate confirmavit. Eccleſia igitur hæc tot condignis antiquitatis recolendæ monimentis exculta jugi fidelium veneratione, tum ſub ipſo Silveſtro Pontifice coli conſuevit, tum poſtquam idem è vivis deceſſit, tunc enim eadem in ejus honorem, tanquam in perennem Pontificis de Eccleſia optime meriti memoriam, dicata eſt, ut perantiqua Cardinalium hoc Silveſtri titulo prænotata monimenta teſtantur. Poſt longa autem evoluta annorum ſecula, eadem Eccleſia, tanquam de facie haud cuiquam nota, inculta omnino remanſerat, licet ſub jam deſcripto Equitii titulo in ſacris adhuc tabulis ejuſdem dumtaxat nomen vigeret, cui cæteri Pontifices multiplicia ornamenta diverſis ſubinde temporibus comparare non deſtitere.

In altero S. Silveſter Decreta Nicænæ ſynodi confirmavit.

Poſt mortem S. Silveſtri, eidem hæc Eccleſia dicata eſt.

13 Verum dum locus iſte ſubterraneus totius orbis luce digniſſimus, perobſcuris involutus tenebris è conſpectu omnium, atque memoria excidiſſet, preclara Chriſtianæ fidei monimenta nemo erat, qui pro merito recoleret, ſuſpiceretque, cum en tibi, ſub annum redempti orbis 1637. caſu, Deo diſponente, innoteſcit, & Eccleſia pariter S. Silveſtri, & oratorium non inquirentibus ſuſpiciendum, ac venerandum palam fit, ut profecto abſque ullo ambigendi ſcrupulo manu quiſque deprehendat, ſub uno, eodemque Equitii titulo, duas olim Eccleſias recenſitas fuiſſe; alteram à S. Silveſtro in præmemoratis Thermis erectam, & alteram eaſdem apud Thermas in ſuperiori parte à Symmacho Pontifice exædificatam, quæ ambæ ita ſitu differunt, ut una inferior ſit, quæ S. Silveſtri dicitur, altera vero ſuperior, quæ à Symmacho Pontifice initium habuit.

Binæ ſub Equitio titulo olim Eccleſiæ erant.

Altera à S. Silveſtro, à Symmacho altera ædificata.

14 Verum ſubſiſte parumper lector, dum nobis interim hic exclamare licet: O locum omni plane veneratione digniſſimum (de ſubterranea nunc loquor Eccleſia, ad quam è ſuperiori D. Martini templo aditus patet) ò locum, inquam, à fidelibus

Locus omni veneratione dignus eſt Eccleſia S. Silveſtri, quare?

jugiter

jugiter ſuſpiciendum; qui Silveſtrum Pontificem ſub ipſa Pontificatus initia inquilinum habuit, qui opportunas eidem ſanctiſſimo viro perſecutionis tempore latebras præbuit: huc invictus Chriſti ſacerdos poſtquam apud Soracten delituerat, in Urbem à Conſtantino evocatus, remeavit; hic precibus à Deo pacis tranquillitatem, & ut in erecta à ſe Eccleſia Euangelium Chriſti palam omnibus annunciaretur, obtinuit: hic duo inſuper celeberrima Concilia ad totius Eccleſiæ ſtabilitatem ac munimentum ab eodem coacta ſunt: hic Pontificia ejuſdem Sedes integro decem annorum ſpatio immota conſtitit: hic demum ſolutis captivorum Chriſtianorum vinculis, & gentilium ſuperſtitione penitus abolita, palam, ac libera fronte Chriſtiana Religio vexillum erigens, de ſubacta Romanæ Urbis idololatria triumphum revexit, ut in ipſius nunc ſubterraneæ Eccleſiæ aditu coloribus adumbrata intuentibus ad vivum imago exhibet. Huc igitur ſubi pie, ac ſtudioſe, tu quis es antiquitatis perſcrutator, & oculis contemplare, ac venerare oſculis locum, in quo tot ſanctiſſimorum Epiſcoporum pedes conſtitere, ubi ſacerdotalis Silveſtri pietas domicilium ſibi defixit, ubi Oratorium ille conſtituit, & ab hominibus ſequeſter cum Deo de Chriſtianorum rebus, & de cunctorum ſalute fiducialius egit. Hic certe locus excelſior Capitolio à fidelibus habendus eſt: ibi enim de tyranno coronam victor Conſtantinus promeruit, nec non de Urbe in libertatem vindicata palmam obtinuit: hic Chriſtianorum fides, ac Religio jubilans de idololatriæ ſuperſtitione trophæum erexit. Ut quid autem cum profano Capitolio locus hic comparandus, qui vel ipſimet Carmeli jugo, in quo Elias zelo Dei incenſus diu latitaverat, æquiparandus videtur? Silveſtrum enim Romanum Pontificem latitantem, pari ac Eliam erga Dei cultum ardore ſucceſum hic locus excepit, fovit, & orbi unà cum Euangelii luce eminus coruſcantem protulit.

...rænefis hujus ...venerationem ...toris ani-...m exci-...s.

...ocus hic ...cleſiæ ...Silveſtri ...apitolio ...referen-...s.

...Eliæ Car-...elo æqui-...randus.

15 Et merito quidem locum hunc pia Religioſorum Carmelitarum Familia multis abhinc annis incolit, ipſius plane Carmeli jugi, ex quo Elias Ordinis ejuſdem auctor exiit, typum exhibentem. Ut adinventos autem hoc in loco ſacræ, latentiſque antiquitatis theſauros lector, cui debes, acceptos referas, id merito pietati, ac ſtudio Reverendiſſimi Patris Jo. Antonii Philippini Romani Carmelitanæ Familiæ Magiſtri Generalis adſcribe, qui cum priorem apud eandem Eccleſiam locum teneret, toto in rem animi ſtudio incumbens, haud ulli parcens incommodo, ac labori, dum loca ſingula venerandæ antiquitatis perquirit, perluſtratque, recolendas, quarum ſermo eſt, Domitianas Thermas, & conſepultam in eiſdem B. Silveſtri Eccleſiam deprehendit: ut autem vir de ſacra antiquitate optime meritus, cunctorum pietatem adaugeat, totum ſacri hujus loci ſubterranei ambitum, lectori ob oculos tabulis æneis delineandum curavit, cujus ille hiſtoriam edito jam ab ann. 1637. ſingulari eruditione hac ſuper re libello explanaverat.

...nc meri-...à PP. ...armelitis ...nc inco-...ar.

...ltus illi ...populi ...neratio

ſtudio Reverendiſs. Jo. Antonii Philippini conciliata.



16 Porro nobilis inſtar monimenti ſacris venerandiſque locis carmina iſthæc inſcripſit:


Carmina Eccleſiæ S. Silv... affixa.

Hoc opus auguſtum ſi cernis forte viator,
Siſte gradum, nam ſunt mira videnda tibi.
Aſpicies Papæ Silveſtri dulce cubile,
Quo conſtat plures ipſum habitaſſe dies.
Inferiora petens, templum mirabere priſcum,
Sub Conſtantino cujus origo fuit.
Quod tunc Silveſter Trajanas extulit intra
Thermas, Exquiliis, Equitiique loco.
Munere multiplici exornans, ſacravit & illud,
Et bis Concilium concelebravit ibi.
En ſacra quanta modis miris monumenta coruſcant,
Ergo avidus viſas, & reverere pius.

Inſcripta hæc interim recolendæ antiquitati carmina debitum devotionis cultum cunctorum animis ingerunt; ad quem Reverendiſſimus idem Pater magis magiſque propagandum, nunc ſuperiorem quoque Symmachi Baſilicam Martino Turonenſi Epiſcopo conſecratam, tot ſacris martyrum exuviis ex nobili Priſcillæ Cœmeterio illuc tranſlatis apprime refertam, vetuſtate collabentem, ingenti plane animo inſtaurare aggreſſus, haud ullis expenſis, aut laboribus parcit, quo minus Eccleſiam omnibus abſolutam numeris, vetuſtate penitus abolita, in novam, ac pulchriorem formam cunctis ſpectabilem exhibeat: in qua antiquam quidem ſtructuræ totius majeſtatem columnæ marmoreæ, quibus incumbunt Eccleſiæ parietes, & recentem hujus ætatis elegantiam picturæ, ſtatuæ, & laquearia venuſtate ſingulari conſpicua, totaque Eccleſia opere architectonico circumveſtita contemplantibus exhibent. Sed, propoſitis primum Tabulis, ad alia tranſeamus.

Superiorem Symmachi Eccleſiam idem Reverendiſs. Generalis ornat inſtauratque.

A Pavimentum musivi operis, albis videlicet ac nigris lapillis elaboratum.
B Crates marmorea, qua subterranea altera Ecclesia illustratur.
C Altera Crates marmorea ad eamdem inferiorem Ecclesiam illustrandam.
D Crux musivi operis fornici intexta.
E Fragmentum sedis marmoreæ S. Silvestri.
F Imago Deiparæ S. Silvestro ad ejus pedes genuflexo benedictionem impertientis.
G Picturæ miscellaneæ cum profanis aliquot Iconibus etiamnum integris à temporibus veterum Impp.
H Locus, ex quo eruta sunt sanctorum Corpora, cui palmæ depictæ imminent.
I Imagines Deiparæ, & duarum sanctarum ab utroque latere.
K Imago Christi cum SS. Paulo, Petro, Processo, & Martiniano. Ex altera autem parte B. Virgo unà cum S. Agnete, & aliis tribus Virginibus. In arcu Agnus super libro unà cum SS. Joanne Baptista, & Euangelista, necnon Sixto adumbratus.



Bina Concilia in Thermis Trajanis celebrata.

Hic quidem Thermarum (quæ Trajanæ dicuntur) locus, venerabilis, atque conspicuus redditur sacris binis Oecumenicis Conciliis, quæ à S. Silvestro Romano Pontifice ibidem, ut diximus, celebrari contigit. Concilium autem primum Romanum (cujus sermo incurrit) in Thermis Trajani in gremio Sedis suæ à Silvestro collectum fuisse, in primo ejusdem Concilii capite expressum reperitur: quo tempore singularis pietas & munificentia Constantini orthodoxos erga patres enituit, quibus ex tota Italia à Silvestro in Urbem advocatis, ab Augusto vehicula suppeditata sunt, & annona insuper, ut ipsiusmet Synodi exordia perhibent. Ex hoc autem tempore Constantinus se in omnibus, & coram omnibus etiam gentilibus (ut Baronius ait) Christianum perfectissimum exhibuit, & in Christiana fide propaganda ardentissimum declaravit, omnia plane contrária persecutoribus Imperatoribus officia explens, quæ quidem Eusebius ejusdem laudator in hæc plane verba digessit:

Euseb. in Vit. Constant. lib. c. 3.

Illi (id est ethnici Imperatores) *Christi famulos domiciliis, & laribus orbatos in exilium ejicere: hic eos omnes domum revocare, & propriis sedibus restituere. Illi eos ignominiis appetere, hic honoribus, & in omnium conspectu illustres reddere. Illi piis viris vitam eripientes, inique eorum bona publicare: hic illos pluribus muneribus benigne, & liberaliter excipiens, ad pristinum statum reducere. Illi per scripta decreta palam contra Ecclesiarum præsides divulgata falsis calumniis eos objectare: hic contra viros eosdem ad gloriam efferre, apud se ad altum dignitatis gradum tollere, & edictis ac legibus multo clariores efficere. Illi sacras ædes precibus destinatas funditus evertere, easque e sublimi disjectas, solo æquare: hic tum eas, quæ supererant, altius erigere, tum novas sumptu ex ipsis regiis thesauris suppeditato magnifice extruendas sancire. Illi mandare, ut libri divinitus inspirati, in ignem injecti, penitus delerentur, hic ut iidem ex ærario regio & ornarentur magnifice, & numero augerentur decernere. Illi jubere, ne Episcopi unquam conventus*

Constantini Magni laus.

Concilium Primum Romanum.
Celebratum in Thermis Traianis. à S. Siluestro, cui interfuerunt CCLXXXIIJ Episcopi cum Vniuerso Clero Romano præsentibus Constantino Magno, Helena Sancta, et Calphurnio Præfecto Vrbis. Nunc Basilica SS. Siluestri, et Martini in Montib. Ord. Carmelitar tituli Æquity.



conventus cogere aggrederentur: hic eos ex omnibus gentibus ad se convocare, intromittere in palatium, sinere in ejus intimas partes penetrare, & laris suæ, mensæque regalis compotes esse, &c. Et infra hæc subjicit: *Illi Dei servos fœdis afficere suppliciis; hic eos, qui hæc patraßent persequi, pœnaque debita Dei ope inflicta, ad meliorem mentem traducere. Sanctorum etiam Martyrum memoriam hic colere non destitit, &c. In quas quidem res oculis conjectis dixerit aliquis merito, novum quendam & insitatum mundi statum modo apparuisse insolito quodam lucis splendore, veluti post crassam caliginem mortali hominum generi elucescente, &c.* Quibus omnibus enarratis isthæc coronidis instar apponit: *Fatendum ergo*, inquit, *universum opus ipsius Dei esse, qui Imperatorem tam pium impiorum multitudini adversariorum opposuerit.* Hæc merito Eusebius. Vides quæ, & quanta laudabiliter Christianæ Religioni Augustissimus Imperator præstiterit. Vides quam exoptata Christianis, qui metu perculsi in tenebris delitescebant, lucis exordia affulserint. Ut autem sacræ hujus Oecumenicæ synodi, qua Urbs Roma, & sacer iste Thermarum locus illustratus est, memoria menti fidelium altius insideat, & oculis quoque jugiter ingeratur, antiquam rei historiam recenti quidem pictura in eadem Ecclesia, qua ad subterranea loca descensus patet, Carmelitanæ familiæ Patres repræsentandam voluere, cujus hic tibi ex novo prototypo oblatam nobis iconem contemplandam exhibemus.

CAP.

CAP. XLV.

De Diocletianis Thermis, quæ sanctorum Martyrum manu extructæ, ac sudoribus illustratæ in Ecclesiam postmodum dicatæ sunt.

1 QUoniam de Thermis hic potissimum agitur, quæ quondam Christianorum usui extitere, haud Thermæ Novatianæ, & Trajanæ, aut Domitianæ dumtaxat, sed Diocletianæ itidem velut sanctorum Martyrum manu singulariter excultæ, in Dei cultum, & Christianæ Religionis obsequium dicari postmodum meruere; illæ quippe olim à B. Silvestro Papa in Ecclesiam, ut diximus, erectæ, hæ vero longa post secula sub Pio IV. Pontifice Maximo dicatæ sunt: diutinis quippe SS. Christi Confessorum, ac Martyrum laboribus jam tum cum Diocletianæ persecutionis gladius desæviret, illustres redditæ, eorundemque pœnis, & sudoribus nobilitatæ, demum, ne condigna tanto operi merces deesset, in Dei honorem, ac Deiparæ Virginis templum consecratæ sunt. Haud enim absque peculiari Dei nutu hæ integræ, intactæque, tot immanium ædificiorum ac substructionum molibus omnino dirutis, ac solo æquatis, perstitere, ut egregie lynceus Card. Baronius noster in suis annalibus adnotavit: *Quod igitur* (inquit ille) *sudoribus Christianorum militum, eorumdemque Confessorum, ac denique Martyrum immensa illa Thermarum extructa sit moles: Dei beneficio factum putamus, ut cum omnes ab aliis Imperatoribus Thermæ erectæ, collapsæ propemodum sint, atque redditæ plane ignobiles, nullus amplius reliquus fuerit usus earum: attamen quæ Diocletiani fuerunt Thermæ, quod illæ SS. Martyrum laboribus fuerint extructæ, potissima pars earum in usum Ecclesiæ, memoriamque Dei Genitricis Mariæ, & aliorum religiose fuerint commutatæ.* Hæc ex Baronio diserte pro veneranda sacrorum monimentorum antiquitate perorante, cui & illud, quod fama nunciante didicimus, opportune subtexendum videtur, ipsosmet videlicet prædictarum Thermarum lapides, qui adhuc extant, contra Gentiles pro Christianis, eorumdemque laboribus in Cælum usque clamare; *Quia si hi tacuerint* (inquit Christus) *lapides clamabunt*, ut Moysis olim tempore adversus Pharaonem Ægyptiorum regem pro Israëlitis ipsamet luti onera, quibus injuste premebantur, in Cælum ad Deum clamabant: *Clamor quippe* (ait Deus) *filiorum Israël venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Aegyptiis opprimuntur.* His insuper lapidibus, veluti lydio explorata lapide invictorum Christi athletarum constantia comprobatur: interdum quippe lateres, qui immensæ eidem constructioni, utpote pia Christianorum manu inserti fuere, sacrosanctæ Crucis (ut quod Christus ait, merito adimpleatur) *lapides de me testimonium perhibent*, Crucis, inquam, signo, ut præfertur, insculptos adinveniri contigit, quo assertionis hujusce veritas quodam veluti sigillo valide præmuniri videtur.

Thermæ Diocletianæ.

Baron. to. 2. an. 298. n. 18.

Thermæ Diocletianæ a martyribus Christianis extructæ.

Luc. c. 19. v. 38.

Exod. c. 3.

Luc. 17.38.

Crucis signum in Thermis Diocletianis insculptum lapidibus reperitur.

2 Porro Thermæ, de quibus sermo est, Diocletianæ scilicet Romæ, Maximianæ autem Carthagine in Africa an. 15. Dioclet. & Maximiani Impp, cœptæ sunt, ut Eusebius testis est in Chronico, quæ septem post annos absolutæ, ac subinde à Constantio & Maximiano Augustis exornatæ, necnon à Severo, & Maximino Cæsaribus dedicatæ, & publico usui mancipatæ sunt, de quibus ejuscemodi vetus inscriptio extat:

Thermæ Diocletianæ, & Maximianæ quo anno cœptæ. Euseb. in Chro.

Apud Panuin. in fast.

CONSTANTIUS, ET MAXIMIANUS
INVICTI AUGG.
SEVERUS, ET MAXIMINUS
CÆSS.
THERMAS ORNAVER.
ET ROMANIS SUIS
DEDICAVER.

Toto igitur integri septennii tempore, quo tam immensæ molis opus Thermarum Diocletiani Romæ exædificatio perduravit, Christiani eidem operi adscripti sunt, totidemque annorum spatio jugi labore defatigati: *Erant enim* (ut Marcellini verbis utar) *in modum provinciarum extructæ*, præ incredibili sui amplitudine: Maximianus vero, etsi Christianis infensissimus, Christianorum tamen militum constantia victus, haud amplius eosdem gladio, velocique martyrio necari voluit, sed ut eos servorum more jugi, ac diutino labore consumeret, fatigaretque, ad opus damnavit; quippe qui tunc præcipue immanes ædificiorum moles erigere, Diocletianas videlicet Romæ Thermas, ut diximus, Carthagine vero in Africa suo è nomine Maximianas aggressus fuerat. Quod quidem ex B. Marcelli Papæ actis satis liquet, ubi apte in rem præsentem isthæc: *Tempore illo, quo Maximianus ex partibus Africæ rediit in Urbem Romam, volens placere Diocletiano Augusto, ut in nomine ejus Thermas ædificaret, cœpit ob invidiam Christianorum, omnes milites, sive Romanos, sive alterius generis ad afflictionem laboris compellere, & per varia loca alios ad lapides, alios ad arenam fodiendam damnare.*

Vastitas ac amplitudo Thermarum Diocletianarum.

Marcell. lib. 16.

Acta S. Marc. Pap. et mart. apud Sur. 16. Jun.

3 Et plane in ipsius Christi, & Christianæ religionis probrum, ac ignominiam, qui militia nobiles, ac præcipui essent, iidem Imperatorum, imo persecutorum jussu, contemptibilioribus pœnis addicebantur: haud enim nisi sordidiores personas ad opus publicum damnari consuevisse, Paulus Jurisconsultus disertis verbis perhibet, cum ait: *si sordidiores personæ erunt, in opus publicum ejus temporis dabis.* Et hoc adversus ipsorummet Gentilium leges præstitere, quibus Modestinus neutiquam licere militem nec ad metalla damnari, nec etiam torqueri affirmat. Cum igitur Romæ sub Diocletiano milites assiduis Thermarum laboribus premerentur, Thraso, vir nobilis, ac divitiis præstans, eisdem, ne inter ærumnas deficerent, alimonia ultro, libenterque suppeditabat, ut recensita B. Marcelli Acta his verbis exhibent: *Christiani milites cum ad opus illud damnati essent, Thraso, qui Christianus vir potens, et facultatibus locuples, & vita fidelis erat, cum vidisset affligi Christianos fatigatione, & labore, de sua facultate sanctis Martyribus alimoniam et victum ministrabat per viros Christianos Sisinium, Cyriacum, Smaragdum & Largum:* hi vero cum ab apparitoribus deinde noctu intercepti fuissent, ad Imperatorem protinus delati, ejusdem jussu ad Thermarum opus una cum cæteris damnati sunt, ubi tunc præcipue mira Sisinii & Cyriaci diaconorum charitas enituit, qui Saturninum etsi ætate longævum in ejusmodi opere laborantem, injuncta eidem onera, propriis ipsi humeris portantes sublevabant, ut ex actis, quæ supra meminimus, hunc in modum legitur: *Post diem vero tertium nunciavit Maximiano Augusto, qui jussit, ut sub custodia foderent arenam, & humeris suis portarent usque ad locum, ubi Thermæ ædificabantur. Erat autem vir senex inter eos nomine Saturninus, qui jam senectute maceratus erat, & cœperunt eum ad portandum juvare, hoc cum fieri viderent custodes, quia Sisinius,*

Milites Christiani ad opera publica damnanti.

Apud Baron. to. 2. an. 298. n. 11.

Thraso.

Act. S. Marcel. P. & mart.

Sisinii, & Cyriaci charitas.

Act. S. Marcel. Pap. & mart.

Sisinius, & Cyriacus Diaconi suam, & aliorum sarcinas cum adjutorio Christi portarent, mirati sunt, et nunciaverunt Tribuno Spurio. Quo autem potissimum tempore hæc Romæ peragebantur (ut Baronius asserit) lustratis diligenter ab Imperatore singulis militum legionibus, qui Christiani reperti fuere, militia exuti, ac penitus exarmati, vinctique Romam perducti, tanquam adscriptitii servi, Thermarum operibus addicti fuere. Thermis vero postmodum absolutis, qui in Christianæ fidei confessione constantes, nullis fracti laboribus perstitere, ne laborum opere alleviati, quod ingens esset illorum numerus, quid novi in Imperium molirentur, omnes pariter capitis sententia mulctavit. Et tunc singulari quidem ipsius Dei beneficio, impensi laboris mercedem, martyrii palmam recepere, ut adimpleretur, quod de justis olim Scriptura cecinit: *Reddidit Deus mercedem laborum suorum.*

Baron. t. 2. an. 298.

Milites Christiani lecti Thermarum operibus addicti.

4 Porro militum tunc potissimum temporis martyrio coronatorum numerus præ cæteris decem millium ducentorum trium repertus est, qui omnes unà cum Zerone Tribuno, qui inter eos dignitate præcellere videbatur, Trigemina extra Urbem porta ducti, & in concavæ vallis sinu, in loco, qui dicitur Gutta jugiter manans, ad aquas Salvias feliciter ad unum omnes, septimo Idus Julii, quo die celebris Anniversarii eorumdem triumphi memoria recolitur, ob impensorum pro fidei confessione laborum præmium, gladio trucidati, nobili martyrio coronati sunt. Alios autem Christianorum fere innumeros diuturno huic Thermarum operi addictos fuisse præter recensitos hactenus, quorum tamen memoria excidit, & quorum nomina in libro vitæ scripta sunt, quis jure merito ambigat, inter quos insignis ac præcipuus Maximus ille clarissimus Christi martyr duomillenarius extitit, qui cum in cæteris, quos poterat, ad Christi fidem traducendis, totis animi viribus instaret, & centum viginti milites suo regimini adscriptos jam Christo aggregasset, & S. Marcello Papæ baptizandos obtulisset, re ad Maximianum delata, eosdem cingulo militari abdicatos, ad servile Thermarum opus adscivit, ad fodiendam nimirum arenam, sed bene res illi accidit; milites enim, quos Maximus paternis officiis demeruerat, dum sæpe eum, ac cæteros commilitones in arenario laborantes inviserent, Maximo Regnum Dei eisdem annunciante, & honestissimi ordinis se libenti animo pro cælesti Regno dispendium perpeti, servilisque vitæ, ac ignominiæ notam subire, necnon indictos sibi Christi causa labores se constanter ferre ultro affirmante, hi Deo inter verba afflati, ad amplexandam Christi fidem se contulere. Cerum re postmodum cognita, Maximus millenarius Dux, unà cum centum illis, ac viginti militibus, impio jubente Maximiano, gladio interempti, ac reliqui ex millenariis militibus in eodem arenario ob Christi amorem, ad subeundum martyrium alacriter succensi, flammis feliciter consumpti fuere, quorum cineres, ac Maximi, & sociorum corpora, Marcellini Papæ, & Joannis presbyteri opera, Via Salaria in Cœmeterium ad clivum Cucumeris secundo ab Urbe lapide illata sunt. Demum, ut Christianorum numerum, qui his Thermis extruendis addicti sunt, recenseamus, illud postremo loco coronidis instar enarratis subteximus, constanti antiquorum scriptorum assertione, quadraginta Christianorum millia in tam immanis ædificii mole adhibita fuisse, qui omnes, ne labore frustrarentur, nobili postmodum martyrio, cædente gladio, coronati sunt. Vides hinc numerosissimos Christianorum, ac martyrum greges, & integras prope, ac confertas militaris ordinis copias adjutricem extruendo operi manum admovisse: *In his quippe extruendis* (ut Bartholomæus Marlianus ait) *memorant quadraginta millia Christianorum pluribus annis in modum servitii habuisse.* Cui Andreas Fulvius paribus verbis subscribit.

Zero tribunus cum 10203. martyribus sociis.

Maximus martyr.

Baron. t. 2. an. 289. n. 15.

Bart. Marl. l. typogr. Urb. Rom. l. 5. c. 20.

Andr. Ful. de antiq. Urb. l. 2. c. 25.

5 Porro Pius IV. fel. recordat. Pontifex labores in Thermarum, quas memoravimus, extructione à beatis Christi martyribus exantlatos secum pie recolens, in Templum dicandas decrevit: quapropter insignis eo seculo Architecti Michaelis Bonarotæ opera usus, primum lapidem solemni ritu in præmemoratis Thermis, in quarum immani substructione tot Christianorum millia lapides, arenam ac lateres jugiter elaborando congesserant, idem Summus Pontifex ambitiosus eorundem piorum laborum æmulator jecit, & Cardinalitio insuper titulo idem sacrum Templum nobilitavit; ut satis luculenter hujusce rei historiam Antonius Spinellus Societatis Jesu enarrat in volumine, quod *Thronus Dei* inscribitur, ibidemque sepulchrum sibi idem Pius Pontif. apud Deiparam Virginem elegit, ut vel mortuus sanctorum laboribus communicando locum quietis apud Deum obtineret, quod & nonnulli alii in seligendo sepulchro præstitere, inter quos præcipui ex Purpuratorum Patrum collegio, & insigniores viri adnumerantur, & Antonius de Duca presbyter Siculus, qui dictas Thermas in Templum convertendas multis ante annis prædixerat, præcipue recensendus videtur, ut ex sepulchrali ejus lapide his quidem verbis liquet:

Pius IV. Thermas Diocletianas in Templum dedicat.

Ant. Spinel. in libel. de Throno Dei.

Victor. apud Ciaccon. in vit. Pii Pap. 4.

ANTONII DE DUCA SICULI
PRESBYTERI CEPHALUDENSIS,
QUI HAS DIOCLETIANI THERMAS
ANTE ANNOS FERE VIGINTI,
VIRGINIS ANGELORUM,
UT EXTAT, TEMPLUM FORE
PRÆVIDIT, HIC OSSA
QUIESCUNT.

Et isthæc interim, ubi Thermarum, quæ Diocletianæ dicuntur, mentio incurrit, de condigno recensitorum martyrum agone ad augendum loci cultum subtexere visum est. His igitur paucis, quæ vel obiter protulimus, de Diocletianis Thermis beatorum martyrum sudoribus, laboribusque, ac eorundem manu, & opera apprime nobilitatis, atque excultis meminisse voluimus.

CAP. XLVI.

De subterraneis apud Ecclesiam Beatæ Mariæ in Via lata Cubiculis Beati Pauli Apostoli hospitio, ac prædicatione, sanctorum præsentia, & frequenti Christianorum cœtu nobilitatis.

1 A Thermis, ubi præclara Christianæ pietatis in Urbe monimenta suspeximus, pedem contrahentes, ad loca Christianorum incolatu, sanctorumque meritis conspicua concito nunc gradu progredimur, & primum quidem, si libet amice lector, ad subterraneum locum, qui apud Latam Urbis viam existit, & in præsens visitur, ad locum, inquam, qui Paulo primum in Urbem advenienti

Primum Pauli Apost. in Urbe hospitium.

advenienti hospitium præbuit, oculos, pedem, ac stylum pariter convertamus.

Ex Vit. S. Paul. Paulus Apost., vinctus Romam ingreditur, eamque subigit.

2 Et profecto si quis Paulum tunc quidem catena vinctum, Urbem Romam ingredientem vidisset, obstupuisset sane, & Dei potentiam admiratus, inermi homini, ac vinculis captivorum instar alligato Urbem ipsam, totius Orbis dominam, cum toto suo triumphali fastu subjiciendam, & universum terrarum Orbem divinæ prædicationis verbo, vi, ac virtute vincendum, vinciendumque præsentiens admirabundus hæsisset, illa Apostoli ad Romanos scribentis verba, quæ jam adimpleri videbantur, recolens: *Paratus sum vobis, qui Romæ estis, euangelizare; non enim me pudet Euangelii Christi. O animam generosam* (inquit Chrysostomus) *rem tot tantisque periculis obnoxiam, suscipientis peregrinationem maritimam, tentationes, insidias, defectiones: par enim erat eum, qui disputaturus esset cum tanta civitate, & ea impietatis tyrannide oppressa, tentationum agmen, ac veluti grandinem perferre, sed tamen cum pericula tanta expectaret, nihilo pigrior reddebatur, sed festinabat & parturientis more appetebat, & promptus erat.* Vides, quanta aviditate, quanta fiducia, & alacritate Romanis Euangelium annunciaturus progreditur, atque festinat. Sed nos interim, quæso, ingredienti Paulo, & ipsa inter vincula Augustis augustius triumphanti unà cum Chrysostomo occurramus: *Quoniam igitur* (inquit ille) *non Urbem, sed Orbem Paulus ingreditur, occurramus omnes, etenim ille non signum terreni alicujus Regis, sed in Cælo regnantis Christi crucem portat, & præcedunt non homines, sed Angelorum catervæ, non solum in honorem ejus signi, quod fertur, sed in ejus, à quo fertur auxilium.* Spectatores igitur ingredienti ad novum revehendum de Urbe triumphum Paulo superni cives, & ovantes Angelorum catervæ adstitere: *Spectaculum quippe facti* (ut Paulus ait) *mundo, Angelis, & hominibus.*

Chrys. hom. 3. de laud. Paul.

Chrysost. hom. 3. de laud. Paul.

Baron. to. 1. an 59. Lorinus in Acta Ap. c. ult.

3 In Urbem igitur ingressus, domum ad inhabitandum conduxit, eo potissimum loco, ut Baronius, & Lorinus disertis verbis asserunt, ubi in præsens Ecclesia S. Mariæ, quæ dicitur in Via Lata, ejuscemodi rei memoria celebris, cernitur. Quinimo antequam in Urbem adveniret, de præparanda sibi istic in Urbe ad inhabitandum domo Philemoni illis plane verbis injunxerat: *Præpara mihi domum.* Quoniam vero futurum, ut plures ad eum confluerent divinum verbum audiendi, & disputandi gratia, noverat, in opportuno Urbis ejusdem loco, & longe ab urbanorum spectaculorum, & populi tumultu hanc sibi parandam curavit, ut Hieronymus palam testatur: *Venturus* (inquit) *ad Romanam Civitatem prædicaturus Crucifixum, & inaudita dogmata delaturus, sciebat ad se plurimos concursuros, & necesse erat primum, ut domus in celebri esset Urbis loco, ad quam facile convenirent, deinde ab omni importunitate vacua, & ampla, quæ plurimos caperet audientium, nec proxima spectaculorum locis, nec turpi vicinia detestabilis. Postremo ut in plano potius esset sita, quam in cænaculo.* Vides quam apte quærenda, ac disponenda domus, in quam ad excipiendum divini verbi pabulum, ad legis dogmata edisserenda Romanorum cœtus passim cogerentur.

Paulus Apost. Romæ domum conducit. *Ep. ad Philem.*

Hieron. sup. op ad Philem.

Domus loco carceris Paulo Apost. Romæ concessa. *Act. c. 28. v. 20 Hieron de script. eccl.*

4 Biennium vero Paulus ibidem vinctus transegit, ut ex Apostolicis actib. palam fit: *Mansit autem biennium totum in suo conducto*, in præmemorata videlicet domo, quod & Hieronymus expresse affirmat: *Paulus*, inquit ille, *Romam vinctus mittitur, & biennio in libera manens custodia, adversus Iudæos quotidie disputabat.* Quod autem domus hæc loco carceris Paulo designata fuisset, milite dumtaxat ad eum servandum adjuncto, ex ipsis Apostolicis actibus aperte illis verbis convincitur: *Cum venissemus* (ait) *permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente milite. Post tertium autem diem convocavit primos Iudæorum, cumque convenissent, dicebat eis: Ego viri fratres nihil adversus plebem faciens aut morem paternum vinctus ab Hierosolymis traditus sum in manus Romanorum, qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla causa esset mortis in me. Contradicentibus autem Iudæis coactus sum appellare Cæsarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare. Propter hanc igitur causam rogavi vos videre, & alloqui; propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum. At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te à Iudæa, neque adveniens aliquis fratrum nunciavit, aut locutus est quid de te malum. Rogamus autem à te audire, quæ sentis, nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* En optatissima toti terrarum orbi, Christi fidei hæc apostolicæ prædicationis in Urbe præludia: en, ut rebelles ac pertinaces Iudæorum animos ad subigendos se Christi obsequio *Apostolus factus omnibus omnia, ut omnes Christo lucri faceret*, suavissime demulcet, & proborum Rhetorum more, antequam Christianæ fidei, ac dogmatum semina auribus ingerat, benevolos sibi audientium animos auspicari pertentat.

Act. c. 28. v. 20.

5 His igitur præmissis Apostolus condicto ad disputationem die, fausto in certamen omine palam cum Judæis conflicturus insurgit: *Cum constituissent autem illi* (inquit Lucas) *diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat, testificans Regnum Dei, suadensque eis de Iesu ex lege Moysi, & Prophetis à mane usque ad vesperam, & quidam credebant his, quæ dicebantur, quidam vero non credebant.* Audis pie lector jacta vel tum ab Apostolo prædicante prima in Urbe divini verbi semina, haud tamen ullum salutis inde fructum, obduratis Judæorum cordibus, exurgentem vides. *Mansit autem* (subdit Lucas) *biennio toto in suo conducto: & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans Regnum Dei.* Juges igitur ad Apostolum concursus fiebant, dum ille omnes interim paterno affectu, libentique animo, qui accedebant, excipere *factus* videlicet *omnibus omnia, ut omnes Christo lucrifaceret.* O locum (hic nobis exclamare liceat) omni quidem veneratione dignissimum, Beatissimi Apostoli aspectu, verbis, lacrymis, suspiriis, meritis, sollicitudine, prædicatione, ac præsentia apprime nobilitatum, ipsomet Capitolino jugo præstantiorem, in quo primæva fidei semina in uberem aliquando ipsiusmet agri dominici segetem proventura, & Orbem totum mirifice pervasura jaciebantur: ubi Christiani primum nominis, ac orthodoxæ Religionis fundamenta jam tum prædicationis verbo Doctoris gentium ore designabantur. Verum enimvero haud ingrato hic silentio locum præclarissimis Apostoli vinculis suspiciendum & apostolicis ejusdem verbis recolendum jugiter præterire visum est, cujus ex ipsismet Apostolorum actis condigna legentibus mentio suggeritur.

Paulus Apost. Iudæos ad disputandum secum Romæ provocat. *Act. 28. v. 20.*

Act. c. 28.

Apost.

6 At ubi quondam Romæ hujuscemodi hospitium Pauli extiterit, si Latam pie, ac studiose lector, ad viam recurras, ibi, quod quæris, quod exoptas

Hospitium Pauli in Via Lata.

optas, prompta manu procul dubio offendes, & mansionem subterraneo nunc licet ambitu jacentem ipsis Cælis excelsiorem deprehendes: magis quippe hic tibi locus admirandum Paulum catenis Christi amore devinctum exhibet, quam eumdem olim ad tertium usque Cælum triumphantium more raptum, subvectumque, ac Paradisi deliciis intime perfruentem mortalium quisque suspexerit. Sed quid interim de eodem loco Baronius in suis Annalibus affirmet, his paucis accipe: *In antiquis* (ait) *monumentis Diaconiæ S. Mariæ in Via Lata memini me legisse illic primum hospitio exceptum fuisse Paulum.* Quamvis autem Apostolo, dum illic tanquam hospes rationem Cæsari redditurus ageret, Urbem excurrere, & quo vellet vagari permissum nullatenus esset, comitante tamen eum milite, ad Cæsaris Palatium se conferre, tribunalia insuper, apud quæ suæ rationem causæ dicturus erat, adeundi facultas suberat, quod à Centurione ipso, qui eum Romam adduxerat, qui ejus miracula jam viderat, & qui eo familiariter admodum utebatur, utpote qui vinctorum curam gerebat, Paulo indultum fuisse arbitrari nobis licet, quod & diserte Chrysostomus his verbis affirmat: *Non parvum etiam* (inquit) *hoc argumentum est, illum fuisse per omnia admirabilem, qui non jam cum aliis numerabatur, sed permissum est illi, ut maneret solus cum milite custodiente illum.* Hoc autem Paulo duntaxat, aut cæteris, qui unà cum eo vincti Romam advenerant, permissum est. Et quidem quod ad carceris custodiam pertinet, mos olim ille apud Romanos extitit, ut pro varietate criminum multiplex quoque carceris, ac coërcendi ratio adhiberetur; quidam enim, graviori delicto obnoxii, in carceribus publicis includebantur, alii levioris culpæ apud judicem insimulati unius militis custodiæ addicebantur, alii vero privatim intra propriasmet domos agere, alii insignioribus quibusdam viris in eorum domibus servandi tradebantur, juxta id, quod Ulpianus præcipuus inter Juris peritos asserit: *Potest Præses quendem damnare, ne domo sua procedat, &c. Utrum in carcere recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fideijussoribus committenda, vel etiam sibi.* Et mox ejusc emodi coërcendorum hominum pœnas, earundemque pro delictorum varietate rationes in hunc plane modum distinguit: *Hoc autem vel pro criminis, quod objicitur, qualitate; vel propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate ejus, qui accusatur.* Paulo igitur, utpote viro prorsus innoxio, divinis virtutibus exculto, ac miraculorum signis ejus innocentiam, fidem, doctrinam, ac mores palam comprobantibus, carcer hic coërcendo levissimus condonatus est.

Chrys. hom. in ep. ad ...m. — *Chrys. hom. 54 in Act. Apost.* — *Ulpian. de ... cerd. & ... l. ... custodia eo... l. 1.* — *Ulp. ubi s.*

7 In eadem autem domo (ut nobis arbitrari fas est) frequenti cælestium virorum ac supernorum civium consuetudine fruebatur, inter quos præcipui erant, ut Apostolorum acta demonstrant, *Marcus, Aristarchus, Demas & Lucas adjutores mei.* quibus addendi sunt *Crescens & Linus.* Confluebant illùc Iudæi, Gentiles, Christiani: de Iudæis quippe illud exponitur: *Rogamus autem à te audire quid sentis, nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* Decretus subinde dies est, & tunc palam de regno Dei Paulus in loco consistens disseruit, ac multa de Christi adventu sapienter edocuit, quibus auditis, quidam credidere, quidam vero dictis nullatenus acquiescentes abierunt: *Cum hæc dixissent* (inquit Lucas) *exierunt ab eo Iudæi, multas habentes in se quæstiones.* Et quidem cùm domus, in qua Paulus morabatur, opportuno sita loco esset, & nemo illum ultro adire, nec ille è contra verbum Dei annunciare prohiberetur, venientes passim comiter excipiebat, verbum Dei cunctorum auribus ingerebat, & quamvis ferro vinctus, libero tamen ore, ut Eusebius docet, Euangelium Christi prædicabat. *Biennio*, inquit, *Romæ in custodia mansit, liber tamen ad prædicandum Euangelium.* Interim vero cum Paulus in hac domo detentus privatim ageret, Neronem ad suam dicendam causam haud semel adiit; quippe qui, ut Sedulius affirmat, *bis coram Nerone eo biennio peroravit*; cui Chrysostomus in hunc plane modum adstipulatur: *Stabat ante Neronem Paulus oculis in humum depressis, pannis obsitus squalentibus, quippe carcerem habitans.* Et infra: *Illud plane novum, ac mirabile, intueri vinctum tanta licentia Regem alloquentem.* Hæc in rem præsentem Chrysostomus. Dum Paulus insuper ibidem causam apud Neronem, ad quem appellaverat, dicturus moraretur, à cunctis se derelictum fuisse ad Timotheum scribens, his verbis conqueritur: *In prima mea defensione nemo mihi adfuit: sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.* Sed Paulo ab omnibus eum in modum derelicto, atque in maximo animi angore, & rerum periculo constituto Christus Dominus, ut alias consueverat, è Cælo adfuit, atque ab omni, quod imminebat, discrimine vindicavit; hoc ipsum enim Paulus eadem, quam ad Timotheum scripsit, epistola fatetur, dicens: *Dominus autem mihi adstitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus sum de ore Leonis.* Sic enim Neronem, ob immanem, ac prorsus inauditam Principis crudelitatem appellat. *At non sic liberatus est* (inquit Baronius) *ut omnino liber abire sit jussus, sed quod in suo conducto, catena tamen vinctus cum custodientem se milite libere agere permissus sit, ubi eo modo ad biennium mansit.* Merito enim tunc de Apostolo in vinculis detento, quod de Josepho divinæ obtestantur paginæ, adimpleri visum est: *Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.* Ita plane, vel in locum illum demissum, abjectumque, qui carceris instar Apostolo constitutus erat, Christus se videndum exhibens descendit, eumdemque solatus, bono animo esse jussit, & de uberi Euangelici seminis messe spem certam suggerendo, jacentem mirifice ex angusto loco ad tertium quodammodo Cælum erexit: *Dominus autem mihi adstitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes.* Bonum utique inter ipsa vincula ominis auspicium, intra ipsius ad viam Latam carceris angustias bonum, inquam, Apostolus fortitus auspicium, corde dilatatus: *In tribulatione* (ajebat cum Davide) *dilatasti mihi*, & haud satis sibi esse putavit in descripto hactenus loco, etsi humili omnes ad se confluentes tuto veluti sinu receptus, nobilique locatus throno excipere, & Euangelio imbuere, sed cum adhuc eodem in loco in vinculis detineretur, complures ad absentes epistolas scripsit, quæ singillatim à Baronio, veluti nobilissima apostolicæ solicitudinis, & Ecclesiasticæ antiquitatis monimenta recensentur.

Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas. — *Act. Apost.* — *Euseb. l. 2. hist. c. 22.* — *Sedulius.* — *Chrys. ho. 54. in Act. Apost.* — *Pauli Apost. querela.* — *2. ad Tim. 4.* — *Apost. 2. ad Tim.* — *Baron. to. 1. an. 59. n. 7.* — *Sap. c. 10. n. 19.* — *Apost. 2. ad Tim. n. 4.* — *Psal. 4.*

9 Iure igitur merito locus hic nobis jugiter suspiciendus est, in quo vinctus Orbem universum victurus biennium Apostolus peregit, in quo de Regno Dei sermonem semel, atque iterum præstita sibi divinitus sapientia cum Iudæis habuit, in

Ecclesia S. Mariæ in Via lata nobilissima.

quo tot Christo Euangelicæ prædicationis verbo ipsa inter vincula peperit, ac lucratus est, unde tot saluberrimis refertæ monitis epistolæ redundarunt, tot divina apostolici pectoris monimenta singulari totius militantis Ecclesiæ beneficio prodiere.

Lucas Euangelista.

10 Porro haud Pauli dumtaxat præsentia, prædicationibus, ac epistolaribus scriptis locus hic mirifice illustratus, sed & ipsius Lucæ Euangelistæ calamo ac pennicillo toti terrarum orbi celebris redditus est: hic quippe, ut pia traditio fert, quamplures Lucas Deiparæ Virginis, quæ in Urbe venerationi fidelium patent, imagines pinxit, ibidemque sacram Apostolicorum Actuum historiam scripsit, vel certe absolvit, ut inscripti lapides edocent, & expressis verbis Lorinus in Acta Apostolorum hunc in modum asserit: *In hac Urbe Romana lapis est in Diaconia S. Mariæ in Via lata cum inscriptione, quod ibi beatus Lucas imagines beatæ Virginis depinxerit. Viget vero traditio ibidem sancti Pauli conductas ædes fuisse, eundemque Lucam ibi composuisse, vel absolvisse præsentem historiam. Locus is erat amplissimus, ac celeberrimo Urbis loco, ut ipsemet diligenter lustravi.* Inscriptionis autem titulus hæc legenda præ se fert.

Io. Lorin. in cap. ult. Act. Apost. v. 30.

ORATORIUM QUOND. S. PAULI APOST.
LUCÆ EUANGELISTÆ,
ET MARTIALIS MARTYRUM,
IN QUO ET IMAGO
B. MARIÆ VIRGINIS REPERTA
SISTEBAT, UNA EX VII.
A B. LUCA DEPICTIS.

Et quidem quod Lucas Euangelista in Urbe Roma, & hoc potissimum loco, librum Acta Apostolorum continentem conscripserit, Hieronymus disertis verbis affirmare videtur, eo quod ejusmodi historia usque ab biennium, quo Paulus Apostolus Romæ demoratus est, protendatur, sed ut nostra magis assertio comprobetur, ejus hic verba excipiantur: *Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo Acta Apostolorum prænotatur: cujus historia ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, id est ad quartum Neronis annum, ex quo intelligimus in eadem Urbe librum esse compositum.* Quod si in Urbe, haud alio certe loco, quam isto, ubi Paulo ejus individuus peregrinationis comes etiam in carcere constituto adhæsit, ab eo librum conscriptum fuisse asserendum est. Vides quam præclaris sanctorum gestis hic locus præ cæteris conspicuus reddatur, & quanto sibi apud fideles omnes venerationis cultum promereatur: ibi enim primum Deiparæ Virginis cultus orbi propinatus, & singulariter commendatus est: ibi contra Iconomachos pennicillo vel tum Lucas pugnavit, & sacras pingendo imagines, quas postmodum hæreticorum nequissimi mordicus impugnant, easdem validius propugnando gladium pro pennicillo exeruit: ibi gloriosa Ecclesiæ, Apostolorum, & ipsius Pauli gesta, prout oculis viderat, scriptis consignavit, & pulcherrimam Christianæ Reipublicæ sub primævis temporibus faciem ad vivum delineavit. Ibidem Lucas individuus Pauli comes, ejus vinculis, quam texebat historiam, quasi gemmis illustraturus, unà cum eodem felici Urbis omine, dum Romæ ageret, perstitit, & longa post secula pretiosi capitis pignore, quam unice Apostolus dilexerat, cumulari, ac insigniri voluit, ut idem Lorinus egregie in rem præsentem adnotat: *Et lætor sane*, inquit, *hic ubi caput Ecclesiæ præsidet, & Petrus ac Paulus jacent, Paulique maxime historiæ scriptor, atque comes Lucas versatus est, & in Petri basilica conditum caput habet à Gregorio Magno cum esset Apocrysarius Constantinopoli allatum, finem à me imponi tam prolixo, molestoque commentario: ibi etiam ubi Lucas idem historiam istam, vel composuit, vel absolvit, &c.* Infert profecto sacrum adeuntibus horrorem ipsiusmet loci aspectus, & subterraneæ Romæ splendorem locus iste vel incultus, qui Apostolo & Apostolicis viris diversorium præbuit, mirum in modum auget.

Hier. lib. de Script. Eccl.

Lorin. c. ult. in fin.

11 Ut perennis autem beatissimi Apostoli, rerumque ejus præclare gestarum memoria extaret, Sixtus V. Pont. Max. divino plane afflatus numine, locum hunc præ cæteris, & adjacentem pariter regionem ejusdem incolatu, prædicatione, ac vinculis singulariter illustratam recolens, cum cochlidem Antonini Imp. columnam misere laceram, ruinosamque primæ formæ restituisset, æneam B. Pauli Apostoli in ejusdem fastigio statuam, hoc nobili ad Orientem inscripto titulo erexit.

B. Pauli Apost. statua in columna Antonini posita.

SIXTUS V. PONT. MAX.
COLUMNAM HANC,
AB OMNI IMPIETATE
EXPURGATAM
S. PAULO APOSTOLO,
ÆNEA EJUS STATUA INAURATA
IN SUMMO VERTICE POSITA. D. D.
AN. MDLXXXIX. PONT. IV.

Ad septemtrionem vero hic alter titulus columnæ, imo ejusdem Apostoli gloriæ à Sixto Pontifice metrice insculptus legitur.

TRIUMPHALIS
ET CLARA NUNC SUM
CHRISTI VERE PIUM
DISCIPULUM FERENS
QVI PER CRUCIS
PRÆDICATIONEM
DE ROMANIS BARBARISQVE
TRIUMPHAVIT.

Et congrue quidem in ipso summo Antoninæ columnæ vertice verus pietatis cultor, Gentium doctor, vas electionis, ipse, inquam, S. Paulus, seu Pauli simulacrum locari meruit, ille, inquam, qui Urbem Romam (ut Chrysostomus ait) adeo dilexit: *Ob id enim*, inquit ille, *Urbem Romam beatam prædico, quod erga illos Paulus dum viveret adeo fuit benevolus, adeo illos amavit, & coram disseruit, & postremo vitam apud eos finivit.* Merito quippe Antoninus, qui Pii olim cognomentum præ se tulit, Paulo loco cessisse, & columnam concessisse visus est, ut aptis in rem Blancus olim carminibus cecinit.

Chrys. in ep. ad Rom.

Blanc. in suis carmin. apud Aug. Coccam de Bibl. Vat.

Iure Antoninum Paulo vis Sixte subesse:
Nam vere hic pius est, impius ille Pius.

Barg. apud eund.

Eadem super statua, quæ Apostolum triumphantis in morem Urbi suspiciendum præfert, egregie olim Angelus Bargæus metrice in hunc modum lusit:

Apud Cia. in gest. Sixt. V.

Qua Cochlidis moles nobis operosa columna
Ostentet valida bella peracta manu.
Atque Antonini, post regna eversa Quiritum,
Servat in inciso marmore facta Pii,
Maximus hæc subter pedibus premit omnia Paulus,
Armatus libro Paulus, & ense manum.
Xystus enim quintus statui hic jussit, ad omnes
Clamet ut ex alto, conspicuoque loco.

Et vita

Et vita insonti, & doctrina, & fortibus ausis,
Barbara sunt Latio colla premenda jugo.

Et hæc interim de loco ac subterraneis Cubiculis, quæ Paulo Urbem intranti hospitium exhibuere, in studiosi gratiam lectoris, & ad perenne venerandæ antiquitatis monimentum, etsi ab instituti proposito aliquantulum digressi fuisse videamur, vel obiter meminisse voluimus.

CAP. XLVII.

De Cœmeterialibus Sarcophagis, imaginibus vitreis, aliisque perantiquis Christianorum monimentis novissime adinventis: & Cœmeteriorum Urbis Ichnographia.

1 ANtequam supremam Cœmeteriorum enarrationi manum imponamus, veluti præclara quædam rerum Cœmeterialium monimenta, & suspicienda jugiter recolendæ Antiquitatis trophæa, Arcas nonnullas lapideas præcipuis sacrarum historiarum actibus prænotatas, atque imaginibus eleganter insculptas, hic subtexere visum est, quæ ex Cœmeteriis pariter, etsi à nobis locum ignorari contingat, novissime erutæ primitivorum temporum faciem, ac rerum Christianarum vestigia intuentibus exhibent. Hæc autem idcirco studioso lectori hic potissimum contemplandas objicimus, ut peracti feliciter, Deo adjuvante, itineris, has velut in titulum erigentes ad posterorum notitiam transmittamus. Verum ut probabilis quidem opinio fert, & ipsæmet conjecturæ suadent, hæ quoque lapideæ urnæ ex præmemoratis Cœmeteriis redivivæ in lucem prodiere: sacris enim & illæ imaginibus, historiis ac mysteriis excultæ, atque obsignatæ sunt, quæ cum satis certa Christianæ religionis indicia pariter, ac insignia præferant, religioso quoque olim cultui dicata fuisse intuentes edocent: quod ex ipso adspectu studiosus lector ultro dijudicabit.

[Arcæ marmoreæ è Cœmeteriis.]

2 Post delineata interim horum Cœmeteriorum exemplaria, situs pariter atque ambitus, uti jam diximus, formam adjicimus, quod totum studiosissimis utique viris Casparo Berto, & Francisco Continio acceptum lector referre debet, quippe qui haud mediocri sane studio ac labore rem confecere. Ex delineata autem horum Cœmeteriorum forma, quam ob oculos lectori proponimus, contemplanti quidem ipsa luce clarius innotescit beata prorsus, ac optabilis jugiter, nec ullatenus, ut quidam temere putant, deploranda primitivorum Urbis Romæ Christianorum conditio, qui pauperis admodum, ac contemptibilis vitæ genus sectantes, & incommodis omnibus pro Christo affecti, eo tuendæ fidei zelo ac æmulandæ pietatis studio tenebantur, ut dum eosdem acerbior persecutionum vis impeteret, in subterranea hæc, inculta quidem ac perobscura loca inter rerum angustias deprehensi ultro se reciperent, & ipsi mundo exules effecti, ac lucem hanc tot scelerum inquinamentis obnoxiam perosi, ipsiusmet vitæ fastidio tabescentes, adhuc vivi sepulchris inferri quodammodo mallent, quam profanas gentilium superstitiones, ad quas persecutores urgebant, inter tot idololatriæ labes vivendo oculis, aut animo haurire. Ajebant quippe constantis animi, invictæque fidei viri unà cum Eleazaro: *præmitti se malle in infernum, quam prævaricari legem Dei.* Inferiora autem hæc loca tuta olim Christianorum confugia, eo quod luce penitus orbata essent, haud sepulchri dumtaxat, imo ipsiusmet Limbi, apud quem SS. Patrum animæ detinebantur, imaginem contemplanti præ se ferre videbantur. Viarum enim semitæ, ut insculpta præ se fert loci facies, eum in modum arctæ, ac depressæ subsistunt, ut duos vix simul homines capiant: & hæ cadaverum sepulchris duplicato inter se ordine distinctis refertæ omni ex parte conspiciantur. Cubicula vero, seu ædiculæ, ubi ad synaxes in unum Christiani convenire consueverant, brevi plerunque spatio concluduntur, etsi quibusdam in Cœmeteriis Cubicula utique ampliora existant, inter quæ apud celeberrimum illud Sanctæ Agnetis tria quidem videre est, quorum unum cæteris amplitudine longe præcellit, & sedibus quibusdam illustratur, quæ sacris quondam Pontificalium rituum ministeriis usui fuisse præ se ferunt. Studiose igitur lector ubi isthæc animo diligenter expenderis, adimpletum profecto in probatissimis primi illius ævi fidelibus intelliges, quod ab Apostolo de ipsismet sanctissimis antiquati Testamenti patribus, qui pro fide strenue desudarunt, longe ante pronuntiatum fuerat, & de nostris quoque invictis Christi athletis, Apostolicis verbis oraculum ipso Angelico Doctore teste jam tum prænuntiatum esse; quod hi nimirum beatissimi viri Cælo destinati, *quibus dignus non erat mundus, egentes, angustiati, afflicti, inter nos vixere. In solitudinibus* (ut Apostolus inquit) *errantes, in montibus, & in speluncis, & in cavernis terræ.* Ex quibus demum hæc percurrenti liquido patet, quam immensas referre gratiarum actiones teneatur, quisquis ille est, qui Cœmeteriales paginas perlegit, his potissimum, qui tanto studio ac labore & pari insuper pietate subterranea frequenter Cœmeteria obire, eadem jugiter perscrutari, sacrorumque locorum faciem tabulis excipere, delineare, ac posterorum oculis contemplandam, uti hic describitur, subjicere, de sacra optime, inquam, meriti antiquitate conati sunt: quorum tu interim laboribus, amice lector, utere, ac perfruito.

[Marginalia: Casparus Bertus, & Franc. Continius Cœmeteriorum studiosi Ichnographi. — Beata primorum Christianorum conditio. — 2. Mach. 16. 3. — Cubiculum in Cœmeterio S. Agnetis amplissimum. — Ad Heb. c.11. v.39. — Ad Heb. c.11. v.39.]

Binæ hæ marmoreæ Arcæ, quarum ectypa oculis hic subjicimus, è sacris quoque Christianorum Cœmeteriis effossæ fuerunt. Illas Eques Franciscus Gualdus Arim. eum in modum inter se coaptari, atque in Porticu Basilicæ Liberianæ ob præclara, ac jugiter recolenda, quæ continet, fidei mysteria erigi curavit, eleganti hac addita inscriptione:

CARD. ANTONIO BARBERINO ARCHIPRESB.
ARCAM MARMOREAM
QUAM CHRISTIANORUM PIETAS EXSCULPSIT
LABORANTE SUB TYRANNIS ECCLESIA
UT ESSET LOCI SANCTITATE VENERABILIOR
FRANCISCUS GUALDUS ARIMIN. MILES S.STEPHANI
E SUO MUSÆO HUC TRANSTULIT MDCXXX.

Sacræ autem figuræ, quæ inibi exsculptæ visuntur, hujusmodi sunt.

I. Protoparentes juxta lignum vetitum tristes, demissoque vultu ob patratum inobedientiæ facinus consistentes.

II. Divinus Hebræorum Legislator, qui accipit in monte Sinai duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.

III. Tres Magi, qui Deo infanti munera offerunt.

IV. Patriarcha Noë, qui aquis diluvii jam cessantibus columbam pacis nunciam advolantem excipit.

V. Bis quoque Propheta Ionas ibi exprimitur; hic enim ab immani bellua veluti devoratur, illic vero triduo post ab eadem in terram salvus egeritur.

VI. Moyses iterum, qui mirifica sua virga ex arida rupe sitibundo populo in solitudine largissimas aquas divinitus elicit. In altera autem Arca huic subjecta hæ figuræ conspiciuntur.

VII. Christus Dominus, qui ad tribunal Annæ, vel Caiphæ ab Hebræis captivus sistitur.

VIII. In medio autem Salvator in præsepio recens natus conspicitur, cui bos & asinus Dominum suum agnoscentes obsequium deferre videntur.

IX. Sanctissimus Præcursor, qui Christum Dominum in Iordane baptizat.

X. Idem denique Christus Dominus, qui Lazarum quatriduanum à mortuis excitat.

Prior longa est palmos novem, alta unum dumtaxat, & bessem. Posterior autem in longitudinem palmos item novem, in altitudinem vero tres, & trientem obtinet.

Insignis hæc Arca marmorea in ædibus Matthæiorum inter alia plurima veterum monimenta in præsens conservatur. In ea celeberrima illa Pharaonis, & exercitus ejus clades exsculpta cernitur, Moyse per mare Rubrum aquis utrimque prodigiose divisis populum ducente, Pharaone autem illos temere persequente, iisdem aquis iterum coëuntibus cum omni exercitu obruto.

Arca vero in longitudinem palmos decem, in altitudinem autem tres dumtaxat, & bessem obtinet.

Alter hic sepulchralis lapis, qui non multis abhinc annis apud D. Sebastiani Ecclesiam inter effodiendum adinventus est, ex Cœmeterio Callisti erutus, eleganti quidem opere, & studiosa artificum manu elaboratus speciosam sacræ antiquitatis faciem intuentibus præ se fert, & nunc ab Illustriss. Marchionissa Christiana de Angelellis, in cujus domo asservatur, typis exsculptus tibi offertur: & quidem, ut sacras historias, quas continet, edisseramus.

A Primo loco hoc sepulchrali lapide contemplanda exhibetur imago Adami, & Evæ ad vetitæ arboris truncum post degustatum lethale pomum suborto admissi facinoris pudore consistentium, ac se virentibus fici foliis obtegentium: Deus autem à tergo Adamum increpans exprimitur verbis illis: Adam ubi es? *Gen. c. 2. n. 10.*

B Vir quidam exprimitur, qui virga vascula quatuor manna, quod è Cælo pluerat, referta præmonstrat, Moyses autem is esse creditur, qui virga divinitus portentum istud in desertis regionibus præstitit.

C Christus Dominus digito cæci à nativitate oculos mirabiliter adaperiens describitur.

D Jezi, notus Elisei Prophetæ famulus (ut arbitrari fas est) contemplandus objicitur, qui ab eodem Propheta unà cum baculo ad filium viduæ in vitam revocandum missus haud valuit, quem ipsemet Eliseus postmodum subsecutus, parvuli ejusdem corpori sese aptando, vitæ confestim restituit.

E Christus Dominus sub juvenili forma sacrum legis volumen manu deferens, docens, ac manu benedictionem impertiens describitur, cujus excipientes sermonem Apostoli adstant: & quia suis vigilantiam jugiter præmonebat, gallus gallinaceus, qui vigilantiæ typum præ se fert, ante eundem repræsentatur, juxta illud quod in hymnis canitur: Gallus jacentes excitat, & somnolentos increpat. *Hym. ad laud. in Brev. Rom.*

F Christus Dominus paralytico sanitatem impertitur, eundemque sublato, in quo jacebat, lectulo incolumem domum abire jubet.

G Abrahamus filium Isaac Deo immolans, strictoque jam mucrone eundem jugulaturus exprimitur, cujus vice aries, Deo providente, immolatus, filius autem patri redditus est.

H Petrus ad ignem se calefaciens à Prætorii militibus an Christum nosset interrogatus, & à quodam hujus rei causa velut delicti conscius jamjam alligandus describitur.

I Moyses, qui virga aquarum gurgitem è silice ad recreandum enectum siti populum elicuit, contemplandus exhibetur.

Latera-

SARCOPHAGI DVO MARMOREI EX COEMETERIIS (VT CREDITVR) EFFOSSI



SARCOPHAGVS MARMOREVS EX COEMETERIIS (VT CREDITVR) EFFOSSVS



SARCOPHAGVS MARMOREVS E CALIXTI COEMETERIO IVXTA D SEBASTIANI ECCLESIAM NOVISSIME ERVTVS



Laterales descripti hactenus Sarcophagi partes, ne quid è sacra antiquitate studiosum lectorem lateat, hic tibi tabulis excerptæ, contemplandæ proponuntur, quæ tribus præcipuis sacrarum paginarum historiis exculptæ sunt.

Daniel. c. 3. Una igitur ex parte tres pueri in Babylonica fornace Nabuchodonosoris jussu injecti, sed illibatis tum corpore, tum vestibus inter flammarum globos salvifici roris refrigeria experti consistentes, ac Deo extensis de more manibus sacros hymnos concinentes exprimuntur. Quod egregie quidem Eusebius Emissenus illis verbis expressit: *Trium puerorum fides, atque justitia tenebrosus non sensit ignis, sed stupenda refrigeria in medio camini æstuantis invenit. Cessit virtutum meritis natura flammarum, ac traditos sibi reos mirum in modum rorantibus obumbravit incendiis, longe positos autem, & circumstantes sacrilegi regis consumpsit ministros. Quantum lætitiæ in præsenti obtinent merita religionis, & privilegia sanctitatis. Ecce horrendum nescio quid anhelantes globi, & per quadraginta cubitos ebullientes extrinsecus sæviunt, intrinsecus parcunt: extra fornacem sapiens ignis irascitur, & intus in fornace famulatur.* (Euseb. Emiss. hom. 3. de Epiph.)

Daniel. c. 6. Altera ex parte Daniel medios inter leones fame exasperatos incolumis, Abacuc sibi prandium offerente, adumbratur: in quo singulare item divinæ providentiæ intuentibus sacramentum eodem Emisseno teste propinatur: *Nunquid* (inquit) *non munificentior Dei gratia circa prophetam fuit, quod rege usque ad lacum votis, & supplicationibus prosequente à leonibus honoratus est, quam si leonibus non fuisset injectus? Advertite, quod Deus noster probat suos in tribulationibus, non relinquit; ecce hic beatus Propheta hostibus serviebat, sed bestiis imperabat.* (Euseb. Emiss. hom. de Litan.)

Exhibetur item Noemus inter stagnantes diluvii aquas ipsam intra arcam consistens, & columbam cum olivæ ramo ad se venientem excipiens: quod quidem factum testatissimum divinæ pariter providentiæ argumentum extitit, inter undas quippe totius humani generis prosapiam ingenti, ac stupendo miraculo reservavit, ut autem Emissenus ait: *Nunquid non majoris miraculi opus est, si quisquam inter tumentes fluctus fractis gubernaculis, & navem jam naufragam, nullum discrimen incurrat, quam si in portu immobili tranquillitate requiescat.* (Euseb. loc. sup. cit.) Ita plane stupendo Noemus miraculo, & reliqui pariter cum illo inter undas servati fuere.

Media item hic Euangelici Pastoris orbicularis vitrea imago, ut vides, ornamenti conciliandi gratia, inter Cœmeteriales Sarcophagos reperta, imago inserta est.

Porro venerandæ antiquitatis, quæ huc usque supersunt, vestigia sectando, illud certe pio, ac studioso lectori eadem curiosis oculis contemplanti suggeritur, haud aurum, imo lutum, ac vitrum auro ipso longe pretiosius è subterraneæ Romæ visceribus ad aurea primitivorum Christianorum tempora designanda, pio perscrutantium studio, devotaque manu passim effodi, ac in lucem prodire. Ut quid enim apte in rem præsentem edisseramus, quis nesciat, vitreas sanctorum imagines, affabre elaboratas, auroque superinducto exsculptas, quæ Christianis quondam ad sanctorum recolendam memoriam usui extitere, inter sepulchrales antiquorum Cœmeteriorum exuvias, quandoque inter perscrutandum deprehendi, & tanto quidem Christianarum rerum emolumento, ut illi congrue proverbio locus sit: *Tanti vitrum, quanti margaritum*, haud enim tanti quodvis auri, & margaritarum pondus æstimandum nobis est, quanti vitreæ istæ imagines, in quibus perantiqua cultorum Christi pietas, & prima Christianorum temporum facies elucet. Porro quoniam è diversis Cœmeteriis, cum tot in Urbe adnumerentur, quamplures istiusmodi imagines sub variis quidem temporibus erui contigit, Christiana Angelella Marchionissa Bononiensis conspicuæ nobilitatis, ac pietatis Matrona venerandam in ipsismet imaginibus antiquitatem, atque illibatam Christianorum, qua illis nil antiquius extitit, pietatem recolens, easdem studiose gemmatorum instar monilium collectas, & apud se inter scriniorum abdita diligenter servatas, hic tibi duabus quidem tabulis contemplandas offert. (Vitreæ sanctorum imagines è Cœmeteriis.)

1 Hic autem venerandæ in primis, ut videre est, beatorum Apostolorum Petri, & Pauli imagines delineantur: in altera vero ex his iidem Apostoli considentes, docentesque, aut differentes exhibentur. Medio autem loco, in superiori parte, sacrosanctum Christi nomen Græcis de more litteris exsculptum, & nobili circumseptum corona videre est. Et congrue quidem divinum Christi nomen coronæ instar eorundem capitibus imminet, hi quippe præ cæteris Apostoli idem universo terrarum Orbi nomen feliciter annunciarunt. Petrus enim Apostolorum princeps de Christi nomine illud edixit: *Nobis*, inquit, *præcepit Deus prædicare & annunciare populo.* (Act. 10.) Quod & alibi de se speciatim testatus ait: *Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelii & credere.* Paulo itidem prædicandi nominis Christi munus specialiter injunctum est. Ad Ananiam enim Christus ait: *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus & filiis Israël; ego enim ostendam illi quantum oporteat eum pro nomine meo pati.* (Actor. c. 9.) (SS. Petri, & Pauli imagines in vitro è Cœmeteriis erutæ.)

2 Altera eorundem Apost. imago angelum coronam eorundem capitibus imponentem exhibet, & jure quidem merito tanquam emeritis, atque victoribus, qui universum terrarum Orbem Christi imperio subegere, corona donatur. Illud autem curioso lectori adnotandum est, Paulum videlicet Apostolum in singulis hisce descriptis vitreis circulis dextetam, Petrum vero sinistram haud sine mysterio obtinere, de qua re Baronius in suis Annalibus consulendus est, ubi isthæc ait: *Apud Romanos in sacris potior locus semper sinister habitus est, dexter vero posterior, sive quod in Ecclesia Christi ex benedictione illa Patriarchali in Ephraim, atque Manassem mutatæ sint rerum vices, & ordo, ut quæ sinistra esset, in dexteram, & dextera in sinistram dignitatis & benedictionis ordine mutaretur.* Quod tam in Orientali, quam Occidentali Ecclesia usu receptum esse prisca docent exempla, &c. *Hinc & ille veterrimus usus, ut in sacris diplomatibus à dextris Paulus, Petrus vero à parte læva collocarentur.* Hæc Baronius, ad quem brevitatis gratia lectorem remittimus. (Alia eorundem Apost. imago vitrea.) (Baron. t. 1. an. 325. n. 59. & an. 213. n. 6.)

3 Altera subinde ex imaginibus, quas delineatas hic vides, Apostolos se mutuo respicientes, ac intermedium quoddam volumen complicatum, diadema itidem è superiori parte, & radium inde erumpentem contemplantibus exhibet. Nec res quidem


Sarcophagi partes
Laterales eiusdem
Vitrea orbicularis Evang.ci pastoris imago in Coemeterijs inventa


Orbiculares vitreæ Sanctorum imagines in Coemeterijs inventa
ANNES

quidem vacua myſterio, ambos enim à Deo ad annunciandum Euangelium prælectos, divinitus illud idem orbi promulgandum accepiſſe, & primum in Eccleſia Dei ſanctitatis, ac præeminentiæ coſdem locum ſortitos fuiſſe ejuſcemodi ſymbolo deſignatur.

Vitreum numiſma in quo Chriſtus Lazarum reſuſcitat.

4 In uno autem ex vitreis iſtis numiſmatibus Chriſtus Dominus Lazarum faſciis obvolutum è monumento in vitam revocans, ut in marmoreis pubeſcenti facie ac ætate paſſim Sarcophagis plerumque videre eſt, ad obteſtandum videlicet futuræ reſurrectionis myſterium, in quo florida ætate unuſquiſque reſurget.

Vitrea imago mulieris orantis.

5 In altera ex vitreis imaginibus mulier quædam protenſis hinc inde brachiis orans adumbratur, qua plane forma orantes Cœmeterialibus in tabulis frequenter repræſentari conſuevere. Inſculptum autem nomen legitur, *Annes*. Hac autem imagine haud temere quis dixerit, beatam Agnetem à Chriſtianis ob devotionis erga eandem cultum exſculptam fuiſſe, littera dumtaxat *N* pro *G* immutata; ibi enim *Annes*, pro *Agnes* ponitur.

Alia vitrea imago.

6 Poſtrema demum vitrea imago duas mulieres floridæ ætatis unà cum puerulo, ac quoddam inter utraſque volumen haud explicitum ab alto prominens exhibet; ſacrum item nomen Jeſu exprimens, quo præcipuas quidem iſtas fœminas, quæ forte tumulatæ ibidem unà cum eodem puerulo fuerunt, olim extitiſſe arbitrari quis poteſt, quarum effigies à gentilibus ſuis in earundem memoriam, & ſui ſolatium affabre excepta, ſepulchro unà cum corporibus illata eſt: niſi duarum virginum imagines exhibeat.

Alteram hic tibi tabulam ſacris Cœmeterialibus imaginibus, in beatorum Martyrum ſepulchris inter perſcrutandum adinventis exſculptam, quas Marchioniſſa Angelella nobis contemplandam benigne obtulit, tibi quoque, pie ac ſtudioſe lector, ſacrarum rerum, & venerandæ antiquitatis cupido ultro oculis delibandas exhibet.

Tabula autem hæc binas vitreas affabre elaboratas imagines continet.

SS. Juſtus, & Timotheus.

Alteram nimirum, quæ ſanctos Juſtum & Timotheum conſidentes, & angelum coronam eorundem capitibus imponentem præ ſe fert: complicatum autem divinæ legis volumen in eorundem medio extat, ut omnimodam, quam eidem legi obſervantiam uſque ad ſanguinis profuſionem præſtitere, coronam eiſdem peperiſſe comprobetur, juxta id quod de beatis martyribus canit Eccleſia: *Propter teſtamentum Domini, & leges paternas ſancti Dei perſtiterunt in amore fraternitatis, quia unus fuit ſemper ſpiritus in eis, & una fides.* Quapropter de unoquoque martyre illud merito in ejuſdem natalitiis repetitur: *Iſte ſanctus pro lege Dei ſui certavit uſque ad mortem, &c.* Et illud: *Poſuiſti Domine ſuper caput ejus coronam de lapide pretioſo, &c.* Et item: *Corona aurea ſuper caput ejus, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.* Quo videlicet intuentibus Apoſtolicum jugiter oraculum ingeratur: *Non coronabitur niſi qui legitime certaverit.*

Reſp. in off. de com. Mart.

SS. Petrus, & Paulus in vitro expreſſi.


Altera autem ex vitreis hiſce imaginibus typis excerpta eſt, quæ in ſuperiori parte beatos Apoſtolos Petrum & Paulum contemplandos, & quidem B. Petrum ad dexteram S. Pauli conſiſtentem, Euangeliorum autem volumen, quod orbi annunciarunt, ſupernis reſperſum radiis exhibet, *à Deo enim illud, non ab homine*, ut Apoſtolus ait, orbi promulgandum accepere. In inferiori verò parte duos pariter beatos martyres, Juſtum videlicet, & Timotheum, intermedium autem ſacroſanctum Chriſti nomen Græcis duabus litteris expreſſum contemplandum præ ſe fert. Corpora autem eorundem beatorum martyrum haud procul à loco, ubi eorum imagines pia Chriſtianorum manus expreſſit, forte olim extitiſſe exiſtimandum eſt.

Veterum fidelium erga Petrum & Paulum Apoſt. devotio.

Sed ſubſiſte interim, amice lector, & propenſiorem erga beatos Chriſti Apoſtolos Petrum & Paulum, urbis Romæ, & Chriſtianorum, qui in ea degebant, devotionis cultum obſtupenti animo intuere. Marmoreis enim Sarcophagis, pictis item Cubiculorum tabulis, ac vitreis inſuper numiſmatibus ſacras eorundem imagines adumbrare paſſim ſatagebant, quo condignum grati animi eiſdem plane cum Chryſoſtomo verbis obſequium deferrent: *Quaſnam vobis ô beati Apoſtoli gratias referemus, qui tantum pro nobis laboraſtis. Memini tui Petre, & obſtupeſco: recordor tui Paule, & excedens mente, opprimor lacrymis, quid enim dicam, aut quid loquar veſtras contemplans afflictiones, neſcio. Quot carceres ſanctificaſtis? quot catenas decoraſtis? quot tormenta ſuſtinuiſtis? quot maledicta toleraſtis? quomodo Chriſtum portaſtis? quomodo prædicatione Eccleſias lætificaſtis? Sunt benedicta veſtræ linguæ inſtrumenta: ſanguine conſperſa ſunt membra*

Chryſ. ad Metaph.


Orbiculares aliæ Sanctorum vitreæ imagines



vestra propter Ecclesiam, vos Christum imitati estis in omnibus. In omnem terram exiit vester sonus, & verba vestra in fines terræ. Inde enim Apostolorum cultus Romanis singulariter cordi extitit, quod ibi prædicatione, ac sanguine potissimum coruscarint: quapropter idem Chrysostomus erga Urbem Romam adeo affici videbatur: *Ego & Romam*, inquit, *propterea diligo, tametsi aliunde illam laudare queam, &c.* Et infra: *Quis mihi dabit circumvolvi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre pulverem corporis illius, qua adhuc in Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis.* Eum quippe in modum Christianorum singuli erga beatos Apostolos devotionis affectu tenebantur, ut jugem apud se eorundem memoriam repeterent, & oculis ejuscemodi exsculptis signis objicerent, & qui procul ab Urbe essent, haud aliquid præter Apostolorum memorias videre præoptarent: ut de Ammonio eximiæ sanctitatis monacho Socrates narrat, qui Romam veniens, nihil ex magnificis Urbis operibus, præter Templum Petro & Paulo dicatum videre omnino desiderabat.

ys. Ser. in ep. ad t.

Socr. lib. 4. c. 11. 13.




Quoniam supra Cap. XLII. hujus libri quarti Tabula secunda Cubiculi unici Cœmeterii S. Julii Papæ, quod Via Flaminia
anc. situm est, Domini Jesu præter vulgarem pictorum consuetudinem Cruci quatuor clavis affixi depicta imago sese nobis contem-
aldos plandam obtulit, inter nonnulla religiosæ antiquitatis monimenta idem ille, quem sæpius in hoc Opere honoris causa nomi-
min. Eq. navimus, Franciscus Gualdus Eques è suo olim Musæo, nunc Regis Christianissimi in Monte Pincio, una eademque Tabula
teph. hic exhibita quatuor æneas ævo suo venerandas Cruces eundem Dominum Salvatorem quaternis item clavis transverberatum
usæum præferentes, in publicum hoc Subterraneæ Romæ theatrum præ cæteris ideo proferre studuit, ut quaternarium Clavorum di-
gis Gall. vinorum numerum, quem Gretserus, Cornelius Curtius, aliique magni nominis Scriptores validis argumentis asseruere, ma-
cianum gis adstruat, recentiorumque artificum eundem Christum tribus tantummodo clavis transfixum adumbrantium novitatem,
d RR. quam veluti à primævæ Ecclesiæ consuetudine, ac veterum traditione aberrantem vir curiose pius, & antiquitatis amator in-
Mini- dignanter ferre solet, & ipse imaginibus hisce coarguat. Et sane si quis SS. Patrum auctoritatem & historicorum fidem æsti-
s. mare, atque ipsammet rationem maturius expendere velit, hunc Clavorum quaternionem profecto deprehendet. Et de Patri-
rm. de bus quidem, qui quatuor omnino clavos enumerant, Innocentius Papa Tertius, Gregorius Turonensis, Cyprianus, S. Augu-
Mart. glor. stinus, & Nonnus se nobis offerunt: ex historicis autem Ruffinus, Theodoretus, & Joan. Zonaras: quibus eidem veritati ad-
rt. lib. 1. stipulatrices Revelationes S. Birgittæ accedunt. Vetustissimæ insuper in Italia, Germania, & antiquioribus per reliquum or-
. 6. bem Christianum Ecclesiis Icones idem palam faciunt. In Etruria præcipue Imago Crucifixi cedrino ligno à Nicodemo incisa,
r. de & Lucæ maxima religione asservata. Altera Icon, quam è cedro item effigiavit S. Lucas Euangelista, asservaturque Siroli prope
T. Dom. Anconam. Tertio loco in argumentum sententiæ nostræ non contemnendum producimus Crucem illam, quæ in sacra Lau-
Medit. retana Ædicula visitur, eamque simul cum ipso Sacello Angelorum manibus advectam fuisse piissimi quique hactenus credunt.
.6. Accedit deinde hujus numeri nostri quaternarii veluti testis etiam locupletissima Crux illa, quæ vivifico veræ Crucis ligno in-
ap. 19. cisa, & Leoni Magno à Juvenale Episcopo Hierosolymitano transmissa fuit, & Romæ in Sacrario Apostolico asservatur. De-
n. nique assertionis hujusce veritatem ipsimet Angeli quoque tueri videntur: fertur enim cælestem Genium Carolo Magno Cru-
. 4. *Eccl.* cem quandam attulisse, eamque illi in manus tradidisse, in qua noster Clavorum numerus cernitur. Ea in Boaria ad Montem,
. 1. *Hist.* quem indigenæ *Sanctum* vocant, inter alias magni æstimandas reliquias hodieque monstratur. Eundem postea clavorum nu-
l. c. 18. merum idem Carolus servavit in imagine illa, quam solido ex argento conflatam, magni ponderis, ac prægrandem ad justam
ar. An- hominis staturam inter plurima pietatis suæ monimenta, Leone III. Pontifice, Vaticanæ Basilicæ dono dedit. Sed ne inepte
p. 114 post tot, & tantos viros editis ea super re doctissimis libris luculenter disputantes actum agere velle videamur, abrumpimus: &
. 4. *Re-* ad illos curiosum lectorem, si omnimodam Crucifixionis Dominicæ rationem probe discere cupit, amandamus. Quod autem
at. c. 7. attinet ad tabellam suppedaneam, cui cruciarii innīterentur, & semicinctium, quod ventrem ac velanda tegeret, in quibus ef-
c. 51 & fingendis quoniam pictores pro naturæ suæ genio varie quoque ludunt, hi nostri Crucifixi hujus etiam rei veritatem plane
7. *c.* 18. edocent.

Explicatio Ichnographiæ Cœmeterii Pontiani Via Portuensi.

1 Cryptæ introitus, quà iter in Cœmeterium.
2 Aquæductus antiquus muro nunc obstructus, & limosus, ubi primus ad Cœmeterium ingressus patet.
3 Puteus cum aqua, ad vineam, quæ Cœmeterio supetjacet, irrigandam.
4 Locus profundus palmos decem, ac dirutus.
5 Aquæductus cum aqua stagnanti.
6 Cubicula absque picturis.
7 Cubiculum picturis adornatum.
8 Polyandra, seu loca ossibus mortuorum plena:
9 Aquæ stagnantes, quæ semitam imperviam reddunt.
10 Locus in fornice semitæ, ubi sanctorum Petri, Pollionis, & Marcellini imagines depictæ cernuntur, quas Tabula quarta supra contemplandas exhibet.
11 Locus, in quo SS. Pigmenii, & Milis effigies unà cum Cruce gemmata coloribus adumbratæ extant, ut Tabula quarta repræsentat.
12 Locus in fornice viæ trium Puerorum in fornace Babylonica pictis imaginibus exornatus, ut Tabula prima conspici datur: extat inibi præterea dimidiata mulieris cujusdam effigies, quæ coloribus præ nimia vetustate jam elanguentibus, oculorum aciem penè effugit.
13 Locus in semitæ fornice, ubi Domini Salvatoris depicta imago visitur, ut in Tabula prima.
14 Locus quidam humilis, ac depressus, in quo semper aliquantum aquæ offendas. Inibi præter Crucem gemmatam Baptismus Christi Domini penicillo exprimitur, ut in Tabula secunda videre est.
15 Locus, in quo sanctorum Vincentii, Sennen, Abdon, & Milis imagines depictæ sunt: quas Tabula tertia oculis subjicit.
16 Putei, seu hiatus, qui superius olim patebant, nunc autem humo, saxisque obstructi sunt.
17 Locus cujusdam Monumenti, in cujus ora inferiori eburnea figura simæ scalpturæ calce firmata visitur.
18 Semita uliginosa, & saxosa.
19 Locus, ubi hæ literæ PELAGI inverso modo exaratæ habentur, sub quibus ternæ dimidiatæ figuræ in laterculo depictæ conspiciuntur.
20 Aquæductus, quorum aquæ jam pridem defecerunt.
21 Locus luto obsitus, qui diruti cujusdam aquæductus speciem præ se fert.
22 Locus terra oppletus, quà in Cœmeterium secundum aditus patere videtur.
[symbol] Loca humo, ruderibusque oppleta, ac diruta, quæ non nisi prono corpore rependo subiri nequeunt.
[symbol] Semitæ, quæ longius haud dubiè tenderent, ni terra, saxisque interclusæ essent.
[symbol] Semitæ, quæ longius excurrunt.

Expli-


ICHNOGRAPHIA COEMETERII PONTIANI VIA PORTVENSI.
Scala palmar 200

Explicatio Ichnographiæ Cœmeterii Calliſti, quod Secretum nuncupatur.

1 Oſtium, per quod primarius ad Cœmeterium aditus in præſens patet.
2 Omnia loca expreſſa in hunc modum Monumenta arcuata, quæ magnitudine alia excedunt, eſſe ſcias.
3 Hiatus, ac ſpiracula figuræ quadratæ, quæ in terram olim aſcendebant, nunc autem obſtructa ſunt.
4 Semitæ abſque ullis omnino monumentis.
5 Gradus primarii, per quos Cœmeterium inferius ſubitur.
6 Muri ad inſtaurandum Cœmeterium olim conſtructi, nunc autem ſemidiruti.
7 Fonticulus, ſeu locus, ubi aqua cryſtallina, ac limpidiſſima ſcaturit; quæ, cum quà effluat, non habeat, proximos gradus in topho exciſos inundat.
8 Sepulchrum, quod aquis demerſum utplurimum exiſtit.
9 Loca, unde in Cœmeterium inferius deſcenditur.
10 Cubiculum picturis varie inſignitum, quæ multa uligine corruptæ ac deturpatæ propemodum evanuere.
11 Foramina, quæ ſemitam quandam inferiorem reſpiciunt.
12 Omnia loca figurata hoc modo Cubicula picturis deſtituta eſſe denotant.
13 Semita humo oppleta, & muro ab utraque parte obſtructa.
14 Monumentum depictis figuris undique exornatum, ubi proxima inſcriptio legenda proſtat:
JANVARIVS COJVGI FECIT.
15 Monumentum arcuatum depictis, ſed magna nunc ex parte obliteratis, imaginibus decoratum.
16 Monumentum arcuatum cum picturis, quod in tertia Monumentorum Tabula videre eſt.
17 Cubiculum primum picturis etiam conſpicuum, quinque Tabulis in præſenti Opere repræſentatum.
18 Cubiculum ſecundum variis quoque depictis figuris inſigne, quod Tabulis quatuor contemplandum ſubjicitur.
19 Monumenta arcuata cum picturis, ſed quæ, coloribus nimium ſeneſcentibus, vix conſpici queunt.
20 Cubiculum figuris penicillo adumbratis olim nobile, quæ nunc multa vetuſtate exeſæ vix apparent.
21 Sepulchrum fundi prææalti in medio ſemitæ.
22 Monumentum arcuatum picturis item conſpicuum, quod in ſecunda Monumentorum Tabula exhibetur.
23 Aquæductus, in quo aquas olim extitiſſe manifeſte cognoſcitur, nunc autem aridus plane, atque exſiccatus eſt.
24 Semitæ uliginoſæ, & multo luto obſitæ.
25 Monumentum arcuatum, in quo nonnullæ imagines penicillo effictæ conſpiciuntur, ut prima Monumentorum Tabula præfert.
26 Cubiculum picturis exornatum, quod inter delineandam Cœmeterii hujus Ichnographiam viſendum ſeſe obtulit.
27 Cubiculum quartum depictis etiam figuris inſigne, quinque Tabulis in hoc Opere repræſentatum.
28 Monumentum arcuatum pictis imaginibus decorum, quod in quarta Monumentorum Tabula numer. I. II. III. videre eſt.
29 Monumentum tectorio etiam fornicatum, figuriſque penicillo varie adumbratis inſigne, quod eadem quarta Monumentorum Tabula numer. IV. V. VI. contemplandum offert.
30 Scalæ, quæ Cœmeterium inferius punctis in Tabula variatum reſpiciunt.
31 Sepulchrum pertuſum, quod in prædictum Cœmeterium inferius quoque ſpectat.
32 Brevior quædam ſcala intra Cubiculum, cujus item aſpectus eſt in idem Cœmeterium inferius.
33 Lapicidina tophacea abſque ſepulchris.
34 Semitæ multo ſuffuſæ humido, in quibus nullum omnino ſepulchrum videre eſt.
35 Minuſculi quidam arcus & muri inſtaurandis, conſervandiſque fornicibus, ac ſemitis cœmeterialibus constructi.
36 Muri Cubiculorum portis tuendis, fulciendiſque adſtructi.

Semitæ depreſſæ, & humo, ruderibuſque impeditæ, quæ tranſitu ſunt redditæ omnino difficiles.

Semitæ, quæ latius olim patebant, nunc autem terra prorſus intercluſæ ſunt.

Semitæ, quæ longius progrediuntur.

Omnes ſemitæ punctis ſeu maculis interſtinctæ ſunt Cœmeteria peculiaria inferius ſita.


CHNOGRAPHIA COEMETERII CALLISTI QVOD SECRETVM NVNCVPATVR.

Ichnographia ordinis inferioris Cœmeterii Callisti, quod Secretum appellatum est, exponitur.

1 Scalæ, quibus in præsens hoc Cœmeterium descensus datur.
2 Locus, ubi bina picturis conspicua Monumenta visuntur, quæ Tabula Monumentorum quinta oculis subjiciuntur.
3 Muri semitis, Cubiculis, Monumentisque Cœmeterii muniendis constructi.
4 Cubicula picturis destituta.
5 Cubiculum tertium picturis exornatum, quod sex æneis exceptum Tabulis in hoc Opere repræsentatur.
6 Cubiculum variis item depictis figuris insigne, quod, dum Ichnographiæ conficiendæ opera datur, detectum, patefactumque est.
7 Gradus, per quos in Cœmeterium superius ascenditur.
8 Hiatus, seu spiracula in quadrum concinnata, quæ in Cœmeterium superius evadebant, nunc autem humo oppleta sunt.




Semitæ, quæ, terra, ruderibusque objectis, transitu sunt difficiles.
Semitæ, quæ longius ducerent, sed humo nunc prorsus obstructæ sunt.
Semitæ, quæ longius excurrunt.

Ichnographia Cœmeterii superioris, & inferioris sanctorum Marcellini & Petri, quod Via Lavicana situm est, exponitur.

1 Templum figuræ orbicularis, Italico idiomate *Torre Pignattara* nunc vocitatum, quod olim in honorem SS. Marcellini & Petri à Constantino Magno extructum fuit: in eoque postea idem Constantinus Augustus sacrum B. Helenæ matris suæ corpus intra porphyreticam concham recondidit.
2 Puteus rotundus, sed aqua carens, altus pal. 85. qui tempore, quo Cœmeterii ichnographia delineabatur, innotuit.
3 Designatio futuræ Ecclesiæ, quam in SS. Marcellini & Petri honorem villarum adjacentium domini ædificandam constituerunt.
4 Puteus antiquus, cui aquæ etiamnum insunt.
5 Porta primaria Templi, in cujus fronte porticus olim assurgebat, nunc autem diruta prorsus, atque humi dejecta est.
6 Porta, per quam modo Templum ingredimur.
7 Loculus in pariete, seu ædicula, in qua D. Tiburtii, aliorumque sanctorum depictæ imagines etiamnum conspiciuntur.
8 Locus supra terram, ubi sacra S. Tiburtii Ædes olim existebat, quæ in præsens labefactata, funditus pene corruit.
9 Confessio Ecclesiç subiacens, ubi aditus quidam obstrusus visitur, quà in Cœmeterium contiguum ingressus olim patebat.
10 Foramen in media Josephi Petrellæ vinea, per quod in partem primariam Cœmeterii hujus superioris, quod puris lineis, ut illud à Cœmeterio inferiori distingueremus, designatum est, ingressus patet.
11 Semita sepulchris vacua.
12 Cubiculum sextum picturis adornatum, quod in hoc Opere binis Tabulis contemplandum exhibetur.
13 Cubiculum septimum depictis item figuris conspicuum, quod binæ pariter Tabulæ visendum offerunt.
14 Cubiculum octavum varie item penicillo decoratum, quod duabus etiam Tabulis in hoc Opere conspici datur.
15 Muri & arcus instaurando Cœmeterio constructi.
16 Pars Cœmeterii inferioris, quæ punctis in Tabula signatur, quod sit paululum depressior, etiamsi cum illo neutiquam cohæreat.
17 Foramen in cujusdam Cubiculi area, per quod Cœmeterium inferius subiri potest, atque inde, dum patet, magni venti spirare solent.
18 Scalæ, quibus in Cœmeterium inferius olim descendebatur, nunc autem terra, saxisque oppletæ sunt.
19 Cubiculum, præ cujus foribus nonnullæ mulierum orantium in morem depictæ imagines conspiciuntur: intus autem Polyandrum palmos 40. altum existit.
20 Cubiculum alia magnitudine longe excedens, in cujus meditullio sepulchrum lateritium, quod palmis quinque cum dimidio in altum assurgit, conspicitur, cum quatuor columnis orbicularis figuræ, quæ per quatuor angulos fulciendo fornici dispositæ existunt: arcuata deinde nonnulla Monumenta per ambitum ibidem extructa videre est.
21 Cubicula tria, quæ punctis in Tabula signantur, siquidem ea in partem Cœmeterii superioris, licet illi nequaquam adhæreant, connumerata veniunt. In iis spiraculum quoddam figuræ quadratæ in medio fornice fabrefactum, superne tamen occlusum, existit, quà lumen olim admittebatur, atque ideo Cubicula Clara communi nomine nuncupabantur; cum eorum singula fenestram eidem illi spiraculo obversam, quò lucem inde reciperent, apposite habeant.
22 Cubicula cum Monumentis oblongis, quæ in pavimento effossa sunt.
23 Foramina, quæ semitas quasdam inferiores altius subeunt.
24 Quatuor Cubicula Clara, quæ duobus in orbem figuratis spiraculis lumen olim hauriebant, ea autem superne nunc clausa sunt.
25 Cubiculum, in cujus fornice annulus ferreus lampadibus, seu lucernis adnectendis defixus cernitur. Fornix autem præter SS. Gorgonii, Tiburtii, Petri, & Marcellini imagines atque alia parerga, Christi Domini medii inter binos discipulos sedentis depictam effigiem contemplandam præ se fert, ut in hac Tabella Ichnographiæ adjecta videre est.
26 Locus quidam amplioris latitudinis, ubi pulveris puteolani fodiendi causa, plura sepulchra dejecta prorsus, ac dissipata sunt.
27 Puteus aquam continens in Josephi Petrellæ vinea.
28 Hiatus, seu spiracula, quæ foras olim exibant, nunc autem obstrusa sunt.
29 Foramina, per quæ in alteram partem Cœmeterii longe amplioris ingredimur, quod tamen cum altero hactenus descripto, ruderibus, saxisque interjectis, neutiquam nunc cohæret: & quamvis pro semitarum annexione alterum alter

profu

ICHNOGRAPHIA ORDINIS INFERIORIS COEMETERII CALLISTI QVOD SECRETVM APPELLATVR



profundius esse videatur, semitæ tamen invicem subjectæ, nulla alteri nexa, pertranseunt, atque illæ, quæ inter se olim coibant, modo disturbatæ prorsus atque obstructæ sunt.

30 Locus quidam peramplus, sed ruderibus plenus, quò ad hanc Cœmeterii partem intrandam neceße est descendere.

31 Scalæ, & foramina, quibus in semitas inferiores, quas punctis in Tabula variatas vides, descensus datur.

32 Monumentum picturis, sed magna ex parte exolescentibus, adornatum.

33 Cubiculum depictis figuris, sed quarum etiam color ferme obsolevit, insigne, in cujus aditu Daniel inter leones coloribus adumbratus cernitur.

34 Monumentum arcuatum, quod pictas item imagines, sed jam evanescentes, continet.

35 Cubiculum duodecimum pigmentis varie insignitum, quod binis in hoc Opere tabulis exceptum repræsentatur.

36 Cubiculum, cujus parietes variis quoque figuris sed quæ injuria temporum ex oculis se pene subduxere, depicti sunt.

37 Cubicula cum picturis, quæ vividam colorum suorum acrimoniam penitus etiam amiserunt.

38 Cubiculum depictis item figuris spectabile, sed humo, ruderibusque pene repletum.

39 Monumentum fornice desuper tectum, coloribusque exornatum, quod in prima Monumentorum Tabula videre est.

40 Cubiculum Nonum depictum, quod binis in Opere Tabulis spectandum exhibetur.

41 Puteus aquæ jugiter manantis in præmemorati Josephi Petrellæ vinea.

42 Locus, in quo pulveris puteolani fodiendi causa plura sepulchra disturbata, & eversa jacent.

43 Monumentum arcuatum pictis imaginibus conspicuum, quod secunda Monumentorum Tabula oculis subjicit.

44 Spiraculum quadratæ figuræ in ejusdem Petrellæ vinea, humo, saxisque pene oppletum, per quod in quandam Cœmeterii partem descenditur, quam rudera, & hujusmodi semitarum obstructiones ab aliis ejusdem Cœmeterii partibus omnino dirimunt.

45 Cubiculum decimumquartum, quod varie etiam pictor olim adornaverat, saxis totum pene completum, & quod prædicto spiraculo lumen quondam hauriebat: illud autem tribus in hoc Opere Tabulis videndum exhibetur.

46 Cubiculum decimumquintum depictum, quod tribus etiam Tabulis repræsentatur.

47 Cubiculum, quod picturas, sed tempore labefactatas, & ad nihilum pene redactas, parietibus suis præfert.

48 Cubiculum, in cujus fornice spiraculum pervium, patensque visitur, per quod in alia Cubicula, ac semitas ordinis superioris Cœmeteriales punctis in Tabula distinctas conscenditur.

49 Cubiculum, quod, dum Ichnographiæ excipiendæ opera datur, in lucem & notitiam venit, cujus ingressus multa humo impeditus transitu est difficilis. Picturæ in eo existentes vividum suum, ac vegetum colorem etiamnum tuentur: & ostii ex adverso Monumentum arcuatum extat, in cujus fronte interiori trium Magorum Deum infantulum in sinu Virginis matris, quæ illorum munera veluti accipit, adorantium depictæ imagines conspiciuntur.

Ejus autem Monumenti fornix encarpis variis, aviculis, atque ejusmodi adjectis aliis parergis graphice convestitus est: in medio Euangelicus Pastor oviculam bajulans; dextra Moyses cum cistis manna refertis; sinistra vero Lazarus ad imperium Domini reviviscere videtur.

Eodem in pariete supra prædictum Monumentum Noëmus in Arca, cui columba olivæ ramusculum rostro ferens advolat, penicillo ad dextram effictus cernitur. Ad lævam autem Moyses, qui ex arida Petra prodigiose plenis scatebris salientes elicit aquas, expressus est: in medio vero varia frondium ornamenta vigent, & oblongum quoddam sepulchrum patens conspicitur.

Utraque Cubiculi latera pari ornamentorum genere sunt inter se consimilia, nec inibi ullam pictor historiam adumbravit, sed encarpos tantummodo, frondes, aliaque id genus parerga illic videre est: ad dextrum præterea latus sepulchra nonnulla clausa; ad sinistrum autem eadem inchoata dumtaxat, ac designata existunt.

Parietem, cui ostium inest, varia item pigmenta venustant: & in binis ejusdem ostii hinc inde lateribus fossor eo corporis gestu, quasi tophum exscinderet, depictus est.

Ejusdem denique Cubiculi fornix figurarum jucunda varietate distinctus floret, tota autem pictura novem areolis apte in orbem metatis descripta, ac dispertita est: in quarum prima, quæ imminet ostio, Jonas sub umbraculo, manu capiti imposita, spectandum se offert: altera, gradu dextrorsum facto, mulierem orantis in morem consistentem præfert; in areola tertia idem Ionas sub cucurbita, quæ jam exaruit, residens, & digitum ori insertum tenens effictus habetur: quarta viri cujusdam orantis effigiem visendam exhibet: in quinta Jonas iterum, qui è navi in mare projicitur, & fauces marinæ belluæ vivus ingreditur: in sexta mulier orationi vacans conspicitur: in septima ejusdem denuo prophetæ Jonæ à balena in terram redditi historia adumbratur: penultima viri precibus operam dantis imaginem continet: in nona denique ac postrema, quæ medium fornicis locum obtinet, Euangelicus pastor cum ovicula erronea in humeros sublata, binisque præterea agnis eidem adstantibus, contemplandus proponitur: in singulis autem ejusdem fornicis angulis singuli pueri medio pectore tenus effícti, absque pileolis & nudi, cernuntur.

50 Viæ præruptæ, atque aditu difficiles.

51 Scalæ oppletæ, quibus primarius in Cœmeterium ingressus olim patuisse videtur.

52 Cubiculum Quartum picturis adornatum, quod binis in hoc Opere Tabulis spectandum exhibetur.

53 Cubiculum Quintum varie item coloribus distinctum, quod duabus in Opere Tabulis repræsentatur.

54 Cubiculum pictum, sed magna ex parte decoloratum.

55 Semita, quæ utroque latere encarpos, frondes, atque alias aptis, elegantibusque formis descriptas penicillo areolas spectandas præfert.

56 Puteus aquam continens in Vinea Guillelmi Castaldi.

57 Cubiculum coloribus, sed nonnihil evanidis, honestatum.

58 Semita humido suffusa paululum, & latitudine alias excedens, sed sine sepulchris.

59 Crypta perampla lapicidinæ speciem referens, sepulchrorum expers.


60 Foramen, per quod in Cœmeterium superius puris lineis, ejus ab inferiori distinguendi causa, in Tabula signatum ascenditur.

In præsenti hac Ichnographia nullam de tribus primis Cubiculis, de undecimo, ac decimotertio, juxta ordinem in Opere servatum, mentionem agimus, quia per viarum usquequaque dirutarum obstructiones illa ingredi ac visere non licuit: atque inter picturata (de quibus hic sermo) & ista, licet in multis sint consimilia, plurimum tamen interest.

Decla-

ICHNOGRAPHIA COEMETERII SVPERIORIS ET INFERIORIS SS. MARCELLINI ET PETRI VIA LAVICANA.

Scala palmorum 200



Declaratio Ichnographiæ Cœmeterii S. Agnetis Via Nomentana.

1 Puteus, seu spiraculum in quadrum figuratum, & profundum palmos 58. in vinea Martini Vannuccii Florentini, quæ ad lævam ab Æde D. Agnetis Pontem Salarium versus euntium sita est. Per istud autem spiraculum pars hæc Cœmeterii minor subiri potest.

2 Semita, ubi plura pigmentis, sed nimia vetustate languescentibus, extrinsecus variegata sepulchra visuntur.

3 Laxior quidam locus, à fossoribus pulveris puteolani dirutus, ubi nonnulla sepulchrorum vestigia adhuc supersunt.

4 Scalæ humo, saxisque oppletæ, per quas, cum amplioris latitudinis, ac pariete lateritio calce valide astricto suffultæ sint, primarius in hanc Cœmeterii partem aditus patuisse videtur.

5 Monumentum arcuatum picturis, sed quarum color magna ex parte exolevit, insignitum.

6 Puteus, seu spiraculum in eadem vinea patens, per quod Bosius ad hanc alteram Cœmeterii partem majorem, quæ cæteris omnibus suis membris ab omni labe ac detrimento sincerior, integriorque permansit, visendam, ejusque Ichnographiam excipiendam ingressum se esse narrat.

7 Cubiculum quartum picturis exornatum, quod binis in hoc Opere Tabulis spectandum exhibetur.

8 Aquæductus antiquus semidirutus, atque exsiccatus plane, ac aridus.

9 Monumentum tectorio fornicatum, sub cujus arcu Inscriptio lapidi incisa, ab effossoribus aliquantulum labefactata, legenda prostat, cujus in hoc Opere Cap. 27. pag. 176. meminimus.

10 Monumenta arcuata cum picturis, sed quæ, coloribus injuria temporum fere detersis, vix conspici queunt.

11 Cubicula picturis item, sed decoloribus, exornata, in quibus nihil memoratu dignum offendimus.

12 Semitæ multo suffusæ humido, quæ jugi aquarum stillicidio in lapidem duruerunt.

13 Cubiculum mere tophinum, per cujus ambitum nonnulla sedilia, cum binis anaglyphi operis Pontificiis sedibus in topho excisis, disposita visuntur; quod unica in hoc Opere Tabula repræsentatur.

14 Cubiculum primum variis, eidem inductis pigmentis, insigne, quod quinque in hoc Opere Tabulis contemplandum subjicitur.

15 Monumentum primum arcuatum picturis, quæ vividam colorum suorum acrimoniam mirifice conservarunt, spectabile.

16 Cubiculum secundum depictum, tribus in Opere Tabulis repræsentatum.

17 Cubiculum tertium etiam picturatum, quod tribus pariter in hoc Opere Tabulis exhibetur.

18 Monumentum secundum fornice desuper tectum, picturisque exornatum.

19 Cubiculum amplitudine, atque altitudine alia longe superans, ubi Sedes Pontificia, & columnæ ex topho calce incrustatæ cernuntur: ipsum etiam Cubiculum signino opere totum oblitum, & albario expolitum est. Illud seorsum in præsenti hac Tabula unà cum sua Ichnographia spectandum datur.

20 Cubiculum quintum ac postremum coloribus adornatum, quod binæ in Opere Tabulæ unà cum semita, quæ in idem Cubiculum protensa, ibidemque desinit, conspiciendum offerunt.

21 Foramina, ac loca, unde in Cœmeterium inferius, quod punctis, ejus scilicet à superiori secernendi gratia, variatum vides, descenditur.

22 Cubicula, in quibus oblonga in pavimento variis modis effossa sepulchra extant.

23 Semitæ sepulchris omnino carentes.

24 Muri, & arcus Cœmeterio instaurando constructi, quamvis in duro, ac solido topho, vel certe firmo, fixoque pulvere puteolano fere excisum sit.

25 Ichnographia Ædis Divæ Agnetis, quæ humo demersa tota fere latet.

26 Area recens illic parata, dum exæquarent, deprimerentque viam ante principem dictæ Ecclesiæ portam, quæ Viam Salariam respicit, ad illam scilicet ab humido, quo laborabat, vindicandam.

27 Porta, quà in præsens per quoddam foramen inter complanandam viam præmemoratam patefactum in Cœmeterium prædictæ areæ, & Ecclesiæ contiguum ingredimur.

28 Gradus cooperti, quibus è Cœnobio in eandem Ecclesiam nuper instauratam nunc descenditur.

29 Putei, seu spiracula, per quæ descensus in Cœmeterium olim dabatur, quæ nunc humo, saxisque desuper illapsis obducta sunt.

Omnes Semitas, quæ hic in lineas undatim crispatas, ac sinuosas desinunt, obstructas, vel certe usque adeo dirutas esse scias, ut sint redditæ omnino imperviæ.


CHNOGRAPHIA COEMETERII SANCTAE AGNETIS VIA NOMENTANA.
Scala di palmi 20
Scala palmorum 200
50 100 150 200
Scala palmor 100
50 100

Ichnographia Eccleſiæ ſubterraneæ, & Cœmeterii S. Hermetis, ſanctorumque Baſillæ, Proti, & Hyacinthi Via Salaria veteri, exponitur.

1 Scalæ, quibus in Cœmeterium nunc deſcenditur.
2 Eccleſia S. Hermetis ſubterranea.
3 Aditus, ubi gradus, per quos in Eccleſiam deſcenſus dabatur, olim extitiſſe cognoſcitur, qui humo, ruderibuſque nunc plane intercepti ſunt.
4 Aditus alii, per quos olim in Cœmeterium ingreſſus patebat, nunc autem prorſus obſtructi ſunt.
5 Cubiculum picturis adornatum, ſed quarum nitorem nimia vetuſtas plurimum hebetavit.
6 Monumentum arcuatum variis ad decorem coloribus diſtinctum, quod prima Monumentorum Tabula in conſpectum datur.
7 Monumentum arcuatum, cui plurimæ item picturæ venuſtatem conciliant, quod ſecunda Monumentorum Tabula conſpiciendum ſubjicit.
8 Monumentum tectorio etiam fornicatum, picturiſque conſpicuum, tertia, ac poſtrema Monumentorum Tabula repræſentatum.
9 Hiatus, per quos in Cœmeterium ſuperius aſcenſus patet.
10 Scalæ terra oppletæ, quas è primariis, quibus Cœmeterium ſubiri poterat, fuiſſe cognoſcitur.
11 Sepulchrum inter Ichnographiam Cœmeterii delineandam detectum, cui illa marmori inciſa Epigraphe inſcripta legitur, quam l.4.c.37.f.327. recenſuimus: & quam ex Maximi, ac Urbani Conſulatu ibidem adſcripto ſub annum Chriſti 236. Pontiano IV. Pontifice, illic poſitam fuiſſe deprehendimus.
12 Hiatus adinſtar putei, palmos 25. altus, à foſſoribus quidem inchoatus, quò foras in liberum aëra forte evaderent, ſed minime perfectus.
13 Puteus, qui uſque in Aquæductum Aquæ Virginis, vulgo *Trevi*, pertingit.
14 Cubiculum amplitudine excedens alia, ſed ſepulchris vacuum.
15 Pars Cœmeterii à pulveris puteolani effoſſoribus deſtructa.
16 Cubicula picturis nuda.


Omnes ſemitæ punctis interſtinctæ in Cœmeterii ſuperioris partem connumeratæ veniunt.


Semitæ terra oppletæ, quæ tranſitu ſunt difficiles.
Semitæ humo prorſus obſtructæ.
Semitæ, quæ longius excurrunt.

Ichnographia partis Cœmeterii ſuperioris Priſcillæ Via Salaria nova, declaratur.

Hanc Ichnographiam à Vinghio & Breventano acceptam præſenti huic Cœmeterii S. Hermetis ideo adjicere viſum fuit, quod major hactenus excipi non potuerit, cum per rudera ac parietinas, quæ aditus uſquequaque obſtruxere, haud ulli eò penetrare licuerit.

1 Cubiculum tertium picturis inſigne, binis in hoc Opere Tabulis repræſentatum.
2 Cubiculum quartum picturatum, quod tribus Tabulis contemplandum exhibetur.
3 Cubiculum quintum variis item pigmentis venuſtatum, quod quatuor ſuo loco Tabulæ oculis ſubjiciunt.
4 Cubiculum ſextum picturis etiam conſpicuum, quod tribus in Opere Tabulis ſpectandum proponitur.
5 Loca, quæ colligendis, conſervandiſque aquis cellas, ſeu ciſternas fuiſſe præ ſe ferunt.
6 Cœmeterii aditus, qui omnino in præſens occluſus eſt.


ICHNOGRAPHIA ÆDIS SVBTERRANEÆ
ET COEMETERII S. HERMETIS
ET SANCTORVM
BASILLÆ PROTI ET HYACINTI
VIA SALARIA VETERI
25 50 75 100
Scala palmorũ 100


ICHNOGRAPHIA PARTIS COEMETERII
SVPERIORIS PRISCILLÆ VIA SALARIA NOVA
25 50 75 100
Scala palmorũ 100

Explicatio Ichnographiæ partis Cœmeterii Lucinæ.

Cœmeterium istud à Lucina Senatorii generis, & recolendæ pietatis fœmina, ipsorumque beatorum Apostolorum discipula, unà cum nomine initium traxit: ibi enim venerandum Pauli Apostoli corpus, post ejus martyrium, quod capitis obtruncatione sub Nerone consummaverat, ipsa condigno honore condidit: quo è loco postea sublatum, cum longo temporum interlapsu ad Catacumbas, ut diximus, Græcis illud surripere, & in Orientem deferre, etsi frustra, conantibus, ab iisdem metu absterritis depositum perstitisset. Altera subinde ejusdem nominis, ejusdemque prosapiæ fœmina, ducentis circiter revolutis annis, Cornelii Romani Pontificis manu inde levatum, eo loco, ubi nunc Constantiniana basilica Ostiensi Via cernitur, reponendum curavit, ut ipsius Cornelii Papæ acta his verbis referunt: *Hic temporibus suis rogatus à quadam Matrona Lucina, corpora Apostolorum Petri, & Pauli de Catacumbis levavit noctu. Primum quidem corpus beatissimi Pauli beata Lucina posuit in prædio suo via Ostiensi ad latus, ubi decollatus est.* Quo subinde loco nobile Cœmeterium, vel à posteriore Lucina, vel certe à priore nomen obtinuit. Verum quidquid sit, vel illa primum cœperit, & isthæc ampliaverit, vel hæc sola dumtaxat pias operi manus martyrum officiosa pignoribus admoverit, à Lucina quidem Cœmeterium hoc extructionis initium, & nominis lucem hausit.

Anast. in Cornelio Papa.

Verum beatissimi Apostoli corpore apprime nobilitatum, cæteris beatorum deinde martyrum, & Christianorum exuviis certatim excoli, ac locupletari cœpit, ut titulus, qui adhuc in basilica extat, legentibus in hæc verba testatur:

SUB HOC PAVIMENTO TESSELATO
EST COEMETERIUM S. LUCINÆ MATRONÆ
IN QUO PLURIMA SS. MARTYRUM CORPORA
REQUIESCUNT.

Ex alia item Eusebii cujusdam tumulo apposita inscriptione plurimorum ibidem martyrum corpora illata fuisse liquet. Ibi enim illa potissimum verba insculpta leguntur: *Introitu ad Martyres.* Porro cum antiquum hoc, ac celebre Cœmeterium Antonius Bosius curiose perlustraverit, oculatusque loci testis effectus exacte descripserit, haud typis postea contemplandum edidit, quod quidem cum amplum sit, & adiacentes regiones ambiat, novissime ex parte innotuit, quam Eminentissimus Card. Barberinus hic tibi oculis subjiciendam curavit.

1 Hiatus in via, per quem Cœmeterium nunc ingredimur.
2 Semitæ, quæ in ima Cœmeteriorum longius provehunt.
3 Semitæ dirutæ, & terra, saxisque interceptæ.
4 Gradus, quibus in Cœmeterium descensus olim dabatur.
5 Semitæ, per quas crebra, eaque adhuc clausa, sepulchra disposita visuntur.
6 Foramina, per quæ Cœmeterium inferius situm punctis, seu maculis in Tabula variatum subitur.
7 Locus, ubi istiusmodi formæ sepulchrum quoddam existit, longum pal. 6. & semis.
8 Locus, ubi aliud simile sepulchrum situm est, longitud. palm. 7.

Ichnographia Cœmeterii Calepodii sacræ S. Pancratii Ædi subjacentis exponitur.

Cœmeterium, quod Calepodii dicitur, olim quidem celeberrimum extitit; hujus enim beati martyris corpus, quod in flumen projectum fuerat, inde levatum, summa religione hic pia Callisti Pontificis manu conditum Cœmeterio titulum, ac nomen indidit, ut ex M. S. ejusdem actis fertur: *Invenerunt corpus Calepodii, quod levantes de flumine, nunciaverunt beato Callisto, &c. & ipse acceptum recondidit cum aromatibus, & linteaminibus, cum hymnis, & sepelivit in Cœmeterio ejusdem sexto Id. Majas.* In hoc item Cœmeterio plerique nobilissimi martyres conditi fuere, inter quos merito Julius Senator sub Commodo, Callistus Pontifex sub Alexandro, Palmarius Consul una cum uxore, filiis, & quadraginta duobus ex familia, Felix item unà cum Blanda uxore sub eodem Alexandro, Pancratius puer sub Diocletiano, aliique innumeri martyres recensentur, & demum S. Julius Papa, cum tranquilla jam Ecclesiæ tempora illuxissent, ibidem illatus est.


Acta S. Call. Pap. M. S. Cod. Vat. S. Cæcil. & Vallic.

Verum etsi Bosius Cœmeterium hoc sæpe sæpius perlustravit, apertisque verbis, ut supra enarratum est, loci faciem describendo delineavit, haud tamen Cœmeterii antiquitate recolendi iconem lectori exhibendam reliquit: quippe qui Cœmeteriorum magis ab hominum oculis & notitia remotorum investigationi totus insistens, quæ notiora apud omnes sunt, utpote ipsimet Urbi contigua, haud tabulis consignare, & oculis subjicere studuit. At ne Cœmeterii hujus tot sacræ antiquitatis nobiliter monimentis exculti aspectu lector fraudaretur, en ejus tibi iconem è tabulis fideliter excerptam, quam nobis Eminentissimus Franciscus Cardinalis Barberinus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius exhibuit, tibi quoque, ut eidem acceptam referas, in his Subterraneæ Romæ paginis conspiciendam subjicimus. Ut omnimodam verò rerum notitiam assequaris, dum hæc inspicis, ad ea, quæ l. 2. c. 12. n. 7. enarrata sunt, recurre.

Lib. 2. c. 12. n. 7.

1 Gradus intra Ecclesiam, quibus in Cœmeterium descensus patet.
2 Loca diruta, ruderibusque oppleta.
3 Cubicula picturis penitus destituta.
4 Gradus, per quos in Cœmeterium superius situm ascenditur.
5 Pars Cœmeterii superioris.

ICHNOGRAPHIA PARTIS COEMETERII LVCINAE SVB VINEA MERLI, VIA SACRIS S. PAVLI ET S. SEBASTIANI AEDIBVS INTERIECTA



ICHNOGRAPHIA COEMETERII CALEPODII SACRAE S. PANCRATII AEDI SVBIACENTIS



Ichnographia Cœmeterii, à nonnullis S. Agathæ nuncupati, explicatur.

Cœmeterium S. Agathæ antiquissimum plane est, vel tunc enim initium habuit, cum Apostoli Petrus, & Paulus martyrio coronati sunt, ut jam lib. 2. cap. 14. prolixe demonstravimus. Et quidem à piissima matrona Lucina, quæ eorundem Apostolorum discipula fuit, extructum, sicut antiquitate præstat, ita pariter pietatis cultu, & nobilitate præcipuum est. Lucina quippe eo potissimum titulo in sacris Romani Martyrologii paginis commendatur, quod martyrum sepulturæ inserviret, & Cœmeteriis eam ob caussam aptandis, extruendisque operam daret; hæc enim sunt Martyrologii verba: *Romæ sanctæ Lucinæ Apostolorum discipulæ, quæ de facultatibus suis sanctorum necessitatibus communicans, Christianos in carcere detentos visitabat, & martyrum sepulturæ deserviebat, juxta quos ipsa in crypta à se constructa sepulta est.*

Porro crypta, cujus hic tibi iconem proponimus, ea plane est, cujus in Martyrologio recurrit mentio, & in qua ipsamet beatis Martyribus, quos ibi condiderat, sociata tumulari meruit. Ut autem ex M. S. actibus videre est, eo potissimum tempore, quo sancti Processus, & Martinianus gladio consumpti sunt, Cœmeterium istud extructum fuit: cum sanctissima enim matrona iisdem pie in carcere ministrasset, ad martyrium alacriter euntes secuta, cum via postmodum Aurelia decollati fuissent, corpora eorum eo plane loco, ubi Cœmeterium in præsens cernitur, officiose tumulavit, quod totum ex actis hunc in modum recensetur: *Beatissima autem Lucina cum hoc videret, sequebatur eos* (id est præmemoratos ad martyrium properantes) *cum tota familia sua, usque dum pervenirent juxta formam Aquæductus*, Trajanam scilicet, *ubi etiam decollati sunt.*

Verum qua potissimum de caussa Calepodii Cœmeterium, titulo S. Agathæ appellatum sit, si nosse quis cupit, secum repetat, quæ t. 1. lib. 2. cap. 14. dicta à nobis sunt; id nimirum contigisse, vel quia supra Cœmeterium, quod satis amplum est, ut vides, sub S. Agathæ titulo Ecclesia erecta fuerit, quemadmodum aliis item Cœmeteriis contigisse compertum est: vel certe quia juxta eamdem Ecclesiam, alia pariter huic virgini dicata fuerit, cujus quidem Anastasius meminit, cum de Symmacho agens, hæc ait: *Hic fecit basilicam beatæ martyri Agathæ in fundo Lardario.* (M.S. Cod. S. Cæcil.) Hujus item apud Petrum Manlium mentio recurrit: *Cœmeterium*, inquit, *beatæ Agathæ ad Girolum.* Sed qui isthæc probe nosse præoptat, ea quæ jam diximus perlegat, dum interim hujus Cœmeterii iconem benigna Eminentissimi Francisci Cardinalis Barberini manus tibi ultro contemplandam offert.

1 Puteus aquam continens juxta domum vineæ, quà in Cœmeterium descensus datur.
2 Spiracula, quæ superius olim patebant, nunc autem obstructa sunt.
3 Semitæ terra, ruderibusque objectis inviæ.
4 Semitæ occlusis adhuc sepulchris frequentes.

Ichnographia Cœmeterii Novellæ Via Salaria nova exponitur.

Cœmeterium, quod Novellæ, vel potius Noellæ titulo, ut quibusdam placet, prænotatum legitur, & vastissimi Priscillæ Cœmeterii pars computatur, ut supra lib. 4. cap. 30. disertis verbis asseruimus, à praeclari nominis, conspicuæque pietatis inter Christianas fœmina extructum est. Porro ut loci sanctitas legentibus innotescat, subterranea quidem ista crypta inquilinum aliquandiu habuit Liberium Romanum Pontificem, dum à Constantio Imperatore Arriano, fidei causa, Urbe exturbatus, in suburbiis latebras quærere, & clanculum profugus agere multis affectus incommodis compulsus est, ut Damasi, ac Liberii acta his verbis edocent: (Acta Damasi, & Liberii Pontif.) *Unde Constantius vehementer iratus, hunc extra civitatem, quasi in exilium deportari præcepit, & habitavit extra milliario tertio in Cœmeterio, quod dicitur Novellæ Via Salaria.*


Hic igitur Arrianæ persecutionis tempore Christianorum cœtus agebantur, & ad Pastoris sinum, atque ad Ecclesiæ ubera Christi oviculæ properabant; hic Paschalis diei recurrente solemnitate, Damasi potissimum, quem sibi in pastorali munere Vicarium suffecerat, precibus, ac pia solicitudine permotus Liberius, salutaribus baptismi aquis recens ad fidem traductos expiavit, ac Christo spiritaliter genitos divini verbi pabulo, & Romanum præcipue clerum illis verbis strenue confirmavit: *Nolite*, inquit, *timere, quod ego vobiscum non habito, &c.* Quinimo prophetico spiritu afflatus, Damaso in animarum regimine intentius adnitenti supremum, ad quem subinde provehendus erat, Pontificiæ Sedis apicem prædixit. Quapropter, cum tot sacræ, ac recolendæ antiquitatis Cœmeterium istud monimentis præcellat, & funesta Arrianæ factionis tempora, gloriosaque Catholicorum certamina menti suggerat, valde miramur, ejusdem à Bosio exemplar haud tabulis cæterorum instar consignatum fuisse: verum quod ille tot antiquarum rerum monimentis explorandis, perscrutandisque jugiter intentus præstare nequivit, Eminentissimus Cardinalis Barberinus S. R. E. Vicecancellarius, de sacra antiquitate, ac de Subterranea Roma optime meritus, pio ac studioso lectori rem gratam facturus benigne præstitit, prout Cœmeterialis ista, quam tibi ob oculos ponimus, icon fidem facit.

1 Foramen, per quod aditus in Cœmeterium patet.
2 Laxior quidam locus eum in modum à pulveris puteolani fossoribus sensim redditus.
3 Spiramen, seu puteus, qua subeuntibus Cœmeterium descensus etiam datur.
4 Spiracula vetera, sed nunc ruderibus plane obstructa.
5 Monumentum arcuatum figuris undique insignitum, quod Monumento Priscillæ decimo in hoc opere repræsentatur.
6 Foramen, quod semitam quandam inferiorem respicit.
7 Viæ dirutæ atque obstructæ.

NOGBAPHIA COEMETERII ANONNVLLIS S. AGATHAE NVNCVPATI, SVBIECTI VINÆ PHILIPPI BRITII, É REGIONE VILLVLAE OLIMPIIV.



NOGRAPHIA COEMETERII NOVELLAE VIA SALARIA NOVA, QVOD HÆREDVM GASPARIS PORTII, VINEAE SVBIAC



CAP. XLVIII.

Præcipua BB. Martyrum, Romanorumque Pontificum nomina, quorum exuviis Cœmeteria Urbis illustrantur.

1 SEd ut Romanæ Urbis gloriam, ac condignos beatorum Martyrum, qui sacris eandem pignoribus illustrarunt, triumphos sub Cœmeteriorum enarrationis epilogum, postremamque quarti hujus libri periodum breviter perstringamus; quis nesciat, quod totus quidem fere terrarum orbis non ignorat, complures alios nobilissimos Christi Martyres, ac propemodum, ut ita dixerim, innumeros confessores item sanctitate conspicuos, electasque virgines apud Romanam Urbem hanc, ubi totius caput Ecclesiæ divinitus constitutum est, tanquam fidei anchoræ perpetuo inhærentes, in Domino feliciter obdormisse; & ad patres suos, id est, ad beatissimos Apostolos hic pia fidelium manu collectos apponi, eisdemque tumuli consortio sociari voluisse: quorum tamen dignissima vel martyrii, vel sepulturæ loca posteritati nunc penitus ignota permanent. Quoniam vero quid certi in re tam ambigua statui, ac definiri nullatenus potest, eo quod sacris quorundam pignoribus, ut de plerisque taceamus, Urbem hanc cumulari forte contigerit; cum ipsa intra mœnia eorundem corpora deposita olim à fidelibus fuerint, hinc ut latentes Romanæ potissimum Ecclesiæ thesauri, qui absque numero sunt, toti terrarum orbi innotescant, operæ quidem pretium duximus, in studiosi ac pii lectoris gratiam brevi quodam intercepta compendio recolenda eorum potissimum nomina hic subtexere, quorum nostram apud Vrbem memoria recolitur, ac natalitia pariter Romano in Martyrologio singillatim ex ordine describuntur. Hi autem sunt, quorum hic catalogum singulis respondentem mensibus, ac singulis pariter mensium diebus aptatum ultro lector excipis,

Roma à sanctorum in ea defunctorum multitudine illustris.

Series sanctorum Martyrum intra Urbis Cœmeteria quiescentium.

MENSE JANUARIO.

1 S. Almachii Martyris.
2 Plurimorum Martt.
5 Æmilianæ Virg.
12 Tatianæ Mart.
16 Priscillæ.

Plures autem fuere hujus nominis Priscillæ; de quibus supra egimus lib. 3. c. 52. præcipua tamen sepulturæ earumdem loca ignorantur, an videlicet in Cœmeterio Via Salaria, an potius in Patricio Vico conditæ fuerint: quamvis juniorem, cujus precibus B. Marcellus exoratus Cœmeterium Salaria Via instauravit, in eodem depositam fuisse vero quam simillimum arbitremur.

Plures Priscillæ.

31 S. Marcellæ viduæ.

MENSE FEBRUARIO.

2 Sanctorum Fortunati, Feliciani, Firmi & Candidi Martt.
8 Pauli, Lucii, & Cyriaci Martt.
9 Alexandri & triginta octo Coronat. Martt.
14 Vitalis, Feliculæ, & Zenonis Martt.
15 Cratonis cum uxore, & familia Martt.
16 Onesimi Mart.
17 Faustini & xliiij. Martt.
19 Gabinii Mart. fratris Caii Papæ, cujus sacrum corpus superioribus abhinc annis in Callisti Cœmeterio, ut to. 1. lib. 3. enarravimus, repertum est.
23 Polycarpi Mart.
24 Primitivæ Mart.
27 Alexandri, Abundii, Antigoni & Fortunati Martt.
28 Macarii, Rufini, Justi, & Theophili Martyrum.

MENSE MARTIO.

1 Leonis, Donati, Abundii, Nicephori, & aliorum nonaginta quatuor Martt.
2 Plurimorum martt.
14 XLVII. Martyrum à beato Petro Apostolo in Mamertini custodia baptizatorum.
15 Speciosi Monachi.
17 Alexandri, seu Nicandri, & Theodori martyrum. Corpus autem sancti Nicandri, à Sergio Iuniore in Equitii titulum, ubi hodie requiescit, translatum fuit.
22 Leæ viduæ.
24 Marci, & Timothei martt.
25 Ducentorum sexaginta duorum martyrum.
26 Petri, Marciani, Iovini, Teclæ, Cassiani, & aliorum martt.

MENSE APRILI.

9 Demetrii, Concessi, Hilarii, & sociorum martt.
10 Plurimorum sanctorum martt.
13 Iustini Philosophi mart.
14 Abundii Mansionarii.
15 Basilissæ, & Anastasiæ nobilium fœminarum, Maronis, Euthychetis, & Victorini martt.
18 Apollonii Senatoris.
24 Sabæ, & septuaginta duorum militum martt.

MENSE MAJO.

5 Crescentianæ mart.
6 Benedictæ virg.
9 Hermæ.
11 Evellii mart.
20 Plautillæ.
22 Faustini, Timothei, & Venusti martt.
31 Paschasii Diaconi.

MENSE IUNIO.

1 Iuventii mart.
4 Aretii, & Daciani martt.
20 Novati.
23 Agrippinæ virg. & mart.
24 Plurimorum martyrum, qui ob ipsius Vrbis incendium ipsis à Nerone perperam adscriptum trucidati sunt. Sacra autem horum pignora condita in Vaticano fuisse, eidemque Cœmeterio nomen dedisse, verisimile satis sit.
25 Luciæ virg. & mart. unà cum aliis xxii.
30 Æmilianæ mart.

MENSE IVLIO.

2 Trium militum, qui dum Pauli Apostoli martyrio interessent, Christo nomen dedere.
5 Zoæ mart.
6 Tranquillini mart.
23 Rasyphi, Primitivæ, Apollonii, & Eugenii martt. Romulæ, Redemptæ, & Herundinis virgg.

MENSE AVGVSTO.

4 Perpetuæ.

7 Petri

7 Petri Juliani unà cum aliis octodecim.
10 Centum sexaginta quinque militum martyrum, & Deodati Conf.
16 Titi diaconi, & martyr. & Serenæ uxoris quondam Diocletiani Imperatoris.
18 Joannis, & Crispi presbb.
25 Genesii mart.
29 Sabinæ martyr. Candidæ virg. & mart. cujus hodie corpus in Ecclesia S. Praxedis, illuc à Paschale Primo translatum colitur.
30 Gaudentiæ virg. & mart. cum aliis tribus.

MENSE SEPTEMBRI.

2 Maximæ mart.
3 Serapiæ virg. & mart.
16 Luciæ matronæ, & Geminiani martt.
17 Narcissi, & Crescentionis martt.
20 Eustachii, Theopistæ uxoris, Agapii, & Theopisti filiorum martt.
21 Pamphili mart.
26 Callistrati & quadraginta novem militum martt.
27 Epicharidis mart.
28 Privati, & Stactei martt.

MENSE OCTOBRI.

1 Aretæ, & aliorum quingentorum quatuor martt.
7 Marcelli, & Apuleii martt.
8 Birgittæ viduæ.
12 Evagrii, Prisciani, & sociorum martt.
19 Ptolemæi, & Lucii martt.
23 Mauri mart.

MENSE NOVEMBRI.

25 Moysis presb. & mart.
28 Rufi cum omni sua familia martt.

MENSE DECEMBRI.

1 Lucii, Rogati, Cassiani, & Candidæ martt.
6 Asellæ virg.
11 Thrasonis mart.
12 Synesii mart.
15 Irenæi, Antonini, Theodori, Saturnini, Victoris, & aliorum XVII. martt.
19 Faustæ matronæ.
20 Liberati, & Bajuli martt.
23 Victoriæ virg. & mart.
24 Tharsillæ virg.
26 Marini mart. & Theodori Mansionarii.
28 Domnionis presb.
29 Callisti, Felicis, & Bonifacii martt.

Isthæc sunt sanctorum nomina Romano in Martyrologio singillatim descripta, quorum martyrii, vel sepulturæ loca ignorantur, & quorum optatissimis plane auspiciis quarto huic libro finem, ac subterraneæ huic pariter à nobis susceptæ peregrinationi terminum tandem imponimus, id unum ad enarratorum hactenus fidem obfirmandam, sigilli instar operi attexentes, nobile nimirum antiquissimi Romani Martyrologii fragmentum, quod quidem primum sub Liberio in lucem prodiisse creditur, & nuperrime ab Ægidio Bucherio in eruditissimo opere *de doctrina temporum* editum fuit, in quo præcipui Romani Pontifices, aliique celeberrimi nominis martyres longa serie commemorantur, & loca insuper Cœmeteriorum venerandæ antiquitatis titulo conspicua recensentur, in quibus recolenda olim eorundem memoria sacris in dypticis peragebatur. Catalogus autem iste hunc in modum contextus est.

[margin: ...talogus ...ntificum Marty...]

Depositio Episcoporum, Romanorum videlicet, à Lucio ad Julium Pontificem numerando.

Sexto Kalendas Januarias, Dionysii in Callisti.
Tertio Kalend. Januarii, Felicis in Callisti.
Pridie Kalend. Januarii, Silvestri in Priscillæ.
Quarto Idus Januarii, Miltiadis in Callisti.
Decimo octavo Kal. Februarii, Marcelli in Priscillæ.
Tertio Non. Martii, Lucii in Callisti.

Lucius horum 12. Pontificum, qui recensentur, antiquissimus est, Iulius novissimus. Desunt autem duo intermedii, Sixtus videlicet, & Marcellus. At Sixtus inter Martyres adnumeratur.

Decimo Kalend. Maij, Caii in Callisti.

Corpus S. Caii in Cœmeterio Callisti sub Gregorio XV. ann. 1622. die 21. Aprilis opera ac studio Iacobi Ab. Crescentii ipso natalitii diei pervigilio in lucem venit. Cujus nomen lateri insculptum hoc modo erat; CAIO PP. Insculptum insuper palmæ signum, & Christi nomen consueto Christianorum more cernebatur ☧ sepulchrales vero lapides lamina plumbea invicem jungebantur: intra sepulchrum tria Diocletiani Imp. numismata, sub quo coronatus fuerat, & Sanctissimi Pontificis annulus adinventus est. Corpus vero Romæ in ejusdem Ecclesia sub Urbano VIII. repositum est.

Quarto Non. Augusti, Stephani in Callisti.
Sexto Kalen. Octobris, Eusebii in Callisti.
Nonis Octobris, Marci in Balbinæ.
Sexto Idus Decembris, Eutychiani in Callisti.
Pridie Idus Aprilis, Julii in Via Aurelia, milliario III. in Callisti.

Item depositio Martyrum.

Octavo Kal. Januarias natus Christus in Bethleem Judæ.

MENSE JANUARIO.

Decimo tertio Kal. Februarii, Fabiani in Callisti, & Sebastiani in Catacumbas.
Duodecimo Kal. Februarii, Agnetis in Nomentana.

MENSE FEBRUARIO.

Octavo Kalen. Martii, Natale Petri de Cathedra.

MENSE MARTIO.

Nonis Martii, Perpetuæ, & Felicitatis Africæ.

MENSE MAJO.

Decimo quarto Kal. Junii Parthini, & Caloceti, in Callisti, Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Coss.

MENSE JUNIO.

Tertio Kal. Julii Petri in Catacumbas, & Pauli Ostiense, Tusco, & Basso Coss.

MENSE JULIO.

Sexto Idus, Felicis, & Philippi in Priscillæ, & in Jordanorum Martialis, Vitalis, Alexandri: & in Maximi, Silani (hunc Silanum martyrem Novati furati sunt) & in Prætextati, Januarii.

Tertio Kal. Augusti, Abdon, & Sennen in Pontiani, quod est ad Vrsum pileatum.

MENSE AVGVSTO.

Octavo Idus Sixti in Callisti, & Prætextati, Agapiti, & Felicissimi.

Septimo Idus Augusti, Secundi Carpophori, Victorini, & Severiani, Albano, & Ostiense.

Sixtus iste, ut supra dictum est, Romanus Pontifex hic inter Martyres, non inter alios Pontifices adnumeratur.

Sexto Ostiense, Cyriaci, Largi, Crescentiani, Memmiæ, Julianæ, & Smaragdi.

Quarto Idus, Laurentii in Tiburtina.

Idibus Augusti, Hippolyti in Tiburtina, & Pontiani in Callisti.

Vndecimo Kal. Septembris, Timothei Ostiense.

Quinto Kal. Hermetis in Basillæ, Salaria vetere.

MENSE SEPTEMBRI.

Nonis Septembris, Aconti in Porto, & Nonni, & Herculani, & Taurini.

Quinto Idus, Gorgonii in Labicana.

Tertio Idus, Proti & Hyacinthi in Basillæ.

Decimo octavo Kal. Octobris, Cypriani Africæ, Romæ celebratur in Callisti.

Decimo Kal. Octobris, Basillæ Salaria vetere, Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Coss.

MENSE OCTOBRI.

Pridie Idus Callisti, in Via Aurelia, milliario III.

MENSE NOVEMBRI.

Quinto Idus, Clementis, Semproniani, Claudii, Nicostrati in Comitatum.

Tertio Kal. Decembris, Saturnini in Thrasonis.

MENSE DECEMBRI.

Idibus, Ariston in Pontum.

Et hæc sunt, quæ beatorum Pontificum Romanorum, & martyrum sepulchris insculpere, & ex antiquissimi Martyrologii tabulis fideliter accepta triumphalis instar coronidis ad perenne purpuratorum pro Christo monumentum ad hujus libri calcem inscribere voluimus, illud Cœmeterialibus istis stylo pariter inscribentes: *Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, & nomina eorum vivent in æternum.*

Alteram jam, eandemque novissimam susceptæ peregrinationis, ac Subterraneæ Romæ partem, singula, quæ nobis inter excurrendum sese obtulere, antiqua Christianorum Cœmeteria perlustrando, confecimus. A Latina quippe Via iter primo, beatissimi Apostoli Joannis auspicio aggressi, ad Vias Labicanam, & Prænestinam, inde ad Tiburtinam, & Nomentanam, necnon ad Salariam tum novam, tum veterem, tandem ad Flaminiam, recolenda passim sacra & profana pariter earundem Viarum monumenta inspiciendo, totiusque Romanæ Urbis circuitu feliciter peracto, substitimus. Et quidem nobis antiquam percurrentibus Urbem idem plane accidit, quod antiquis præstitum seculis Hieronymus enarrat: *Cum enim*, ut ille ait, *ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem quamplures nobiles viri ex ultimis Hispaniæ, Galliarumque finibus venirent*, novo quidem, ac inusitato miraculo, *quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit.* Currebant tunc passim videlicet homines, ut non tam Urbem, quam in Urbe hominem, quem procul dissiti mirabantur, portenti instar viderent. Quod plane antiquioribus Christianorum seculis probe adimpletum novimus, cum plerique viri nobilitate, ac pietate conspicui ex remotissimis terrarum regionibus, quos Roma ad sui contemplationem non traxerat, sacrorum Urbis nostræ Cœmeteriorum fama, ac religio, venerandaque beatorum martyrum, quæ ibidem tumulata quiescunt, ossa ad sui admirationem, venerationemque traxere. Quamobrem quod olim Hieronymus vel obiter enunciavit, hoc in sacris rerum historicarum paginis quis palam manu deprehendit: permulti enim longa ac laboriosa peregrinatione suscepta Vrbem ingressi, ejus dumtaxat religione huc se adductos professi, antiqua martyrum Cœmeteria, & sacræ antiquitatis monimenta extra Vrbem solicite exquisiverunt. Verum ut apte Hieronymi verbis in rem præsentem utamur: *Habuit illa*, inquit, *ætas* (habet & nostra ego dixerim) *inauditum omnibus seculis, celebrandumque miraculum, ut Urbem tantam ingressi, aliud extra Urbem quærant.*

Hier. præf. ad Paulin. c. 1.

Sacra igitur Vrbis Cœmeteria, quæ devoto hactenus pede excurrimus, & ad quæ volentem, contendentemque manu deducimus, ingenitæ merito sanctitatis admirationem, ac venerationem pariter perlustrantibus, imo & hæc nostra lecturis perpetuo ingerent: venerandis enim tot beatorum martyrum, ac Pontificum Romanorum exuviis referta coruscant, quorum nominibus, *quæ in libro vitæ conscripta sunt*, novissimas hujus quarti libri paginas obsignavimus. Et de his hactenus.

Apost. ep. Philip. 4

ROMA

ROMA SUBTERRANEA

SIVE

DE SACRIS ROMÆ COEMETERIIS

TOMUS II. LIBER QUINTUS.

ABſolvimus tandem, noſtris Deo votis annuente, Cœmeteriorum Urbis, quam longo, ut vides, circuitu, nec exiguo labore aggreſſi fueramus, deſcriptionem. Primum enim eorumdem, ne quid operi deſiderari contingeret, originem, atque inſtitutionem exacte expoſuimus: pari ſubinde ſtudio ſitus, nomina, ſacras item imagines, ac varia ſymbola, & hieroglyphica deſcripſimus, quæ in Cœmeterialibus oratoriis, & in ſubterraneis item cubiculis, ac Sarcophagis quandoque inter perſcrutandum ſuſpicienda occurrunt. His igitur præmiſſis noſtri nunc muneris eſſe intelligimus, recolenda ſacrarum earundem imaginum myſteria, atque arcanos, ac myſticos ſenſus, qui ſub earundem corticibus latent, pro noſtri facultate ingenii paucis diſſerendo elucidare. Sed antequam hnjuſcemodi opus aggrediamur, cum pleriſque in Cœmeteriis præter ſacras utriuſque Teſtamenti imagines, quædam etiam promiſcuæ, & nonnullæ inſuper, quæ profanos quodammodo Gentilitiæ ſuperſtitionis, abolitoſque jam antiquorum temporum errores ſapiunt, oculis objiciantur: ne ulla unquam de religioſo locorum eorundem cultu, ac veneratione cujuſpiam menti vel levis quidem umbra ſuſpicionis obrepat, in id præcipue toto animi ſtudio nobis inſiſtendum eſt, ut ſanctorum Patrum, & Oecumenicorum Conciliorum ſententiis inhærendo, validis rationibus illud in primis inter hujus quinti libri præludia comprobetur; ſacra nimirum Romanæ Urbis Cœmeteria haud ullo unquam tempore profanis gentilium cadaveribus, quod nonnulli perperam opinati ſunt, contumelioſe polluta, ac miſere deturpata fuiſſe; ſed primævo ſuo, nativoque jugiter ſervata nitori, procul ab execrando idololatrarum commercio, Chriſtianis Catholicis dumtaxat, qui ſanam ac illibatam Chriſti fidem tenerent, neque ulla hæreſeos, aur ſchiſmatum labe turpiter ab Eccleſia ſejuncti contaminarentur, veneranda ejuſcemodi loca uſui quondam extitiſſe.

Iis vero imaginibus, quæ originario è fonte Ethnicam ſuperſtitionem redolebant, uti gentilium quoque rebus, ac ritibus pariter ad pium orthodoxæ fidei, ac religionis obſequium feliciter traductis, iiſdem inſuper vivificæ crucis ſigno, ac virtute expiatis, primitivos illos, qui in hac potiſſimum Urbe ſub Chriſti jugo vexillum erexere; res pariter antiquorum, & loca magno quidem ſanctitatis incremento in uſu de more habuiſſe, ſuis, inquam, infra locis opportune demonſtrabitur.

CAPUT I.

De antiquis Chriſtianorum Cœmeteriis, Gentilium cadaveribus haud unquam pollutis.

Exterarum gentium furor in ſacra quoque Cœmeteria olim debacchatus eſt.

1 INgens quidem olim, ut rem altius repetamus, antiqua Chriſtianorum Cœmeteria, de quibus ſermo nunc eſt, certo ſcriptorum teſtimonio detrimentum perpeſſa fuere, & haud levis contumelia ſacris, venerandiſque locis ab impia quarumvis gentium manu paſſim illata eſt: ut de præcipuis enim Vrbis Romæ Cœmeteriis loquamur, acerbas plane iiſdem clades à Gothis, Vandalis, ab Hunnis, & barbaris demum quibuſcumque nationibus inflictas fuiſſe, quarum una pars gentilitiæ ſuperſtitionis labe, altera vero Arrianiſmi erroribus tenebatur, Hieronymus ſatis abunde expreſſiſſe, ac ſimul deploraſſe videtur, dum eas potiſſimum calamitates, atque incommoda ſummatim referendo deſcribit, quæ Romano florentiſſimo quondam Imperio à viginti jam annis miſerandum in modum inferebantur: *Capti, inquit ille, Epiſcopi, interfecti presbyteri, & diverſorum officia clericorum: ſubverſæ Eccleſiæ, ad altaria Chriſti ſtabulati equi: martyrum effoſſæ reliquiæ, ubique luctus, ubique gemitus,*

Calamitates à Gentilibus, & Arrianis in Eccleſiam Catholicam invectæ. *Hier. ep 3 ad Helиod.*

gemitus, & plurima mortis imago. Quod plane lugubri rerum facie incommodum Africanæ Ecclesiæ contigisse Victor Uticensis affirmat, dum immanes Vandalorum Arrianorum in Africam irruptiones his verbis enarrat; *Ab eorum contagione nullus remansit locus immunis, præsertim in Ecclesiis, basilicisque, & Cœmeteriis, & monasteriis sceleratius sæviebant.* Et quidem, ut rei proposito insistamus, quod ad Urbis Ecclesias, & ad Cœmeteria pertinet, in quibus martyrum corpora asservabantur, si Anastasium Bibliothecarium consulamus, isthæc de acerbissima omnium clade, quæ sub Silverio Papa Gothis Arrianis adnitentibus ac Urbem devastantibus obtigit, lugubri voce enarrantem comperiemus: *Ecclesiæ, & corpora sanctorum martyrum exterminatæ sunt à Gothis.* En, amice lector, intelligis deplorandas locorum, quæ religioni inserviebant, vastitates, atque injurias: en obliterata recolendæ antiquitatis, ne dicam funditus eversa, monimenta: en proculcatum reliquiarum cultum, ac decorem, en impietatem ubique, ut vides, regnantem, ac debacchantem. Quam inique autem habita sint potissimum sanctiora quæque loca omni veneratione dignissima, cum Longobardi sibi Romam subijcere aggressi fuerant, Paulus primus hujus nominis Pontifex in constituto de erectione Ecclesiæ ac Monasterii sanctorum Stephani, & Silvestri vehementer ingemescens, his plane verbis indoluit: *Cum per evoluta annorum spatia diversa sanctorum Christi martyrum ac Confessorum ejus foras muros hujus Romanæ Urbis sita antiquitus Cœmeteria neglecta satis manerent diruta: contigit postmodum ab impia Longobardarum gentium impugnatione funditus esse demolita, qui etiam & aliquanta ipsorum effodientes martyrum sepulchra, & impie devastantes secum deportaverunt.* Hæc ibi, præmemoratus Pontifex, ex quibus commode intelligere unusquisque potest, quæ potissimum vastitas venerandæ Cœmeteriorum Vrbis antiquitati impia hominum manu grassante obtigerit, dum profani hostes Cœmeteria quamplurima passim invadunt, suffodiunt, perscrutantur, demoliuntur, & suspicienda, quæ ibidem inerant Christianæ fidei monimenta, imo ipsiusmet Christi trophæa unà cum beatorum Martyrum reliquiis temerario, quod credi vix potest, ausu conculcant: ex qua hostili vastitate incredibile est, quæ Vrbi, & Orbi, imo ipsimet orthodoxæ religioni damna, haud ullo unquam tempore reparanda, obvenere; non quidem expilatione auri, sed sacrorum cinerum exspoliatione, & Cœmeterialis luti, quod omni auro pretiosius habendum est, violatione admissa, digna quidem quæ fideles, ac pii homines lacrymis jugiter prosequantur. Sed tot ingruentibus malis Dei providentia factum est, ut etsi profanorum hominum manibus, pedibusque sacra hæc loca passim conculcata sint, haud tamen impuris, ac profanis eorundem ossibus polluta, sed illibata omnino perstiterint.

Vict. Vtic. l. 1. Africana Ecclesia eandem cladem à Vandalis Arrianis accepit.

Urbis Cœmeteria à Gothis Arrianis devastata.

Et à Longobardis Urbis Cœmeteria detrimentum accepere. *To. 3. Concil.*

2 Vt enim omnibus sub ipsamet hujus enarrationis præludia luce meridiana clarius innotescat, veneranda jugiter Vrbis Romanæ Cœmeteria haud ullo unquam tempore è profanorum permixtione cadaverum, ac consortio aliquam contagionis labem contraxisse, velut quid certum omnino, ac indubitatum lectori præmittimus, quod nemo pariter rerum historicarum non expers ignorat, Christianos videlicet unà cum gentilibus, tum quod ad funebres ritus, tum quod ad sepulturæ locum spectat, nullatenus aliquando convenisse. Et quidem quod ad perantiquos funerum, ac funeralium ritus attinet, etsi Romani defunctorum corpora quandoque humo inferre consueverint, id tamen ad remotiora tempora referendum est. Iuxta id quod Tullius lib. 2. de leg. & Plin. disertis verbis afferunt, & ipse Lucretius istis expressit: *Omniparens eadem rerum est commune sepulchrum.* Ex eo autem antiquissimus iste mortuos terræ infodiendi mos comprobari videtur, quod eo ritu πρωτοπλάστης noster sepultus fuisse creditur. Rex item Numa ad fontis aras humatus pariter fuit: qua etiam ratione Corneliorum gens, quæ priscos illibatos omnino ritus servavit, usque ad Syllæ Dictatoris tempus humata est: hic enim primus subinde ex eorum nobili prosapia crematus fuit, ut traditur. Certe Iulium Epigonum haud igni cæterorum more absumptum, sed hoc plane ritu terræ illatum fuisse memorandus hic lapis olim quinto ab Vrbe lapide Via Lavicana repertus, fidem facit:

Urbis Cœmeteria ab infidelium cadaveribus illibata.

Differentia rituum sepeliendi mortuos inter Christianos, & gentiles.

Plin. l. 7. c. 54.

Iacob. Chiffl. de linteis sep. c. 1.

D. M.
L. JULII EPIGONI
VIXIT. ANNIS XXVI. M V. D. XII.
CORPUS INTEGRUM CONDITUM,
L. JULIUS HAMUS
PATER, FILIO PIISSIMO

Epitaphium Julii Epigoni.

Alter item hic lapis, qui Romæ extat, his plane notis insculptus antiquum pariter, quem diximus, humandi morem probe confirmat:

L. JULIUS HAMUS
DIS MANIBUS
L. JULII MARCELLI
NEPOTIS SUI
VIXIT ANN V.
DIEBUS. XXXXI.
CORPUS INTEGRUM
CONDITUM
SARCOPHAGO.

Verum si ad posteriorum temporum seriem attendamus, solemne, ac magis apud eosdem usitatum fuit, ut eadem igni comburenda traderent, ac demum in cineres redacta locis apte servanda reconderent, quæ consuetudo apud Romanos vim quodammodo legis obtinuit, ut Tacitus illis verbis testatur: *Corpus*, Poppeæ scilicet, *non igne abolitum, ut Romanis mos est.* Et Laertius hac de re scribit: *Ægyptii quoque condientes sepeliunt corpora: Romani vero incendunt.* Hæc autem consuetudo apud Romanorum gentem, defunctorum videlicet corpora concremandi usque ad Principum Christianorum tempora inolevit. Quod Macrobius, qui sub Theodosio Iuniore floruit, cujus primus Imperii annus in Christi annum quadringentesimum octavum incidit, his plane verbis confirmat: *Deinde licet urendi corpora defunctorum usus nostro seculo nullus sit, lectio tamen docet, &c.*

Funus Poppeæ. *Tacit. Annal. lib. 15.* *Laert. de vit. Philos. l. 9. in Pyrron.*

Macrob.

3 Ut nostri enim instituti propositum attingamus, nec quicquam studiosum latere lectorem patiamur, illi sanctitate conspicui Christianorum reipublicæ parentes, duces pariter ac magistri, qui iis potissimum temporibus Ecclesiam legibus juxta, ac moribus informandam susceperant, in id potissimum toto animi studio eniti non destitere, ut profanam illam à gentilibus derivatam cadavera quæque comburendi consuetudinem è medio penitus tollerent, atque abolerent. Hinc est quod apud Minutium Felicem ethnicus ille ingentis probri

loco Christianis duntaxat objiciebat: *Execrantur*, inquit, *rogos*, *& damnant ignium sepulturam.* Cui egregie quidem, & ad rem nostram optime Minutius isthæc respondet: *Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturæ timemus, sed & veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.*

4 Quoad locum vero, & sepulturæ defunctis exhibendæ rationem ac formam, illud utique lectorem probe nosse arbitramur, à quolibet nimirum ethnicorum, prout opportunæ cuique facultates ac census suppetebant, sepulchra magis vel minus conspicua gentilibus suis constitui atque aptari defunctis consuevisse. Ex his enim, qui inter cæteros divitiis ac nobilitate præcipui erant, vel in suis quibusque prædiis, vel certe juxta publicas ac celebriores viarum semitas id commode præstiterunt, ut in Viis potissimum Aurelia, Ostiensi, Appia, Latina, Labicana, Prænestina, Tiburtina pariter ac Flaminia, nec non aliis videre est, in quibus adhuc post evoluta tot annorum secula insigniorum aliqua saltem ex parte sepulchrorum vestigia contemplanda subsidunt.

5 Porro illustribus viris ac magnatibus, qui rebus præclare gestis optime de Republica meriti fuerant, intra ipsammet Urbem quandoque sepulturæ locus, accedente ipsiusmet Romani senatus auctoritate, concedebatur. At pauperibus ac infimæ sortis hominibus Exquilinam extra portam publica sepulturæ loca patebant, quæ *Puticuli*, Varrone cum aliis teste, dicebantur. Quæ postmodum loca Mecœnati suo Augustus in amœnos derivanda atque excolenda hortos dono dedit; ne videlicet è proximo Puticulorum ambitu, qui fœtentibus jugiter cadaveribus redundabat, aër Romanis civibus minus quidem salubris redderetur. De iisdem autem Horatius in suis carminibus isthæc concinens meminit:

Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulchrum.
Pantolato scurræ, Nomentanoque nepoti,
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: hæredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Exquiliis habitare salubribus; atque
Aggere in aprico spatiari: quomodo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum, &c.

Idem autem Augustus, ut nobis credere par est, alia id genus suburbana loca huic usui destinavit: cum plerique potissimum rerum antiquarum scriptores, inter quos præcipui sunt Marl. & Kirchman eadem pariter extra portam Exquilinam, sepulchrorum translato illuc ministerio, designata fuisse constanter affirment.

6 Romanorum insuper sepulchra, dum gentilium adhuc erroribus detinerentur, duplicis quidem generis erant: alia nimirum eleganti opere conspicua, & quæ ab humo sursum altius attollebantur, quorum nonnulla adhuc, ut diximus, vestigia contemplanda supersunt: quædam vero subterranea, ædicularum instar, in imo terræ sinu fabrefacta, ad quæ per gradus quosdam descendebatur: hic cinerariæ quamplures interim ollæ ordine quodam inter se eum in modum dispositæ, in ipsa parietum crassitudine locabantur, ut binæ vel ternæ sibi invicem contiguæ, vel parvo duntaxat intervallo distarent. Hæ autem ædiculæ prolixo utique sermone ab iisdem Marl. lib. 4. cap. 19. & Kirchmanno loco nuper citato, & Georgio item Fabritio in sua Roma cap. 21. exacte describuntur. In sepulchralibus item titulis frequens de cinerariis ollis mentio recurrit: nam in Lucii Hostilii Fortunati sepulchro, quod hunc in modum extructum cinerariis ollis redundabat, illæ potissimum notæ, ut cap. 26. n. 24. hujus libri diximus, inscriptæ legebantur, videlicet:

EXTERÆ FAMILIÆ
ADITUS NON DATUR,
NEC JURE QUIS IN HOC
MONUMENTO
OLLAS EMET.

7 Antiqui vero illi Christianæ fidei cultores, cum à profano concremandorum corporum ritu penitus abhorrerent, sanctorum veteris Testamenti Patrum, qui defunctorum cadavera speluncis inferebant, exempla sectantes, sanctiori quidem religionis usu eadem humo inferre consueverunt: & quoniam dum acerba persecutorum rabies desæviret, immanissimis tyrannorum edictis fideles non modo dum adhuc inter vivos degerent, quovis crudelitatis genere ad necem quærebantur, sed vita jam functi, ubi tormentorum vi defecissent, ne ullum vel post mortem quietis locum consequerentur, & ne quid omnino ex eorundem cadaveribus humandum superesset, flammis aut fluminibus passim injiciebantur; qua potissimum de causa subterranea sibi Cœmeteria opportuno consilio fodere ac substruere pio utique studio ac labore aggressi sunt. Siquidem gentiles adversus Christianos veluti in suorum contemptores idolorum, ac diis fere omnibus, quos ipsi colebant, invisos, infensosque intestino eum in modum odio effervescebant, ut ab eorumdem tanquam à nequissimorum hominum commercio, ne aliquam ignominiæ notam contraherent, penitus abstinerent; quippe qui eosdem non lucis duntaxat & vitæ, sed & sepulturæ ipsius beneficio indignos omnino existimarent: quapropter Christianos *Biothanatos*, id est, violentæ morti destinatos, communi voce appellare consueverant. Quod quidem ex ipso Minutio Felice satis manifeste convincitur, qui Cæcilium adversus Christianos hunc in modum obloquentum iisdemque acriter insultantem inducit: *Homines, inquam, deploratæ, inclinatæ, ac desperatæ factionis, grassari in Deos, non ingemiscendum? Qui de ultima fæce collectis imperitioribus, & mulieribus creduli sexus sui facilitate labentibus, plebem profanæ conjurationis instituunt: quæ nocturnis congregationibus, & jejuniis solemnibus, & inhumanis cibis non sacro quodam, sed piaculo fædantur: latebrosa & lucifugax natio, in publico muta, in angulis garrula, &c.* Hæc utique Cæcilius, etsi iniquo, constanti tamen tum ore, tum animo adversus purissimos Christianæ fidei sectatores blasphemarum vocum jacula contumeliose intorquet, ac stygium intimis è præcordiis venenum evomit.

8 Haud unquam igitur cum Christianis ethnicos, neque cum ethnicis Christianos funerales ritus, ac sepulturæ loca communia habuisse, diversa, quæ utrisque inerat, discrepantium inter se morum forma, atque animorum dissensio satis superque demonstrat: *Quæ enim participatio*, ut Apostolus ait, *justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis?* nulla prorsus. Procul igitur impiorum cadavera à venerandis sanctorum

Margin notes (left, partly cut off): [C]hristiani [ab] Ethnicis [da]mnati, quod [c]adaveri[bu]s combu[ren]dis ab[ho]rrerent. [Min]ut. Fel. — [Di]fferentia [int]er Christianorum, [e]t Gentium sepulchra. — [Vi]ri illustres intra [U]rbis mœ[ni]a olim sepeliebantur. — [Va]rro l. 4. [P]uticuli. — [H]or. l. 1. [s]at. 8. — [M]arl. l. 4. [c.] 11. & [Ki]rchman [de] fun. l. 3. [c.] 15. — [Se]pulchra [du]plicis generis apud [ge]ntiles. — [Æ]diculæ. — [O]llæ cinerariæ. — [M]arl. l. 4. [c.] 19. &c.

Margin notes (right): Cœmeteria quomodo extructa? — Odium Ethnicorum in Christianos. — Christiani olim dicti Biothanati. — Bibl. Patr. to. 9. p. 412. — Nullum Christianorum cum gentilibus commercium. — Ep. 2. ad Cor. c. 6. n. 14.

Cœmeteriis: loca enim sanctitatis luce conspicua, & quæ ipsis in tenebris lucent, ab his, qui filii tenebrarum sunt, respergi caligine haud condecet. Haud arca Dei idoli Belial consortium patitur, & corpora, quæ templum Dei vivi quondam extitere, sacrilegis commisceri cadaveribus nullatenus sustinent. Cum præcipue fideles illud Apostolus caute præmoneat: *Nolite jugum ducere cum infidelibus, &c.* Et divinum illud altius intonet oraculum: *Propter quod exite de medio eorum, & separamini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.* Discreti igitur, ac separati fideles loco, ac tumulo ab immundis gentilium ossibus jugiter permansere, nec ullus unquam profanis ossibus intra Urbis Cœmeteria aditus patuit, & congrue quidem: eos enim, qui dum viverent, inter se moribus toto Cælo distabant, vel mortui haud ullo unquam sepulturæ ac funeris commercio simul coire potuisse pronuntiandum est.

Ep. 2. ad Cor.

CAP. II.

De Christianorum Cœmeteriis haud unquam hæreticorum, Schismaticorumque commercio pollutis.

1 UT in ipsomet enarrationis vestibulo sacrorum Cœmeteriorum decus, ac gloria, & quod singularis eorundem pariter prærogativa est, à quavis impiorum oblatrantium calumnia vindicetur, & loca hæc, quæ venerationis cultu præcipua in Urbe sunt, ab omni prorsus execrandorum cadaverum labe, ac fœtore immunia extitisse jugiter constet (*Non possunt enim*, ut inquit Ambrosius, *esse inter eos jura pacis, inter quos est bellum fidei*) haud hic silentio involvendum putamus, quod nonnulli, qui parum antiquos Christianorum ritus, ac mores callent, in religionis orthodoxæ contumeliam petulanti ore effutire ausi sunt, in Urbis videlicet Cœmeteriis hæreticorum quoque corpora reposita olim, vel certe supposita, ut ita dixerim, fuisse, tum maxime, quia diversis quidem temporibus hæreticos Romam advenisse negari nullatenus potest. At vero dum iidem in Urbe degerent, & forte tunc temporis quempiam ex his mori contingeret, in nostra quoque Cœmeteria eorundem humanda corpora illata fuisse, haud assertione incongruum, & satis quidem per se creditu facile, rem minus bene expendenti videtur. Verum quod ad hæreticos spectat, omnis fere cum illis communicatio fidelibus Apostoli ore primum interdicta est, & subinde juxta id, quod Apostolus ante edixerat, sanctus Clemens in Apostolicis Constitutionibus magis expresse his plane verbis cavendum præcepit: *Impios hæreticos non pœnitentes discludite, & semovete à fidelibus, & eis Ecclesiam Dei interdicite, ut omnibus modis ab eis declinent, & neque ulla cum eis sit sermonis, aut precationis communitas.* Fideles igitur Catholicæ, ac illibatæ fidei sectatores, & Apostolicorum præceptorum æmulatores jugiter observantissimi, qui ab hæreticorum commercio penitus arcebantur, haud unquam sepulchri cum eisdem in suis Cœmeteriis locum obtinuere, quibus *enim non communicamus vivis, nec mortuis quidem communicare fas est*, quæ erroribus cum veritate, aut filiis ipsiusmet lucis cum filiis tenebrarum communicatio? *Haud enim*, ut Cyprianus inquit, *cohærere, & conjungi potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas:* nec demum orthodoxorum corpora, ut rem paucis perstringamus, profanis cadaveribus commisceri ullatenus possunt. Sed ut insanæ adversariorum petulantium calumniæ valide confutentur à nobis, de Arrianis potissimum nonnulla hic præmittamus, eos non Romam dumtaxat ingenti numero divertisse, verum & Ecclesiam beatæ Agathæ profanis conspurcandam ritibus temere invasisse, atque aliam insuper in Merulana, ipso D. Gregorio locupletissimo rei teste, è Catholicorum manu abreptam sibi usurpasse, apud omnes fere indubitatum est. Si de Donatistis autem loquamur, Optatus Milevitanus, dum contra Parmen. scribit, plures eorundem Episcopos successivo ordine Romam venisse asserit, ut ibidem, si opportuna iisdem facultas suppeteret, sedem sibi, ac sectatoribus suis constituerent: quos haud Ecclesias dumtaxat, sed & Cœmeteria insuper sacrilega temeritate usurpare sibi ausos fuisse proclamans, his in eosdem verbis acrius invehitur: *Quia ad hoc basilicas invadere voluistis, ut vobis solis Cœmeteria vendicaretis; non permittentes sepeliri corpora Catholica, ut terreatis vivos, male tractatis & mortuos, negantes funeribus locum, &c.* Hæc Optatus.

Cœmeteria Urbis nunquam ab hæreticorum schismaticorumque, cadaveribus polluta.

Amb. l. 3. de off.

Variæ hæreticorum sectæ Urbem olim adierunt.

Cypr. l. de unit. Eccl.

Arriani ædem D. Agathæ in Urbe obtinent.

D. Greg. Reg. l. 2. ep. 19.

Donatistæ Episcopi Romam veniunt.

Opt. Mil. con. Parmen.

2 Ex quibus magnum plane vel primo oculorum intuitu præmemorati utriusque sectæ hæretici Christianorum rebus negotium facessere videntur: verum enimvero si ipsamet diligenter tempora subinde expendantur, quibus potissimum hæreticos, Urbem Romam subire contigit, nimirum vel ante, vel certe post diram Ecclesiæ obortam persecutionis procellam: & præterea si ipsius Optati verba, qua decet animadversione ad trutinam revocentur, nullius quidem momenti est quidquid ab adversariis objicitur, quin imo diligenti rerum præmisso examine omnem ambigendi scrupulum veluti umbram ipsa statim per se veritas dissolvit, ac difficultatis nodus quicumque subtexitur, ab oculis protinus evanescit. Quod igitur ad hæreticos attinet, primus, qui, dum acriter à persecutoribus Ecclesia impeteretur, Romam contendit, is plane Valentinus Philosophus Platonicus extitit, qui sub Antonino Pio Imperatore anno Christi centesimo quinquagesimo quinto, Hygini Papæ tempore, in Urbem profectus, illuc iterum sub Aniceto, ac demum sub Eleutherio remeavit.

Hæretici, qui tempore persecutionum Romam venere.

Valentinus hæreticus nullam cum Catholicis conjunctionem inire potuit.

3 Eodem sub Hygino in Urbem quoque Cerdo quidam, & Marcion hæretici advenere: sed sub eisdem postmodum Pontificibus hi tres, quos meminimus, sacris merito interdicti, & ab omni Catholicorum hominum consortio sejuncti fuerunt. Porro Cerdonis hujusmodi, Marcionis item, ac Valentini, Tertullianus his plane verbis meminit: *Ubi tunc Marcion Ponticus Nauclerus Stoicæ studiosus? Ubi tunc Valentinus Platonicæ sectator? nam constat illos, neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, & in Catholicam primo doctrinam credidisse, apud Ecclesiam Romanensem, donec sub Episcopatu Eleutherii benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel & iterum rejecti sunt.* Et de eodem Cerdone ipsemet Tertullianus Carm. con. lib. 3. isthæc proloquitur:

Cerdon, & Marcion hæretici à Catholicis rejecti.

Tertull. de præscrip. c. 20.

Hæretici ex Urbe pelluntur.

Tertull. car. con. l. 3.

Post illum (Telesphorum scilicet, cui successit Hyginus) *socius legis, certusque magister.*
Cum vestri sceleris socius præcursor & auctor
Advenit Romam Cerdo, nova vulnera gestans:

Detectus,

Detectus, quoniam voces, & verba veneni
Spargebat furtim: quapropter ab agmine pulsus
Sacrilegum genus hoc genuit, spirante dracone,
Constabat pietate vigens Ecclesia Romæ
Composita à Petro, cujus successor & ipse,
Jamque loco nono Cathedram suscepit Hyginus.

Tertull. l. ... l. 3. De Marcione autem idem, qui supra Tertullianus eodem libro prope finem isthæc recenset:

Atque pio suscepit Anicetus ordine sortem,
Sub quo Marcion hic veniens, nova Ponticapestis
Nondum secretum facinus suo corde reclusum
Passim vulgo loquens latebrosa perfidus arte.
Sed postquam cœpit mortis proferre sagittas,
Abjectus merito tam sævi criminis auctor
A sanctis reprobus, patuit mirabile monstrum.

Florinus, et Blastus hæretici. Sub Eleutherio pariter Pontifice Florinus quidam ex ipso presbyterii gradu depulsus, & Blastus novam Romæ hæresim contra antiquam Ecclesiasticæ normæ, ac traditionis regulam inducere conati sunt: quorum insanas errorum blasphemias S. Irenæus editis ultro scriptis valide confutavit, teste Euseb. lib. 5. cap. 14. & 19. & Baron. Annal. tom. 2. ann. 180. (Euseb. hist. eccl. l. 5. c. 14. & 15. Baron. annal. t. 1. an. 180.)

4 At sub Victore Papa, anno Christi centesimo nonagesimo sexto, è Constantinopoli hæreticus alter, Theodotus nomine, Romam venit, quem postmodum in falsorum dogmatum, quæ disseminare conabatur, commentis deprehensum ejusdem Pontificis opera ab Urbe protinus exturbatum, & à fidelium cœtu exterminatum fuisse Epiphanius testatur, cui Theodoretus in hæc plane verba subscribit: *Eum beatissimus Victor Romanus Episcopus abdicavit, & excommunicavit, &c.* Sub Zephyrino item Romano Pontifice, Praxeam quendam ex Asia, in Urbem advolasse, atque ab eodem, ubi primum ejusdem impietas ad Lydium Petri, & Romanæ ipsius fidei lapidem explorata innotuit, inde protinus effugatum, atque anathematis jaculo impetitum fuisse, ipsemet Tertullianus adversus eundem Praxeam scribens enuntiat. Anno demum redempti orbis ducentesimo decimo quinto, sub ipsiusmet Zephyrini Pontificatu Proclus Cataphrygarum dux pedem in Urbem invexit, eo quidem animi consilio, ut sedem ibidem figeret, ac cathedram stabiliret, quem cum Cajus Theologus disertis palam verbis, argumentisque confutasset, eundem de hæretica pravitate convictum idem Zephyrinus, Apostolicæ sententiæ fulmen intorquens, unà cum suis erroribus damnavit: de quorum nobili, ac memorando certamine hæc Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis, & de Cajo præsertim Theologo verba faciens, recitat: *Cajus autem sub Zephyrino Romanæ Urbis Episcopo, id est, sub Antonini Severi filio disputationem adversus Proclum Montani sectatorem, valde insignem habuit, arguens eum temeritatis super una Prophetia defendenda.* Ejusdem quoque Eusebius meminit, qui præmemoratæ insuper disputationis libellum se vidisse testatur, cum ait: *Disputatio porro Caij viri eloquentissimi Romæ, Zephyrino Ecclesiam regente, contra Proclum Phrygum erroris propugnatorem habita ad nos pervenit, &c.* Conscriptæ autem sententiæ tum adversus eum, tum contra cæteros ejusdem pseudoprophetiæ defensores Tertullianus ipse, qui ab eodem Proclo errores propinante seductus, pari quoque anathematis censura perculsus fuerat, in libro de jejuniis cap. 1. in fine mentionem facit.

(Theodotus hæreticus. Epiph. hær. ... Theodor. hær. l. 2. Praxeas hæreticus. Tertul. cap. ... adver. Prax. Proclus hæreticus. Hier. de script. Eccl. Eus. l. 6. c. 14. Tert. l. de jejun. c. 1.)

5 Haud alios subinde præter istos, quos nuper memoravimus, hæreticos, antequam præoptata Ecclesiæ tranquillitas redderetur, ad Urbem Romanam confluxisse, apud antiquos, probatæque fidei scriptores legimus. Verum si qui huc quandoque ex quibusvis orbis terrarum regionibus advenere, illud sane apud omnes exploratissimum est, nullam prorsus eorum alicui cum Catholicis unquam consuetudinem interfuisse, nec commune eisdem sepulchrorum consortium, sed omnino discretum, ut infra demonstrabitur, extitisse. Toto enim in id animi studio Catholici potissimum incumbebant, ut perditos, perfidosque hæreticæ pravitatis sectatores, tanquam teterrimos Christianæ reipublicæ hostes cunctis palam detegerent, detectosque omnimoda solicitudine præcavendo devitarent. Neque vero id Romæ dumtaxat, sed ubique etiam locorum ipsimet Pontifices Maximi vigilantissimi Ecclesiæ Pastores præstabant, ne quos videlicet ovilis Dominici grex (cujus regimini præerant) hujuscemodi fraudulenter irruentium bestiarum incursus pateretur. Quapropter, ut apud Eusebium videre est, sanctus Dionysius Alexandrinus Episcopus statim atque nefanda olim Sabellii hæresis Ptolemaide apud Pentapolim suboriri cœpit, beatum Sixtum Secundum Romanum Pontificem, conscriptis ad eundem epistolis, ea de re certiorem reddidit.

(Studium ac vigilantia Catholicorum in pellendis hæreticis. Eus. l. 7. c. 5.)

6 Postea vero ubi ab insectantium impetu Ecclesia Dei paululum respirare contigit, inter primos, qui ex hæreticorum numero in Urbem advenere, hi profecto è Donatistarum secta præcipui extiterunt. Quorum detestanda jugiter errorum semina in Africa primum sub Imperatore Diocletiano, circa annum Christi trecentesimum tertium pullulare cœperant: cui Edictum illud occasionem præbuit, quod in Christianos sub ipsa persecutionis tempora, de sacris videlicet tradendis Codicibus, promulgatum fuerat. Tunc enim Cirtæ, quæ Africæ urbs est, Cirtensi coacto Episcoporum cœtu, immane adversus Catholicos, ac perhorrendum schisma conflatum fuit, quod postea impiissimo Donato, à quo ipsa quoque hominum factio nomen accepit, accedente, atque impietatis vexillum propudiosis manibus extollente, majora in dies, ipso insufflante dæmone, unà cum Schismaticorum erroribus incrementa sortitum est. Donatistæ autem tunc altius delirantes, Dei Ecclesiam ad illa usque tempora Catholicam quidem extitisse, deinceps vero, cum in cæteris defecisset, in ipsis solis dumtaxat candidam, illibatamque adhuc servari asserendo jactabant. At detestanda perduellium, ac nequissimorum hominum lues haud in Italia locum nacta est, nec ullas in Africanis regionibus radices fixit, sed in alias dissitas, remotasque orbis terrarum provincias evagando ingenti orthodoxæ fidei detrimento miserrime debacchata est.

(Hæretici, qui sedatis persecutionum procellis in Urbem confluxerunt. Donatistæ.)

7 Non imus autem inficias, sibi Romæ quoque Donatistas sedem constituere totis plane viribus conatos fuisse: quam potissimum ob causam Episcopos suis è civitatibus successivo ordine in Urbem commigrasse jam diximus. Hi nunquam tamen, etsi in id maxime adniterentur, ob acerrima contentionis studia, quibus eosdē Catholici jugiter insectabantur, & præsertim ob eximiam perpetuamque supremi Pastoris vigilantiam, nedum ullam in Urbe Ecclesiam sortiri potuere, ubi suos profane ritus peragerent, sed nec peculiarem quempiam consequi

(Donatistæ in Urbem confluunt, eoque Episcopos suos accersunt. Eisdem nullus unquam locus Romæ concessus.)

sequi locum, ubi simul omnes in unum de more ad sua confovenda dogmata coalescerent: quapropter in abditum montis cujusdam antrum extra Urbem sese ad conventicula peragenda recipere coacti sunt; ex quo Montanenses deinde appellati fuere.

Conventicula ruri in antro montis peragunt. Inde Montanenses dicti.

Sed Optatum ipsum quæso hæc, & alia quamplura de Donatistis, quæ ad rei nostræ institutum faciunt, referentem, si libet, audiamus: *Videndum est*, inquit, *quis & ubi prior Cathedra sederit: si ignoras, disce: si nosti, erubesce. Ignorantia tibi adscribi non potest, restat ergo ut noveris, &c.* Et hæc infra post enumeratum successivum Romanorum Pontificum in Petri Cathedra ordinem subdit:

Optat. l. 1. cont. Parm.

Episcopi Donatistæ Cathedram, in qua Romæ sederunt, monstrare nequeunt.

Vestræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare: sed & habere vos in Urbe Roma partem aliquam dicitis. Ramus est vestri erroris protensus de mendacio, non de radice veritatis. Denique si Macrobio (is unus erat ex Episcopis illis, qui in Urbem advenerant) *dicatur, ubi illic sederit? nunquid dicere potest: In Cathedra Petri? quam nescio si vel oculis novit, & ad cujus memoriam non accedit, quasi Schismaticus contra Apostolum faciens, qui ait: Memoriis sanctorum communicantes. Ecce præsentes sunt ibi duorum memoriæ Apostolorum. Dicite si ad has ingredi potuit, ita ut obtulerit illic, ubi sanctorum memorias esse constat. Ergo restat, ut fateatur socius ille Macrobius, se ibi sedere, ubi aliquando sederit Encolpius: si & ipse Encolpius posset interrogari, diceret, ubi ante sedit Bonifacius Ballitanus: deinde si & ipse interrogari potuisset, diceret, ubi sedit Victor Garbiensis, à vestris jamdudum ad paucos erraticos missus. Quid est hoc, quod tot Afri, & peregrini in illa civitate sibi successive noscantur? nonne apparet dolus? non factio, quæ mater est schismatis? Interea Victor Garbiensis, ut hinc*, id est, ex Africa, *prior mitteretur, non dico lapis in fontem, quia nec valuit puritatem Catholicæ multitudinis perturbare: sed quia quibusdam Afris Urbica placuerit commoratio, & hinc à vobis profecti videbantur, ipsi petierunt, ut aliquis hinc, qui illos colligeret, mitteretur. Missus est igitur Victor: erat ibi filius sine patre, tyro sine principe, discipulus sine magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, Episcopus sine populo. Non enim grex, aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit, basilicas, locum, ubi colligerent, non habebant. Sic speluncam quandam foris à civitate gradibus sepserunt, ubi ipso tempore conventiculum habere potuissent, inde Montanenses appellati sunt. Igitur quia Claudianus Luciano, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori successisse videntur. Si Victori diceretur, ubi sederit, nec ante se aliquem illic fuisse monstraret, nec Cathedram aliquam nisi pestilentiæ ostenderet, &c.*

Hæretici Donatistæ memorias Apostolorum non colunt.

Conclusio ex dictis Optati elicita.

8 Ex hujuscemodi igitur Optati viri quidem fide dignissimi verbis, quibus ipse in Donatistarum sectam acriter invehitur, satis aperte studioso lectori demonstrantur hæc, quæ in nostris hisce paginis infra subjicientur, Donatistas videlicet, præterquam quod ex his Romæ pauci admodum numero fuere, ibidem tamen haud unquam Ecclesiam, aut peculiarem quempiam sibi locum vendicasse. In cujusdam item montis speluncam ad sacrilegos sectæ ritus, neutiquam tamen intra Urbis Cœmeteria eosdem simul convenisse: quippe quæ haud in montibus, sed subterraneis in cryptis, ut lib. 1. dictum est, ferro excisa existunt. Præterea nullum omnino perditissimos alioqui homines cum Catholicis commercium habuisse, cum Donatistæ venerandam beatissimi Apostoli Petri Cathedram, ipsismet invidentibus oculis, videre veluti rem sibi, ac suis omnibus maxime invisam, exosamque summopere detrectarent, ejusdemque Apostolici throni præsentiam pariter, ac splendorem adeo inique ferrent, ut vel ipsa quidem sacrosancta Apostolorum sepulchra, quod Catholicis tamen peregrinis Romam adeuntibus peculiare symbolum semper extitit, adire ac venerari nullatenus sustinerent. Ex quibus insuper palam confici videtur, quod & credere par est, hos nequissimos tenebriones, qui Catholicis omnibus jugiter insultabant, alienos omnino tum moribus, tum animo fuisse, ut sacris Martyrum sepulchris, quæ in urbanis Cœmeteriis sita sunt, condignum honoris, ac venerationis cultum deferrent: cum præterea ex antiquis rerum historicarum paginis manifestum sit, à Catholicorum oblationibus eosdem perpetuo rejectos, atque interdictos fuisse. Denique profanis eorundem deliramentis Romanos haud infici, aut decipi aliquando contigit, nec quisquam ex fidei orthodoxæ professoribus, qui Romæ degebant, illorum opera à recto sentiendi tramite ad futilia, ineptaque Donatianorum dogmatum commenta pertrahi unquam potuit. Nam ut rebus congrua loquamur, cum Donatistas, quos hactenus memoravimus, Catholici maxime detestarentur, mutua utrisque animorum dissensio inerat, ac intestinum jugiter odium discordes animos perurgebat, ut mox ex recitandis infra studioso lectori patebit. Quapropter iisdem nec vivis, nedum mortuis ad sacra Urbis Cœmeteria aditus patuit, nec ulli unquam ad sepulturæ commercium intra eorundem ambitum recipi, vel admitti fas fuit.

Rationes, quibus Donatistas nullum in nostris Cœmeteriis locum habuisse demonstratur.

Hæreticorum oblationes ab Ecclesia rejectæ.

9 Nec vero, quæ nuper ex dignissimo viro Optato protulimus, verba aliud palam convincere videntur, nempe: *Basilicas invadere voluistis, ut vobis solis Cœmeteria vindicetis.* Hæc enim verba haud de urbanis Basilicis, quas nunquam profecto, ut vidimus, sacrilegi homines obtinuere, sed de basilicis, & ipsis Africanarum regionum Cœmeteriis, quæ Donatistæ dolis instructi invaserant, intelligenda sunt. Ubi quæ potissimum iidem sub impio Imperatore Juliano Apostata, ejus suffulti præsidio, peregerint, & qualia demum, ac quanta, & ut uno verbo dicam, quam execranda in Catholicos facinorum gesta perpetrarint, satis prolixo ipsemet Optatus sermone enarrando recenset, quæ nos quoque, etsi haud singula, ex parte saltem hoc loco referemus, sic igitur ille Donatistas acri stylo fugillans, ait: *Venistis rabidi, venistis irati, membra laniantes Ecclesiæ, &c. De sedibus suis multos fecistis extorres, cum conducta manu venientes, basilicas invasistis.* Et hæc infra ad idem propositum perurgendo subdit: *Tota celeritate cucurrerunt ad castellum Lemellem, ubi cum contra importunitatem suam viderent basilicam clausam, præsentes jusserunt comites suos, ut ascenderent culmina, nudarent tecta, jactarent tegulas. Imperia eorum sine mora completa sunt: & cum altare defenderent diaconi Catholici, tegulis plurimi cruentati sunt, duo occisi, &c.* Nec ejuscemodi facinorosorum hominum, imo turpissima facinorum monstra revelasse contentus, post quædam alia nefanda enarrata impiorum hominum gesta, subdit: *Et quod vobis leve videtur, facinus immane commissum est, ut omnia sacrosancta supramemorati vestri Episcopi violarent, jusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo divini judicii: nam iidem canes accensi rabie ipsos dominos suos quasi latrones, sancti corporis reos dente vindice,*

Donatistæ Ecclesias Africæ invadunt.

Eorum in Ecclesias Catholicorum sacrilegus furor.

Opt. Milev. l. 2.

Donatistæ sacro sanctam Eucharistiam canibus objiciunt.

tanquam

tanquam ignotos, & inimicos laniaverunt. Ampullam quoque Chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt, & cum casum adjuvaret abjectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spiritali subventione deduceret, projecta casum sentire non potuit, Deo muniente, illæsa inter saxa concidit. Et congrue quidem hi, qui canino dente mysticum Christi corpus, id est, Ecclesiam dilaniabant, & sacrosanctum item Christi Corpus impie canibus discerpendum dederunt, nil prorsus veriti divini fulmen oraculi præmonentis: *Nolite sanctum dare canibus.* Congrue, inquam, velut contempti numinis crimini obnoxii, & supplicio, quod hominum manu infligitur, minus digni, ipsis rabidorum canum dentibus discerpi meruere.

[margin: ...ed ab iis-...em in ra-...iem versis ...ilaniatus.]

10 Hæc & alia deploranda facinorum portenta Optatus recenset. Ex quibus utique antiqua recolentibus videre licet, quemnam sacris nostris Cœmeteriis venerationis cultum Donatistæ detulerint, & qua ratione profanorum dogmatum sectatores in eisdem sepulturæ sibi locum delegisse affirmandum sit, qui tum de nobis, tum nostris de rebus tam inique ac perperam sentiebant, & Catholicos, Catholicorumque nomen ac religionem pariter execrabantur. Postremo hoc tandem loco subjicere nobis visum est, recensitis hactenus Optati verbis hanc quoque interpretationem commode aptari, & congruere posse, si Cœmeteriorum videlicet nomine haud cryptas & subterranea loca, sed septa & illa potissimum spatia subintelligamus, quæ juxta Templa, & SS. basilicas ad mortuos humo inferendos, post redditam Ecclesiæ tranquillitatem, destinari jam cœperant. Cum igitur ait: *Basilicas invadere voluistis, ut vobis Cœmeteria vindicetis*, his quidem verbis illud forte Optatus innuisse videtur, subdolos nimirum Donatistas, Catholicorum basilicas eo quidem animi consilio invasisse, ut Cœmeteria eisdem adjuncta sibi, ac sectariis suis usurparent. De quibus plane Divus Ambrosius intellexit, cum ait: *Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt.* Quę item aurea sanctissimi Doctoris verba in cap. Aurum, 12. quæst. 2. & cap. Parochiam, de sepult. cap. quoque *Animarum* de sepult. ad perenne monimentum descripta leguntur.

[margin: ...tatio, cur Donatistis nullus in nostra Cœmeteria unquam adi-tus patuerit. — Opt. Milev. loc. cit. — Ambr. l. 2. de div. off. — cap. aur. 12. q. 2. cap. Paroch. de sepult. cap. Anim. de sepult.]

11 Verum quæ hactenus de nefaria Donatistarum factione, irritoque eorundem studio, ac conatu, in basilicis nimirum, & Catholicorum Cœmeteriis per dolum & vim occupandis, huc usque disseruimus, luculenter utique consimili Tertullianistarum exemplo comprobantur, quos olim, cum sub Maximo tyranno, Siricio Ecclesiam regente, Romam venissent, errorum pariter suorum deliramenta in Urbe disseminare conatos fuisse legimus. Sed quam facile horum quoque studia, ac consilia evanuerint, dum Martyrum sibi Cœmeteria vendicare satagebant, ex anonymo quodam scriptore, qui paulo post Augustini tempora hæresium catalogum descripsit, isthæc cognoscere operæpretium est, cujus quidem verba hæc sunt: *Tertullianistas olim à Sotero Papa Romano damnatos legimus. Cur autem octuagesimam sextam eos hæresim dicamus arripuisse, hæc causa est: quod quædam Octavia veniens ex Africa, cujus vir Hesperus nomine, videbatur ductor, Argobasto valde conjunctus, qui etiam apud Maximum tyrannum multum potuit. Hæc Octavia adduxit secum quendam tergiversatorem, versutumque dæmonem, cui vix centum occurrerent verbosanti, atque in hominem confidenti. Hic cum se presbyterum diceret Tertullianistam, meruit per sacrum scriptum, uti sibi collegium extra muros Urbis fabricaret, quod dum impetrasset à tyranno Maximo, sanctorum nostrorum exclusit locum, id est, duorum fratrum Processi, & Martiniani, dicens Phryges fuisse, & ideo hanc legem tenuisse quam Tertullianus, atque hoc ordine per occasionem Martyrum Dei populum seducebat. Deo autem Theodosio religioso Augusto dante victoriam, punitoque satellite Maximi, de cujus se Tertullianista potestate jactabat, statim fugit cum matrona, qua venerat, nec viventis, nec mortui rumore renovato, Martyrum suorum Deus excubias Catholicæ festivitati restituit.*

[margin: Tertullia-nistæ Romam adve-niunt. — Aug. ano-nym.]

12 At de Novatianis quoque illud subjicimus ex vetustissimo Martyrologio excerptum, quod sub ipsamet Liberii Pontificis tempora conscriptum P. Ægidius Bucherius libro suo de doctrina temporum inseruit: prædictum autem Martyrologium depositiones, sanctorumque Martyrum apud singula quæque Urbis Cœmeteria existentium memorias exacte describens, hæc habet: *Mense Iulio, sexto Idus Felicis & Philippi in Priscillæ: & in Iordanorum, Martialis, Vitalis, Alexandri: & in Maximi, Silani (hunc Silanum martyrem Novatiani furati sunt) & in Prætextati, Ianuarii.* Hæc apud recensitum hactenus Martyrologium. Ex quibus plane verbis compertum fit, Novatianos sancti Martyris corpus ex Cœmeterio Catholicorum suffuratos fuisse, ut ad sua illud forsitan conventicula deferrent, quandoquidem ipsi à Catholicorum synaxi, quæ ad beatorum Martyrum sepulchra peragi consueverat, excludebantur: si enim ipsis illuc aditus patuisset, & Cœmeteriorum usus, atque oratoria, quæ subterraneis in cryptis existebant, adeundi facultas suppetiisset, quanam ex causa sanctorum inde corpora furantes clanculum abstulissent?

[margin: Novatiani hæretici in Urbem etiam appellant. — Aegid. Bucher. l. de doct. temp. — Martyr. apud Aegid. Buch.]

13 Quod nunc autem ad ipsum Cœmeterii nomen, *Maximi* videlicet, & *Silani*, attinet, in utroque librariorum inscitia mendum irrepsisse crediderim, & præcipue in *Silano* pro *Silvano*, quem in Cœmeterio S. Felicitatis dignissimę ejusdem matris conditum, ibidem usque ad tempora Bonifacii Papæ Primi, à quo sepulchrum ejus exornatum est, perstitisse jam supra lib. 3. cap. 52. enarravimus. Quamobrem cum Bonifacius iste longe post Liberium in Petri Cathedra sederit, proculdubio asserendum est, idem beati Silvani corpus ab impia hæreticorum manu vindicatum, ac suo loco repositum, Catholicæ & ipsum religioni, ac festivæ item annuæ solemnitati redditum fuisse. Porro Maximi Cœmeterium, vel certe Cœmeterii cujusdam partem hoc titulo denominatam, apud antiquos nusquam legimus; ex quo id opinari fas est, pro *Maximi* nomine, *Alexii* nomen forsitan irrepsisse, qui inter filios pariter beatæ ejusdem Felicitatis adnumeratur, cujus quidem Cœmeterii partem hoc plane titulo appellatam loco supra citato ostendimus. Hæc interim in studiosi lectoris gratiam adnotasse voluimus, ne vetustissimi hujus Martyrologii verbis, quæ protulimus, ulla ratione fides derogetur.

[margin: Cœmeterium Maximi, & Silvani.]

14 Sed agendum nunc serio, & perplexiori difficultatis nodo, si modo facultas suppetat, dissolvendo conatus noster adhibendus est, quem quidem ex Arrianorum sectæ promptuario desumptum adversarii ultro in nostros objiciunt valide, atque intorquent. Hi quippe hæretici, ut alibi præmisimus, Ecclesiam S. Agathæ, quæ ad Suburram extitit, & aliam item in Merulana profanis dogmatum, ac cæremoniarum ritibus è Catholicorum manibus

[margin: Arriani Ædem D. Agathæ Romæ obtinent.]

manibus abreptas violarunt. Quotusquisque igitur Catholicorum Ecclesias eosdem obtinuisse negabit? cum id vel ipsa luce clarius constet. Sed facili quidem negotio tota controversiæ vis rem altius expendendo eluditur. Quamvis enim nequissimi homines præmemoratas in Urbe Ecclesias, Ricimeri Arriani item patrocinio suffulti, violenter sibi addixerint, qui vir maxima tunc temporis auctoritate pollebat, utpote Antymi Imperatoris gener, ejusdemque exercitus dux, ac ipsimet Urbi Romæ, ac universo Romanorum Imperio, armorum vi, ac præliandi arte, qua cunctis præstabat, apprime metuendus, & à quo Imperator subinde interemptus est: haud hinc tamen deducitur, quod prolati vis argumenti præ se fert, Arrianos nimirum aliquando unà simul cum Catholicis convenisse: quinimmo, ut argumentum ipsum valide in adversarios retorqueatur, iidem hæretici hanc potissimum ob causam peculiares ultro Ecclesias sibi adsciscere, atque usurpare conati sunt, quia ejuscemodi utrisque commercium penitus interdictum fuerat. Quod vero veneranda orthodoxorum Cœmeteria haud unquam profanis hominibus usui extiterint, satis utique vel toti terrarum orbi ex eorundem sacrorum Cœmeteriorum vastitatibus innotescit, quæ impia Arrianorum, sectariorumque manu obtigere: cujus sacrilega impietatis vestigia, quod quidem vix sine lacrymis, ac intimo animi sensu exprimi potest, immani prorsus Christianæ religionis detrimento, iis potissimum in locis, in quæ impii nefario se ausu intrudere valuerunt, usque in præsentem diem in Urbe passim conspiciuntur. Absit igitur, ut ad obtinendum nostrorum quandoque Cœmeteriorum usum hæretici homines conspiraverint, quippe qui grande piaculum, nec facile expiandum computabant, ipsosmet, quos extra Ecclesiam velut quid abortivum projectos palam ubique proclamabant, vel jam defunctos ad sepulchri dumtaxat communionem recipere, eodemque pariter loco unà cum fidelium cadaveribus humari, ne quispiam videlicet ex mutua ipsorummet cadaverum conspiratione, eosdem veluti transfugas in orthodoxæ fidei castra se turpiter recepisse arbitraretur.

Ricimerus gener Antymi Imp. Arrianus.

Arriani non fuiu, sed devastationi Cœmeteriorum student.

Aversio Catholicorum ab hæreticis.

15 Jugis igitur animorum pariter, ac morum Catholicos inter atque hæreticos dissensio, atque discrimen viguit, & quidem cuncti ex nostris cum illibatæ fidei dogmatibus, sanctorumque vestigiis mordicus inhærerent, prava ac detestanda jugiter hæreticorum commercia impensiori studio devitare satagebant. Quod ut lectori clarius compertum sit, quampluribus ultro prolatis in medium exemplis, ut credimus, comprobabitur: & ut ab exsurgentis propemodum Ecclesiæ incunabulis oratio derivetur, jam satis superque ex antiquis sacrarum historiarum monimentis novimus, Petrum beatissimum, Apostolorum Principem, qui fuit Pastorum pariter, ac totius gregis Dominici forma, haud constanter dumtaxat hos evitasse, sed etiam, ut cæteris præberet exemplum, jugiter insectatum fuisse vaferrimum illum hominem, qui tunc potissimum ab inferis erumpebat, Simonem Magum videlicet hæreticorum omnium, atque hæresium itidem patrem ac coryphæum. Præterea ut à Petro, tanquam ab Ecclesiæ capite, præscripta ad singulos lex inviolabiliter servanda derivaret, à cæteris omnibus Pontificibus, qui Petri Cathedram successivo ordine tenuerunt, teterrimos istos Ecclesiæ perduelles, veluti morbidum pecus, ac serpens venenum, impugnatos, ac tota item animi contentione profligatos fuisse constat. Quod tamen ab his maxime Pontificibus præstitum est, quorum hic nomina recensebimus, à Clemente videlicet, Hyginio, Aniceto, Victore, Zephyrino, Cornelio, Dionysio, Silvestro, Julio, Liberio, Damaso, Siricio, Anastasio, Innocentio, Zosimo, Bonifacio hujus nominis primo, Cælestino, Sixto item Primo ac Leone, Hilario, Simplicio, Felice Secundo, Gelasio, Hormisda, Ioanne Primo, Agapito, Vigilio, Pelagio Primo ac Secundo, Gregorio Magno, Severino, Theodoro, Martino, Agathone, Gregorio Secundo, & Tertio, Zacharia, Adriano, Paschale, Nicolao Primo, Adriano Secundo, Marino, Leone Tertio, Nicolao Secundo, Alexandro Secundo, Gregorio Septimo, Victore Tertio, Paschale Secundo, Innocentio Secundo, Eugenio Tertio, Adriano Quarto, Alexandro Tertio, & cæteris; qui veluti Pastorum omnium, qui Dominicis præessent ovibus, vigilantissimi, acerrimique hæreticorum hostes, non hæreticos dumtaxat, si forte in Urbem aliquando irrepsere, detegendos ultro, proclamandos, atque exturbandos, ac demum eosdem, si suis mordicus errorum dogmatibus inhærerent, condignis Ecclesiasticarum vi legum pœnis subjiciendos, totis sacerdotalis animi viribus instititere, sed ut hoc ipsum toto item in orbe terrarum, ubi fides Christi vigebat, pari quoque studio, ac conatu à reliquis, qui animarum curam gerebant, præstaretur, è supremo throni Apostolici culmine haud intermissis unquam laboribus satagere non defuerunt. Quapropter, ut cætera sileamus, generalia quandoque Concilia, ac synodos quam frequenter in unum huius rei causa coëgerunt: legatos item, ac nuntios, epistolas quoque Apostolica ad Episcopos auctoritate aptis, inculcatisque verbis direxere: ac Reges ipsos, necnon Imperatores, ut in id potissimum negotii, quod negotiorum omnium majus computandum est, apprime incumberent, enixiori sermone, adhibitis item precibus, adhortati sunt: sapienter illud, ac solicite pro sui animi viribus præcaventes, ne pestifera videlicet hujuscemodi lues vel leviter subrepens in eorundem quandoque provinciis ac regnis serperet, & ubi opportunus deinde aditus patuisset, longe lateque ingenti quidem Christianæ fidei detrimento diffunderetur.

Baron. ann. to. 1. an. 35. 44.

Idem Annal. to. 2. Tom. 3. Tom. 4. Tom. 5. Tom. 6. Tom. 7. Tom. 8. Tom. 9. Tom. 10. Tom. 11. Tom. 12.

Pontifices vigilantissimi in hæreticis exturbandis.

16 Hinc vero Pontificiæ solicitudinis stimulo animos perurgente, à Romanorum Imperatoribus, qui propugnandæ religionis zelo, ut suo satis muneri fieret, tenebantur, & salutaribus Summorum Pontificum, ut par erat, studiis ac monitis inhærebant, quamplures eæque sanctissimæ adversus hæreticos sanctiones emanarunt, & edicta pariter semel, atque iterum promulgata fuere, ut à Justino, Justiniano, Arcadio, Theodosio, & Honorio Augustis. In quo quidem præclaro opere haud satis unquam pro merito laudanda tot Summorum Pontificum, Imperatorum, nec non Episcoporum, & denique recolenda jugiter Catholicorum omnium solicitudo mirifice enituit, & quod item ad rei propositum facit, eorundem studia in provehendis ad publicam fidelium populorum notitiam hæreticis, ac pravis eorundem dogmatibus valide, constanterque profligandis, extirpandisque, ex pluribus Oecumenicorum Conciliorum Actis locupleti testimonio comprobantur, ut apud

Imperatores leges, ac constitutiones contra hæreticos edunt.

apud sanctissimos Ecclesiæ Patres, probatosque scriptores, qui luculentos hac super re tractatus edidere, à studiosis quibusque facili negotio deprehendi potest: sed ipsummet in suis Annalibus Baronium consulere præsertim licet, ad quem ultro brevitatis gratia lectorem amandamus. Haud interim tamen à nobis silentio obvolvenda sunt, quæ beatissimus Joannes Apostolus adversus hæreticos, eorundem commercium suis constanter adeo evitandum injungens, scribit, ut nec verbum quidem, quod tribus dumtaxat elementis constat, iisdem commune voluerit, consuetam scilicet omnibus salutationis vocem *Ave*. Hæc autem Apostolus beatissimus suis sectatoribus præscribens, edixit: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domo, nec ave ei dixeritis, qui enim dicit illi* ave, *communicat operibus ejus.* Quod autem ipse verbo cæteros edocens commonuit, opere item exhibuit. Balneum enim aliquando divino afflatus spiritu adiens, cum ibidem Ebionem hæreticum adesse comperisset, festinus inde protinus aufugit, eam susceptæ rationem fugæ contestatus, ne balneum, in quo hæreticus morabatur, corrueret, & unà simul cum eo & & ipse ruinis interceptus periret. Adeo sibi dilectus Christi Apostolus ab unius dumtaxat hominis hæretica pravitate infecti communione cavendum, abstinendumque indixerat.

S. Ioannes Euangelista commercium hæreticorum prohibet.

S. Io. Apost. ep. 2.

17 Præclarum autem hoc perennis quidem memoriæ, ac tanto condignum Apostolo facinus Epiphanius vir plane ipsemet Apostolicus istis utique verbis lectu dignissimis enarrat pariter ac describit: *Ioannes*, inquit, *prædicans in Asia, mirabile opus fecisse narratur ad veritatis declarationem. Cum enim vitam degeret admirandam, & dignitate ipsius decentem, & penitus non lavaretur, coactus est à Spiritu sancto progredi usque ad balneum; & cum comites ipsum sequentes mirarentur, venit ad ipsum balneum & ubi pervenisset ad eum, qui lavantium veste suscipere solet, interrogavit: Quis est intus in balneo? At olearius servandis vestibus serviens (in gymnasiis enim hoc officium est aliquorum, quotidiani alimenti acquirendi gratia) ad Ioannem dixit: Ebion est intus. Ioannes vero statim intelligens Spiritus sancti ductum, ob quam causam impulisset illum usque ad balneum venire, velut dixi, memoriæ videlicet gratia, ut relinqueret nobis veritatis argumentum, qui sint servi Christi & Apostoli, ac filii ejusdem veritatis, qui vero vasa diaboli, & portæ inferni non valentes contra Petram, & ædificatam super ipsam Sanctam Dei Ecclesiam. Statim ubi se turbasset, & leviter flevisset, ut omnes audirent in testimonium, ac declarationem impollutæ veritatis doctrinæ: Festinate, inquit, fratres, egrediamur hinc, ne cadat balneum, & pereamus cum Ebione, qui intus est in balneo, propter ipsius impietatem, &c.* huc usque Epiphanius; cui quod ad hæretici nomen attinet, Irenæus lib. 3. cap. 10. Eusebius lib. 3. cap. 22. & Theodoretus Hæref. fabul. lib. 2. haud adstipulari videntur; Cherintum quippe intus in balneo, nullatenus vero Ebionem adinventum fuisse ajunt, Baronius vero Annal. To. 1. ann. 74. ubi ejusdem prolixius historiæ meminit, ut recensitas singulorum sententias, etsi minus cohærentes, se adinvicem apte conciliet, hæc ait: *At ne dicamus Epiphanium hallucinatum fuisse, haud inconveniens erit existimare, utrumque simul repertum esse: siquidem magna necessitudo inter cedebat inter eos. Cum enim multi dicant occasione Cherintia Ioanne scriptum esse Euangelium: S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Ioanne, Ebionis causa id præstitum esse affirmat, quod scilicet communicatione hæresis eadem utrisque censeret esse communia.* Vides igitur totam hanc facili negotio controversiam sopiri, & ejus, qui de fonte dominici pectoris secreta cælestia, & Euangelicorum dogmatum arcana ebibit, exemplo, & auctoritate pariter, fidelibus hæreticorum consortia interdici.

Ioan. Euang. balneum fugit, in quo hæreticus morabatur.

Epiph. hær.

Iren. l. 3. cap.

Euseb. l. 3.

Theod. hær. fab. l. 2.

Baron. an. To. 1.

S. Hieron. de Script. Eccl.

18 Porro Ioannem Polycarpus ejusdem discipulus egregie postea æmulatus est: quippe qui dum in Urbe degeret, Marcioni hæreticorum nequissimo sibi inter eundum occurrenti, ac vehementius indignabundis vocibus expostulanti, quod se tantopere aversaretur, cum illis ab eo verbis subinterrogatus fuisset: *Cognoscis me?* ira protinus excandescens, respondit: *Cognosco primogenitum diaboli.* Eundem quoque pari pietatis exemplo sanctissimi Patres perpetuo imitari non destitere, qui execrandam hæreticorum consuetudinem jugiter abhorrentes, eosdem velut lethiferam animorum tabem, ac certam Christianorum, bonorumque omnium vastitatem declinandos esse verbo passim, ac scriptis docuerunt. Quod miro plane Catholici, invictique animi exemplo in primis magnus ille Anachoretarum pater Antonius præstitit, cujus præclaras laudes Athanasius dignissimus cælestis viri laudator, ejusdem gesta describens, insigni hoc elogio cumulat: *Antonius*, inquit, *nunquam Schismaticorum se miscuit communioni, antiquam eorum sciens pravitatem, atque transgressionem. Nunquam Manichæis, aut aliis hæreticis saltem amicabilia verba largitus est, nisi tantum ea, quæ eos possent ab iniquitatis errore revocare, denuntians talium amicitias, atque sermones perditionem esse animæ. Sic etiam Arrianos detestabatur, ut omnibus diceret, nec juxta eos quidem esse accedendum. Nam cum venissent quidam Arriomanitæ, reperta eorum post examinationem infidelissima secta, effugavit eos de monte; dicens multo serpentibus deteriores horum esse sermones.* Quinimo cum versipelles Arriani, ac dolis jugiter imbuti probe jam nossent, quanti Catholicorum populus faceret, quod Monachorum quique probatissimi Catholicæ fidei testimonium detulissent, ementita illico religionis adversus religionem larva nil erubescentes, aut veriti, Magnum Antonium eadem ac ipsi de fide ac religione pariter sentire jactabundi apud omnes palam asseverabant. Quod cum Antonius comperisset, ab intima eremi solitudine abscedens, ad eludendas adversariorum technas protinus Alexandriam advolat, ubi de Catholicæ fidei summa, quam illibatam ipse coleret, coram graviter, sapienterque disseruit, ut idem Athanasius his verbis luculenter prosequitur: *Mentientibus autem Arrianis aliquando Antonium ita ut se credere: admiratus eorum audaciam, & justi doloris ira commotus, rogatusque ab Episcopis, atque universis fratribus, Alexandriam descendit, ibique Arriomanitas publico sermone condemnavit, prædicavitque in populo, &c.* En veritas ut suo nitore, ac decore contenta, haud fucis, haud fallaciis ad suadendum indiget, sed dolos versipellium, ac latitantium sub ovina specie luporum fraudes, moresque ad fallendum, ad decipiendum præferentium detegit. Et demum sanctissimus vir ad populum in fide robbrandum isthæc subtexit: *Cum Arrianis vobis nulla sit conjunctio; quæ enim societas lucis ad tenebras. Vos fideliter credentes*

S. Polycarpus fugit, & execratur Marcionem hæreticum.

Doctrina & exemplum S. Antonii in fugiendis hæreticis.

S. Athan.

S. Antonius Alexandriam advolat ad testandum sibi nihil cum Arrianis commune esse.

S. Athanas.

credentes Christiani estis: illi nullo intervallo à gentibus separantur, &c. Hæc insignis Antonii, gestorumque ejus præco Athanasius. Eadem plane Hieronymus de beatissimi Antonii in Alexandrinorum urbem adventu ad confutandos utique validis argumentorum rationibus Arrianos in suis epistolis conscribit.

D. Hier. ep. 53.

19 Probatissimus quoque cæteros inter Cœnobitas Pachomius hæc sub ipsum vitæ terminum novissima monitorum verba discipulis exhibuisse legitur: *Nulla sit vobis conjunctio cum sectatoribus Meletii, vel Origenis, seu cæteris, Christi præceptis adversantibus.* Hæc, inquam, ad suos Pachomius, ut in vitis Patrum videre est. Neque hic prætereundum videtur, quod de conspicuæ sanctitatis viro, & Abbate Olympio ibidem narratur. Hic enim à fratre quodam rogatus, ut monitum sibi aliquod salutis impenderet, hoc unum dumtaxat percontanti respondit: *Ne sedeas cum hæreticis.* Verum ad nostri instituti propositum id maxime facit, quod Ioannes Moschus in Prato Spirituali in hæc plane verba enarrat: *Cum essem Theopoli apud Patriarcham Gregorium, venit ab Hierosolymis Abbas Cosmas Eunuchus Lauræ Pharan, vir singularis religionis & fidei, rectorumque dogmatum valde tenax, & zelator, &c. Cum ergo fuisset ibi senex dies paucos, defunctus est, et jussit Patriarcha pretiosas illius reliquias in monasterio suo sepeliri, ubi et positus erat quidam Episcopus. Die igitur quadam profectus sum, ut salutarem sepulchrum ejus. Erat autem supra sepulchrum homo quidam pauper eleemosinam petens ab ingredientibus in templum. Cum ergo conspexisset me pauper tertio prostratum, & seni orationem facientem, dixit mihi: Abba, magnus profecto erat senex, quem sepelistis hic ante duos menses. Tunc ego ad illum: unde hoc nosti? Qui respondit: Vere domine Abbas, ego paralyticus fui annis duodecim, & per ipsum curavit me Dominus, & quoties in tribulatione sum, venit ad me consolationem offerens, mihique refrigerium præstat.* En salubris sanctorum memoria, ac præsentia, vel ipsam post mortem ad opportunum petentibus, credentibus, ac indigentibus refundendum solamen existit, & multiplici beneficiorum genere eorundem patrocinia jugiter ditant. Quantum vero beati viri orthodoxæ fidei sectatores, hæreticorum consortia, vel tumuli inclusi exhorreant, quod mox à scriptore præcitato subditur, amplissimam fidem facit, cum isthæc scribit: *Sed & aliud audi de illo miraculum. Ex qua die illum sepelistis, usque ad diem hanc audio illum singulis noctibus clamantem, & dicentem ad Episcopum: Noli me tangere hæretice, ne appropinques mihi inimice sanctæ Dei Catholicæ Ecclesiæ.* Ut Joannes autem subtexit, id quod contigerat, quamprimum Patriarchæ ob id unum renuntiatum est, ut senis videlicet probatissimi corpus in alium transferri locum satageret, cui ubi rem totam uti se habebat, ex ordine exposuisset, nil ab hæretico senem, qui sanæ fidei sectator extiterat, lædi posse Patriarcha respondit, sed totum quod percrebuerat, eam ob causam accidisse, ut meritorum ejusdem virtus, ac illibatæ fidei candor singulis innotesceret, cujus nimirum vir ille probitatis extiterit, & quodnam, vel post resoluta carnis vincula, integritatis, ac innocentiæ meritum retineret, & ut execranda quoque pravorum dogmatum opinio, cui, dum Episcopus viveret, contra illibatas Ecclesiæ assertiones mordicus inhæserat, palam fieret, & demum ne impius ille, ac profanus homo, qui alienus à fide vixerat, pro orthodoxo, atque Catholico vel post mortem à fidelibus haberetur.

S. Pachomius fugam, & aversionem hæreticorum suis commendat.
Vit. Patr.
Olympius Abbas idem suis mandatum tradit.
Io. Mosch. prat. spir. c. 40.
Monachus mortuus clamans ex sepulchro aversatur cadaver hæretici juxta se positum.

20 Susceptæ autem enarrationi ad rem nostram mirifice consonat, quod de Samosateno quodam Episcopo Arriano, qui se in Catholici locum impudenter intruserat, Theodoretus his plane verbis insinuat: *Postea autem quam Arriani gregem Pastore longe optimo privarant, & alium in ejus surrogarant locum, nemo ex urbis incolis, vel pressus egestate, vel divitiis affluens, famulus, vel artifex, &c. ad conventum Ecclesiæ, ut moris erat, accedere voluit, sed Episcopus solus agebat: quippe nemo aut in ejus venit conspectum, aut cum eo sermonem contulit, licet diceretur vitam apud eos valde modeste instituisse. Cujus rei hoc erit argumentum, quod sum jam dicturus. Cum ei in animo esset se in balneo lavare, famuli quò ingredi cupientes prohiberent, fores balnei occluserunt. At ille ubi videt multitudinem pro foribus stantem, fores aperiri, & omnes audacter se in balneo unà lavare jubet. Idem quoque præstitit in interiori balneo testudinato. Nam cum sibi lavanti multos astare cerneret, mandat ut fruantur unà aquis calidis: illi autem taciti consistebant. At iste eos honoris causa stare arbitratus, surgens ocyus egreditur è balneo. Illi verò aquam hæreticæ nequitiæ contagionis infectam esse rati, eam in cloacam emittunt, novamque sibi infundi imperant. Qua re cognita iste urbe relicta, abiit, &c.* Hoc utique patentissimo execrandum hæreticorum hominum commercium argumento perstringens Theodoretus, ac fidei orthodoxæ causam perorando, proloquitur. Manifeste igitur, ut arbitrari fas est, ex prolatis jam in medium exemplis lectori constat, quam invisi jugiter, quam perditi, quam execrabiles hæretici perpetuo Catholicis, tum passim ubique terrarum, tum præcipue in Urbe Roma extiterint, ubi Apostolica Petri Sedes ipsius Christi voce constituta totius veritatis norma, fidei pariter, ac morum magistra supra fundamentum Apostolorum, ac ipsammet fundamentalem Petram, adversus inferni portas, ac tartareas legiones invicta, inconcussa jugiter ac divino haud unquam munimento destituta constitit. Hinc præter quodvis unà cum hæreticis perpetuo ab Ecclesia rejectum, damnatumque communionis genus, arctissimis item legibus, ut jam vidimus, cautum est, ut omnia penitus, si quæ intercedunt, amicitiæ jura, ac humanæ consuetudinis vincula dissolvantur, & ne ad orandum, psallendum, ac festivum insuper peragendum cum hæreticis diem fideles unquam in unum coëant, prout sacrosancti Apostolorum canones decrevere, num. præsertim 45. & 63. & Clemens Const. Apost. lib. 8. cap. 15. Conc. Laodicen. Carthaginen. & alia hoc idem conceptis, inculcatisque verbis districte servandum ab omnibus sanxerunt.

Episcopum Arrianum populus Catholicus fugit, & aversatur.
Theod. l. 4. c. 14.
Catholici lavari nolunt in balneo, ubi prius hæreticus fuerat.
Aquam balnei, quam hæreticus attigeret, Catholici in cloacam emittunt.
Can. Apost. num. 45. 63. Clem. Const. Apost. l. 8. c. 15.

21 Quod vero ad fana, vel profana potius hæreticorum loca spectat, haud unquam in sacros Catholicorum usus fore assumenda, nisi forte quæ ipsimet sacrilegi homines ab orthodoxorum manibus antea per vim, aut certe dolum abstulissent, validissimo Eppanensis Concilii decreto sub Gelasio Pontifice statutum est. Quamobrem S. Gregorius Magnus cum primum beatæ Agathæ Ecclesiam, quæ ab Arrianis inique Catholicorum è manu usurpata fuerat, recepisset, festivo totius Romani Populi gaudio, ac pompa, non absque præstitis ad publicæ lætitiæ cumulum patentibus è Cælo signis, ut in ejusdem dialogis videre est, solemni ritu sanctissime

Basilicas hæreticorum in usum sacrum nunquam assumenda decretum.
Conc. Eppan.
D. Greg. Dial. l. 3. c. 30.

ctissime

Ad Ephes. c.5.n.27.

Hæreticorum libri à Pontificibus, & Conciliis prohibiti.

ctissime expiavit. Quantum vero Ecclesia Dei, quam veluti sponsam *sibi Christus gloriosam exhibuit, non habentem maculam, aut rugam*, quantum, inquam, Ecclesia maculosam, ac serpentem hæreticæ pravitatis labem detestata jugiter exhorruerit, vel hoc uno argumento palam convincitur, quod haud corpora dumtaxat hæreticorum, sed eorumdem libri, & scriptæ insuper cujusvis generis paginæ, ne ejusmodi venenum in aliorum perniciem aliquando serperet, flammis ultro injici jubebantur, ut satis quidem ex antiquis Apostolorum canonibus, decretalibus item Pontificum Romanorum epistolis, & ex ipsis denique universalium Conciliorum sanctionibus compertum fit: quinimmo & Imperialium quoque legum Constitutionibus, quæ apud Concilii Ephesini acta recensentur, assertionis nostræ propositum stabiliri videtur. Hoc autem sæpissime à Catholicis, & laudabiliter quidem præstitum fuit, ut exemplis compluribus ab historicarum rerum promptuario excerptis palam convinci potest: illud tamen hoc loco nobis enarrasse sufficiat, quod S. Leonis Papæ Primi opera ac studio Ecclesiasticis in tabulis proditum est, de quo isthæc Prosper in Chron. refert: *Hoc tempore* (anno scilicet Domini quadringentesimo quadragesimo tertio) *plurimos Manichæos intra Urbem latere diligentia Papæ Leonis innotuit, qui eos de secretis suis erutos, & oculis totius Ecclesiæ publicatos, omnes dogmatis sui turpitudinem damnare fecit & prodere, incensis eorum codicibus, &c.* Incomparabili siquidem labore, ac jugi Pontificiæ solicitudinis studio Leo sanctissimus institit, tum in fraudulentis hisce hominibus solicite perquirendis, ne inter ovilis Dominici gregem sub ovina pelle lupos aliquando latere contingeret: tum in commonendis frequenter etiam pro concione populis, ut in perditis, inquam, detegendis, proclamandis, insectandisque Manichæis, totis animi viribus, certatim singuli operã impenderent. Nec vero vigilantissimus pastor id præstitisse contentus, ut & perfidos insuper pravorum dogmatum sectatores magis magisque Romanis ipsis invisos, ac detestandos redderet, publicis item concionibus, qua pollebat eloquentiæ vi, insanos eorundem errores perstringere, ac palam facere haud unquam destitit. Quod quidem egregie à beatissimo Pontifice præ cæteris sermone quarto de collectis: sermone 4. in Quadragesima: serm. 7. in die natali Christi Domini, & sermone 4. Epiphaniæ præstitum fuisse innotescit.

Conc. Eph. to. 5. c. 29.

S. Leo I. Manichæorum libros publice flammis addicit. Prosper in Chron.

Leo ser 4. in quadrag. ser. 7. in nat. hom. et ser. 4. in Epiph.

22 Huc item, studiose lector, spectat, quod in eodem Prato Spirituali his plane verbis legitur: *Die quadam* (Cyriacus Abbas loquitur) *vidi per somnium mulierem honesta facie, purpura indutam, & cum ea viros duos, & ipsos venerando habitu, & adspectu præclaro. Arbitratus autem sum mulierem illam esse Dominam nostram, sanctam Dei Genitricem, eosque qui cum illa erant, duos viros, sanctum Ioannem Baptistam, & sanctum Ioannem Theologum, & Euangelistam. Egressusque de cellula, orabam illam, ut ingrederetur, quæ non consensit. Permansi ergo diutius orans, & obsecrans, ac dicens: Ne quæso avertatur humilis factus, confusus, & alia plura hujusmodi. Illa igitur, ut me vidit instare precibus, eandem postulationem iterare, severius mihi respondit, dicens: Habes intra cellam tuam inimicum meum, & vis ut ingrediar? & his dictis abscessit. Evigilans autem ego affligi cæpi, & cogitabam, num aliquod in mente peccatum contra ipsam admisissem; neque enim erat aliquis alius in cella mea, nisi ego solus. Diutius igitur me ipsum discutiens, nihil inveni, quod in illam peccassem. Cum enim vidissem me nimio mærore absorberi, surgens accepi librum, ut legerem, quo per hujusmodi lectionem dolorem unà, cogitationesque repellerem. Librum autem ipsum acceperam mutuo à beato Isychio presbytero Hierosolymitanæ Ecclesiæ, evolvensque librum, inveni duos impii Nestorii libros in fine voluminis scriptos, moxque agnovi hunc esse sanctæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ inimicum.* Vides hinc quantum Deipara Virgo, quæ veluti veritatis mater, & Apostolorum magistra, *cunctas hæreses* (ut canit Ecclesia) *in universo mundo interemit*; quantum, inquam, hæreticos, hæreticorumque libros, ac dogmata execretur, ut mitissima omnium inimicam se illis ultro, infensamque jugiter obtestetur. Sed cætera si libet prosequamur: *Tunc surgens abii, librumque illi, qui mihi eum accommodaverat, reddidi, dicens illi: Accipe librum tuum frater, neque enim ex eo tantum utilitatis cepi, quantum detrimenti. Cum vero ille detrimenti ipsius causam sciscitaretur, omnem illi rei ordinem retuli. Qui zelo Dei succensus, protinus duos illos Nestorii libros ex volumine præscidit, eosque igni tradidit, dicens: Non manebit, in cella mea Dominæ nostræ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ inimicus, &c.* Ex quo perspicue, tu quis es, qui isthæc perlegis, perspicue, inquam, legendo intelligis, quam execrandum viris Catholicis sit hæreticorum libros, & scripta, haud manibus dumtaxat evolvere, ac curiose admodum oculis delibare, verum etiam apud se veluti rem rerum omnium perniciosissimam privatim domi utcumque retinere.

Maria Virgo cujusdam Monachi cellam, ubi Nestorii hæretici libri erat, ingredi renuit. Prat. Sp. 46.

Maria Virgo hæreticorum inimicam se ait.

Libri hæreticorum perniciosissimi.

23 Quoniam vero de hæreticis interim sermo recurrit, ut quam abominanda apud orthodoxos eorundem memoria, & quam caute subterfugiendum pariter ejusmodi labe infectorum commercium perpetuo extiterit, lectori luce clarius innotescat, vel ipsa hæreticorum nomina, quippe qui pessime olebant, eum in modum Catholicos exhorruisse constat, ut nec in Ecclesiis unquam legi, neque in sacris dypticis recenseri aliquando permissum fuerit, in iis videlicet Tabulis, seu libellis, in quibus eorum nomina, quorum in sacrosancto Missæ sacrificio memoria recolenda esset, ex more describerentur, ut præsertim in B. Gregorii Papæ Sacramentario, & alibi videre est. Quamobrem in quinta Constantinopolitana Synodo Collat. v. à sanctissimis, qui tunc aderant, Patribus diligenti scrutinio perquisitum fuit, num, & quanam ratione, & à quibus potissimum execrandum Theodori hæretici nomen sacris inscriptum dypticis fuisset. Quod item præcipuæ solicitudinis, ac nunquam intermissæ studiũ Catholicis ab Episcopis jugiter exhibitum epistolares paginæ fidem faciunt, ut ex epistola ipsius B. Leonis ad Anatolium Constantinopolitanum: & ex conscripta item Episcoporum Ægypti epistola pro Concil. Calcedonensi ad eundem Anatolium: ex epistola insuper Damasi Papæ ad Episcopos Dardaniæ: & ipsius Justiniani Imperatoris ad Hormisdam Papam: & demum ex aliis innumeris Romanorum Pontificum epistolis, & sacrosanctis Oecumenicorum Conciliorum decretis, quæ hic brevitatis gratia, & ne lectorem tædio conficiamus, ex industria prætermittimus; liquet: cum ex his, quæ hactenus in medium prolata sunt, satis superque, ut nobis arbitrari licet, omnimoda Catholicorum animis insita ab hæreticorum tam moribus, quam opinionum dogmatibus aversio ac repugnantia, vel ipsa

Hæreticorum nomina sacris dypticis inscribi nefas.

S. Greg. Pap. in sacramentar.

Con. Const. collat. 5.

S. Leo Pap. ep. ad Anatol.

S. Dam. Pap. ep. ad Ep. Dard.

Iust. Imp. ep. ad Horm. Pap.

ipsa luce clarius comprobetur. Ex quo item validissimo argumenti genere convincitur, haud ulla unquam ratione eosdem Catholicos acquievisse, ut profana nimirum hæreticorum cadavera, quæ merito quidem jure sepultura asini sepelienda fuerant, juxta sacras recolendasque orthodoxorum exuvias in Cœmeteriis deposita, sacris utique profana miscendo, locarentur. Verum enimvero si per varias passim Italiæ regiones hæresum labem, ac perfidiam longe lateque grassari, ac serpere aliquando contigit, profecto haud unquam eorundem hæreticorum corpora Catholicorum Cœmeteriis illata, ac fidelium corporibus permixta fuisse quis nisi temere suspicetur. Procul enim dubio sacra hæc loca à Catholicis quantocyus consuetis Ecclesiæ ritibus expiata, perditorum vero hominum corpora inde confestim eruta, sublata, projecta, ac ignibus ultro ad consumendum tradita, & ne quid penitus ex oblivionis anathemate superesset, in cineres, ventis utique dispergendos, redacta fuere, quod quidem nobis credere par est, & pius ac prudens quisque absque ullo ambigendi scrupulo affirmare potest. Quem sane laudabilem, celebrandumque morem Apostolicis sanctionibus præscriptum Catholicis moribus, ac consuetudine obfirmatum, per tot seculorum curricula illibate servatum, hæreditario propemodum jure ad posteros, ut ita dixerim, per manus transmissum, ad hæc nostra usque tempora devenisse, omnes, qui probe sacram rem historicam callent, dubitare nullatenus valent.

Hæreticorum cadavera loco sacro arceantur, & sepulta eruuntur, & rejiciuntur.

24 Quapropter Alexander Papa Quartus, qui sub Christi anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto in supremum Petri solium evectus, totius Ecclesiæ regimen obtinuit, ac sapientissime administravit in c. *Quibusdam* de hær. in 6. potissimum Apostolici decreti auctoritate sanxit: *Quicunque hæreticos credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumpserit Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ se noverit subjacere, nec absolutionis beneficium mereatur, nisi propriis manibus publice extumulet, & projiciat hujusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuo careat sepultura.* Audisti pie & amice lector Pontificiorum Canonum, quæ merito fortissimi quemque animi virum absterreant, verba ne dixerim fulmina, quibus formidanda Ecclesiastici anathematis sententia ipsius, qui Christi locum tenet, imo ipsomet divini numinis oraculo in temere præsumentes intorquetur?

Alexandri IV constitutio de hæreticorum cadaveribus Ecclesiastica sepultura arcendis. *Alex. 4. in c. Quib. de hær. in 6.*

25 Quod vero ad schismaticos attinet, arctiori sane ambigendi scrupulo illud modo in quæstionem revocari posse videtur, an schismaticis nostra usui aliquando fuerint Cœmeteria, cum quamplures hujus farinæ homines, ab Ecclesiæ sinu sejuncti, sub diversis temporibus in Urbe commoratos fuisse apud omnes exploratissimum sit: verum ut ambigendi nodus, qui occurrit, facili negotio dissolvatur, præhabita interim distinctione, totius controversiæ, quæ nunc objicitur, vis dirimenda, ac eludenda est. Nam ut rem altius repetamus, nonnullos quidem inter eos adnumerari contigit, qui non schismatis dumtaxat, verum etiam hæresis labe turpiter inficiebantur: alii insuper inter hos recensentur, qui nullo circa sanam doctrinam, & illibata fidei dogmata hæresum errore detinebantur, sed apud eos canonica tantum Romani Pontificis electio, cui tanquam capiti adhærendum esset, in quæstionem vertebatur. Verum nos de primæ notæ hæreticis satis superque jam diximus. Interim igitur distinctio, quam de schismate morboso dumtaxat laborantibus paulo ante præmisimus, explicanda, ac subdividenda adhuc remanet, inter eos videlicet, qui tunc potissimum temporis schismata adversus Ecclesiam conflarunt, cum funestissimis hæc persecutionum procellis valide impeteretur, atque alios, qui suborta demum eidem Ecclesiæ præoptatæ pacis tranquillitate, temere in aciem prodeuntes, ipsius unitatem, schismatis bello dirimere, ac violare non dubitarunt. Quo igitur tempore, ipso insufflanre dæmone, persecutionum procellis Ecclesia concutiebatur, unus schismaticorum omnium dux ac vexillifer contra beatissimum Cornelium Papam Novatianus audacter insurrexit: ejus autem schisma eodem plane anno, quo exortum fuerat, desiit: & quamvis ejusdem postmodum Novatiani sectatores diutius Christi Ecclesiam vexaverint, hos tamen in Urbe Roma neque Ecclesias, neque synaxes, ne quid minus Cœmeteria unquam cum Catholicis communia habuisse, ex recensitis hactenus compertum fit. Ex quo item nec illos Romana in Urbe radices figere, aut ibidem diutius consistere, & sectatores eorundem coalescere potuisse, etsi totis in id viribus adniterentur, perspicue constat. Porro quod de Novatiano ediximus, idem plane de Felicis schismate contra Liberium Papam asserendum est. At vero sedatis subinde, Deo votis fidelium aspirante, persecutionum, quæ urgebant, fluctibus, complures utique Romanam apud Urbem schismatici, sed tunc potissimum temporis substitere, cum jam erectis ubique locorum Ecclesiis, tumulanda defunctorum corpora ad Catholicorum Cœmeteria deferri haud opus fuit, & quamvis eisdem in Ecclesiis nonnisi sacra, venerandaque beatorum Martyrum corpora recondi liceret, quod Maxentius sanctissimo Romano Pontifici Marcello, ut ipse testis est Baronius, indulserat; veruntamen juxta illud spatium, quod proxime iisdem adjacet, & in earundem interioribus atriis, ac vestibulis ob impensum devoti animi studium, quod Martyribus jugiter deferebatur, fideles ipsi tanquam rem præoptatissimam nacti sepeliri consueverant. Quod egregie quidem Chrysostomus de Constantini Magni sepultura proloquens, ut nos etiam meminimus, satis luculenter in hæc verba enarrat: *Hic*, Constantinopoli nempe, *Constantinum Magnum filius ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in piscatoris vestibulo conderet* (Ecclesiæ videlicet S. Petri ibidem ab eodem Constantino erectæ) *quodque Imperatoribus sunt in aulis janitores, hoc in sepulchro Piscatoribus sunt Imperatores, &c.* Idem plane vir sanctissimus repetit hom. 66. ad Pop. ubi quod ad rem nostram facit, & eandem Romæ consuetudinem viguisse subtexit: *Nec hoc tantum*, inquit, *quis Romæ fieri viderit, verum & Constantinopoli. Nam & hic Constantinum Magnum ipsius filius in honore magno censuit habere, si pro foribus Piscatoris paternum corpus collocaret.* Hæc Chrysostomus.

Schismatici an sacris Romæ Cœmeteriis usi unquam fuerint?

Schisma Novatiani.

Schisma Felicis.

Maxentius martyrum in Ecclesiis sepeliendorum potestatem facit.

S. Io. Chrys. hom. 36. in 2. ep. ad Corinth.

Chrys. ho. 66. ad pop.

26 Præterea, ut jam enarratis & isthæc pariter inferantur, satis cuilibet notum putamus, quod sanctissimus Pontifex Gregorius in suo Registro de inolito defunctorum corpora juxta Ecclesias, earundemque ambitum tumulandi more inter scribendum refert. Græcorum enim quorundam monachorum pietatem dixerimne, an temeritatem, eò usque

Greg. in reg. 3 ep. 30. Ind. 11.

Monachi Græci è Cœmeteriis cor-

eo usque prosiliisse affirmat, ut defunctorum corpora, quæ in publico ac patenti juxta basilicam beatissimi Apostoli Pauli agro tumulata jacebant, sub intempestæ noctis silentium effoderent, eorundemque ossa, veluti pretiosas sanctorum reliquias, cum inde recessuri essent, secum in Græciam delaturi. Haud igitur à schismaticis, ut jam lectori præmisimus, defunctorum corpora tunc temporis ad sepeliendum Cœmeteriis inferri necesse erat, cum alia quamplura & opportuna quidem ad ministerium hujusmodi loca suppeterent: quamvis fideles intimo cordis, ac pietatis ardore succensi sepulturam sibi iisdem in Cœmeteriis perpetuo eligere, ac singuli certatim statuere haud ullo unquam tempore destiterint.

27 Porro Ursicini potissimum schisma, quod contra Damasum Romanum Pontificem conflari contigit, ob temporis diuturnitatem, quo Romana in Urbe semel invectum invaluit, grave admodum assertis hisce nostris negotium facessere, eoque magis inde controversiæ vis hoc uno argumento adaugeri videtur, quod videlicet sectatores ejusdem, qui tunc in Urbe morabantur, arenarias intra cryptas convenerint, ut his plane verbis Baronius affirmat: *Eo usque* (inquit) *proruperunt Ursicini partis Romæ schismatici, ut compressi licet manu militari atque etiam basilica, quam occuparant, spoliati fuissent, reddita illa Damaso, nequaquam atquieverint, sed obduratis animis, abhorrentes penitus communicare cum legitimo Urbis Antistite, novum illud parant consilium, à mente admodum obdurata suggestum, nempe quod Præfectis prohibentibus intra Urbem conventus agere non liceret, in suburbiis, in cryptis arenariis, aliisve privatorum locis Ecclesiam congregarent, in qua insano conatu Cathedram contra Cathedram erexerunt.* hæc utique in rem præsentem Baronius. Quamvis in ipsius Valentiniani Imperatoris ad Olybrium rescripto, quod per extensum à Baronio ibidem recitatur, nulla prorsus de Cœmeteriis, aut cryptis, sed de extramuraneis dumtaxat locis mentio incurrat. Imperator enim ibidem hunc in modum rescribit: *Tu quidem sicut proximis literis indicasti, enixissimo studio præstare voluisti, ut nulla in Urbe Roma posset esse discordia, Christianusque populus profunda in otio securitate gauderet: sed quantum Agmatii clarissimi viri Præfecturæ scripta testantur, adhuc aliquanto placata misceri delectat, extramuraneisque conventibus frequens strepitus excitatur. Quamobrem egregia sublimitas tua præstet, ut populo dissentienti nulla intra vigesimum lapidem, vel religio ad coeundum possit esse, vel copia, ut si cessare non vult, migret, ut jussum est, insana collectio. Ita Demum etiam tumultuantibus cunctis longe proculque submotis, certa pax plebi in ævum esse tribuatur.* Isthæc adversus schismaticos Imperator dum scribit, eorumdem mores, animosque ad tumultuandū jugiter promptos, ac proclives ad vivum delineare videtur.

28 Facile igitur lector, ut vides, ex enarratis prætensæ difficultatis nodus dissolvitur, atque evanescit; si perditissimos nimirum eosdem schismaticos haud Cœmeteria, sed abditissima loca, quæ procul à mœnibus sita sunt, ut Donatistæ jam fecerant, Imperialibus coactos jussionibus, adiisse dicamus. Verum si ad Cœmeteria quoque sacrilegos homines pervenisse fateamur, haud tamen ibidem suorum corpora defunctorum condidisse ex prolato in medium argumento convincitur: subterranea quippe loca hæc ad conventicula duntaxat contra Damasum Pontificem cogenda, uti rescriptum Imperiale præ se fert, iisdem hominibus usui futura erant. His præterea, ad magis eludenda adversariorum objecta, brevem admodum temporis moram, quo Romæ, aliò migraturi, substiterunt, subtexere licet: Ursicinum enim, ut ab ipso dicendi exordium auspicemur, eodem plane, quo Damasus Pontifex renuntiatus est, Christi videlicet anno 368. ex Urbe exturbatum, in Gallias profugum amandari contigit: ejusdem vero sectatores, urgente Valentiniani, quod jam recensitum est, edicto, insequenti anno, trecentesimo sexagesimo nono, illuc pariter, pari ac consimili tam criminis, quam supplicii vinculo obstricti, pedem vertere compulsi sunt. Et quamvis Ursicinus deinde ab exilio sub Christi annum 371. revocatus fuerit; haud tamen in Urbem, ejusque suburbia, altero Valentiniani ipsius perurgente edicto, pedem inferre permissus est. Quæ ut magis lectori innotescant, Imperatoris interim verba in medium proferamus: *Dudum Ursicini inquietudine provocati, faventes concordiæ populi Christiani: quieti etiam Urbis sacratissimæ providentes, uno interim loco intra Gallias dumtaxat perturbatorem tranquillitatis publicæ statueramus jure cohiberi, scilicet ne applicatione morum late dissensionis incommodum spargeretur. Verum naturæ nostræ mansuetudine levigati, ita memorato abscedendi copiam dedimus, ne ad Urbem Romam, vel certe suburbicarias regiones pedem inferat, neque nequitiæ suæ contagionem conetur infundere.* Hactenus pro Ursicini reditu, ita tamen ut ab Urbis, & suburbiorum abstineret accessu, ut supra rescripsit Imperator. Ex quibus studioso, prudentique lectori rem altius expendenti, nullatenus à schismaticis unquam sacra Catholicorum Cœmeteria pollui, ac fœdari potuisse compertum sit, cum ad hæc haud illis otium, ac facultas accedendi suppeteret: vel tunc præsertim temporis, quando idem B. Pontifex Damasus, compositis jam, sedatisque procellis, pacificum Ecclesiæ regimen libero, ac pleno ministerii jure obtinebat. Hic quippe obsequentium sibi Imperatorum, quibus iidem schismatici infensissimi erant, potentia suffultus, haud ulla ratione iisdem Cœmeteriis execranda nequissimorum hominum cadavera, unà cum cæteris Catholicorum inferri, atque humari permissurus fuisset. Quinimmo (ut magis argumenti vis augeatur) nec ipsi quidem schismatici, Damaso Petri naviculæ & Ecclesiæ clavum tenente, sacra Urbis Cœmeteria adire unquam voluissent, ne, quod summopere detestabantur, Romano Pontifici aliquatenus connivere, & cum Damaso communicare viderentur, qui Cœmeteriorum loca incredibili pietatis studio complexus, eo devotionis cultu prosequebatur, ut haud semel hæc invisisse, osculis, suspiriis, ac lacrymis rigasse simul, & cumulasse contentus, recolendis eadem jugiter piorum carminum monimentis exornaret, & demum, ut uno verbo omnia complectamur, unus præ cæteris tantum obsequii subterraneorum locorum sanctitati detulit, ut illic ipse met Pontifex, Mausoleum consecuturus omnium nobilissimum, se unà cum matre, ac sorore inferri pariter, ac tumulari voluerit.

29 Quapropter, ut perspicue ex enarratis hactenus constare videtur, quibus postrema capitis hujusce periodus velut nobili quadam coronide concluditur, ac illustratur, illud unum apud omnes certum omnino; ac indubitatum sit, sacra videlicet

Margin notes (left): ...ora defunctorum cum fe... ...nda effo... ...runt. | ...chismatici ...rsicini se...atores ...binam ...nventus ...os agent? | ...ron. an... l. to. 4. ...369. | ...scriptum ...lentinia... ...mp. con... Schisma...os. | ...rip. ...Imp. ad ...br. | ...ismati... ...ntra 20. ...Urbe la...em ...undi ...ia inter...a.

Margin notes (right): Ursicinus Roma ejicitur. | Ursicinus ab exilio rediens Urbem tamen ingredi illi non permittitur. | Valen. Edict. Bar. annal. to. 4. an. 371. | B. Damasus Papa. | B. Damasi vigilantia. Ejusdem in sacris Cœmeteriis colendis studium.

 licet

licet subterraneæ Urbis Romæ Cœmeteria pura, & illibata ab omni hæreticorum, schismaticorumque fœditate, ac profani commercii labe perpetuo extitisse. His autem omnibus, vel illud postremo loco, argumenti instar validissimi inseramus, sanctissima videlicet Cœmeteriorum loca, intermisso haud unquam studio, præcipua à fidelibus cunctis veneratione habita, ab ipsismet Summis Pontificibus pretiosorum munerum elargitionibus aucta, multiplici passim ornamentorum genere cumulata, refecta jugiter, exculta itidem, ac pristino cultui, ac nitori restituta fuisse, quod Romanorum Pontificum hac laude præcellentium gesta apud Anastasium locupleti præconiorum argumento conscripta testantur. Neque hic interim, ubi de Cœmeteriorum cultu, ac splendore sermo incurrit, complures inde sanctorum corporum in Vrbem translationes, obsequenti Pontificum eorundem manu, & opera præstitæ, post profligata hæresum monstra, necnon post multiplices, ac deplorandas, quæ eidem Urbi acciderant, vastitates, obticendæ videntur. Quibus palam, ut absque ullo ambigendi scrupulo videre est, singulari quidem Romanorum Cœmeteriorum prærogativa, eadem Cœmeteria nullo unquam ethnicorum, hæreticorum, aut schismaticorum commercio polluta extitisse convincitur. Alioqui sacræ tot, ac recolendæ numero translationes, quas à summis passim Pontificibus perfici, ac celebrari contigit, tanquam superstitiosis cadaveribus obnoxiæ, jure merito irritæ prorsus, ac futiles censendæ, ac pronuntiandæ à nobis forent, cum pro ipsis sanctorum exuviis, quibus Christiana religio condignum jugiter obsequium deferre consuevit, profana hæreticorum, seu schismaticorum corpora levari quandoque, ac deferri, quod tamen falsum omnino est, contigisset.

Pontifices Romani sacrorum Cœmeteriorum cultores præcipui.

Translatio corporum è Cœmeteriis, nullos inibi hæreticos sepultos fuisse comprobat.

30 Si nostræ vero assertionis propositum, ut contendunt, adversariorum argumentis succumberet, iisdemque impetitum valide, quod neutiquam verum est, minus subsistere comprobetur, de singulis plane, quibus Romanæ potissimum Ecclesiæ cumulantur, reliquiis de ipsismet beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac venerandis reliquorum sanctorum pignoribus, quæ è Cœmeteriis vario, ac successivo temporum tractu translata sunt, & de cunctis demum, ac singulis Ecclesiarum tam Urbis, quam Orbis terrarum reliquiis, quæ hinc potissimum transmissæ, tot urbes apprime locupletarunt, ultro ambigendi occasio suppetet. Innumera quippe in sacris passim Cœmeteriis cum olim extabant, tum adhuc beatissimorum Martyrum, sanctorumque sepulchra extant, quæ titulis omnino destituta, his notis dumtaxat, ac numeris inscribuntur, ac aliis hujuscemodi signis prænotantur, quæ cunctis plane fidelibus tunc temporis trita pariter & solemnia erant, & ab omnibus passim absque tergiversatione, ut supra enarratum est, veluti certissima athletarum Christi monimenta facili negotio internoscebantur. Et hæc sunt, quibus religiosus antiquorum Urbis Cœmeteriorum cultus, ac splendor adversus insanas temere oblatrantium, & insultantium pariter voces firmissime stabilitur, ac magis magisque coruscat. Interim vero reliqua prosequamur.

Multa corpora nomine ac inscriptione destituta in Cœmeteriorum sepulchris.

CAP. III.

De promiscuis Cœmeteriorum imaginibus, commentitios ethnicorum errores redolentibus.

1 ANtiquæ potissimum imagines, quæ tum à Christi fidelibus, tum ab ipsismet ethnicis promiscuo olim usu receptæ, futiles idololatrarum errores quodammodo sapiunt, & quæ insuper, ut in sacris Cœmeteriis passim occurrunt, videre est, sanæ, illibatæque fidei, ac orthodoxæ religionis ritum pariter, & cultum in suspicionis umbram, vel leviter saltem revocarent, ut nonnulli perperam arbitrati sunt, omnes fere recolendi arcanorum mysteriorum ritus, & sacræ divinorum sacramentorum, ac ministeriorum præcipuæ, quibus Ecclesia uti consuevit, cæremoniæ, ipsa demum Euangelica symbola, quæ magni Catholica jugiter Ecclesia fecit, profana utique, futilia, ac nullius momenti censenda, ac pronuntianda essent. Supplices nimirum, ut exemplis res conficiatur, & quæ tam frequenter apud Christianos usu receptæ sunt, genuum submissiones: ipsæ manuum inter precandum elevationes; pectoris item tunsiones, quæ inter præcipuos pœnitentium actus recensentur: sacrorum deosculationes liminum; divinorum in obtestationem obsequii altarium contrectationes: sanctorum imaginum usus, ac religiosus earundem cultus: festivorum dierum solemnitates: ornamenta templorum, frequentes eorundem pompæ, atque apparatus: jugis populorum ad sacra obeunda cœtus: consuetæ aquæ lustralis aspersiones, & ut uno demum verbo singula complectamur, ea omnia, quæ, ut supra lib. 1 cap. 9. demonstravimus, Christianis pariter, ac gentilibus communia quondam fuere, à piis Christianorum manibus, & ab ipsomet illibato totius Ecclesiæ usu amovenda, vel potius procul amandanda, ac jure merito ob hanc dumtaxat rationem omnino proscribenda erunt, quod iisdem videlicet impios quondam superstitionis gentilitiæ homines uti, vel certe, ut melius dixerim, abuti contigit.

Imagines Cœmeteriorum indifferentes non continuo suspectæ habendæ.

Ritus gentilium primævis Christianis permissi in usus pios traducti.

2 Quod magis autem rem perstringit, & ad instituti propositum facit, quis non protinus, vel hanc unam ob causam consuetas ipsius Agni, atque Arietis imagines de medio ab Ecclesia tollendas, & his quidem Christum Salvatorem nostrum posthac repræsentandum nullatenus fore pronuntiaverit, quia nimirum hic ex vano ac futili gentilium ritu Iovi deorum omnium parenti, ille vero Junoni quondam dicatus, ac sacer habebatur, idemque Minervæ, Fauni, Neptuni, aliorumque commentitiorum id numinum, ac gentilitiæ superstitionis idolorum sacrificiis instruendis, peragendisque deserviebat: eadem pariter ratione frequens admodum apud recolendas divinarum scripturarum tabulas, bovis, tauri, vel vituli effigies haud congrue posthac, si argumenti hujusce vis convinceret, Christi symbolum præ se ferret: nec ulla item in posterum ratione veluti nobilissimum Matthæi Apostoli, & Euangelistæ hieroglyphicum proponendum pariter, ac suspiciendum videretur, cum illud potissimum animal in sacrificiorum oblationibus, quæ peculiari quondam ritu in ipsius Isidis, Lunæ, Dianæ, Minervæ, Neptuni, Martis, Apollinis, Jovis, ac cæterorum inanium simulacrorum honorem, ac cultum offerebantur, adhiberi consuevisset.

Christiani iisdem utuntur hieroglyphicis, ac symbolis gentilium, alio tamen sensu.

Bos Hieroglyphicum Matthæi Euang.

fueviſſet. Cervus inſuper inter ipſa nemorum abdita, ac ſilveſtrium ferarum latibula Eccleſiaſticis rejectus è tabulis amandandus eſſet, qui Dianæ à gentilibus dicatus fuerat: nec cervus ultra locum ſibi peculiarem myſtica inter ſymbola tenebris addictus vindicabit. A ſacro item altari, divinarumque paginarum libris profuga evolare cogetura quila, nec Chriſtum Dominum, nec digniſſimum illum, ac lynceum in arcanarum rerum ac myſteriorum ſublimitate ſpeculatorem, Joannem Euangeliſtam ſublimi velocium pennarum ſymbolo portendet. Innocua item & candida præ reliquis columba, avicula nempe innocentiæ totius imago, ac typus, ex Noëtica Eccleſiæ arca, eo quod peculiare Veneris, atque Cupidinis ſymbolum quondam extiterit, eiſdemque gentilitiæ ſuperſtitionis cultu dicata fuerit, haud Spiritum ſanctum Paracletum orthodoxæ, illibatæque ſponſæ Eccleſiæ perpetuo ſub hujus typo incubantem deſignabit. Neque itidem ſelectæ Angelorum imagines ſub pennatorum puerorum ſpecie coloribus adumbrandas quis dixerit, cum iiſdem plane imaginibus apud Ethnicos olim Cupidines, Amores, ac Genios repræſentari conſueviſſe ſatis aperte conſtet: quibus & alia id genus innumera ſubnecti poſſunt.

[Marg.: Cervus myſticum ſymbolum. — Aquila Chriſtum & Joannem Euang. ſymbolice deſignat. — Columba Spiritum S. hieroglyphice denotat. — Pueri alati ſpecie Angelus figuratur.]

3 Verum ſi nil diſſonum, ac repugnans cenſendum eſt, ſi ſacris hæc myſteriis ſignificandis, quamvis olim à Gentilibus frequentiſſime uſui para, piis plerumque Chriſtianorum ritibus expurgata adhibeantur, nec quid à religionis pariter cultu alienum primævi illi fidelium apices duxere ad electiſſimos Chriſti Martyres, Confeſſores, vel virgines orbi prænotandas, palmam, coronam, columbam, navim, piſcem, numeros, ac cæteras ejuſcemodi notas, ac ſigna, ab ethnicis alioqui per manus accepta, Cœmeterialibus tumulis inſcribere, iiſdemque ſtudioſe exſculpta, quædam veluti trophæa affigere, ob multiplicia ac peculiaria ſcilicet arcanorum myſteria, quæ his præferuntur: quibus tamen Chriſtianos jugiter ab ipſamet Eccleſiæ naſcentis origine uſos fuiſſe conſtat, ut Clemens Alexandrinus antiquiſſimus rerum noſtrarum ſcriptor his plane verbis edocet: *Sint autem vobis ſignacula, columba, vel piſcis, vel navis, quæ curſu veloci à vento fertur, vel lyra muſica, qua uſus eſt Polycrates, vel anchora nautica, quam inſculpebat Seleucus, & ſi ſit piſcans aliquis, meminerit Apoſtoli, & puerorum, qui ex aquis extrahuntur.* His doctiſſimus iſte vir ſacræ recolenda antiquitatis monimenta teſtimoniis valide ſuffulciendo comprobaſſe viſus eſt.

[Marg.: Annulis, & pulchris Chriſtiano. ... quid potiſſimum inſculpere... — Clem. Alex. l. 3. Pædag.]

4 Inſigne autem hujuſce rei in beati Maximi martyris inſculptum ſarcophago exemplum recognoſcere licet, in quo celebre illud Phœnicis ſymbolum beatiſſima virgo Cæcilia inſculpendum curavit, ut in M. S. ejuſdem beatæ Cæciliæ Actis, Cod. Vatic. Vallic. & S. Cæcil. his quidem verbis deſcribitur: *Quem* Maximum ſcilicet, *S. Cæcilia virgo, Valerianum & Tiburtium ſepelivit in novo ſarcophago, & juſſit, ut in ſarcophago ejus ſculperetur Phœnix ad indicium fidei ejus, qui reſurrectionem ſe inventurum, exemplo Phœnicis ex toto corde ſuſcepit.* Alia item quamplura in medium id genus argumenta adduci poſſent, & haud pauca ad idem convincendum exempla ſuppeterent. At quæ hactenus ſatis prolixe enarravimus, pio ac ſtudioſo lectori ſufficiant, recolenda nimirum Urbis Cœmeteria perpetuo illibata, ac ab omni prorſus labis inquinamento immunia extitiſſe, & ſacras, quæ in iiſdem conſpiciuntur, imagines, vel promiſcuas, vel certe communes, quæ ad certum quid ex ſeipſis ſignificandum inſtitutæ ſunt, ſua quæque, ut mox enarrabitur, arcanorum myſteria continere. Sed his præmiſſis ad recolendum antiquum ſacrarum imaginum cultum, quæ apud ſubterranea Cœmeteriorum Cubicula uſque nunc conſpiciuntur, orationis ſtylum convertamus.

[Marg.: Cod. Vat. 3. Vall. 1. & S. Cæcil. — Phœnicem in ſepulchro Maximi inſculpendum S. Cæcilia curat.]

CAP. IV.

De antiquo in Eccleſia ſacrarum Imaginum cultu.

1 Recolenda venerandarum imaginum, quæ paſſim in Chriſtianorum Cœmeteriis ſuſpiciendæ exhibentur, myſteria explanaturi, ut probatiſſimam anteactorum temporum lector pietatem ædiſcat, de pervetuſto earundem imaginum uſu quædam prius à nobis è ſacrorum potiſſimum Conciliorum promptuario, Patrum item, ac probatæ fidei ſcriptorum fonte paucis delibanda exiſtimavimus. Vt tanti igitur rem momenti altius repetamus: primus quidem ſacrarum imaginum, &, ut ita dixerim, architectus, & auctor ipſemet Deus, ſapientiſſimus rerum omnium artifex, extitiſſe jure merito comprobatur, dum hominem ad ſui ipſius imaginem, ac ſimilitudinem ex nihilo condere, ac plaſmare dignatus manus ſuas operi addixit: & dum arctior legis Moſaicæ cultus Judaicum apud populum vigeret, quaſdam in Hieroſolymitano Templo, quod Salomonis potiſſimum ſtudio exædificatum eſt, imagines fieri, atque in eodem locari præcepit, Moyſi videlicet injungens Exod. 25. ut Arcam unà cum Propitiatorio ſtudioſa artificum manu conſtruendam curaret, cui ſacræ binorum Cherubin imagines affabre ex auro effictæ apponerentur. Serpentem inſuper æneum, Deo jubente, ut conſtat Num. cap. 21. in deſerto Moyſes conflandum curavit, poſuitque eum pro ſigno, ut quicunque in ſui pœnam ſceleris tabifico morſu percuſſus fuiſſet, ænei duntaxat ſerpentis aſpectu incolumitatem protinus conſequeretur. Typum autem, nec non rerum futurarum jam tum ſerpens ille imaginem præ ſe ferebat, & Chriſtum Dominum in Crucis elevandum ſtipitem intuentibus deſignabat: ut ipſemet Redemptor Joan. 3. manifeſtiſſimis verbis edocuit: *Sicut Moyſes*, inquit, *exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, &c.*

[Marg.: Primus imaginum auctor Deus. — Exod. c. 25. — Num. c. 21. Serpentem æneum mandato Dei à Moyſe conflatum.]

2 Quamvis autem ſubinde Ezechias Rex piiſſimus ſerpentem hunc longa poſt revoluta ſecula pietatis zelo permotus, è medio ſublatum conſtantiſſime confregerit, ut lib. 4. Reg. 18. videre eſt, haud id tamen ſacris injuriam imaginibus inflicturus præſtitit, ſed ad execrandum, uti par erat, Idololatriæ piaculum, quod omnino tolli, atque aboleri vir ſanctiſſimus peroptabat: tunc enim temporis eò dementiæ, ac impietatis Iſraëliticus populus devenerat, ut divinis effictam, atque inanem ſerpentis ejuſdem imaginem honoribus, conſuetiſque veluti Deum ipſum obſequiis impenſius coleret, & nefanda ſe Idololatrarum labe turpiter polluens, incenſum eidem adolere jugiter non dubitaret; quod D. Auguſtinus luculenter proſequitur lib. 10. cap. 8. de Civit. Dei, hæc dicens: *Quem ſane ſerpentem propter facti memoriam reſervatum, cum poſtea populus errans, tanquam idolum adorare cœpiſſet, Ezechias Rex religioſa poteſtate Deo ſerviens, cum magna pietatis laude contrivit.* Id porro ex ipſomet ſacra-

[Marg.: Serpens æneus à Rege Ezechia confractus. 4. Reg. c. 18. — Serpenti divinus honor ab Hebræis idololatris delatus. — S. Aug.]

ſacrarum paginarum textu colligitur 4. Reg. cap. 18. ubi de laudatiſſimo Rege Ezechia iſthæc conſcribuntur: *Ipſe diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes: ſiquidem uſque ad illud tempus filii Iſraël adolebant ei incenſum.* Vides hinc miro illibati pectoris, ac condigno divini cultus ſacrificio præſtito antiquam animi vere ſacerdotalis ac regii pietatem comprobatam fuiſſe.

Serpentem æneum in ſignum beneficii accepti fieri Deus mandavit, eoque nomine à ſacerdotibus is aſſervatus.

3 Hic interim lectori adnotandum eſt, ſexcentos circiter annos æneum hunc ſerpentem ad perennem impertiri beneficii memoriam ſolicito Iſraëlitici populi ſtudio reſervatum fuiſſe; quo videlicet temporum decurſu viri quamplures ſanctitatis merito inſignes extitere; religioſiſſimi item Levitici ordinis ſacerdotes; ac permulti demum eximiæ pietatis & religionis ardore conſpicui Judices, Duces ac Reges floruere, quorum tamen nemo prorſus reprehenſionis notam incurriſſe legitur, ob id videlicet, quod antiquiſſimam ſerpentis ejuſdem imaginem integram, illibatamque reſervari permiſerit, quo uſque ſerpens ille apud populum pro ſigno extitit, uti primum Deo jubente in ſublime erectus, à Moyſe oculis intuentium propoſitus fuerat: ubi vero ſupremum latriæ cultum eidem tanquam Idolo ſacrilega hominum ſuperſtitio deferre cœpit, tunc piiſſimus Rex Ezechias divini honoris tuendi gratia, ac ulciſcendæ religionis ſtimulo acriter permotus, abominandum illud idolum abolere cupiens, ſub ipſiſmet Idololatrarum oculis contrivit. Porro ſerpentem hunc, quem Ezechias confregerat, Arnulphus Mediolanenſis Archiepiſcopus à Nicephoro Conſtantinopolitano dono acceptum, quid veluti pretioſiſſimum Mediolanum detulit, ibique in D. Ambroſii Eccleſia, ad perenne myſterii haud unquam obliterandi monimentum, ad hanc uſque diem perſtat.

Serpens æneus Hebræorum Mediolani aſſervatur.

Cherubim aliæque imagines in Templo Salomonis 2. *Paral.* c. 3.

4 Quis autem neſciat Salomonis quoque mortalium omnium ſapientiſſimi juſſu imagines in Judæorum Templo, quod orbis miraculum extitit ſtudioſa artificum manu exſculptas fuiſſe? ſic enim 2. Paralip. cap. 3. his quidem verbis res ejuſcemodi deſcribitur: *Cælavit Cherubim in parietibus.* Et infra: *Fecit etiam in domo ſancti ſanctorum Cherubim duos opere ſtatuario, & texit eos auro, &c.* Sed jam ab imaginibus, quæ ab antiqui Teſtamenti patribus præcipuo cultu habitæ ſunt, ad eas, quæ nobis in nova Euangelii luce contemplandæ proponuntur, oculos, ſi libet, ac ſtylum convertamus. Quis autem ignoret peculiari recentis prærogativa Teſtamenti admirandum imaginibus cultum, gratiam, ac religionem conciliatam fuiſſe? Siquidem ipſemet Deus humana forma circumdatus ſacrarum imaginum auctor, ſua eaſdem auctoritate præmunire & comprobare dignatus eſt, cum ſui ad vivum expreſſam imaginem haud humana, ut cæteris accidit, manu, ac ulla haud arte elaboratam, ſed ab ipſomet ſapientiſſimo rerum opifice, divinæ faciei admoto velo exceptam, efformatamque ad Abagarum Edeſſenorum Regem, qui eandem avidiſſime expetierat, votis ejuſdem annuens, tranſmiſit: cujus ſane recolendam rei hiſtoriam probatiſſimi quique rerum hiſtoricarum ſcriptores luculenter enarrant; quæ ſacrorum item Conciliorum, ſummorumque Pontificum, ac Patrum teſtimonio ſuffulcitur. Ut à ſanctiſſimis autem Patribus hujus aſſertionis noſtræ vis primum derivetur, ſanctum Germanum Conſtantinopolitanum Epiſcopum adverſus impium Leonem Iſauricum Imperatorem, qui ſacris bellum imaginibus palam indixerat, acriter proclamantem, & his plane verbis, quæ eidem per præcipuum quendam è ſuis Eccleſiæ miniſtris renunciari præceperat, perſtringentem devotis auribus excipiamus: *Haudquaquam oportebat Imperator, qui tum vitam, tum imperium à Deo accepiſſes, te adverſus Conditorem tuum inſolenter extolli, &c.* Et infra poſt enarratam celeberrimæ quondam hæmorrhoiſſæ hiſtoriam, quæ, ut perpetuum grati præ ſe ferret animi teſtimonium, ac poſteris piæ itidem mentis monimentum commendaret, ſacroſanctam Chriſti Salvatoris imaginem artificum manu affabre delineandam, exſculpendamque curaverat, iſthæc ſubdit: *Ac prius etiam ab ipſomet Chriſto, ipſiſſima Patris imagine, divino linteo facies ipſius impreſſa eſt, ac Toparchæ Abagaro, id poſtulanti, Edeſſam miſſa.* Quæ quidem omnia apud Joannem Damaſcenum in ſanctorum Martyrum Stephani junioris, & ſoc. actis, à Surio quoque to. 6. 29. Novembr. relatis recitantur. Sed prolixiori ſermone idem Damaſcenus de orthodoxa fide, eadem his plane verbis enarrat: *Hiſtoria quoque proditum eſt, cum Abagarus Edeſſæ Rex eo nomine pictorem miſiſſet, ut Domini imaginem exprimeret, neque id pictor ob ſplendorem ex ipſius vultu manantem conſequi potuiſſet, Dominum ipſum divinæ ſuæ, ac vivificæ faciei pallium admoviſſe, imaginemque ſuam ei impreſſiſſe: ſicque illud ad Abagarum, ut ipſius cupiditati ſatisfaceret, miſiſſe.* Hæc Damaſcenus de portentoſa Chriſti Salvatoris imagine, haud penicillo cæterarum more excepta, ſed ipſiuſmet divinæ omnipotentiæ verbo linteis, ac tabulis impreſſa enarrat.

Chriſtus Dominus imaginem ſuam linteo mire imprimit, mittitque Abagaro.

Auctoritas Patrum, ac Conciliorum hiſtoriæ de dicta Imagine comprobandæ accedit.

S. Germ. ep. Conſtantinop.

Damaſc. in vit. S. Steph. Iun. & ſoc. mart.

S. Io. Damaſc. de Orth. fid. l. 4. c. 17.

5 Præterea, ut res Pontificia quoque auctoritate fulciatur, hic nobis ſanctiſſimi viri, Gregorii Papæ Secundi verba mente repetenda ſunt, quibus impium Leonem Iſauricum, prima ad eundem conſcripta epiſtola, merito graviterque perſtringit: *Cum Hieroſolymis, inquit ille, ageret Chriſtus, Abagarus, qui tum temporis dominabatur, & Rex erat urbis Edeſſenorum, cum Chriſti miracula audiſſet, epiſtolam ſcripſit ad Chriſtum, qui manu ſua reſponſum, & ſacram, glorioſamque faciem ſuam ad eum miſit. Itaque ad illam non manu factam imaginem mitte ac vide: congregantur illic orientis turbæ, & orant, &c.* Quæ item verba apud Baronium Annal. to. 9. anno 726. recenſentur, qui primo quoque Annalium Eccleſiaſticorum tomo, anno Chriſti 31. de conſcriptis ab eodem piiſſimo Regi, & tranſmiſſis ultro, citroque epiſtolis, de locupletiſſima inſuper earundem fide ſapienter quampluribus luculento ſermone ediſſerit. Ejuſdem itidem hiſtoriæ memoriam repetit ſtudioſiſſimus ille inter ſcriptores Theodorus Studita, oratione, quam adverſus Leonem Armenum Imperatorem Iconoclaſtam pietatis zelo incenſus exaravit, cujus verba hæc ſunt: *Quo autem divini characteris fides noſtri certior fieret, idem ipſe, qui eam gerit, Salvator noſter, ſuæ ipſius faciei oris formam, admoto ad faciem linteo, expreſſit, atque effinxit, petentique Abagaro miſit: qui divinam illam effigiem complexus, incredibilem ejus vim mox ſenſit, omnibuſque patefecit, diuturno, ac incurabili morbo, quo tenebatur, liberatus, nec magis corpore, quam animo corroboratus.* Utinam inſani, impudenteſque novatores, qui ſacrarum imaginum contemptores exiſtunt, divinitatis, quam repræſentant, imaginibus vim inſidentem agnoſcerent, & inde pharmacum ſalutis haurirent.

S. Greg. Pap. II. ep. 1. ad Leon. Iſaur.

Baron. annal. to. 9. an. 726.

Abagarus accepta imagine Chriſti, morbo incurabili liberatur.

Theod. Stud. orat. cont. Leo. Armen. annal. to. 9. an. 814.

6 Sed

drian. p. I. ep. Carol. agn. ex 3. Conc. 6 Sed hactenus enarratis adstipulator accedit Adrianus Papa hujus nominis Primus, qui epistola ad Carolum Magnum de Imagin. quæ Conciliorum tomo 3. ad verbum recitatur, & apud Baronium item Annal. to. 9. ann. Christi 769. à Stephano Papa Quarto in Lateranensi Concilio, quod eodem anno 769. celebrari contigit, de sacrosancta eadem, ac venerabili Christi imagine ad Abagarum transmissa mentionem habitam fuisse scribit; sic autem inquit: *Denique fertur ab asserentibus, quod Redemptor humani generis, appropinquante die passionis, cuidam Regi Edessæ civitatis desideranti corporaliter illam cernere, & ut persecutiones Iudæorum fugeret, ad illum convocare, ut auditas miraculorum opiniones, & sanitatum curationes illi, & populo suo impertiret, respondisset: Quod si corporaliter speciem meam cernere cupis, en tibi vultus mei speciem transformatam in linteo dirigo, per quam & desiderii tui fervorem refrigeres, & quod de me audisti, impossibile nequaquam fieri existimes, &c.* De Abagaro item Rege repetitam eadem in Synodo mentionem fuisse, ex Theodori Patriarchæ Hierosolymitani ad Romanum Pontificem epistolis, idem Adrianus affirmat. Demum in probatissimis Concilii Secundi Nicæni Actibus eadem super re satis locuples ejuscemodi testimonium habetur: *Leo religiosissimus lector magnæ, & egregiæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ dixit: Et ego indignus vester famulus cum descendissem cum regiis Apocrisariis in Syriam, Edessam petivi, & venerandam Imaginem non factam hominum manu, adorari, & honorari à populo vidi, &c.* Complures alii subinde Scriptores de memorata hactenus imagine condigne, ut par est, egerunt, Eusebius nimirum lib. 1. cap. ultimo, Nicephorus lib. 2. cap. 7. Sanctus Ephrem Edessæ Diaconus in ejus Testamento apud Palladium cap. 28. Evagrius lib. 4. cap. 26. Constantinus Porphyrogenitus in oratione coram Imperatore & clero Constantinopolitano, apud Surium ex Metaphraste To. 4. 16. Augusti, & alii, quorum verba, ac sententias, ut brevitati consulamus, haud hic recensendas duximus. Illud tamen à nobis silentio prætereundum neutiquam est, sacratissimam videlicet Imaginem hanc ab Edessenorum civitate Constantinopolim, atque in Urbem deinde translatam, condigno ad hæc nostra tempora venerationis cultu in D. Silvestri, quæ *in Capite* nuncupatur, Ecclesia, veluti divinum quid, ac perenne sacrarum imaginum monimentum pariter ac propugnaculum adversus insanos Iconoclastas asservari, & suspiciendam fidelibus, adorandamque proponi.

aron. to. an. 769. — *onc. Nic. act. 5.* — *useb. l. 1. ... c. ult. iceph. l. 2. ... S. Ephr. ... ud Pal. ... d. c. 28.* — *etaphr. ... 4. Aug.* — *mago omini ... ssa ad A- garum ... mæ as- rvatur.*

hristus ominus naginem ciei suæ ngit, & Veroni- tradit. 7 Alteram quoque Christus Dominus venerandam suimet imaginem, admoto pariter sacratissimæ faciei linteo, divinitus effinxit, dum in Calvariæ montem, cruci suffigendus ab impiis apparitoribus duceretur; quod velum postmodum Veronica sanctissima fœmina sanguineis notis, ac characteribus copiose exaratum, & sibi è Redemptoris manu haud beneficiis ac miraculis vacuum, sed portentosa Dei patientis imagine nobilitatum redditum, tanquam donarium haud ulli rei pretio comparandum fidelium obsequentium posteritati dedicavit. Sacrosancta autem ejusmodi Redemptoris imago gemmarum thesauris quibusque longe anteferenda in Vaticana Basilica, quo par est, venerationis cultu asservatur, & hoc præsertim anno Jubilæi 1650. cunctis colenda proponitur, & recolendum pariter, quisquis oculatus est testis, jure merito comprobat propheticum illud Isaiæ oraculum: *Vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatē. Et quasi absconditus vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo.* Hujus itidem imaginis quamplures gravissimi scriptores meminere, sed præ cæteris Constantinus Porphyrogenitus loco citato, sanctus Methodius Tyri Episcopus, Marianus Scotus Chron. lib. 2. & alii, quos in jam editis à Severano septem Ecclesiarum monimentis, ubi de eadem prolixe agitur, studiosus per se lector cognoscere valet. Illud postremo loco subteximus, nempe ab Urbano VIII. Pont. Max. nobili sacram hanc Christi imaginem conditorio inclusam, exornatamque fuisse, addito ipsius Veronicæ simulacro, & sacro erecto in ejusdem honorem altari, ut lapis notis hisce exsculptus legentes ultro commonefacit: *Isaiæ c. 53.* *Marian. Scot. chron. l. 2.*

SALVATORIS IMAGINEM VERONICÆ
SUDARIO EXCEPTAM,
UT LOCI MAJESTAS DECENTER
CUSTODIRET, URBANUS VIII.
PONT. MAX.
MARMOREUM SIGNUM,
ET ALTARE ADDIDIT, CONDITORIUM
EXTRUXIT, ET ORNAVIT.

8 At quoniam sacris de imaginibus sermo interim est, æneam quoque ipsiusmet Christi Domini imaginem mulier illa statuit, ac dicavit, quæ infesto profluentis quondam sanguinis morbo laborans, pristinæ sanitati reddita est: cujus sane probatam à scriptoribus historiam ipsemet Eusebius, oculatus alioqui testis, luculenter verbis hisce describit: *Mulierem illam sanguinis profluvio afflictatam, quam sanctorum Euangeliorum testimonio à Salvatore nostro morbi remedium invenisse cognovimus, ex ea civitate oriundam* (Cæsarea nimirum, seu Paneada, de qua supra disseruerat) *illiusque domum ibi ostendi, & admirabilia quædam Salvatoris in eam beneficii monumenta, & quasi trophæa ad hoc tempus durare memorant. Pro foribus enim domus illius æneam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus instar supplicantis in anteriorem partem extensis, super editum lapidem collocatam: huic è regione viri erectam imaginem ex eadem materia conflatam, vestitu ad talos demisso, decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem: ad cujus pedes in ipsa basi peregrinam quandam, & inusitatam herbæ speciem enasci, quam quidem, ubi ad ænei vestitus fimbriam excreverit, morbi cujusque generis medicandi vim, & facultatem habere. Hanc statuam, effigiem Iesu exprimere dicunt, quam ad usque nostram ætatem manentem, ipsi ad eam civitatem profecti oculis cernebamus. Nec plane mirum, eos qui ex gentilibus prognati, à Salvatore, dum inter homines vivebat, beneficiis affecti fuissent, ita fecisse, cum & nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas conservatasque aspexerimus, &c.* Hæc Eusebius, qui se rem oculis delibasse, ut cæteris deinde ejuscemodi portenta pro sacrarum imaginum cultu propinaret, manifestis verbis inculcat.

Eus. l. 7. c. 14. — Æneam Christi Domini statuam possitam, dicatamque ab Hæmorrhoissa. — Herba, quæ ad pedes ejusdem statuæ nascitur, salutifera.

9 Venerandæ item ejusdem imaginis S. Germanus Constantinopolitanus Episcopus loco supra citato meminit, ubi adversus Leonem Isauricum acerrimum sacrarum imaginum impugnatorem verba isthæc validorum instar jaculorum intorquet: *Non*

Auctoritas Conciliorum & Patrum idem confirmantium. — *S. Germ. Const. Ep.*

S. Germ. Const. Ep. *Non longe*, inquit, *abeam, post Christi in Cœlum ascensionem, mulier illa, quæ sanguinis profluvio laborabat, ab eo sanitati restituta, ipsius imaginem veluti acceptum beneficium referens, exsculpsit.* Eandem insuper imaginem miris laudibus tanquam firmissimum religiosi cultus, quod ab antiquitate petitum est, argumentum S. Gregorius Secundus ad eundem S. Germanum scribens, concelebrat: quarta enim epistola hæc ad rei propositum refert: *Neque unquam Ecclesia erravit in hoc, quod dixerit, Deum nobis imagines concessisse: neque etiam hoc ethnicam traditionem sapit. Nam & in Paneadem Civitatem hæmorrhoissæ imago in memoriam miraculi, quod herbæ excrescentes omnibus ægritudinibus auxiliares essent, celebratur, &c.* S. Greg. 2. ep. 4.

Conc. Nic. 2. act. 4. In Oecumenico pariter Nicæno Secundo Concilio Act. 4. condigna Antipatri Bostrensis Episcopi relatio subtexitur, quæ sat nobile antiquissimæ ejusdem imaginis testimonium in hæc verba præ se fert: *Georgius diaconus & notarius sacri Patriarchatus legit: ex oratione de muliere sanguinis fluore laborante Antipatri Episcopi Bostrorum, cujus initium:* Quia Judæorum vocationem primum docuit scripturam: *Et paulo post. Hæc salutares fimbrias attingens, Regem naturæ velut retinens Dominum allocuta est, vehementiamque passionis illi exponens, postquam gratiam nacta fuisset, statuam Christo erexit. Cum autem substantiam in medicos omnem erogasset, quicquid habebat reliqui, Christo applicavit. Sanctissimus Patriarcha dixit: Quemadmodum columnarum depictarum imaginem Christo adsignat, eodem modo & Hæmorrhoissa illa statuam, &c.* Nicen. Conc. Act. 4. In celeberrimo item eodem Concilio Act. 7. Epiphanius Sardinensis de eadem imagine disertissimis verbis loquens hæc ait: *Quod autem cum multis aliis, quæ in Ecclesia servantur sine scriptura, nobis imaginum veneratio tradita sit, ab Apostolorum temporibus late per historiam traditum est, de imagine maxime Hæmorrhoissæ, quæ multis scriptoribus confirmare possumus.* Conc. Nic. act. 7. Epiph. Sard.

Julianus Apostata sustulit statuam Christi Domini, & suam loco ejus posuit.

10 Quæ augustissima inter reliquas recolendæ antiquitatis imago ad trecentos & amplius annos, ad impii, ac sacrilegi Juliani videlicet Apostatæ tempora, integra adhuc, atque illibata permansit: donec scelestissimus ille Apostata eandem, ut suam ibi reponeret, temerario quidem ausu, sed haud impune, deturbavit, quod totum his plane à Sozomeno verbis enarratur: *Illud porro dicetur à me, quod etiam regnante Iuliano accidit, quod quidem, ut Christi potentiam plane indicat, ita iram divinam adversus Imperatorem accensam evidenter ostendit. Cum certior factus esset Cæsareæ Philippi (est ea quidem urbs Phœnitiæ, quam Paneadam vocant) præclaram esse Christi statuam, quam mulier, quæ sanguinis profluvio laborabat, cum esset morbo liberata, ibi collocaverat, eam deturbavit, suamque in eo loco posuit. Quo facto, ignis violentus de Cælo delapsus, statuam illam circiter pectus persecuit, caputque unà cum collo in terram dejecit, atque in faciem humi ea in parte defixit, quæ fuerat à pectore divulsa. Ex quo quidem tempore ad hodiernum diem atra, atque fulminis ictu ambusta manet. Id temporis igitur Gentiles statuam Christi tanta cùm violentia trahebant, ut eam confringerent. At Christiani postea ejus fragmenta cum collegissent, in Ecclesia posuerunt, ubi adhuc servantur, &c.* Hæc Sozomenus, quæ pariter in sancti Artemii apud Surium Actis to. 5. die 20. Octobris, & apud Nicephorum lib. 10. & alios prolixius recitantur. Soz. l. 5. c. 20. Illa Iuliani statua fulmine dissipata. Sur. to. 5. die 20. Octob. Niceph. l. 10.

Apostoli cultum imaginum præcipiunt.

11 Quod autem ad sacrarum imaginum tam cultum, quam antiquitatem spectat, haud in novo Testamento primus dumtaxat earumdem auctor, & institutor, ut vidimus, ipsemet Christus Dominus pronuntiandus est, sed & beatissimos insuper Apostolos, ut eædem in Ecclesiæ decorem coloribus affabre pingerentur, præcepisse ex Antiochena, quæ Apostolorum dicitur, Synodo constat, ubi ejuscemodi Canon recensetur: *Ne decipiantur salvati ob idola, sed pingant ex opposito divinam humanamque manufactam impermixtam effigiem Dei veri, ac Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, ipsiusque servorum, contra idola, & Iudæos, neque errent in idolis, nec similes sint Iudæis.* Porro idem Canon à Gregorio Pessinuntis Episcopo in eodem Secundo Concilio Nicæno Act. 1. recitatus legitur, ejusdemque Innocentius Papa primus epistola 18. ad Alexandr. Episcopum meminit: Turrianus quoque contra Magdeburgenses lib. 1. cap. 21. De eodem in suis Ecclesiasticis Annalibus Baronius tom. primo ann. 57. & alii sermonem faciunt. Et Concilia easdem imagines approbant. Syn. Antioch. Innoc. Pap. I. ep. 18. Turrian. l. 1. c. 21. Baron. annal. to. 1. an. 47.

12 Nostri autem instituti propositum ex Act. 2. ejusdem Concilii secundi Nicæni comprobatur, ubi isthæc exponuntur: *Euthymius sanctissimus Episcopus Sardi dixit: Et ego polliceor, & confiteor ita me sapere de orthodoxa fide, quam de sanctissimis iconibus, non quasi quiddam novum dogma admittens, sed tanquam certissime sciens de illis traditionem sanctorum Apostolorum, & sacratissimorum magistrorum, qui has reliquerunt in sancta Dei Ecclesia, constitutam, &c.* Nic. Conc. 2. Baron. to. 1. ann. 57. In recolendis vero beatissimi Nicetæ confessoris apud Surium Actis hæc de perantiquo sacrarum imaginum cultu Euthymius Episcopus Sardinensis apud Leonem Armenum Imperatorem Iconoclastam perorasse legitur: *Audias Imperator, ex quo tempore Christus in terram descendit, usque ad hunc diem, per octingentos annos, & amplius in Ecclesiis, quæ ubique gentium sunt, Christus ipse depingitur, & in imaginibus adoratur. Et quisnam tam arrogans est, qui audeat tot annorum traditionem, à sanctis Apostolis, & martyribus, ac piis Patribus profectam dissolvere, vel paulullum movere, &c.* Sur. to. 2. Ap. Audiant Novatores, qui nova nunc superstitionum in Ecclesiam commenta, imo potius portenta, antiquis rejectis, conculcatisque orthodoxæ fidei dogmatibus inducere, ac stabilire conantur.

13 Quis igitur, dummodo pius, ac sani judicii, tot jam seculorum curriculis usu receptam, obfirmatamque sacrarum imaginum venerationem quoquo modo in controversiam revocare ausus fuerit, cum sub ipsamet exurgentis Ecclesiæ primordia sacratissimum ritum hunc in candidis fidelium animis coaluisse, ac sedem pariter fixisse noverit. Imago Christi Domini à S. Luca depicta. Lucas enim Euangelicus scriptor, qui Christi ortum, atque infantiam, necnon Ecclesiæ, quæ per totum postmodum orbem diffusa est, incunabula luculenter describit, venerandam quoque ipsiusmet Redemptoris nostri imaginem coloribus affabre delineando effinxit, ut earundem imaginum cultum jam tum sua auctoritate comprobare, & Euangelici oraculi calamo contra vesanos insurgentium hæreticorum impetus ab omni prorsus injuria vindicando præmuniret. Quod præcipue testatur D. Gregorius Constantinopolitanus contra Leonem Isauricum loco, quem supra recitavimus, & Theodorus item Studita oratione contra Leonem Armenum, qui disertis verbis in rem præsentem hæc scribit: *Lucas vero, qui sacrum composuit Euangelium, cum Domini pinxisset imaginem, pulcherrimum, & pluris faciendum opus posteris reliquit, &c.* S. Greg. Const. in Leon. Isaur. S. Theod. Stud. lib. collect. Porro quis nesciat, dummodo

modo rerum Ecclesiasticarum notitiam probe teneat, à beatissimo eodem Luca Euangelista pietatis ergo alias quamplures Deiparæ Virginis imagines sua manu pictas, elaboratasque fuisse; quarum alteram ab Eudoxia Imperatrice ad Pulcheriam Augustam dono transmissam Theodorus Lector collect. lib. affirmat: harum vero aliquot tum in variis Romanæ Vrbis Ecclesiis, tum in cæteris Christiani orbis regionibus velut nobilissima recolendæ antiquitatis monimenta, ac validissima sacrarum imaginum, earundemque cultus propugnacula merito venerationis cultu à fidelibus, hæreticorum invadentium oculis objiciendæ, servantur.

14 Dignissimas item Apostolorum, ac sanctorum Christi martyrum, & confessorum imagines sub ipsiusmet Ecclesiæ ortum pennicillo adumbratas, coloribusque expressas fuisse disertis verbis Gregorius Secundus epistola prima, quam ad Leonem Isauricum scripsit, hæc dicens probat: *Qui Dominum cum viderent prout viderant venientes Hierosolymam, spectandum ipsum proponentes depinxerunt: cum Stephanum Protomartyrem vidissent, prout viderant, spectandum ipsum proponentes depinxerunt: cum Iacobum Domini vidissent, prout viderant, spectandum ipsum proponentes depinxerunt: & uno verbo dicam, cum facies martyrum, qui sanguinem pro Christo fuderunt, vidissent, depinxerunt.* Hæc Gregorius sacrarum imaginum originem, atque institutum describens; qui & secunda ad eundem epistola isthæc subtexit: *Quid enim nostræ sunt Ecclesiæ? nonne res manufactæ? verum picturis, historiisque miraculorum à sanctis editorum, & Christi passionum, ac sanctæ Matris ipsius gloriosæ, sanctorumque Apostolorum exornatæ sunt, & in historias, ac picturas homines facultates suas consumunt.* Hæc ille pro sacris imaginibus diserte uno Catholicorum omnium ore perorasse visus est. Verum haud hic interim lectori subticendum videtur, quod potissimum Eusebius ipse testatur, beatissimorum videlicet Petri & Pauli Apostolorum imagines olim, dum iidem adhuc in terris degerent, pictorum manu coloribus diligenter expressas fuisse, easdemque ad posteros quasi manu transmissas fideliter devenisse. Excipe igitur studiosis auribus lector ejusdem Eusebii verba: *Nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas, conservatasque adspeximus: idque propterea quod majores nostri ad Gentilis consuetudinis similitudinem quamproxime accedentes, eos qui tanquam salvatores illis fuissent* (id est, qui illis aliquid salutis & subsidii attulissent) *apud se honore in hunc modum afficere consueverat.* hæc ille. Porro prætermemoratæ Apostolorum imagines in Vaticana adhuc Basilica ad retundendam impiorum Iconoclastarum audaciam, & ad irritos pronunciandos quoscunque eorundem conatus, integræ illibatæque extant, quas beatus Silvester Papa Constantino Imperatori pristinæ eorundem ope sanitati reddito conspiciendas, venerandasque obtulit. Earundem præ cæteris Adrianus Papa Primus epistola ad Constantinum, & Irenem expresse meminit. Illud item sanctus Joannes Chrysostomus oratione pro Meletio habita, de semetipso testatur, quod cum vel lectioni, vel operi cuiquam scribendo vacaret, expositam beatissimi jugiter Apostoli Pauli imaginem ob oculos habere consueverit.

15 Verum de cæteris sanctorum imaginibus haud pauca ex antiquis rerum excerpta promptuariis exempla suppetunt, nec locupletissima desunt scriptorum quamplurium testimonia, quibus assertionis nostræ veritas satis superque roboratur. Memoria interim repetenda sunt, quæ Venantius Fortunatus præcipue in conscriptis beati Martini gestis de eodem hisce olim carminibus cecinit:

Hic paries retinet sancti sub imagine formam,
Amplectenda ipso dulci pictura colore.
Sub pedibus justi paries habet ante fenestram,
Lychnus adest, cujus vitrea natat ignis in urna.
Huc ego dum propero, &c.

Prudentius item de recolenda B. Mart. Cassiani imagine, pari quidem eruditione, ac pietate carmina hæc exaravit:

Dum lacrymas mecum reputo, mea vulnera & omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina,
Erexi ad Cælum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago Martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus, &c.

Et infra hæc apte ad rem subdit:

Æditu us consultus ait: Quod prospicis hospes,
Non est inanis, aut anilis fabula.
Historiam pictura refert, quæ tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem.

Porro quod ad sacras imagines spectat, Adrianus Papa hujus nominis Primus in jam laudata ad Carolum Magnum epistola, Cælestinum notæ sanctitatis Pontificem, qui anno Domini quadringentesimo vigesimo quarto Ecclesiam rexit, sacris quidem imaginibus Cœmeterium, quod extruxerat, exornasse his verbis affirmat: *Iterum*, de sancto 3. Concil. *sanctus Cælestinus Papa proprium suum Cœmeterium picturis decoravit, &c.*

16 Præclarum vero est, ac perenni memoria dignum, quod S. Joannes Damascenus perantiquo sacrarum imaginum usui testimonium affert oratione tertia de eisdem Imaginibus, ex vita sancti Basilii his quidem verbis: *Quod autem imaginum institutio non nova, sed prisca sit, & apud sanctos, & eximios Patres nota & usitata, disce ex iis, quæ in vita Basilii ab Helladio ejus discipulo, in Pontificatuque successore scripta sunt. Pius enim vir, ut ipse narrat, Dominæ nostræ astabat imagini, in qua Mercurii etiam celebris Martyris figura descripta erat. Astabat autem supplicans, ut impius Iulianus Apostata tolleretur. Ex qua quidem imagine didicit, quod esset eventurum. Vidit enim martyrem exiguum ad tempus obscurum, non autem multo post hastam cruentam tenentem, &c.* Eadem plane beatissimi Mercurii martyris manu, teterrimi Juliani Apostatæ impietatem vindicantis è Cælo præstita in ejusdem S. Basilii gestis, quæ sub Amphilochii nomine circumferuntur apud Sozomenum histor. lib. 6. cap. 2. & Niceph. lib. 10. cap. 34. & 35. ut omnimoda sit lectori fides, ejusdemque plane argumenti verba recitantur.

17 His autem ad magis magisque comprobandum venerandarum cultum imaginum subtexere libet, quæ conspicuæ vir sanctitatis Theodorus Studita, oratione contra Leonem Armenum, quam supra retulimus, affert, nimirum post Lucam Euangelistam pingendi arte egregie excultum, ac de re sacra optime meritum, alios insuper sacris pennicillo efformandis imaginibus operam contulisse; hæc sunt autem ejusdem verba: *Aliique Dei nutu quamplurimas imagines sacras affatim effingendo, publice, consignatum eorum cultum conservarunt: nec locus ullus est, non regia, non domus, in qua*

Imagines Virginis Deiparæ à Luca depictæ.
Apostolorum imagines.
Greg. 2. ep. 1. ad Leon. Isaur.
In Greg. ep. 2. ad Leon. Isa.
Euseb. hist. lib. 7. c. 14.
Imagines Apostolorum in Vaticano asservatæ.
Adr. Pap. ep. ad Constant.
Chrys. orat. pro Me-
Ven. Fortun. l. 4. in vit. S. Mart.
Prud. de S. Cassian. Historia Cassiani depicta.
S. Cælestinus Papa Cœmeterium picturis adornavit.
S. Basilius ex imagine S. Mercurii mortem Juliani Apostatæ intelligit.
S. Io. Damasc. 3. or. de Imag.
Sozom. hist. l. 6 c. 2. Niceph. l. 10. c. 34. & 35.
Cultus imaginum aliis argumentis comprobatur.
Theod. Stud. or. cont. Leon. Armen.

divinæ imagines affixæ non sint. Et paulo infra: *Annis igitur octingentis, & eo amplius promulgatam, & ab omnibus receptam, atque confirmatam imaginum venerationem, tanquam unà cum Christianismo auctam, & propagatam, uno siquidem, parique gressu incesserunt Christianismus, & imaginum efformatio. Tu nunc temporis momento, solaque pro animi tui libidine tollenda è medio censuisti? &c.* Vides quo studio, qua contentione sacræ jugiter in orthodoxæ Ecclesiæ sanctuario imagines Christianorum manu appensæ, ac dedicatæ sint? Intelligis quot, & quantos antiquus earundem cultus catholicæ adstipulatores veritati obtineat? ut jure merito pro eisdem sancti Patres, cum res exigeret, calamo, & penicillo non secus, ac gladio certatim dimicare non dubitaverint.

Concilia, & Patres usum, cultumque imaginum tuentur.

18 Innumeræ quippe sanctorum Patrum, atque Oecumenicorum Conciliorum miri ponderis sententiæ ex antiquis rerum historicarum promptuariis suppetunt, quæ hic de recolendo imaginum usu coacervari, ac in medium proferri queunt, & ex Nicæno Secundo præsertim Concilio, ubi in singulis fere Oecumenicæ Synodus ejusdem Actionibus de iisdem passim agitur: verum cæteris omnibus silentio obvolutis, ea hoc potissimum loco meminisse sufficiat, quæ in sexta Concilii ejusdem Actione his verbis leguntur: *Epiphanius ait: Vtinam erubescant, cum in priscos Christianorum mores inspiciunt, qui nunc dici volunt hoc nomine: sane non damnarent picturarum apparatum, qui ab eo tempore fuit, quo prædicatum est Euangelium. Nam ab eo tempore, quo celebrata est sacrosancta Synodus, usque ad conciliabulum, quo hi convenere, qui contra sacras imagines steterunt, non plus quam septuaginta anni lapsi sunt. Omnibus autem notum est illis annis sanctorum picturas non fuisse contemptas: omnibus, inquam, notum est, verum ab illis temporibus, immo, ut verius loquar, ab Apostolorum prædicatione extiterunt, &c.* Parem igitur, ut ex dictis liquet, venerationem sacris imaginibus, ac ipsismet Euangelicis tabulis antiquitas ipsa conciliat, & fidelium animis æquo studio utraque colenda, & excipienda suadet. In præmemoratis autem Concilii actis hæc infra: *Videmus igitur omnes, & intelligimus, quod & ante sacras sex Synodos, & post has etiam sanctorum picturæ in Ecclesiis traditæ fuerint, non aliter ac sacra Euangelia. Nam quæ leguntur, ubi ad aures venerint, ad animum deinde legamus, & transmittimus, & quæ oculis videmus in picturis, ea quoque mente complectimur, atque ita per duo ista invicem consequentia, lectionem, inquam, & picturam, unam cognitionem acquirimus, qua ad recordationem rerum gestarum pervenitur.* Hæc ibi, quibus profecto sacrarum imaginum antiquitas, & cultus itidem, ut videre est, locupleti testimonio convincitur. Demum propositi nostri assertio, ut uno verbo rem conficiamus, aurea illa, intimisque imprimenda præcordiis Isidori Pelusiotæ sententia comprobatur, quæ in prima ejusdem Concilii actione, ingenti quidem omnium plausu excepta est, & à Gregorio Pessinuntis Episcopo, & deinde ab eodem Joanne Damasceno eadem oratione tertia velut divinæ vocis oraculum summopere celebratur, his plane verbis contenta:

Conc. Nic. 2. Act. 6. to. 1.

Aurea Pelusiotæ, & lo: Damasceni de usu Imaginum in templis sententia.

Templi nulla ratio, quod non coronat imago.

Et hæc passim de antiquo sacrarum imaginum cultu orthodoxi Patres peroraffe visi sunt, quibus pro corona Lactantii & Paulini sacras Cœmeteriales Templorum imagines adumbrantium carmina isthæc inscribimus. Lactantius enim antiquissimus inter scriptores, ut Baronius in suis Annalibus ait, Redemptoris cruci affixi imagines in Templis repræsentari consuevisse his carminibus refert:

Lact. carm. de pass. Dom. Bar. to. 2. ann. an. 57. n. 117.

Quisquis ades, mediique subis ad limina Templi
Siste parum, insontemque tuo pro crimine passum
Respice me, me corde, animo, me pectore serva.
Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos,
Huc veni.

Huic pariter Paulinus iisdem plane sententiis subscribit, cum de Basilicis picturis excultis in hæc verba loquitur:

Paulin. ep. 12. ad Sever.

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare crucem, duro spondentem celsa labori
Præmia, tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Crux igitur in Templis Christianorum veluti laborum corona affabre pingi consuevit, & hanc nos interim pro sacrarum imaginum cultu nostris hisce paginis triumphalem veluti coronam perpetuo suspiciendam affigimus. Si quis vero plura de sacris imaginibus nosse cupit, Baronium in Ecclesiasticis Annalibus prolixius pro eisdem perorantem consulat. & de his hactenus.

CAP. V.

Quid sacrarum cultus Imaginum fidelibus præstet.

1 De sacris quidem imaginibus, quibus Christianorum templa, & sacra item Cœmeteria splendide instruuntur, atque exornantur, ac de saluberrimo item earundem usu (quod instituti ratio postulat) nunc verba facturi, hic præmittenda quidem à nobis foret enarratio, tum de jugiter præstito recolendis imaginibus venerationis obsequio, tum de acerrimis æque ac diutinis contra pios earundem cultores hæreticorum conatibus: de condignis item pœnis à Deo vesanam impugnantium temeritatem vindicante inflictis; & de quampluribus aliis, quæ ad instituti propositum quoquo modo pertinent, sermonem prætexere opus foret. Verum cum plerique sanctorum Patrum, ac probatæ scriptores fidei refertos admodum de eisdem tractatus ex professo ediderint, ut brevitati consulamus, quid potissimum emolumenti Christianæ reipublicæ ejuscemodi cultus conferat, & quantum ad fidei incrementum fidelium animis conciliandum proficiat, paucis, demonstrare conabimur. Primum autem quod ad venerationem attinet, quæ iisdem impenditur, nullus profecto Catholicorum est, qui nesciat, haud in materiam, quæ sacris imaginibus substat, sed in earundem prototypum, & in id, quod aspicientium oculis, ac mentibus pariter repræsentatur, cultum hunc, ad suum velut terminum ferri, ut apertissimis verbis in septima præmemorata Concilii Nicæni secundi actione præ cæteris dicitur; & novissime sacrosancti Tridentini Concilii auctoritate sessione 25. de veneratione, hujuscemodi edito canone sancitum est: *Mandat Sancta Synodus omnibus Episcopis, &c. ut juxta Catholicum & Apostolicum Ecclesiæ usum à primævis Christianæ religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, & sacrorum Conciliorum decreta, in primis de sanctorum intercessione, invocatione; reliquiarum honore, & legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, &c.* quibus enarratis hæc paulo infra subjiciuntur: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum sanctorum in templis præser-*

Quis sacris Imaginibus cultus, ac quomodo deferendus.

Conc. Nicen. act. 7.

Conc. Trid. sess. 25. de vener.

præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, qui in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui in eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur: id quod conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ Synodi decretis contra imaginum impugnatores sancitum est, &c. Isthæc sunt, quæ Concilium Tridentinum pro sacris imaginibus in Ecclesia colendis, retinendisque, ac de sacro & catholico earumdem cultu patentissimis verbis decrevit.

[…]uæ nam […]mmoda […]acris I- […]aginibus […]deles per- […]piant?

2 Verum ut singula opportune discutiamus bona & commoda, quæ à sacrarum cultu imaginum Christiano orbi proveniunt; & de quibus hoc præsertim loco sermonem instituimus, gentilitiæ quoque superstitionis homines ex ipsismet detestandæ idololatriæ imaginibus, quas colebant, accepta probe norunt, ac passim edisserendo cæteris contestati sunt. Quamobrem Cicero Catilin. 3. id hunc in modum exponens legitur: *Tum ostendi Tabellas Lentulo, & quæsivi, cognosceretne signum? Annuit. Est vere, inquam, signum quidem notum: imago avi tui clarissimi viri, qui amavit unice patriam & cives suos: quæ quidem te à tanto scelere etiam muta revocare debuit.* Intelligebat quippe acuti vir ingenij, ac eruditionis eximiæ ipsasmet proborum hominum petitas ab antiquitate imagines, oculis intuentium atque animis virtutum exempla, ac præclarissimorum facinorum memoriam ingerere, & alia quamplura ex earundem aspectu mortalibus commodorum emolumenta obvenire.

[…].c.Ca- 3.

[…]cilia, […]atres […]arum […]ginum […]um ap- […]bant.

3 Sed, quæso lector, ab ethnicorum promptuarijs, ut res nostræ validioribus argumentis obsirmentur, ad sacrorum Conciliorum propugnacula, & ad sanctorum Patrum auctoritatem, quæ vim antiquis Ecclesiæ moribus ac ritibus affert, confugiamus, quibus exploratissimum quidem est, fidelium animos sacrarum imaginum aspectu Christianam pietatem, & devotionis affectum mirifice edoceri, ad sectanda sanctorum vestigia incitari jugiter, ac mentes eorum, qui in terris degunt, facili negotio ad cælestia altius contemplanda oculorum duntaxat obtutu sublevari, & demum, ut uno verbo singula complectar, tantumdem utilitatis ex ipso piarum imaginum aspectu percipi, quantum ex probatissimis quibusvis libris, eorumque lectione provenire consuevit; quod ut palam studioso lectori innotescat, nonnullas hic antiquorum Patrum sententias, ac recolenda orthodoxorum Conciliorum decreta in medium proferemus.

[…]go […]i […]odori […].

4 Ut huic autem enarrationi vela pandantur, primo quidem loco repetenda nobis videntur, quæ disertissimus vir Gregorius Nyssenus oratione in Theodorum Martyrem egregie peroravit, ubi post narratam templi, quod Martyri dicatum fuerat, amplitudinem, in quo pariter suspicienda beati ejusdem Theodori mart. acta picturis affabre expressa cernebantur, isthæc subnectit. *Pictor artis suæ flores in imaginibus exprimens, res Martyris præclare gestas, labores, cruciatus, immanes tyrannorum aspectus, impetus, ardentem illam, & flammas evomentem fornacem, beatissimum athletam, Christique certamini præsidentis, ac præmia dantis humanæ formam imaginis. Hæc, inquam, nobis tanquam in libro loquente, artificiose describens, Martyris certamina sapienter exposuit. Novit enim etiam pictura tacens in parietibus loqui, & utilitatis plurimum afferre.* hæc ad rei nostræ propositum Nyssenus. Magnus quoque Basilius homil. in xl. Martyres Gregorio in hæc verba subscribit: *Nam magnifica in bellis gesta & oratores sapientissimi, & pictores pulcherrime demonstrant; hi oratione, illi tabulis describentes atque ornantes, amboque plures ad fortitudinem imitandam inducentes. Quæ enim sermo historiæ per inductionem, eadem & pictura tacens per imitationem ostendit.* Picturis igitur tacita vox inest ad promenda fidei arcana, & ad Martyrum Christi certamina condignis laudibus provehenda & quod eloquio Rhetores, hoc visu sacræ piorum mentibus imagines præstant.

[…]eg. […]or. in […]eod.

Pictores Tabulis idem quod oratores verbis præstant.

S. Basil. hom. 20. in SS. quadraginta mart.

5 Quod plane disertis verbis laudatissimum illud Ecclesiæ lumen Gregorius Magnus in suis epist. asserit, dum Serenum Massiliensem Episcopum, qui impio temeritatis ausu venerandas sanctorum imagines confregerat, acriter perstringens, hæc adversus petulantem hominem verborum jacula intorquet: *Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent.* Codices igitur ac picturæ in Ecclesiæ sanctuario parem vim ad imperitorum animos edocendos, commonendosque obtinent. Sed Gregorio Magno pro sacris imaginibus alter eximiæ sanctitatis Gregorius Papa Secundus adstipulator accedit, qui prima ad Leonem Isauricum epistola iis, quæ supra recitavimus, ad sacras tuendas imagines isthæc subinfert: *Dicis nos lapides & parietes ac tabellas adorare: non est ita, ut dicis, Imperator, sed ut memoria nostra excitetur, & ut stolida & imperita, crassaque mens nostra erigatur, & in altum provehatur per eos, quorum hæc nomina, & quorum appellationes, & quorum hæ sunt imagines, &c.* Lapides quippe, tabellæ, ac parietes, qui sanctorum gesta coloribus adumbrata præseferunt, nos ad eorumdem memoriam, imitationemque salubriter, efficaciterque promovent. At isthæc de imaginibus exposuisse Gregorius Pont. haud satis ratus, secunda ad Imperatorem eundem conscripta epistola de antiquissima Christianorum usu recepta consuetudine, pueros videlicet sacrarum imaginum ostensione erudiendi, hæc affert: *Quid enim,* inquit, *nostræ sunt Ecclesiæ? nonne res manufactæ, lapides, ligna palea, lutum & calx: verum picturis, historiisque miraculorum à sanctis editorum, & Christi passionum, & sanctæ gloriosæ Matris ipsius, sanctorumque Apostolorum exornatæ sunt; & in picturas & historias homines facultates suas insumunt, & pueros parvulos nuper baptizatos in ulnis suis tenentes; itemque florentes ætate juvenes, & ex gentibus diversis profectos; viri, mulieresque indicatis digito historiis eos ædificant; eorumque mentes, & corda sursum ad Deum erigunt.*

Imagines sacræ in Ecclesiis quem usum præstent?

S. Greg. lib. 7. ep. 110.

S. Greg. Pap. 2.

Idem.

Pueri, & rudes ostensis picturis ad imitationem bonorum accenduntur.

6 Porro de iisdem pueris sacrarum imaginum exhibitione Christianæ fidei rudimenta edoctis, & religionis orthodoxæ dogmatibus, nec non pietatis ac opportuno reliquarum virtutum alimento veluti parvulis lacte imbutis Gregorius, quem meminimus, jam pridem ad ipsummet Leonem scripserat, admirandum eorundem animi ardorem his plane notis eleganter adumbrans: *Obito,* inquit, *scholas eorum, qui elementis imbuuntur, & dic: Ego sum eversor, & persecutor imaginum; & confestim tabellas suas in caput tuum projicient.* En ut Christiana pietas

Zelus puerorum contra Iconoclastas.

S. Greg. ep. 1. ad Leon.

tas

tas ipsis infantium animis insidens, sacrarum imaginum propugnatores efficit, eorumque imbelles dexteras in religionis obsequium armat.

S. Gregorius II. adspectu sacrarum imaginum in pietatem fertur.
Id.

7 Quod autem quique fidelium pietatis affectum, ac ipsammet devotionis gratiam è sacris jugiter imaginibus haurirent, idem Gregorius in epistola, quam supra laudavimus, de seipso loquens, hæc scribit: *Nos ipsi cum Ecclesiam ingredimur, & miraculorum Domini nostri Iesu Christi picturas contemplamur, ac sanctæ Matris ejus, Dominum Deumque nostrum lactentem in ulnis habentis, angelosque circumstantes, ac ter sanctum hymnum canentes, non sine compunctione regredimur.* Consulendus item nobis est Adrianus Papa Primus epistola ad Carolum Magnum, cui sacras ille dono imagines transmiserat, qui earundem cultum egregie inculcat: *Dum nobis*, ait, *illa pictura, quasi scriptura ad memoriam fidelium Dei reducit, animum nostrum, aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet.* Utinam fideles Gregorii permoti exemplo, venerandas Christi imagines haud curiosis dumtaxat oculis, sed osculis, ac piis quoque animi motibus delibare, ac pertingere contendant.

Adrian. Pap. I.

S. Io. Damascenus plus emolumenti ex imaginibus, quam è libris se percipere asserit.

S. Io. Damasc. or. 1. de imag.

8 Sed quæso, pie lector, Joannem Damascenum præcipuæ sanctitatis virum constantissimum utique præ cæteris sacrarum imaginum propugnatorem, diserte ac jugiter pro earundem cultu perorantem audiamus. Hic etenim de proficuo earundem usu sermonem instituens, satis superque piorum hominum consuetudinem ingerit, atque commendat: *Imagines*, inquit, *sunt monimenta quædam. Etenim illiteratis hominibus hoc sunt, quod literatis libri, & quod auribus oratio est, idem est oculis imago.* Et hæc infra ad rei propositum subtexit: *Quibus verbis clarius demonstrari potest imagines apud homines illiteratos, ac rudes, esse veluti libros, & sanctorum honoris esse minime mutos buccinatores: quippe quæ tacita quadam voce doceant, aspectumque sanctum reddant. Ego, cui nec suppetit librorum copia, nec legendi spatium, quique rationum, & argumentorum aculeis tanquam spinis enecari me sentio, in communem animorum medicamenta continentem officinam, hoc est Ecclesiam, ingredior. Ad spectandum me alliciunt picturæ flores, ipsæ tanquam in prato oculos meos oblectant, sensim instillant animo gloriam Dei. Contemplor fortitudinem martyrum, coronarum præmia considero, & tanquam igne incendor æmulandi cupiditate, atque prostratus, & supplex per martyrem, Deum adoro, salutemque percipio.* Idem insuper Damascenus lib. de orthodoxa fide idipsum constanter repetit, dicens: *Verum quia non omnibus hoc contigit, ut literas norint, ac lectioni operam impendant, idcirco sanctis Patribus visum est, ut refricandæ quamprimum memoriæ causa, hæc tanquam præclara quædam trophæa in imaginibus pingantur.* Huc usque Damascenus, strenuus pro antiquo venerandarum imaginum cultu propugnator. Præmemoratis autem Patribus Beda quoque mirum in modum adstipulatur, dum libro, quem de Salomonis Templo conscripsit, ista hæc ait: *Imaginum aspectus multum compunctionis solet præstare contuentibus, & eis, qui literas ignorant, quasi vivam Dominicæ historiæ pandere lectionem.* Rudes igitur, qui pietatem addiscere, & arcana fidei mysteria haurire cupiunt, sacras, librorum, ac scripturarum instar, picturas consulant.

Io. Dam. l. 4. de orthod. fide.

Beda l. de Templo Sal. c. 19.

9 Denique ut valida Conciliorum auctoritas sanctorum Patrum sententiis clypei, & coronæ instar accedat, in ipso quoque Concilio Secundo Nicæno frequenter admodum de bonis, quæ ab imaginum usu orthodoxorum menti proveniunt, differitur, sed præcipue in Act. 4. ubi Gregorius Diaconus D. Gregorii Nysseni testimonium in medium protulit, de picta videlicet Abrahæ historia Isaac dilectissimum ultro immolare satagentis, cujus quidem tabulæ aspectu, in lacrymas confestim prosilire cogebatur: ejus igitur verba libenti aure excipiamus: *Vidi sæpius inscriptionis imaginem, & sine lacrymis transire non potui, cum tam efficaciter ob oculos poneret historiam.* Quæ quidem Nysseni verba, ubi primum Joannes monachus audiisset, factum admirans, in hæc protinus verba exclamavit: *Si tanto doctori historia inspecta peperit utilitatem, & lacrymas, quanto magis rudibus, & idiotis utilitatem?* Hoc ipsum cum secum animo Theodorus Episcopus studiose pervolveret, sacrarum vim imaginum, atque emphasim contestatus, isthæc constanti corde, ac libero ore pronunciavit: *Si Gregorius vigilantissimus ad divina oracula, inspecta historia Abrahæ flevit, quanto magis æconomia incarnati Domini nostri Iesu Christi Verbi Dei nostri à nobis inspecta ad lacrymas, & utilitatem contemplantes nos adhortabitur?* Vides uberrimos è venerandarum imaginum fonte, bonorum omnium, & ipsos lacrymarum rivos promanantes.

Conc. Nic. II. act. 4.

S. Gregorius Nyss. Historiam Abrahami, & Isaac pictam intuens lacrymas continere nequit.

Greg. Nyss. de sac. imag.

10 Haud hic tamen silentio obvolvenda sunt, quæ in Act. 4. Nicæni Concilii Secundi, quod jam supra citatum est, exponuntur, ubi à Cosma Diacono, & cubiculario egregium sanctitati beati Nili, & imperterrito, constantique ejusdem animo testimonium condigno in medium præconio prolatum fuisse legitur, qui Olympiodorum Proconsulem eam ob causam acriter perstrinxerat, quod profanas intra ambitum Ecclesiæ imagines coloribus exprimi permisisset, quem salubriter deinde monuit, ut sacras ibidem efformandas toto animi studio curaret. Sed præstat interim ipsamet Concilii verba pio lectori suggerere: *Cosmas sanctissimus diaconus, & cubicularius accepto libro, legit eisdem B. Patris nostri Nili ad Olympiodorum Proconsulem verba. Novi & veteris Testamenti historiis hinc inde parietes Templi impleri, doctissimi pictoris opera velim: quo scilicet hi, qui litteras non norunt, neque sacram Scripturam legere queunt, contemplatione picturarum in memoriam reducant, quinam germane vero illi Deo per fortia facta servierunt.* Quod cum Adriani Papæ legati percepissent, hæc dixerunt: *Tale etiam, qui nunc quiescit, Constantinus fecit. Nam cum templum Romæ Salvatoris extruxerit, in utroque pariete templi, historiam veteris & novi Testamenti inscripsit: hinc quidem Adam exeuntem paradisum, illinc verò latronem paradisum ingredientem.* Quod sapienti quidem consilio novissimis temporibus servatum est, dum sacrosanctam Lateranensem Basilicam à Constantino olim exædificatam, quæ ruinis patebat, ab Innocentio X. Pont. Max. qui feliciter nunc in Petri Cathedra sedet, splendide instaurari contigit. A lateribus quippe ejusdem Basilicæ, cujus vetustatem haud omnino solvendam, at diligenti opera, & studio reparandam esse Anno Jubilæi quinquagesimo supra millesimum sexcentesimum recurrente visum est, sacras ejuscemodi historias præmemoratus Pontifex, sanctorum exemplis insistens, Ecclesiasticæ antiquitati probe consulens, restituendas voluit. Hinc videlicet Adæ prævaricantis, & inde Christi Domini proprio sanguine Protoplasti generis humani crimen expiantis imagi-

Conc. Nic. II. act. 4.

Olympiodorus Proconsul corripitur à B. Nilo ob profanas in Templo imagines permissu ejus depictas.

Conc. Nic. de sac. imag.

Imagines in Basilica Lateranensi olim depictæ.

Innocentius X. Pont. Basilicam Lat. instaurat, & sacris utriusque Testamenti historiis ornat.

imagines, ut apte sibi è conspectu tam novi, quam veteris Testamenti figuris, mysteriorumque divinorum symbolis respondentibus, antiquus Constantinianæ Basilicæ (quæ omnium Ecclesiarum mater & caput est) splendor, ac ipsimet venerandæ antiquitati suus illibatus jugiter, ut loci majestas exigit, decor perseveret.

Sacrarum imaginum usus haud aliter, ac sacra Evangeliorum lectio ab Ecclesia traditus est. Conc. Nic. Act. 6.

11 Demum, ut supremam enarrationi manum imponamus, verba, quæ in sexta ejusdem Concilii Actione de sacrarum imaginum cultu; earumque commodis tanquam pretiosi auro lapilli inseruntur, hic studiosi lectoris judicio expendenda in medium proferantur, quæ isthæc sunt: *Vidimus omnes, & intelligimus, quod & ante sacras sex Synodos, & post has sanctorum pictura in Ecclesia traditæ fuerunt, non aliter, ac sacra Evangelii lectio. Nam quæ leguntur, ubi ad aures veniunt, ad animum deinde delegamus, & transmittimus, & quæ oculis videmus in picturis, ea quoque mente complectimur: ita per duo ista invicem consequentia, lectionem, & picturam, unam cognitionem acquirimus, qua ad recordationem rerum gestarum pervenitur. Unde ex duobus istis sensibus in Canticis Canticorum 1. & 18. invenire licet efficacem conjunctionem. Sic enim ibi dicitur: Ostende mihi faciem tuam, & audire fac mihi vocem tuam. Quibus & adjungimus illud: Sicut audivimus, ita & vidimus.* Et demum his enarratis in ultima ejusdem Actionis periodo isthæc subtexuntur: *Sancta & Dei Catholica Ecclesia ad pœnitentiam, & cognitionem observationis mandatorum Dei, omnes nostros sensus trahit, & studet nos deducere, non modo per auditum, sed per visum, morum correctionem moliri cupiens. Quare cum ex avaritia, & habendi studio aliquis rapitur, Matthæum ex telonio Apostolum illi indicat: eodem modo Zacchæum. Ita imaginum pictarum jugis contemplatio continuo memoriam exercet, ne iterum revertatur ad vomitum.* Plura ibidem id genus, & quæ morum salubritatem animis ingerunt, exempla revelantur, Josephi nimirum Patriarchæ in Ægypto, Susannæ, Danielis, Joannis Baptistæ, & aliorum, quæ, ut brevitati consultum sit, dum ad earundem imaginum dilucidationem contendimus, & ne diutius in ipso itineris tramite immorari contingat, in alium locum rejicienda decrevimus.

Cant. c. 1. & 18.

Crux quæ Constantino Magno in aere apparuit.

12 Interim vero pro sacris imaginibus adversus impios Iconoclastas vexillum crucis erigentes, illud ipsum quod Constantino Magno in certamen prodituro oraculum veluti certum victoriæ omen divinitus revelatum est, lectorem auribus insonet: *In hoc signo vince.* Tutelares enim, ac victoriales clypei triumphorum indices, ac signa sanctorum imagines sunt, quas Ecclesiæ parietibus appensas, exsculptasque passim cernimus, devotaque mente suspicimus, dum propheticum illud interim meminisse juvat: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* De sacris quippe imaginibus, quæ in templo exhibentur, idem prorsus nobis, quod de sacrarum Scripturarum codice ipsiusmet Gregorii Magni ore pronuntiandum est: *Ibi enim*, inquit, *fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus quantum proficimus: ibi à profectu quam longe distamus. Narrat autem gesta sanctorum, & ad imitationem corda provocat infirmorum, dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia, debilia nostra confirmat: fitque verbis illius, ut eo mens minus inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos videt.* Ita plane pictæ, coloribusque expressæ tabulæ, sacrorumque martyrum gestis obsignatæ, quibus Ecclesia instruitur, inertes Christianorum animos ad pugnam excitant, imbecillitatem cordis redarguunt, virtutum decorem, ac vitiorum turpitudinem ad vivum intuentibus ingerunt, & inspiciendo dumtaxat contingit, quod diserte Gregorius asserit: Ut tot martyrum exemplis roborata *mens minus inter certamina trepidet.* Unicuique enim dum aspicit, tacito suppetit: *Aspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in muro monstratum est.*

Greg. Magn. l. 2.

Greg. Magn. l. 3. c. 1

Assiduis sacrarum Imaginum cultum miraculis Deus approbat.

13 Verum enimvero, ut novissimis hujus nostri seculi exemplis recolendus sacrarum imaginum cultus adversus earundem insectatores valide comprobetur, novis quidem quotidie signis, ac portentis, Virginis Deiparæ imagines in Urbe coruscant: haud multis enim abhinc annis sub quovis Romano Pontifice sacra aliqua, ex antiquioribus præsertim ejusdem imaginibus, recens signis conspicua extitit, & ut cæteros Pontifices, quorum longa subtexi series posset, sileamus, satis notum omnibus est, qui Urbem incolunt, Paulo V. Gregorio XV. Urbano VIII. & demum Innocentio X. Summis Pontificibus, nonnullas imagines peculiarem sibi apud fideles novorum ostensione signorum, venerationis cultum promeruisse. Sed quorsum hic recolendam S. Dominici Confessoris, & sacri Prædicatorum Ordinis Patriarchæ imaginem silentio obvolvimus, quæ apud Surrianum in Calabria jugibus nunc miraculis præfulget, & frequenti totius Christiani populi obsequio, atque admiratione suspicitur. De Cælo quippe, ut pia traditio est, hæc primum sub anno redempti Orbis trigesimo supra sesquimillesimum delata, validissimum adversus impios Iconomachos, in Ecclesia Dei propugnaculum, & nobile illibatæ Christianorum fidei intuentibus monimentum exhibet. At veneranda imago satis ruditer, ac minus compte, nec pennicillo, sed superum manu adumbrata, dextera librum, sinistra lilium præ se fert. Staturæ quidem mediocris, pulchro autem, & gravi virum aspectu, habitu ad talos usque protenso contemplandum offert. Eandem haud ab omnibus omnimode ex prototypo excipi, ac delineari posse, multiplicem quoque præ se ferre aspectum, lucis item radios è facie erumpentes à quibusdam conspectos fuisse, & haud semel imaginem ab uno in alium commigrasse locum, qui rem historice pertractant, asserunt. Porro ejusdem cultus in cuncto populo Christiano eum in modum percrebuit, ut festiva recurrente singulis annis beati Dominici die, ad centies mille, & amplius hominum multitudo illuc venerationis gratia confluat.

Imago S. Dominici Surriana.

Exemplaria imaginis S. Dominici Surrianæ miraculosa.

14 Porro etsi magnum est, quod hactenus enarravimus, majus tamen est, quod in rem præsentem nunc pio lectori subjicimus: ut quid enim beatissimi viri meritis dignum eloquamur, haud ejusdem sacræ dumtaxat imaginis prototypus nulla artificum manu, at cælitum, ut diximus, ministerio apud Surrianum effictus, signis quotidie illustratur, sed excerptum item ex eo pictorum studio exemplar, quod pie nunc in celebri Prædicatorum Ordinis Cœnobio apud S. Mariam, vulgo supra Minervam de Urbe asservatur, assiduis hoc nostro seculo signis, ut innumeræ votivæ appensæ ibidem in gratiarum actionem tabellæ testantur, non secus ac confertis gemmarum monilibus decoratur, & cum in dies rediviva magis tanti viri in toto Christiano orbe merita, & memoria vigeat, illud jugiter intuen-

Esther. c. 6. n. 9.

intuentium animis ingeritur: *Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare.* Sancti item Antonii Patavini Ord. Minor. hoc præcipuo seculo signis, ac miraculis imagines in Ecclesia Dei illustres habentur. Et hæc vel obiter de sacra imagine hic pio lectori, ubi de imaginibus sermo recurrit, delibanda voluimus. Sed ut ad nostra redeamus, jam ad sacras Cœmeteriorum imagines contemplandas progredimur.

CAP. VI.

De sacris Cœmeterialibus Imaginibus.

1 EX enarratis hactenus compertum fit recolentibus, ut opinor, haud otiose, & haud futilis ac vanæ, quod plerunque contingit, curiositatis obtentu fidelibus, qui singulari pietate conspicui extitere, Cœmeteriales imagines in locis plerumque abditis, & procul ab hominum oculis, & commercio, cujusmodi sunt Cœmeteria, efformari antiquitus consuevisse, in quibus ipsimet, dum acriores persecutionum procellæ ingruerent, tuto recepti, intra ipsosmet latebrarum sinus in meridie palpantes delitescerent. Verum enimvero id ab antiquis eam potissimum ob causam præstitum est, ut sacras jugiter imagines intuentes, ac suavissima earundem contemplatione animum demulcentes, uberrima inde, quæ hactenus enarrata à nobis sunt, commoda consequerentur. In pictis namque tabulis velut in libris, ac voluminibus cordati viri ac fidei lumine altius imbuti legebant, quæ beatissimus Christi Apostolus ad Titum scribens populos ultro docendos, exhortandosque monuerat: *Ut abnegantes*, nimirum, *impietatem, & secularia desideria, sobrie, & juste, & pie in hoc seculo viverent, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi.* Vides igitur, quæ & quanta ex ipso imaginum aspectu antiquis fidelibus subsidia suppeterent.

Pictæ imagines peculiaria mysteria demonstrant.

Ep. ad Tit. c. 2.

2 Nam, ut rem altius repetamus, Imaginibus ferventiores illi Christianæ fidei cultores, emblematum, & hieroglyphicorum, seu parabolarum vice utebantur, quarum aspectu muto, ut ita dixerim, quodam vocis sono intimos cordis affectus intuentibus propinarent, sanctissimos videlicet antiqui Testamenti proceres, ac Prophetas in eisdem studiose efformandis æmulati, qui subobscura plerumque loquendi formula altiora quæque oracula proferentes, utpote ne facili isthæc negotio legentium auribus intercepta vilescerent, arcana quædam ambiguis sermonibus adumbrare potius, quam fidelium auribus revelasse videbantur. Quinimmo hac in re, ut suo apte membra capiti cohærerent, ipsummet Christum Dominum parabolicis hisce figuris æmulari satagebant, quem Regius Propheta David in psalmis haud semel ejuscemodi loquentem notis inducit: *Aperiam in parabolis os meum, & eructabo abscondita à constitutione mundi.* Quod frequenter quidem ipsum Dominum, dum turbas alloqueretur, præstitisse Matthæus, Marcus, & Lucas Euangelicarum rerum scriptores, & constantissimi divinarum assertionum testes affirmant. Porro ista parabolice loquendi forma, & consuetudo eum in modum usu recepta, & familiaris extitit Christo, qui Dei, ac totius veritatis Verbum est, dum inter homines in terris ageret, ut ipsimet discipuli quantumvis rudes, ac minus sermonibus exculti, id aliquando admirantes, magistrum ultro interrogare non dubitaverint: *Quare in parabolis loqueris?* Quibus ille in hæc plane verba responsum exhibuit: *Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis, &c.* Ut apud Matth. videre est, ad quem pium lectorem remittimus.

Christus Dominus parabolis, ac figuris plurima docebat.

Psal. 77.

Matth. c. 12.

3 Ex pictis igitur ejuscemodi imaginibus, de arcanis illibatæ fidei mysteriis, atque de humanæ, ac rationalis animæ immortalitate, ac de futura demum corporum resurrectione intuentium animi mirifice instruebantur. Ad cujus potissimum orthodoxæ veritatis mysterium constantius asserendum, confirmandumque singulæ propemodum Cœmeteriales, ut infra patebit, imagines ex antiquorum instituto Patrum diriguntur. Christiani vero, qui veteris Testamenti figuras jam Christi adventu adimpletas ex ipso imaginum aspectu probe didicerant, easdem interim piis oculis studiose contemplando, singulis quibusque luctantis animi motibus sedandis, componendisque ad præscriptam rationis regulam moribus, & rebus terrenis ac futilibus floccifaciendis jugiter vacabant. Præterea ad mortem, qua nil acerbius, & cui se inevitabiliter ex vi ortus destinatum quivis unus probe norat, ad mortem, inquam, pro Christo forti, libentique animo subeundam seipsos ultro incitare satagebant: spe insuper ad æternæ felicitatis præmia post exantlatos hujus vitæ labores, obtinenda erigebantur, & demum ad sanctorum sectanda vestigia, virtutumque omnium exempla propensius æmulanda, sacrarum imaginum aspectu pariter, & cultu provocabantur. Quæ quidem recolendæ imagines in Cœmeteriis pictæ, vel in Sarcophagis, cubiculisque affabre insculptæ, sua quæque divinorum arcana mysteriorum, mox à nobis, Deo favente, lectori dilucidanda continent.

Quid potissimum veteres Christiani Tabulis Cœmeterialibus docuerint.

4 Verum cum una, eademque parabolarum, atque imaginum ratio habenda sit, quod & in parabolis usu venit, haud nobis singula ad amussim expendenda sunt, ut ipsemet D. Chrysostomus Homil. 48. in Matth. his verbis affirmat: *Superius me dixisse memini, non ad verbum exponendam esse parabolam, ne multa sequantur absurda.* Quod idem sanctissimus doctor Homil. 63. in ejusdem Matthæi cap. 19. hæc dicens repetit: *In parabolis non oportet nimia in singulis verbis cura perangi: sed cum quid per parabolam intendit, didicerimus, inde utilitate collecta, nil ulterius est anxio conatu investigandum.* Quædam enim, ut experimentum edocet, parabolicis interdum sermonibus adjiciuntur, non certe ad quid novi designandum, sed ut elegantiam, pondus & quoddam veluti complementum ipsimet, quæ contexitur, parabolæ interjecta conferant. Quod plane ipsismet imaginibus contingit, quibus varia plerumque pro libito pictores parerga additamentorum instar attexere consueverunt, haud rerum quidem significandarum gratia, sed ut ipsismet imaginibus, quas coloribus exprimunt, decorem, splendoremque concilient. Nos igitur, quæcunque supervacanea sunt, rejicientes, sedula dumtaxat judicii trutina expendemus, quæ in iisdem effingendis, componendisque auctores intuentium tum oculis, tum animis contemplanda exhibere voluisse arbitramur, & ea potissimum, quæ sancti Patres eruditione conspicui de hujuscemodi imaginibus satis prolixe scriptis consignantes edocuere, quorum præcipua tantum sententiarum, quibus usi aliquando sunt, verba, ver-

D. Chrys. hom. 48. in Matt.

Id. hom. 63. in c. 19. Matth.

verborumque ipsorum vim, cum de singulis suo loco agendum erit, in medium afferre pro viribus, ut studioso lectori fiat satis, conabimur.

CAP. VII.

De Adami & Evæ Imaginibus.

1 UT à recolendis igitur antiqui Testamenti imaginibus, atque ab ipsamet Protoparentis humani generis nostra initium desumat oratio; primo quidem loco eorum, qui primatum sibi jure merito inter cœteros vindicant, Adami scilicet & Evæ imaginum contemplanda lectori mysteria sese offerunt; quæ nimirum in sacris Cæmeteriis frequentius, quam reliquæ omnes coloribus adumbratæ, & in parietibus effictæ vel certe marmoreis monumentis insculptæ visuntur. Has porro ad allegoricum, seu tropologicum intellectum salubriter derivantes, hæc, quæ à nobis infra subjicientur, descriptis potissimum imaginibus prænotari existimavimus.

Imago Adami in Cæmeteriis frequentissima.

2 Certam in primis atque inevitabilem mortis, cui omnes addicti sunt, pœnam. Cum enim fidelium quisque, qui tunc vivebant, pictam Adami imaginem intueretur hanc suspiciendo tacite admonebatur, ut serio apud semetipsum primævæ omnium originis memoriam refricans recoleret, quod ab eo progenitus vitam hanc hauserit, quem ex humo vili admodum pulveris admixtione concretum, in humum tandem ac pulverem turpiter solvi, divino urgente in admissi sceleris ultionem imperio, contigit. Intorserat enim Deus, cum se contemptui à protoplasto habitum cerneret, hanc in eundem sententiam: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quapropter cum mortalium nemo mortis fatum, quod velit, nolit necessario impendet, subterfugere valeat, & quam primævus omnium parens prævaricando pœnam in orbem invexit, subire cogatur, optimo ac salubri quidem consilio negotium animæ agebatur, si vitam, quæ tandem aliquando reluctante licet animo mortis falce amputanda est, ultro libenterque pro Christo, *pro quo mori* (ut Apostolus ait) *lucrum est*, perennis vitæ suffulti spe, atque immortalitatis laurea donandi profunderent. Quod quidem ubi semel intuentium menti studiose præconceptum insedisset, ad acerbiora, quæ ingruerent, certamina, & ad martyrii agonem alacrirer subeundum tum unicuique Christianorum tum maxime primævis illis orthodoxæ fidei Patribus, qui inter luctus passim abrepti ad necem tyrannorum edictis expetebantur, ut futilem hanc nimirum, perituramque vitam contemnerent, stimuli instar incitamento esse, & quamplura intuentium animis Christianarum virtutum subsidia atque incrementa poterat.

Quid nam per eam significetur?

Gen. c. 1.

Mortem necessario pperendam esse cunctis hominibus.

Mortem necessariam pro Christo libenterque amplectendam.

3 Ut hic autem singula, quæ ad ipsius Adæ historiam atque imaginem spectant, lectori suggeramus; illud sane præcipua animadversione dignum videtur, quod post violatam divini numinis sanctionem, divinarum scripturarum paginis enarrantibus, Adamo contigisse didicimus. Statim quippe his potissimum à Deo verbis compellatus est: *Adam ubi es?* Quæ quidem verba paternorum viscerum, atque intensissimi amoris vim, ac sensum præ se tulisse Chrysostomus in suis ad populum homiliis hunc in modum pronunciat: *Non tantum prior vocans, sed etiam ex suo ipsum nomine appellans, & dicens: Adam ubi es? Amorem suum, & multam curam ostendit: jam enim omnes nostis, quod hoc est legitimæ amicitiæ indicium.* Et infra: *Vicissim odio habentes, & inimice erga quospiam affecti nec nomina eorum, qui se læsere, ferunt commemorare, Ideo Saul non dixit: Ubi est David, sed ubi est filius Isai? Et Iudæi non dicunt: Ubi est Iesus? sed ubi est ille. Sed Deus in hoc demonstrare volens, quod nec peccatum amorem extinxit, inquit: Adam ubi es?* Quæ quidem prolata à nobis in medium Chrysostomi enarratio haud parum solaminis quavis criminum labe obnoxiis, ubi ad salutaris pœnitentiæ, quæ cuique patet, remedia convolant, & maximum spei ac fiduciæ robur eorundem animis ingeritur, si ad eum, qui *misericordiarum Pater est, & Deus totius consolationis* supplici, contritoque corde confugiant. Verum si iisdem paululum verbis unà cum Augustino insistamus: *Adam videlicet ubi es?* quæ ipse de Genes. ad lit. l. xi. cap. 34. & lib. 83. Quæstion. quæst. 65. edisserens, *Increpantis* ait *esse, non ignorantis.* Dum ipse Adam à Deo rationem de præcepti prævaricatione reddendam evocatus objicitur cunctis, id sane maximum unicuique timorem incutiet, atque in mentem protinus illud Apostoli revocabit: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum.* Quis enim non videt, quod si altius animo divini, ac formidabilis jugiter judicii contemplatio insit, salubris inde culparum metus exorietur, & ex metu postmodum Spiritu Sancto afflante charitas erga Deum conciliabitur, juxta illud: *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Verum quoniam hic de primævis adhuc parentibus sermo recurrit, quorum tam frequens apud Christianos persecutionibus impetitos memoria extitit, in Cœmeterialibus quidem imaginibus Adamus & Eva nudi plerunque exhibentur, ut apud sacram Genes. verbis illis aperte describitur: *Erat autem uterque nudus; Adam scilicet & uxor ejus, & non erubescebant.* Quod sane haud peculiari mysterio vacuum pronuntiandum est. Quisquis enim in ipsam Adæ figuram oculos studiose intenderet, illud caute præmonebatur, ut nativam videlicet, congenitamque sibi nuditatem meminisset, qua in terrarum orbem ex ipso matris utero prodiit; & cui iterum sub extremam vitæ periodum addictus, obveniente rerum omnium, quas opipare obtinebat, jactura, hinc demum omnibus terrenis exspoliatus miserrime inops è vita abire cogetur, juxta illud Iob. 1. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* & juxta illud item Apostoli ad Timoth. 1. cap. 5. *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Ad quod sapienter Ambrosius quoque in suis in Davidicos Psalmos dilucidationibus allusisse visus est his plane verbis: *Divitiæ hic acquiruntur, hic relinquuntur.* Quapropter cum his omnibus orbari hominem aliquando contingat, neutiquam eos, qui Christianam fidem colerent, nimium dolere, ac tædio gentilium more affici par erat, si sponte pro Christo, firma tamen subsecuturæ mercedis spe erecti, futilia despicerent, quæ vel inviti tandem ac nolentes irreparabiliter amissuri fuerant, quo potissimum miserrimæ humanæ conditionis exemplo imbuti, cum fidei insectatores, quæ ipsi possidebant, bona diriperent, & in Christianos, per summam injuriam facultatibus eosdem exspoliando, sævirent, *rapinam bonorum*, ut Apostolus ait, *cum gaudio susciperent.*

Æterna Dei misericordia in Adamum.

Chrys. hom. 7. ad pop.

Id. Chrys.

Aug. de verb. Gen. ad litt. l. xi. c. 34. & l. 83. q. 65.

Apo. 2. ad Cor. 5.

Gen. c. 2.

Rerum humanarum contemptus.

Iob. c. 1.

Ad Tim. 1. c. 5.

Apost. ad Hebr.

4 Ad

Mundi, & omnium ejus deliciarum despicientia.

4 Ad hujus autem rei propositum concinne facit, quod D. Ambros. Comment. in Luc. lib. 4. cap. 4. Christum vestibus nudatum è cruce pendentem, ac nudatum pariter in paradiso voluptatis Adamum recolens, verum cum eundem inde ejici contigit, pelliceis tegumentis indutum contemplans, verbis hisce proloquitur: *Nudus*, inquit, *ascendit Christus: nudum ecce video. Talis ergo ascendat, qui seculum vincere paratus est, seculi indumenta non quærat. Victus est Adam, qui vestimenta quæsivit, fecerunt enim sibi perizomata: vicit ille, qui vestimenta deposuit. Qualis in paradiso homo primus habitavit, talis ad paradisum homo secundus intravit.* Quibus sane verbis, ut lector vides, ad rerum omnium, quæ in seculo sunt, despicientiam egregio primævi parentis symbolo fidelium quemque viriliter provocat.

D. Ambr. in Luc. l. 4. c. 4.

Prava cacodæmonis tentatio.

5 Illud vero expendendum nobis est, quod inter Adamum & Evam vetita insuper noxialis pomi arbor, eidemque stygius anguis circumvolutus affabre pingitur, & interdum quoque, ut in septima Monumentorum Cœmeterii Callisti tabula videre est, ipsemet serpens interdictum ore pomum præ se fert, quod Evæ, ut eam in crimen, ac ruinam pelliciat, fraudulenter blandiendo exporrigit. Hujuscemodi autem symbolo haud obscure laureati illi, præstantesque Christi athletæ ac Martyres nobilissimi vim mysterii, quod oculis exponebatur, probe intelligentes, futilia prorsus, ut nobis quidem existimare fas est, ac nullius quidem momenti, immo potius noxia cuncta, funestaque esse, quæ ementitis ad seducendos Christianorum animos fucis tyranni munera offerrent, ac demum mollissimas, pomorumque instar putrescentes hujusce seculi voluptates, ac blanditias caute devitandas edocebantur, utpote quæ divinis legibus adversando, velut pabula serpentinis infecta venenis, acerbas ærumnarum molestias inferrent, ac multiplicia damnorum incommoda parerent, quæ haud unquam refici, vel compensari queant. Quibus bonorum temporalium fucis, si ultro, quod sensus noster suadet, excipiendis manum atque animum exhiberent, futurum profecto foret, ut pœnas, ac momentaneos certaminum labores effugerent, haud tamen deplorandam animæ mortem, ac æternos inferni cruciatus, qui delinquentibus reservantur, evaderent. Quapropter miserandum Adami casum jugiter deflendo, ejusdemque intuentes acriter exemplo perurgente, hominum impiorum munera, quæ perniciem blande propinant, forti constantique animo respuerent, ne videlicet animæ salutem venalem facerent, ac permansurum pro re futili regnum distraherent, illud audacter sibi isthæc exhibentibus inclamantes: *Discede à me pabulum mortis*: & illud ad latentes præcavendas insidias probe meminissent, videlicet: *Diabolus porrigit tibi pomum, & surripit paradisum.*

Honor, ac gloria, quam mundus veneno mixtam propinat.

Adamus Christum Dominum Eva Ecclesiam in figura designat.

6 Præterea ipsius Adami effigie Christum Dominum, & Evæ figura Ecclesiam præsignari concors est, acceptaque sanctorum Patrum sententia, quorum prolixior hic catalogus recenseri posset, sed præcipuos ad rei nostræ propositum opportune loquentes gratis, si libet, auribus excipiamus. Et quidem incomparabilis vir eloquentiæ sacros inter doctores Ambrosius, mira verborum vi ipsi Adæ Christum Dominum, disertisque sententiarum rationibus comparat, dum loco, quem supra citavimus, hæc subjicit: *Ex terra virgine Adam, Christus ex Virgine: ille ad imaginem Dei factus: hic imago Dei: ille omnibus irrationabilibus animalibus: hic omnibus animantibus antelatus: per mulierem stultitia: per Virginem sapientia: mors per arborem: vita per Crucem, &c.*

D. Ambr.

7 At idem plane ad rem nostram Augustinus in psalmos his verbis insinuare videtur: *Quia Adam forma erat futuri, & Adam dormivit quando de latere ejus Eva facta est. Adam in figura Christi, Eva in figura Ecclesiæ: unde est appellata mater viventium. Quando fabricata est Eva? Dum dormiret Adam. Quando de latere Christi Sacramenta Ecclesiæ profluxerunt? cum dormiret in cruce, &c.* Hæc ibi, plura item sermone 101. de tempore post 3. Dominic. Quadrages. hunc in modum prosequitur: *Quod juste debebat Adam, Christus injuste, mortem suscipiendo, persolvit. Ille extendit manum ad pomorum dulcedinem: iste ad crucis amaritudinem. Ille arborem necis: iste salutis ostendit. Ille se contra Deum erexit, & excidit: Christus se humiliavit, ut omnes erigeret. Adam mortem universis intulit, & Christus vitam omnibus reparavit, &c.* Consulendus insuper est sanctissimus doctor libro de symbolo ad Catechumenos, ubi isthæc: *Iisdem gradibus, dilectissimi, quibus perierat humana natura, à Iesu Christo Domino nostro reparata est. Adam superbus: Christus humilis. Per fœminam mors: per fœminam vita. Per Evam interitus: per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem: hæc integra peperit Salvatorem. Illa poculum à serpente propinatum libenter accepit, & viro tradidit, ex quo simul mereretur occidi: hæc gratia cælesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari, &c.* Sed hæc hactenus de Adamo humani generis protoplasto Augustinus.

D. Aug. in ps. 40.

Aug. ser. 101. de tempore.

Mariæ Virg. & Evæ Antithesis.

Aug. l. de sym. ad Catech.

8 Conveniamus hic interim Chrysostomum aureo quidem ore singulas Adæ prærogativas suavissimis verbis personantem; quippe qui homil. de interdicta arbore sic habet: *Mors per Adam, vita per Christum. Evam serpens seduxit: Maria Gabrieli consensit: sed seductio Evæ attulit mortem: consensus Mariæ peperit in seculo Salvatorem. Restauratur per Mariam, quod per Evam perierat. Per Christum redimitur, quod per Adam fuerat ante contractum.* hæc utique ad rem Chrysostomus. Hac igitur potissimum de causa factum est, ut sapientissimi Patres, ipsarum è regione imaginum, quibus Adam & Eva exhibebantur, ipsiusmet Deiparæ Virginis imaginem aliquando coloribus adumbrarent, ut in septima Cœmeterii Callisti tabula videre est. Quam item ob rationem enarratum mysterii symbolum velut digito demonstrans concinne canit Ecclesia:

S. Io. Chrys. hom. de interd. arb.

Quod Eva tristis abstulit
Tu reddis almo germine,
Intrent ut astra flebiles
Cæli fenestra facta es.

Hymn. de B. Virg. in Brev. Rom.

Nec in Cœmeterialibus tantum Cubiculis Deiparæ filium gestantis imaginem, quæ Evæ pomum præferenti objicitur, sed signatoriis insuper in annulis Christiani mysterium recolentes delineabant, ut ex antiquo hoc patet annulo, qui rudi quidem manu, aurea tamen Christianorum secula prænotans è stanno confectus, inter Cœmeteriales exuvias adinventus est, cujus hic tibi iconem nobis ab Illustrissima Felice Rondanina exhibitam, contemplandam offerimus.

Quo



Aug l.3 c. 1.9. tract. de symb. ad Cat.

Quo scilicet probe illa Augustini verba Deiparæ imaginem respiciendo unusquisque recoleret: *Per fœminam, inquit, mors, per fœminam vita: per Evam interitus, per Mariam salus: illa corrupta secuta est seductorem: hæc integra peperit Salvatorem. Illa populum à serpente libenter accepit, & viro tradidit, ex quo simul mereretur occidi: hæc gratia cælesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari, &c.* Verum quoniam Patres hic recensemus, qui ipsius Adæ & Evæ imagines sapienti calamo dilucidarunt, his quoque Bernardus mellifluo dicendi stylo haud ulli secundus subscribit: hic enim Homil. quam edidit super Missus est, adumbratæ figuram imaginis recognoscens, his plane verbis Adamum compellat: *Quid dicebas ô Adam? Mulier, quam dedisti mihi, dedit de ligno, & comedi; verba malitiæ sunt hæc, &c. Redditur fœmina pro fœmina, quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenato cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Mulier, quam dedisti mihi, dedit de ligno vitæ & comedi; & dulce factum est super mel ori meo; quia in ipso vivificasti me.* Vides, ô lector, ex noxiali pomo nobis Evæ manu propinato vivificum optatæ salutis antidotum ipsius Deiparæ suffragio salubriter præstitum.

Apostrophe D. Bernardi ad Adamum.

D. Bern. hom. 20. sup. Missus est.

9 Demum ut cuncta hic mysteria in medium proferantur, quæ sub descripta Adami imagine cordatis viris antiquitus contemplanda suppetebant. Vt à præcipuo exordium sit, Resurrectionis mysterium, eo quod Adamus Christum tum oculis, tum menti ad vivum repræsentet, intuentibus ultro parentes nostri exhibere satagebant, quod quidem ex illis Apostoli verbis patet, dicentis: *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Ex quibus plane verbis præclarum hoc ad futuræ resurrectionis mysterium, & præcipuum illibatæ fidei, quam tenemus, articulum probati quique sanctorum Patrum luculentis in unum congestis argumentis comprobant. Inter quos Tertullianus inprimis omnium antiquissimus de resurrectione quidem sapienter edisserens isthæc prodit: *Si ad exemplum Christi resurgemus, qui resurrexit in carne; jam non ad exemplum Christi resurgemus, si non in carne & ipsi resurgemus: quia per hominem, inquit, mors, & per hominem resurrectio mortuorum: ut separet quidem auctorem mortis Adam, Christum resurrectionis: ejusdem autem constitueret substantiæ resurrectionem, cujus & mortem, per ipsorum auctorum in nomine hominis comparationem. Si enim sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes vivificabuntur; carne vivificabuntur in Christo, sicut in Adam carne moriuntur, &c.* hactenus pro asserendo resurrectionis mysterio isthæc ad rem Tertullianus.

Resurrectionis mysterium imagine Adami designatum.

1. Cor. 5.

Tert. l. de resur. c. 48.

10 Sed instituti proposito optime consonat, quod D. Anselmus, cæteris omnibus prætermissis in ep. 1. ad Corinth. in hæc verba pronuntiat: *Sicut per Adam mors intravit, quia ipse primus est mortuus: ita & per Christum resurrectio, quia primus ipse resurrexit: Sicut ille forma morientium, sic iste forma resurgentium. Et sicut in Adam omnes moriuntur, quia sunt ejus filii: sic & in Christo omnes vivificabuntur, quia sunt ejus filii. Nemo enim venit ad mortem, nisi per Adam, nemo ad vitam, nisi per Christum.* Vides hinc, pie ac studiose lector, quam aptis concinnisque delineata mysteriorum coloribus recolenda Adæ historia in abditis Cœmeteriorum recessibus ad suspiciendum his, qui ibidem demorabantur, & contemplanda pariter ob oculos poneretur, qua nimirum mortalium quisque serio edisceret mortem, quæ singulis inevitabiliter obventura est, ob melioris, qua tenemur jugiter, spem vitæ reformidandam nullatenus esse; quin immo prompto, libentique animo, ubi opus est, ac incerta rerum humanarum conditio exposcit, temporalem pro Christo vitam alto mentis despectu contemnendam, ut immortalem postmodum (quæ in votis est) feliciter quis consequatur. Et his paucis recolendam Adami & Evæ imaginem, qua sacra decorantur Cœmeteria, salutasse sufficiat.

Christi, & Adami Antithesis.

D. Anselm. ep. 1. ad Cor. c. 15.

CAP. VIII.

De Abele, & Caino.

1 A Primævorum parentum imagine, quam Cœmeterialibus hisce paginis descripsimus, ad contemplandas Abel, & Caini imagines devenimus: ex quibus antiquis imaginibus, & ex his præsertim, quæ pluribus locis apud sacra Cœmeteria primævorum fratrum sacrificia repræsentant, complura venerandi Patres mysteriorum arcana congestis luculenter enarrationibus eliciunt: quippe qui sapienti consilio Synagogæ Ecclesiam conferunt, divinum probis adesse viris jugiter patrocinium ex ipsiusmet historicæ rei textu monent, atque inculcant: patientiæ bonum solicite eisdem æmulandum: præmiorum munera, quæ illibatæ vitæ hominibus reservantur: dira item tormentorum supplicia, quibus impii, Deo scelerum vindice, addicendi sunt: & certam demum obventuræ resurrectionis expectationem mortalium oculis palam ingerunt, ac ultro in mentem revocant. Vnum igitur præ cæteris Tertullianum, cæteris antiquitate præstantem, audiamus, qui adversus Iudæos de adumbratis utriusque Testamenti sacrificiis sub duorum istorum fratrum typo hæc apte edisserit: *Et quidem à primordio majoris filii, id est, Israel terrena fuisse in Cain præostensa sacrificia, & minoris filii Abel, id est, populi nostri sacrificia demonstrat, &c.*

Abel, & Cainus quidnam repræsentent?

Synagogam Ecclesia.

Tertull.

2 At ad rem nostram egregie item Ambrosius sub istorum fratrum symbolo Synagogam, Ecclesiamque, nec non populum gentis utriusque adumbrari vult, Iudaicæ scilicet, & Christianæ, quam quidem eisdem quasi digito palam designari verbis hisce affirmat: *Hæc figura Synagogæ & Ecclesiæ in his duobus fratribus ante præcessit, Cain & Abel. Per Cain parricidialis populus intelligitur Iudæorum, qui Dominum, & auctoris sui, & secundum Mariæ Virginis partum, fratris, ut ita dicam, sanguinem persecutus est. Per Abel autem intelligitur populus Christianus adhærens Deo, &c.* Hæc Ambrosius. Cui S. Hieronymus in elucubrationibus super Psal. isthæc exponens pari sententiarum vi adstipulatur: *Non vetamur graviter, & honeste contemplationes afferre, & mentis cogitatum extollere ad sensa* sub-

Abelis, & Caini typo synagoga, & Ecclesia adumbrata.

D. Amb. de parad. c. 11.

S. Hier. in proem. sup. ps. 2.

sublimiora: quemadmodum conferre Cain & Abel Synagogæ Iudæorum & Ecclesiæ, & conari ostendere rejectam esse Synagogam, ut Cain sacrificium: accepta autem esse dona Ecclesiæ, ut tunc fuerunt Abel. Eucherius item in Genesim, ejusdem rei explanationem hunc in modum confirmat: *Sicut Cain*, inquit, *sacrificium ex terræ fructibus reprobatur: Abel autem sacrificium ex ovibus, & earum adipe suscipitur: ita novi Testamenti fides ex innocentia grata Deum laudans, veteris Testamenti terrenis operibus antefertur.* Audis quanta divinorum mysteriorum arcana ex eorundem sacrificiorum fonte, sanctis Patribus enarrantibus, fidelium menti promanant.

Euch. l. 1. in Gen.

3 At vero Ruffinus Aquilejensis in Psalm. 53. verba illa acute expendens Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*; dum nimirum docet cujusmodi nostrorum sacrificiorum oblatio futura sit, ut Deo grata, & accepta benedictionis gratiam promereantur, hæc ait: *Voluntatem, & affectum pensat Deus in omni sacrificio, &c. Hinc Moyses ait: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, non prius ad munera, sed ad Abel respexisse Dominus perhibetur: quia non pensat voluntatem ex munere, sed munus ex voluntate. Ad Cain vero, & ad munera ejus non respexit, quia videlicet bonam in eo voluntatem non vidit. Seipsum obtulit Patri Filius in sacrificium pro nobis, voluntarie quidem, quia non ex necessitate, sed ex caritate. Non enim coacta dona, & coacta servitia diligit Deus.* Hactenus ad rem nostram Rufinus. Nec vero minus diserte, ac sapienter Clemens Alexandrinus fratris utriusque sacrificia expendens, sinceram, candidamque innocentissimi Abelis fidem his plane verbis commendat: *Fide majorem hostiam Abel, quam Cain detulit, per quam testimonium est consecutus, quod esset justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, & per illum defunctus adhuc loquitur.*

Genes. c. 4. Deus in oblationibus Imunus ex voluntate pensat.

Ruff. in Ps. 53.

Fides Abelis.

D. Clem. Alc.

4 Sed unus præ cæteris, Christianæ videlicet eloquentiæ pater, Cyprianus de bono patientiæ, præstantissimam ejusdem Abelis patientiam admirans: *Invenimus denique*, inquit, *& Patriarchas, & Prophetas, & justos omnes, qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nihil magis custodisse in laude virtutum suarum, quam quod patientiam forte, & stabili æquanimitate tenuerunt. Sic Abel originem martyrii, & passionum justi hominis intrans primus, & dedicans, adversus fratrem parricidam non restitit, nec reluctatur, sed humilis & mitis patientia occiditur.* Ac demum S. Epiphanius contra hæreses to. 1. lib. 1. sect. 10. ex verbis illis: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*, augustissimum futuræ resurrectionis mysterium ex Abelis cruore divinam proclamante vindictam, his plane verbis elicit: *Convincuntur autem ipsi undequaque de resurrectione mortuorum, primum ex Abel, quod post mortem sanguis ejus Dominum alloquitur: sanguis autem anima non est, sed in sanguine anima est, & non dixit: Anima clamat ad me, ostendens, quod est spes resurrectionis corporum, etc.*

Patientia, & Humilitas Abelis.

S. Cypr. de bono Patien.

S. Ep. con. hær. to. 1. l. 1. sec. 10.

5 En igitur quam opportune, quam congrue ipsismet Christianæ fidei cultoribus, dum, licet ab omni labe immunes, acerbioribus gentilium persecutionibus premerentur, ejuscemodi Abelis historia in sacris mart. Cœmeterjis, in quibus demorabantur, tunc maxime cum à tortoribus ad necem avide perquirerentur, contemplanda iugiter ob oculos poneretur, ut innoxii videlicet viri pictam ad vivum imaginem intuentes innocentiæ clypeo ac bonæ mentis præsidio muniti, inter adversa quæque impavidi respirarent, & haud levis momenti mœstis rebus doloris levamentum accederet, cum probe nossent se tuto Ecclesiæ sinu receptos, sub Dei patrocinio, quod justis jugiter præsto est, consistere; *si Deus enim pro nobis* (ut Apostolus ait) *quis contra nos?* Quinimmo ipsomet oculorum aspectu ad æmulandam innocui Abelis fidem, patientiam, longanimitatem, ultroneamque suimet ipsius oblationem, inanimis quidem tabulæ lineamentis, ac si vivido perstrepentis buccinæ sonitu excitabantur, ut si quando ipsis occasio suppeteret, sanguinem ultro fidei causa profundendi pari virtute, pari itidem provocati exemplo, promptam quoque obnoxii sanguinis oblationem, cujus vocem gratis auribus excipit Deus, benignis ultro oculorum obtutibus respici, & ratam, acceptamque iugiter ab eodem haberi fide firmiter, constanterque tenerent. Demum se quoque immortalem aliquando in vitam feliciter evocatos pro diversimodis hic sibi inflictis per vim, ac summam iniuriam tormentorum pœnis, amplissimis tandem aliquando præmiorum muneribus Dei manu cumulandos fore proculdubio sperarent, nec tribulati cordis sacrificio, quod acceptissimum Deo est, suam deesse mercedem prævio Abelis exemplo obfirmati intelligerent: *Sacrificium quippe Deo spiritus contribulatus*, ut Psalmistæ oraculum edocet. Sed de his hactenus.

Abelis imaginem intuentes ad fortitudinem in adversis innocentia freti excitabantur.

Apost. ad Rom.

CAP. IX.

De Noëmo.

1 Sanctissimi viri, Noëmi videlicet Patriarchæ symbolum, quod sacris plerunque Cœmeteriis inest, haud parum, ut credere nobis par est, Christianorum animos diutinis persecutionum procellis exagitatos fida inconcussæ spei, quæ nunquam inter naufragantis mundi pericula deficit, anchora valide in pietatis officio & fidei vigore continebat. Viri quippe inter diluvii procellas tuto tandem in salutis portum emergentis imago Christianos vel inter adversa mœstos, fluctuantesque solari poterat, qui ipsomet nomine mœstis solatium rebus, ut ait Scriptura, præferebat: *Vocavitque nomen ejus Noë, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum.* Enimvero historia hæc cum sit quampluribus referta mysteriis, quæ intimis quibusvis animorum molestiis levamen afferunt, ac doloribus quantumvis acerbissimis opportuno medelam temperamento conciliant; quis ambigendo negare audeat cordatos homines, qui tunc potissimum temporis *in diluvio aquarum multarum*, ut cum Propheta loquar, constituti absque ulla è periculis emergendi spe, vix digito à more distabant, ex arcæ Noëticæ mediis in fluctibus absque naufragandi metu persistentis aspectu haudquaquam animum despondisse, sed fausto protinus columbæ virentem olivæ ramum ad vesperam deferentis auspicio mirifice erectos, subsecuturæ tandem pacis tranquillitatem, fluctuanti inter adversa naviculæ feliciori sancti Spiritus omine, cujus hæc jugiter nutu regitur, precatos, auguratosque fuisse.

Noëmus in Arca quid significet.

Noëmi exemplo veteres Christiani in persecutionum fluctibus fiduciam in Deum habebant.

2 Sed præcipua quæso sacrorum arcana mysteriorum, quæ in celeberrima Noëmi historia à sanctis Patribus acute prænotari contigit, hic in studiosi gratiam lectoris repetamus; & primo quidem loco,

Aquæ diluvii Baptismum designant. loco, ut singulos ex ordine recenseamus, is, qui cæteris tum antiquitate, tum ingenio præstat, sese nobis offert; Tertullianus, inquam, qui pietati in mysteriorum sensibus perscrutandis ex more consu- Tertull. l. de Baptis. lens, in ipsis diluvii aquis, quæ universum terræ ambitum operuere, saluberrimam delictorum expiationem pie admodum, & his quidem verbis contemplatur: *Quemadmodum enim post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post Baptismum, ut ita dixerim mundi, pacem cælestis iræ per columbam terris annunciavit, dimissam ex arca, & cum olea reversam; quod signum etiam apud nationes paci prætenditur: eadem dispositione spiritualis affectus terræ, id est, carni nostræ emergenti de lavacro post vetera delicta, columba sancti Spiritus advolat, pacem Dei afferens, emissa de cælis, ubi Ecclesia est Arca figurata.* hactenus ad nostræ rei propositum Tertullianus.

3 Sed eloquentissimum interim, & Tullio haud imparem, Cyprianum audiamus, qui epist. ad Cypr. ep. 74. ad Pomp. Pœn. Pompejum Pœnum dum illa potissimum verba explicat 1. Petr. 3. *In arca Noe pauci, id est, octo animæ* 1. Petr. 3. Arca Noemi Ecclesiæ comparata. *salvæ factæ sunt per aquam, quod & vos similiter salvos faciet Baptisma*, ipsam Noëmi arcam sacrosanctæ Ecclesiæ comparat, hæc autem sunt ejus verba: *Quam brevi & spiritali compendio unitatis Sacramentum manifestavit? Nam & in illo mundi baptismo, quo iniquitas antiqua purgata est: qui in arca Noe non fuit, non potuit per aquam salvus fieri: ita nec nunc potest per Baptismum salvus videri, qui baptizatus in Ecclesia non est, quæ ad arcæ unius Sacramentum Dominica unitate fundata est.* Prolixiori autem sermone eamdem prosequitur enarrationem contra No- Id. Cypr. cont. Novat. vatianum hæreticum isthæc scribens: *Illa arca figuram Ecclesiæ portabat. Cataclysmus ergo ille, qui sub Noë factus est, figuram persecutionis, quæ per totum orbem nuper supereffusa est, ostendit. Aquis autem, diruptis cataractis, undique convenientibus, & excrescentibus significabantur gentes, quæ ad nostram Ecclesiam excreverunt, sicut Apocalypsis 17. docet, dicens:* Apoc. 17. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt, & regna, &c.* à Cypriano neutiquam dissentit, qui haud minori eloquentia cæteris præcellit, Hieronymus, dum consueta profluentis eloquii vi adversus Luciferianum invehens, proclamansque ex iisdem Petri verbis adductis in medium argumentis Noë manifestissimum Ecclesiæ typum extitisse probat. Sed ejus hic verba, si libet, studioso expendenda lectori proferantur: *Noë*, inquit, *Ecclesiæ typus fuit, dicente Pau-* Hier. in Lucifer. *lo Apostolo: In arca Noe, &c. ut in illa omnium animalium genera, ita & in hac universarum & gentium, & morum homines sunt.* Idem plane Homilia de nomine ipsius Noë Chrysostomus affirmat: *Sicut tunc*, inquit, Chrys. hom. de nom. Noe. *omnis creatura deleta est, sola autem arca evasit, de trabibus quadratis facta, octo animas bajulans; ita & in consummatione omnes hæreses interibunt, una tantummodo arca salvabitur, id est, Ecclesia Christi de justis hominibus congregata.*

4 Verum præmemoratis Patribus, quorum præscripta in sacris paginis auctoritas est, Augustinus quoque, augustissimum Ecclesiæ lumen, pari sententiarum pondere ejuscemodi rem expendens in lib. de Cath. rud. subscribit, ubi arcæ quidem Noëticæ symbolum haud miris recolendisque mysteriorum sensibus vacuum, nudatumque fuisse demonstrat: *Factum est*, inquit, *aliquando diluvium per totam terram, ut peccatores delerentur, & tantum illi, qui evaserunt in arca, sacramentum futuræ Ecclesiæ demonstrabant; quæ nunc in* [Arca ... Crucis ... Aug. l. de Cath. rud.] *fluctibus seculi natat, & per lignum Crucis Christi à submersione liberatur.* Nec isthæc pro Noëmi arca lectori delibasse contentus, alia item passim contemplanda suggerit in lib. de Civit. ubi hæc habet: Id. Aug. l. 15. de civ. Dei. c. 6. *Arca procul dubio figura est peregrinantis in hoc seculo* Arca figura Ecclesiæ seculi fluctibus agitata. *Civitatis Dei, hoc est, Ecclesiæ, quæ fit salva per lignum, in quo pependit mediator Dei, & hominum Homo Christus Iesus.* Et infra: *Quod ostium in latere accepit, profecto illud est vulnus, quando latus Crucifixi lancea perforatum est. Hac quippe ad illum venientes, ingrediuntur, quia inde Sacramenta manarunt; quibus credentes initiantur, & quod de lignis quadratis fieri jubetur, undique stabilem vitam sanctorum significat: quacunque enim vertitur quadratum stabit.* At Augustino pro Noëmi navigio illustrando elaboranti, consuetæ eloquentiæ vela ad dicendum expandens Ambrosius adstipulatur, quippe qui de gentium vocatione agens, isthæc profert: *In arca Ecclesia figuratur, dum per lignum & aquam redemptio crucis Christi, & ablutio regenerationis aperitur, &c.* Audis, quæ & quanta certatim pro Noëmi arca S. Ambr. l. 1. c. 4. de voc. gen. singuli sanctorum Patrum perorando congerunt.

5 Nec vero venerabili vir conspicuus sanctitate Beda dirigendæ, exornandæque huic arcæ, quæ Arca Ecclesiæ in mundi hujus fluctibus natantis symbolum. Ecclesiæ typum gerebat, suam deesse manum, auctoritatemque patitur: hic enim expositione, quam in Genes. edidit, non ipsam dumtaxat Noëmi arcam Ecclesiæ confert: *Arca enim ista*, inquit ille, *Ecclesiam significat, quia natat in fluctibus mundi hujus*, sed post ejusdem structuram arcæ, ac for- Beda expos. in Genes. c. 5. mam pariter verborum coloribus concinne adumbratam, multiplicium insuper mansionum seriem verbis hisce eleganter edisserit: *Confertur sane*, inquit, *populus hic, qui salvatur in Ecclesia, illis hominibus, sive animalibus, qui salvati sunt in arca: quorum quia non unum est omnium meritum, non unam habent in arca mansionem: licet enim in Ecclesia omnes intra unam fidem contineantur, atque uno Baptismate diluantur, non tamen idem omnibus profectus, de quibus dicitur: Homines & jumenta salvabis Domine. Multitudo irrationabilium jumentorum, vel etiam bestiarum in inferioribus locis habentur: hi autem qui per rationabilem scientiam vivunt, in superioribus sunt, qui sunt valde pauci. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi, &c.* Hæc pro venerando ipsius Ecclesiæ symbolo venerabilis doctor iste fidelibus exposuit.

6 Sed nunc ab Ecclesiæ typo ad ipsummet Christum, cujus Noë mysterium apte, concinneque Per Noëmum Christus Dominus typice significatur. præ se tulit, stylum convertamus. Quod profecto conspicuæ vir sanctitatis Ioannes Damascenus satis luculenter edocuit, dum homilia, quam de Sabbato sancto inscripsit, hæc enarrat: *At Noë quidem arca inclusus, & ligno illo alterius mundi semina* S. Io. Dam. hom. de Sab. sanct. *conservans, rursus humani generis principium effectus, Christum sponte sua, sepultura inclusum, peccatumque sanguine simul, & aqua ex latere ejus fluente lavantem, ac genus nostrum universum in ligno crucis conservantem, novæ Ecclesiæ, ac reipublicæ auctorem nobis, ducemque effectum typice nobis demonstrabat.* Id ipsum vero longe ante Iustinus martyr in colloquio, quod cum Tryphone Iud. habuit, circa finem his plane verbis edocuerat: *Nam & Christus cum primogenitus esset omnis creaturæ, & primogeni-* Iust. mart. colloq. cum Triphon. Iud. circ. fini to. 2. *tus ex mortuis, primitiæque dormientium, principium rursus alterius generis fuit regenerati ab ipso per aquam, & fidem, & lignum: quod mysterium crucis obtinet; quemadmodum & Noë in ligno servatus*

 est,

est unà cum suis, super aquas invectus. Verum recitatis hactenus à Damasceno doctissimus item vir Beda loco, quem supra citavimus, in hæc verba adstipulatur: *Hæc autem per omnia significat Christum.* Noë *requies interpretatur, & Dominus dicit in Euangelio: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Noë solus justus: Christus solus sine peccato est, cui septem animæ homines donantur, id est, perfecti homines per septiformem gratiam. Noë per aquam, & lignum liberat suos: Christus per crucem, & Baptismum liberat Christianos.* Vides quam præclara fluctuantis arcæ lignum suo sinu sacramenta recondat, & ad quæ saluberrima ipso intellectu assequenda rerum divinarum argumenta navigantes perducat.

Beda in Genes cap. 5.

7 Quoniam vero de Noëmi arca, quæ præ cæteris haud obscurum Ecclesiæ symbolum antiquis temporibus extitit, adhuc sermo recurrit, opportuna hic quoque nobis ipsiusmet Petri Naviculæ mentio suggeritur, quæ patentissimum Ecclesiæ pariter typum intuentibus præ se fert. Et quidem ex veteri annulari onyche ab antiquis ad nos per manus transmissa, & inter cætera rerum Cœmeterialium, ac sacræ antiquitatis monimenta curiosis oculis suspicienda magnum aliquod, ac præcipuum nobis sacramentum objicitur. Ibi enim in gemmæ prospectu Petri navicula in medio mari, nautis ultro in remigando laborantibus, contemplanda, & Petrus supra maris fluctus gradiens exhibentur. In summo item Navis malo Noëmica arca (ut nonnulli contendunt) efficta conspicitur. Præterea supremum ejusdem arcæ vestigium, ne quid prætereamus, columba tenet; altera vero columba puppi gubernatoris instar insidet. At quod nobis mirandum magis, explorandumque videtur, Navi subinde, quam describimus, piscis immani præditus mole, ore semihulco, velut devictus, ac prostratus subest. Christus insuper Petrum supra aquas gradientem manu, ne demergatur, sustinet, quorum capitibus Græci hoc modo exsculpti characteres, IHC & ΠET. Iesu videlicet & Petri nomen denotant. Verum ipsius gemmæ, quæ humanæ vix unguis mensuram exæquat, hic sub ampliori forma imaginem, ejusdemque ex prototypo, qui apud Ludovicum Compagnium rei antiquariæ studiosum asservatur, excerptam fideliter iconem nobis oblatam, tibi quoque ultro suspiciendam, ut vides, offerimus.

Navicula Petri Ecclesiæ typus.

Gemma ex onyche annularis veterum Christianorum.



8 Et probe quidem, ut nonnulla hic vel obiter inseramus, annularis hæc gemma sacram antiquitatem redolet, cum usitatum apud Christianos morem ex Clem. Alexandrini verbis, ac præscripto indicet, qui in signatorjis Christianorum annulis *aut columbam, aut piscem, aut navim, aut lyram, aut anchoram*, ut nos infra suo loco dicemus, exprimi debere affirmat. Tribus vero præcipuis hæc Cœmeterialis gemma symbolis præfulget. Primo enim tam Noëmi arcam, quam Petri Naviculam, apertum ipsius Ecclesiæ typum præ se fert, quæ cum ambæ simul junctæ appareant, Catholicam Christi Ecclesiam unam, eandemque ab ipsomet mundi primordio extitisse intuentibus palam innotescit. Porro cum arca uno eodemque navis malo suffulciatur, omnes tum ex Judaismo, tum ex gentibus nonnisi ob Christi merita salutem adeptos fuisse celebri mysterio suggeritur. Nam quod Noëmi arca Ecclesiam olim mystice adumbraret, disertis utique verbis Paulinus in rem præsentem edocuit: *Superavit arca diluvium, & nunc Ecclesia hoc seculum supernavigat.* Hieronymus quoque iisdem plane verbis consonat: *Arca*, inquit, *illa juxta Apostolum Petrum typus Ecclesiæ fuit*: quod item adversus Luciferianos scribens insinuat, ut Cyprianus his verbis: *Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Ecclesiam fuerit, evadet?* Quod autem Petri navicula, cujus mysteria orthodoxi certatim Patres edisserunt, Ecclesiam quoque evidenter designet, ipso Augustino enarrante didicimus: *Naviculam*, inquit, *istam Ecclesiam cogitate, turbulentum mare hoc seculum*, quod plane Hieronymus, Beda, aliique ex Patribus unanimiter edocent. Enarratis autem hactenus postremo loco accedit, quod ut hujus apte rei mysterium intelligentibus exhiberetur, à primis quidem Ecclesiæ temporibus templa, quæ in Dei cultum pia Christianorum manu erigebantur, oblonga quidem, & in navis aptata formam ex Clementis Romani lib. 11. Apostolicarum constit. præscripto protendebantur. Verum omnimodam arcæ ipsius cum Navicula symboleitatem Cyprianus de arca sermonem instituens his verbis innuit: *Iam tunc*, inquit, *illa præfigurabantur tempora, quibus arca Noë aquis invecta diluvii, viri justi familiam conservavit illæsam.* hæc Cyprianus.

Clem. Alex. l. 3. pedag.

Paul. ep.

Hier. l. 1. adv. Iovin

Cyp. l. de unit. Eccl

Aug. l. ver. Dom.

Clem. Ro l. 11. Con

Cypr. de Cardinal. Chr. operi

9 Porro ut paucis reliqua prosequamur, columbæ symbolum, quod in nostra navicula exprimitur, haud mysterio, & quidem multiplici caret: columba enim, quæ summitati inest, eam symbolice præferre crediderim, quam ad explorandum, an diluvii aquæ desiissent, Noëmus ex arca transmisit, quæ quidem intra eandem regressa haud boni, quod expetebatur, nuncii tunc avis extitit, sed iterum ab eodem foras emissa feliciter *reversa est ad vesperam*, ut sacræ edocent paginæ, *portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo.* Altera subinde columba, quæ puppis loco insidet, sanctus utique Spiritus, qui Ecclesiæ regimini, tanquam supremus motor, ac ductor præest, palam adumbratur: eandem enim dirigit, ne in syrtes aliquando impingat; regit, ne procellis absorbeatur, & divinitus præstat, ut ad salutis portum tuto tandem emergat. Magna autem, ac mira inter arcam Noë, & Petri Naviculam, inter Noëticam columbam, ac faustum Ecclesiæ alitem similitudo intercedit, baptismus quippe apte concinneque, ut Chrysologus ait, hoc symbolo præsignari videtur: *Hodie*, inquit, *Spiritus sanctus supernatat aquis in specie columbæ, ut sicut illa columba Noë nunciaverat diluvium decessisse mundi: ita ista indice nosceretur perpetuum mundi cessasse naufragium.* Nostra autem Columba haud virentis olivæ ramusculo insigniri opus habet: Christus enim, qui unctus mystice interpretatur, illic jugiter præsentissimus est. Sed Columbam interim ad Noëmum intra arcam remittentes, plura nos infra de eadem lib. 6. Subterraneæ Romæ,

Quid columba Naviculæ Petri insideat significet.

Gen. c. n. 11.

Chry. ser. 140.

10 Ab arca, & navicula expediti, & à naufragandi metu liberi, in immanem, qui navi substernitur,

Piscis sub Navicula sculptus diabolum designat

nitur, piſcem ſine periculo incurrimus, quem peculiari neutiquam myſterio deſtitui pronunciandum eſt, & ſymbolice quidem diabolum, qui in ſacris paſſim ſcripturis Leviatan appellatur, hoc deſignari crediderim: hic enim aperto jugiter, hiantique ore navigantes abſorbere præoptat, verum Petri Naviculæ, & his, qui tuto in eadem navigant, ac circumferuntur haud ullatenus prævalendo damnum inferre poſſe Chriſtus in ſacris Euangeliorum paginis illis palam verbis Petrum edocuit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Quod quidem, ut clarius Chriſtiani facto exhiberent, piſcem tam immani præditum magnitudine naviculæ velut ſubactum, depreſſumque exprimere voluerunt, quod egregie Ambroſius illis aliquando verbis inſinuaſſe viſus eſt: *Sanctus Iob adventum*, inquit, *Domini prophetabat, de quo vere dixit, quod magnum cetum erat debellaturus.* Poteſt autem fortaſſe ejuſcemodi ſymbolo cetus ille intelligi, in cujus vaſtitate alvi tres dies, aperto, conſtantique jam tum Dominicæ Reſurrectionis mortalibus propinato myſterio, Jonas propheta perſtitit, & vegetus ſubinde, atque incolumis, ut in Cœmeterialibus paſſim Sarcophagis videre eſt, in lucem tandem emerſit.

Amb. l. 5. de fide ad Grat.

11 Sed ut ad Noëmum, & arcam revertamur, etſi ſingula interim, amice lector, quæ ad inſtituti propoſitum attinent, elucidemus, haud ipſummet *Noe* vocabulum, ut vides, peculiari myſterio deſtituitur, quod, ut diſertis Damaſcenus verbis pronuntiat; nobili quidem nominis auſpicio, requies interpretantibus reſonat. Nec vero tanti rem momenti, & obſervatione digniſſimam Patres ſilentio obvolverunt: Hieronymus enim in ſacris exponendis ſcripturarum myſterjis omnium oculatiſſimus, id peculiariter adnotavit, dum lib. quæſtionum in ſacram Genes. Illa Lamech verba explicans, hæc ait: *Et vocavit nomen ejus Noë, dicens: Ipſe requieſcere nos faciet ab operibus noſtris. Ab eo igitur* (inquit Hieronymus) *quod ſub illo omnia retro opera quieverunt per diluvium, appellatus eſt requies, &c.* Ioannes item Chyſoſtomus in conſcriptis à ſe in Geneſ. homiljis hæc ad rem noſtram habet: *Nomen autem* Noë *lingua Hebraica* quies *dicitur: quia ingruente diluvio, hic ſolus mundum ſalvaturus, & poſterioris ſeculi futurus auctor erat. Idcirco inquit: Faciet nos requieſcere, &c.* Iſidorus quoque Hiſpal. in ſuis ad ſacr. ſcriptur. allegoriis: *Noë*, inquit, *qui interpretatur requies, &c.* Origines item in diſceptationibus in Gen. *Noë* (inquit) *requies interpretatur, pro eo, quod ſub illo omnia retro opera quieverunt per diluvium. Vnde & pater ejus vocans nomen ejus Noe, dixit: Iſte requieſcere nos faciet ab operibus noſtris, &c.* idem inſuper in Comment. in Genes. iſthæc ſubtexit: *Non conveniunt cum Noë verba Lamech patris ſui dicentis: Iſte conſolabitur ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus: ſed cum Chriſto conveniunt verba hæc, &c.* Quod aureis totidem verbis Beda præcipua vir eruditione conſpicuus repetit expoſit. in Genes. & quæſt. pariter ſuper Genes. Idem quoque Beda perſcrutandis rerum divinarum arcanis lyncæus ex numero octavo, quo juxta ordinem recenſebatur Noëmus, futuram corporum reſurrectionem his plane verbis expoſit. in Genes. argumentatur. *Quod autem octavus ipſe Noë, quia in Chriſto ſpes reſurrectionis noſtræ apparuit, qui octavo die poſt ſabbatum reſurrexit.* Quod & egregie perantiquus ille ſacros inter ſcriptores Juſtinus martyr loco ſupracitato adnotaverat.

Noë vocabulum requiem ſignificat.

Hier. q. in Gen. c. 5.

Chryſ. hom. 34. in Gen.

S. Iſid. Hiſp. alleg. in ſac. Scri.

Orig. l. 7. c. 6.

In Comm. in Gen. c. 7.

[R]eſurrectio [m]ortuo[ru]m per [N]oemum [...]iam de[mon]ſtrata.

[B]ed. expoſ. in Gen. c. 5. & q. ſup. [Ge]n.

[Be]d. c. 5. [ex]poſ. in Gen.

12 Ut autem ſingula, quæ ad Noëmi hiſtoriam attinent, utpote peculiaribus imbuta myſteriis diligenter inquirendo perſcrutemur, jam enarratis illud adjicimus, quod in ipſa demum Cœmeteriali Noë imagine adumbrari columba cernitur, ore virentis ramum olivæ deferens: cujus ſane myſterium his potiſſimum adnotationibus paſſim elucidando orthodoxi Patres illuſtrarunt. In primis autem Cyprianus ad Novatianum ſcribens de ſecunda columbæ emiſſione apte, eleganterque edisſerit: *Recepta igitur columba, paucis etiam diebus interjectis, iterato emittitur ex arca, quæ reverſa non tantum firma veſtigia, ſed & inſignia ſuæ pacis, atque victoriæ per illa oleæ folia, quæ ſuo ore portabat, oſtendit. Duplex ergo illa emiſſio duplicem nobis perſecutionis tentationem oſtendit: prima, in qua qui lapſi ſunt, victi ceciderunt; ſecunda, in qua hi, qui ceciderunt, victores extiterunt, &c.* Quibus concinne quidem reſpondent, quæ S. Joannes Chryſoſtomus homil. 12. in cap. 3. Matth. in medium affert: *Cum univerſum aliquando orbem naufragium commune merſiſſet, & omne prorſus hominum genus periclitaretur, iſtud interim certe animal apparuit, finemque illius tempeſtatis oſtendit, atque ore ramum portans olivæ, pacem mundo redditam nunciavit: quæ omnia erant futurorum ſigna.* Et hæc infra ſaluberrimæ iſtius hiſtoriæ, qui Chriſtianorum tum oculis, tum animis proveniunt, fructus commendans: *Ne igitur* (inquit) *ipſe deſperes, illius te hiſtoriæ confirmat admonitu, &c.* hæc Chryſoſtomus. Sed de columba & olea pariter ſuo infra loco opportunus à nobis ſermo inſtituetur.

Myſterium columbæ à Noe emiſſa.

S. Cypr. ad Novat.

S. Chryſ. hom. 12 in c. 3. Matth.

13 Hæc, & complura alia aſpicientes edocet, commonetque deſcripta, nec non ab antiquis adeo frequenter uſu recepta ſanctiſſimi Noë imago, & à ſanctis ſubinde Patribus aureis plane animadverſionibus cumulata, ſed præcipue ab Ambroſio, qui luculentum ſatis de Arca & Noë tractatum edidit. Verum plura hic ad Noëticam illuſtrandam hiſtoriam referre ſupervacaneum ducimus, cum ea quæ hactenus è nobiliſſimo ſententiarum promptuario recenſita à nobis ſunt, ſatis ſuperque ad valide comprobandum ſufficiant, quo potiſſimum animi conſilio in abditis Cœmeteriorum receſſibus Noëtica exhibeatur hiſtoria, ut Chriſtiani videlicet, qui ibidem velut nobiliſſimi è ſeculo ad Deum transfugæ terræ recepti ſinu morabantur, inter ipſaſmet exundantis Oceani procellas *reſpicientes, & levantes*, ut Euangelicus habet ſermo, *capita ſua*, optimam in adverſis quibuſque ſpem conciperent, metumque omnem ac mœrorem animo deponerent; memoria, inquam, repetentes, ſe intra tutam Eccleſiæ arcam Dei munitam præſidio recipi, quæ debacchantium perſecutionum vi, etſi graviores impetant, haud perpeti naufragium queat, ſed potius adverſorum fluctibus immane excreſcentibus, Deo feliciter aſpirante, felicitatis ſortita cumulum elevanda ſublimius foret: *Creverunt enim aquæ, ut ſcriptura ait, & elevaverunt in ſublime arcam.* Demum divinæ opis præſidio ſuffultis ſub fauſto Noëticæ columbæ omine credentibus ſpes certa obventuræ pacis inerat, ut ſedatis nimirum tandem aliquando fluctibus, tranquillitatem nacti in ſublimibus atque æternis Paradiſi collibus, velut olim in Armeniæ montibus arca ſubſtitit, optatam ipſi pariter ſedem

Chriſtiani in Eccleſia tanquam in Arca Noetica uniti & ſpe pleni.

Chriſtiani, ut Noë in diluvio tranſactis hujus mundi fluctibus requiem ſperabant.

figerent,

figerent, & Noëmum virum sanctissimum egregie inter ipsa fluctuantis mundi deliramenta æmulati, perennem unà cum ipso laborum mercedem, ac jugem, sedatis tandem procellis, requiem obtinerent. Quæ omnia antiqui illi proceres tacite fortasse, ut menti quoque nostræ opinio subest, innui intuentium oculis voluere, dum recolendam hanc historiam coloribus adumbrantes, nullibi prorsus Noëticæ formam arcæ, sed patens ac supereminens quoddam suggestum pennicillo effinxerunt, in quo Noëmus ipse, ut videre est, eximii instar concionatoris residens, boni inter adversa nuntii officio fungeretur, dum sacrosancta isthæc arcanorum mysteria Christiano felicissimus futurarum rerum præco orbi è suggesto fideliter propinaret. Sed à Noëmo ad Abrahamum orationis stylum convertamus.

CAP. X.

De Abrahamo, & Isaaco.

Crux cum Christo illi fixo neutiquam effigiari olim solebat.

1 Cum probe nossent candidi Christianæ fidei cultores, qui omnium primi religionem, quæ è cælo fluxerat, ac universo postmodum orbi innotuerat, Romana in urbe sectati sunt, Christum Redemptorem, qui Crucis mysterium præ se ferebat, *Judæis quidem scandalum*, ut cum Apostolo loquar, *extitisse, à gentibus autem stultitiæ habitum esse symbolum*, id potissimum totis animi viribus præstitere, ut ad abolendam, quam mente præconceperant, vivificæ crucis sub funestæ mortis trunco unà cum metu ignominiam & ad tollendam dedecoris pariter, quod pœnali ligno inerat, notam tunc maxime, cum temporis opportunitatem sectando passionis dominicæ arcana expetentibus populis denuntianda forent, mysticis res coloribus adumbrata exhiberetur. Quapropter quo cautius religioni, ejusque decori prospicerent, haud palam Christi Salvatoris cruci affixi imaginem recolendam, venerandamque intuentibus proposuere, sed emblematicis, figuratisque modis obvolutam, sub innocui videlicet Agni juxta crucis lignum placide consistentis typo (de quo suo infra loco) & multiplicibus tum rerum historicarum, tum latentium mysteriorum symbolis, quæ Dominum cruci suffixum quoquo modo præ se ferrent, sub ipsa exurgentis Ecclesiæ primordia affabre coloribus effingere consueverunt.

Agnus vicem, ac typum Christi gerens sub Cruce effingebatur.

Isaac vera Christi figura.

2 Ad assequendum autem instituti propositum illis quidem satis frequenter & quasi ad manum celeberrima præ cæteris Abrahami & Isaaci historia usu venit; cujus rei ut præcipuas rationes attingamus, miræ, ac luculentæ Patrum sententiæ consulendæ nobis sunt. Sed omnium præcipuus Tertullianus pro re præsenti audiendus est, qui adversus Judæos, & libro item adversus Marcionem hæc ad rem nostram apte, eleganterque explanat: *Et utique sacramenta passionis figurari in prædicationibus oportuerat; quantoque incredibile, tanto magis scandalum futurum, si nude prædicaretur: quantoque magnificum, tanto magis obumbrandum, ut difficultas intellectus gratiam Dei quæreret. Itaque in primis Isaac, cum à patre hostia duceretur, & lignum ipse sibi portaret, Christi exitum jam tunc denotabat in victimam concessi à Patre, lignum passionis suæ bajulantis.* Sed disertissimus idem scriptor altiora, quæ latent, mysteriorum arcana sapienter edisserens, hæc de sacrosancto vivificæ Crucis ligno divinis prænotato mysteriis fatur: *Hoc lignum & Isaac filius Abrahæ ad sacrificium ipse portavit, cum sibi eum Dominus hostiam fieri præcepisset: sed quoniam hæc fuerunt sacramenta, quæ temporibus Christi perficienda servabantur, & Isaac cum ligno reservatus est, ariete oblato in vepre cornibus hærente, & Christus suis temporibus lignum humeris suis portavit, inhærens cornibus crucis, corona spinea in capite ejus circumdata.* Vides hinc horrificum crucis patibulum, Christi Domini conscensu apprime nobilitatum, haud horrorem incutere, sed decorem intuentibus ultro præ se ferre: *Factus est enim principatus ejus super humerum ejus.*

Tertull. cont. Jud. c. 10. & l. 3. adv. Marc. c. 18.

Id. Tert. l. de Cruce c. 13.

3 Porro nobilissimum hoc fidei mysterium Theophylactus quoque magis perspicue his quidem verbis exponere satagit: *Nam præfigurabat illum Abraham in oblatione Isaac, & arietis sacrificii: sicut enim ille Isaac ligna, ita Dominus crucem portavit, & sicut relictus quidem est Isaac, immolatus autem aries, ita & Deus quidem alienus est à passione, in humana autem carne & natura passus est.* Nec prætereunda hic sunt, quæ ipsemet in Ioan. & in Epist. ad Hebr. c. 11. in rem præsentem suggerit: *Fortassis*, inquit, *sicut illic Isaac dimissus est, & agnus immolatus est: ita & hoc loco divina natura impassibilis mansit, humana autem natura, quæ & Agnus dicitur, quia Adæ erraticæ ovis filius, immolatur.* Hæc Theophylactus. Idem fere disertis plane verbis Cyrillus Alexandrinus in Genes. & Isidorus lib. de different. attestantur. Sed præ cæteris Hieronymus homil. de resurrectione Dominica, eandem satis eleganter figuram explicans, his plane verbis prosequitur: *Hic idem Dominus in novissima mundi senescentis ætate, per figuram B. Abrahæ longævi patris offertur in victimam: quo tempore dum novo sacrificio, in unici filii sui jugulum pius parricida consurgit, ex improviso aries oculis ejus apparuit, sicut eloquitur sermo divinus. Et videns Abraham arietem inter vepres hærentem cornibus. Inter vepres, inquit, requiramus quæ sit ista novitas, id est, in multitudine circumstantium peccatorum hærentem cornibus, id est, ad Crucis cornua clavorum confixione pendentem, sicut in alio loco legimus: Cornua in manibus ejus.*

Oblatio Isaaci Passionem Domini præfigurabat. *Theoph in Io. c. 8.*

Theoph. in Io. c. 9. et in ep ad Heb. c. 3.

Cyril Alex. l. 7. in Gen. Isid. l. de diff.

D Hier. ho. 29 de resur.

4 Porro ex receptissima apud antiquos Christianos Abrahami historia corporum quoque resurrectionem argutissimis conficere argumentis orthodoxi Patres conati sunt, inter quos præcipue Origenes homil. 8. in Genes. explicans illa Apostoli verba Hebr. 11. *Fide Abraham non hæsitavit, cum unicum offerret, in quo acceperat repromissionem, cogitans quia & à mortuis eum suscitare potens est Deus*, hæc ad rei propositum subinfert: *Prodidit ergo nobis cogitationes viri fidelis Apostolus, quod fides resurrectionis jam tunc haberi cœperit in Isaac. Abraham ergo resurrecturum sperabat Isaac, & credidit futurum, quod adhuc non erat factum.* At singulari plane eruditione S. Epiphanius in lib. Dialog. fusius de adumbrato ejusdem resurrectionis mysterio; & Christi cum Isaac comparationem inducens, argute his verbis edisserit: *Confer ergo*, inquit, *figuram cum veritate, & videbis etiam in typo divinitatis impassibilitatem. Pater enim est hic, & illic, & filius similiter dilectus hic, & illic: & ferens uterque materiam sacrificii: hic enim ligna, ille crucem portavit humeris. Dicunt autem & montis verticem utriusque sacrificii operatione esse dignatum, convenitque dierum & noctium numerus, & quæ post eum facta est resurrectio. Etenim Isaac Patris sui animi promptitudine interfectus, à quo die magnorum donorum largitor Deus hoc jussit fieri, tertio typice revixit, ejusdē benignissimi & huma-*

Historia Abrahami, & Isaaci symbolum resurrectionis.

Apost. ad Heb. 2.

Orig. hom. 8. in Gen. c. 21.

Fides Abrahami immolare filium parati.

S. Epiph. dial. 3.

humanißimi voce: viſus eſt autem aries ab arbore pendens, & Crucis imaginem oſtendens, qui cædem pro puero paſſus eſt. Et hæc idem paulo infra: *Quia ergo fieri non poterat, ut in ariete præfiguraretur reſurrectio, cum ſit animal expers rationis, & divina carens imagine, in œconomia myſterii figuram partiuntur, & hic quidem mortis, ille vero reſurrectionis imaginem oſtenderet, &c.* Hactenus ad rem Epiphanius, quo altius hac ſuper imagine differente vides, quæ & quanta ſub uno eodemque ſymbolo vivifica arcanorum myſteria contemplanda tibi exhibeantur.

Fides Abrahami.
S. Io. Chryſ. hom. 25 in ep. ad Heb.

5 Concinne inſuper, & ſatis eleganter hoc ipſum S. Joan. Chryſoſtomus Homil. in epiſt. ad Hebræos hunc in modum inſinuat: *Si autem*, inquit, *Abraham ante tot annos credidit, quod Deus ſit potens ſuſcitare ex mortuis, multo magis nos id debemus credere. Vides quod ſicut prius diximus, mors nondum intrarat, & eos ſtatim traxit in ſpem reſurrectionis, & ad certam deduxit perſuaſionem, ut etiam juſſi ſuos mactarent filios, ex quibus expectabant ſe impleturos orbem terræ.* Idem plane S. Euſebius lib. in Geneſ. his verbis proſequitur: *Veruntamen Abraham confeſtim filium, cum eſſet immolaturus, reſurrecturum credidit.* Theophylactus quoque in epiſt. ad Hebr. condignis Abraham credentium parentis fidem laudibus hac ratione commendat: *Hoc ſane*, inquit, *valde eſt admirandum, quod cum olim non haberet filium, per quem promiſſionem, felicem eventum habituram ſperaret, & expectaret, ſed hunc ſolum, etiam eum tamen obtulerit. Unde hoc? ex multa & ingenti fide. Credidit enim, quod poſſet Deus poſt cædem ex mortuis ipſo ſuſcitato complere promiſſionem, ac per ipſum redivivum multiplicare ſemen.* Et in epiſt. ad Epheſ. diſertis quidem verbis edocet, quo videlicet pacto invictiſſimi Abrahæ exemplo emergentes jugiter vitæ hujus ærumnas, atque aſſiduas ingruentium malorum procellas, uberrimo meritorum proventu exſuperare quis valeat. Sed quæſo ejuſdem hic verba excipiamus: *Si tentationes invadunt, fidem adhibens futuris bonis, conſolationem accipies. Reputa tecum, quomodo ureretur Abraham, quando gnatum offerret, ſed fides flammas iſtas extinguebat.* Huc uſque Theophylactus fidelibus inter rerum anguſtias deprehenſis æmulandum Abrahami exemplar ob oculos ponens.

S. Euſ. l. 2. in Gen. — Theoph. in ep. ad Heb. — Id. in epiſt. ad Epheſ. c. 6. — Idem.

Quid nam fideles ex depicta Abrahami & Iſaaci hiſtoria diſcerent?

6 Ex repetita igitur, & frequenter tum oculis, tum animo exhibita hiſtoricæ enarrationis hujuſce imagine, fideles illi probatæ innocentiæ viri adverſus infenſorum hoſtium, quæ inſtabant certamina conſtanter exilientes haud modicas animo vires aſpiciendo exhaurire poterant, tum maxime ſi acerbos admodum Chriſti cruciatus jugiter præ oculis haberent, & futuræ ſpem reſurrectionis pia ac frequenti meditatione recolerent. Hinc beatiſſimis illis Chriſtianorum plane aureorum ſeculis in more poſitum fuit, ut non in Cœmeteriis duntaxat, verum etiam ipſis in Eccleſiis hiſtoria hæc ſæpiſſime coloribus exprimeretur, quam, ut ſupra notavimus, haud abſque uberrimis profuſis lacrymis Gregorius Nyſſenus ſanctiſſimus vir aſpicere aliquando potuit: quod item Gregorio Papæ ſecundo contigit, qui ad Leonem Iſauricum ſcribens, hæc ait: *Quis picturam Abrahæ cernens, & gladium pueri cervicibus imminentem, non compungitur, & collacrymatur? &c.* Hinc mutæ, ſed ad vivum coloribus animatæ viri ſanctiſſimi imaginis vim ediſce, quæ ab intuentium oculis lacrymas, & ab ipſis præcordiis dolorem elicere potis eſt. Sed de Abrahami hiſtoria hæc pauca ſcientibus expoſuiſſe ſufficiat.

Greg. Pap. ep. ad Leon. Iſaur.

CAP. XI.

De Ioſepho Patriarcha.

Joſephi Patriarchæ imago in Cœmeteriis frequens.

1 QUoniam præclara, ac omnibus fere virtutum numeris abſoluta Joſephi Patriarchæ geſta miris laudum præconiis uno paſſim Patrum omnium ſanctorum ore concelebrantur, hinc fit, ut in abditis plerunque Cœmeterialium Cubiculorum receſſibus hominis cujuſdam apparitorum manu intercepti, vel certe in captivitatem deducti contemplanda frequenter imago proponatur: qua profecto Joſephum recolendæ virtutis Patriarcham intuentibus exprimi nonnulli, quibus & ſacrorum Cœmeteriorum explorator Boſius præcipue adſtipulatur, exiſtimarunt. Cum igitur tam ſæpe præmemorata oculis imago ſubjiciatur, nos ultro fateri oportet, digniſſimam hanc Ioſephi, qui à fratribus doloſe venditus fuit, hiſtoriam conſulto ibidem adumbratam fuiſſe ac multiplicis quidem generis intuentium animo myſteria ſuggerere; ſed cæteris omiſſis, quæ magis præcipua ſunt, accepta à Patribus derivantes, hoc præſertim loco lectori adnotabimus. Tertullianus itaque, qui in ſcripturarum arcanis, quæ latent, perſcrutandis mirifice præſtat, adverſus Iudæos ſcribens, Ioſephum Chriſti Salvatoris noſtri figuram manifeſtiſſimam extitiſſe ait, ſed ejus quæſo verba conſulamus: *Ioſeph & ipſe per Chriſtum figuratus, vel hoc ſolo, quod perſecutionem à fratribus paſſus eſt, & venundatus eſt in Ægyptum ob Dei gratiam: ſicut & Chriſtus à Iudæis carnalibus fratribus venundatus eſt, à Iuda cum traditur.* Hæc in rem præſentem Tertullianus. Idem plane Origenes Homilia in Exod. his verbis aſſerit: *Antequam moreretur noſter Ioſeph, ille qui diſtractus eſt triginta argenteis ab uno ex fratribus ſuis Iuda, valde pauci erant filii Iſraël: cum vero pro omnibus guſtavit mortem, per quam deſtruxit eum, qui habebat mortis imperium, diabolum, multiplicatus eſt fidelium populus, & diffuſi ſunt filii Iſraël, & multiplicavit eos terra, & creverunt nimis valde, Niſi enim, ut ipſe dixit, cecidiſſet granum in terram; & mortuum fuiſſet, non utique fructum hunc plurimum totius orbis terræ Eccleſiæ attuliſſet. Igitur poſteaquam cecidit granum in terram, & mortuum eſt, omnis hæc ex ipſo ſurrexit fidelium ſeges, & multiplicati ſunt filii Iſrael, & invaluerunt nimis valde: in omnem terram exivit ſonus Apoſtolorum, &c.* Hæc Origenes de Ioſepho, qui ſicut Chriſti præ omnibus fratrum dolo venditus imaginem præ ſe tulit, ita pariter unus præ cæteris innumera Chriſtiano populo myſteria propinavit.

Joſephus Patriarcha Chriſtum in typo deſignabat. Ter. l. con. Iud. — Orig. hom. 1. in Exod.

Uti Joſeph poſt labores, ita Chriſtus poſt paſſionem honoratus.

2 Nec vero cum de Ioſepho agitur, à memoratis Patribus ſapientiſſimus ſcripturarum arbiter Auguſtinus diſſentit, qui in libro quæſt. quem ſuper Geneſim edidit, hæc ad rem noſtram eleganter exponit: *Ad hoc enim occiſus eſt Chriſtus à Iudæis, & traditus eſt gentibus, tanquam Ioſeph Ægyptiis à fratribus, ut & reliquiæ ſalvæ fierent.* Et contra Fauſtum agens, iſthæc ingerit: *Ipſe mihi Ioſeph innuitur, qui perſequentibus, & vendentibus fratribus, in Ægypto poſt labores honoratur. Didicimus enim labores Chriſti in orbe gentium, quem ſignificabat Ægyptus, per varias paſſiones Martyrum, & nunc videmus honorem Chriſti in eodem orbe terrarum, erogatione frumenti ſui, ſibi omnia ſubjugantis.* Rurſus idem

S. Aug. l. quæſt. ſup. Gen. — Aug. l. 12. con. Fauſt. c. 28.

In ps. 80. idem sanctissimus doctor in Psalm. ait: *Nostis Ioseph in Ægyptum venditum, Christus ad gentes transiens: ibi Ioseph post tribulationes exaltatus, & hic Christus post passionem Martyrum glorificatus.* Sed idem hæc

Id. ser. 84. de temp.

fusius pertractans consulendus est in serm. de tempore, ubi qua ratione prosapiam filiorum Israël in Ægypto multiplicari contigerit, explicans, quod jam supra Origenes acute disserens exposuerat: *Hæc*, inquit, *fratres charissimi, in illo Ioseph figurata sunt, in nostro autem Ioseph, id est, Domino Christo in veritate completa sunt. Prius enim quam crucifigeretur Ioseph noster, pauci in eum crediderunt, posteaquam vero mortuus est, & resurrexit, in universo mundo multiplicati sunt, & venerunt Israëlitæ, id est, populi Christiani. Sic & ipse Dominus in Euangelio dixit: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c.* Sed alias insuper Augustini sententias hic repetamus. Ipse enim tractatu in Psal. rationem breviter assignat, qua nos quoque Josephi, & ipsiusmet Christi Domini exemplo edocti, adversa quæque constanter perpeti valeamus, ejus autem hæc sunt verba: *Si tentationes duræ sunt in hoc seculo, Ioseph in carcere, Christum in cruce cogitate.* Idem porro sanctissimus doctor in sermonibus diuturnam, quam Josephus carceri mancipatus moram traxit, expendens, eam potissimum rationem affert, quod videlicet spem omnem suam homini magis, quam Deo commiserat, sic autem inquit: *Præventus est, ut auxilium peteret, dicens magistro pincernarum: Memento mei, cum bene tibi fuerit, & supplica Pharaoni, ut me ejiciat de isto carcere. Et quia nondum scriptum erat: Bonum est sperare in Domino, quam sperare in hominibus, cum in omnibus gratiam Dei meruisset, surreptum est illi, ut ab homine auxilium peteret. Pro qua re additi sunt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere, tanquam diceret ei Deus: Ego tibi ostendo, ut magis à me, quam ob homine debeas auxilium postulare, &c.* Huc usque de Iosepho suo eleganter more Augustinus.

Id. in ps. 104. Adversa æquo animo feruntur ab eo, qui Josephi, & Christi labores secum reputat.
Id. ser. 82.

Historia Josephi Patriarchæ figura Resurrectionis.

3 In Augustini vero sententiam it quoque pedibus S. Prosper Aquitanus, qui lib. de Prædict. in Promiss. Dei, Christum Redemptorem à Josepho præsignatum fuisse, & ex eadem insuper historia aptum futuræ resurrectionis mysterium ejuscemodi argumento deducit: *Post duos*, inquit, *annos dierum, tertio incipiente, de carcere educitur Ioseph, & noster Ioseph Christus Dominus die tertio à mortuis resurrexit.* Cæteri denique orthodoxi Patres permulta in hujus enarratione historiæ mysteria contemplati sunt, inter quos præcipue Ambrosius adscribendus est, qui satis luculentum, & miris refertum animadversionibus de Iosepho pariter tractatum edidit: sancti item Ioannes Chrysostomus, Hieronymus, Eucherius, Beda, & alii: verum hæc interim studioso lectori exposuisse satis sit, ut ex his facili quidem negotio sapientissima Christianorum consilia deprehendere queat, quibus ad hujuscemodi historiam oculis exhibendam permoti sunt, quo nimirum ex historicæ hujus enarrationis ad vivum coloribus adumbratæ aspectu mortalium quique probe discerent, probos viros, ac divinæ servitutis obsequio addictos, multiplicium luctaminum molestiis, ac certaminibus exercendos jugiter fore: in quorum tamen conflictu haud unquam humanum, sed divinum ultro auxilium expetendum, implorandumque iisdem sit. Id insuper, ut singula complectamur, rem altius expendentium animis emolumenti in-

S. Prosp. l. de prædict. in prom. Dei p. 1. c. 28.
Amb. tract. de Ioseph. Chrysost. Hieron. Eucherius, Beda.

erat, inspiciendo quippe palam intelligebant, uberrimos ex adversis virtutum proventus consequi, ac demum, quod & Regius olim Psalmista enunciaverat, futurum, *ut secundum multitudinem dolorum, consolationes Dei mæstorum cordibus* inenarrabili perfusis lætitia exuberarent, quibus perennis insuper gloriæ corona post momentanea isthæc agonum certamina ipsius Dei manu impartienda servetur. Sed non ipsa dumtaxat nuda Iosephi imago, sed ne nomen quidem mysterio vacat: nam fidelium auribus veræ felicitatis omen, & futurarum rerum spem bonam denuntiat, juxta illud, quod divinæ paginæ monent, oraculum: Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu: ita plane, incrementum nomen hoc indicat, ut egregie ex ipsius etymologia nominis Bernardus his verbis argumentatur: *Conjice & ex proprio vocabulo, quod augumentum non dubites interpretari.* Futuræ augumentum igitur felicitatis ex Iosephi nomine, tum etiam imagine deprehensi inter procellas Christiani edocebantur, & in ipsomet dignissimi Joseph nominis augumento de Joseph dicendi finis esto.

Iosephi nominis mysterium.
Bern. hom. 2. sup. mart. prop. fin.

CAP. XII.

De Moyse Hebræorum Legislatore, ac Duce.

1 UT de Moyse clari nominis, & conspicuæ sanctitatis viro, qui totius Israëliticæ gentis post viriliter excussum eorum dorso Ægyptiacæ servitutis jugum, dux, legifer, ac princeps extitit, opportunus hic à nobis sermo instituatur: quamvis singillatim celeberrimi viri gesta, quæ tum in, Exodo, tum in cæteris Pentateuchi tabulis descripta recensentur, condignis quæque mysteriorum sensibus obvoluta sint; apud sacra tamen Cœmeteria hæc præ cæteris penicillo adumbrata exhiberi contigit, quemadmodum videlicet primum ipse ad colloquendum cum Deo in Horeb montem conscensurus manibus calceamenta solvit: qua item ratione ibidem consistens lapideas tabulas digito Dei prænotatas populo oblaturus accepit: nec non uberrimos emergentium aquarum rivos petram virga quatiendo eduxit: quæ quidem singula præcipuorum arcana mysteriorum his potissimum sententiarum adnotationibus sanctorum Patrum ore mirifice dilucidantur.

Moyses, ejusque actiones mysterio plenæ.

2 Sed primo quidem loco disertissimus omnium Gregorius Nazianzenus in medium prodeat, qui Oratione secunda in Pascha, divino Moysen jussu calceamenta solventem pie contemplatus, hæc ait: *Iam qui terram sanctam ac divinis vestigiis impressam contacturus est, calceamenta solvat: quemadmodum & Moyses ille in, monte, ut nil mortuum ferat.* hæc Gregorius. Sed pari quoque eloquentia apertisque subinde verbis Augustinus Sermon. quem de sanctis habuit, hoc idem mysterium hunc in modum exponit: *Calceamenta*, inquit, *quibus utimur, coria mortuorum sunt, nobis tegmina pedum. Per hoc ergo jubemus renunciare mortuis operibus. Hoc in figura Moyses admonebatur, quando Dominus loquens, ait: Solve calceamenta de pedibus tuis, &c.* Audis magna isthæc, quæ vel sub cortice minimarum rerum mysteria latent. Verum Gregorio inhærens, idem pariter Isidorus Hispal. lib. Prooem. his plane verbis recitat: *Quia nullus digne consistere, vel Deum videre potest, nisi qui cuncta terrena & mortalia deposuerit vitia: quod significabant illa calceamenta deposita,*

Mysterium solvendi prius calceamenta, quam Deum conveniat.
S. Greg. Naz. or. 2. in pasch.
D. Aug. ser. 42. de sanct.
S. Isid. l. proœm.

Beda. Theophylact. Primæ Tabulæ legis fractæ & secundæ conservatæ integræ cur?

sita, &c. Hoc ipsum plane viri doctissimi, Beda, Theophylactus, & alii edocent. Isidorus autem ibidem de legis divinitus conscriptæ tabulis iterum quidem Moysis manu receptis; & de anterioribus, quas in admissi ultionem sceleris perfringi contigit; non autem de posterioribus, quæ illibatæ omnino substitere, hæc subtiliter edisserit: *Tabulæ illæ imaginem demonstrabant priscæ legis, non post longum intervallum pro populi peccato cessantis. Altæ vero ad instar priorum iterato incisæ, novi Testamenti habuisse figuram. Istæ non franguntur, ut ostenderetur novi Testamenti eloquia remansura, &c.* Ex quo plane Evangelicarum, quibus novum Christi Testamentum eminet, paginarum prærogativam edisces.

S. Isid. de tab. leg.

Mysteria aquarum è petra in deserto scaturientium.

3 De uberrimis vero aquarum fluentis, quæ portentosa Moysis manu durissimo è silice sitienti confovendo populo emanarunt, Iustinus Martyr Colloqu. cum Tryphone agens, ipsummet ingeniose locum adnotat, in quo portentum hoc contigit, in deserta nempe gentilium populorum regione, ac inde gentilium eorundem ad orthodoxæ fidei sinum vocationem præsignari edocet. Sed ejus hic verba excipiamus: *Fontem,* inquit, *aquæ vivæ à Deo in solitudine cognitionis Dei experte, in terra videlicet gentium scaturire fecit hic Christus.* Nec Hieronymus, qui eloquentia, ac eruditione haud cæteris impar est Patribus, suam altioribus hisce mysteriis exponendis ingenii vim desiderari patitur; quippe qui in illa Psal. verba: *Interrupit petram in eremo.* Petra quidem ipsummet Christum, aqua vero Apostolos ac orthodoxos Ecclesiæ doctores subintelligi affirmat: *Percussa est,* inquit, *Petra, & fluxerunt aquæ: illa Petra qui dixit: Qui sitit, veniat ad me, & bibat, de cujus ventre fluxerunt flumina.* Et paulo infra hæc subjicit: *Sicut Moyses percussit in eremo petram, & produxit populo aquas; ita Dominus, quem Paulus percussum ait propter peccata nostra, immensos nobis protulit fontes, Apostolos scilicet, quos Petra monstravit. & per quos fluxerunt torrentes: torrentes autem doctores accipimus, per quos torrentes, id est, subsequentes Ecclesiarum doctores repleti sunt; ex quorum nos prædicatione sitim extinguimus.* Concinne autem, eleganterque idem sanctissimus Doctor Mosaicarum rivulos aquarum, Baptismo & Martyrio his plane verbis confert: *Sed & fontem Baptismi nobis atque Martyrii eadem Petra ostendit. De latere enim ejus, cum percussus est, sanguis & aqua processit; quod Baptisma & Martyrium figuravit.* Idem fere disertis verbis inculcat, ac repetit in Comment. Isai. ubi illa Pauli verba explicans 1. Corinth. 10. *Petra autem erat Christus,* isthæc ad rem subdit: *Cujus, ut nove loquar, latus lancea vulneratum, aqua fluxit, & sanguine, Baptismum nobis & Martyrium dedicans, &c.* huc usque ipsam Moysis imaginem serio contemplans Hieronymus.

S. Iustin. Mart. colloq. cum Tryph.

Hier. in ps. 77. Petra in deserto Christum figurabat. D. Hieron.

Hier. in com. Isaia 48.

VirgaMoysis Cruci Christi collata, ejusque typus. D. Aug. l. 50. hom. 27.

4 Sed Augustinum quoque intimos scripturarum sensus probe elucidantem, si libet, hac super re consulamus, qui homil. lib. Mosaicæ petræ symbolo, Christum intelligens, virgam ipsiusmet Crucis trunco studiose comparat, dum isthæc subjicit: *Denique percussa est ipsa Petra ligno, ut aqua flueret: virga enim percussa est. Quare ligno, non ferro? nisi quia Crux ad Christum accessit, ut nobis gratiam propinaret.* Quod pari sententiarum vi ad rem nostram in sermon. de tempore his verbis prosequitur: *Percussit ergo Moyses virga bis silicem, quid est fratres? nec hoc puto esse sine mysterio. Quid est hoc quod non semel, sed bis percussa est petra? ideo secunda vice petra percutitur, quia duo ligna in Crucis patibulo eriguntur: quia in uno sacras manus expandit, in alto vero à capite usque ad pedes immaculatum corpus expandit.* At aliud præterea, & satis quidem vividum, satisque per se efficax ex historia, quam nunc recensemus, argumentum Augustinus infert, ad excitandum videlicet in Christianorum animis alacre adversa quæque patiendi desiderium, quo sane primævos, ac ferventiores illos Ecclesiæ Patres, qui à persecutionibus passim impetiti clanculum in cryptis demorabantur, ex ejusdem historiæ symbolo oculis objecto, supra modum æstuasse nobis credere par est. Subdit autem isthæc infra: *Bibit ergo de Petra populus, & statim bellum initt contra Amalech. Videte fratres, quia postea quam quisque de petra biberit, & Christi sacramenta susceperit, necesse est illi ad pugnam procedere. Tamdiu enim aliquis diabolum contra se pugnantem non sentit, quamdiu opera illius exercere voluerit. Qui vero illum reliquerit, & de Petra bibens; Christum sequi elegerit, necesse est, ut illum patiatur infestum, cum in isto judicio voluit præponere Christum. Quisquis ergo Christo conjungitur, non ad delicias, non ad voluptates, sed ad prælium præparetur: quia omnes, qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Recensitis autem ab Augustino optime consonant, quæ idem in sermonibus de tempore, speciatim de virga, vivificæ Crucis symbolo, loquens in hæc plane verba suggerit: *Virga illa Crucis mysterium præferebat.* Et paulò post comparationem hanc subinfert: *Sicut Pharo & populus ejus per virgæ sacramentum affligitur, ut ad serviendum Deo dimittat populum Iudæorum: ita & diabolus, & angeli ejus per Crucis mysterium fatigantur, & premuntur, ut à Dei servitio revocare non possint populum Christianum.* Hactenus Augustinus in reserandis divinarum scripturarum oraculis oculatissimus. At Augustino Isidorus quoque Hispal. constanter adstipulatur, hæc dicens: *Eadem autem Petra, quæ percussa aquam evomuit, Christi figuram habuit, ad quem velut Virga lignum passionis accessit, ut emanaret credentibus gratia. Percussa enim petra fons emanavit: percussus in Cruce Christus sitientibus lavacri gratiam, & donum Spiritus sancti effudit, &c.* En quam congruè, quæ olim à Moyse præclare gesta narrantur, ipsi Christo, ejusque fidelibus, velut vivæ exemplar imagini consonant.

Id. ser. 29. de temp.

Moyses bis petram percussit. & quid significet?

Id Aug. Necessitas pugnandi cum diabolo, ut in Christo servemur.

Id. ser. 86. de temp.

VirgaMoysis symbolum Crucis.

S. Isid. Hispal. l. Proœm.

5 Verum ut ad cætera, quæ ad Moysen spectant, elucidanda progrediamur; si imago illa in Cœmeterialibus plerisque Tabulis frequenter delineata, qua vir quidam, virgam manu gestans, & cistas panibus refertas tangens exprimitur, si Moysen, inquam, mellifluum, quod pluvit Hebræis, manna præmonstrantem, ut merito Bosius arbitratus est, imago ista præsefert, sapienti quidem consilio in sacris hanc Cœmeteriis pictam fuisse fatendum nobis est. Ex ejuscemodi etenim historiæ prospectu satis apte ratiocinari fideles secum poterant, quam eximiis interim gratiarum muneribus cumulentur hi, quos inter seculi hujus deserta degentes haud corruptibili mannæ pabulo, ut quondam Hebræi, verum saluberrimo, ac suavissimo, qui è Cælo pluit, Christi pane in vivifico altaris Sacramento recreari contigit, ipsomet verbis illis protestante Domino: *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi.* Et: *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, vivit in æternum.* Quod sane præstantissimi valoris,

Manna quid significet?

Manna novæ legis.

Io. c. 6.

valoris, celebrandum jugiter divinæ beneficentiæ, immensique amoris pignus in hæc plane verba satis luculenter Augustinus expressit: *Manducaverunt*, inquit, *manna, & mortui sunt, id est, manna quod manducaverunt, non illos potuit à morte liberare: non quia ipsum manna mors eis fuerit, sed quia à morte non liberavit. Ille enim liberaturus erat à morte, qui per manna figurabatur. De Cælo certe manna veniebat, attende quem figurabat: Ego sum, inquit, panis vivus, qui de Cælo descendi, &c.* Hucusque ad rem nostram Augustinus, qui sacrosancta, ut vides, altaris mysteria, & panis Dominici sacramenta sub virga, ac Moysis panibus adumbrata fuisse pronuntiat.

D. Aug. ho. 27.

6 Et hanc fortasse ob causam in quarta Cubiculi Tertii tabula, quæ apud Callisti Cœmeterium adhuc conspicua extat, juxta Moysis imaginem, quæ ibidem efficta cernitur, Christi quoque panes cruce obsignatos sinu continentis imago contemplanda exhibetur. Sed hic quæso mente, si libet, repetamus, quæ Origenes potissimum in Exodi elucidationibus ejuscemodi manna verbi divini pabulo comparans, concinne arguteque describit: *Dominus*, inquit, *pluit manna de Cælo, sed & hodie ego dico, quia pluit Dominus manna de Cælo: cælestia namque sunt eloquia ista, quæ nobis lecta sunt, & à Deo descenderunt verba, quæ nobis recitata sunt, & ideo nos felices, qui talia manna suscepimus.* Pluribus autem omnimodam hanc divini verbi similitudinem, ex mannæ ejusdem proprietatibus, sed præcipue ex miro ipsius candore, ac dulcissimo itidem sapore comprobat. Sic autem inquit: *Candoris autem, & dulcedinis habet plurimum. Quid enim candidius, quid splendidius eruditione divina? quid dulcius, quidve suavius eloquiis Domini? quæ sunt super mel & favum.*

Panes cruce signati.

Orig. hom. 7. in exod. Manna est verbum Dei.

7 Demum ut saluberrimum Mosaïcæ historiæ, necnon imaginis aspectum lynceis quisque oculis assequatur, ex præmemoratæ historiæ symbolo probatissimi orthodoxæ fidei cultores, mysteriis quampluribus mirifice instruebantur, & primum quidem haud ullis supernarum consolationum eos dignandos fore muneribus, qui futiles sibi, terrenasque ultro subtrahi non acquieverint, cum juxta id, quod sacrarum oracula scripturarum perhibent, tunc temporis potissimum manna de Cælo Hebræorum genti Deus irroraverit, cum Ægyptiacam, quam secum detulerant, farinam defecisse penitus contigit. Quod mysticis quidem elocutionibus Gregorius Nyssenus in libro de vita Moysis erudite satis expendit; ubi isthæc: *Posteaquam mare transierunt, &c. Tunc quæ Ægyptia viatica, & cibos sibi assumpserunt, penitus eos defecerunt: tunc omni nutrimento, quod ab Ægypto ferebant, absumpto, desuper sibi defluit cibus varius simul, & simplex, &c.* Ex injuncto insuper iisdem divinitus præcepto, tantundem videlicet matutino tempore, quod ad mensuram pertinet, colligendi manna, quantum ad opportunam quotidiani pabuli mensuram unicuique sufficeret, ita ut quod victui superfluum haberetur, computresceret; salubri quidem provehendæ vitæ instituto admonebantur, ut quævis lubrica noxiarum cupiditatum incentiva rescinderent, & paucis ad fovendam, propagandamque vitam contenti, sobrietatis modum tenerent, juxta id quod Apostolus ait 1. Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Quod totum pari verborum elegantia suo ex more Nyssenus in hæc verba ibidem edisserit: *Nec plus aut minus, quam indigentia exigebatur; quod meo iudicio, præceptio quædam est, omnes communiter instruens, ne plura, quam naturæ sufficiant, causa vivendi ex his materialibus appetamus. &c. Quod si quis stulta cupiditate deponendi, quicquam ex illo cibo in crastinum deposuerit, totum in vermes commutatur.* Indigentiæ igitur ac sobrietati divinitus consultum est; humanæ autem aviditati, ac inexplebili, quæ passim obtigit, cupiditati Dei providentia, velut indignis, semper deest.

Munera divinæ consolationis cum mundanis Deus non largitur.

Manna de Cælo non pluit nisi deficiente farina Ægypti. D. Greg. Nyss. lib. de vita Moysis.

Manna putrescebat ultra necessitatem instantem collectum, ejusque mysterium.

ad Tim. 6.

D. Nyss. l. de vit. Moys.

8 Nec vero peculiari vacat mysterio, ut idem scriptor egregie contemplatur, illæsa, illibataque consuetæ ejusdem mannæ mensura, quæ ab Israëlitis sedulo collecta, ad usque sabbati diem servabatur, cum grande alioquin piaculum haberetur, ipsomet recurrente sabbato manna colligere, cujus rei gratia duplam consuetæ mannæ mensuram, die, quæ sabbatum antecedebat, sibi Israëlitæ ad victum parare consueverant. Quo sane aptissimo rerum arcanarum symbolo cunctis, qui in æternitatis spem evocati sunt, intelligi aperte datur, in præsenti nimirum seculo laboribus jugiter insistendum esse, & bonis interim virtutum operibus vacando, opportuni instar viatici, meritorum subsidia comparanda, quibus recurrente postmodum sabbato, hoc est, cum perpetuæ unicuique quietis advenerit dies, exoptatæ mercedis præmia consequamur. Sed Nyssenum, si libet, his plane verbis egregie perorantem excipiamus: *Die autem sabbati solum illæsum permanebat: quia ex re tunc hæc deponendi superfluitate provida mente utendum docemur, quando ipsum depositum corruptionem pati non potest. Id enim post hujus vitæ parasceven, in quiete, quæ post mortem est, utilissimum erit. Hæc vero præparationis dies, hæc vita est, in qua præparamus, quæ ad futuram vitam nobis præsto erunt.* Vides hinc, amice lector, quam opportuna ad immortalem vitam comparandam ex adumbrata Moysis imagine subsidia suppetant, & quænam divinarum virtutum semina, vel ut melius dicam, ad æternitatem mortalibus viatica, ex Cemeterialibus symbolis eruta mente jugiter, ac animo recolenda pateant. Sed isthæc interim nobis ad cætera contendentibus delibasse sufficiat.

Manna in diem sabbati collectum non putrescebat, ejusque Mysterium.

D. Nyss. l. de vit. Moys.

CAP. XIII.

De Pharaone Aegyptiorum Rege, maris Rubri fluctibus obruto.

1 A Moyse ad Pharaonem, hoc est, à legum divinarum assertore dignissimo, & Israëliticarum gentium ductore, ac propugnatore iugiter memorando, ad infensissimum divini numinis, ac nominis, & populi ipsius hostem, ad Atheum denique hominem, qui ipsi iniurius divinitati, sanguinem innocentium ultro exposcebat, & *nec Deum timebat, nec homines*, ut Scripturæ ajunt, *reverebatur*, orationis stylum convertimus, verum quoniam est & vas aliud in honorem, & aliud in contumeliam, & ex noxiis quoque venenis pharmaca comparantur, haud invisa hæc, ac expungenda calamo, & perstringenda reprobi istius hominis imago sacris ad intuentium utilitatem mysteriis destituitur. Cum enim in Cœmeterialibus frequenter Tabulis Pharaonis in ipsomet maris profundo demersi oculis subjiciatur historia, quod ipsiusmet Moysis opera, ut sacræ testantur Paginæ, divi-

Pharonis historia, ejusque mysterium.

divinitus contigit, haud quidem dissonum & ab re fuerit, si à nobis singula venerandæ antiquitatis monimenta recolentibus, etsi Moysis imago nullatenus tabulæ exsculpta extet, hic quoque paucis in studiosi lectoris gratiam ipsiusmet Pharaonis mentio suggeratur. Ut credere autem nobis par est. primævi Christianæ fidei sectatores eandem hanc sibi ob oculos historiam idcirco proposuere, ut imperiti è cælo auxilii in arduo rerum momento menti jugiter memoria subesset; quo ab Ægyptiacæ, qua premebantur, servitutis jugo, & impia idolorum à quibus detinebantur, tyrannide in libertatem mirabiliter vindicati quondam fuissent, spemque bonam vel inter adversa Deo aspirante, conciperent, futurum videlicet, ut Tartareis tandem devictis hostibus, revectoque de ipso tenebrarum principe, cujus Pharao typus extitit, triumpho, ad optatam divinarum promissionum, ac viventium jugiter regionem, Christo adnitentibus duce, ipsi quoque palmis victorialibus insigniti emergerent. Quod præ cæteris egregie idem, qui supra, Gregorius Nyssenus innuit Homil. in Cant. illa præsertim verba exponens: *Equis meis in curribus Pharaones:* sic enim ait: *Fieri non potest, ut assimiletur quisquam equis, per quos in profundum demersi sunt currus Egyptiorum, nisi per aquam mysticam liberatus à servitute adversarii omni sensu Ægyptiaco, & omni externo vitio, & peccato in aqua relicto, pure emergat, Ægyptiacæ conscientiæ nihil secum adducens in vitam postea futuram, &c.* Hæc diserte in rem præsentem Nyssenus.

Pharaonis historia auxilium divinum justis avelle docebat.

Greg. Nyss. ho. 3. in Cant.

2 Cui plane ipsemet Augustinus in serm. de Tempore, his quidem verbis adstipulatur: *Ipse est*, inquit, *Via, Christus nempe, per quam populus, qui Deo conjungitur, de Ægypto, id est, de Idolorum observatione educitur per mare rubrum, Christi sanguine rubicundum, & quodammodo jam tunc mysterio consecratum, tanquam per Baptismi Sacramentum, Pharaone submerso, populus Dei eripitur. Et vero ita fit, fratres, quando in salutari lavacro, tertio Christiani merguntur. Tunc Ægyptii, id est, originalia peccata, vel actualia crimina quasi in rubro mari sepeliuntur, & filiis Israël pertranseuntibus ad Dei servitium, sola patiuntur peccata naufragium. Et ne aliquis dubitet, & putet non omnia peccata sopiri per Baptismum, agnoscat & intelligat, quia quomodo nullus remansit Ægyptiorum, sic nihil remanet peccatorum.* Vides quam bene Ægyptiorum naufragio inter baptismales undas omnimoda peccatorum obliteratio respondet. Quod egregie pariter Chrysostomus insinuat in illud Pauli: *Nolo vos ignorare fratres, quod patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt.* Sed ejusdem hic verba referre præstat: *Poterimus te docere, quomodo vetus ad novum Testamentum habeat cognationem, & ille transitus ad nostrum Baptisma. Nam ibi aqua, & hic laqua: avacrum hic, & ibi pelagus: omnes hic in aquam ingrediuntur, & ibi omnes. Iuxta hoc similitudo est. Postea vis cognoscere colorum varietatem? ibidem liberati sunt ab Ægypto per mare: hic autem ab Idololatria, & ibi equidem Pharao submersus est: hic autem diabolus: ibi Ægyptii submersi: hi autem vetus homo peccatis defoditur, &c.* Sed interim, quæ disertissimis idem verbis Homil. ad Neophytos recitat, audiamus: *Vidisti*, inquit, *mirabilia longe majora, quam Iudæi in illo tempore Ægyptum relinquentes: non vidisti armatum Pharaonem suffocatum, sed vidisti diabolum mole suppressum. Illi fluctus, & pelagus transierunt: tu mortem transisti. Illi Ægyptiorum separatione alienati sunt: tu dæmonum liberatione gratularis. Illi jugum amiserunt barbaricæ servitutis: tu, quod durius est, à peccatorum servitute liberatus es.* En, mira symbolum inter utrumque, maris videlicet, & baptismi proportio. At vero Alcimus Avitus Viennensis lib. quem de maris rubri transitu inscripsit, in Patrum Bibliotheca carminibus hisce eleganter expressit:

D. Aug. ser. 90. Mare rubrum figura, ac typus Baptismi.

Chrys. in ver. Apost. 1. Cor. 9

Chrys. ho. ad Neoph.

Alcim. Avit. Vien. l. 5. de transitu maris rub. Bibl. PP. to. 8.

Quod vero Aegyptus lapsis evaditur undis,
Evasoque mari, nostri illa figura lavacri est
Cum Pharao infernus sacris submersus in undis
Ingemit è tanto miseros discrimine lapsos.

Cæteris demum omnibus, ut brevitati consultum sit, prætermissis, Bedam doctissimum, lector, consule, qui in suis in Exod. animadversionibus hæc omnia paucis quidem, sed concinne hunc in modum explicat: *Rubrum mare significat Baptismum, Christi sanguine consecratum. Virga autem, qua mare tangitur, Crux Christi est, quam per Baptismum accipimus. Inimici sequentes cum Rege, qui à tergo moriuntur, præterita peccata sunt, quæ diluuntur, & diabolus in spirituali lavacro, id est, Baptismo suffocatur.* Quid mirum igitur, si apud Christianos, quibus baptismali fonte expiatis iter ad Cælum pandebatur, & quibus mors jugiter imminebat, nec non sub ipsa quoque arctiora persecutionum tempora feriente tyrannorum gladio, ipsiusmet sanguinis unda ablutis expeditus ad vitam transitus parabatur, si Pharaonis, inquam, intra Oceani fluctus demersi coloribus effIcta & sepulchralibus item lapidibus insculpta haud semel imago suspicienda proponeretur, cum ex illius objectu probe illud unusquisque meminisse posset: *Et in mari rubro via sine impedimento.* Sed de Pharaonis naufragio, ac de Baptismi symbolo hæc pauca delibasse sufficiat.

Bed. in exod. c. 14.

Sap. c. 19. n. 7.

CAP. XIV.

De Arca Fœderis.

1 Christiani, quippe qui regenerantis aquæ lavacro, ut diximus, divino munere impertiti, è mediis periculorum fluctibus feliciter emergere didicerant, triumphale Arcæ Fœderis lignum, quod olim Iudæis inter deserta agentibus, & in ipsius Iordani præsertim transitu miris portentis præsto fuerat, tutumque adversus hostium conatus propugnaculum extiterat, intra Cœmeteriales cavernas sibi ob oculos jugiter contemplandum proponere consueverant. Ejuscemodi enim symbolo, sedatis tandem rebus, una cum Israëlitis bonum felicitatis omen nacti, canendum sibi quoque portendebant: *Surge Domine in requiem tuam tu, & arca Sanctificationis tuæ.* Et hinc potissimum, ut rem ad sua derivemus initia, contigisse arbitramur, ut Arca, quæ coloribus affabre in quarta Cubiculi primi apud Callisti Cœmeterium tabula exprimitur, ipsammet, quemadmodum conjecturæ suadent, & nobis credere par est, testamenti Fœderis Arcam exhibeat: sub cujus profecto cortice haud obscura rerum altissimarum edisseranda mysteria latitant. Hanc enim, ut ejus hic gloriæ decorem studiosorum auribus ingeramus, aptissimam Christi Salvatoris nostri figuram extitisse cuncti fere è Patribus asseruere, qui Arcæ ejusdem formam, mensuram, ac munera solerti labore ac studio adnotarunt: inter quos Cyrillus Alexandrinus locum præcipuum tenet, qui lib. quem de Incarnat. Vnigenit. conscripsit, super illud:

Cur Arca Fœderis in Cœmeteriis depicta fuerit?

S. Cyrill. de Incar. verb. cap. 10.

Arca Fœderis Figura Christi Domini.

illud: *Et facies Arcam Testimonii, &c.* hæc ait: *Sed lignum quidem imputribile sit figura corporis incorrupti: imputribilis enim cedrus: aurum vero quasi materiis altis pretiosior, divinæ nobis indicat substantiæ majestatem.* Neque id satis ad rem pro dignitate illustrandam exposuisse ratus Cyrillus, hæc insuper lib. in Joan. addit: *Christus est Tabernaculum quidem propter carnis tegumentum: Arca vero legem habet reconditam, ut Dei Patris Verbum.* Hæc ille.

Id. in Joan. l. 1. c. 28.

Arca Fœderis Christo Domino symbolice collata. S. Hil. in psal. 131.

2 Sed promptis quæso auribus disertissimus inter cæteros Hilarius excipiatur, qui elucidatione in Psal. super illud: *Arca sanctificationis*, &c. hæc optime ad rem nostram inserit: *Et quidem esse Arcam Testamenti meminimus intus & foris auream, ubi tabulæ Testamenti, ubi sacræ literæ, ubi liber Testamenti, ubi Gomor mannæ: sed hæc omnia ejus, quod Dominus assumpsit, corporis species est, omne in se sacramentum continens legis. Hoc & Deitatis spiritu, & origine carnis munitum, intus ac foris aureum. Est enim Dominus noster Iesus Christus in gloria Dei Patris, & manna in se continens æternum: ipse enim panis est vivus Testamenti intra se tabulas, & legis librum conservans: sicut enim in eo verba vitæ.* Nec prætereundus interim nobis est Ambrosius, qui in epist. ad Fel. Comen. Episcopum in hæc plane verba idem prosequitur: *Ibi Arca Testamenti est undique auro tecta, id est, doctrina Christi, doctrina sapientiæ Dei. Ibi dolium aureum habens manna, receptaculum scilicet spiritualis alimoniæ, & divinæ promptuarium cognitionis. Ibi Virga Aaron, insigne sacerdotalis gratiæ, quæ aruerat ante, sed in Christo refloruit, &c.* In epist. insuper ad Hebr. *Hæc est*, inquit, *caro Salvatoris nostri, in qua erat urna aurea habens manna divinitatis, & Virga Aaron, quæ floruit in sacerdotio Christi, & Tabulæ duorum Testamentorum.* Arca igitur Mosaïcæ legis, quæ tota auro præfulget, aureis item mysteriorum tegminibus intus dives coruscat.

Ambr. l. 2. ep. 60.

Arca Fœderis figura Doctrinæ Christi.

Id. in ep. ad Heb. c. 9.

Arca Fœderis figura Virginis Deiparæ.

3 Nec vero unum dumtaxat in Arcæ symbolo mysterium Ambrosius recognoscit, sed totus in perquirendis perscrutandisque cælestium arcanorum thesauris lynceus, ipsius Deiparæ sacrosanctum in Arca mysterium venerari haud desinit, cujus hanc extitisse figuram in serm. pro Com. Confess. his verbis asseruit: *Arca autem quid, nisi sanctam Mariam dixerimus, siquidem Arca intrinsecus portabat Testamenti Tabulas: Maria autem Testamenti gestabat hæredem. Illa intra semet Legem: hæc Evangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat: hæc Verbum. Veruntamen Arca intus forisque auri nitore radiabat: sed & sancta Maria intus forisque virginitatis splendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro: ista cælesti. Unde merito ab Ecclesia Arca Fœderis ipsa B. Virgo nuncupatur.* Vides quam apte ea, quæ Arcæ congruunt, eadem in Virgine respondeant.

S. Amb. ser. 25. pro Com. Con.

4 Sed aliud plane mysterium haud obiter expendendum sub Arcæ ejusdem cortice Gregorius contemplatus est, dum Homil. in Ezech. Israëliticam ipsimet Christo Arcam conferens, hæc ait: *Arca quippe Testamenti ipse nobis factus est, de quo scriptum esse novimus: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi.* Idem autem sanctissimus Doctor in suo Past. eandem apertissimum Ecclesiæ symbolum esse pronunciat: *Quid per Arcam*, inquit, *nisi sancta Ecclesia figuratur: cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos jubentur adjungi, quia in eo quod per quatuor mundi partes dilatata tenditur, procul dubio sancti Euangelii libris accincta prædicatur.* Gregorio Augustinus item subscribit, illa Apocalypſ. verba explanans: *Et visa est Arca Testamenti ejus in Templo ejus*; ubi isthæc: *Id est, intellectum est, Ecclesiam esse Arcam Testamenti.* Arcæ igitur symbolum, multiplici quidem mysterio decorum, atque conspicuum, Christi, Deiparæ, & demum ipsiusmet Ecclesiæ contemplantibus exemplar exhibet. Et hæc pauca interim de Fœderis Arca studioso prælibasse lectori voluimus.

S. Greg. ho. 22. in Ezech.

Arca Fœderis figura Ecclesiæ.

Id. in past. p. 2. c. 2.

Aug. ho. 9. in Apoc.

CAP. XV.

De Sampsone.

Sampson Christum Dominum typice significabat.

1 Quod laudatissimus ille sacras apud Paginas Sampson, & portentoso virium robore satis nunquam admirandus, alter veluti antiquorum Atlas, typicam Christi Salvatoris nostri formam præ se tulerit, Patres fere omnes unanimi voce affirmant: sed unus præ cæteris constanter Origenes Tractat. in Matth. Ambros. item Comment. in Apocalypſ. Augustin. in Sermone de Tempore; qui dum Gazæ civitatis portas ipsis è cardinibus Sampsonis manu ultro sublatas expendit, sacrosanctum Dominicæ resurrectionis mysterium his quidem verbis agnoscit: *Tollit tamen portas civitatis; id est, aufert portas inferni. Quid est portas inferni tollere, nisi mortis imperium removere? Quid autem fecit Dominus Iesus Christus? ablatis portis ascendit in cacumen montis: novimus enim eum & resurrexisse, & in cælos ascendisse.* Idem quoque Gregorius affirmat, qui prolixiori rem hanc sermone prosequitur, ac magis expresse, quod adumbratum est, mysterium explanat, dicens: *Sed quid fecit Sampson, agnovimus; media nocte portas civitatis abstulit, & montis verticem ascendit. Quem, fratres charissimi, in hoc facto, nisi Redemptorem nostrum Sampson ille significat? Quid Gaza civitas, nisi infernum designat? Quid per Philisthæos, nisi Iudæorum perfidia demonstratur, qui cum Dominum vendentes, ejusque corpus in sepulchro jam positum, custodes illico deputaverunt. Sampson vero media nocte non solum exiit, sed etiam portas tulit: qui Redemptor noster ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed etiam & ipsa inferni claustra destruxit: portas tulit, & montis verticem subiit, quia resurgendo claustra inferni abstulit, & ascendendo cælorum regna penetravit, &c.* Sed strenuissimi mortalium Sampsonis historiam paucis admodum perstrinxisse, ejusdemque coloribus vel leviter imaginem adumbrasse voluimus, cum satis superque tanti viri gloriam, cujus mentio est, ipsamet fama, quæ adhuc viget, totumque replevit orbem, vel silens loquatur.

Orig. tract. 35. in Matt.

Ambr. Com. in Apoc.

D. Aug. ser. 107.

Greg. hom. 21. in Euang.

CAP. XVI.

De Regio Propheta Davide.

Cur Davidis imaginem veteres Christiani in Cœmeteriis depingerent?

1 Sapienti quidem Christiani consilio, qui olim insectantium metu adacti, ex Urbe, & ex toto, ut ita dicam, terrarum orbe extorres effecti, fugam arripere, & intra Cœmeteriorum cavernas ad latitandum se recipere compellebantur: nullibi enim tuto consistere poterant, nec ullus eis ad latendum locus suppetebat, quod David strenuissimus vir, cum Saulem persecutorem pateretur, haud semel laudabiliter præstitit, animo recolentes, vivis in tabula coloribus expressere. Con-

Cur Davidis imaginem in Cœmeteriis fideles olim depingendam curarent.

Congrue nimirum prophetæ laudatissimi, qui in montes, silvas, atque antra, ut insequentium manus declinaret, regiosque conatus eluderet, fugam arripuit, contemplandam sibi ob oculos in ipsiusmet Cœmeterialibus cubiculis imaginem adumbrabant. A regia quippe Urbe profugus apud Ziphæos iste aliquando in solitudine, ut sacræ testantur paginæ, delituit, eisdemque ultro Sauli, ubi absconditus vir insons degeret, renunciantibus, quo Rex iracundia furens, æque ac invidia tabescens, innoxiumque sanguinem sitiens, quem anxie requirebat, prompta manu obtineret, locum diligenter in hæc verba observari præcepit: *Considerate*, inquit, *& videte omnia latibula ejus, in quibus absconditur, & revertimini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum: quod si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.* Utique si intra ipsius terræ viscera is, quem hostiliter insectabatur, se infudisset, abditissimos quosque ad perscrutandum hiatus se penetraturum edixit. Verum subinde, haud semel Deo protegente, *qui facit ventis pondus*, quærentis, immo ad necem insequentis solicitudo deludi meruit, & opportuna ubique David ferarum instar latibula sortitus est. Apud Ziphæos enim frustra in montibus à Saule quæsitus, & in tutissimis Engaddi locis intra speluncam ab ipsomet insequente, ac veluti fato conclusus, præsentissimo numinis auxilio liber à cæde evadens, vel inter fugiendum palmam ex hoste haud occiso, sed servato, & tunc maxime, cum nullum pateret effugium triumphando revexit: *Porro David desperabat se posse evadere à facie Saul.* Sed meminerimus quæso David speluncæ latebras subeuntem: *Erat que ibi spelunca, quam ingressus est Saul, &c. Porro David, & viri ejus in interiore parte speluncæ latebant.* Quippe jam ex adverso hostis non cum hoste, sed cum amico, etsi hostiliter conflicturus in arenam descendisse videbatur, qui tamen liber semel, atque iterum protegente Deo evadens, resecta dumtaxat chlamydis ora liberum amicabiliter inimicum dimisit: quapropter domi forisque tunc maxime hosti pacificus, cum ille magis adversus eundem truculentus, infensus, ac bellicosus, condignam è Cœlo triumphi palmam promeruit: post immanem quippe Philisthinorum cladem, Gigante ad internecionem deleto, festivis illis merito vocibus quondam puellæ redeuntem excepere: *Percussit Saul mille, & David decem millia. Percussit Philisthæum, & abstulit opprobrium ex Israel, quia manus Domini erat cum illo.* Et quidem præclaræ ejus res gestæ æternitati commendatæ isthæc legentibus jugiter inculcant: *Numquid non occidit gigantem, & abstulit opprobrium de gente. In tollendo manum, saxo fundæ dejecit exultationem Goliæ: nam invocavit Deum omnipotentem, & dedit in dextra ejus tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ, sic in decem millibus glorificavit eum, & laudavit eum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ.* En Davidicæ immensus gloriæ cumulus, en condigni triumphorum invicti Regis tituli, quos nulla unquam temporum obliterabit injuria, omnis ætas admirabunda suspiciet. Jure igitur ejus qui Dei gloriam, qui religionis cultum præ oculis jugiter tulit, & regnum religioni posthabuit; jure, inquam, in subterraneis palæstris apud primævos Christianos, dum probris, ac contumeliis ad abjurandam fidem impeterentur, ejusdem ob oculos imago contemplanda proponebatur. Quis enim saltantem ante Arcam in Dei obsequium Davidem non meminerit: *David autem saltabat totis viribus ante arcam*, cum interim ab uxore Michol insanis vocibus, dicteriisque turpiter impeteretur: *David saltat, & Michol irascitur.* Sed exprobranti unicam pro clypeo Dei gloriam, qui tunc maxime inglorius videbatur, objecit: *Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, & quam omnem domum ejus mihi, ut essem Dux super populum Domini in Israël, & ludam, & vilior fiam, & ero humilis in oculis meis.* Merito igitur admirandus ille plus dum saltat, quam dum pugnat, plus dum se ad ima dejicit, quam cum inimicos potenti virtute debellans extollitur: *Ego* inquit Gregorius, *David plus saltantem stupeo, quam pugnantem pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino seipsum vicit.* Et hæc infra in saltantis laudem Gregorius subdit: *Rex se in divino obsequio per saltum rotat. Ecce quem Dominus cunctis singulariter prætulit, sese sub Domino, & exæquando minimis, & abjecta exhibendo contemnit.* Ad invicti igitur animi inter adversa exemplar æmulandum Davidem Christiani, dum ipsasmet speluncas incolerent, suspiciendumque sibi objiciebant.

Lib. 1. Reg. c. 23. n. 26. — Iob. c. 28. n. 25. — Lib. 1. Reg. c. 23. n. 26 — L. 1. Reg. c. 24. — Reg. c. 18. — Eccl. 47. — Iure Davidis imago Christianis olim proponebatur. — 2. Reg. 6. — 2. Reg. c. 6. — Greg. in c. 7. Iob.

2 Cum igitur in nonnullis Cœmeterialium Cubiculorum tabulis præclara Davidis pastoritia funda instructi ad certamen cum illo gigantum vastissimo Goliath prodeuntis imago exhibeatur, nostri quidem muneris est, opportunis sententiarum coloribus concinne imaginem hanc intuentium ob oculos delineare. Ut quid autem emolumenti potissimum piis fidelium animis ex ejusdem aspectu proveniret, breviter attingamus: recolendæ hujus quidem historiæ pennicillo expressa imago invictos Christi athletas sævissimis cum tyrannis, ac tartareis ipsius Averni potestatibus conflicturos, haud ferreis tamen armis munitos, nec propriis innixos, fidentesque viribus, victoriæ palmam consecuturos inspicientes ultro edocebat, juxta illud Psalmistæ oraculum: *Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me, &c.* Sed valido Christianæ fidei scuto, ac vivificæ crucis, quæ vim præliantibus confert, & vires adversariorum enervat & præripit, præsidio certam sibi victoriam polliceri ac lauream posse promereri unumquemque posse, cum ipsemet Dominus, qui Petra symbolice dictus est, in crucis trunco tanquam in funda, ad omnem diaboli fastum, ac vim penitus omnem conterendam, prosternendamque, divinitus in exemplum pariter, atque subsidium constitutus sit. Quod egregie Cyrillus Alexandrinus in hæc verba exponit: *Sane crux ista funda est, qua David Goliath horrendum in armis, & formidabilem visu stravit humi.* Vides hinc contemptibili ligno quam ingens & recolenda jugiter provenerit orbi victoria.

Davidis cum Goliath certamen depictum quid doceret? — Funda Davidis typus Crucis Christi. — S. Cyril. l. 8. in Io. c. 17.

3 Sed miris historiam hanc animadversionibus Gregorius illustrat, dum Davidica Ecclesiam funda, limpidissimis vero lapidibus orthodoxos præsignari Doctores affirmat; sed hic ejusdem verba lector accipe: *Quid per fundam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Funda namque dum in gyrum mittitur, sic ut de illa lapides exeant, quibus adversariorum pectora feriantur. Ita sancta Ecclesia dum volubilitate temporum per tribulationum circuitum ducitur, fortes ex illa viri prodeunt, quibus quasi lapideis ictibus iniquorum corda tunduntur.* Et hæc infra sanctissimus doctor enarrando subjicit: *Unde & Goliath immanissimus saxo fundæ moritur, quia singulari sancta Ecclesiæ lapide*

Funda Davidica Ecclesiam præsignabat. — Greg. l. 34. moral. in cap. 42. Iob.

lapide

lapide diabolica celsitudo superatur. Porro concinne Cyrillo Augustinus de quinque hæresibus hoc plane modo adstipulatur: *Goliam, magnum, robustum, armis terribilibus, ingentique turba munitum, David solus puer parvus, & inermis, uno lapidis ictu prostravit. Quid autem aliud petra contra Goliam manu David missa, nisi Christum contra diabolum ex semine David venturum significavit?* Eadem fere prosequitur expositione, quam habet in Psal. & fusius in sermone de tempore. Et iterum sanctissimus Pater, Davidem in certamen strenue prosilientem, fide quidem armatum, non autem armis fidentem, admirabundus suspicit, dum ait: *Expeditissime ille ad prælium procedere cupiebat, fortis non in se, sed in Domino; armatus non tam ferro, quam fide. Unde abjectis armis elegit aliquid, unde pugnaret, & hoc non sine sacramento, &c.* Idem repetit sermone quarto de verbis Domini: *Vide*, inquit, *parvum David contra Goliam, vide parvum contra ingentem, sed in nomine Domini præsumentem. Tu venis ad me, inquit, cum clypeo & lancea; ego in nomine Domini omnipotentis. Sic, sic, aliter non, omnino aliter non prosternitur inimicus.* Hæc ille.

S. Aug. de quinque hær. c. 1.

Aug. in ps. 30 & ser. 197.

Fiducia Davidis cum Golia præliaturi. *S Aug. ser. 20. de divers. de Monom.*

Id. ser. 4. de Verb. Dom.

4 His vero plane consentiunt, quæ D. Joannes Chrysostomus verbis hisce scribit: *Hoc factum est, ut virtus Dei aperte monstraretur, & non armis, quæ fiebant, mira adscriberentur. Nam deposuit arma, & arrepta pera pastorali, & silicibus contra carneam illam turrim egressus est.* Sed miro utique ingenii acumine, & paribus eloquentiæ lineamentis Ambrosius hanc singillatim historiam expendens prosequitur; ait igitur: *Per peram ejus humanitas designatur: per quinque lapides, quinque libros Moysis, quos in peram misit, quia scientiam quinque librorum æqualiter possedit. Per fundam autem ejus, linguam accipere possumus. Processio vero David contra Philisthæum duobus modis secundum allegoriam intelligi potest. Processit namque Salvator noster contra Philisthæum, quando ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo, vinceretque diabolum. Quinque lapides David in peram misit, sed ex uno Goliam prostravit; quia Salvator noster scientiam quinque librorum æqualiter possedit; sed ex uno, id est, Deuteronomio tria testimonia assumpsit; ex quibus tres tentationes diaboli devicit. Et sicut David funda lapidem jecit, & Goliam interfecit; ita & Dominus noster Iesus Christus lingua sanctæ scripturæ testimonia protulit, & diabolum superavit.* Aliter: *Perrexit David ad pugnam contra Philisthæum: Similiter & Christus ut diabolum vinceret, ad passionem properavit. David lapide Goliam dejecit, similiter & Christus diabolum morte sua peremit.* hæc argute ad rem nostram Ambrosius edisserit.

D. Chrys. ho. 46. in Gen. Christus verbis scripturæ Diabolum devicit, & Cruce illum peremit. *S. Amb. Com. in c. 6. Apoc.*

5 Eadem iisdemque fere verbis à doctissimo Beda quæst. in lib. Reg. recensentur. Eleganter vero Isidorus Hispalensis David inermis pugnam stupenti animo contemplatur, qui lapidibus ad bellandum, debellandumque hostem instructus, unum duntaxat ex his, cum fortissimo Philisthæorum congressurus, elegit; quæ quidem singula optime Christo Domino consonant, ut his quidem verbis affirmat: *In David Christus intelligitur, qui tempus revelationis novi Testamenti insinuandæ, & commendandæ gratiæ prævidens, arma deposuit, quinque lapides tulit. Deposuit ergo corporalia sacramenta legis, quæ non sunt imposita gentibus.* Et infra hæc subjicit: *Denique hæc arma deposuit, tanquam onera sacramentorum veteris legis, & ipsam legem accepit. Quinque enim lapides, quinque libros Moysis significant, &c. Quinque lapides posuit, unum misit: quinque libri lecti sunt, sed unitas vicit. Plenitudo enim legis charitas est, &c.* Et S. Euch. in lib. Reg. id ipsum egregie confirmat. Sed invicti Davidis gloriam, cui nullus par triumphus extitit, & suspiciendam jugiter ejus imaginem, qua virtutum exemplar dedicatum est, laudum præconiis, ac monimentis perennibus pro meritis illustrasse sufficiat. Iam ad reliqua progrediamur. Interim vero dum ipsius Davidis imaginem recolimus, Cœmeterialibus ejusdem tabulis titulum hunc devota manu appendimus.

David vera Christi Domini figura. *Beda quæst. in reg. 4. c. 14.*


Isid. Hisp. in l. 1. Reg. c. 10.

S. Euch. in 1. reg.

David Judæorum Rex
Cœmeteria nunc, ut vides, incolit, quia speluncas olim & deserta
domo profugus excoluit.
Unus præ cæteris sat laudatus, quia Deum habuit laudatorem.
Si quæris, quis ille fuit: Inter homines plusquam homo,
Homo secundum cor Dei.
Ex ovium pascuis, ovantibus populis ad Regnum Israël translatus,
Primum Pastor, postmodum Rex.
Regis, ac Pastoris inter gregum pascua, tyrocinium auspicatus,
Domi, forisque notus præfulsit.
Ursis, ac leonibus debellatis novus Hebræorum Hercules, haud semel in
campis triumphum revexit.
De Goliath Gigantum maximo, minimus omnium, inermis
Sola funda & lapide, fide armatus,
Giganteo prorsus animo Israëlitarum Gigas semel in castris triumphavit.
Saulem post triumphos puellari voce irritatum, sed non rite
Sui irritum triumphi æmulatorem sortitus est,
dum Sauli dant mille, & sibi decem millia.
Sed audi: cum ipso, quem semper infensum habuit, vel offensus,
inoffensus,
Beneficus semper obsequiis, beneficiis jugiter obsequiosus decertavit,
Et quoties vel nolentem, vel invitum ad amorem invitavit,
inimicum expertus,
nunc occultum, nunc manifestum,
De hoste toties in pace triumphavit.
Cithara demulsit, quem non potuit obsequio, sacer Orpheus
inter Prophetas.

Quia

Quia Regem patienter sustulit, Regnum patientia abstulit,
Non sui minus, quam aliorum semper magnificus triumphator.
E castris gloriosus ab hoste semper victor rediit, sed domi dum vacat ab hostibus,
(Proh dolor!) ab inermi fœmina captus, victus, prostratus est.
Fecit tunc, quod vel fecisse perpetuo pœnituit.
Et ne se ferreum hominem crederet, devictus carneum sensit,
Comprobavit & dum ex adultero factus homicida,
Post carnem, Uriæ sanguinem propinavit.
Sed Cælo vindice filius contra patrem rebellat, quia legi divinæ rebellans, amico injurius extitit.
Natus naturæ opprobrio thorum paternum violat,
Quia ille violaverat alienum.
Fugit non ab hoste, sed à filio, qui hostes iterum, iterumque fugavit.
Uriæ cruorem, quem fuderat, filiorum Ammon, & Absalon sanguine per sua viscera refudit.
Salomonem, id est, filium pacificum
Regno demum, ac paci destinavit,
Primus ad posteros pacifice regnum transmittens, haud transmissurus cum Regno pacem.
Discant Reges in otio privatam pacem timere, qui ob publicam in bello pacem haud otiari timent,
Et culpam veterem intelligant haud claudo pede novam consequi pœnam.



CAP. XVII.

De Elia Prophetarum celeberrimo.

1 JUre merito Elias Prophetarum dignissimus Cœmeteriales inter imagines prudenti Christianorum judicio locum tenet: hic enim Reges pro religione tuenda insectatores habuit, nec loco unquam consistere permissus, sequester ab hominibus, nunc in montibus, nunc in speluncis degere compulsus est: dissimili enim prorsus ratione hic unus ab Elisæo discipulo dignoscendus videtur: ille enim prosperis arridentibus rebus Prophetiæ dono præfulsit; iste vero adversis quibusvis impetitus, signis, ac portentis divinitus cumulari meruit. Siquidem (ut egregie in rem præsentem Augustinus adnotavit) *Elisæus cum magno honore, ac seculi dignitate virtutum, ac prophetiæ donum habuit; quod Elias profugus, & persecutus in montibus, & speluncis degens, & ejectus ab hominibus retinebat.* Quapropter non immerito duplicem impertiendum sibi spiritum à magistro in Cælum abeunte poscit, ut inter prospera nimirum, quæ ille inter adversa obtinuerat, supernorum charismatum dona, teste Augustino, possideret. Congrue igitur Christiani in speluncis Cœmeterialibus latitantes profugi hominis imaginem sibi contemplandam proponebant. Et quidem familiari olim usu à primævis Christianæ militiæ ducibus, qui sacra Cœmeteriorum loca incolebant, Prophetæ, ac viri sanctitate conspicui imago recepta est, in cujus recolenda, atque admiranda jugiter historia, complura arcanorum mysteria sapienter orthodoxorum Patrum ingenia perscrutari non destitere. In eodem enim, dum igneo raptus curru in Cælum fertur, Dominicæ præsertim Resurrectionis mysterium satis aperte adumbratum fuisse testantur: inter quos Epiphanius in suo Ancoratu Eliam, & Enoch manifestum utique resurrectionis Christi exemplar extitisse affirmat. Quod pariter à Joanne Chrysostomo his plane verbis confirmatur: *Post hanc vitam est retributio aliqua, & merces, & remuneratio. Propterea & Enoch transtulit, & Eliam rapuit, docens per eam resurrectionis materiam.* Et expositione in psal. isthæc ab eodem studiosorum auribus ingeruntur: *Habes etiam aliam imaginem resurrectionis, nempe Eliæ raptum, qui nec in hodiernum usque diem est mortuus, &c.*

[Margin: Eliæ imaginem in Cœmeteriis cur ingeretur? — Aug. l. 2. de myst. Jac. pri. c. 16. — Enoch, & Elias figura resurrectionis. — Epiph. in Anc. — Chrys. ho. de resur. — Chrys. in ps. 117.]

2 Aptissimum item futuræ resurrectionis symbolum in eodem Eliæ ad cælum raptu Ambrosius lynceis abeuntem oculis contemplatus agnoscit: *Ecce,* inquit, *curru igneo raptus est Elias; rapietur & Ecclesia. Non mihi credis? crede & Paulo, in quo Christus locutus est: Rapiemur, inquit, in nubibus obviam Christo in aëra, &c.* Sed plura interim disertissimus vir, miroque ingenii acumine, uti mos est, perstringit, ac una eademque sub re mysteria complectitur, quippe qui sermone, quem de Elisæo inscripsit, haud universalem duntaxat ex historia hac resurrectionem, sed nobilissimum quoque animarum triumphum, post obluctantes rationis imperio edomitos, subactosque viriliter animi motus, ac effrænes vitiorum impetus virtuti mancipatos, sub fausto Eliæ triumphantis in morem abeuntis vexillo auspicatur; hæc autem sunt ejus verba: *Elias magister Elisæi nonne Angelis ducentibus, raptus ad cælum est; & quadriga ignea impositus, quasi in quodam triumpho victor ascendit. Victor enim extiterat non gentium barbararum; sed secularium voluptatum.* His ille ad vivum Eliæ cælum conscendentis coloribus imaginem expressit.

[Margin: Mysteria Currus Eliæ. — S. Amb. Com. in c. 3. Luc. c. 2. — Id. ser. 2. de Elisæo. — Id. ser. 2. de Elisæo.]

3 In hanc vero Ambrosii sententiam haud imparis eloquentiæ vir, S. Maximus Taurinensis coincidit sermone de Sanctis Canto, Cantiano & Cantianella, qui Divo Ambrosio ob omnimodam styli similitudinem à nonnullis tribuitur, & à Surio in eorundem Sanctorum actis recitatur; verba autem hæc sunt: *Sicut Elias curru applicito quasi ascendit ad cælum: ita & isti vehiculo admoto ad martyrium pervenerunt: & quadriga sicut illum evexit ad requiem, ita hos portavit ad gloriam.* Et paulo infra igneum Eliæ, quo in sublime vectus est, currum contemplans, hunc quidem præfervidæ Martyrum fidei, & ipsiusmet Christi eosdem ad superna loca evocantis symbolum extitisse pronunciat: *Sicut Eliam,* inquit, *quadriga portabat: ita & Martyres fides ignea jam ferebat; ferebat, inquam, illos Christus, qui lumen est, qui*

[Margin: Ignei Eliæ currus mysterium. — Max. Taur. ser. de SS. Cantio, Cantiano, & Cantianella.]

ignis

ignis est, de quo scriptum est: Dominus noster ignis consumens est. huc usque Maximus, qui maxima quæque suo apta nomini in Eliæ symbolo sacramenta stylo veluti digito præmonstrat.

De Elia igneo curru in Cælum rapto gentilium opinio, ejusque eorum erroris occasio.

4 Consuevere autem antiqui religionis Christianæ sectatores haud abditis duntaxat in Cœmeteriis, sed in aliis plerisque locis eandem frequenter ob oculos contemplandam historiam exhibere. Quamobrem, ipso S. Eucherio teste, eandem Ethnici coloribus eleganter expressam intuentes, Solis utique imaginem præseferre opinati sunt, consimili videlicet ipsiusmet Solis vocabulo decepti, qui Græce *Helios* nuncupatur. Hinc fabulosa illa de Solis curru commenta excogitarunt, quæ jam mendaces, ac vaniloqui poëtarum effinxerant; ut quique probatissimi Patrum asserunt, videlicet S. Joannes Chrysostomus homilia de Eliæ raptu: Gloss. Ordin. in librum 4. Reg. cap. 23. Beda quæst. in lib. Reg. ex eodem Chrysostomo: & Sedulius item libro primo de Elia isthæc recitat: *Ut autem eidem currus & equos tribuant, de miraculo sumptum Eliæ Prophetæ, qui curru igneo, & equis igneis est raptus ad cælum, Ioannes Constantinopolitanus Episcopus affirmat: Quod enim Græce Helios dicitur sol, sicut etiam Sedulius, cum de Eliæ ascensu caneret, ostendit dicens;*

Chrys. ho. de Eliæ raptu. Gloss. ord. in l. 4. reg. c. 23. Beda q. 30. in l. Reg. Sedul l 1. de Elia.

Quam bene fulminei præluces semita cæli
Convenit Eliæ merito, qui & nomine fulgens,
Hac ope dignus erat. Nam si sermonis Achivi
Una per accentum mutatur littera: sol est.

Audientes Græci ab Israelitis, quos divinas habere literas fama prodebat, prædicari, quod Elias curru igneo, & equis sit igneis ad cælestia translatus, vel certe hoc ipsum inter alia depictum in pariete videntes, crediderunt vicinia decepti nominis, Solis hic transitum per cælos esse designatum, & miraculum divinitus factum Dei, mutarunt in argumentum erroris, humana stultitia commentatum. huc usque Jo: Constantinopolitanus elegantissimis quidem verbis de Eliæ imagine, quam sacris è Cœmeteriis delineatam excerpsimus.

De Eliæ nomine cum sole apud Græcos similitudo.

5 Et id quidem merito ipsius convenientia nominis profanis scriptoribus ultro suadere potuit. Eliam enim Hebræi *Elijahu* patria voce nuncupant; quem septuaginta Interpretes, sicut quamplura alia ejusdem formæ, verterunt *Elia*, Hebræi vero *Elijahu.* At Chrysostomus, vir scilicet Græcus, Græcæ dictionis vim atque originem interpretando, solem ipsum sub descripto Eliæ nomine præsignari arbitratus est: Sol enim Græce ἥλιος: quapropter nonnulli ipsummet *solis* nomen, etsi perperam, ab Eliæ nomine derivasse putant, cum maxima inter hæc ipsarum vocum consonantia intercedat. Idcirco enim à Poëtis solem confingi ajunt, qui igneo curru provehitur, quia nimirum currus ignei ministerio Elias in aëra sublatus fuit: cujus sententiæ assertor præcipuus Beda supra citatus extitit, ex quo deinde Angelomus in lib. Reg. hausisse videtur: & ipsemet Chrysostomus à nobis pariter jam recensitus, qui cum Eliam in Cælum ascendentem descripsisset Homilia, quam de eodem Elia elucubravit, hæc subjicit: *Hinc poëtas atque pictores in figuranda solis imagine exempla sumpsisse credo, qui curru, atque equis fulgentibus ipse rutilans, atque radians è fluctu Oceani sublatus inter præruptos montium scopulos evadens quasi ad cælestia videtur ascendere in similitudinem luminis ejus indutus: sol enim Græco sermone Elios appellatur, unde Elias vere* Elios, *quoniam curru, atque equis fulgentibus igne de Oceani fluctu, id est, de mundi commotione, per montium scopulos, id est, per magnorum laborum progrediens ad cælestia devectus ascendit.* Hæc satis apte eleganterque Chrysostomus in rem præsentem digessit.

Chrysost.

Ang. in l. 4. Reg. c. 23.

Chrys. ho. 3. de Elia.

6 Porro ex uno errore in alium insana profanorum hominum superstitio procedens, eò cæcitatis, vel ut melius dicam, amentiæ devoluta est, ut apud ipsosmet Hebræos, qui divini quondam numinis cultores præ omnibus, assertoresque extiterant, *notus* quippe, ut scriptura ait, *in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen ejus*, apud ipsosmet, inquam, Judæos Solis imago veluti quid plane divinum coleretur, & in ipsomet augustissimo Hierosolymitanæ Urbis Templo ab impiis olim Regibus Juda, inter cætera execrandæ idololatriæ insignia, ac errorum commenta recenseretur. Cùm piissimus enim Rex Josias Templum omni penitus superstitionis labè expurgatum, pristino nitori redditum vellet, locatam ibidem solis imaginem, ac publico delirantium cultu exceptam disiecit, indeque, velut anathema oblivionis, igni adjiciendam curavit, ut 4. Regum cap. 23. his verbis expresse habetur: *Abstulit quoque equos, quos dederant Reges Iuda Soli in introitu Templi Domini, juxta exhedram Nathan Meleth eunuchi, qui erant in Phaurim: currus autem solis combussit igni.* hæc ibi. Fabulosis quippe gentilium commentis intercepti, eorundemque erroribus nonnulli ex Regibus Juda miserandum in modum irretiti, Soli equos, & currus in loco præ omnibus sanctitate, ac veneratione conspicuo erigentes dedicarunt, quod sub hæc fere tempora, & aliis postmodum recurrentibus seculis gentiles insanis imbuti superstitionibus præstitere. Nam, ut cæteros hic taceamus, Persæ equos Soli consecrare, eosque in illius postmodum honorem concremantes delibare consueverunt, quod Xenophon libro octavo Cyropædiæ haud semel præstitum enarrat, ubi currus quoque Soli consecratus fuisse describit. Idem tradit Strabo, & Ovidius in suo Fastorum libro pereleganter canit, equum videlicet Hyperioni, qui idem est ac Sol, solemni ritu immolatum fuisse:

Solis imago ab Hebræis idololatris culta.

Et in Templo Hierosol. ab impiis Regibus Juda consecrata.

4. Reg. c. 23.

Reges Juda soli equos consecrant.

Et Persæ.

Xenoph. l. 8. Cyrop.

Strab. l. 15.

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Ovid. l. 1. Fast.

Porro in celebri quadam junioris Cyri pompa, tauris Cyri pompa, tauri, & equi pariter consueto gentilium more ad sacrificii usum mactandi inducuntur, & illi quidem, ut Jovi Deorum principi, hi autem Soli delibentur, sed Xenophontis verba excipiamus: *Primum*, inquit, *agebantur tauri Iovi, post boves autem agebantur equi ad Solis sacrificium: post hos autem educebatur currus albus coronatus jugo aureo, qui erat Iovi sacer. Post hunc agebatur etiam solis currus candidus, & is coronatus, ut anterior.* Huc usque citatus auctor, immanem gentilium superstitionem quot verbis, tot coloribus adumbrans.

Xenop. loc. sup. cit.

7 Pari item ratione ad gentilitios ritus adversus legem ac patrios mores exercendos, Hierosolymitano in Templo quidam olim currus egregio quidem opere fabrefacti extitere, quorum insuper usui equi pretiosa ex materia, miroque artis studio elaborati conspiciebantur, qui currum illum, cui nexibus alligati erant, facili negotio pertrahere viderentur, quod Solis quidem apertum symbolum esset, eodemque in Templo ad aram eidem Soli splendide erectam, piis licet invisum, cunctis tamen videndum offerebatur. Porro equi illi, qui ad Hierosolymitani Templi introitum ad exhedram Nathan Meleth dicati perhibentur fuisse haud inanimes,

Currus cum equis eximii operis in Templo Hierosol. & cur›

Equi soli immolandi ad introitum Templi nutriebantur.

mes, ac fabrefacti, sed vivi profecto erant, qui studiose illic in stabulis nutriebantur, ut congruis deinde temporibus, cum sacri de more ritus peragendi essent, ipsamet sacerdotum manu in Solis obsequium, cui dicati fuerant, immolarentur; &, ut nuper de Persis enarravimus, vivi flammis injecti, solaribusque veluti radiis absumpti, in Solis holocaustum verterentur. Ita plane & ipsæmet conjecturæ suadent, & nobis ultro existimare fas est: si enim equi, quos meminimus, lignei forent, aut ex ejuscemodi materia compacti, quam facile ignis solveret, combureretque, quemadmodum juxta id, quod jam enarratum est, currus igne absumptus fuisse dicitur, pari quoque ratione equi ex eadem materia ad currum aptati, igne combusti dicerentur, at equi sublati sunt, & currus duntaxat concrematus est, ut citatæ hactenus paginæ præleferunt. Ab incendio igitur equi vindicati sunt, qui jam flammis ab insana hominum superstitione devoti fuerant, & meliores ad usus traducti. Hæc interim sunt, quæ eruditis plane rationibus Gaspar Sanctius è Societate Iesu in lib. Regum suo ex more differit, quem, si libet, studiosus lector consulat.

Gaspar S. 4. lib. reg.

8 Nec orthodoxi autem Patres absque condignis moralium animadversionum ponderibus Eliæ pallium in præstiti signum obsequii, & mutui amoris symbolum, Elisæo derelictum præteriere. Inde enim S. Hieronymus ad Eustochium de virginitatis custodia scribens, ab his videlicet, qui ad cælestia jugiter alacri animo contendunt, terrena omnia ultro sibi contemnenda, ac procul velut spei nostræ retinacula, ac obvia superni itineris impedimenta abjicienda fore disertis verbis in hunc modum constanter subinfert: *At non flendum est, non gemendum, cum me rursus serpens invitat ad illicitos cibos. Cum de Paradiso virginitatis ejectam tunicis vult vestire pelliceis, quas Elias ad Paradisum rediens projecit in terram.* hæc Hieronymus, qui eadem fere ad Lucinium scribens repetit; & adolescentis insuper exemplum, qui relicta sindone nudus profugit, pereleganter interserit, dicens: *Adolescens ille, qui opertus sindone sequebatur Iesum, quia tentus fuerat à ministris, terrenum abjiciens operimentum, nudus evasit. Elias igneo curru raptus ad cælum, melotem reliquit in terris.* Demum ne diutius Eliæ in cælum abeuntis currui, remoræ alicujus instar, insistamus, unus præ omnibus postremo loco Rupertus Abbas audiendus est, qui Eliæ pallium, quod Elisæo à magistro ad superos contendente dimissum fuit, potestatis eximiæ suis à Christo Domino discipulis, dum hinc ad Patrem transiturus discederet, impertitæ symbolum haud obscurum extitisse affirmat: hæc autem inquit: *Transferendus Elias pallium super Elisæum posuit; quia videlicet Deus, & Dominus Christus ex mundo ad Petrem transiturus, officium simul & spiritum suum Apostolis dedit.* Sed aureis plane Hieronymi verbis prædivitem abeuntis Eliæ pauperiem persequamur, qui jam Cælum acquisiturus, quidquid terrenum est, libenter projicit, & immortalitate donandus mortalium vestimenta secum deferre, tanquam oneri, ac probro futura, dedignatur: *Elias*, inquit, *ad Cælorum regna festinans non potest ire cum pallio, sed mundi in mundo vestimenta dimittit.* Tu ergo quisquis es, qui ad Cælum contendis, à terrenis omnibus cor tuum eleva, cunctas depone animi cupiditates, quibus jugiter ad terrena deprimeris: *Amor quippe terrenarum rerum viscus est*, ut Augustinus, *spiritualium alarum.* Et his paucis interim Eliam curru triumphantis more in Cælum euntem, nobis ad ulteriora properantibus intra hos Cœmeteriales sinus suspexisse, & à longe salutasse sufficiat.

Mysterium Pallii Eliæ relicti Elisæo.

Terrena cuncta abjicienda iis, qui ad Cælum aspirant.

S. Hieron. ad Eustoch.

Hieron. ep. ad Lucin.

Pallium ab Elia traditum Elisæo symbolum potestatis à Christo datæ Apostolis.

Rup. de Trin. & oper. l. 5. c. 15.

Hier. l. 5. Gen.

CAP. XVIII.

De Iob Orientalium potentissimo.

1 CHristiani, qui intra abditos Cœmeteriorum sinus ad synaxes frequenter coibant, & inter horridas tenebris cavernas, demortuorumque spolia, ac sepulcra lumen, vitam, ac vires cælitus hauriendo, ad tolerantiam, ad fidem, ad constantiam & demum ad martyria, Martyrum jugiter memoriam recolendo, exercebantur, hominem, cui nil humanum præter corpus extitit, quo pati, & excruciari amplius posset, nil vero divinum magis inerat, quam animus: & constantia, qua cunctis fortior tormentis evaderet, hominem, inquam, studiosa in Cœmeterialibus parietinis manu sibi ob oculos delineabant: hic enim unus ipsomet aspectu cunctos, qui inspicerent, ad laborum, certaminumque sufferentiam exhortari poterat, qui Martyrium multiplici laceratione corporis, haud una dumtaxat sanguinis effusione præferebat: *Quis enim est martyr*, ut Chrysostomus ait, *cui hic non potuit æquari, imo martyres innumeros hic unus æquat.* Ex quo fit, ut probe intellexerint conspicui sanctitate viri, qui moribus jugiter informandis, regendisque animi motibus apprime insistebant, quid potissimum emolumenti præseferret ad ærumnas constanti animo subeundas, quid ad injustam, ac violentam bonorum subreptionem æquanimiter sustinendam, quid demum ad inconcussam cælestium præmiorum spem perpetuo retinendam, quid, inquam, roboris, tutamenti, ac solaminis conferret, si secum quispiam crebro mente repeteret adversa, quæ vir patientissimus Job invicto constantique animo pertulit, est amplissima subinde præmiorum munera jugi meditatione pervolveret, quæ ab ipsius Dei manu copiosi instar fœnoris nobili cunctarum, quas possederat, rerum ditatus augmento receperat. Ex quo recolendam beatissimi ejusdem viri jugiter ob oculos in Cœmeteriis imaginem sibi proponere satagebant. Immo ubi primum Ecclesiæ tranquillitas pacis oborta est; dignissima viri plane divini gesta, ad fidelium animos in virtutum obsequio obfirmandos, in publicis conventibus in Ecclesia, ipsa inter festorum solemnia perlegere consueverunt, ut præsertim his Origenes testatur: *Etiam adhuc usque in hodiernum diem beati Iob tolerantia ante eos, qui sunt in dolore & luctu, atque planctu, legitur pro consolatione, atque exhortatione dolorum illorum, & pro ablatione angustiæ cordis eorum: similiter autem & in conventu Ecclesiæ in diebus sanctis legitur passio Iob.* hæc Origenes. Audis quantum levamenti, ac virium vel mutis syllabis expressam viri cælestis exemplar conferret, & quale esset ad virtutes sectandas mortalibus incitamentum.

Tolerantiam in adversis habere suo exemplo nos Jobus docet.

Chrys. hom. 2. de Iob.

Patientiæ præmium à Deo certum expectandum.

Historia Jobi diebus festis in Ecclesia olim legi solita.

Orig. l. 1. in Iob.

2 Cum vero in ejusdem enarratione historiæ spem firmam, & haud unquam calamitatibus concussam, patientiam insuper plane admirandam, & perpetuo addictum divinæ voluntatis obsequio animi mentisque vigorem in ejuscemodi viro animadverte-

Mirum Jobi voluntati divinæ obsequium.

verterent, nec non pietatem omnibus numeris absolutam recolerent, qua tot ærumnarum incommodis attritus Deo jugiter psallendo inhæserat, ut ipsamet ejusdem verba testantur: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est*, divina haud unquam decertantibus in agone subsidia deesse intelligebant. Quinimo cum persecutionibus acriter impeterentur, ejus patientiæ ac constantiæ magisterio edocti: invictam ad acerbiora quæque perferenda animi alacritatem præseferentes, opem sibi à Deo jugiter exposcebant, cujus bonitatem ac singularem providentiam in arduis quibusque non mirari haud poterant, ex cujus sane imaginis objectu, *cum magis moveant*, ut ille ait, *exempla, quam verba*, incredibile dictu est, quantum roboris ad Martyriorum subeunda certamina compararent. Quod egregie quidem Origenes in verba illa perpendit: *Et scidit vestimenta sua*. Cum is plane Syrorum mos esset, se in prælium hac utique ratione vires exercendo ad fortiter dimicandum excitabant. Sed Origenem interim hæc enarrantem audiamus: *Sic itaque*, inquit, *admirabilis Iob conscindens vestimenta sua, atque omnia deponens impedimenta, nudus atque audax stetit in spiritale prælium. Aut adhuc conscidit vestimenta sua, sine mora semetipsum ad ipsasmet parans plagas. Ecce inquiens dorsum nudum, ecce corpus detectum: vos flagellate, ego sufferam; vos verberate, ego autem sustineam, &c.* hæc ille ad rem præsentem quam eleganter digessit. Insignem autem, quam incomparandæ virtutis vir immortali Deo suimet ipsius oblationem exhibuit, & haud ullatenus æquiparandam invictæ patientiæ formam, quam copiosa subinde merces consecuta fuerit, sacer historicæ enarrationis textus in hæc verba satis exprimere videtur: *Addidit Dominus quæcunque fuerant Iob duplicia.* Et paulo infra: *Dominus autem benedixit novissimis Iob magis, quam principio ejus.*

Iob. c. 1. v. 21. — Promptitudo Jobi in adversis tolerandis. — *Orig. in c. 1 lib. Iob.* — Jobus audita rerum suarum jactura scidit vestimenta sua, ejusque mysterium. — *Iob. c. 42. n. 10.*

3 Ex quibus evidenti plane argumenti genere usus optime subinfert Gregorius, post tentationum videlicet certamina, uberrima consequi supernorum munera gaudiorum: *Cuncta*, inquit, *quæ amiserat, duplicia recepit, quia per pietatem benigni Iudicis, tentationis nostræ dispendium vincunt suffragia consolationum. Minus autem tentat probatio, quam remuneratio consolatur, ut ex retributionis merito leve fuisse, quod toleravit, agnoscat, qui exspectationis pondere, grave aliquid se tolerare judicabat.* huc usque ad rei propositum Gregorius edisserit. Quod gravibus, ac eruditis item rationibus mirum in modum confirmat Beda, dum historiæ Job. c. 2. expendit.

Dominus patientiam Jobi, & promptitudinem ejus tolerandi majora remuneratus abunde est. — *S. Greg. moral. l. 35. c. 8. in c. 42. Iob.* — *Beda c. 2. in Iob.*

4 Verum quoniam post effugatas, quæ ingruebant, ærumnarum tenebras optatus tandem desuper Job sanctissimo, ut sacræ edocent paginæ, lætitiæ dies affulsit; id forte, & mystico quidem typo ab his præsignatum fuisse arbitramur, qui in marmoreo Probi viri clarissimi Sarcophago, quem supra descripsimus, viri cujuspiam imaginem, qui panem ipsimet Job in sartagine frixum exporrigit, insculpendam curarunt: hoc utique symbolo, ut credere par est, intuentium oculis, ac menti similæ illius frixæ memoriam ingerentes, quam in ipso solemnitatis, ac lætitiæ die Rex piissimus David ob Arcam ex hostium manu vindicatam, peractis jam, consummatisque consuetarum hostiarum oblationibus, populo munifice elargitus est, ut 2. Reg. 6. in hæc verba legitur: *Cumque complesset offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum, & partitus est universæ multitudini Israël tam viro, quam mulieri, singulis collyridam panis unam, & assaturam bubalæ carnis unam, & similam frixam oleo.* Quod plane mysticum lætitiæ symbolum hac ratione à sancto Eucherio doctissime exponitur: *Offert David holocausta, & pacifica coram Domino, fidem, devotionemque Ecclesiæ commendat Patri Christus, &c. qui in exemplum David fideles humilesque benedicens, salubris mysterii pascit alimentis: partitur singulis similam frixam oleo, carnem videlicet à peccati labe mundissimam, sed ob humanæ salutis uberrimam delectationem, crucis sartagine tostam, &c.* Sed Job viri probatissimi, id est, omnibus absolutam numeris imaginem jam satis inspeximus, in qua notis haud obscuris patens utriusque fortunæ, prosperæ nimirum, & adversæ symbolum intuentium ob oculos propositum est.

Marmoreus Probi Sarcophagus. — Simila, quid significet? — *2. Reg. 6.* — Christus Dominus benedicit, & solatur afflictos. — *S. Eucher. in l. 2. Reg.*

CAP. XIX.

De Tobia.

1 Haud peculiaribus arcanorum mysteriis vacant recolenda Tobiæ senioris gesta, quæ sacrarum catalogo historiarum inserta multiplici eruditione, quod ad mores pertinet, referta sunt. Cum enim vir iste æque ac sanctus Job, duo præclarissima admirandæ patientiæ exempla orbi extiterint, eorundem imago ante annos mille, & ducentos, ut egregie Serarius observat, in Ecclesiis pingi consuevit, quod S. Paulinus carminibus hisce testatur, porticus enim, ut ipse ait,

Quæ sunt dextra, lævaque patentes
Binis historiis ornat pictura fidelis
Una sanctorum complet sacra gesta virorum
Iob, qui vulneribus tentatus, lumine Tobia.
At aliam sexus minor obtinet inclyta Iudith
Qua simul, & regina potens depingitur Esther.

Sed quoniam sanctissimi viri acta memoravimus; multa quippe iisdem ex actibus, quæ piis, ac studiosis animis digna & meditationum commentis exploranda videntur, orthodoxi certatim Patres pervestigare non desinunt: & ut hic nonnulla breviter lectori exponendo proferamus: primo quidem loco piscis ille, quem manu Tobias gestat, aptissimus Christi typus extitisse describitur, qui cæcutientem jam, atque errorum tenebris pressum terrarum orbem lucis supernæ fulgoribus illustravit, ac Tartareum hostem protinus inde eliminavit, ut complures sanctorum Patrum sententiæ testantur, inter quos Augustinus præsertim sermone de sanctis Petro & Paulo rem in hæc plane verba edisserit: *Est enim Christus piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine vivus, cujus jecore per passionem assato, fugatus est diabolus, & per amaritudinem fellis afflatus est cæcus, & illuminatus est mundus.* hactenus ad rem nostram Augustinus. Optatus item Milevit. idem acute verbis hisce prosequitur: *Christus intelligitur per piscem, qui in lectione Patriarchæ legitur in Tigride flumine prehensus: cujus fel & jecur tulit Tobias ad tutelam fœminæ Saræ, & ad illuminationem Tobiæ non videntis. Ejusdem piscis visceribus Asmodeus dæmon à Sara puella fugatus est, quæ intelligitur Ecclesia, & cæcitas à Tobia exclusa est &c.*

Piscis Tobiæ figura Christi Domini. — *Serar. in l. Iob.* — *Paul. nat. 10.* — *Aug. ser. 4 de SS. Petr. & Paul.* — *Opt. Milev. l. 3. cont. Parm.*

1 Sed eruditissimos inter antiquos Tertullianus, etsi haud sublimiora, salubriora tamen mysteria acute

Christus Græco vocabulo piscis dictus, & qua ratione.

Tertull. l. de Bapt.

acute recolens contemplatur, dum in libro de Baptismate Christum Græco vocabulo appellat *Ichthyn*, quod Latino idiomate idem plane sonat, quod piscis: *Sed nos pisciculi*, inquit, *secundum* ἰχθῦν *nostrum in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua manendo salvi sumus.* Hieronymus item congruis Tertulliano verbis inhærens Græca itidem voce Christum piscem appellat, dum Bonosum laudans hæc inter cætera, ait: *Bonosus tanquam* ἰχθύος *filius aquosa petit.* Nec vero mirum quid tibi, O lector, videatur, si Patres, quos nuper recensuimus, Græcum potius quam Latinum vocabulum usurpare consueverint: tunc enim potissimum temporis, quo iste loquendi modus inolevit, omnium frequentnr manibus acrostica quædam Erythrææ Sibyllæ carmina tenoris ejuscemodi circumferebantur.

Hier. ad Bon. ep. 43.

Sibyllæ carmina de Christo acrostica.

Ιησοῦς
Χρειστὸς
Θεοῦ
Υἱὸς
Σωτήρ.

Quorum initialibus literis unà pariter junctis, compositisque, vox Græca ἰχθὺς conficitur, quod plane Augustinus edocuit libro de Civitate Dei, ubi isthæc in rem præsentem scribit: *In quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate vivus, hoc est, sine peccato esse potuit.* At Prosper, ut res magis, magisque comprobetur, Augustino constanter his verbis adstipulatur: *Satiat ex seipso in litore discipulos, & toti offerens se mundo:* ἰχθυῦ *namque Latine piscem sacris literis majores nostri interpretati sunt, hoc ex Sibyllinis versibus colligentes, quod est*, Iesus Christus Dei Filius Salvator. *Piscis in sua passione decoctus, cujus ex interioribus remediis quotidie illuminamur, & pascimur.* His profecto verbis ad Tobiæ piscem, cujus nunc mentio est, alludens, quo satis aperte orthodoxi Patres, ut jam diximus, Christum Salvatorem præsignatum fuisse asserunt. Id vero Optatus Milevitanus eodem libro contra Parmenianum verbis istis insinuat: *Hic est piscis, in baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, à pisce etiam Piscina vocetur. Cujus piscis nomen secundum appellationem Græcam in uno nomine per singulas literas turba sanctorum nominum continet,* ἰχθὺς, *quod est Latine: Iesus Christus Dei Filius Salvator.* Nec prætermittendus hic est Paulinus, qui *Piscis* item nomine Christum appellans hæc habet: *Quos quinque panibus, & duobus piscibus, panis ipse verus, & aquæ vivæ piscis Christus explevit.*

S. Aug. l. 18. de Civ. Dei.

Prosp. de Præd. p. 2. c. 19.

Opt. Mil. l. 3. con. Parm.

D. Paul. ep. 33.

3 Verum scriptor ille venerabilis inter cæteros Beda Tobiam Christi, piscem vero diaboli typum esse pronunciat, sic autem inquit: *Hic denuo passionis Dominicæ sacramentum manifestius significatur. Piscis enim immanis, qui à Tobia, cum eum devorare appeteret, angelo docente occisus est, antiquum generis humani devoratorem, hoc est, diabolum designat, qui dum in Redemptore nostro mortis carnem appeteret, captus est potentia divinitatis.* Nec enarratis hactenus rem dilucidasse contentus, hæc infra subjicit: *Occurrit Tobiæ piscis, devorare illum cupiens, & Domino passo in cruce venit diabolus, qui eum crucifigi docuerat, quærens si quid forte in ejus anima sceleris inveniret.* Vides quanta tibi sub uno piscis symbolo mysteria proponantur, quod præcitatus doctor his item animadversionibus acute expendit, dicens: *Expavescens piscem Tobias, clamavit voce magna, dicens: Domine adjuva me. Et Dominus imminente mortis articulo, cœpit pavere & tædere, non diabolum pertimescens, sed mortem, quæ invidia diaboli intravit in orbem terrarum, naturali carnis fragilitate perhorrescens: unde & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora, & dixit: Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, si fieri potest, &c. Dixit angelus Tobiæ: Apprehende branchiam piscis, & trahe eam ad te. Apprehendit Dominus diabolum, & eum qui se in morte capere voluit, moriendo cepit, & vicit, &c.* hactenus Beda. In quam plane sententiam interlinearis Glossa in lib. Iob verba illa explanat: *Apprehende branchiam, &c.* dicens: *Dominus potentiam diaboli comminuens, palam traduxit confidenter, eruens illos de potestate tenebrarum, quos filios lucis præscivit, & prædestinavit.* Sed hæc de recolenda Tobiæ historia, ac de mystico piscis ejusdem symbolo, quo sacræ paginæ & antiqua item Cœmeteria decorantur, lectori salubriter prælibasse voluimus.

Piscis Tobiæ diabolum præsignabat.

Beda in l. Iob.

Historia Tobiæ expensa, ejusque circumstantia.

Gloss. interlin.

CAP. XX.

De tribus Pueris in Babylonica fornace consistentibus.

Trium puerorum in fornace magnanimitas.

1 Spectatissima præ cæteris, & in sacrorum actuum paginis satis decantata est, sibique bene constans, ut historiales tabulæ exhibent, inter flammarum globos puerorum Sidrach, Misach, & Abdenago fides emicat, quam summis orthodoxi certatim Patres laudibus concelebrant, præconiisque mirifice tollunt. Quis enim eorundem innocentiam, fidem, atque constantiam, vel globos inter igneos probatam non miretur, dum prædicat, dum recolit, non extollat: *Trium quippe puerorum*, ut Eusebius Emissenus ait, *fides, atque justitia tenebrosos non sensit ignes, sed stupenda refrigeria in medio camini æstuantis invenit. Cessit virtutum meritis natura flammarum, ac traditos sibi reos mirum in modum rorantibus obumbravit incendiis: longe positos autem, & circumstantes sacrilegi regis consumpsit ministros. Quantum lætitia in præsenti obtinent merita religionis, & privilegia sanctitatis. Quanta castis corporibus reverentia debeatur, arbiter ignis agnoscit, & ingesta sibi pabula circumfusus allambit: nihilque sibi licere miratur in corpora Dei timore, & sacris jejuniis consecrata, & pretiosum depositum non violat occulta dispensatione, sed vindicat.* Hæc in sanctissimorum pugilum laudem eleganter. Eusebius.

Euf. Emiff. ho. 3. de Epiph.

2 Verum, ut speciosam invictorum imaginem Puerorum lynceis oculis suspiciamus; duo quidem velut præcipua videntur eorundem gesta, quæ in Cœmeterialibus potissimum Cubiculis penicillo adumbrata, & in marmoreis item Christianorum Sarcophagis insculpta æternæ memoriæ consecrata sunt: invicta videlicet eorum fortitudo, dum alacri, imperterritoque animo, patriæ tuendæ religionis gratiæ, statuæ, quam Nabuchodonosor erexerat, duliæ cultum deferre detrectant, necnon dum inter exæstuantis Babylonicæ fornacis incendia vegeti, atque incolumes unanimi Deum voce collaudant, ut in præmissa suo loco tabula videre est.

Duo trium puerorum heroica facinora.

Nobilissima autem utraque isthæc Israëlitici seminis puerorum gesta, pluribus sane, ac præcipuis

In Nabuchodonosore tyranni figurati.

puis arcanorum mysteriis imbuta sunt, quæ jure merito ab orthodoxæ fidei Patribus miris passim sententiarum coloribus decorantur. Inter quos Augustinus primus quidem in ordine, & qui inter cæteros principatum sibi vindicat, præconia in adolescentium invictorum gloriam congerens & Christianorum martyrum constantia, ac triumphos commendans, hæc ad rei propositum habet: *Si facta præterita in propheticis libris figuræ fuerunt futurorum, in Rege illo, qui appellabatur Nabuchodonosor, utriusque tempus figuratum est, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaque Apostolorum, & Martyrum illud implebatur, quod figuratum est, quando Rex memoratus pios, & justos cogebat adorare simulacra, & recusantes in flammas mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulo post in eodem Rege figuratum est, cum conversus ad honorandum Deum verum, decrevit in regno suo, ut quicumque blasphemaret Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, pœnis debitis subjaceret, &c.* Hæc Augustinus.

Aug. ep. 48.

Providentia Dei trib. pueris in fornace præsto est:

3 Sed disertis plane verbis suo ex more Chrysostomus haud humanis sensibus, atque intellectu æquandam æterni Numinis providentiam admiratur, cujus nutu his, qui debitum sibi, atque condignum latriæ cultum deferunt, indomiti quoque flammarum globi, & cedere nescii, divinitus mitescendo, obsequium ultro deferre nullatenus detrectant. Sed ipsum quæso hic excipiamus: *Quæ superius*, inquit, *dicta sunt, figuram manifeste exprimunt futurorum. Sicuti enim ibi in ignem missi nihil adversi omnino senserunt: qui vero foris steterunt, subito ac vehementi incendio consumpti sunt. Sic etiam tunc futurum est: nam & sancti, etiamsi flumen igneum transeant, nihil prorsus triste patientur, sed apparebunt absque dubio clariores.* huc usque ad rem Chrysostomus.

D. Chrys. ho. 4. in c. 5. Matth.

Tutela ac præsidium divinum à S. Cypriano ob oculos positum Martyribus exemplo trium puerorum.

4 Porro præclarum hoc, ac celebrandum jugiter servandæ, ac tuendæ insuper, vel ipsa inter tormenta; fidei exemplum candidatis jam pro fidei confessione martyribus ob oculos proponit, & mira eloquentiæ vi validi instar argumenti Cyprianus urget, dum eleganti conscripta Sergium, Gratianum & cæteros confessores oratione compellat, sed ejusdem verba in medium proferamus: *Pueros etiam vobis gloriosa confessio sociavit divina dignatio: repræsentans vobis tale aliquid, quale Ananias, Azarias & Misaël illustres pueri aliquando fuerunt: quibus inclusis in caminum cesserunt ignes, & refrigerii locum flammæ dederunt, præsente illis Domino & probanto, quod in confessores & martyres ejus nihil posset gehennæ ardor operari: sed quod qui in Deum crederent, incolumes & tuti in omnibus perseverarent.* Sed egregie item Hieronymus, dum insontes hos pueros ab incendio servatos recolit, protectionis divinæ, quæ justis jugiter præsto est, subsidia contemplatur: nam expositione, quam in Danielis historiam edidit, angelum, quem Rex medium inter incensæ fornacis æstus vidit, apertissimum superni auxilii his, qui inter pressurarum angustias detinentur, symbolum extitisse affirmat: *Oppressa*, inquit, *perturbationibus anima, & variis molestiis occupata, cum hominum desperaverit auxilium, & tota ad Dominum fuerit mente conversa, descendit ad eam angelus Domini, scilicet sermo divinus, & excutit flammæ æstuantis ardores, ut nequaquam ignita jacula inimici cordis nostri arcana penetrent, nec illius fornace claudamur.* Et ubi isthæc in Puerorum obsequium, & Christianorum admonitionem digessit, capite sequenti angelum, qui tunc Pueris adfuit, Christi utique ad inferos pro justis inde Patribus eruendis descensuri typum fuisse pronuntiat; isthæc autem sunt ejus verba: *Cæterum in typo præfigurat iste angelus similis Filio Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui ad fornacem descendit inferni, in quo clausæ & peccatorum & justorum animæ tenebantur, absque exustione & noxa sui, eos, qui tenebantur inclusi, mortis vinculis liberavit.* Idem vero Hieronymus loco quem supra citavimus, illa invictorum Puerorum verba eleganter expendens, quibus nefandam tyranno impietatem libera voce, imperterritoque animo exprobrabant: *Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos &c. Quod si noluerit, notum tibi sit Rex, quia Deos tuos non colimus.* Ex his admirandum plane eorundem robur, constantemque animi vigorem prorsus, solidam in Deum spem, atque omnimodum divinæ voluntatis imperio cum suimet ipsius deditione obsequium contemplatur. Sed Hieronymi, si libet, hic verba repetamus: *Unde* (inquit ille) *putaverat terrere pueros, inde cernit in eis materiam fortitudinis. Nec in longum differunt, sed præsens sibi pollicentur auxilium.*

S. Cypr. or. 81.

Angelus in fornace cum tribus pueris & quid denotet?

S. Hier. in c. 3.

Hier. tit. c. 4. in Dan.

Id Hier. loc. cit.

Verba trium puerorum ad Nabuchodonosorem fortitudinem illorum, & perfectam in Deum fiduciam demonstrant.

S. Hier. in c. 4. Dan.

5 Isidorus quoque Hispalensis Allegor. in sacr. Scriptur. incomparabilem eorundem ad quævis tormenta viriliter subeunda alacritatem admirans pariter & commendans, illos beatorum Martyrum, qui sub Euangelii tempora præfulsere, typum gessisse affirmat: *Tres*, inquit, *pueri prætulerunt figuram Sanctorum, qui corpus suum in persecutionem pro Christi nomine obtulerunt.* Quapropter jure quidem merito fortissimi Christi pugiles, & Christianæ fidei athletæ, qui semet ipsos ad subeunda pro fidei confessione martyria jugiter excitabant, eorundem frequenter ob oculos in Cœmeteriis imaginem contemplandam proponere consueverant, quibus ad martyrium pro fide anhelantibus, & viriliter item in agone decertantibus, etsi martyrium defuit, cum tamen ad illud fortiter constanterque si occasio suppeteret, animus neutiquam ad tolerandum defuerit, haud Martyrii quidem palmam defuisse credendum est.

Tres pueri figuram martyrum in Ecclesia prætulerunt.

S. Isid. alleg. in sac. script.

6 Cyrillus vero Alexandrinus aptissimo quidem mysterio succensæ Babyloniorum fornaci Ecclesiam confert; in qua homines ac una pariter angeli laudum cantica Deo jugiter concinunt, ac promeriras gratiarum actiones perpetuo solvunt: *Erat, enim*, inquit, *Caminus Ecclesiæ typus, sanctos habens tripudiantes, non homines tantum, sed etiam angelos.* Hæc Cyrillus.

Fornax trium puerorum typus Ecclesiæ.

Cyrill. ep. 37. ad Alyp.

7 Quo autem pietatis ac devotionis ardore selectissimam hanc trium puerorum historiam Christiani antiquitus prosequerentur, vel ex eo perspicue comprobari videtur, quod non eam in sacris duntaxat Cœmeteriis, affabre coloribus effingerent, sed ut religioso, quo erga beatos pueros afficiebantur, cultui satis facerent, in ipsismet recurrentibus venerandorum martyrum solemniis, sacrum, recolendumque eorumdem hymnum recitare consueverunt. Quocirca in quarta synodo Toletana jure quidem merito de nonnullis sacerdotibus orthodoxi Patres acriter conquesti sunt, eo quod hymnum hunc sacrosanctum apud omnes tunc temporis usu receptum, nullâ rationabili ex causa præter morem recitare neglexissent. Et ut in posterum sacerdotum incuriæ cautum esset, edito in rem præsentem canone sanxerunt, ut in Missis,

Hymnus trium Puerorum in martyrum solemniis recitari olim solitus.

Act. conc. Tol. 4.

Miſſis, quæ Dominicis præſertim diebus, ac in ſolemnibus Martyrum natalitiis peraguntur, feſtivis perpetuo vocibus in Dei Eccleſia concineretur. Conceptis autem in hanc formam verbis, ejuſcemodi rem canone obfirmarunt: *Hymnum quoque trium puerorum, in quo univerſa cæli terræque creatura Deum collaudat, & quem Eccleſia Catholica per totum orbem diffuſa celebrat, quidam ſacerdotes in Miſſa Dominicorum dierum, & in ſolemnitatibus Martyrum canere negligunt. Proinde ſacrum Concilium inſtituit, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, vel Galitiæ, in omnium Miſſarum ſolemnitate idem in publico decantetur, &c.* Hactenus Concilium Toletanum pro trium puerorum cantico edixit. Et congruis quidem rationibus permoti antiqui illi patres, qui eximia cæteris auctoritate præſtabant, hujuſcemodi hymnum frequentius inter divinas perſolvendum laudes canere, ac devoto ore pariter, & corde repetere geſtiebant, cum ex ejuſdem potiſſimum Cantici verbis, quæ auribus perſonabant, certum ſibi futuræ reſurrectionis omen, omnimodamque rerum ſpem futurarum repromitterent: quod egregie Theodoretus Oratione tertia, quam in Danielem conſcripſit, his plane verbis adnotavit: *Reſurrectionem quoque ſuo præconio commendant. Benedicite enim, ajunt, ſpiritus & animæ juſtorum Domino, id eſt, ſpirituales animæ juſtorum humanis perturbationibus ſuperiores effectæ; &c.* Hæc concinne in rem præſentem Theodoretus, qui & in Cant. trium puerorum cant. 8. idem fere, etſi haud verbis eiſdem reperit, dicens: *Hic oſtendit reditum è morte in vitam: Laudate, inquit, ipſum, non quotquot animæ eſtis, ſed juſtorum animæ, &c.* Verum enim vero ubi tres pueros inter flammarum incendia illæſo, ac illibato corpore perſiſtentes, melliſoniſque Deo vocibus perſonantes contemplari nobis licuit, dilucidatis jam, quæ præſefert eorundem hiſtoria, arcanorum myſteriis, ex cujus aſpectu fideles ſuis opportunum ærumnis medelæ pharmacum, ac ſolamen hauriebant. Sed jam ad ulteriora, ſi libet, progrediamur.

Conc. Tol. 4.

Ex trium Puerorum hymno reſurrectio noſtra deprehenditur.

Theodor. 3. in Daniel. Id. cant. 8 in cant. trium pueror.

CAP. XXI.
De Daniele Propheta.

1 IUre quidem Danielis inter Prophetas celeberrimi, Chriſtianorum olim Cœmeteriis imago affixa ſuſpicitur, qui præcipuæ ſanctitatis merito junior inter ſenes palmam promeruit, & ipſiuſmet Dei oraculo commendatus Ezechielis ore Noëmo, & Iobo æquiparatur: *Si fuerint*, inquit, *tres viri iſti in medio ejus*, Hieruſalem intelligit, *Noë, Daniel, & Iob, ipſi juſtitia ſua liberabunt animas ſuas.* Tres igitur iſti, inter quos & Daniel computatur, quaſi juſtitiæ in Orbe ſoles extitere: & nunc iſte ſua præ cæteris luce conſpicuus ſubterranea, ut vides, Chriſtianorum loca, Cœmeterialeſque tenebras illuſtrat. Quo enim unus hic homines honoris Dei, ac proximorum ſalutis zelo inter homines præfulſit, qui ob id potiſſimum *Vir deſideriorum* cælitus appellari meruit. Qua & quanta ſapientia præſtitit? cum ad intellectum ejus intime aſſequendum, hiſtoriarum omnium tam Latinorum, quam Græcorum, & Chaldæorum cognitionem Hieronymus neceſſariam eſſe pronunciet, & nimia propheticos ejuſdem ſermones obſcuritate Deus refundi voluerit, dum cap. 12. ait: *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum.* Quali inſuper inter homines abſtinentia enituit, qui ſapientiæ ex hac Spiritum,

Virtus ac ſanctitas Danielis prophetæ.

Ezech. c. 14. n. 14.

Dan. c. 6 n. 3.

Hier. in prol. 12.

Gregorio teſte, hauſit: *Daniel*, inquit, *deliciis abſtinuit, ut tanto avidius guſtum ſapientiæ intus acciperet, quanto ſaporem carnis pro eadem ſapientia foris robuſtius repreſſiſſet.* Haud alter tam concinne ac ſublimiter de Chriſti regno, & de Antichriſti tyrannide, ac unus Daniel ediſſerit, ideoque Regum Babylonis, Medorum, atque Perſarum in ſuis paginis regna deſcribit, ut cuncta alia regna tandem peritura, Chriſti autem dumtaxat Regnum perpetuum fore legentibus innoteſcat. Nec caſu vero, ac temere in Cœmeteriis ejus à Chriſtianis imago pingitur, qui Chriſti Salvatoris adventum, tam longe ante prædixit, ejuſdemque præoptatum Nativitatis, ac paſſionis tempus abbreviari petiit, & obtinuit. Et quidem locis, in quibus olim Chriſtiani Deum votis jugiter, ac precibus colebant, Danielis exemplar congruit, qui ab æmulis ſatrapis ideo ad Regem delatus, & in lacum ſubinde leonum miſſus eſt, quia ſtatis Deum horis per ſingulos dies contra Regis edictum exorabat: *Daniel*, Regi inquiunt, *de filiis captivitatis Iuda, non curavit de lege tua, & de edicto, quod conſtituiſti, ſed tribus temporibus per diem orat obſecratione ſua.* Verum mira Dei virtute illibatus vel inter leones conſiſtit, qui omni labe innoxius inter homines, inter idola perſtiterat, *beatus ſiquidem propheta*, ut Emiſſenus ait, *hoſtibus ſerviebat, ſed beſtiis imperabat.* Porro quæ prophetæ vota? quæ Danielis oracula? *Vt*, nimirum, *finem accipiat peccatum, ut deleatur impietas, ut adducatur juſtitia ſempiterna, ut impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus ſanctorum.* Daniel igitur haud immerito Cœmeteriis velut præcipuus futuræ reſurrectionis aſſertor, ſepulchralibus item Sarcophagis, mortuorumque cineribus non ſecus ac immortalis vitæ præco jugiter incubat: claro etenim verborum ſono, quod ob Chriſti virtutem omnes ex his, qui in terræ pulvere dormiunt; è ſomno evigilaturi ſint, alii ad vitam, ad mortem, & opprobrium alii vaticinatus eſt. Spem igitur in Chriſto dormientium aſpectu, tacitique oris ſilentio erigit: quinimmo ne à reſurrectionis myſterio, quod ipſo enarrante propinatum eſt, judicium ſecernatur, dum improbos judicat, condemnatque ſenes, & Suſannam caſtiſſimam abſolvit, quæ *adulterii pœnam*, ut Auguſtinus ait, *pati maluit, quam conſcientiam.* Chriſti ad judicium venturi typum, ac metum pariter ingerit, qui hominum ſingulorum diligenti acta ſcrutinio penſabit, & condignam geſtis aut pœnam, aut præmia reddet. Daniel itidem dum Belis idolum deſtruxit, & Draconem ſapienter interfecit, maniſeſtiſſimum Chriſti typum exhibuit, qui toto terrarum orbe, quæ paſſim vigebant, idola confregit, & graſſantes ubique diaboli aſtus eluſit, necnon vires dejecit; quapropter jam Daniel idola, ac idololatras valide inſectatus, Chriſtianis intra Cœmeteria degentibus, cum alioqui inſano gentilium furore impeterentur, idololatriæ Chriſti potentia, ac crucis virtute funditus abolendæ, jamtum vel facto ſpem conciliabat, & quod *Satanas*, ut Petrus ait, *ſub ipſorum pedibus conterendus eſſet.* Demum Daniel dum impios Antichriſti adverſus Chriſtianorum religionem ſe extollentis, ac juge altaris ſacrificium ſub noviſſima mundi tempora è medio tollere ſatagens conatus illis plane verbis expreſſit: *Et à tempore cum ablatum fuerit juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem*; funeſtiſſimorum temporum & omnium quidem acerbiſſimam calamitatem edocet: *Iuge enim ſacrificium,*

Greg. l. 30. c. 9.

c. 9. n. 24.

cap. 6. n. 13.

Euſ. Emiſſ. ho. de litan. c. 7.

Daniel reſurrectionis aſſertor.

Dan. c. 13. Aug. in ſer. de Suſan.

Petr. ep.

Dan. c. 12. n. 11.

Corn. à Lap. in c. 12. Exod. 29. 38.

ut disertissime Cornelius à Lapide è Societate Iesu, & alii in hunc locum contendunt, *Sacrificium Eucharistiæ prænotatur*, quia ut præcitatus scriptor ait, *Missa quotidie per totum Orbem in Ecclesia Christo offertur, sicut quotidie olim juge Agni sacrificium offerebatur, ita tamen auferet, ut nullus publice hoc facere audeat.* Iuxta id quod Hieronymus, Thodoretus, Irenæus lib. 5. & alii in hunc locum edisserunt. Quapropter Christiani cum se acriter ab Antichristo impetitos viderint, fuga sibi prospicientes, in solitudines, ac speluncas, ut ejus furori cedant, dispergentur. Quod Joannes etiam mystice de Ecclesia in Apocalypsi describit; *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.* Ibique degentes sacrosancto altaris pabulo, qui *Panis fortium* est, in prælium confirmabuntur. Iuge autem altaris sacrificium è medio tollere, ac abolere Antichristus sataget, quippe qui solus sacrificiis, ac precibus coli volet, vel certe, ut locupletissimum Passionis, ac Resurrectionis Dominicæ monimentum, quod est Eucharistia, aboleat, ut fideles nimirum spiritali pharmaco, quod luctantes mirifice fovet, ac roborat, destitutos postmodum vincat, atque dejiciat. *Quare fideles*, Cornelius inquit, *tunc privatim in speluncis, & locis abditis Eucharistiam celebrabunt, eaque se contra Antichristum communient, dicentque illud Psalm. 22. 5. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me, uti olim fecerunt sub Decio, & Diocletiano.* Multiplici igitur titulo sacris Christianorum Cœmeteriis, ubi synaxes, ut lib. 1. dictum est, peragebantur Danielis imago, quam passim suspicimus, quadrat.

Apoc. c. 12. v. 6.

Corn loc. sup. cit.

Psal. 22. n. 5.

Emolumentum ex depicta Danielis in lacu imagine profectum quantum esset.

Quis enim nesciat, dum sacram probe teneat antiquorum temporum ac Prophetarum historiam, admiranda jugiter ac recolenda Danielis Prophetæ gesta, quæ divinarum scripturarum paginis adumbrantur; hæc enim utpote quamplurimis referta Mysteriorum ponderibus, plura item recolentiu m animis, bonorum subsidia conferunt. Et hanc certe ob causam in abditis plerisque Cœmeteriorum Cubiculis, ac Martyrum, cæterorumque Chistianorum sarcophagis Daniel illibatus inter leones consistens, elevatisque Deum manibus intentissime deprecans, Abacuch quoque prandium eidem deferente interdum superaddito, contemplandus objicitur, ut ipsiusmet Danielis liber legendum exhibet. Quam profecto historiam frequenter admodum fidelium oculis, atque animo expendendam iidem sapientissimi Patres, qui moribus informandis vacabant, ob præcipua, quæ intus latent, altissimarum virtutum dignis obvoluta mysteriis documenta, proponebant. Dignissimi enim viri historiam cum inter crebras ærumnarum molestias intercipi contingeret, recolentes, haud animum despondere, sed bonam, divino suffulti præsidio spem concipere edocebantur. Quippe qui ipsius Danielis exemplo præmuniti, futurum non dubitabant, ut ipsi quoque divino aspirante Numine, è periculis, quibus acriter premebantur, liberi tandem emergerent; cum Daniel, cujus imaginem adspiciebant, è leonum fame exasperatorum faucibus illæsus ac vegetus evasisset: & ipsemet Christus Dominus, quem Daniel mystice præsignabat, è rabidis furentium Judæorum manibus, quos haud alio quam leonum nomine Hieronymus appellat, ipsos inter mortuos liber tertia jam recurrente die redivivus orbi affulsisset, sed hic in studiosi gratiam lectoris Hieronymi verba in medium proferamus, qui in versiculum illum psal. XVI. *Susceperunt me, &c. Sicut leo*, inquit, *paratus ad prædam, sic susceperunt Iudæi Christum in passione.* Et isthæc sequenti item versiculo ad rei propositum subjicit: *Sicut catulus leonis, leo diabolus, catulus filius ejus Antichristus. Vel aliud: leo diabolus; & filii ejus Iudæi.* hæc concinne, eleganterque Danielis historiam edisserens affert Hieronymus.

Dan. c. 14.

Daniel Christum Dominum mystice designabat.

Hier. in ps. 16.

2 Porro auxiliarem Dei protegentis manum in sacris præmemoratæ historiæ monimentis admirari sanctissimus Pontifex Anacletus haud destitit, qui isthæc ad rei propositum disertis verbis perorat: *Sicut per angelum suum Abacuch Prophetam una cum prandio in lacum leonum ad Danielem vatem misit; ita dabit nobis consolationem & liberationem.* Sed recensitis hactenus Anacleti verbis eloquentissimus quoque Cyprianus pari sententiarum pondere subscribit: tractatu enim, quem de oratione digessit, hæc inquit: *Quærentibus regnum & justitiam Dei, omnia promittit apponi. Nam cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deus ipse non desit. Sic Danieli in lacu leonum jussu Regis incluso prandium divinitus procuratur, & inter feras esurientes, & pascentes, homo Dei pascitur, &c.* hactenus in rem præsentem Cyprianus.

Cura ac protectio Dei afflictis semper præsto est.

Anacl. ep. 1.

S. Cypr. tract. 2. de orat.

3 Porro primævi illi Christianorum duces ac magistri haud Danielem dumtaxat coloribus expressisse contenti, ut manifestiori fidelibus symbolo sub descripta Danielis imagine Christum præsignarent, cujus dignissimi cruoris pretio, & mira salutiferæ crucis potentia, è tartareorum hostium jugo nos in libertatem divinitus vindicari contigit, Danielem expansis, elevatisque in crucis formam manibus orantem repræsentare consueverunt: quod pie eleganterque præ cæteris Macarius Chrysoceph. Philadelphiæ Archiepiscop. adnotavit oratione, quam in Crucis Dominicæ exaltatione conscripsit, & deinde ab ipso Gretsero in lib. de Cruce relatus. At digna viri disertissimi verba gratis hic auribus excipiamus: *Accedat*, inquit, *& magnus ille Daniel, & tres pueri, ille enim ora leonum insolita mansuescere obturavit, cum manus expandisset in lacu, & in crucis speciem conformasset, &c.* Cui egregie Theodorus Studita in quodam canone de crucis adoratione à Gretsero pariter libro de Cruce recensitus his plane verbis adstipulatur: *Magnus*, inquit ille, *Propheta Daniel missus quondam in lacum leonum, manibus crucis in speciem expansis, incolumis ex faucibus bestiarum evasit, benedicens Christum Dominum.* Ex quibus profecto satis perspicue vides, amice lector, Christianos haud temere atque ornamenti parietibus conciliandi gratia, sed peculiarium mysteriorum animis exhibendorum causa, Danielem expansis inter leones manibus consistentem affabre coloribus delineasse.

Daniel manibus expansis orans vera Christi Crucifixi imago ac typus.

Macar. or. de exalt. Cruc.

Grets. to. 2. de Cruc.

Theod. Stud. Con. de ador. cruc. Gret. l. 3. c. 3. de Cruc. od. 8.

4 Sed nec ipsamet esca, quæ Danieli divinitus Abacuch ministerio exhibita est, mysteriis vacat. Prandium enim illud atque omnem præter exspectationem præstita esurienti refectio, suffragii, quod jugiter ab orthodoxa Ecclesia, sacrosancto altaris sacrificio animabus in purgatorio existentibus in dies impenditur, symbolum haud obscurum extitit, ut in Gloss. Clement. unica de reliqu. habetur ubi isthæc: *Transmittitur ad defunctos non summe malos, nec summe bonos.* 13: q. 2. *non æstimemus &c. animæ, quod figuratum fuit Daniel ult. ad finem, ubi præcepit angelus Abacuch, quod panem & pulmentum,*

Suffragium animarum purgatorii per prandium Abacuc figuratum.

Gloss. Clem. usui de rel.

tum, quod ferebat messoribus, portaret in Babylonem Danielposito in lacu leonum; & cum nesciret Abacuch locum, apprehendit illum angelus capillo capitis sui, & posuit inBabylonem super lacum,& accepit Daniel prandium, &c. Vides quam magna, ac omni salubritate referta mysteria, Danielis potissimum historia propinentur.

5 Demum ex ejusdem historicæ enarrationis textu futuram quoque mortuorum resurrectionem validissimis utique argumentis probatam conjicere poterant: Daniel enim, de quo sermo est, ex imo leonum lacu in quo jacebat, liber tandem atque illæsus progrediens, quoddam præmortui hominis è tumba in vitam consurgentis hieroglyphicum intuentibus exprimit. Quod certe D. Hieronymus haud obscure innuisse videtur, dum illa Zachariæ verba explicat: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* hæc autem sunt sanctissimi doctoris verba: *Quod ita intelligitur, in sanguine passionis tuæ eos, qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est ulla misericordia, tua clementia liberasti. Denique postquam Dominus resurrexit, hi qui peccatis Adam, sive, ut quidam volunt, erroris inoliti, de mortis vinculis tenebantur, resurrexerunt cum eo, &c.* huc usque Hieronymus, quæ quidem verba, ut Orthodoxam veritatem sapiant, haud de erutis ab ipsomet inferni lacu, in quo nulla est, ut Theologi monent, damnatis perenniter, obstinatisque jugiter speranda redemptio, sed de his, qui temporaliter à pœnalibus purgatorii ignibus, vel certe ab ipso limbi sinu, ubi detinebantur, Dominici virtute sanguinis exempti fuere. Sed ut cætera mysteria sileamus, præcipue resurrectionis mysterium ex Danielis historia palam convincitur, quoniam ipsemet Daniel cap. 12. ut optime Origenes libro 5. contra Celsum adnotavit, de futura mortuorum resurrectione vaticinia satis quidem aperta mortalibus edidit. Ex quibus rem contemplanti manifeste liquet, jure quidem optimo sacram Danielis historiam frequenter præ manibus, ac præ oculis sanctissimos illos fidei Christianæ cultores habuisse, dum inter juges tyrannorum pressuras, atque ingruentes temporum angustias ullo vix loco tuti, & ad necem semper quæsiti, & mox ad Martyrium rapiendi subsisterent: cujus plane rei quamplurimorum exempla sanctorum suppetunt, & in Cœmeterialibus præsertim locis hanc passim coloribus delineandam curarunt. Et quidem ob præclara, atque admiranda sanctissimi Prophetæ gesta, ac primis quidem temporibus ejusdem memoria eo venerationis cultu à tota fere Ecclesia excepta est, ut æneam Danielis inter leones consistentis statuam auro desuper affabre exsculptam Constantinus Magnus Imperator Constantinopoli in ipsius fori umbilicio erexerit, Eusebio teste in conscriptis ejusdem Constantini gestis. Sed de recolenda, ac suspicienda jugiter beatissimi viri, qui tot virtutum meritis coruscat, imagine pia antiquorum fidelium manu inter reconditos Cœmeterialium locorum sinus æternitati consecrata, sat diximus. Demum studiosus præmonendus est lector, quod haud hic canonicorum scriptorum in imaginum elucidatione ordinem servandum duximus. Sed eos primo quidem loco contemplandos lectori proposuimus, quorum imagines apud antiquos Christianos usu magis in Cœmeteriis extitere. Ezechielem enim Danieli, Daniel tribus Pueris anteponendus, postponendus vero Jonas fuerat.

Marginalia: Spes resurrectionis per Danielem è lacu liberatum typice designata. — D. Hier. in Zach. c. 9. — Dan. c. 12. Orig. l. 5. con. Cels. — Eus. in vit. Const. l. 3. c. 48.

CAP. XXII.

De Iona Prophet.

JOnas inter sævientes undarum procellas justo Dei judicio, vel dum fugit, deprehensus, ac velut irati Numinis imperio ad certum naufragium è navi in mare projectus, immanisque Ceti alvo exceptus, ex quo post triduum vegetus, atque incolumis emersit, Christianis, quippe qui persecutionum procellis jugiter impetebantur, dum hunc vel mente recolerent, vel oculis quandoque contemplandum objicerent, haud parum inter adversa solaminis refundere consuevit: *Præparavit Dominus,* inquit Scriptura, *piscem grandem, ut deglutiret Ionam, & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.* Inter fluctuum enim, ac marinæ belluæ, in cujus ventre reus, captivusque quodammodo detinebatur, pericula præsentissimam Dei opem expertus est, ipsiusmet belluæ, quæ vivum deglutierat, ventre tuto veluti navigio ad littus tandem deferendus Deo volente servabatur: *Advertendum est*, inquit Hieronymus, *quod ubi putabatur interitus, ibi custodia est.* Ita plane emersit vivus, qui mortuus putabatur, & Dei auxilium periclitanti tunc maxime adfuit, cum procul abesse credebatur. Qua propter præ cæteris arcanarum rerum symbolis, quibus olim potissima Christianæ fidei mysteria adumbrari contigit, Ionæ symbolum solemne extitit, cujus quamplurimæ, & satis frequenter in pictis tabulis, & Cœmeterialibus item sculptis Sarcophagis imagines visuntur, ut in hac præsertim tabula videre est.

Marginalia: Ionæ à Balena devorati historia solatio Christianis in ærumnis esse poterat. — Ionæ c. 1. n. 1. — Hier. in Ion c. 1.



Nam, ut historiam ejusdem breviter attingamus, Ionam peculiarem Christi Domini typum fuisse, communis & receptissima Patrum omnium sententia est, quam ipsemet Dominus divino plane oraculo comprobavit, dum importunis diu Iudæorum precibus, ut signum aliquod ad semetipsum manifestan-

Marginalia: Ionas Propheta Christi Domini typum gerebat.

Math. c. 12. festandum ederet, requisitus, illis potissimum verbis, ut videre est Matth. 12. respondit:t: *Generatio prava, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim Iona fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ.* Quamvis autem non omnia, quæ sacris descripta paginis de Iona prolixius enarrantur, Christo Domino orbis Salvatori consonent, ut acute Hieronymus de ipsomet Iona in Prolog. edisserens his verbis adnotavit: *Cæterum non ignoramus, Chromati Papa venerabilis, sudoris esse vel maximi totum Prophetam referri ad intelligentiam Salvatoris.* Quod subinde, & magis quidem perspicue in explanatione capitis 1. hunc in modum edocet: *Prudens rogandus est lector, ne eundem velit ordinem Tropologiæ, quem & historiæ quærere.* Et ad hujus item rei propositum hæc paulo infra: *Sic & Ionas Propheta non absque periculo interpretantis totus referri ad Dominum poterit.* His igitur ad exactam rei notitiam in studiosi lectoris gratiam præmissis, hic nonnulla interim piæ curiositati vacantes recensebimus, quæ tum Hieronymus tum alii orthodoxi Patres, cum de Iona, ejusque vaticinio loquuntur, Christo Domino, vel mystico saltem Ecclesiæ corpori apte congruere asseruerunt.

D. Hier. prol. sup. Ion. prophet.

2 Vt ab Hieronymo igitur, qui in sacrarum scripturarum oraculis intime discutiendis, explorandisque principem sibi locum jure vindicat, dicendi exordium auspicemur, certe dum sanctissimus doctor verba illa cap. 1. exponit: *Stetit mare, &c.* obortam extemplo frementis Oceani tranquillitatem expendens, ubi Ionas à nescientibus, divino impellente numine, immanium veluti criminum reus mulctandus, illuc projectus fuit, certe, inquam, ipsummet Ionam certissimum abolendæ penitus post Christi mortem idololatricæ superstitionis symbolum extitisse pronunciat; hæc autem inquit: *Si consideremus ante passionem Christi errores mundi, & diversorum dogmatum status contrarios, & naviculam, totumque hominum genus, id est, creaturam Domini periclitantem, & post passionem ejus tranquillitatem fidei, & orbis pacem, & secura omnia, & conversionem, ad Deum, videbimus quomodo post præcipitationem Ionæ steterit mare à furore suo.* Quod plane mysterium intime perscrutari non destitit ad Heliodorum scribens: *Devorasti quidem, inquit, Ionam, sed & in utero tuo vivus fuit, portasti quasi mortuum, ut tempestas mundi conquiesceret, & Ninive nostra illius præconio salvaretur, &c.* hæc de symbolica Ionæ imagine pariter, atque historia Hieronymus eleganter congessit.

Idololatria per mare, in quo Ionas projectus est, figurata. Ion. c. 1.

S. Hieron.

Tempestas maris, post Ionæ præcipitationem, conquievit eiusque mysterium.

D. Hier. ep. 3. ad Heliod. Conversio Ninivepostquam Ionas in mare missus esset, & quidnam significet.

4 Illud vero haud silentio nobis prætereundum est, quod oculatissimus sacros inter scriptores Augustinus enarrat, & maxime in rem præsentem facit. Præcipuus enim hic inter cœteros doctor à sancto Deogratias Episcopo de Ionæ mysterio interrogatus, quem nimirum cum marina bellua hianti ore deglutisset, vegetum tamen atque incolumem post tres dies ad littus evomuit; super hac utique interrogatione se valde mirari respondit, cum ipsemet Dominus, ut propositæ fiat satis quæstioni, quod intus latebat mysterium, exponere dignatus sit; percontanti igitur in hæc plane verba rescripsit: *Quid figuraverit, quod Prophetam bellua illa devoratum tertio die vivum reddidit, cur à nobis quæritur, cum hoc Christus exponat? Generatio, inquit, mala & adultera signum quærit, &c.* pereleganter tamen suo ex more eadem epistola ipsam deinde Ionæ historiam edisserit, & minutissima quæque, quibus historica enarratio contexitur, diligenter expendens, hæc habet: *Sicut ergo Ionas ex navi in alvum ceti, ita Christus ex ligno in sepulchrum, vel in mortis profundum. Et sicut ille pro his, qui tempestate periclitabantur; ita Christus pro his, qui in seculo fluctuant: & sicut primo jussus est, ut prædicaretur Ninivitis à Iona, sed non ad eos pervenit prophetia Ionæ, nisi posteaquam eum cetus evomuit: ita prophetia promissa est ad gentes, sed nisi post resurrectionem non pervenit ad gentes.* Verum Theophylactus quoque in historicam gestorum Ionæ enarrationem complura inde uberrimis referta mysteriis documenta elicit; sed ipsum audire hic præstat: *Proinde naturam, inquit, nostram induens Dominus, unus ex nobis factus, & navim nostram ingressus, hoc est, juxta prædifinitionem, quem prædifinivit Pater, qui hoc sortitus est ante omne ævum, ante cuncta secula decrevit, constituit, proposuit, ut Filius ille suus pro nobis moreretur; perinde ac Petrus & Paulus dicunt: Altissimus igitur pro nobis laboribus defatigatus est, & pro nobis luget, angitur, dolet, voluntarie quidem, &c.* Et hæc infra: *Qui etiamsi seipsum ad mortem condemnaret, non tamen seipsum projecit, sed projicitur, docente nos hoc verbo, ne nos temere in pericula conjiciamus, neve incaute, & stolide in mortem incidamus.* Rursumque pari pietatis ardore alia, quæ sub ejusdem historiæ cortice latent mysteria rimari haud desinit: *Mortuo itaque, inquit, Christo, ac omnia deglutienti balenæ tradito, spirituales nequitiæ cessarunt, procellæ voluptatum prostratæ sunt, tranquillitas tota, & pax in vita versata est, & animis & corporibus æque ac ipse dixit: Pacem relinquo vobis, &c.* Et rursum hæc subiicit: *A resurrectione discipulis suis salutem impertiens: Pax inter vos sit, ait, &c.* Et demum peculiaribus sacramentorum symbolis totam fere historicæ hujus enarrationis imaginem mirifice exornans in hæc verba concludit: *Quin etiam sic quidam hic inquiunt: Prophetam esse figuram Christi: navim esse typum Iudæorum synagogæ: proræ autem observatorem esse Moysem: nautas esse Prophetas: mare afflictiones, quæ nobis debebantur: sortem, voluntatem Patris, secundum quam Christus in mare ærumnarum præcipitatur, & alvum ingentis ceti, hoc est mortis, ingreditur, ubi triduum commoratus resurrexit, gentibusque Euangelium annunciavit, ex quibus credentes conservati sunt.* hæc acute pro dilucidanda Ionæ historia Theophylactus congessit.

S. Aug. ep. 40. resp. ad q. 6. de sacr. mirac. Historia Ionæ, ejusque circumstantiæ expensæ.

Theoph. in c. 2.

Navis qua Ionas vehebatur, Synagogæ figura fuit.

4 Verum hæc eadem, & quam plura ab aliis item scriptoribus hunc locum diligenter prænotari contigit, quæ hic recensere brevitatis gratia prætermittimus. Porro cum marina bellua, quæ Ionam alvo excepit, in plerisque Cœmeteriorum Cubiculis, ac marmoreis antiquorum Sarcophagis sub draconis, nullatenus autem sub piscis forma repræsentetur, quid potissimum ejuscemodi mysteriorum symbolo ab antiquis Patribus præsignatum sit, præsenti à nobis quæstione curiosius inquirendum videtur. Verum ut in re haud parvi momenti sacros de more doctores consulamus: primo quidem loco Hieronymus se perscrutantibus offert, qui illa historici textus verba exponens: *Et præparavit Dominus piscem grandem,* hæc ait: *Porro quid ait, præparavit, vel ab initio cum conderet, de quo in psalmo scribitur: Draco iste, quem formasti ad illudendum ei, vel certe juxta navem fecit venire.* Sed plura eleganter quidem subjicit, dum in psal. 103. aperte magis verba illa expendens: *Draco iste, &c.* dæmoni convenire hæc dicens affirmat: *Iudæi dicunt draconem magnum fecit*

Balena Ionæ cur specie draconis repræsentata?

S. Hier. in c. 2. Ioan.

Hier. in psal. 103.

cit Deus, qui dicitur Leviathan, & est in mari, &c. Nos autem dicimus: Iste est draco, qui de Paradiso ejectus, qui decepit Evam, & datus est in hoc mundo ad illudendum nobis. Quod plane, iisdemque fere sententiis obfirmat, dum verba illa Isaiæ 27. altius contemplando dilucidat: *Super Leviathan serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum.* Ex septuaginta enim interpretum versione id evidenti testimonio comprobat, qui verba illa, *super colubrum fugientem*, haud aliter, quam *super draconem* legendum putant, &c. Hieronymus item semper sibi in assertis bene constans ex psalm 90. auctoritatem jam supra enarratis apte concilians, ubi isthæc, *super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*; per draconem dæmonem utique subintelligendum esse proclamat, ibidemque hunc ipsummet esse cetum, qui Leviathan alio vocabulo appellatur, à Christo Domino tandem intercipiendum, ac valide profligandum constanter asseverat, quod & prophetica Iobi oracula evidenti enarratione testantur. Sic autem in rem præsentem inquit: *Ipse est magnus cetus, de quo, quod à Christo capiendus sit, mystico in Iob sermone narratur: nam & ibi pro ceto Leviathan ponitur.*

Hier. in c. 27 Isaiæ.

Psal. 90.

5 Locum autem, quem hactenus recensuimus, sacrarum sententiis scripturarum mirifice excultum, & ab Hieronymo, ut jam vidimus, recitatum in capite libri. Iob quadragesimo videre est, ad illa nimirum verba: *An extrahere poteris Leviathan hamo, &c.* ubi juxta septuaginta interpretum explanationem, pro *Leviathan* legitur *serpens*, & *Behemoth*, his autem nominibus terrestrem, ac marinum pariter serpentem designari Hieronymus his plane verbis asserit: *Commutavit figuram ænigmatis, ut diabolum, quem superius Behemoth, translato nomine dixerat, eundem nunc Leviathan appellet: sed illic eum quasi belluam dicit, qui terras inhabitet: his vero illum nominat, qui velut in aquis maris consistat. Unde & alii pro* Leviathan, *draconem dixerunt, &c.* In illa item Ezechielis verba cap. trigesimi secundi, videlicet: *Leoni gentium assimilatus es*, idem plane conceptis hunc in modum verbis confirmat: *Draconem autem*, inquit, *dici diabolum, pro quo Aquila interpretatus est* Leviathan, *nomen draconis exponens juxta superiorem explanationem, multis testimoniis docui.* Merito igitur, ut vides amice lector, sub descripto draconis typo piscis ille repræsentatur, qui rabido, atque hianti Ionam ore deglutiit, cum ille vivis coloribus adumbratus cacodæmonis symbolum extiterit.

[D]iabolus [a]ppellatus [B]ehemoth.

Iob. c. 40.

Hier.

Ezech. c. 32.

6 Sed cum in Cœmeterialibus insuper tabulis Ionæ interdum sub umbraculo molliter recubantis, atque ingentem animi ipsomet vultu tristitiam præseferentis imago contemplanda exhibeatur, præcipua mysteriorum arcana, quibus picta hæc tabula haud vacat, ut sancti Patres unanimiter asserunt, studiose à nobis perscrutanda sunt. Ut reconditos autem mysteriorum, quæ latent, sensus ex congestis orthodoxorum Patrum sententiis commode assequamur, primum quidem Rupertus Abbas in Ionæ cap. 4. consulendus est, qui dum illa potissimum verba exponit: *Fecit sibimet umbraculum, & sedebat subter illud in umbra, &c.* paratum Ionæ ex virentibus simul compactis foliis tegumentum, antiquæ typum legis præsetulisse his plane verbis demonstrat: *Illud mystice intelligimus, quod post suave umbraculum fidei patrum legem dedit & religionem sacerdotalem per Moysem instituit, ut sub illa contegeretur verbum Domini, sive spiritus veritatis, adopertus figuris, & utilitate literæ, quæ congrue significatur per viriditatem levis hederæ, sive, ut quidam volunt, cucurbitæ. Denique cucurbita & hedera hujus naturæ sunt, ut per terram reptent, lata habentes folia in modum pampini, & absque furcis, vel adminiculis, quibus innitantur, altiora non petunt. Sic nimirum litera legis, cunctarumque cæremoniarum lata est, & umbra densissima semet ipsam obscurat; & nisi spiritualis intelligentia adminiculis sublevetur, neque alta, neq; pretiosa est, &c.* huc usque Rupertus, qui mira sententiarum vi, dum isthæc tam concinne enarrat, multiplicem divinorum, quæ in scripturis continentur, mysteriorum ubertatem inculcat, in quibus ne syllabarum quidem apiculus sacramento vacat.

[Io]nas sub [um]braculo, [...]que [my]steria.

[Um]bracu[lum] Ionæ [sym]bolum [...]quæ [...]

[Rup.] in c. 4.

7 Verum Ruperti sententiæ ipsemet Augustinus in supra citata ad Episcopum Deogratias epistola, omnimodis fere verbis subscribit, atque exundantis animo mœroris, quo Ionas inibi velut carceri mancipatus afficiebatur, rationem ultro edocens, isthæc ait: *Iam vero quod tabernaculum sibi constituit, & consedit ex adverso civitatis Ninive, quid ei futurum esset, expectans, alterius significationis personam Prophetæ gestabat. Præfigurabat enim carnalem populum Israël. Nam huic erat tristitia de salute Ninivitarum, hoc est, de redemptione & liberatione gentium: unde venit Christus vocare non justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Umbraculū ergo cucurbitæ super caput ejus, promissiones erant veteris Testamenti, vel ipsa jam munera, in quibus erat utique sicut dicit Apostolus, umbra futurorum, tanquam ab æstu temporalium malorum in terra promissionis defensaculum præberet. Vermis autem matutinus, quo rodente cucurbita exaruit, idem rursus Christus occurrit, ex cujus ore, Evangelio diffamato, cuncta illa, temporaliter apud Israëlitas velut umbraculi prius significatione viguerunt, evacuata marcuerunt, & nunc ille populus amisso Hierosolymitano Regno, & sacerdotio, & sacrificio, quod totum umbra erat futuri, in captiva dispersione magno æstu tribulationis aduritur, sicut Ionas, &c.* hæc Augustinus, dum mysticis Ionæ historiam elucidationibus illustrat. Qui deinde satis quidem aperte ipsiusmet Christi Domini typum vermem illum matutinum exhibuisse demonstrat, de quo in psalmo item 21. cui titulus: *Pro susceptione matutina*, ejusdem personam aptatis sibi rerum significationibus induens Psalmista canit: *Ego sum vermis & non homo.*

Ionas figura populi carnalis Israel.

S. *Aug. ep. ad. Deogr.*

Populus Israel mœstitiam ex conversione gentium capit.

Umbraculum Cucurbitæ promissiones veteris Testamenti figurabat.

Christum Dominum vermis, qui cucurbitam illam rodit, & arefecit, denotat.

Ps. 21.

8 Sed ut singula latentium rerum mysteria, quæ sub ipsius Ionæ umbraculo adumbrata sunt, breviter attingamus, quantumvis ab Augustino Hieronymus in iis potissimum rationibus assignandis, quæ ingenti Ionæ animum mœrore compleverant, valde dissentiat, quippe qui id haud ob prævisam traducendarum gentium ab idolotriæ erroribus imaginem, sed ob interceptam, ac deperditam penitus, si quæ de Israëlitici populi salute supererat, spem contigisse his plane verbis affirmat: *Non contristatur, ut quidam putant, quod multitudo salvetur, sed quod pereat Israël.* Augustino tamen consonis verbis adstipulatur, dum umbraculum illud, haud obscurum antiquatæ legis typum fuisse edocet, hæc enim ibidem in rem præsentem ait: *Ionas sub umbraculo erat: necdum quippe veritas venerat, de qua idem Evangelium & Apostolus loquitur: Deus veritas est.* hæc Hieronymus.

Ionas contristatur, quod Israel periturum prævidet.

S. *Hieron.*

9 At vero multiplices doctorum sententiæ de umbra-

Quæstio de umbraculo Ionæ an fuerit ex hedera, *Ionæ c. 3.*

umbraculi foliis, quæ Ionæ à solaribus radiis obtegendo inservierunt, negotium aliquod facessere nobis videntur, an ex hedera videlicet, juxta vulgatæ textum, extiterint, dicitur enim cap. 3. *Et præparavit Dominus hederam, & ascendit super caput Ionæ, ut esset umbra super caput ejus*, cujus quidem versionis textui Hieronymus ibidem adhæret: an potius, ut in recensitis supra tabulis repræsentatur, virentibus id cucurbitarum frondibus præstitum fuerit, juxta id, quod in præmemorati textus versione septuaginta interpretes legunt, quam Aquila, Augustinus, & alii insuper sectantur. Et quidem, ut singula, quæ ad rem pertinent, edisseramus, antiquæ ejuscemodi difficultatis idem Hieronymus ibidem in hæc verba meminit: *In hoc loco quidam Canthelius de antiquissimo genere Corneliorum, sive, ut ipse jactat, de stirpe Asinji Pollionis, dudum Romæ dicitur me accusasse sacrilegii, quod pro* cucurbita *hederam transtulerim.* Et paulo infra, ut inflictam de vitiata interpretatione calumniam valido ab ipsiusmet nominis derivatione comparato sibi argumento confutat: *Sed veniamus*, inquit, *ad seria. Pro* cucurbita *sive* hedera, *in Hebræo legitur* Kikajon, *quæ etiam lingua Syra, & Punica* Elkeroa *dicitur. Est autem genus virgulti, vel arbusculæ, lata habens folia in modum pampini, & umbram densissimam, suo trunco se sustinens, quæ in Palæstina creberrime nascitur, & maxime in arenosis locis, mirumque in modum, si sementem in terram jeceris, cito confota consurgit in arborem, & intra paucos dies, quam herbam videras, arbusculum suspicis: unde & nos eodem tempore, quo interpretabamur Prophetas, voluimus ad ipsum Hebrææ linguæ nomen exprimere, quia sermo Latinus hanc speciem arboris non habebat, sed timuimus grammaticos, secutique sumus veteres translatores, qui & ipsi hederam interpretati sunt, quæ Græce appellatur* κιασσόν, *aliud enim quid dicerent, non habebant.* hæc D. Hieronymus, dum rem ad sua derivando principia, assertionis suæ rationem stabilire conatur.

Hieron. in c. Ion. 3.

10 Porro Augustinus quoque hac super re D. Hieronymo ejus exploraturus sententiam in hæc plane verba scripserat: *Ideo autem*, inquit, *desidero interpretationem tuam de septuaginta, ut & tanta Latinorum interpretum, qui qualescumque hoc ausi sunt, quantum possumus imperitia careamus, & hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandem aliquando, si fieri potest, intelligant, propterea me nolle tuam ex Hebræo interpretationem in Ecclesiis legi, ne contra septuaginta auctoritatem, tanquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures, & corda illam interpretationem audire consueverint, quæ etiam ab Apostolis approbata est. Vnde & illud apud Ionam virgultum si in Hebræo nec hedera est, nec cucurbita, sed nescio quid aliud, quod trunco suo nixum, nullis sustinendum adminiculis erigatur, mallem jam in omnibus Latinis cucurbitam legi. Non enim frustra hoc puto septuaginta posuerunt, nisi quia & huic simile sciebant.* Hæc Augustinus Hieronymo, cui ille deinde suam animi sententiam adaperiens epistola 89. in hæc verba respondit: *Dicis me in Ionam Prophetam male quiddam interpretatum, &c. nisi forte, ut ante annos plurimos,* cucurbita *venit in medium, asserente illis temporibus Cornelio Asinio Pollione, me hederam pro cucurbita transtulisse. Super qua re in Commentario Ionæ Prophetæ plenius respondimus: hoc tantum nunc dixisse contenti, quod in eo loco, ubi septuaginta interpretes cucurbitam, & Aquila cum reliquis transtulerunt, id est,* κιασσόν, *in Hebræo volumine Cicajon scriptum est, quam vulgo Syri Elceroa vocant. Est autem genus virgulti, &c.* Et subdit, quæ supra recensuimus, quibus luculenter à sanctissimo doctore enarratis ad stabiliendam genuinam usurpati à se vocabuli significationem isthæc prosequitur: *Hoc ergo verbum de verbo edisserens, si* cicajon *transferre voluissem, nullus intelligeret, si* curcubitam *id dicerem, quod in Hebraico non habetur*, Hederam *posui, ut cæteris interpretibus consentirem. Sin autem Iudæi vestri, ut ipse asseris, malitia vel imperitia hoc dixerunt esse in voluminibus Hebræorum, quod in Græcis, & Latinis codicibus continetur, manifestum est eos, aut Hebræas literas ignorare, aut ad irridendos cucurbitarios voluisse mentiri, &c.* Vtraque tamen ex jam recensitis opinio facili quidem negotio conciliari posse videtur, si ipsamet cucurbita, quam exposuimus, dum altius excrescit, atque ipsius folia umbram concinnant, & ipsa quoque aptato sibi hederæ vocabulo nuncupetur, quia nimirum sustentaculo hederæ instar inhæret, sine cujus adminiculo, nec se in altum tollere, ac multo minus umbram reddere valeret, & hac potissimum de causa ab hærendo eamdem hederæ titulo appellari contingat.

D. Aug. ep. 17. ad D. Hier.

Versio S. Scripturæ nova ac insolita populo Christiano scandalum creare potest.

D. Hier. ep. 89.

De umbraculo Ionæ cujusnam generis illud fuerit Hieronymi dissertatio.

11 Porro Ionam haud sub hederæ, sed sub cucurbitæ umbraculo quiescentem ob eam potissimum rationem in præmemoratis Cœmeterialibus tabulis olim à Christianis repræsentatum fuisse arbitramur, quia videlicet antiqui fideles acceptissimæ Septuaginta interpretum sententiæ mordicus adhærentes, quidquid conceptis apud eosdem verbis scripturarum textui insertum legebatur, ac si vulgata earumdem scripturarum foret editio, constanti animo retinuere, quamvis modo vulgata sacrorum Bibliorum translatio, quæ vim atque auctoritatem, utpote Spiritu sancto revelante, Romani Pontificis ore probata è cælo sortitur, & qua potissimum Ecclesia uti consuevit, dum *hederam*, non autem *cucurbitam* legentibus præsefert, posthac nullatenus impugnari, nec quoquo modo in controversiam non absque ipsius fidei detrimento revocari queat.

In Cœmeteriis umbraculum Ionæ ex cucurbita, non autem hedera à pictoribus repræsentatum est.

12 Verum Christiani ex ejuscemodi imaginis, quam sibi contemplandam ob oculos proponebant, prospectu inter ipsas ingruentium jugiter malorum ac persecutionum procellas, opportuna ultro sibi affutura subsidia, & haud unquam optata defutura solatia Jonæ divinitus præmoniti symbolo edocebantur; quæ ubi Deo benigne votis aspirante illuxissent, haud nimium obortæ inter prospera securitati innitendum, cum & solatia interim subtrahi, tentationum vero procellas iterum emergere sæpe sæpius experimento contingat: ut enim Scriptura loquitur: *Dominus mortificat & vivificat; humiliat, & sublevat, pauperem facit, & ditat, deducit ad inferos, & reducit.* Quod egregie quidem, & apte in rem præsentem disertissimus ille Græcorum Patrum Chrysostomus his plane verbis edisserit: *Deus justos suos nec jucunditates, nec tribulationes sinit habere continuas, sed tum de prosperis, tum de prosperis, tum de adversis justorum vitam admirabili quadam varietate contexit.* Sed sub Jonæ umbraculo haud suscepti jam laboris obliti, sed ad ulteriora properantes diutius immorari non possumus.

Ex imagine Ionæ quid fideles discerent?

Cant. aur. prof.

S. Chrys. ho 8. in Matth

CAP.

CAP. XXIII.

De Ezechiele Propheta.

Ezechiel Propheta reſurrectionis myſterium præ omnibus promulgavit.

HAud Prophetarum alter de præoptato Reſurrectionis myſterio, ut Ezechiel tam apte, tam concinne, ac perſpicue verbis pariter, ac geſtis prophetavit, quippe qui in campo Sennaar, ſive Babylonis, ubi innumera fere demortuorum hominum oſſa jacebant, futuram, Deo edocente, Reſurrectionem edidicit: *Et facta eſt*, inquit, *ſuper me manus Domini, & eduxit me in ſpiritu Domini, & dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus, & circumduxit me per ea in gyrum: erant autem multa valde ſuper faciem campi, ſiccaque vehementer.* En morticinorum pompa, quæ jam tum reſurrectioni, ut ait, parabatur: *Fili hominis putas ne vivent oſſa iſta? & dixi: Domine tu noſti, & dixit ad me, Vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis: Oſſa arida audite verbum Domini, Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his: Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & vivetis, & dabo ſuper vos nervos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & vivetis.* At totum plene jam hominum reſurgentium ſymbolo adimpletum noſce vaticinantis oraculum: *Factus eſt autem*, inquit, *ſonitus prophetante me, & ecce commotio, & acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam.*

Ezech. c. 37. n. 1.

Ezech. c. 37. n. 7.

Ezechielis figura in Cœmeteriis depicta.

2 Cum hic unus igitur præ omnibus Propheta gratum iſtud, ac perjucundum Chriſtianorum auribus myſterium propinaverit, jure merito Chriſtianorum oculis in ipſiuſmet Cœmeterialibus cavernis, in quibus cadavera ſubſidunt, ejuſdem imago contemplanda objicitur, vel ipſius enim aſpectus, vel ejus item oraculum intuentes mirifice recreat: *Spes enim Chriſtianorum*, ut Tertullianus ait, *eſt reſurrectio mortuorum.* In locis igitur, ubi congeſta paſſim demortuorum oſſa conſpiciuntur, ibi prolatum Ezechielis ore de reſurrectione vaticinium reſonare congruum videbatur. Quis enim neſciat, quod ipſa defunctorum oſſa, quæ in ſepulchris jacent, aptiſſimo quidem vocabulo, *æternitatis ſemina* merito Ambroſius aliquando appellaverit: hæc enim poſt conſumptam carnem, ſicut poſt pomum ſemina ſuperſunt, ex quibus deinde hominem Deus, novam veluti arborem, in vitam ſuſcitabit: oſſa ergo dum è tumulis reviviſcent, quaſi ſemina ſuo tempore repullulantia ſanctis immortalitatis florem proferent: *Flos enim reſurrectionis*, ut Ambroſius inquit, *eſt immortalitas.* Ad quod illis ſymbolice verbis Hilarius alluſiſſe viſus eſt, dum ait: *Spes æternitatis oſſibus ſignificari ſolet, ex quo dictum eſt: Hoc nunc os ex oſſibus meis, quod beatus Apoſtolus, quia magnum myſterium eſt, ad Chriſtum, & Eccleſiam refert, quæ ex Adæ ſui æternitate, æternitatis ſubſtantiam mutuatur, quod in Domini vulnerato licet corpore, confixoque non frangitur: os, inquit, ejus non conteretur, quia cum fuerit vis paſſionis in carne, in æternam tam divinitatis, & impaſſibilem naturam nihil licuit paſſioni.* Hæc Hilarius, qui ad congruum inſuper, ipſiſque met Cœmeterialibus locis concinnatum myſterium ſermonem inflectens iſthæc ſubjicit: *Integram autem, & incorruptam ſpem æternitatis ſignificari in oſſibus etiam illic meminimus, ubi dicitur: Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur, quia ſecundum demonſtratam Ezechieli reſurrectionem, ſacramentum ejus ſub oſſium ſignificatione ſit revelatum.* Quamobrem prophetica hæc de oſſibus vitæ ſpiritu donandis imago optime Chriſtianorum Cœmeteriis conſonat.

Tertull. l. de reſur.

Ambr. de de reſur.

Hil. in. pſ. ..6.

..in pſ. ..7.

Ezechielis mortuos ſuſcitantis imago.

3 Verum enimvero ſi à mortuis paulum prophetæ ſtylum contrahentes, ad ipſoſmet Chriſtianos diutinis perſecutionum moleſtiis exagitatos, qui intra mortuorum Cœmeteria, ut inſectatorum manus effugerent, quondam latitabant, convertamus, recte quoque Ezechielis verba iiſdem in meliorem ſtatum tandem Deo adſpirante reducendis quadrare videbuntur: *Ecce ego*, inquit Deus, *aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris populus meus, & educam vos in terram Iſrael.* Qui enim ſub duro captivæ ſervitutis jugo, incommodis jugiter attriti, abſque ulla evadendi ſpe vitam degunt, non ſecus ac arida ſine vitæ ſpiritu oſſa in ſepulchris (ſi tropice loquamur) habitare perhibentur, id Pſalmiſta atteſtante: *Qui educit vinctos*, inquit, *in fortitudine, ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.* Vere etenim poëta ait: *Non eſt vivere, ſed valere, vita.* Et ex ipſa jurium civilium elocutione ſervitus, ſi cuiquam viro ingenuo accidat, mors utique civilis, quemadmodum è contra libertas haud alio quam vitæ civilis nomine computatur. Quemadmodum ergo de Iudæis tunc quidem captivis, pari item ratione de Chriſtianis in captivitate propemodum ipſos inter gentiles vitam degentibus obventurum tunc prophetice enunciatum eſt, ut rebus tandem immutatis, ſedatiſque perſecutionum, quæ urgebant, procellis, ſub Chriſtianæ fidei lumine, in omnimodam ſpiritus libertatem è latebris revocarentur, & libera fronte, ac ore Chriſtum ubique gentibus annunciarent, eidemque pacifice, qui tunc utique adverſariorum gladio impetebantur, inhærerent, quod egregie in hæc verba Tertullianus ediſſerit: *Populus Iudæorum emortuus, exaridus, & diſperſus, in campo Orbis recolligi habeat, & recompingi os ad os, id eſt, tribus ad tribum, & populus ad populum, & recorporari carnibus facultatum, & nervis regni, atque inde ſepulchris, id eſt, habitaculis captivitatis triſtiſſimis, atque teterrimis educi, & refrigerii nomine reſpirare, & vivere exinde in terra ſua Iudæa.* Hæc de Iudæis tunc quidem miſere captivis Ezechiel, quæ & ſymbolice ipſis Chriſtianis commode aptari poſſe videntur, qui è Cœmeterialibus antris in lucem è ſepulchris quodammodo, ex ipſius mortis faucibus in vitam, opportuna adveniente temporum tranquillitate, provehendi erant.

Ezech. c. 37. n. 2.

Fideles olim in anguſtiis ſolari poterat.

Pſ. 67. 7.

Tert. l. de reſ. car. c. 29

4 Ezechielis igitur Prophetæ imaginem, quam hiſce Subterraneæ Romæ tabulis deſcribendam, delineandamque ſuſcepimus, haud ſine peculiari myſterio depingendam ſibi, & marmori item quandoque inſculpendam inter cæteras ſacras imagines antiqui Chriſtiani propoſuere, ſed præcipuis quidem ad id permoti rationibus, præſtitere. Si enim quæ in marmoreo quodam Vaticani Cœmeterii Sarcophago inſculpta cernitur imago, ubi corpora quædam velut extincta, alia vero ac ſi in lucem redivivа ferro affabre efficta ſunt, ſi, illa, inquam, imago ut non nulli affirmarunt, Ezechielem præſefert, merito quidem aſſeri poſſe videtur, celeberrimam viſionem illam contemplandam ibidem exhiberi, quam prophetico vir Dei lumine imbutus de aridis in vitam oſſibus evocandis percepit, ut in propheticis ejuſdem actibus prolixius legitur. Quæ ſane myſteriorum ferax prophetæ viſio cum ob Chriſtianorum oculos poneretur, mentique intuentium

Myſteria viſionis Ezechielis de aridis hominum oſſibus in vitam excitatis.

Ezech. c. 37.

obreperet, levamenti plurimum mœstissimis inter ærumnas animis, & arctiori adversarum rerum jugo coarctatis, quam tunc Hebræi forent, qui apud Babylonem vinculis mancipati sub captivitate detinebantur, haud modicum, inquam, rem altius contemplantibus solatium conferre poterat. Si enim tunc temporis Deus, ut totius Judaicæ gentis bono prospiceret, hanc Ezechieli visionem cælitus præstitit, eos videlicet præostensæ visionis verbo salubriter edocendo, ipsiusmet Dei auxiliantis manu non è miseræ duntaxat captivitatis angustia eripi potenter posse, verum etiam ipsam post mortem novo & admirando prorsus prodigio posse in vitam, ad quam naturæ ipsius ductu, ut Philosophus ait, nullus, nullus, inquam, patet regressus, quantumvis extincto & jam in pulverem redactos, facile revocari. Quod supernæ virtutis portentum, & humanæ conditionis mira refertum salubritate mysterium cum iidem fideles frequenti secum meditatione repeterent, promtpiores procul dubio, atque alacriores ad adversa quæque pro Christo subeunda reddebantur. Quod vero isthæc ad erudiendos potissimum Hebræorum animos Ezechieli divinitus præmonstrata fuerint, Glossa, præsertim, quæ in textus præmemorati caput digesta est, his plane verbis lectorem edocet: *Cum propter perfidiam meliora desperarent Iudæi captivi, suam ipsis Dominus potentiam ostendit, & mortuorum resurrectionem illorum in pristinum statum restitutione longe difficiliorem indicat Propheta, per quem docet omnia sibi esse facilia volenti.* Hæc ibi.

Quid per visionem Ezechielis, Deus populum docere voluerit.
Glos. ad Ezech.

Eadem Ezechielis de aridis ossibus suscitatis visio typus resurrectionis.
D. Amb.

5 Porro ipsemet Ambrosius in libro, quem scripsit de fide Jesu, visionem hanc nostræ typum resurrectionis extitisse asserit: *Magna*, inquit, *Dei gratia quod futuræ resurrectionis Propheta testis adhibetur, ut nos quoque ex oculis videremus, &c.* Verum Hieronymus eodem capite propter Hebraicæ gentis libertatem, quæ è Babyloniorum, quo tenebatur jugo, Deo protegente, vindicata est, optimam quoque, atque exoptandam jugiter animarum nostrarum, antiquo excusso peccatorum jugo, conditionem satis concinne his quidem verbis coarguit: *Per resurrectionis parabolam de restitutione Israel agitur. Quomodo enim videtur incredulum quod ossa & multa vetustate confecta resurgant: sic restitutio populi Israël in captivitatem ducti, & toto orbe dispersi: sed his qui non noverunt Dei potentiam, &c.* Quippe ubi Dei potentia adspirat, nil arduum, nil difficile, nil impossibile suppetit; *dixit enim, & facta sunt, mandavit & creata sunt.* Et ut alibi Job sapienter elocutus est, divinæ potentiæ vim, ac terminos nullo circumscriptos termino admirabundus explorans, ac describens, ait: *Subest enim tibi posse, cum volueris.* Velit igitur Deus, & quidquid ille vult, factum est. Nec enim aliter cecinit ille: *Stat pro ratione voluntas.* Præmemorati autem Prophetę vaticinium Hieronymus haud satis pro dignitate legentibus adumbrasse ratus, isthæc paulo infra subdit: *Nos autem spiritualiter post crucem Salvatoris & quotidie fieri in his, qui instar Lazari peccatorum suorum fasciis colligati, ad vocem Domini suscitantur: & vere sunt domus Israël, arens quondam & nullam spem habens salutis, sed intrante spiritu gratiæ, & porrigente Domino, manum, de profundo inferni liberantur, &c.* hactenus in rem præsentem S. Hieronymus. Vides igitur, amice lector, quorsum Christiani dignissimam Ezechielis memoriam tam crebro oculis ac mente repeterent, dum in sacris Cœmeteriis ad necem quæ siti delitescerent, ut ex Propheticis nimirum ejusdem sermonibus, cum se jam morti ac carnificinæ destinatos cernerent, cunctisque pœnarum, quæ dira hostium crudelitas excogitare poterat, incommodis obnoxios jugiter animadverterent, certam futuræ tandem resurrectionis spem nacti, mortem ipsam veluti quandam ad coronam immortalitatis transitum audacter contemnerent, & Apostolica jugiter tuba excitati unà cum Apostolo canerent: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*: tunc enim nobili tandem revecto de morte, quæ *ultimum est* (ut Philosophus ait) *omnium terribilium*, triumpho, illud jugiter triumphalis instar cantici inclamarent: *Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua?* Sed hæc interim paucis ad Ezechielis imaginem elucidandam adumbrasse sufficiat. Dum jam extremam hujus quinti Libri periodum satis claro resurrectionis symbolo, quod ejusdem Prophetæ vaticinio propinatum est, congrue quidem concludimus, ut quod singuli novissimis tandem futurum temporibus constanti fide exspectant, suisque corporibus cuncti incunctanter expetunt, supremam recensitis hactenus antiqui Testamenti imaginibus manum imponat, quo subinde omni penitus vetustate abolita, ipsummet hominem, in imagine enim, ut Propheta ait, petransit homo, in lucem sub Ezechielis vaticinio redivivum in novam plane creaturam transferat, & illud Apocalypsis oraculum jure merito adimpleatur: *Ecce nova facio omnia.* Ad novi igitur Testamenti tabulas, quibus olim Christianorum Cœmeteria illustrabantur, perscrutandas oculos, si libet, convertamus, & exultantes ipsos inter mortuos, ac mortuorum spolia vitæ, ac viventium symbola contemplemur, quo propheticum illud Iobi oraculum compleatur: *Gaudentque vehementer, cum invenerint sepulchrum.* Sepulchrales enim Cœmeteriorum cavernæ, eorundemque Cubicula, atque urnæ vivis sanctorum imaginibus, resurrectionem obtestantibus, animatæ potius, ut ita dicam, quam excultæ sunt. Ecclesia quippe & ipsamet Subterranea Roma, quam hactenus perlustravimus, Turris profecto illa Davidica esse agnoscitur, *quæ* (ut divinæ testantur paginæ) *ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Ita plane: nulla hic in sacris Cœmeteriis ad feriendum arma, plurima ad propugnandum, ac protegendum illuc confugientes, scilicet bellatricem hanc turrim circumdant gladii, pacificatricem vero clypei, mille clypei pendent ex ea, vel ut Ambrosius legit: *Mille ossa pendent ex ea*, mille quippe hinc nobis, sacras tum antiqui, tum novi Testamenti imagines conspiciendo ad Deum, & ad divini Numinis auxilium pariter, & gratiam promerendam aditus eorundem sanctorum exemplo, quorum decorantur simulachris, suppetunt. Quis autem has imagines suspiciendo lucem vel inter tenebras è Cælo non hauserit: Cœmeteria enim isthæc, etsi tenebrosa, luce tamen sua conspicua sunt: *O tenebras sole ipso lucidiores*, inquit Cyprianus, *ubi constituta sunt Dei templa.* Ubi nimirum sancti viri viventes latitarunt, & vel mortui nunc in Christo tamen viventes in vitæ novitatem tandem surrecturi conditi sunt. Et nos interim de recolendis novi Testamenti imaginibus felici sermonem auspicio instituamus.

D. Hier.

Antiqui Christiani proposita Ezechielis visione se in spem resurrectionis erigere nitebantur.

1. ad Cor. 15.

Apoc. 21.

Iob cap. 3. n. 22.

Cant. 4. n. 4.

Amb. in Can. 4.

Cypr. l. 4. ad Matth.

ROMA

ROMA SUBTERRANEA

SIVE

DE SACRIS ROMÆ COEMETERIIS

TOMUS II. LIBER SEXTUS.

Recte quidem novis, ac veteribus junctis simul rebus, ac comparatis, totius universi facies, quæ varietate gaudet, miram intuentibus pulchritudinem præsefert. Quapropter scriba ille doctus haud novis dumtaxat contentus, vetera insuper de industria inserit, ut pulchritudinem, ac decorem ipsismet rebus conciliet: ideo omnis doctus scriba in regno Cælorum, inquit Matthæus, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera. Sponsa quoque, ut ejus, quem unice diligebat, gratiam arctius sibi devinciret, haud poma dumtaxat nova, sed & insuper vetera se illi gustanda reservasse, atque obtulisse affirmat. In portis nostris, inquit, omnia poma: nova, & vetera, dilecte mi, servavi tibi. Ita nos plane antiqui Testamenti tabulas, excerptasque ex iis imagines pio ac studioso lectori, ut ejus gratiam promereamur, huc usque contemplandas obtulimus: nunc vero ex ipsomet novi Testamenti promptuario præcipuas oculis delibandas imagines, quibus Subterraneæ Romæ Cubicula mirifice exculta sunt, proponimus, ut Ecclesiæ, & ipsius Romæ pariter, quæ intus in tenebris latet, decor, & gloria augeatur: in luto enim, etsi non auro, sub aurea tamen illa primæva secula, ubi primum fides illuxit, vario, ac multiplici picturarum genere circumdata est: Omnis quippe gloria, ut Psalmista canit, filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumdata varietatibus. Cum igitur præter recensitas hactenus antiqui, ac recolendi Testamenti historias, quibus veluti aureis fimbriis plerumque sacra Cœmeteriorum abdita decorantur, quamplures item imagines è novi Testamenti tabulis pia Christianorum manu excerptas, apud eadem Cœmeteria passim invenire contingat, quas à priscis orthodoxæ fidei patribus haud ad sacra dumtaxat coloribus loca excolenda, sed ad imbuendos salutaribus animos intuentium monitis ad vivum ob oculos repræsentari contigit. Harum interim à nobis mysteria, & earum præcipue, quas infra ex ordine subtexemus, paucis admodum in lectoris gratiam elucidanda sunt.

Matth. c. 13.

Cant. c. 7. n. 13.

Psal 43.

CAP. I.

De sacris Christi Domini Incunabulis.

Omnium maximum Divini Verbi incarnati mysterium.

Ut à sacris igitur novi Testamenti imaginibus, quibus antiqua passim Subterraneæ Romæ Cœmeteria illustrantur, dicendi initium auspicemur, quis nesciat illud præ cæteris mysterium inter Euangelici Testamenti tabulas recenseri, quod veluti divinorum mysteriorum præcipuum, novitate cuncta transcendit, & dignitate supereminet universis, de quo Apostolus satis diserte locutus aliquando est, cum Christi in carne adventum Euangelicus veluti præco orbi nunciavit: *Multifariam*, inquit, *multisque modis loquens olim Deus patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & secula, qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus portansque omnia verbo virtutis suæ.* Novum plane mysterium, quod omnem penitus antiqui hominis vetustatem solvit, & novi Adam lapsis ingerit hominibus sanctitatem. Novum, inquam, quod etsi novissimis complendum temporibus, sub ipsa tamen mundi primordia prævisum, longe ante renuntiatum est Patribus, ac Prophetis Deo revelante innotuit; *Novum quippe faciet Deus super terram, mulier circumdabit virum.* En haud obscure adumbratum divinæ Incarnationis mysterium, & orbi Prophetico ore propinatum est. *Nec mihi quisquam*, inquit Bernardus hujus mysterii novitatem edisserens, *ad ista respondeat indevotus, ingratus, irreligiosus, non est hoc novum, olim auditum est, olim factum est, olim natus est Christus.* Audi subinde vigentem jugiter Christianorum animis mysterii pariter, ac beneficii nullatenus æquiparandi memoriam: *Semper novum*, Bernardus inquit, *quod semper innovat mentes, nec unquam vetus, quod sanctificare non cessat.* Antiquis igitur Christianis solemne hoc præ cæteris mysterium, & jugi meditatione novum extitit.

Ber. ser. de nat. Dom.

Solemnissimum ac frequentissimum antiquis Christianis Dei incarnati mysterium erat.

Quapropter pluribus quidem Cœmeterialibus in locis Christi Domini in præsepio jacentis inter pia pastorum accurrentium obsequia contemplanda intuentibus imago exhibetur: quod quidem divinum, ac recolendum mysterium, præter opportunam, quam menti suggerit, orthodoxæ fidei dogmatum seriem, & qua rudes imbui hominum animos oportet, multiplices quoque divinorum arcanorum sensus præsefert. Quod quidem apertissimis verbis Gregorius Nazianzenus de sacro ac recolendo eodem mysterio elocutus, oratione in Natalitium Christi diem his plane verbis expressit: *Num hæc, quæ audivimus de Christo, fortuna & casu contigerunt, & scripta sunt, an historiæ subest aliqua ratio? Quid sibi vult hæc Domini in antro sedes? hæc in præsepe reclinatio? Cur tempore descriptionis tributorum in vitam ingreditur? An perspicuum est eum quemadmodum à legis execratione nos eripit, factus ipse pro nobis execratio, & livores nostros in se transfert, ut ejus livore nos curemur? sic etiam vectigalem fieri, ut nos à gravissimo vectigali, quod ab homine mors exigit, liberaret?* Et infra sanctissimus doctor vel in ipsius infantilibus pannis ingens, quod lucebat, sacramentum agnoscens, hæc subjicit: *Pannis autem obvolvitur, & fasciis constringitur, qui peccatorum nostrorum catenas subiisset vincula: præsepe vero, in quo Verbum gignitur, bestiarum est domus, ut cognoscat bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Per bovem intellige illum, qui legis jugo subjectus est: per asinum autem eum, qui simulacrorum cultus onustus est crimine. Cæterum commune rationis expertium animalium pabulum & vita fœnum est, producens, inquit Propheta fœnum jumentis. Quod autem ratione præditum est animal, vescitur pane: idcirco in præsepe, quod est animalium ratione vacantium sedes, è cælo delapsus vita panis proponitur, ut & quæ à ratione remota sunt animalia, rationis cibo nutriantur, atque ita ratione decorentur, &c.* hæc ad rem nostram pie pariter ac diserte in tanti mysterii obsequium Nazianzenus perorasse visus est, ex quibus profecto pie lector vides, quanta & quam magna ex una infantis Dei imagine intuentibus mysteria popinentur, ut illud Bernardi oraculum merito adimpleatur: *Videamus*, inquit, *ne magnus Deus sine causa factus sit parvus homo, & quanta pro me vilior, tanti mihi charior.*

Nativitatis Christi Domini ejusque circumstantiarum mysterium.

Naz. or. de Christ. nat.

Sub tempus descriptionis, tributorum Christus nascitur, ejusque mysterium.

Bos, & Asinus Domino recens nato adstantes, quid designent.

Tres duntaxat pastores Christum natum adoratum accedunt.

2 Ex eadem insuper picta, descriptaque Christi nascentis imagine ab antiquis tres duntaxat numero pastores venerationis cultum exhibendi gratia, præsene Bethlehemiticum adiisse satis aperte ex Cœmeterialibus tabulis edocemur: totidem enim, haud plures in ejusmodi tabulis pia Christianorum manu studiose effectos conspicimus; quod & ipsius Bedæ auctoritate in lib. quam scripsit de loc. sanct. valide comprobari videtur, ubi in recolendam hujus rei memoriam primævis illis temporibus Ecclesiam quoque erectam fuisse affirmat, sed ipsum quæso promptis hic auribus audiamus: *Porro ad orientem in turre Ader, id est, gregis, mille passus à civitate Bethleem segregata est Ecclesia trium Pastorum, divinæ nativitatis consciorum monumenta continens.*

Beda c. 8.

Quænam documenta ex propositis sibi Domini incunabulis fideles haurirent?

3 Haud exigua igitur Christiani ex objecta oculis recolendi hujusce mysterii imagine virtutum incitamenta hausere, quibus ad perennes Deo immortali gratiarum actiones jugiter exhibendas provocarentur. Cum enim æterni Patris Verbum ob salutem humani generis eo humilitatis sponte provolutum fuisse intelligerent, ut *semet ipsum*, Apostolo teste, *exinaniverit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, ipsi quoque, vicem Deo rependerent, contumeliose ab hominibus deprimi, libenter omnibus subesse, parvulos se quoad vitæ innocentiam exhibere, & cum adhuc viventes seculo ac terrenis omnibus præmortui quodammodo viderentur, Deo iterum ad novam vitæ formam quasi modo progenitos infantes enasci nullatenus detrectarent. Ut enim eleganter Chrysostomus ad rem nostram exprimit: *Natus est* (inquit) *Christus in carne, ut tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.*

Apost. ad Phil. c. 2.

Chrys. ho. 2. in Matth.

Præsepis Dominici gloriæ S. Hieronymus Buccinator eximius.

4 Certe Hieronymus, quippe qui se totum Salvatoris obsequio dedicaverat, vitam ac linguam pariter Dominici Præsepis cultui, ac ejusdem præconiis impendis, cujus laudes ad Marcellam scribens, haud paucis easdem verbis perstrinxisse voluit, dum hæc ait: *Quo sermone, qua voce speluncam Salvatoris exponam? & illud præsepe, in quo infantulus vagiit, silentio magis, quam infirmo sermone honorandum est.* Et paulo post ipsius Bethlem ex Redemptoris ortu gloria auspicando, totis eloquentiæ viribus inculcat: *Bethleem*, inquit, *ecce in parvo terræ gramine, Cælorum conditor natus est, hic involutus pannis, hic visus à pastoribus, hic demonstratus à stella, hic adoratus à Magis. Sanctior locus est rupe Tarpeia, quæ de Cælo sæpius fulminata ostendit, quod Deo displiceat.* Hæc Hieronymus in Dominici præsepis honorem. Verum ut nonnulla hic, quæ ad loci cultum pertinent, ex Baronio in studiosi gratiam lectoris subtexamus. Vix credi potest, quanta veneratione Christiani semper habuerint locum istum, ut quantumlibet Hadrianus Imperator ad abolendam tantæ rei memoriam (quod scribit Paulinus, & alii) Veneris, & Adonidis templum desuper erexisset, nihilominus, ut ex Origene constat, percelebris etiam apud gentiles esset tanti loci memoria. Sed reddita pace Ecclesiæ, spelunca illa mirifico opere exornata est, ipsumque præsepe honoris gratia argento tectum, de quo apud Chrysostomum: *O si mihi videre liceret illud præsepe, in quo Dominus jacuit! nunc nos Christiani quasi pro honore tulimus lateritium, & posuimus argenteum, sed mihi pretiosius est illud, quod ablatum est: argentum autem, & aurum meretur gentilitas: Christiana fides meretur illud luteum, non tamen condemno eos, qui honoris causa fecerunt vasa aurea, sed admiror Dominum, qui creator est Mundi, non inter aurum, & argentum, sed in luto nascitur.* Hæc ille, putans fortasse, ut Baronius inquit, vas illud argento tectum luteum fuisse, quod tamen ligneum esse constat, vel certe eundem auctorem non de vase ipso locutum esse, sed de exigua lateritia illa structura, quæ ipsum præsepe Christi cunabula continebat, existimandum est. *Porro Christi natalis nobile monumentum*, inquit Baronius, *ex ligno confectum, post multa tempora inde translatum, Roma possidet, eoque multo felicius illustratur, quam tugurio Romuli, quod intextum ex stipula, eorum majores ad secula de industria conservarunt.*

Hier. ep. 18. de Marcel.

Baron. to. 1. Ann. Chr. n. 5.

Orig. l. 1. con. Calin.

Præsepe Dominicum.

Chrys. in Luc. c. 2.

Præsepe Christi Romæ asservatur.

Bar. t. 1. an. 1. Chr. n. 5.

4 Quid mirum autem, si Christiani, qui olim intra luteas Subterraneæ Romæ cavernas, consepulti inter tenebras delitescebant, aurei istius Bethlemitici præsepis memoriam, ejusdem efficta coloribus imagine, oculis jugiter delibarent, dum aurei

rei contemplatione mysterii aurum pro Christo contemnere, & lutum libenter amplecti edocerentur.

Civitas Bethlem ob incunabula Christi maxima semper in veneratione habita.

5 Porro quo devotionis cultu sacrosanctum nativitatis Dominicæ mysterium à Christianis jugiter habitum sit, vel frequens peregrinantium numerus, qui sancta Palæstinorum loca, & Bethlemiticum adire præsepe consuevit, satis evidenter comprobat. Præ cæteris enim locis sanctitate conspicuis civitas Bethlem Christianis potissimum extitit, quo ab ipsamet Urbe Roma extorres propemodum effecti, se devotionis gratia recipere, ibidemque locum ad habitandum seligere consueverunt. Illic quippe sedem fixit, ac sepulchrum elegit Hieronymus, & præsepis Dominici obsequio se totum tum viventem, tum mortuum dedicavit. Cujus memoria hoc nobili titulo in Martyrologio Romano illustratur: *In Bethleem Iudæ depositio S. Hieronymi presbyteri, & Ecclesiæ doctoris.* Et post multa laudum præconia hæc subjiciuntur: *Demum cum ad decrepitam usque vixisset ætatem, in pace quievit, sepultusque est ad præsepe Dominicum, cujus corpus postea Romam translatum in basilica S. Mariæ Majoris digno honore servatur.* Vides quantum incunabulis Christi honorem defert, qui nec vivus, nec mortuus ab eisdem se avelli sustinet. Illuc quoque Paula Romanarum nobilissima ab Urbe profecta, vitæ piis jugiter operibus excultæ finem accepit: cum enim in Salvatoris speluncam fide imbuta introisset, antiqui mysterium Sacramenti veluti recens patentibus oculis contemplari meruit, de qua isthæc in rem præsentem Hieronymus: *Inde Bethleem ingressa in speluncam Salvatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diversorium, & stabulum, in quo agnovit bos præsepe Domini sui, ut illud impleret, quod in eodem Propheta scriptum est: Beatus, qui seminat super aquas, ubi bos, & asinus calcant, me audiente jurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis involutum, vagientem in præsepi Dominum, magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, ut viderent Verbum, quod factum erat, &c.* Et certe quidem quanto animi desiderio, qua mentis ambitione ad sacrum præsepe piissima mulier se contulerit, ab Hieronymo prolixius enarratur: *Roma,* inquit, *prætulit Bethleem, & auro tecta fulgentia informis luti vilitate mutavit, atque in Bethleem ingressa, in specum Salvatoris introiens, postquam vidit Virginis diversorium, & stabulum, mixtis gaudio lacrymis, salve Bethleem domus pacis, & ego misera, atque peccatrix digna sum judicata deosculari præsepe, in quo Dominus parvulus vagiit, orare in spelunca, in qua Virgo puerpera Dominum fudit infantem, hæc requies mea, quia Domini patria est, hic habitabo, quoniam Salvator elegit eam.* Pedem igitur ibi, ac sedem fixit, & mysterii sacrosancti se totam obsequio dicavit: cujus sanctissimæ Matronæ memoria in Martyrologio Romano his plane verbis recolitur: *Apud Bethleem Iudæ dormitio S. Paulæ viduæ matris Eustochii virginis Christi, quæ cum esset è nobilissimo senatorum genere, renuncians seculo, & facultates suas pauperibus distribuens, ad præsepe Domini se recepit, ubi multis virtutibus prædita, & longo coronata martyrio, ad cælestia regna transivit, cujus vitam virtutibus admirandam S. Hieronymus scripsit.* Porro quàm frequens antiquis temporibus esset ex toto orbe ad sancta Hierosolymorum loca, & præcipue ad præsepe Domini venerandum fidelium peregrinatio, testis est Hieronymus, qui ea, quæ vidit, scriptis consignavit. In procemio enim lib. 7. in Ezechielem ad Eustochium habet hæc verba: *Fateor me explicationem in Ezechielem multo ante tempore promisisse, & occupatione de toto Orbe huc venientium implere non posse: dum nulla hora, nullumque momentum est, in quo non fratrum occurramus turbis, & monasterii solitudinem hospitum frequentia commutemus, tantum ut claudendum nobis sit ostium, aut scripturarum, per quas aperiendæ sunt fores, studia relinquenda.* Quod fere, iisdemque plane verbis ad Paulinum scribens, inculcat: *De toto,* inquit, *huc orbe concurritur, plena est civitas universi generis hominum, & tanta utriusque sexus constipatio, ut quod alibi ex parte fugiebas, hic totum sustinere cogaris, &c.* Quod autem antiquioribus plane seculis apud sacra Hierosolymorum loca, & apud Bethlemiticum Christi Domini præsepe Christianis solemne extitit, nostris hisce temporibus, & hoc præsertim Jubilæi anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo in Urbe Roma videre est, in quam ex toto Orbe ad sacra Apostolorum limina Christianus populus ingenti devotionis fervore turmatim, & longo velut agmine facto confluit, dum Apostolorum interim Basilicas incredibili pietate invisere, & alias celebriores Basilicas, & præcipua loca, quæ Martyrum pignoribus, aut certe quondam Martyriis dedicata sunt, veneratur. Nec vero pia in Urbe Christianorum officia in advenientibus jugiter hospitio excipiendis, alendis, fovendisque desiderantur: Romani quippe his, qui Hieronymi tempore Bethleem incolebant, haud pietate impares, peregrinis ad Urbis portas passim occurrere, eosdem amice complecti, ad hospitium in domos ad id paratas deducere, omnique charitatis affectu, & quibusvis Christianæ pietatis officiis prosequi, nobilissimis in hoc certantibus Sodalitiis, gaudent. Qua in re præsertim Pontificum, & Innocentii X. Pont. Opt. Max. pietas, ac munificentia singularis elucet, dum prædecessorum vestigiis insistens, nullisque parcens impensis, exteræ nationis homines è dissitis Orbis tetrarum regionibus huc peregrinandi causa advenientes benigne excipit, opipare alit, & certam præterea pecuniæ summam singulis quibusque mensibus Archiconfraternitati sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum usui, qui illic quotidie confluunt, profuturam è suo ærario suppeditari præcepit. Et ut quos paterna charitate Sanctissimus Pontifex complectitur, præsentia quoque, ac manu soletur, & foveat, præmemoratum sanctissimæ Trinitatis in Urbe Xenodochium hoc recurrente Jubilæi anno invisit, peregrinorum quoque pedes, Christi exemplum imitatus, lavit, peregrinorum mensis benedixit primum, ac postmodum iisdem discumbentibus ipsomet Pontificia manu inservire, ac ministrare dignatus est: cujus rei ut perpetuum monimentum extet, æreo eidem Pontifici erecto simulacro Archiconfraternitas has notas insculpsit,

Mart. Ro. die 29. Sept.

Hier. ep. 27. ad Eustoch.

Hier. in Epist. Paulæ.

Mart. Ro. die 4. Maii.

Hier. epist. ad Paul.

Populi Christiani Jubilæi acquirendi ardor.

Archiconfraternitas SS Trinitatis.

Æneum Innocentio X. simulacrum ponit.

INNOCENTIO X. PONT. MAX.
QUOD INSIGNI EJUS LIBERALITATE
DIFFICILLIMIS XENODOCHII
TEMPORIBUS,
VETUS IN EXCIPIENDIS
PEREGRINIS MOS,
ET LAUS RETINERI, AC FLORERE
POTUERIT.
BENEFICII MONUMENTUM
SODALITAS POSUIT.
ANNO JUBILÆI MDCL.

Verum enimvero, quoniam piissimi hujus instituti,

quod

quod peregrinorum beneficio exhibetur, opportuna hic mentio recurrit, ut quod vel obiter enarremus, Archiconfraternitas hæc, quæ vulgo sanctissimæ Trinitatis dicitur, peregrinorum obsequio addicta, integro jam interlapso seculo, toti Christiano Orbi quibusvis charitatis officiis erga peregrinos conspicua mirifice effulsit, & quarumvis gentium, ac linguarum admiratione celebrari promeruit: hæc enim cum anno redempti Orbis millesimo quingentesimo quinquagesimo sub Julio Tertio Summo Pontifice; recurrente tunc Jubilæi anno, S. Philippi Nerii Congregationis Oratorii Fundatoris, & Parentis nostri opera ac consilio potissimum initium habuisset, quarto jam redeunte Jubilæo, majores in dies progressus sortita, redditibus item pia Christianorum manu aucta, benedictionem à Deo accepit, ut *crescat in millia millium*: & nationibus quantumvis exteris pietatis sinum aperiens, cunctos velut amicos, velut fratres benigne complectatur, & foveat. Quapropter hoc eodem præsertim Jubilæi anno in suas semel, atque iterum, vel uno dumtaxat die, decem millia circiter peregrinorum excepit. Nec vero sine peculiari divini numinis nutu ejuscemodi opus subsistere, quisquis oculatus est rerum testis, affirmare cogetur, cum neque è Cælo portenta, & quidem plura, quandoque in excipiendis peregrinis desiderari contigerit. Demum, ut singula hic enarremus, eadem Archiconfraternitas, ut auctori suo gratum jugiter devoti animi testimonium exhibeat, & ad fontem; ex quo initium habuit, recurrat recurrente hoc Jubilæi anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo, & seculo jam ab instituti Sodalitii primordiis feliciter exacto, publicum S. Philippo Nerio monimentum, ærea eidem statua dicata, hoc nobili insculpto titulo posuit.

S. Philippus Nerius Archiconfraternitatis præcipuus auctor. *Petr. Iac. Bac. Vit. S. Phil. l. 1. c. 8.*

Archiconfraternitas æneam S. Philippo Nerio statuam consecrat.

S. PHILIPPO NERIO
CVJVS CONSILIO, ATQVE OPERA
ARCHICONFRATERNITAS
SANCTISSIMÆ TRINITATIS
INSTITUTA EST.

Et hæc interim, vel obiter, de Peregrinis in Urbem recurrente Iubilæi anno confluentibus, de eorundem hospitio, & de Romanorum munificentia erga eosdem dixisse voluimus, dum antiquam peregrinandi consuetudinem apud Christianos usu receptam, apud Bethleem præsepis Dominici memoriam recolentes enarravimus. Sed divina Salvatoris incunabula adspexisse & vel à longe paucis admodum salutasse sufficiat.

CAP. II.

De Magis Christum infantem in præsepio adorantibus.

Trium Magorum Christum infantem adorantium imagines in Cœmeteriis, & ejus rei mysterium.

1 ANtiqua Christianorum Cœmeteria inter cæteras, quibus mirifice fulgent, ac ditantur imagines, post affabre coloribus expressum Dominicæ Nativitatis mysterium, quod intuentium oculis contemplandum exhibent, Magorum quoque adorationis mysterium Christianorum oculis objiciunt, ut sacrosancta nimirum isthæc mysteria, quæ mutuo sibi cohærent, piis pariter fidelium mentibus perpetuo inhæreant. Et congruum quidem est, ut ubi Christi in præsepio jacentis humilitatem quis visu comperit, eundem à Regibus regio plane cultu, & condigno ipsiusmet Divinitatis obsequio supplicum more Regem pariter, ac Deum salutatum deprehendat. Ex quo magnum profecto sacramentum humanis sensibus, Augustino teste, propinatum est; dum, quem in terris infantem, ac vilem conspiciunt, eundem omnipotentem in Cælis ab oriente Magos evocantem, & ipsius Herodis Regno excidium minitantem agnoscunt: *Magnum sacramentum*, inquit Augustinus, *in præsepio jacebat, & Magos ab Oriente ducebat, abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in Cælo, ut agnitus in Cælo, manifestaretur in stabulo, & appellaretur Epiphania dies iste, quod Latine manifestatio dici potest: simul ejus celsitudinem, humilitatemque commendans, ut qui in aperto Cælo signis sidereis monstrabatur magnus, in angusto diversorio quæsitus inveniretur invalidus infantilibus in membris natus, infantilibusque in pannis involutus adoraretur à Magis, timeretur à malis.* Hæc in rem præsentem Augustinus. Opportune igitur Christiani, qui intra speluncas ad latitandum fugitivorum instar recepti, Christi humilitatem, vel fuga sibi consulentes, insectantium tamen vi, atque insidiis jugiter impetiti constanter æmulari conabantur, ejusdem Christi gloriam jam tum ovantibus Regibus revelatam suspicientes, fidei tandem obsequio Reges colla sponte daturos auspicabantur, juxta illud propheticum: *Coram illo procident Æthiopes: & inimici ejus terram lingent*, & juxta id, quod ibidem decantatum est: *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.* Vides quænam sectatoribus Christi, vel inter ærumnarum pressuras subsidia è Cælo suppeterent, dum quem vilem in præsepio agnoscerent, eundem, ut Fulgentius ait, omnipotentem in Magorum adventu faterentur: *Pauper*, inquit, *& dives, humilis, & sublimis, qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus, parvulus in præsepio, immensus in Cælo, vilis in pannis, pretiosus in stellis: quid turbaris Herodes? Rex iste, qui natus est, non venit Reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare, nec ideo natus est, ut tibi succedat, sed ut in eum mundus fideliter credat: venit non ut pugnet vivus, sed regnet occisus.* Ex perturbato igitur ob Magorum adventum Herodis Regno, ex imperterritis ad Christi nomen in ipsiusmet Herodis aula annunciandum Magorum animis, *Cum natus esset Iesus*, Matthæus inquit, *in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Ubi est, qui natus est Rex Iudæorum*, fausta sibi, & prospera cuncta Christiani inaugurantes, Herodianam perfidiam, obduratamque infidelium hominum pertinaciam Christi tandem potentia conterendam, & ullo absque metu sub ipsismet tyrannorum oculis, & ipsas inter carnificum manus Christi nomen palam annunciandum, obtestandumque fore Magorum symbolo edocebantur.

Aug. ser. 30 de temp.

Psal. 71.

Fulg. ep. ser. 5. de Epiph.

Matth. c. 2.

2 Haud mirum ergo, si in sacris Cœmeteriorum tabulis Magorum supplicum frequenter imago exhibeatur, qui Deo infanti condignum latriæ cultum, & munera detulere: hi enim gentium primitiæ fuerunt, quemadmodum pastores, qui ad adorandum recens natum in Bethlem Redemptorem advenerant, primitiæ Iudæorum extitere, ut sanctissimi patres disertis verbis asserunt, Augustinus in sermon. de tempore; Gregorius Homilia in Euang. Fulgentius sermone de Epiphan. Maximus Homilia

Tres Magi ex oriente primitiæ gentium quæ Christum agnoverunt.

Aug. ser. 3. de temp. Greg. ho. 10. in Euang. Fulg. ser. 5. de Epiph. Max. ho. 1. in Epiph.

S. Leo ser. 2. de Epiph.

Homilia in Epiphan. & Sanctus Leo præcipue sermone item de Epiphania, ubi isthæc ad instituti propositum eloquitur: *Agnoscamus, dilectissimi, in Magis adoratoribus vocationis nostræ, fideique primitias, & exultantibus animis beatæ spei initia celebremus. Exinde enim in æternam hæreditatem cæpimus introire.* Et infra ad sectanda eorundem vestigia alacriter provocans auditorum animos, sic ait: *Quem Magi Infantem venerati sunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in cælis. Ac sicut illi de thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt: ita & nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna, promamus.* Hæc sanctissimus Leo Papa.

In tribus ex oriente Magis futura gentium vocatio præsignata fuit.

Chrys. ho. 2. in c. 1. Matth. oper. imperf.

3. Porro eandem gentium vocationem in Magis præsignatam fuisse Joannes Chrysostomus egregie admonet; sed ejusdem, si libet, hic verba repetamus: *O*, inquit, *beati Magi, qui in omnibus gentibus primitiæ fidelium fieri meruerunt. Illi enim Magi futuræ Ecclesiæ formam portabant. Sicut enim illi Regem, quem non viderant, credentes quærebant: sic & nos, qui sumus ex gentibus, Dominum, quem nunquam vidimus, credentes quotidie quærimus & confitemur potestatem ipsius.* Plura autem de mystica munerum oblatione, & de stella, quæ eosdem in Bethleem deduxit, Hieronymus lib. Comment. in Matth. Gregorius item ubi supra, & alii scriptores eruditissime differunt, quæ consulto ne tædium lectori afferatur, omittimus. Singula autem isthæc munerum sacramenta Juventus presbyter antiquissimus Christianos inter poëtas uno versiculo, ut Hieronymus ait, eleganter perstrinxit:

Hier. l. 1. comment. in Matt.

Thus, aurum, myrrham regi, hominique Deoque
Dona ferunt.

Et Claudian. item, vel alius quivis apud ipsum suis concinne Carminibus exhibitum à Magis unà cum muneribus Christo obsequium adumbravit:

Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges
Myrrham homo, Rex aurum, suscipe thura Deus.

Illud tamen unum nobis constantissime tenendum est, hoc videlicet mysterium solemne gentibus perpetuo extitisse, ejusdemque memoriam præ manibus jugiter apud eos habitam fuisse, ut vocationis nimirum, cui haud ullum æquari potest beneficium, quo par est animi studio prosequerentur, ac condigna pietate recolerent: quapropter sacrosanctus Epiphaniæ dies apud antiquos Ecclesiæ proceres eo devotionis ac religionis cultu peragebatur, ut Christianis fere omnibus in Ecclesiam convenientibus, si quem ejuscemodi deesse solemnitati contigisset, is jure merito à fide extorris haberetur. Quapropter impius ille Julianus Apostata, etsi Christi religionem aversaretur, hoc tamen ad impietatis execrandæ cumulum addidit, ut Christianam fidem ementitus, ac religiosæ mentis speciem præferens, sub ipsamet Principatus initia, in Ecclesia ipse quoque unà cum cæteris Epiphaniorum solemnitati interesse voluerit, ne Christi fidem, quam animo exuerat, jam penitus ejuscemodi facto prodidisse comprobaretur. Verum ut assertionis veritas per se elucescat, libentibus interim auribus Ammiani verba excipiamus: *Licet clam* (inquit ille) *dæmonibus Iulianus immolaret, tamen ne detegeretur, quod erat idolorum cultor, voluit suam præsentiam exhibere his feriis, quas Christiani celebrantes mense Ianuario, Epiphaniæ nomine nuncupant.* Hæc de Epiphaniæ solemnitate, quæ à Christianis magnificentissime coli consuevit, Ammianus apud Baronium: & eadem plane de Imp. Valente Gregorius Nazianzenus, quæ de Juliano à nobis hactenus relata sunt, testatur.

Epiphaniæ dies quanta religione olim ageretur.

Julianus Apostata fidem simulans Epiphaniæ solemnitati intervenit.

Ammia. Mar. l. 2.

Greg Naz. or. in fun. Basil Bar. ann. to 1. Chr an. 1. n. 36.

4 Porro ut recolendum jugiter Magorum in Bethlemitico præsepio adorantium mysterium, quo prima gentilibus Christianæ fidei initia, & supernæ lucis præludia orbi illuxere, sermo recurrat, sane mysterium istud Christianis jugiter solemne extitit: sacra quippe in ejusdem memoriam, ac cultum altaria passim erecta, ac dicata fuere, ut in Vaticana præsertim Basilica præstitum fuisse Alpharanus docet, ubi inter cætera *Altare regum Magorum* summæ olim venerationi habitum suspiciebatur. Novissimis autem hisce temporibus ne quid pietati, ne quid condigno tanti Mysterii cultui desiderari contingat; apud Collegium, quod de propaganda Fide Gregorio XV. regnante in Urbe institutum est, sacra Ædes ab Eminentissimo, ac piissimo Cardinali Fr. Antonio Barberino Fratrum Cappuccinorum Ordinis, qui vulgo Cardinalis S. Onuphrii dictus est, sub Magorum titulo erecta, ac solemni ritu Anno Red. Orbis MDCXXIV. dicata est, prout affixa parieti inscriptio his verbis monet.

Altare Regum Magorum in Vaticana Balisica.

Collegium Urbanum de Propaganda Fide tribus Magis dicatum.

Franc. Maria Turr. l. de Vat. crypt.

D. O. M.
FR. ANTONIUS BARBERINUS
URBANI VIII. PONT. MAX GERMANUS
TIT. S. ONUPHRII PRESBYTER
CARDINALIS
MAJOR POENITENTIARIUS,
S. R. E. BIBLIOTHECARIUS
ÆDEM HANC CHRISTO INFANTI
A MAGIS ADORATO
DICATAM,
COLLEGII AD PROPAGANDAM FIDEM
INSTITUTI USUI,
A FUNDAMENTIS EREXIT,
CONSTRUXIT, ORNAVIT.
ANNO MDCXXXIV.

Recurrente autem millesimo sexcentesimo trigesimo quinto Dominicæ salutis anno ingenti populi frequentia, ac Urbis plausu 6. Januarii ipso solemni Epiphaniorum die sacra recurrente Magorum Ædes Romanis patuit, ibidemque publicis votis Roma colere cœpit, quem illi infantem apud Bethlem agnoscere, atque adorare promeruerant. Sed de Magis hactenus, dum ad reliquas interim contemplandas imagines concito pede properamus.

CAP. III.

De Christo Domino medium inter doctores locum obtinente.

1 HOc plane præ cæteris præcipuo Dominicæ disputationis mysterio, quod duodecimo ætatis anno præstitum est, æterna divini Verbi sapientia orbi innotuit, quæ Euangelicæ prædicationis semen, vel tum duodenario numero, ut Ambrosius ait, magna referendorum subinde fructuum ubertate suggereret: *A duodecimo*, inquit, *anno, ut legimus Dominicæ sumitur disputationis exordium. Hic enim prædicandæ Fidei Euangelizantium numerus debebatur. Nec otiose immemor suorum secundum carnem parentum, qui secundum carnem utique sapientia Dei implebatur, & gratia, post triduum reperitur in Templo, ut esset indicio, quia post triduum triumphalis illius passionis, in sede cælesti, & honore divino, fidei nostræ se suscitatus offerret, qui mortuus credebatur.* Prædicationis igitur, & resurrectionis pariter mysterium, ejuscemodi symbolo prænuntiatum

Christus Dominus duodecim annorum inter Doctores, ejusque mysterium.

Ambr. l. 2. in c. 2. Luc.

tum est, ut Christiani videlicet, quam sectabantur fidem Dei verbo edocente se accepisse, & si pro eadem tuenda mori contingeret, resurrectionis gloria post corporis mortem donandos certo scirent.

Quid ex imagine pueri Jesu fideles discere possent.

2 Quamobrem cum multa, quæ tum ad infantiam, tum ad puerilem Christi Domini ætatem spectant, in sacris Cœmeterialibus locis affabre coloribus exprimantur, hoc quoque divinæ pueritiæ mysterium haud otiose adumbratum est, ad provehendos videlicet ad sectandam Christi humilitatem (quæ virtutum omnium fundamentum est) fidelium animos: & ut addiscendis sub primævæ ætatis flore Christianæ fidei rudimentis, & his quæ ad æternam consequendam salutem necessaria sunt, ipsiusmet Domini alacriter permoti exemplo, qui recens ad Christi fidem traducebantur, operæ studium impenderent: is quippe qui erat Dei Verbum, ac Patris sapientia doctorum in medio audiens illos, atque interrogans, à parentibus adinveniri voluit, aut verbo pariter ac silentio contemplantes instrueret ultro, ac commonefaceret. At mira quidem sunt, quæ orthodoxi passim hac super re doctores mysteria intentius pervestigant. Sed Beda præ cæteris consulendus nobis est, qui in Lucæ Euang. hæc luculenter edisserit: *Quasi fons*, inquit, *sapientiæ doctorum medius sedet, sed quasi exemplar humilitatis, videre prius & interrogare doctores, quam instruere quærit indoctos. Ne etenim parvuli à senioribus erubescant discere, & ipse ob ætatis humanæ congruentiam ab hominibus auscultare non erubuit Deus.* Et infra eidem mysterio perspicue elucidando intentus, in illa textus Euangelici verba: *Stupebant, qui audiebant, & videntes admirabantur, &c.* hæc ait: *Ubi adnotanda occurrit arguta ipsorum distinctio verborum: eo amplius stupebant super prudentia responsionum, quo paucitatem videntes contemnebant annorum.*

Humilitatem.

Bed. in Luc. Euang. c. 3.

Sapientiam respondendi adversariis fidei.

2 Jure igitur admiranda jugiter imperscrutabilis divini Verbi sapientia; quæ latebat quidem in puero, & vel ipsos tamen, qui aderant senes confundebat. Quis enim puerum cernens, & sapientia Salomonem ipsum longe præcellentem admirans, non merito Euangelicum illud oraculum insonet: *Ecce plus quam Solomon hic*; & cum Apostolo totis animi viribus exultabundus jugiter exclamet: *O Altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Hac vero mira pueri sapientia Christiani præmonebantur, ut dum obtestandæ fidei occasio suppeteret, & ante Tyrannorum præsides sibi prodeundum, prodendumque esset fidei testimonium, de superno adfuturo sibi auxilio nullatenus dubitarent: haud enim aliquando defutura sunt verba, quibus Dei Verbum, & Spiritus sanctus desuper adest: quapropter opportune suos Christus illis verbis admonuit: *Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur trahentes ad Reges, & præsides propter nomen meum. Continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.* Et quidem Spiritus sanctus in fidei testimonium ipsas infantium, ac puellarum linguas fecit esse disertas: cum enim Lucia virgo Syracusana gravius à Paschasio Siciliæ præfecto verbis redargueretur, & verbera insuper intentarentur: *Cessabunt*, inquit, *verba, cum ventum fuerit ad verbera*; *cui virgo: Dei servis verba deesse non possunt, quibus à Christo Domino dictum est: Cum steteritis ante Reges, & præsules, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquatur in vobis.* Ab infantia igitur Salvatoris, qui in medio Doctorum considet, se divinitus in fidei obsequium, ac testimonium ultro edocendos Christiani auspicabantur. Et de his hactenus.

Rom. 11.

Luc. 21.

Bre. v Rom. die 13. Dec.

CAP. IV.

De Christo Domino à Ioanne in Iordanis alveo baptizato.

Baptismus Christi Domini in Jordane ejusque mysterium.

1 MUltiplici quidem mysteriorum serie sacrosanctum Redemptoris Baptisma, eidem Ioannis ministerio impertitum Christiani cumulare studuerunt, qui salutaris baptismi aquis ad abstergendas criminum sordes his, qui ad Christi fidem ex gentilitatis errore traducti advolabant, opus esse hoc uno regenerantium aquarum symbolo testabantur. Verum cum in Iordane Christus à Ioanne baptizatus est, aquam ipsam baptismi materiam mundasse, lavisse, purgasse, imo tactu sanctificatam consecrasse Patres unanimiter asserunt: *Baptizatus est Dominus*, inquit Ambrosius, *non mundari volens, sed mundare aquas, ut abluta per carnem Christi baptismatis vim haberent.* Idem plane Augustinus affirmat: *In baptismo Christi*, inquit, *non tam lavit unda, quam lota est, purgantur potius fluenta, quam purgant.* Et alibi: *Salvator ideo baptizari voluit, non ut sibi munditiam acquireret, sed ut nobis fluenta mundaret, &c.* & hæc alibi: *Tunc omnibus aquis benedictionem dedit, & vitalem gratiam flumen mutuatur ex corpore.* Quod certe sanctissimus doctor magis perspicue hunc in modum edisserit: *Aquas Christus consecrat, dum baptizatur, terram sanctificat dum sepelitur, cælestia glorificat, dum ascendit.* Cui cohærenter Nazianzenus quoque his verbis locutus est: *Baptizatur Christus, ut totum veterem Adam aquis obruat.* & infra: *Ascendit ex aquis, mundum enim secum in altum effert.* In quam pariter sententiam Damascenus paribus verbis coincidit, dum hæc ait: *Tinctus est Christus, ut capita draconum in aqua contereret, ut peccatum obrueret, ac totum veterem Adam in aqua sepeliret.* Hæc ille. Quod item expresse S. Maximus hunc in modum edocet: *Quod fluentis Iordanis baptizatur Christus, aquæ nostro baptismati consecrantur.* & item: *Baptizatur Christus non sibi, sed nobis, non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet. Baptizatur novus homo, ut novi baptismatis constituat Sacramentum.* Aquæ autem baptismalis regenerativam vim divinitus insitam S. Leo his verbis commendat: *Originem, quam Christus sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem.* Hæc Leo. Apparuit autem super baptizatum in Iordane Dominum è Cælo columba, Cæli insuper aperti sunt, & vox Patris insonuit, ut manifestum Dei Christo Filio testimonium è Cælo adesset, & cunctis veluti digito præmonstratus, vel dum humilis apparebat, Dei Filius innotesceret, ut Chrysostomus affirmat: *Columba*, inquit, *tunc ideo apparuit, ut extenti quodammodo vice*

Ambr. l. 2. in Luc.

Cur Dominus baptizari voluerit?

Aug. ser. 37. de temp.

Aug. ser. 1. de Epiph.

Aug. ser. 37. de temp.

Naz. orat. in sanct. lum.

Dam. l. 4. fidei c. 10.

S. Leo ser. 4. de nat.

Chrys. ho. 12. in Matt.

digiti

digiti Filium Dei Ioanni, cæterisque demonstraret. Nam & ad Christi Domini, qui tunc in similitudinem carnis peccati foris apparuit, humilitatem adstruendam, & ad miram baptismatis undæ, quæ criminum maculas expiare novit, vim, virtutemque humanis mentibus ingerendam, Christum à Joanne sacro initiatum baptismate ad vivum coloribus Christiani repræsentare consueverant. De cujus quidem sacrosancto, ac recolendo jugiter Baptismate Gregorius Nazianzenus oratione in sancta lumina isthæc eleganter inrerserit: *Ioannes baptizat, & accedit Iesus sanctificans quidem & ipsum, qui baptizat: præcipue tamen, ut & veterem Adam sepeliat in aquis, & ante omnia, ut per hæc sanctificentur aquæ Iordanis, ut sicut erat spiritus, & caro, ita & his, qui baptizandi erant in spiritu, & aqua sanctificationis successio traderetur.* hæc in rem præsentem Nazianzenus. At vero S. Maximus Episcopus homilia prima, quam in Domini Epiphaniam edidit, isthæc recitat: *Quod baptizatus est Agnus Dei, regenerantis baptismi salutare nobis munus est dedicatum.* Vides igitur quemadmodum ipsemet, qui aquis abluitur, aquas pariter, & sordes uno eodemque contactu abluit, & solemnem regenerandi vim aquarum elemento, quo ipse respergitur, mirifice impertit.

S. Max. Episc. ho. 1. in Epiph.

Quid columba capiti Salvatoris dum baptizatur, significaverit?

2 Porrò quod columba potissimum Christi insidens, dum baptizaretur, capiti apparuerit, haud mysterio res visui objecta vacat. Mansuetudine etenim Cælorum Regnum, nullatenus autem viribus expugnandum fore, jam tunc columba, quæ mite animal est, prænotabat, quod & Christus postmodum singulari mititate præsetulit, ut Bernardus ait: *Non incongrue, inquit, venit columba, quia nihil melius convenit agno, quam columba, quod agnus in animalibus, hoc columba in avibus est. Summa utriusque innocentia, summa mansuetudo, summa simplicitas, nocere cuiquam nesciunt, lædere non noverunt.* Columbæ igitur, quæ Christo baptizato insedit, mystico quidem symbolo mititatem, atque innocentiam Christiani edocebantur, ut simplicitatem videlicet, & baptismalem columbæ innocentiam præseferentes adversis quibusque jugiter impetiti, cuncta patienter tolerando non detrectarent. Porro quod columba, non aquila tanto mysterii sacramento inservierit, illud certe tacite mentibus ingerebatur, ut Isidorus docet, quod columba videlicet mite animal amat, atque ambit homines, aquila vero eosdem procul fugit: *Columba*, inquit, *domorum semper blanda inhabitatrix appellatur: non fugit homines Messtas aquilæ similis, sed in urbibus, hominumque domibus vixit instar columbæ.* Quapropter hominibus illud insonuit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Ber. ser. 1. de Epiph.

Isid. l. 12 orig. c. 7.


3 Aliud insuper in baptismo, quod trigesimo ætatis anno Christus à Ioanne suscepit, mysterium adumbratum est, ut magisterii nimirum opus perfecta hominis ætate, haud impuberi subeundum probe unusquisque, vel Christi exemplo edoctus, intelligat, ut Nazianzenus palam edocuit: *Christus idcirco*, inquit ille, *trigesimo anno, ac non prius sese indicavit, partim ne ostentationis cujuspiam opinionem præberet, partim quia hac ætas plenum virtutis argumentum, docendique maturitatem habet.* & infra: *Christus baptizatus annum agens trigesimum, & tu ante lanuginem senes doces, aut docere te posse credis, nec ab ætate, nec à moribus fortasse auctoritatem habens.* Cui cohærenter Angelicus doctor locutus est, dum ait: *Christus baptizatur, quasi ex tunc incipiens docere & prædicare ad quod requiritur perfecta ætas, qualis est triginta annorum. Unde legitur in genesi, quod triginta annorum erat Ioseph, quando accepit regimen Ægypti: similiter legitur de David, quod triginta annorum erat, cum regnare cœpisset.* Hæc Sanctus Thomas.

Naz. or. 40.

S. Th. 3. p. q. 29. art. 3.

TABVLA SECVNDA COEMETERII PONTIANI VIA PORTVENSI





[Ba]ptisma [Ch]risti Domini.

4 Baptizati igitur Christi adumbrato symbolo vivificantis ejusdem baptismatis Christiani, si quomodo poterant, intuentium oculis prærogativam ingerebant, quippe qui salutaribus aquis potenter abluti, quascumque criminum maculas vivifico Christi sanguine expiati in baptismo deponerent,

nerent, juxta id quòd exultabundis vocibus canit Ecclesia:

Hymn. Pasc.

Qui nobis in baptismate
Donasti indulgentiam,
Qui tenebamur vinculis
Ligati conscientiæ.

Et exuentes veterem hominem, ut ait Apostolus, *cum actibus suis, novum induerent eum, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Innuere autem præterea ejusmodi imagine satagebant his, qui veluti fortes Christi pugiles ad subeunda itidem Martyriorum certamina viriliter sese aptabant, & velut nobili quadam recepti palæstra ad ea, quæ ingruerent prælia, constanti jugiter animo exercebantur, Martyrium pro Christo sanguinis profusione susceptum, ad omnem penitus animi labem diluendam, vim sacri obtinere baptismatis, demersisque in ipso profundo pelagi cum Pharaone hostilibus Ægyptiorum copiis, promptum, expeditumque Israëliticæ genti ad emergendum tandem è periculis iter suppetere: juxta id quod Sapiens canit: *Et in mari Rubro via sine impedimento.* Ad quod item illo Paschali hymno concinne allusisse Ecclesia visa est: *Sap. 19. 7.*

Ad cœnam Agni providi,
Et stolis albis candidi,
Post transitum maris Rubri
Christo canamus principi.
Cujus corpus sanctissimum
In ara crucis torridum,
Cruore ejus roseo,
Lustrando vivimus Deo.
Protecti Paschæ vespere
A devastante Angelo,
Erepti de durissimo
Pharaonis imperio, &c.

Verum si quis hic, vel obiter, quærat: cum in Jordane Christum Dominum à Joanne baptizatum fuisse constet, quonam id potissimum Jordanis loco contigerit; ut ex Andrichomio rem definiamus, is quidem in suo Terræ sanctæ Theatro locum hunc in tribu Benjamin, haud procul à mari mortuo designat: *Hic*, inquit, *Christus baptizatus est, qui locus ruinoso ædificio nunc insignis est, atque ibidem peregrini in memoriam baptismi Filii Dei sese abluere solent cum oratione ad Deum, ut pro sua ille misericordia, & Christi meritis peccatorum sordes abluat, atque hic postea sacellum extructum est in honorem Ioannis Baptistæ.* Et hæc interim de loco Christi baptismate intra Iordanis alveum celeberrimo, & qui præcipuo quondam apud Christianos venerationis cultu conspicuus extitit, in studiosi lectoris gratiam, vel obiter, delibare voluimus. Sed de his hactenus: nunc Cœmeterialis tibi imaginis iconem ex Pontiani, seu Abdon & Sennen Cœmeterio Via Portuensi exceptam hic contemplandam proponimus. *Andr. in theat. Ter. sanct.*

CAP. V.

De Samaritana muliere.

Fessus de via sedet Jesus ad puteum cum Samaritana, ejusque mysterium.

1 VAriis quidem antiquorum Cœmeteriorum locis celebris hæc Samaritanæ mulieris historia affabre coloribus exprimitur, nec suis quidem mysteriis vel una hæc inter præcipuas Christi actio destituitur, cum idem ex itinere fatigatus, & juxta puteum sedens Samaritanæ ipsius salutem sitiens describatur. Et quidem, ut Augustinus adnotat, ingens aliquod sub admiranda fatigati Redemptoris, & ad puteum considentis imagine, latitare mysterium, immo ad ulteriora mysteria aditum patefieri asserendum est: *Iam incipiunt* (inquit Augustinus) *mysteria: non enim frustra fatigatur Iesus: non enim frustra fatigatur virtus Dei: non enim frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur: non enim frustra fatigatur, quo deserente fatigamur, quo præsente firmamur. Fatigatur tamen Iesus, & fatigatur ab itinere, & sedet & juxta puteum sedet. Omnia ista innuunt aliquid, indicare volunt aliquid, intentos nos faciunt, ut pulsemus, hortantur.* hæc in rem præsentem ad secretiora quæque insinuanda Mysteria Augustinus. Et ut propositæ imagini insistamus, opportuno sane consilio ad vocationem gentium intuentium oculis designandam, cujus hæc mulier figuram præsefert, à primævis Christianæ fidei cultoribus hæc frequenter imago, & historia itidem, Ambrosio teste, usurpata est, qui sermone in Quadrag. & sermone item in lib. Ecclesiast. 3. isthæc in rem præsentem eleganter edisserit: *Ego hanc mulierem Ecclesiam esse puto de gentibus congregatam, quæ & transactis annis quinque millibus, ad quinque viros ejusdem Samaritanæ alludit; cum in sexto millesimo anno idolorum fornicationibus subjaceret, omnem ignominiam suam adveniente Christi fonte purgavit, & maculas, quas adulterinis sacrilegiis contraxerat, fide Salvatoris absterfit, ac relinquens, sicut inanem hydriam, priorem patrium cultum, universo orbi Domini annunciavit adventum.* hæc satis erudite in Samaritanæ historiam congessit Ambrosius.

Aug. tract. 15. in Io.

Mulier Samaritana vocationem gentium præsignabat.

D. Ambr. ser. in 4. Dom. Quadr. & ser. 2. in c. 3. lib. Eccles.

2 Idem fere habet venerabilis presbyter ac Doctor Beda, cunctarum gentium ad Christi fidem capessendam in hæc plane verba vocationem describens: *Sed quæri potest, quare à muliere Samaritana, quæ implenda gratia venerat, bibere postulaverit; cum ipse postea spiritualis fons affluentium se potentibus dare posse prædicaverit. Sed sciebat Deus mulieris illius fidem, quæ quoniam Samaritana erat, solet Samaria idololatriæ imaginem sustinere. Venerat autem Iesus Dominus noster, ut gentium multitudinem, quæ simulachris servierat, ad unitatem fidei Christianæ, & incorruptæ religionis adduceret. Ergo eorum fidem sitivit, pro quibus sanguinem fudit.* Isidorus vero Hispalensis Allegor. in sacr. script. Samaritanæ illius symbolo Iudæorum Synagogam designari pronuntiat: *Mulier*, inquit, *Samaritana mystice intelligitur Synagoga, quinque libris legis, quasi quinque viris, secundum sensum carnis subjecta: quam misericorditer Dominus provocat haurire aquam vivam, lavacri scilicet percipere gratiam, vel secretam legis intelligentiam.* Vides igitur, amice lector, quam congrue qui ex gentium erroribus, ab idololatriæ maculis ad salutis fontem, ad fidei lavacrum, ut cunctæ abolerentur animi labes, expiandi advenerant, ubi aquarum viventium puteum cum Samaritana invenissent, optatissimam Samaritanæ ejusdem mulieris memoriam condigne honore repetentes, Christo bonorum omnium auctori, & qui *est fons aquæ salientis in vitam æternam*, accepti beneficii gratiam perpetuo hoc monimento deferrent. Sed hæc de Samaritana paucis exposuisse satis sit, cum nobis haud diutius cum eadem ad puteum Iacob immorari ad ulteriora contendentibus licet.

Beda in Io. c. 4.

Samaria Idololatriæ typus.

Mulier Samaritana figura synagogæ

Isid. Hisp. alleg. in sacr. scrip.

CAP.

CAP. VI.

De Paralytico sanitati reddito.

1 CUm Cœmeteriales plerumque tabulæ antiquorum Christianorum manu exculptæ historicam quoque Evangelici illius Paralytici imaginem frequenter admodum præseferant, haud ingrato à nobis silentio obvolvenda videtur, quam Claudianus vel quivis alius poëta suis item coloribus egregie adumbrasse visus est:

Paralyticus futuræ resurrectionis symbolum.

Iussus post multos graditur paralyticus annos
Mirandum! lecti portitor ille sui.

Sed ut mysteriorum arcana, quæ intus latent, uberiore intellectu assequamur, diligentiori quidem studio hanc nos historiam perscrutari oportet. Et certe, ut cæteros taceamus, disertissimis plane verbis Ambrosius ex Paralytici hujus historia futuræ Resurrectionis mysterium conjicit; hæc sunt autem, quæ in Lucæ cap. 5. congerit, verba illa exacte expendens: *Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Hoc loco*, inquit, *plenam spem resurrectionis ostendit, qui mentis vulneribus, corporisque sanatis, peccata donat animorum, debilitatem carnis excludit. Hoc est enim totum hominem esse curatum. Quamvis igitur magnum sit hominibus peccata dimittere; tamen multo divinius est resurrectionem dare corporibus: quandoquidem ipse Dominus resurrectio est.* Et altiora item mysteria pertingens hæc infra subjicit: *Nec solum levare lectum, sed etiam domum suam repetere, hoc est, ad Paradisum redire censetur.* hæc Ambrosius. Idem plane libro secundo de symbolo ad catechumenos innuere Augustinus videtur, dum verba illa opportunis notis explanat: *Surge, tolle lectum tuum, &c.* Sed ipsum hic enarrantem, si libet, audiamus: *O quam melius illi esset, si post acceptam remissionem peccatorum non de lecto ad peccandum iterum surgeret, sed de sepulchro ad veram vitam liber securusque surgeret.* In idem fere coincidit Paraclytici imaginem adumbrando Hilarius: *Primum* inquit, *remissionem tribuit peccati, dehinc virtutem resurrectionis ostendit. Tum sublatione lectuli infirmitatem ac dolorem corporibus docuit absuturam: postremo reditum in domum propriam, iter in Paradisum credentibus esse redhibendum, ex quo Adam parens universorum peccati labe dissolutus excesserat.* hæc Hilarius.

D. Ambr. in Luc. c. 5.

S. Aug. l. 2. de symb. ad Catech.

Hil. in Matth. c. 8

2 Demum Theophylactus, qui à Glossa super eodem textus Evangelici capite recensetur, id ipsum his plane verbis confirmat: *Domum ire, est in Paradisum introire.* Opportune igitur Christiani, qui resurrectionis mysterio stimuli instar valide permoti ad mortalem hanc vitam libenter pro Christo contemnendam, ac profundendam, dum occasio suppeteret, ejusdem gratia ipsummet sanguinem perurgebantur, hunc sibi Paralyticum ob oculos contemplandum in Cœmeteriis proponebant. Et qui antiquorum insuper criminum veniam Christi virtute ac verbo semel in baptismo acceperant, ne tanti, inquam, beneficii memoria animo unquam excideret, & ne ad anteriora ulterius peccata post sanitatem adeptam delabi contingeret, Evangelici Paralytici symbolo, quod passim oculis objiciebatur, satis superque præmonebantur. Et hæc interim de Paralytico enarrasse voluimus.

Theoph. apud glos. c. 8.

CAP. VII.

De Hæmorrhoissa Christi contactu curata.

FOeminam hæmorrhoissam, quæ, ut Euangelicæ testantur paginæ, Christi duntaxat fimbriam magno fidei ardore tangens, pristinæ protinus incolumitati reddita est, sua contemplantibus præseferre mysteria sanctissimi unanimi voce scriptores affirmant; sed unus præ cæteris Augustinus eandem gentium extitisse figuram sermone quinto de tempore, & ser. in Dominic. 2. Quadrages. his plane verbis affirmat: *Filia Archisynagogi significat populum Iudæorum, propter quem venerat Christus, qui dixit: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël. Illa vero mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, Ecclesiam figurat ex gentibus, ad quam Christus per præsentiam non erat missus. Ad illam ibat, illius sanitatem intendebat. Hæc intercurrit, tangit fimbriam quasi nescientis, id est, sanatur tanquam ab absente. Dicit ille: Quis me tetigit? quasi diceret: Non novi hunc populum, populus, quem non cognovi, servivit mihi. Tetigit me aliquis: ego enim sensi virtutem de me exire, id est, Euangelium emissum totum orbem implere.* hæc ad nostræ rei propositum Augustinus. His quoque Glossa consonat in Matth. 9. ex Chrysostomo homilia 22. oper. imperfect. in hæc quidem verba: *Salutem Iudæis paratam, spe certa præripuit gentilitas.* Interlinearis insuper Glossa enarratis hactenus adstipulatur, dum isthæc edisserit: *Mulier*, id est, *Ecclesia* gentium *accessit*, id est fide; *retro*, *id est, post* Ascensionem; *tetigit*, id est, manu *fidei*. Nuper autem recensitis Anselmus subscribit, qui in cap. Matthæi, quod supra recitatum est, hæc elucidando congerit: *Mulier sanguine fluens, sed à Domino curata, est Ecclesia de gentibus congregata, quæ ingenti carnalium delectationum fluxu polluta, atque à cœtu fidelium jam fuerat conseparata; sed cum Christus Iudæam salvare decerneret, illa paratam & promissam aliis salutem spe certa præripuit, &c.* Verum de eadem nos jam supra cap. 4. plura ad rem, & condigno Patrum sermone recoluimus, & Claudianus quidem, vel alius quis apud ipsum Christianos inter poëtas celeberrimus, portentosam Hæmorrhoissæ sanitatem carminibus eleganter expressit:

Hæmorrhoissa Ecclesiam ex gentibus congregatam mystice significabat.

S. Aug. ser 5. de temp. & ser. 1. de Dom. 2. Quadr.

Glos. in Matt. c. 9. S Chrys. ho. 22. oper. imp.

S. Ansel. in c. 9. Matth.

Exanguis Christi contingit fœmina Vestem,
Stat cruor in venis, fit medicina fides.

2 Nil mirum igitur, si apud primævos Christianos, qui ex ipsis gentilium castris ad Ecclesiam quotidie convolabant, & Christi fide imbuti, ipsiusmet quodammodo divinitatis fimbriam tangendo, salutem animi consequebantur, hujus frequenter Hæmorrhoissæ historia, ac memoria pariter jugi oculorum aspectu repeteretur: immensæ quippe Christi potentiæ, *qui eosdem de tenebris in admirabile lumen suum evocaverat*, atque à criminum fluxu potenti virtute sanaverat, honorem jugiter, hanc suspiciendo imaginem, innatæ videlicet conditionis memores deferebant. Sed hæc de Hæmorrhoissa apud Evangelii paginas, & Cœmeteriales tabulas celeberrima pio ac studioso lectori brevi exposuisse sermone satis sit.

Hæmorrhoissæ imago in Cœmeteriis crebro depicta.

CAP. VIII.

De Cœco oculorum lumine perfuso.

1 CHristiani, quibus optatum fidei lumen menti divinitus affulserat, Cœci illius, qui

Cæcus à nativitate illuminatus, ejusque mysterium.

qui ab ipsamet nativitate oculis captus, sed Christi virtute lumen recepit, historiam atque imaginem sibi jugiter ob oculos contemplandam proponere consueverunt, ut immortali Deo gratias agerent, *qui eos*, ut Apostolus ait, *de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.* Et impertiti quidem huic cæco luminis portentum adeò apud Christianos olim præcrebuit, ut quisquis iste est antiquus apud Claudianum inter Christianos poëta virtute Christi infusum divinitus oculis lumen carminibus illis eleganter cecinerit:

Claud. de mir. Christ.

Editus ex utero cæcus nova lumina sensit,
Et stupet ignotum se meruisse diem.

Sed nos interim quæ de Cœco, cujus mentio recurrit, mysteriorum arcana Patres edisserunt, consulto inspiciamus. De hoc igitur unus præ cæteris Isidorus Hispalensis isthæc recenset: *Cæcus à nativitate, quem Dominus postquam unxit oculos, ad Piscinam Siloe misit lavandum, significat genus humanum à nativitate, id est, à primo homine errorum tenebris venundatum, cujus oculos Dominus de sputo & luto linivit, quia Verbum caro factum est, & lavari oculos in piscina jussit, ut baptizatus in Christo acciperet legem fidei, & crederet in eum, &c.* magnum igitur totius humanæ prosapiæ mysterium sub unius hominis cæcitate refulsit. At S. Augustinus tract. 44. in Ioannem illa argute verba, quæ Christus protulit, expendens: *Totum hominem salvum feci in sabbato*, sic ait: *Totus quid est? cum oculis clausis. Sed qui aperuit oculos, salvat & totum. Ipse dabit ad dexteram resurrectionem, qui in facie dedit illuminationem.* Verum Augustino mirifice consonat Irenæus, qui plura adversus hæreses de Cæci hujus illuminatione prolixiori sermone edisserit, ex illa præcipue mirum plasmati hominis opus potenti eadem virtute præstitum adstruens, cujus manu ipsummet cæci visum jam abolitum limi ac sputi aspersione innovari contigit. Id ipsum Theophylactus in præmemoratum Ioannis caput affirmat. Neque hic interim silentio nobis obvolvenda sunt, quæ de eodem cæco luci reddito eruditissime suis olim carminibus Sedulius cecinit:

Isid. Hisp. in Io.
Aug. to. 9. in Io. c. 9. tract. 44.
S. Aug.
S. Iren. l. 5. c. 15. adv. hær.
Limo adhibito Dominus cæcum natum illuminat, ejusque mysterium.
Theoph. in c. 9. Io.
Sedul. l. 3.

Tu quoque virtutis sensisti munus herilis
Procumbens oculis, in cujus lumina Christus
Exspuit, & speciem simulatæ mortis ademit.

Quibus sane verbis illud potissimum doctissimus hic vir, ac pari pietate conspicuus præstitæ hujuscemodi illuminationis prodigio innuisse videtur, resurrectionis videlicet mysterium evidenti admodum symbolo præsignari. Iure igitur merito Christiani, quorum oculis Euangelii lux divinitus ingesta est, Euangelici istius Cæci imaginem in Cœmeteriis suspiciendam ultro sibi ob oculos delineabant, ut illud nimirum jugiter meminissent, *quod fides est donum Dei*: & secum mente repeterent illud item, quod primum Ioannes edixit: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* & infra: *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Sed hactenus de Cæco, cui lumen à Christo infusum est.

Io. c. 1.

CAP. IX.

De Christo Domino panes ad exsaturandas famelicorum turbas multiplicante.

1 Inter cætera, quæ admiratione condigna sunt Christi opera, illud præcipuum est, quo haud semel ejusdem verbo, ac potenti virtute panes ad propulsandam populorum famem multiplicari contigit: cujus quidem rei, ut in Cœmeterialibus figuris videre est, quamplures affabre coloribus expressæ imagines describuntur. Insigne autem hoc patratum à Christo miraculum illis eleganter Carminibus ille apud Claudianum poëta expressit:

Quinque explent panes, pisces duo millia quinque, Claud. de. Chr. mirac.
Et Deus ex pauco plus superesse jubet.

Et plura subinde eadem super re plerique Patres arcanorum mysteria humanis quidem imbuendis moribus apta contemplati fuere. Sed unus præ cæteris Ambrosius eandem panum multiplicationem semel atque iterum à Domino præstitam exacte suo ex more perpendens, opportuna ad mortalem hanc vitam fovendam, servandamque subsidia, & alterius item, quam post hujus occasum subinde speramus, munera ac æternæ quietis adfutura gaudia præsignari his verbis asserit: *Prius quinque millia quinque panibus: postea vero quatuor millia septem panibus legimus satiata. Quæramus ergo mysterium, quod miracula præstent. Itaque videntur illa quinque millia quasi quinque corporis sensus adhuc corporalibus proxima alimenta accepisse à Christo: quatuor vero millia, etsi adhuc in corpore sint, & in hoc mundo, qui ex quatuor constat elementis: non otiose tamen referuntur mystice escam accepisse quietis. Iam enim æquantur mundo supra mundum futuri: nam etsi in hoc mundo sunt, intra mundum tamen non sunt, quibus mystice impartitur alimentum. Sex enim diebus mundus est factus, septimo requietum est die, & Dominus sanctificavit eum. Vltra mundum ergo quies: vltra mundum etiam fructus quietis.* Deinde vero aliis elucidandis Mysteriorum symbolis intentus hæc subdit: *Et fortasse si primum quinque panes sensibiliter manducaveris, audito, & dicam, post quinque panes & septem tertio jam in terra non manducabis panem, sed supra terram manducabis octo panes, qui sunt in cælestibus. Sicut enim septem panes, panes quietis; ita octo panes, panes sunt resurrectionis. Ergo isti qui septem aluntur panibus, triduo perstiterunt fortasse integro, resurrectionis futuræ fidem & constantiam consecuti &c.* hæc ad rem præsentem Ambrosius.

Plura in panum multiplicatione mysteria latent.
D. Ambr. in Luc. 9.
Per quinque hominum millia buinque panibus satiata quid significetur.

2 Verum D. Isidorus Hispal. de arcanorum mysteriis expendendis insistens, de utraque pariter multiplicatione ingeniose admodum edisserens, isthæc ait: *Quinque millia viri, qui quinque panibus pasti sunt, Ecclesiæ sunt populi, qui per quinque corporis sensus alimento legis Spiritualis à Christo reficiuntur, & duplici testamento, quasi gemellis piscibus satiantur. Quatuor autem millia viri, qui aliis septem panibus aluntur, eadem gentium Ecclesia est, quæ in quatuor partibus mundi diffunditur, atque ubertate septiformis gratiæ recreatur.*

Alia ejusdem miraculi consideratio.
D. Isid Hisp. in Luc. c. 9.

3 Mira item sunt, quæ hac super re mysteria contemplatur Cyrillus Alexandrinus, qui hordeaceis quinque panibus quinque Moysis libros: duobus vero piscibus Euangelicam doctrinam Piscatorum ministerio orbi annunciatam intelligit. Sed ejus hic quæso verba in medium proferamus: *Puto igitur ipse, quamvis meliora studiosos quærere hortor, quinque hordeaceis panibus significari. Tota enim lex, quæ in illis continetur, literalem & historicum librum, atque ideo duriorem, & quasi hordeaceum affert: duobus autem piscibus Piscatorum libros, quibus delicatoria hominibus alimenta deferuntur, significari arbitror. Duo autem pisces sunt, quia & prædicatio Christi, quæ per Apostolos effulsit, Euangelica & Apostolica scriptura resplendet. Ita Salvator & disciplina legis spiritualis,*

Quinque panes hordeacei quinque libros Moysis significant.
S. Cyr. in. Io l. 4. c. 17.
Duobus piscibus doctrina Euangelica à Piscatoribus promulgata intelligitur.

lis, & novi Testamenti ineffabili doctrina fidelium animos ad vitam alit æternam. hæc ille. De Apostolis vero, qui piscandi arte victum sibi quærebant, isthæc subdit: *Quod autem discipuli Domini piscatores fuerint, perspicuum omnibus est. Si enim forsan non omnes hujusmodi, ne contendamus, sed quoniam principales eorum piscatores fuerunt, non erit aliena nostra hæc à veritate oratio.* Huc usque Cyrillus Alexandrinus, dum mira quæque sub scripturarum cortice mysteria aliis propinanda deprehendit.

Prior panum hordeaceorum multiplicatio, secunda triticeorum ejusque mysterium.

4 Demum satis erudite Origens haud peculiari quidem mysterio vacare pronuntiat, quod primum portentosæ hujus multiplicationis incrementum in hordeaceo pane, secundum vero in pane, qui ex frumenti grano conficitur, præstitum divinitus fuerit; hæc autem sunt ejus in rem præsentem verba: *Scriptum est in Evangeliis, quod secundo paverit turbas; sed & illos, quos primo pascit, id est, incipientes, hordeaceis panibus pascit. postea vero, cum jam profecissent in verbo & doctrina, triticeos eis exhibet panes.* isthæc Origenes.


Orig. ho. 12. in Gen. c. 25.

Panes cruce obsignati, & quare?

5 Illud tamen haud silentio hic obvolvendum est, dum de præmemoratis panibus sermo est, quos mirabiliter Dominus multiplicavit, & quos Cœmeterialibus in tabulis frequenter coloribus effictos oculis subjici, ac repræsentari cernimus, quod singuli nimirum ibidem juxta receptam Hebræorum consuetudinem cruce obsignati conspiciuntur, de qua Cardin. Baronius noster satis luculenter egit, dum de panis fractione sæpenumero in Evangelicis paginis recensita edisserit. Sed ipsius hic quæso verba promptis auribus excipiamus: *Quod autem Sanctus Augustinus*, inquit ille, *eam panis fractionem non tantum sacræ, sed communis etiam mensæ usui applicari posse significat, cum nec de incidendo panem, sed frangendo dumtaxat in divinis scripturis fit mentio, plane indicatur viguisse apud Iudæos eam consuetudinem, ut conficientes panes, eos incisionibus in particulas plures signatos coquerent. Quod quidem ex Rabbino rerum Iudaicarum antiquarum perito accepimus, eos sic incisos coquere solitos panes, ut sic ad esum non esset opus illos incidere, sed solum frangere, sicut facere solent etiam hodie in placentis azymis:* ea plane forma qua eas expressas hic vides:

Bar. anno. .. an. 58.

Hebræorum in pane coquendo consuetudo.



Indeque evenisse putamus, quod de buccellis comedendis in iisdem divinis scripturis frequens mentio reperitur. Sicut etiam apud Romanos constat fuisse usu receptum, ut panem quemlibet, placentamque quadrifida decussatum incisione, ad dividendum postea in quatuor partes coquerent. hæc Baronius. Ad quod deinde validiori argumento comprobandum, complurium quoque ethnicorum sententias id afferentium proferens, isthæc subjicit: *Sed describenda hic ex antiquis imaginibus sculptis ejusmodi panis decussati forma, quam sic exhibent, quæ hactenus visuntur Romæ vetera monumenta.*

...nis decussati ... ex vetustum monumentis. ...ron. loc.



Ita enim sculpta extat in sigmate illo, quod apud sanctum Chrysogonum est, formis expresso à Fulvio Vrsino, ubi astans minister singulis accumbentibus singulos panes ex canistro præbet. In marmorario apud sanctum Laurentium in Lucina, aliud huic simile spectare licet: sed & in sarcophago operis Christiani in Ecclesia S. Sebastiani in Cœmeterio Callisti, cophini sic efformatis panibus pleni habentur insculpti; & aliis in locis memini me vidisse: sicut in Ecclesia S. Clementis veteri pictura redditos. Porro Divina plane providentia factum est, ut Baronius noster in Ecclesiasticis haud unquam perituris tabulis id ultro testatum reliquerit, quod non modo præmemoratis in locis, verum etiam in vetustissimo quodam monasterii triclinio, quod Divinæ Bibianæ olim Ecclesiæ cohærebat, & alibi nos quoque oculis contemplati sumus, etsi postmodum nobilissima isthæc recolendæ antiquitatis monumenta rudium hominum incuria deperiisse doleamus.

6 Quod igitur in Christianorum olim frequenter monumentis panes descripta hactenus ratione efformatos inspicere contingat, plane innuitur Gentilium morem illis signis decussandi panes antequam coquerentur, ab ipsis Christianis quod typus crucis iisdem signis exprimeretur, religiose, ut Baronius notat, susceptum fuisse. Porro quod panes tum apud Iudæos, ut dictum est, tum etiam apud Gentiles hunc in modum efformandi mos vigeret, ipsorummet scriptorum auctoritate compertum redditur: *Apud Romanos*, ut Baronius supra ait, *usu receptum fuisse constat, ut panem quemlibet, placentamque quatrifida decussatum incisione, ad dividendos postea in partes quatuor coquerent, cujus singulæ partes, quadræ nominarentur, non quod quadratam figuram referrent, sed quod quarta pars panis esset.* hæc Baronius pro elucidatione panum ista quidem forma confectorum. Verum Baronii assertio multiplici ethnicorum quoque scriptorum auctoritate fulcitur: id enim in primis à Virgilio in Moreto his plane versibus describitur, cum de conficiente panem ait:

Panes apud gentiles olim decussandi mos.

Format opus palmaque suum dilatat in orbem,
Et notat expressis æquo discrimine quadris.

Sed & de eisdem panum quadris isthæc Horatius. Hor. l. 1. ep. 17.

Qui dicit: clamat, victum date, succinit alter,
Et mihi dividuo findetur munere quadra. Martialis item expresse meminit. Mart. l. 1. epig. 76.

Nec te liba juvant, nec secta quadra placentæ.

Idem quoque alibi: Lib. 9 epig. 91.

Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

Et Iuvenalis: Iuven. sat. 5.

Vt bona summa putes aliena vivere quadra.

Etsi, ut Baraonius observat, alii pro mensa quadram acceperint, sicut & illo Virgiliano carmine:

——patulis nec parcere quadris. Virg. Æneid. 7.

Cæterum teste Varrone dictorum poëtarum tempore, inquit Baronius, *mensæ rotundæ, & non quadratæ esse solebant: unde & complures Poetæ orbes posuere pro mensis,*

mensis, quod antiqua marmora docent exhibentia mensas orbiculares. Sicut & ex iisdem dictis errare mihi videntur, qui discos ad desuper incidendum edulia positas quadras dictos esse putarunt. Ad ea rursus, quæ dicta sunt, Athenæus locuples testis accedit, dum ait: Blomilios panes vocari dicunt habentes incisiones, quos Romani quadratos vocant. Adstipulatur egregie & Hesiodus, ubi isthæc habet:

Athan. l. 3.

Panem quadrifidum cœnatus morsibus octo.

Et hæc de panibus quadræ partis forma signatis hic in studiosi lectoris gratiam vel obiter enarrasse voluimus. Sed ad Baronium Ecclesiasticæ antiquitati mordicus insistentem, lector si libet, revertamur qui validis ad hoc confirmandum argumentis sibi comparatis ex Dialogorum D. Gregorii libro, Martirii videlicet monachi exemplum auspicatur, quod ab ipsomet Gregorio his plane verbis describitur: *Dum quadam die fratres illius panem subcinericium fecissent, eique obliti essent signum imprimere, sicut in hac provincia crudi panes signo signari solent, ut per quadras quatuor partiri viderentur, idem Dei famulus adfuit*, Martirius nempe, *ejusque referentibus signatum non fuisse cognovit, Cumque panis ille prunis esset, & cineribus coopertus, dixit: Quare hunc minime signastis? qui hoc dicens signum crucis contra prunas fecit; quo signante protinus immensum crepitum panis dedit, ac si ingens ingnibus olla crepuisset, qui dum coctus postmodum fuisset, ab igne subtractus, ea cruce signatus inventus est, quam non contactus, sed fides fecit.* Hæc apte eruditeque ad rem nostram Baronius ex Gregorio, & aliis probatis scriptoribus prolixe quidem, ad institutum vero haud omnino otiose in suis Annalibus describit.

D. Greg. l. dial.

Martirius Monachus.

7 Verum ut susceptæ enarrationi insistamus, ejusmodi crucis forma panibus impressa non vetustam Christianorum dumtaxat consuetudinem redolet, sed peculiari insuper haud vacare mysterio credimus, in his præsertim, qui in ipsomet Christi Domini interdum locati sinu conspiciuntur. Sacrosanctum enim divinæ Eucharistiæ Sacramentum præcipuo quodam symbolo innuunt, atque designant, quo Christus Dominus, *Panis* inquam, *vivus* (ut Ioannes ait) *qui de cœlo descendit*, seipsum nobis ultro in augustissimo Altaris convivio, manducandum tradidit. De quo quidem recolendo panis mysterio satis aperte Lucas Euangel. meminit, dum à duobus in castellum Emaus contendentibus ipso Paschali die discipulis Christum Dominum in ipsamet panis fractione agnitum fuisse enarrat. Redeuntes enim eadem hora in Ierusalem discipuli, quæ sibi in via obvenerant, & *quomodo eum in fractione panis* agnoverant, aperuere. De mystica item ejusdem panis fractione idem Lucas in Apostolicis Actibus opportune meminit, dum primævos Christianorum mores recenset: *Erant autem perseverantes*, inquit, *in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quæ quidem loquendi formula divini panis fractionem, & vivificam Altaris communicationem ex communi Patrum sententia resonare videtur, ut præ cæteris affirmat August. & Hieronymus, qui hæc habet: *Apud Emmauntem in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in Ecclesiam consecravit.* Vides, igitur amice lector, quam sapienti consilio, ac salubri mysterio primævorum temporum Christiani panes hosce mira Dei virtute multiplicatos in Cæmeteriorum abditis sibi passim contemplandos objicerent, ut omnimodam videlicet Christi Domini providentiam haud unquam inter ardua quæque defuturam præstiti panis symbolo profiterentur, juxta id quod Regius Propheta verbis illis præmonuerat: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*: & ut præterea, cum in Cœmeteriis ad Synaxes de more peragendas, & sacra Altaris participanda mysteria frequenter convenirent, panum ejuscemodi ob oculos signo proposito admirandam insuper panis, haud minori quidem portento in ipsiusmet Christi corpus, ac sanguinem conversionem ex multiplicatis eisdem panibus recolendam probe meminissent.

Panes cruce signati in sinu Domini S. Eucharistiam designare dicitur.

Io. c. 6. Luc. c. 24.

Act. c. 2. 42.

Aug l. 3. de Euang c. 25. Aug. ep 59. ad Paulin. in epit. Paul.

8 Sed age, cum famelicis turbis, quæ Christum Dominum avide inter deserta loca sectantur, hic paululum, amice lector, subsistamus: dum enim de multiplicatis in eorundem gratiam divina virtute panibus sermo recurrit, opportune quidem recolendum se nobis offert, quod à sancto Philippo Nerio parente optimo in Vrbe olim laudabiliter institutum est. Candidus quippe Christi æmulator, ejusdem exemplis probe insistens, divini pabulo verbi Christianorum corda mulcere, & innumeras populorum turbas ad Christi sectanda vestigia, ad ejusque degustanda pabula totis viribus allicere haud unquam destitit, quippe qui multorum hominum millia eo tempore quo Bacchanales recurrunt dies, & lubrica delirantis seculi gaudia fervent, ejuscemodi ludo, quibus animus serio inter ludendum læditur, declinandi gratia, die Iovis, qui post sexagesimæ Dominicam primus occurrit, qua potissimum die Vrbs tota vanis oblectamentis ac scenicorum spectaculis æstuat, laudabilem illam septem celebriores Vrbis Ecclesias devote visitandi consuetudinem excogitavit, & mirificam singulos tum spiritu, tum corpore reficiendi rationem magno sane animarum fructu adinvenit. In hoc autem sacro itinere ubi primum capiendi cibi, jam longo itineris labore defessis hora advenisset, Pater optimus Euangelicam turbarum mensam recolens, & suis quoque opipare eamdem instruere cupiens, homines humi supra herbam discumbere, iisdemque panem, ac reliqua obsonia, parca admodum manu apponi præcepit: *Facite*, inquit Christus, *homines discumbere, erat autem fœnum multum in loco: discubuerunt ergo viri quasi quinque millia.* Ita plane bis milleni interdum Philippo ministrante discubuerunt. Vt igitur à lubricis voluptatum semitis homines, ac præsertim juvenes, quorum potissimum animi vanis seculi deliramentis facile intercipi, ac decipi solent, abduceret, eos secum extra Vrbem ad visendas præcipuas martyrum Basilicas senex cœlesti præditus sapientia deducebat, etsi autem primis temporibus, quando id cœpit, non adeo frequens hominum multitudo conveniret, postmodum autem confluentium numerus tam copiose excrevit, ut dum adhuc sanctus Philippus inter vivos degens, euntibus ductor existeret, bis mille hominum, & eo amplius adnumerarentur. Is autem procedendi ordo apud nostros inolevit, qui nunc etiam, ac si per manus à sancto Philippo acceptus exacte servatur, cujusvis conditionis homines, mulieribus dumtaxat exceptis, ad sacrum cœtum admittebantur, interim vero tam apte, tam composite cuncta Deo favente peragebantur, ut Religiosorum hominum turbæ progredi viderentur, nec viri tantum laici, & è nobilioribus quammulti, animi

S. Philippus Nerius.

Exemplo Christi populum quotannis extra Vrbem ducebat pascebatque in campis.

Idque diebus Bacchanalibus.

Luc. c. 6.

Pet. Iac. Bacc. vita S. Philip. l. 1. c. 14 n. 7.

Mos iste populum in campos diebus Bacchanalibus, educendi hodieque perseverat.

animi laudabiliter excolendi, ac recreandi causa, sed & Religiosi quamplures adessent, ex Dominicana præsertim familia, cui sanctus Philippus intime semper adhæsit, utpote à quibus Florentiæ apud Divi Marci Ecclesiam adhuc adolescens se Spiritus primitias accepisse, & in rebus spiritualibus quasi tyrocinium peregisse gloriabatur, cui item sacro Ordini tota nostri Oratorii Congregatio ob delatos quotidie beato Parenti honores, se plurimum debere fatetur. Qui enim ejusdem sacri Ordinis tyrocinio adscripti erant, Philippo in sacro itinere superioribus ultro annuentibus comites adjungebantur. Nec pauci vero præterea ex Franciscana arctiori Fratrum Cappuccinorum familia, & alii item quamplures Religiosi cujusvis Ordinis, iter hoc devotionis gratia Philippo duce arripere gaudebant.

Forma ac ratio itineris eius describitur.

9 Sed hic quæso itineris formam, quæ nunc usque sanctissimo viro auctore, ac duce viget, describamus. Summo diluculo à nostra Vallicellana Ecclesia, præmissis Deo precibus discessio ad Vaticanam Divi Petri Basilicam, fit, inde ad Divi Pauli, in varias quidem turmas sacris meditationibus, hymnis, psalmis, & precatorjis insuper coronis iter di metiendo proceditur, singulis turmis sacerdos è nostris præficitur, qui ut cuncta rite, ac recte peragantur, solicite curat. Verum ut nullus, ut decet, confabulandi locus sit, & tempus salubriter expendatur, modo Litanias alternatim concinunt, modo psalmos devote modulantur, nunc ad præcipuum quoddam Dominicæ passionis thema meditatione recolendum, singuli alta voce, datoque signo à sacerdote, qui ductor est, invitantur. Vbi vero singuli celebrem Divi Sebastiani Ecclesiam invisere, ad Ecclesiam sanctorum, martt. Nerei, & Achillei tenditur, quæ Via Appia sita est, & olim à Cæsare Cardinale Baronio S. R. E. Bibliothecario instaurata, pontificio diplomate nostræ Congregationi adjuncta fuit. Hic postquam fere omnes Oratorii fratres adsunt, Missa concentu musico peragitur, expiatisque sacra confessione adstantium animis, omnes divino reficiendi Altaris pabulo, ad Synaxim devote accedunt: postmodum vero persolutis Deo gratiarum actionibus, in celeberrimos Matthæjorum hortos in Cœlio Monte, dominis ultro, ac benigne concedentibus, devenitur. Introgressi omnes subinde locum, in amplissima nobilis istius viridarii area, quæ in theatri formam aptata est, Euangelici oraculi memores, humi supra herbam, terni ordinatim ad sumendum cibum discumbunt. Interim integer singulis quibusque triticeus panis, optimi saporis, vas item vitreum vino repletum, quod ad sobrie epotandum sufficiat, cum paucis quibusdam obsoniis apponitur, consuetisque juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ precibus ad mensæ benedictionem adhibitis, signo dato, omnes uno, eodemque tempore comedunt. In ipsius autem theatri, quod areæ supereminet, prospectu, sacerdotes, viri Religiosi, Præsules, & Purpurati Patres, qui sæpe intersunt, consident, & quamplures subinde ex Oratorii Confratribus, & primariæ item nobilitatis viri, discumbentibus inserviunt. Primum vero brevis sermo à puero quodam aptis, accommodatisque in rem præsentem verbis memoriter recitatur, quo peracto concentus musicus ad organi sonum attemperatus, cunctis mirifice ipsas inter epulas lætantibus simul, ac plaudentibus succedit, & cuncta tam concinne, tam sobriè, tam modeste peraguntur, ut nullum ex tot hominum millibus, vel leve murmur exsibilet, quinimmo unusquisque religiosam intuentibus unà cum pietate hilaritatem ac sobrietatem eum in modum ebibisse videtur, ut quod de antiquis olim Christianis in Agapen convenientibus Tertullianus enarrat, hic quoque probe adimpletum vnusquisque intelligat, ac lætetur, nobisque interim hæc recolentibus ipsamet Tertulliani verba hic repetenda se offerant: *Quantumcamque in sumptibus*, inquit ille, *constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum; siquidem inopes quoque refrigerio isto vivamus; non qua penes eos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed qua penes Deum major est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimate, quid sit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admitti. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut meminerint etiam per diem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire, &c.* Quibus enarratis hæc infra subdit: *Atque oratio convivium dirimit. Inde disceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiæ, & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam. Hæc coitio Christianorum.* Hæc Tertullianus, quæ quidem singula apte, si nomen cœnæ demas, & in prandii refectionem commutes, Agapis nostris consonant.

Tertul. in apol. c. 39.

Baron. t. 1. an. 57. n. 131.

Essenorum convivandi modestia.

10 Porro egregie hanc prorsus omnimodam convivandi formam apud Essenos adumbratam, & à Christianis vel nunc usurpatam, atque retentam antiquissimis Philo verbis illis descripsisse visus est: *Vbi verò convenere*, inquit, *candidati, ac læti cum summa gravitate ad signum datum à quopiam exphemereuta* (sic hujusmodi ministros nominant) *priusquam discumbant stantes una serie detenti, sublatisque in Cælum manibus, atque oculis, his quoniam didicerunt cælestia illis, utpote incorruptis à muneribus, & à quæstu illicito precantur, ut placeat Deo idem convivium, &c.* Et infra de ipsius convivii forma hæc subtexit: *Mensa pura, & à cruentis dapibus, pro cibo panis apponitur, sal pro obsonio, &c.* Porro quam modestè convivium subinde solvatur, enarrans isthæc subdit: *Dicat aliquis: quid tum postea, quam convivis ordine suo discumbentibus adstiterunt, ministri decenter parati ad obsequium? nullane sequitur compotatio? immo silentium majus quam antea, ita ut ne mutire quidem cuiquam liceat, aut respirare vehementius.* Convivia item ista non tam ferculis, quam sobrietate condita Minutius illis aliquando verbis expressit: *Convivia non tantum pudica colimus, sed & sobria, nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus.* Et hæc de Essenis quondam convivantibus Philo.

Arist. lib. de 72 interp.

Hier. de script. Ecc.

Minut. in Octau. c. 10.

11 Verum ut ad nostra redeamus, tenui in hunc sobrietatis modum peracto refectionibus prandio ad reliquas singuli Ecclesias invisendas hilari quidem, ac festiva gravitate compositi pergunt. In sacrosancta autem Lateranensi Basilica exposita Apostolorum capita supplices venerantur, & paucis verbis ad iter devote prosequendum incitantur. Vbi vero ad Ecclesiam D. Laurentji extra muros deventum est, brevi auditores in Dei ser-

ſervitio obſirmandos ſermone præhabito, ad Liberianam Baſilicam, quæ ſacri itineris clauſula eſt, itur: inde Litaniis ſolemniter concentu muſico ante B. Virginis Imaginem à D. Luca pictam decantatis turmatim diſcedendo, ad noſtram Vallicellanam Eccleſiam Litanias Sanctorum, & pſalmos mediam per Vrbem decantando, ſub veſpertinam horam devenitur: hic demum muſicali harmonia præmiſſa, brevique ad condignas Deo gratias exhibendas ſermone inflammati, in ſuam unuſquiſque domum etſi defeſſus corpore, haud parum tamen animo recreatus, & gaudens revertitur. Quod quidem pium, ac laudabile inſtitutum, cujus cauſa perſecutorum calumniis quondam acriter beatus vir impetitus fuit, patentibus è Cælo ſignis haud ſemel Deus comprobavit, ut ex ipſiuſmet ſancti Philippi geſtis à Petro Iacobo Baccio conſcriptis, palam innoteſcit, & ad hanc uſque diem Deo favente mirabiliter viget: ad tria enim hominum millia, & eo amplius ſuperioribus annis ad rem ejuſcemodi multitudo confluxit. Et hæc ob recolendam jugiter, & in ſacris Chriſtianorum Cœmeteriis adumbratam turbarum à Chriſto in ſolitudine refectarum memoriam hic pio, vel obiter, lectori expoſuiſſe voluimus. Sed hæc interim de panibus Chriſti virtute multiplicatis enarraſſe ſufficiat.

Pet. Iac. Bac. l. 1. c. 14. in S. Philip.

CAP. X

De Chriſto manus parvulo imponente.

Exigua etiam in S. Scriptura myſterio haud vacant. *Matth. c. 13.*

1 MAgna quæque, ut quod verum eſt fateamur, vel parvis interdum, ac perexiguis in rebus ſacramenta humanis auribus propinata ſunt. Vt quid enim, ut de cæteris taceamus, Cælorum regnum, ediſſerente parabolas Chriſto Domino, grano ſinapis aſſimilatum eſt, quod quidem cunctis ſeminibus minimum eſſe agnoſcitur: *Simile eſt*, inquit Chriſtus, *Regnum Cælorum grano ſinapis, quod minimum quidem eſt ex omnibus ſeminibus*, at maxima, vel parva è re myſteria perſcrutantibus emergunt: quapropter illud jure merito de ſinapi Ambroſius alibi enunciat: *Granum ſinapis prima fronte ſpecie ſui parvum eſt, vile, deſpectum, non ſapore præſtans, non odorem circumferens. At ubi teri cœperit, tanto fervoris calore ſuccenditur, ut mirum ſit in tam frivolis granis tantum ignem fuiſſe concluſum.* Idem plane de parvulo iſto, qui Chriſti manibus benigne contingi meruit, ego pronunciaverim, ingens nimirum, & haud parvum ſub parvulo myſterium nobis ſolicite expendendum latere. Quapropter antiquis temporibus ſacram Chriſti Domini imaginem parvulo manum imponentis affabre coloribus exprimere Chriſtiani conſueverunt, nec præcipuis vero, ubi de parvulis agitur, rem vacuam myſteriis temere quiſpiam eloquendo dixerit: cordati quippe homines, qui ſerio rem agentes, vel penicillo mores excolebant, cum ſuaviſſimam ipſius Chriſti comitatem, ac benignos ejuſdem mores in pueris hiſce ad ſe vocandis, trahendiſque palam omnibus adumbrare vellent, ut hi, qui multiplici criminum ſorde polluti, pœnarum quoque vinculis obnoxji detinebantur, haud ab ejus conſuetudine ulla unquam ratione abſterriti retardarentur, morum innocentiam, vitæ probitatem, ac omnimodam illam, quæ infantibus ineſt, & quam tenera præſefert ejuſcemodi ætas, humilitatem edocebantur. Quapropter

Ambr. ſer. 1.

Quidnam ex imagine Chriſti manus parvulis imponentis diſcendum ſit.

id potiſſimum Apoſtolis Chriſtus, Hieronymo teſte, inculcare voluit, cum eoſdem illis verbis interpellavit: *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabiis in Regnum Cælorum. Non præcipitur*, inquit, *Apoſtolis, ut ætatem habeant parvulorum, ſed ut innocentiam. Et quod illi per annos poſſident, hi poſſideant per induſtriam, ut malitia, non ſapientia parvuli ſint.* Hæc in myſticam parvulorum commendationem Hieronymus. Haud tamen hic obiter ſilentio obvolvendum eſt, quod puer iſte, qui in Evangelio deſcribitur, S. Martialis Lemovicenſium Epiſcopus, D. Thoma, & Anſelmo teſtibus, fuiſſe creditur, vel certe, ut Metaphraſtes aſſerit, Ignatius Antiochenus: *Ignatio*, inquit Metaphraſtes, *cum eſſet plane puer, ajunt Chriſtum manus impoſuiſſe, & dixiſſe: Niſi quis humiliaverit ſe ſicut hic puellus, non intrabit in regnum Cælorum.* Quibus ſane verbis humilitatem audientibus mirifice ingerit, ut Auguſtinus ait: *Eſto parvus in oculis tuis, ut ſis magnus, in oculis Dei.*

Hier. Matth. 18.

Met. in vit. Ignat.

Aug. ſer. 113 de temp.

2 Verum etſi quamplura hic ad rem ex Patribus in medium afferri queant, nunc ea duntaxat ad inſtituti noſtri propoſitum ſatis fuerint, quæ S. Hilarius his plane verbis inſinuat: *Munus & donum Spiritus Sancti per impoſitionem manus, & prædicationem, ceſſante legis opere, dandum erat gentibus. Vnde infantes gentis forma ſunt, quibus per fidem & auditum ſalus redditur.* Hæc eadem ex Hilario Hugo Cardinalis ibidem in Matth. congerit. Eadem fere egregie ad rem noſtram Beda in Marc. ediſſerit, hæc dicens: *Quod autem complectitur puerum, ſignificat humiles ſuo dignos eſſe complexu, ac dilectione, taleſque cum impleverint, quod præcepit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde; jure poſſe gloriari, & dicere: Læva ejus ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.*

S. Hilar. in vit. Mat. c. 19.

Hugo Card. in Matt. c. 19. Beda in Marc. c. 9.

Chriſti Domini lenitas parvulos ad ſe vocantis.

3 Ipſa igitur Chriſti imago miram ejuſdem lenitatem intuentibus manifeſte eloquitur, ac ultro commendat, cum Euangelicorum imbuta verborum coloribus, vel ut melius dicam, oraculis, his plane notis unumquemque ad Chriſtum evocando compellat: *Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum Cælorum*: vel ut alibi ſacræ ſcripturarum paginæ loquuntur: *Et cum ſimplicibus ſermocinatio ejus.* Sed dum ad alias imagines lynceis perſcrutandas oculis properamus, haud hic diutius cum parvulis ſubſtiſſe volumus.

CAP. X.

De Lazaro in vitam Chriſti juſſu revocato.

Lazari quatriduani fuſcitatio expenditur.

1 COemeteriales inter imagines, quæ multiplicis quidem generis ſunt, Lazari in lucem è tumulo redivivi ſymbolum à Chriſtianis frequentiſſime uſurpatum eſt; cum variis ac præcipuis nobiliſſima hiſtoria hæc arcanorum myſteriis decoretur, ut altius rem perſcrutando patebit. Et hominem quidem è dira mortis tyrannide vindicatum, & priſtinæ luci vocis duntaxat imperio mirabiliter redditum Claudianus poëta, vel quivis alius apud ipſum deſcripſit:

Lazarus è tumulo Chriſto inclamante reſurgit,
Et duræ mortis lex reſoluta perit.

En quam paucis grande Chriſti portentum Chriſtianus poëta perſtrinxit. Verum vivida, & haud obſcura, quæ ſub redivivo Lazaro latent, myſteria cum ad noſtrum pariter inſtitutum pertineant, eadem ſerio conſpicere, atque ob oculos contemplanda proponere

ponere sanctissimi Patres nullatenus destitere, præcipue autem Isidorus Hispalensis libro de differentiis id apprime præstitit, dum Lazari quatriduani symbolo mundum ac veterem hominem criminibus obnoxium, putridum sanie ac fœtore scatentem ad vivum præsignari affirmat, hæc autem ille in rem præsentem: *Lazarus*, inquit, *quem Dominus quatriduanum fætentem de monumento suscitavit, significat mundum, quem gravissime peccati consuetudo corruperat: qui tamen quarta die mortis resuscitatur. Prima enim dies est mortis tracta ex Adam propago mortis: altera dies mortis est; transgressio legis naturalis: tertius est dies mortis prævaricatio datæ legis: quartus dies mortis est, tempus Euangelicæ prædicationis, in qua die Dominus suum opus respiciens, misericorditer suscitare dignatus est.* Vides quanta Isidorus ex uno duntaxat redivivo homine mysteria Christianorum auribus delibat.

Per Lazarum quatriduanum mundus peccandi consuetudine corruptus significatur.

S. *Isid. Hisp. l. 2. de diff.*

2 Verum in sacris Cœmeteriorum speluncis Lazari potissimum resurgentis imaginem affabre olim coloribus expressam fuisse credimus, ad obtestandam nimirum animæ immortalitatem, nec non fidelium animis futuræ resurrectionis fidem altius ingerendam. Quamvis resurrectio quæ nostra respicit corpora, haud Lazari, sed ipsiusmet Christi resurrectioni respondeat, atque ab ea formam ac typum desumat. Lazarus enim moriturus iterum è sepulchro in lucem redivivus emersit: Christus vero vitæ semel immortalitatem nactus, exurgens *ex Mortuis*, ut Apostolus inquit, *jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur, &c.* quod item nobis potenti ejusdem Christi virtute, ut membra capiti assimilentur, ultro donandum, impertiendumque est.

Lazari resuscitatio immortalitatem animæ adstruit.

Rom. c. 6.

3 Quod autem Lazari in vitam reditus, præfixum nostræ symbolum resurrectionis existat, præ cæteris diserte Ambrosius de fide resurrectionis edocet, ubi isthæc: *Ostendit tibi Dominus etiam in Euangelio, ut jam ad exempla veniamus, quemadmodum resurgas: non enim unum Lazarum, sed fidem omnium suscitavit. Quid enim sibi vult, quod Dominus ad monumentum accessit, & magna voce clamavit: Lazare, veni foras, nisi ut futuræ resurrectionis specimen præstaret, exemplum daret? &c.* Porro resurrectionis nostre mysterium, ipsius Lazari resurgentis typo apertissime præsignari, ipsamet forma, qua ipse à mortuis in vitam redux perantiquis in tabulis describitur, veluti digito palam demonstrat. Puer enim quidam grandioris staturæ fasciis toto corpore circumligatus, atque obvolutus non in Cœmeteriis, ac Cœmeterialibus ipsis duntaxat Sarcophagis contemplandus objicitur; verum etiam hac nostra ætate sub hac plane forma in Transtyberina D. Cæciliæ Ecclesia conspicitur, & in veteri quoque Vaticana Basilica, in Ioannis Papæ VII. sacello sub ejusscemodi olim figura pennicillo adumbratus suspiciebatur, fasciis nimirum obvolutus in monumenti cujusdam quod tugurii instar elaboratum est, ostio pedibus subsistens; ante quem ipse Dominus pristinæ eundem vitæ redditurus perstat: qua plane ratione eundem sepulchralibus institis, ac linteaminibus circumligatum è monumento prosilientem Iuvencus poëta carminibus hisce eleganter describit:

Lazarus suscitatus symbolum resurrectionis.

D. Ambr. de fide resurrect.

Lazarus instar pueri ligatus institis, quid denotet.

Nec mora, connexis manibus pedibusque repente
Procedit tumulo, vultum cui linea texit.
Et totum gracilis connectit fascia corpus.

Etsi autem affirmare quis posset, Lazarum hujuscemodi sepulcrali habitu in Cœmeterijs pictum fuisse, non quod vere præmemorata imago puerum exhibeat, sed ut eumdem velut jam quatriduanum post mortem intra ipsius monumenti septa immutato vultu absque barba, membris omnibus primævo decore solutis, deformem, exsiccatum, atque enormiter compressum, quod cadaveribus plerumque contingit, intuentibus præseferat.

4 At vero si pictam demortui hominis imaginem ad allegoricum sensum pertrahamus, nobis procul-bio asserendum est, Lazarum velut recens natum novi formam hominis è sepulchro redivivum prodisse: quamobrem jure quedem optimo post adeptum resurrectionis beneficium pueri effigiem exhibens pictorum manu describitur, cujus plane nomen recentis vitæ privilegio auctus apud orthodoxos Patres sortitus est. Chrysostomus enim inter cæteros hac eum ratione appellat: *Et ad sorores*, inquit, *pueri, quas Lazaro crines sparsos per genas, &c.* Et alibi disertissimus vir fascias, quibus quatriduanus Lazarus in monumento obvolutus jacebat, cunabula, hoc est, ipsius pannos mystico quidem vocabulo appellat; ut rei nostræ propositum Beda quoque lib. de orthograph. satis eleganter edocet: *Cunabula*, inquit, *sunt panni infantiæ. Sed Ioannes Constantinopolitanus Episcopus scribit Lazarum in monumento cunabulis involutum.* hæc ille. Cur antem antiquis Christiani temporibus suos fasciis hujuscemodi defunctos obvolvere, sicque obvolutos sepulchro inferre solerent, congruentem utique mysterji rationem Tertullianus optime assecutus fuisse videtur, dum hujuscemodi involucra nascentibus pariter, ac mortuis idcirco exhibita olim affirmat, ut infantem vix editum subsecuturæ mortis terminum caute admoneant, cui sententiæ jam tum addictus est, ubi primum in lucem editus nascitur. Involucra igitur nascentis, prænuntia sunt morituri. Sed ipsum audiamus Tertullianum isthæc egregie, eleganterque perorantem: *Pannus*, inquit, *sepulturæ involucrum initiatus* (de infante recens nato loquitur) *Sic initio vitæ ipsius finis correspondet.* Hæc ille alludens ad memoratam hactenus mortuos fasciis obvolvendi consuetudinem.

Lazarus à mortuis excitatus puer dicitur.

D. Chrys. hom. de Laz. c. 3.

Beda de orthog. to. 1.

Tert. l. 4. c. 21. cont. Marcion.

4 Quod infantes autem recens nati fasciis obvolvantur, & multiplicibus quodammodo vinculis in earum calamitatum, quæ jam natis ab ortu nativitatis instant, constringantur, erudite quidem præ cæteris Plinius his verbis docuit: *Ab hoc lucis rudimento hominem vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: Itaque feliciter natus jacet, manibus, pedibusque devinctis flens animal, cæteris imperaturum, & à supplicijs vitæ auspicatur unam tantum ob culpam, quia natum est.* Cujus hic tibi iconem ex vetustissimo marmore Roma Antverpiam transmisso excerptam exhibemus.

Plin. in proœm. l. 7.



En igitur breve totius humanæ nativitatis, vel certe

certe potius infelicitatis compendium: à fasciis, à vinculis homo vitam auspicatur, & vita solutus funeribus item fasciis, ac linteaminibus in sepulchro veluti captivus mox includendus mortem salutat. Congruum enim est hominem ad sua principia redire, & unde vitam auspicatus fuit, inde supremum vitæ terminum pariter auspicari, & ut erudite Iacobus Chifletius ait: *Quemadmodum lucem auspicatus fuerat, ita & jaceret mortuus, nec tantum in cunis, sed & in sepulchro etiam vincula pateretur.* Et quidem; quod ad rem pertinent, Ægyptios in sepeliendis juxta morem hominibus, vinculis quondam usos fuisse Herodotus docet. Cadavera quippe condita è vicinis Cairo sepulchretis (è quibus Mummia peti solet) in nostras regiones allata similibus tæniis circumligata conspiciuntur.

Iacob. Chif. de lint. sepulc. c. 28.

Herod. l. 2.

5 At vero Lazarum velut renascentem fasciis ligatum fuisse, ac si recens editus infans cunis excipiendus foret, Ioannes Constantinopolitanus affirmat, dum *eundem in monumento cunabilis involutum appellat*; cui cohærenter quoque Basilius Seleuciæ Episcopus locutus est: eundem enim tanquam è sepulchro in lucem hanc natum, & cunarum fasciis præpeditum prodiisse enarrat, sed ejus hic verba subjiciamus: *Inde exsiliebat*, inquit, *mortuus, quatriduanus, mortis circumferens symbola, & cum expoliasset se morte, sepulchri stolam non mutaverat, sed adstabat cum fasciis mortuariis tanquam è sepulchro natus, & post partum ferens infantiæ fascias.* Et quidem Christus Dominus non in præsepio dumtaxat, sed & in monumento fasciis cæterorum instar ligatus est, ut sacræ Euangelii paginæ obtestantur, & nos supra lib. 1. meminimus, quod & Nonus manifeste verbis illis asserit.


Io Const. orat. in publ. Phar.

Apud Iacob. Chif. c. 28. de lint. sepulchr. Christ.

Tenuibus linteis circumdederunt mortui corpus,
Multiplici circumvolutionum fragrante vinculo
Vt mos est Iudæis sepulchrales ritus servare.

Sepulchralibus igitur fasciis Lazarus obvolutus in lucem confestim prodiit, nec enim fascias, ac linteamina, quibus captivus jacuerat intra monumenti carcerem, deseruit, sed secum in lucem festinus detulit, ne ullus morti triumphus ex jam mortui spoliis in resurgentis contumeliam suppeteret, quo argute Basilius his plane verbis contemplatur: *Aderat Lazarus, velut extemporaneum trophæum adversus mortem se proferens. Aderat ne infernum quidem relinquens hæredem fasciarum sepulchralium, ligatus prodiit: non enim pedes ferebant, sed gratia dederat alas.*

Basil. orat. de Lazar.



5 In præstitæ igitur resurrectionis testimonium linteamina Lazarus secum detulit, quæ tamen intra monumentum solus Christus resurgens, ad suam ejuscemodi spoliorum symbolo resurrectionem comprobandam deseruit. Linteamina quippe in sepulcro derelicta, teste Chrysostomo, Christi resurrectionem evidenter arguunt: si enim corpus à discipulis furto sublatum fuisset, quod tamen seniores Iudæorum somniantes calumniabantur, haud intra monumentum linteamina ablato corpore substitissent: fures enim linteamina, & sudarium in unum locum nullatenus, ut ait Sedulius, deponere curassent:

Chrys. ho. 84. in Io.

—— *Anne beati*
Corporis ablator velocius esse putavit,
Solvere contectum, quam devectare ligatum;
Cum mora sit furtis contraria. Cautius ergo
Cum Domino potuere magis sua vincula tolli.

Sedul. de Ch. resur.

Fictum igitur calumniantium Iudæorum insomnium mendacium fuit, quo veritatem obnubere, ora obligare, devincire animos satagebant: *Avaritia enim*, Augustinus inquit, *qui captivavit discipulum comitem Christi, captivavit & militem custodem sepulchri.* Sed hæc obiter de sepulchralibus fasciis enarrasse sufficiat.

9 Cum Christiani igitur quantumvis innoxii, utpote certæ jam morti persecutorum odio destinati, in Cæmeteriis passim delitescerent, convenirent, ibidemque sacras, recolendasque martyrum exuvias post eorundem certamina inferrent, redivivi imaginem Lazari jugiter lætis oculis, libentique animo suspicientes, inevitabilem insuper mortis sententiam, cui quisque ab ipso nativitatis primordio addictus est, & inconcussam resurrectionis spem constanter hac sibi proposita imagine protestabantur. Sed à Lazari monumento, cui diutius immorati sumus, pedem divertentes, ad triumphalem Christi Hierosolymam subeuntis pompam, si libet, progrediamur.

Differentia inter Lazari resurrectionem, & nostram.

CAP. XII.

De triumphali ingressu Christi Domini in Hierusalem.

Triumphus quidem iste, cujus nunc mentio recurrit, Christo ante passionem, immo ante victoriam à turbis Hierosolymitanis præter morem instruitur: ut quid ergo Chrysostomus ambientes triumphum, & coronam aucupantes inclamat: *Nullus*, inquit, *sine victoria poterit coronari: nemo miles sine prælio hostem subjecit: nemo sine bello imperatorem promeruit.* Ita plane unus præ omnibus Christus ante certamen vicit, & condignum sibi ante victoriam revexit ex hoste triumphum. Victor enim primum Hierosolymam intrat, qui olim è Cælo victor exierat: *Exivit, vincens, ut vinceret.* Festivisque interim vocibus, Hosanna, & victorialibus item palmarum ramis intra Vrbem novo triumphandi genere insignitus excipitur: mystice enim à turbis vel tum hujus triumphi negotium peragebatur, ut Ecclesia mysterium recolens, his verbis inculcat: *Intellexit illa hominum beata multitudo præfigurari, quia Redemptor pro totius mundi vita cum mortis principe esset pugnaturus, ac moriendo triumphaturus, & ideo talia, id est, palmarum ramos administravit.* Et mysticis item oraculis Christiani quondam ipsas inter Cœmeteriales cavernas ad certamen pro Christo, & una cum Christo se ad triumphum evocari intelligebant. Quamobrem festivus, ac triumphalis Christi Salvatoris ipso Palmarum die in regiam, augustamque Hierosolymorum Urbem adventus congrue pluribus quidem Cœmeteriorum locis affabre coloribus exprimitur: nec

Chrys. hom. 1. de mart.

Triumphus Domini figura resurrectionis, & ingressus in Cælum.

nec vero id ab antiquis Christianis futiliter adumbratum fuisse nobis credere par est; sed ad triumphalem nostræ pariter astruendum resurrectionis mysterium, postquam hic acriter cum morte conflixerimus; ut egregie Hildebertus Cenoman. Episcopus de præstito nobis Christi beneficio in antiquorum Patrum Bibliotheca his plane verbis adnotavit: *Porro beatus ille introitus, cælestis nimirum Hierusalem, de qua superius locutus fuerat, designatur per pueros Hebræorum: designatur per eosdem resurrectio dormientium beatorum. Ingrediente siquidem Domino in sanctam civitatem, Hebræorum pueri resurrectionem vitæ denunciantes, cum ramis palmarum clamabant.* Hosanna in excelsis. *Quid, fratres charissimi, quid aliud responsorio præsenti decantatur, quam futuræ resurrectionis qualitas, quam capacitas, & membrorum beatitudo sempiterna?* Vides, quam nobilis ac festivus in supernam Hierusalem post superata isthæc certamina nos triumphus exspectet. Vides, quam læti plaudentium chori cælestis Regni januas subeuntes excipiant: & his enarratis hæc infra subtexit: *Quid prænuntiant egressi de domibus pueri, nisi fideles egressuri de sepulchris? Quid occursu eo declaratur, nisi quod ait Apostolus: Nos qui vivimus, qui relinquimur, rapiemur obviam Christo in aera, & semper cum Domino erimus; &c.* Demum eadem Apostoli verba studiose expendens & mysteriis mysteria subtexens, isthæc in rem præsentem subdit: *Erimus quidem cum Domino, si nos Dominus non spiritu, sed malitia pueros invenerit, si palmas in manibus, si flores adspexerit.* Et denique rem totam grato verborum compendio, veluti corona complectens, triumphalem resurrectionis nostræ pompam Christo Domino evocanti occurrentem his plane verbis describit: *Venienti ergo Salvatori*, inquit, *pueri cum palmarum ramis occurrisse memorantur; quia venturo ad judicium Christo egressi fideles de sepulchris vitiorum apparere præmonentur.* hæc ille.

Bibl. patr. to. 3.

Bibl. patr. ubi sup.

Triumphus Christi solamen, ac lætitia Christianorum.

6 Congruis igitur rationibus, & validis ad resurrectionis futuræ spem argumentis permoti primævi Christianæ fidei cultores, cum multiplicibus jugiter ærumnarum molestiis divexarentur, & ex ipsomet terrarum orbe profugi inter tenebras noctuarum instar latitare, tutumque ibidem ab infestantium impetu locum perquirere cogerentur, augustissimum hunc Christi trumphum, quo cum morte dimicaturus, variisque acerbissimarum pœnarum contumeliis afficiendus, ab Hierosolymitanis tamen turbis festivum in morem exceptus est, memoria repetentes, se quoque post tartareum devictum hostem, & haud alieno, sed proprio sanguine purpuratos, in beatum supernæ patriæ sinum pari quoque triumpho, & Angelorum excipientium plausu recipiendos fore nullatenus dubitarent. *Christus enim*, ut Cyprianus ait, *qui pro nobis semel mortem vicit, semper vincit in nobis.* Illud item Cypriani vel tum maxime cum ad martyria, & necem quærerentur, probe meminerant, ad triumphos videlicet & coronas tormentorum ictibus aditum sibi patefieri. *Ne vereamur*, inquit ille, *occidi, quos constat, quando occidimur, coronari.* Quid ergo tunc Christianus expavesceret, cum se ad carceres, & ad carnificinam rapi videret, quandoquidem tunc divinitus post prælia triumphus, post certamen corona, Ambrosio teste, parabatur: *Si quando igitur*, inquit, *tentaris, cognosce quia corona paratur.* Sed de triumphali Christi ingressu hæc paucis delibasse visum est.

S. Cypr. l. 2. ep. 6. ad mart. conf.

Cypr. ep. 56.

Ambr. in Psal. 118.

CAP. XII.

De Christi Domini supra montem Consistentis imagine, ex quo flumina quatuor emanant.

1 HAud celeberrima dumtaxat Christi Salvatoris nostri gesta, atque admiranda operum ejusdem, quæ in Euangelicis paginis coruscant, portenta, in Cœmeterialibus tum Cubiculis tum Sarcophagis antiquæ probatæque fidei Patres fidelium oculis objicienda curabant; sed ipsummet Christum multiplicibus quidem formis sapienter effinxere, ac mysticis typum ejusdem modis, ac symbolis sæpe sæpius contemplandum intuentibus proposuere: quapropter artificio quodam interdum usi illum præsertim pingendi morem in adumbranda Christi imagine tenuerunt, ut excelsum supra montem eumdem stantem affabre delinearent, ex quo subinde flumina quatuor emanabant, quibus illa quatuor plane Paradisi quæ scripta sunt, designari videbantur, de quibus item Genes. 2. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Præmemoratis autem fluminibus, quæ ad universæ superficiem terræ irrigandam jugiter fluunt, sacrosancta sermonum Euangelicorum fluenta mystice prænotari, una eademque est fere omnium Patrum sententia: quod etsi, ut primum numerus ipse mysterio apte respondeat, à sacris quatuor scriptoribus Deo suggerente exaratum est, unum tamen, idemque omnino esse, nec ullam scriptorum multiplicitate differentiam, ac varietatem pati jure quidem optimo, ac sano orthodoxorum omnium sensu pronuntiari potest: Euangelium enim ab ipsomet Christo Domino, qui sinum omnimodis affluentem deliciis exhibet, ac totius voluptatis paradisum credentibus præsefert, divinitus emergit ac totum subinde terrarum orbem quatuor eorundem Euangelistarum ministerio salubri irrigatione percurrit.

Flumina ex monte, cui Dominus insistit emanantia eorumque mysteria.

Gen. c. 2.

2 Sed ne mysticæ ejuscemodi, quam nuper attulimus, expositioni Patrum auctoritas desit, consulat quæso studiosus lector disertissimum inter Patres Cyprianum, qui rem hunc quidem in modum edisserit: *Hinc egredientia quatuor Euangelii flumina per universum mundum regenerationis evehunt lavacrum.* Et Epistola item, quam ad Julianum conscripsit, isthæc interserit: *Has arbores rigat quatuor fluminibus, id est, Euangeliis quatuor, quibus baptismi gratia salutaris cælesti inundatione largitur.* hæc Cyprianus. Idem plane Theodoretus affirmat in illa prophetici Regis verba: *Fluminis impetus, &c. Fluvium*, inquit, *hic Euangelicam prædicationem nuncupavit: sicut enim Paradisi fons in quatuor flumina divisus est, eodem modo hic Dei fluvius infinitos habuit, & innumerabiles rivos, qui percurrerunt omnes hominum gentes.* Eidem quoque S. Eucherius in Genes. mirifice his plane verbis adstipulatur: *Quatuor Paradisi flumina, quatuor sunt Euangelia ad prædicationem cunctis gentibus missa.* Cui pariter sententiæ S. Isidorus super Genes. totidem plane verbis apte in rem præsentem subscribit, quamvis quatuor iisdem fluminibus quatuor etiam præcipuas, & cardinales quas dicunt virtutes prænotari velit, hæc subdens: *Quatuor flumina quatuor virtutes, Prudentia, Fortitudo, Iustitia, Temperantia.* Sed his omnibus Ambros. in sacris elucidandis scripturis admodum lynceus accedit, qui exposi-

Euangelistæ fluminibus quatuor Paradisi terrestris æquiparati.

S. Cypr. tract. de ablut. ped.

Id. ep. 73. ad Iulian.

Psal. 43. Theodoret.

S. Euch. in c. 3. Gen.

Quatuor flumina Paradisi quatuor virtutes Cardinales significant.

S. Isid. in c. 3. Gen.

Amb. in Psalm. 45.

Anast. Sinait. l. 8. in Exod.

expositione in Psalm. 45. id expresse demonstrat. Anastasius vero Sinaita synagog. contemplat. in Exod. lib. 8. hæc addit: *Fluvius egreditur ex Edem ad irrigandum paradisum Ecclesiæ, &c. Quodsi etiam*

Flumina egredientia ex Paradiso dona Spiritus S. designant.

quæris quatuor initia illuminationis S. Spiritus, scias eum esse, qui est locutus in Iustis, qui fuerunt ante legem: similiter secundum in lege: tertium in Prophetis: deinde etiam quarto ordine in quatuor fluviis Euangelistarum. Nec prætereundus interim est Beda, qui quatuor hisce fluminibus, quatuor Euangelistas subintelligendo hæc habet: *Quatuor paradisi flumina quatuor Euangelistæ: de quibus in Esdr. cap. 5. exposit. Allegor.* sic ait: *Qui ab uno fonte vitæ, id est, Domino Salvatore inspirati, & consona voce gentibus cunctis lavacrum salutis prædicant.*

Bed. Gen. c 2. Id. in c. 5. Esdr.

Fluvius Paradisi symbolum prædicationis Euangelicæ. *Innoc. Pap.* III.

Demum Innocentius Papa Tertius præmemoratorum quatuor fluminum symbolo Apostolicam divini verbi, ac ipsius Euangelii prædicationem præsignari asseverat: *Allegorice vero*, inquit, *fluvius, qui de loco voluptatis egreditur, est Euangelica prædicatio, quæ de Domino Iesu Christo procedit, qui est fons vitæ, &c.* Subinde vero sermone primo, quem in festivo S. Gregorii Papæ die inscribit, sacris eisdem fluminibus, divinarum fluenta scripturarum prænotari his verbis affirmat: *Fluvius*, inquit, *inde progrediens est sacra Scriptura, quæ per Spiritum sanctum est edita, & exposita. Sicut enim fluvius ille dividitur in quatuor capita, sic Scriptura sancta in quatuor species, historiam, allegoriam, anagogen, & tropologiam.* hæc ille.

Id ser. in laud. S. Greg. Pap.

S. Scriptura quatuor continens sensus per quatuor flumina Paradisi significata.

2 Sapienti igitur animi consilio Christiani, quorum spes omnis sacris Euangeliorum oraculis inhæreret, permoti, ex his enim perennis vitæ fontem jugiter hauriebant, sapienter, inquam, Christum Dominum uberrima Euangeliorum terrarum orbi fluenta derivantem pingebant, quo omnis deinde quantumvis arida terræ facies salubriter irrigaretur, & in ipsismet fidelium cordibus *fons aquæ fieret* (ut ipsemet in Euangelio Christus ait) *salientis in vitam æternam.* Sed mysticis interim fluviis perlustratis, ut sacræ antiquitatis perscrutandæ sitim expleamus, anhelantes ad alia properamus.

CAP. XIV.

De sacra Christi Domini gemmatam Crucem præferentis imagine.

Crux Christi fundamentum religionis Christianæ.

1 QUoniam *sacramento Crucis Christi*, ut sanctus ait Leo, *Christiana religio fundata est*, quod probe tum antiqui Ecclesiæ Patres noverunt, tum ipsemet Christus in Euangelio fidelibus palam enuntiando illis sæpe sæpius verbis edixit: *Qui vult*, inquit, *venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me. Et qui non bajulat crucem suam, &c.* Hinc optimo sane consilio in plerisque Subterraneæ Romæ Cubiculis, ac Cœmeteriorum Sarcophagis, ipsius Christi Domini, vel certe Petri, aut aliorum martyrum manibus gemmatam Crucem veluti pretiosum quoddam salutis humanæ vexillum pariter, ac symbolum aptabant; ut videlicet qui nuper ad illibatam Christi fidem accesserant, & tamen tanquam oves occisionis (ut Psalmista ait) à venaticis canibus ad carnificinam jugiter inquirebantur, ubi Crucem tam splendide coruscantem, & tam preciosis, decorisque præfulgentem lapillis in Cœmeteriorum abditis viderent, se proculdubio vel ipsas inter contumelias, ac insectantium probra, quæ Christum confitentibus in dies suppetebant, locupletissimos tamen computarent, nec se minori ambitu inter adversa respicerent, quam si gemmarum monilibus, atque auro onustos inter prospera quæque suspicerent. Ac res ejuscemodi oculis intuentium ac animis objecta illud solicite invictos pugiles præmonebat, ut prompto, libentique animo crucem tollerent, quam ipsemet Dominus ejusdem trunco suffixus, sacri contactu corporis, & illibati liquore sanguinis pretiosam, fulgentem, optabilemque reddiderat, velut jure merito triumphale Crucis vexillum erigens canit Ecclesia: *O Crux splendidior cunctis astris.* Et Andreas Apostolus ipsummet patibuli truncum festivum in morem, lætisque vocibus à longe salutans exclamasse legitur: *Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus margaritis ornata: O bona Crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, &c.*

Crux gemmata.

Act S Andr. Ap. Lect. Brev. Rom. die. 30. Dec.

Crux gemmis, & auro interstingui quando cœperit?

2 Præmemorata igitur sacrosanctæ Crucis præconia, quæ ipsiusmet Andreæ Apostoli voce jugiter personant, Christiani haud verbis duntaxat, sed facto comprobantes, cruces ex auro construere, conflare, & pretiosis quibusque easdem lapillis ab ipsis fere Ecclesiæ primordiis pia, studiosaque manu exornare cœperunt: ut plerique ex antiquis Patribus testantur, sed unus præ omnibus divino ore Chrysostomus, ubi de Crucis adorat. sermonem instituit, & alibi. Sed sanctorum interim Patrum sententiis posthabitis, præstat hic in studiosi lectoris gratiam nonnulla, quæ ad antiquam ejuscemodi consuetudinem attinent, exempla subtexere. In actis igitur Concilii Niceni hæc de Procopio præclari nominis martyre, leguntur: *Stephanus Dei amantissimus diaconus, & Referendarius S. Secreti legit: ex martyrio beati Procopii, cujus initium: Per eadem tempora Regnum obtinebat Diocletianus tyrannus, inter cætera: Neanias, id est, Procopius gaudio magno perfusus, & fide audens rem bene gessit, similiter illius omnes comites: ea autem nocte cum militibus reversus est. Venit autem Scytopolim, & omne sodalitium auri fabrorum, & argenti fusorum convocans interrogavit eos dicens: Potestisne mihi facere vos aliquod, quod ego tradam vobis? Illi vero hominis austeritate deterriti, communi consilio statuerunt apud illum unum ex omnibus; quem optimum artificem existimabant, nomen illi Marcus erat, dicentes: Si quis est, qui voluntati tuæ Domine satisfaciat, hic erit, &c. Marcus autem nequaquam obedire volebat juveni. Persuasit tandem is dicens: Hoc mysterium Regi usque ad vitam nunquam revelavero. Persuasus itaque Marcus in abdito ex auro & argento noctu Crucem fabricavit.* Vides, amice lector, gloriam Crucis, jam tunc enim ejusdem signum inter persecutionum tenebras emicare cœpit, & crux quæ auro & argento preciosior est, ipsimet auro atque argento pretium pariter ac splendorem hoc nobili superinducto signo conciliat. Sed reliqua, quæ ad Crucis decorem augendum pertinent, prosequamur. *Cum autem opus consummatum erigeretur, tres in eo imagines apparuerunt. Scriptum autem erat Hebraica dialecto in superiori parte Emmanuel, & utrinque in summitate alarum Michaël & Gabriel. Voluit autem Marcus sibi timens expungere imagines, verum non potuit; confestim manus illius sicca permansit. Sub gallicinium autem dux, qui dicebatur Neanias, ad ædes Marci, quo Crucem auferret, properat; videns autem illam protinus adoravit. Ait autem ad Marcum: Quæ sunt eæ personæ; quæque hæc inscriptio? Domine, in qua hora Crux à me erigebatur, imagines istæ per se enatæ sunt, neque ego cognosco quænam, aut cujus sit inscriptio,*

Chrys. l. de ador. Cruc.

Conc. Nic. 2. Act. 4.

Procopius Crucem ex auro jubet fieri.

In ea tres imagines divinitus insculptæ apparent.

ſcriptio. Neanias vero cognoſcens virtutem quandam in his eſſe, adorata Cruce, Marco artifici copioſam mercedem ſolvit, profectuſque eſt in civitatem ſuam. Hic autem nobili pro fide martyrio ſub Diocletiano coronatus eſt anno Chriſti 308. ut ex Baronio Annal. to. 3. videre eſt.

Martyrium S. Procopii.

Baron. in Ann. Eccl. to. 3. an. 308. Sur. to. 6. dec. 13.

3 In eadem item Diocletiani perſecutione admirandum extitit impertitum ſanctiſſimæ Crucis ſigno ab Oreſte milite præclaræ virtutis viro obſequium, anno ſalutis 311. de quo iſthæc Surius enarrat: *Dux ſceleratus,* Lyſias nempe, *exivit in campum, ut exerceret exercitum, cum autem recenſerentur, unuſquiſque oſtentabat ſuam in armis experientiam duce contemplante: quidam vero Oreſtes nomine vir procerus, & forma decorus ad nomen vocatus, & ordinem Lyſiæ adſtitit. Cum Lyſias autem ejus laudaſſet ſpeciem, & verum appellaſſet militem, juſſit pilum torquere ad ſcopum. Cum is vero manum direxiſſet, & arma concuſſiſſet, quæ ab eo in pectore ferebatur Crux aurea, è veſte ejus excuſſa extrinſecus apparuit, ita ut omnes eam cernerent, & ipſe etiam Lyſias: ſtatim autem adductus ſtetit prope ducem, & cum manu Crucem accepiſſet Lyſias, rogavit quidnam hoc eſſet?* Condignum quippe Chriſtiani pectoris ornamentum pariter, ac munimentum Crucis tutelare vexillum à Chriſtianis jugiter habitum eſt. In præmemoratis autem actibus prolixa ejuſdem martyrii enarratio, quo vir beatiſſimus in agone feliciter conſummatus eſt, ſubtexitur.

S. Oreſtes miles Crucem auream collo appenſam portat, quæ illum Chriſtianum prodit.

4 Inſigne itidem in Hiſpanorum chronicis ſub anno Chriſti 791. recenſetur exemplum, quod & à Baronio to. 9. eodemque anno his plane verbis deſcribitur: *Decoratur etiam orientalis Eccleſia angelici miraculi novitate. Dum enim quadam die Rex Alphonſus haberet caſu coram ſe pondus auri ſplendidiſſimi, & quoſdam lapides pretioſos, cogitare cœpit intra ſe, quomodo ad opus divini altaris inde Crux fieri poſſet, ita ſancta devotione Regis exiſtente. Cum poſt auditam Miſſam à templo noſtri Salvatoris regale palatium peteret, obviam habuit duos angelos in figura peregrinorum, qui ſe aurifices eſſe dixerunt. Rex autem Alphonſus illico tradidit eis aurum & lapides, & juſſit illis dari domum, in qua poſſent ſine impedimento hominum operari.* Vides interim nobile Angelorum præſtitum conflandæ Crucis obſequio miniſterium. Ad cætera proſequamur: *Sed Rex dum pranderet, ad ſe reverſus, quibus perſonis dederit aurum, inquirit, & ſtatim unum poſt alium legatum miſit, uti viderent, quid ignoti artifices agerent. Iam miniſtri domui fabricæ accedebant, cum ſubito tanta lux intra domum reſplenduit, ut non poſſent eam oculi humani aſpicere præ nimia claritate. Et cum nuntiatum Regi fuiſſet, cito accurrit ad domum, & crucem ſolam ſine artificibus reperit, atque totam domum ſicut ſole irradiatam. Rex autem accipiens benedictam Crucem, convocato omni clero, cum laudibus, & hymnis Deo gratias agens, eandem ſuper altare ſancti Salvatoris reverenter poſuit.* Audis ex hoc ambitioſas ſupernorum civium manus in Crucis efformando ſigno elaboraſſe, & erga victoriale Chriſti ſymbolum, promeritumque ſigno ſalutis cultum hominibus præmonſtraſſe.

Alphonſi Hiſpaniæ Regis erga Crucem pietas. *Bar. an. 791. to. 9.*

Angeli in ſpecie aurificum Crucem auream Alphonſo conſtruunt.

5 Nec vero hic ulla ratione reticendum eſt, quod ex Sigiberto ipſemet Baronius hiſtorice in ſuis Annalibus in hæc verba retexit: *Vaſatenſi,* inquit, *urbe ab Hunnorum obſidione liberata per divinum auxilium, cum Epiſcopus pro gratiarum actione Miſſam populo celebraret, reſpiciens rurſum vidit ſuper altare, quaſi de camera templi cadere æqualiter tres guttas æqualis magnitudinis cryſtallo clariores, quæ ſimul defluentes in unum conjunctæ, quaſi unam gemmam pulcherrimam effecerunt, quam cum in medio crucis aureæ poſuiſſent, aliæ gemmæ ceciderunt: ſeorſum vero poſita infirmis dabat ſanitatem: adorantibus vero imaginem ſanctæ Crucis augebat devotionem, quia piis, & mundis clara, immundis obſcura videbatur.* hæc in rem præſentem Baronius. Complura autem exempla his ſimilia ſunt, quæ à nobis pro recolenda hujuſcemodi conſuetudine afferri in medium poſſent, ſacras nimirum ex auro cruces efformandi: ſed hæc pauca interim ad inſtituti noſtri propoſitum enarraſſe voluimus.

Baron. to. ... an. 541.

Gemmæ in ornamentum Crucis divinitus ... unt.

6 Illud autem fatendum nobis eſt, nullatenus ante feliciſſima Conſtantini Magni ad fidem traducti tempora Crucem publicæ populorum venerationi expoſitam fuiſſe. Id enim primus ille, poſt devictum Maxentium, & potenti ſanctiſſimæ Crucis virtute profligatum laudabiliter præſtitit, cum in ipſomet Romani fori umbilico ſuum erigi juſſit ſimulacrum, quod victoriale Crucis vexillum manu præſeferebat, nobili hoc inſuper inſcripto titulo:

Crux quando publicæ populi venerationi expoſita fuerit?

Bar. to. 3. an. 312.

HOC SALUTARI SIGNO
VERO FORTITUDINIS JUDICIO
CIVITATEM VESTRAM
TYRANNIDIS JUGO LIBERAVI;
ET S.P.Q.R. IN LIBERTATEM
VINDICANS PRISTINÆ AMPLITUDINI;
ET SPLENDORI RESTITUI.

Quod autem Crucis vexillo partam ex tyranno victoriam adſcribi voluerit, illud in cauſa eſt, quod antequam dimicaturus, prope Urbem cum hoſte ſigna contuliſſet, ſalutari ſigno in aëre ſibi præoſtenſo, his notis ad ſubeundum viriliter certamen, certo triumphi omine incitatus eſt: *In hoc ſigno vince.* Collis autem, qui vulgo *Mons Marii* dicitur, ejuſdem trophæis olim conſpicuus, amplioribus Conſtantini Auguſti triumphis nobilitatus, Crucis adhuc victoriam eloquitur: ibi enim ædicula olim in Crucis honorem erecta perſtat, idemque collis vulgo, *Crucis Montis Marii* nomine appellatur. Quod autem Crucis potentia triumphus iſte revectus fuerit, ex notis ipſis, quibus triumphalis Conſtantini Arcus juxta Titi Amphitheatrum inſcriptus eſt, legentibus evidenter patet. Senatus enim, Populuſque Romanus partam haud inanibus Diis, uti mos erat, victoriam adſcripſit, ſed ut Conſtantino obſequeretur, eam divinitus obtigiſſe confeſſus eſt, ne Chriſto videlicet totus ille honor palam cederet, & Chriſtianorum religio jam pedem in Urbe fixiſſe videretur; his igitur notis inſculptis, & ſibi & Imperatori Senatus conſultum voluit, videlicet: *Inſtinctu Divinitatis.* Conſtantinus autem ad amplificandum ſalutiferæ Crucis cultum nil antiquius habuit, quam ſacroſanctæ Crucis ſignum ubique erigere, erectumque Urbis munimento dicare. Quapropter in auguſtiſſimis Apoſtolorum Petri & Pauli ſepulchris Cruces aureas, ut jam ſupra diximus, reponi curavit; quinimmo & in ſuo Conſtantinopolitano Palatio auream Crucem pretioſis undique gemmis refertam effingi præcepit, quod Euſebius his plane verbis refert: *Tantus item & tam divinus amor Imperatoris animum complexus eſt, ut in ipſo palatii introitu in ædificio omnium excellentiſſimo in medio tecti laqueari inaurato in tabula maxima explicata ſalutaris paſſionis inſigne ex lapillis pretioſis cujuſque modi, auroque multo polite elaboratis confectum fingendum curavit.*

Conſtantinus victoriam de Maxentio virtute Crucis reportat.

Euſ. l. 3. c. 4. vit. Conſt.

Crux in variis locis à Conſtantino erecta.

7 At

Cruces Stationales.

7 At Constantinum Imperatorem piissimum cæteri deinde Christiani principes pari pietatis ardore æmulati sunt. Inter hos autem præcipue extitere summi Pontifices, qui ejuscemodi Cruces Stationales olim dictas in Ecclesiis super altari reponere, & in publicis supplicationibus solemni ritu deferri voluere, quod maxime Prudentius ad Urb. Rom. lib. contr. Symmachum his carminibus enarrat:

Prud. l. 1. cont. Symmach.

Agnoscas Regina libens mea signa necesse est,
In quibus effigies Crucis, aut gemmata refulget,
At longis solido ex auro præfertur in hastis.

Sed præ cæteris locupletissimus hujus rei testis est Anastasius in descriptis Pontificum eorundem gestis: cuncta vero, quæ ad rem pertinent, longum nimis, ac supervacaneum foret hic singillatim recensere.

Crux olim probrosa nunc gloriosa. Bar. to. 4. an. 395. n. 9. Chrys. lib. de ador. cruc.

8 Hac igitur de causa, ut vides amice lector, pretiosæ olim solerti peritaque artificum manu Cruces efformabantur; *ut scirent omnes*, inquit Baronius ex Chrysostomo de adoratione Crucis, *Crucem fontium olim suppliciis infamatam, ipso visu horrendam, ore nefandam, & horrore cavendam, ex quo eam pro salute hominum Christus Redemptor noster sponte subjit, jam fuisse redditam fulgentem, decoram, pretiosam, atque gloriosam*; pari quoque ratione spiritualem Crucem id est, intimam suimet ipsius abnegationem, quam Dominus sectatoribus suis amplectendam injunxit, pretiosam jure merito dici posse quis non videat, ob æternam videlicet gloriæ mercedem & præmiorum spem, quæ adversa hujus vitæ perferentes indubitanter exspectant. *Pretiosa enim* (ait Psalmista) *in conspectu Domini, mors Sanctorum ejus.* Hinc est quod in marmoreo præ cæteris ipsius Probi Sarcophago, ut apud Vaticanam Basilicam videre est, Christi Salvatoris Crucem auream gemmis affabre exsculptam præferentis imago adumbretur: cavebatur enim à Christianis ejusmodi facto, ut ipsius ignominiam Crucis atque horrorem, quem intus hausisse videbatur, ex hominum animis omnimode abolentes, decoram ejusdem faciem, ac plane desiderabilem intuentibus exhiberent.

Psal. 115.

Christiani igitur latentem Dominicæ Crucis decorem lynceis oculis aspicientes, haud hanc ultro divina ope muniti subire reformidabant, sed Christi potissimum exemplo excitati, qui Crucis vexillo tartarum subegerat, & triumphum Stygio ex hoste revexerat, haud Crucem, ut perpetui dedecoris notam, & reorum insigne, sed velut nobilissimum triumphi vexillum, & salutis humanæ symbolum toto animi ardore complectebantur, quippe qui ea potissimum mente repetebant, quibus deinde Augustinus condignis ipsiusmet Crucis gloriam laudibus cumulavit: *Attende*, inquit, *gloriam Crucis ipsius, jam in fronte Regum Crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt: effectus probavit virtutem. Domuit orbem non ferro, sed ligno.* Sed de his hactenus, cum divinum Christianæ fidei, quod in Cruce rutilat, mysterium silentio magis præstet, quam vocis obsequio personare.

Aug. in Ps. 54.

CAP. XV.

De veneranda Christi Domini Virgam manu præferentis imagine.

Virga signum Regale.

1 MUltiplicibus quidem modis veneranda Christi Domini Salvatoris imago pia fidelium manu coloribus exprimi consuevit. Interdum enim ipsemet Dominus virgam manu gestans affabre pingitur: quod sane peculiaribus neutiquam vacare mysteriis sapientissimi Patres à Spiritu sancto edocti existimarunt. Hoc enim est, quod Regius Propheta olim in Psalm. prædixerat: *Virga directionis, virga regni tui.* Quocirca & Eusebius, *Virgam* ait *regale signum existere*, illud insuper concinne in rem præsentem adjiciens: *Virga Domini, Regni significatio, vel correptio disciplinæ est.* Idem plane, conceptisque ad rem nostram verbis S. Isidorus affirmat: *Virga*, inquit, *est verbum directum, regale, plenum potestatis, insigne Imperii.* Verum Cassiodorus eisdem mirifice adstipulatur, dum illa Psal. 2. verba dilucidans, *Reges eos in virga ferrea, virga*, ait, *potestas regalis significatur.* Et illa item Psal. 42. verba explanaturus: *Virga directionis, virga Regni tui*, hæc habet: *Hanc enim virgam regii honoris, & insigne sceptrum dicebat antiquitas, designans in ea virtutem Regem Dominum Salvatorem.*

Virga signum correptionis, ac disciplinæ. Psal. 44. Eus. serm. c. 4. Isid. in gloss. Exod. c. 7. Psal. 2. Cassiod. in Ps. 2. & Ps. 42.

Sed miro ingenii acumine altiora mysteriorum arcana Petrus Galatinus attingens, virgam, quæ in ipsius Domini dextera locata est, eundem Messiam præsignare ait. Sed ejus hic quæso verba excipiamus: *Rabbi Kimhi in libro Scerasim ita de Messia ait: Vocatur Messias Princeps, & Dominator. Mos enim dominantis est, ut sit virga in manu ejus: & quia virga disciplinæ plebis in manu ipsius erit, ideo Mehokec etiam dicitur, quod scribam significat.*

Virga insigne Messiæ. Petr. Gal. l. 4. c. 4.

2 Sacerdotalis quoque, & Pontificia dignitas, ejusdemque munus virgæ symbolo prænotari idem, qui supra, asserit, quod Guilielmus Durant. his plane verbis affirmat: *Virga pastoralis potestas intelligitur sacerdotalis, quam Christus ei contulit, quando Apostolos ad prædicandum misit, præcipiens eis, ut baculum tollerent. Quod erudite admodum ipsemet Innocentius III. edocuit ex verbis Psalmi 22. Virga æquitatis, virga regni tui, nimirum virga Pontificis Christi potestatem significat.* Et hæc enarratis hactenus subdit: *Verum potestas Christi non solum virga, sed baculus est, quia non solum corripit, sed etiam sustentat. Unde & psalmus: Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* At vero virgam, & baculum ita plerumque hac super re differentes Orthodoxi Patres accipiunt, ut unum idemque sub multiplici nomine designari pronuntient. Quapropter Cassiodorus loco quem supra citavimus, de utrisque agens sic ait: *Hæc virga est, quæ constringit ad vitam. Hoc baculum, quod continet imbecilles. Hoc sceptrum, quod de mortuis vivos facit.* Et in Psalm. 22. *Virga pertinet ad justitiam, & fortitudinem Domini Salvatoris.* Demum Gloss. in Exod. cap. 7. virgæ symbolo doctrinam prænotari his plane verbis affirmat: *Per virgam doctrina significatur: eo quod antiquitus in signum doctrinæ à doctoribus portabatur. Cum igitur Dominus Deus noster, Regum Rex, summus Sacerdos, doctorque sit noster, merito cum virga regia, sacerdotali, magisterialique repræsentabatur.* Virga igitur velut regale sceptrum, & Regii, ac Sacerdotalis item muneris insigne, dum Christi manibus aptatur, haud obscura intuentibus mysteria propinat. Ex quibus profecto altius rem contemplantibus palam fit, quorsum Christiani olim Christum manu virgam præferentem frequenter in Cœmeteriis pingerent, ut æterni videlicet Sacerdotii ejusdem potestatem inter conspiciendum meminissent, & opportuna auxiliantis Dei subsidia his, qui velut viribus imbecilles ad ferenda legis onera minus idonei

Virga potestatem sacerdotalem significat. Guil. Durant. Rat. diu. off. l. 3. c. 15. Innoc. 3. l. 1. myst. miss. Cassiod. Cass. in Ps. 21. Gloss. in Exod. 7. Virga symbolum doctrinæ.

nei haberentur, haud unquam defutura hujusce-
modi præmoniti symbolo intelligerent. Sed de his hactenus.

CAP. XVI.

De Christo Domino volumina manu præferente.

1 CHristianis sub hac item typica forma Christum Dominum Cœmeterialibus in tabulis interdum exprimendi mos extitit, ut volumen quoddam manu gestaret; nec istud quidem symbolum mysterio vacuum pronuntiandum est; ut mox explanabimus. Verum enimvero cum volumina, quorum sermo recurrit, alia quidem complicata ac involuta, alia vero patentia, apertaque coloribus adumbrari contingat, nunc singula nobis diligenter pro viribus elucidanda sunt. Sacras vero inter imagines nonnunquam ipsemet Christus Dominus volumen quoddam explicitum adstanti humiliter Petro exporrigens repræsentatur. Cujus quidem rei mysterium eruditissimis rationibus edisserens Gulielmus Durant. explicat, atque illud potissimum adnotat, Patriarchas videlicet & Prophetas unà cum involutis rotulis pingi antiquitus consuevisse: *Quia nimirum ante Christi adventum fides*, inquit ille, *figurative ostendebatur, & quoad multa in se implicita erant. In manibus ergo Domini expansum videtur volumen tradi Petro, quia Apostolis, ut habetur Lucæ 24. aperuit sensum, ut intelligerent scripturas.* hæc in rem præsentem erudite Durant. Expansum item, quod pictura exhibet, volumen ad illum mystice librum referri videtur, cujus intima quæ latent, immaculati duntaxat ministerio Agni Joannes Apostolus in Apocalypsi reserata fuisse pronuntiat.

[Margin: Volumina involuta & explicita quid significent? — Guliel. Durant. Rat. l. 1, c. 3. — Luc. c. 24. — Apoc. c. 5.]

2 Porro ut de aliis item multiplicibus voluminum formis edisseramus, plura quoque alicubi volumina in cistis ad ipsius Domini pedes locata affabre coloribus exprimuntur, quæ si librorum sacrorum pagina, præsignare dixerimus, haud ullum inde absurdum consequetur quod minus veritati consonet; tum maxime cum octo in nonnullis Cœmeterialibus tabulis picta volumina exhibeantur, quæ octo canonicos videlicet, receptosque unanimi ab Ecclesia consensu sacrorum bibliorum libros mystice innuant, juxta id quod Hieronymus in Prolog. Galeat. in lib. Reg. prolixius edisserit. In aliis vero, quæ interdum occurrunt, imaginibus tredecim numero delineati conspiciuntur, quæ quidem recolenda volumina, quinque primum à Moyse digestos, & octo subinde Prophetarum libros juxta summariam præhabitamque à Sixto Senensi distinctionem commode præsignare intuentibus quærunt. Interdum quoque veneranda Christi imago unà cum panibus intra cistas ad ejusdem pedes positas visitur: quandoque vero efficti in ipsismet manibus panes exhibentur; de quibus supra prolixe satis, dum opportuna rei suppeteret occasio, disseruimus. Apto igitur Christiani symbolo, quippe qui sacrarum jugiter, ut par est, scripturarum oracula venerabantur, è quorum promptuario divinorum arcana mysteriorum haurire fas est, cum Deum conscriptarum paginarum auctorem mente recolerent, ac fide tenerent, omnis quippe veritas, quæ Catholicæ Ecclesiæ quovis tempore Spiritu Sancto edocente innotuit, revelata à Deo est, merito Salvatorem Christum Dominum, quem velut æterni Dei Filium & Patris Verbum noverant, & Deum quoque sciebant, tanquam totius Euangelicæ doctrinæ assertorem, promulgatoremque unà cum voluminibus eumdem symbolice exprimebant. Sed hæc interim lectori prælibasse satis sit.

[Margin: Volumina imagini Christi apposita quid denotent? — Hier. in Prol. Gal. in Reg. — Sixt. Sen. ... p. 4.]

CAP. XVII.

De imberbi Christi Domini Imagine.

1 CUm fere singula, quæ à Christianis quondam intuentium oculis objiciebantur, peculiaribus mysteriis imbuta sint; indè fit, ut haud otiose in antiquis plerumque Cœmeterialibus tabulis Christianorum studio elaboratis, imberbis Christi Domini imago contemplanda exhibeatur, quamvis præclara ejus gesta, quæ interdum ob oculos penicillo repræsentari contingit, completo jam trigesimo ætatis anno præstita fuisse innotescat, inter quæ præcipue illa adscribenda sunt, quæ nuper recensuimus. Nec vero temere, & absque mysterio id à viris sapientissimis usurpatum fuisse quis credat, sed ut rem altius contemplantibus hujus objectu imaginis palam fieret, apud Deum scilicet, cui sua sola coexistit æternitas haud inveteratum quidquam, haud quid omnino præteritum, sed cuncta plane immensæ ejusdem æternitati præsentia, nullaque prorsus præscribente temporum differentia, omnia nova jugiter computari. Quod satis eleganter disertissimus edocuit Philo Hebræus, hæc dicens: *Sed à Deo nunquam senescente, semperque juvene nova recentiaque bona copiose accipiendo discant credere, non esse quicquam vetus apud Deum, aut omino præteritum, sed subsistens absque tempore nascensque, &c.* hæc ille.

[Margin: Christus Dominus imberbis depictus, & quare? — Philo de sacrif. Abel. & Cain.]

2 Verum enimvero in quibusdam item sepulchralibus Cœmeteriorum tabulis Christus interdum, imberbi quidem facie, at adulta ætate prædictus repræsentatur, eam nimirum (si nobis opinari fas est) ob causam, ut idem, qui ut Joannes ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & omnia per ipsum facta, sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Idem inquam, dignissimus totius creaturæ primogenitus agnoscatur, & in novissima mundi ætate ad optatam humani generis perficiendam, stabiliendamque salutem ipsummet corporali forma indutum venisse comprobetur, ut Origenes his plane verbis asserit: *Quando venit in corpus humanum, dicit in exordio: Nescio loqui, quia juvenis ego sum. Iuvenis propter dispensationem, quia in consummatione jam seculorum, & in extremum hujus vitæ tempus advenit.* hæc Origenes.

[Margin: Christus adulta, ætate depictus, ejusque mysterium. — Joan. c. 1. — Orig. ho. 1. in Hier.]

3 Porro imagines, Abrahami, Noëmi, Moysis, Eliæ, cæterorumque hujusmodi, quæ imberbi quidem facie picta exhibentur, aliud intuentium oculis mysterium præseferunt, justos videlicet viros juvenum instar ætate florentes, in eodem jugiter vigore, & tum animi, tum corporis alacritate persistere, quod ipse Chrysostomus in hæc plane verba edocuit: *Iustorum animæ juvenescunt, vigent, & in ipso ætatis flore semper consistunt.* Idemque nobis de Angelis affirmandum videtur, qui etsi incorporei sunt, juvenili tamen facie pinguntur. Merito igitur jure Christiani, qui perennem in Cælo ullo absque termino vitam, & diem illum, qui occasum nescit, expetebant jugiter, exspectabantque, ut futuræ novitatem vitæ ipsomet symbolicæ imaginis prospectu addiscerent, Christum

[Margin: Sancti ætate juvenili depicti, & quare? Juventus symbolum justorum. — D. Chrys. ho. 10. in ep. ad Rom. — Angeli cur facie juvenili pinguntur.]

ſtum juvenili ætatis flore pubeſcentem pingebant: quippe qui fidei rudimentis imbuti, probe jam noſſent, nos quoque qui hic interim degimus, *oportere conformes fieri imagini Filii Dei*, & in menſuram ipſam ætatis plenitudinis Chriſti tandem, ut ait Apoſtolus, fore provehendos, necnon Propheticum illud oraculum, quod cuique Chriſtianorum optime conſonat, animo jugiter ſub eſſet: *Revocabitur, ut aquilæ juventus tua.* Sed quæſo ad alia orationis ſtylum convertamus.

Apoſt. ep. ad Rom. c. 8.

pſal. 102.

CAP. XVIII.

De Chriſto Domino Paſtoris formam exhibente.

1 ANtiqui Chriſtiani, quorum ſingula divinis tum geſta, tum verba myſteriis redundabant, peculiari pietatis ardore, & charitatis affectu permoti, ſæpiſſime Chriſtum Dominum ſub Paſtoris forma intuentibus contemplandum proponere conſueverunt, celeberrimam illam Paſtoris videlicet, qui dilectam humeris oviculam defert, parabolam reſpicientes, quam pluribus quidem ſermonibus eleganter Lucas Euangeliſta deſcribit, & quam ipſemet Dominus aliquando Ioannis capite decimo ediſſerens, ſibimet palam congruere, hæc dicens affirmat: *Ego ſum Paſtor bonus: bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Et paulo infra eidem parabolæ inſiſtens, hæc ſubjicit: *Alias oves habeo, & illas oportet me adducere.* Et Matthæi 26. & Marc. 14. parabolicas loquendi formulas ſibi dumtaxat conſonare illis verbis comprobat: *Percutiam Paſtorem, et diſpergentur oves gregis.* Quam ſane parabolici ſermonis phraſim clarioribus adumbratam coloribus beatiſſimus Apoſtolus Petrus prima, quam conſcripſit, Epiſtola ad rei noſtræ propoſitum concinne aliquando explanavit: *Eratis enim*, inquit, *ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis nunc ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum.* Ac ſi ad unum totius Salvatorem Orbis Chriſtum, ad quem ovilis, & ovium cura ſingulariter pertinet, paſtoris item nomen, & unà cum nomine munus pertineat.

Chriſtus Dominus in habitu paſtorali.

Luc. c. 15.

Io. 10.

Matth. c. 26. Marc. c. 14.

1. Petr. 2. v. 25.

2 Hoc igitur ſpecioſum amoris ſymbolum, quod Paſtoris imago præfert, familiare præ cæteris, ac uſitatum præcipue Chriſtianis ſemper extitit. Singula enim fere Cœmeteria Euangelici Paſtoris imagine illuſtrantur: *Et hujus quidem generis imagines*, ut Baronius ait, *complures inſpeximus in antiquiſſimo Priſcillæ Cœmeterio Via Salaria anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, Vrbe teſte atque admirante effoſſo.* Quod Paſtoris ſymbolum frequenti uſu receptum non ipſis Cœmeterialibus tantum imaginibus, ſed in ſacris item calicibus, ac aliis miniſterialibus ſacrificiorum vaſis Chriſtiani uſurpabant, ut ex ipſomet Tertulliano lib. de Pud. legentibus liquido conſtat, ubi iſthæc ille in rem præſentem enarrat: *A Parabolis licebit incipias, ubi eſt ovis perdita à Domino requiſita, & humeris ejus revecta. Procedebant ipſæ picturæ calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio Pecudis illius, utrumne Chriſtiano, an ethnico peccatori de reſtitutione conveniat.* hæc Tertullianus venerandæ quidem antiquitatis aſſertor, ſed ſanæ, illibatæque doctrinæ parum conſonans, ac ſibi minus conſtans: perperam enim, ut Baronius in ſuis Annalibus adnotat, præclaram Chriſti Parabolam interpretatur, cum ſub deperditæ oviculæ ſymbolo ethnicos dumtaxat, qui ad fidem accedunt, nullatenus vero Chriſtianos, qui in crimen aliquando lapſi, ad pœnitentiæ poſtmodum ſubſidia confugiunt, intelligendos velit: quod ſuæ mordicus ille ſententiæ inhærens, ibidem cap. 10. hæc dicens repetit: *Patrocinabitur*, inquit, *Paſtor, quem in calice depingitis.* Hujuſmodi autem alluſione verborum, miniſteriales illos calices, de quibus ſermo agitur, vitreos fuiſſe evidenti animadverſione coarguit. Vitreos quippe in venerando ſacroſancti olim Altaris miniſterio calices uſui fuiſſe, plurimorum quidem ſanctorum geſta, probatorumque teſtimonia Patrum convincunt, quæ idem fuſe Baronius in ſuis ad Martyrologium notis v. 11. Idus Augusti recenſet. Nam ut de cæteris taceamus, ex ipſiſmet martyris Donati geſtis calicem ſanctum à paganis perfractum, divina virtute ab eodem reſtauratum fuiſſe perhibetur, cujus quidem rei nobilis memoria in Martyrologio Romano his verbis recolitur: *Aretii in Tuſcia S. Donati Epiſcopi, & martyris, qui inter cætera virtutis opera*, ut ſcribit B. Gregorius Papa, *fractum à paganis calicem ſanctum orando inſtauravit.* Quod autem calix iſte vitreus fuerit, ejuſdem acta declarant. Vitreus quippe calix, & patena item vitrea in ſacris olim miniſteriis, ut Baronius enarrat, adhibebantur. De patenis quippe vitreis in lib. de Roman. Pontific. in Zephyrino Papa: de vitreo autem calice Hieronymus epiſt. 4. ad Ruſticum de S. Exuperio Toloſano Epiſcopo agens: *Nihil*, inquit, *illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro.* Rurſus etiam Cyprianus Gallus in vita S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, qui Theodorici Regis Italiæ temporibus claruit: *An non*, inquit, *in vitro habetur ſanguis Chriſti?* A temporibus autem Apoſtolorum vitreus in uſu calix fuiſſe videtur. Vnde Marcus Hæreſiarcha illis temporibus proximus, & ipſe Catholicam Eccleſiam æmulatus, vitreo utens calice in ſuis ſacris, ut Baronius refert, impoſtura quadam per magicam artem exhibita populum dementabat, dum vini color albus, qui foris apparebat in vitro, quibuſdam præſtigijs mutabatur in rubrum, adeo ut vinum converſum in ſanguinem fuiſſe videretur. Vitrei autem calicis vſus in Conc. Rhemenſi, quod temporibus Caroli Magni celebratum eſt, laudabiliter quidem, ut Baronius aſſerit, ob periculum, quod materiæ fragili immineret, ſublatus eſt. Stannea item antiquis vaſa, & quæ ex rudi, atque ignobili materia conſtarent, fictiles quoque ad ſacroſancta Altaris myſteria calices uſui quondam extitiſſe, vel inde compertum ſit, quod apud pervetuſtam B. Anaſtaſiæ de Vrbe Eccleſiam calix ex fictili materia eleganter compactus, velut nobile venerandæ antiquitatis monimentum ſuſpiciendus ad hanc uſque diem aſſervetur, qui ipſimet Divo Hieronymo Eccleſiæ doctori, & eximio Chriſtianæ pietatis, ac paupertatis cultori, ut pia fert traditio, inter ſacra altaris miniſteria, ad pretioſi videlicet Chriſti ſanguinis ſacrificium offerendum uſui extitit. Porro quam ſplendida olim extiterint vaſa ſacris deſtinata miniſteriis, vel dum gentilium perſecutiones recrudeſcerent, ſi quis noſſe cupit, Optatum Milevitanum de perſecutione Diocletiani hæc dicentem, ut ſupra diximus, conſulat: *Extant ex auro, & argento quam plurima ornamenta, &c.* Præterea Gregorius Turonenſis lib. de glor. Mart. Vaſa ſacra miniſterialia argentea

Imago Paſtoris calicibus, ac vaſis ſacris ſolita.

Bar. t. 1. ann. 57. n. 112.

Tert. c. 2. de pudic.

Bar. Ann. to. 2. an. 216.

Id. Tert. c. 10. de pudic.

Calices vitrei in uſu apud antiquos Chriſtianos.

Bar. in not. ad Mart. 7. Aug.

Lib. de Rom. Pont.

Hier. ep. 4. ad Ruſt.

Epiph. in Pan. hær. 34

Bar in not. ad Mart. Ro die. 7. Aug.

Marcus Hæreſiarcha calice vitreo utens præſtigiis populum dementabat.

Opt. Mil. l. cont. Parm. l. 1.

Greg. Tur. l. de glor. mar. c. 38.

nensis lib. de glor. Mart. Vasa sacra ministerialia argentea è cryptis, in quibus sancti Martyres sacra peragentes delitescebant, effossa fuisse enarrat, ut jam diximus. Et quidem eorundem splendor adeo excrevit, ubi Ecclesia à persecutoribus paululum respirare cœpit, ut eadem ipsis gentilibus admirationi existerent: quapropter Julianus ille Præfectus Orientis, & alterius impii Juliani Apostatæ avunculus, isthæc Antiochiæ, ut Baronius ait, obstupescens dixit: *En quam sumptuosis vasis Filio Mariæ ministratur.* Audis quantum splendoris Ecclesiæ, ejusdemque ministeriis accesserit, dum à vitro, vitreisque calicibus ad argenteos, aureosque munifica Christianorum manu impensos transitum fecerit. Plura autem, quæ in rem præsentem afferri possent, nos interim consulto, ac brevitatis gratia prætermittimus.

Theod. hist. l. 3. c. 13.

3 Sed his obiter enarratis, ut ad locum, unde discessimus, propositi memores, revertamur, recolendam Euangelici Pastoris imaginem magnus ille animo pariter, ac meritis inter Imp. Constantinus in ipsius Constantinopolitani fori meditullio omnium quidem oculis contemplandam proponi jussit, ut Eusebius in conscriptis ejusdem gestis locuples testis in hæc plane verba enarrat: *Videas etiam adhuc licet apud fontes in medio foro positos Pastoris præclara symbola illis, qui sacris literis eruditi sunt, satis cognita.* Porro ex Euangelicæ hujus, quæ tam frequens antiquis extitit, exhibitione parabolæ plurimum quidem emolumenti, & in adversis quibusque levaminis haud modicum Christianis ultro suppetebat: quippe qui sub unius, ejusdemque parabolæ, quam meminerant, cortice seria eisdem mente contemplari liceret, quot videlicet ac quantis laborum incommodis ad tuti septa ovilis revocata, ac indefessa Christi Salvatoris opera aberrans quondam ovicula redux effecta tuto tandem Pastoris optimi sinu recepta fuerit. Quod eleganti quidem sermone Tertullianus hæc dicens expressit: *Ovem patientia Pastoris requirit, & invenit: nam impatientia unam facile contemneret, sed laborem inquisitionis patienter suscipit, & humeris insuper advehit bajulus patiens peccatricem derelictam.* Admiranda insuper Salvatoris Dei humilitas ab iisdem percipi ex illis commode poterat, ut Augustinus diserte illis verbis expendit: *Ovem,* inquit, *perditam omnes peccatores dixit, qui per pœnitentiam reconciliantur Deo: quam humeris suis portat, quia humiliando se, tales erexit.*

Imago Pastoris in Foro Constantinopoli à Constantino posita.

Eus. l. 3. c. 48. in vit. Const.

Mysteria Figuræ Pastoris.

Patientia, & labor Boni Pastoris. Tert. l. de pat. c. 12.

Humilitas Boni Pastoris. Aug. q. Euang. l. 2. c. 32.

4 Ex præmemorata item parabola haud satis unquam pro merito prædicandam Christi, qua se pro nobis libenter impendit, charitatem palam fideles edocebantur: deperditæ quippe unius oviculæ, quam deperibat, amore illectus non è cælesti duntaxat regno in hæc infima se ultro demittere, ac humanæ carnis formam induere, nostrorumque criminum pœnis obstringi, verum & ipsiusmet Crucis subire patibulum, & acerbissimum mortis genus sponte piissimus Dominus perpeti neutiquam dedignatus est, ut prophetico imbutus spiritu longe ante illis plane verbis Isaias prænuntiarat: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Et beatus item Petrus totius Apostolici ordinis princeps satis perspicue in hæc verba disseruit: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Inexhaustam Dominici pectoris charitatem Gregor. Nazianzenus oratione in Christi Nativit. illis plane verbis admirabundus concelebrat: *An propterea,* inquit, *parvus est quia propter te humilis, qua bonus ille Pastor qui animam pro ovibus posuit, ad errantem ovem venit; & ad montes & colles, in quibus sacrificabas, & vagantem invenit, & inventam iisdem humeris, quibus & Crucis lignum sustulit, sublatamque ad supernam vitam reduxit, subvectamque eodem, quo eas, quæ nunquam à grege aberrarunt, loco numeroque habuit, &c.* hæc Nazianzenus in Euangelici Pastoris symbolum congerit.

Charitas Boni Pastoris.

Isa. c. 53.

Petr. ep. 1. c. 2.

Naz. or. de Christ. nat.

5 Qua item ratione ubi de ovibus Ambrosius sermonem aggreditur, illa psalmi 118. verba dilucidat: *Erravi sicut ovis, quæ periit.* Ait igitur: *Denique inventam pastor ovem humeris imponit suis. Agnoscis utique mysterium, quomodo ovis lassa reficiatur: quia non potest aliter humana conditio lassa recreari, nisi Sacramento Dominicæ passionis, & sanguinis Iesu Christi; cujus principium super humerum ejus: in illa enim Cruce infirmitates nostras portavit, ut ibi omnium peccata evacuaret.* Nec vero disertis symbolicam verbis imaginem cumulare Hieronymus destitit, qui ad Pammachium scribens, isthæc in rem præsentem infert: *Dei Filius propter unam,* inquit, *morbidam ovem, nonaginta novem in montibus derelictis, alapas, crucem, flagella sustinuit, & suis humeris portavit ad Cælos, bajulans & patiens delicatam peccatricem.* Et in suis item super Isaiam elucubrationibus hæc subjicit: *Iste qui postea in majestate venturus est, prius formam pastoris accipit, qui dicit ipse de se: Ego sum Pastor bonus.* Huc usque super proposito Pastoris typo Hieronymus. Demum Gloss. in cap. 15. Lucæ enarratis hactenus constanter hunc in modum adstipulatur: *Ovem in humeris posuit, qui humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portavit: unde humeri Christi, Crucis brachia sunt, illic peccata nostra deposuit, in illa nobilis patibuli cervice requievit.*

Ovis erratica quomodo à Pastore reducenda.

S. Ambr. in Ps. 118.

S. Hier. ep. 61. ad Pam.

Id. in c. 40. Isa.

Gloss. in c. 15. Luc.

6 Verum enimvero ex objecta sibi ante oculos aberrantis oviculæ parabola, quam Pastor amantissimus haud derelictam perire sustinens, adeo sollicite requisivit, Christianæ fidei sectatores qui sacra tunc Cœmeteria excolentes, omni mititate præditi, tanquam oves carnificum furori patebant, firmam utique animo spem haurire poterant, protegente Deo, qui Pastoris jugiter affectum exhibet, inter ærumnarum, ac persecutionum, quibus impetebantur, procellas deferendos nequaquam fore. Quod palam Hieronymus docuit, dum illa Ecclesiastici verba sapienter expendit: *Et Deus quæret eum, qui persecutionem patitur.* Sed quæso, lector, Hieronymum excipiamus: *Sicut autem placet,* inquit ille, *quasi proprio legere principio, & Deus quæret, &c. utatur hoc testimonio in persecutione gentilium ad consolandum eum, qui in martyrio perseverat, Et quia omnes, juxta Apostolum, qui pie vivere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur, habent consolationem, quia Deus quærit persecutionem patientes, sicut requirit sanguinem interfecti, & venit quærere quod perierat, & erroneam ovem suis humeris ad gregem reportavit, &c.* hæc Hieronymus cum Euangelici Pastoris charitatem inculcat.

Fiducia quam in Deum afflicti habere debent.

D. Hier. Eccl. c. 2.

7 Sed ut singula, quæ latent, mysteria percurramus, optatum quoque futuræ resurrectionis symbolum validis inde fideles ad id argumentis permoti conjicere poterant, ut diserte præ cæteris antiquissimus ille inter scriptores Tertullianus intulit libro, quem de resurrectione carnis inscripsit, ex illis potissimum Lucæ verbis: *Venit Filius*

Ovis erronea in humeris Pastoris symbolum resurrectionis.

 hominis

Tert. de reſur. car. c. 30.

hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat: In primis, inquit ille, *cum ad hoc veniſſe ſe dixit*, id eſt, Chriſtus, *ut quod periit, ſalvum faciat, quid dicas periiſſe? hominem ſine dubio. Totumne, an ex parte? utique totum: ſiquidem tranſgreßio, quæ perditionis humanæ cauſa eſt, tam animæ inſtinctu ex concupiſcentia, quam & carnis actu ex deguſtatione commiſſa, totum hominem elogio tranſgreßionis inſcripſit, atque exinde merito perditionis implevit. Totus itaque ſalvus fiet, qui periit totus, delinquendo totus, niſi ſi & ovis illa ſine corpore amittitur, & ſine corpore revocatur. Nam ſi caro quoque ejus cum anima, quod pecus totum eſt, humeris boni Paſtoris vehitur, ex utraque utique ſubſtantia reſtituendi hominis exemplum eſt, &c.* hæc ad rem Tertullianus ex Paſtoris, cui ovis credita eſt, ſymbolo Reſurrectionis imaginem opportunis verborum coloribus adumbrans.

Ovicula in humeris Paſtoris ſymbolum humanæ naturæ.

8 Nec vero cum unam duntaxat quæſitam ingenti Paſtoris ſolicitudine oviculam, ejuſdemque humeris blandè ſublatam, ac feſtivis ſubinde amplexibus exceptam noſſent, præconceptæ quidquam animo eorumdem ſpei interlabi poterat: unius enim oviculæ, quam centemplabantur, ſymbolo totum plane humanum genus deſignari ex Euangelicis oraculis jam probe tenebant: quod inter alios præcipue Hilarius illis verbis teſtatur: *Ovis una homo intelligendus eſt, & ſub homine uno univerſitas ſentienda eſt: ſed in unius Adæ errore omne hominum genus aberravit, &c.* Nam viros alioqui ſapientiſſimos nullatenus quidem latebat, immenſum videlicet ſupernæ Bonitatis ſinum, quo cunctos dulciter fovere, blande excipere, amice complecti conſuevit, ſingulis quibuſque præſto jugiter eſſe, ac benefica ejuſdem munera æque cunctis ac ſingulis liberaliter provenire. Tantumdem enim pro unica ovicula laboris, quantum pro omnibus impendit nec unam quidem inter tot deſiderari paſſus: *Nullam enim* (ut ille ait) *ſe habere putavit, ſi de numero ſua una periret.* Quod egregie in præſentem parabolam Chryſoſtomus adnotavit: *Ideo denique*, inquit, *& in illa boni Paſtoris parabola non dicitur, quia venit multas oves quærere, ſed unam: una namque eſt, quia ſic omnibus, quaſi uni divina beneficia conferuntur.* Demum ut reliqua, quæ hic commode interſeri poſſunt, prætereamus, & brevitatis gratia, quæ in eadem ediſſerenda parabola ab orthodoxis Patribus animadverſiones paſſim congeſtæ ſunt, ſileantur; hæ enim pio Chriſtianorum eorundem ſtudio ut nobis credere par eſt, aſſidue præ manibus uſurpatæ altius animo inſederunt. His igitur omnibus alio rejectis, noſtræ huic enarrationi, coronidis inſtar, annulum à ſacra Chriſtianorum antiquitate petitum, qui Paſtoris Euangelici ſymbolum, quibuſdam exſculptis inſuper notis, præſefert, & inter Cœmeteriales exuvias repertum, hic tibi Illuſtriſſima matrona Felix Rondanina contemplandum offert:

Per ovem unicam tota natura humana in Euangelio intelligitur. *S. Hil. in Matt. c. 18.*

Auct. imp. ſup. Matt.

S. Chry l. 2. de comp. cord.



Huic autem annulo Paſtoris imagine ſingulariter exſculpto illa ſpecioſi inſtar tituli concinne aptari poſſe videntur, quæ Gregorius Nyſſenus de Euangelico Paſtore acutè diſſerens in medium affert, dum Chriſtum Dominum Paſtorem optimum in hæc plane verba venerabundus alloquitur: *Ubi paſcis, ô Paſtor bone, qui ſuper humeros tollis ovem? una eſt enim ovis univerſa humana natura, quam ſuſcepiſti ſuper humeros, oſtende mihi locum quietis, educ me ad herbam bonam ad nutriendum, voca me ex nomine, ut ego qui ſum ovis, audiam vocem tuam, & propter tuam vocem da mihi vitam æternam.* hæc in rem præſentem Nyſſenus. Quibus eleganter quoque Angelici Doctoris verba conſonant, quæ de Chriſto Domino in altaris Sacramento ſuæ alimento carnis paſcente oves, qui paſtorum omnium forma, & exemplar eſt, ſatis concinne hunc in modum Eccleſia canit, nimirum:

Apoſtrophe S. Gregorii Nyſſeni ad Paſtorem.

Nyſſ. ho. 2. in Cant. 2.

Bone Paſtor, panis vere,
Ieſu noſtri miſerere.
Tu nos paſce, nos tuere:
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.
Tu qui cuncta ſcis & vales,
Qui nos paſcis hic mortales,
Tuos ibi commenſales,
Cohæredes & ſodales,
Fac ſanctorum civium.

9 Verum antequam Paſtoris, cui inſiſtimus, enarrationem abſolvamus, haud ſtudioſum interim lectorem latere fas eſt, quod idem interdum Paſtor, qui in Cœmeterialibus tabulis exprimitur, hircum aliquando, non ovem, humeris deferens coloribus adumbretur: quod quidem velut cætera, peculiari myſterio conſtat. Cum juſti enim viri ſub ipſomet ovium typo deſignentur: hircorum autem vel hœdorum ſymbolo perditis quique moribus homines ac reprobi, ut Euangelicæ paſſim conteſtantur paginæ, quæ illud jugiter auribus inſonant: *Sicut Paſtor ſegregat oves ab hædis.* Et infra: *Statuet quidem oves à dexteris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* Ut omnes igitur ſymbolico ejuſcemodi typo Chriſtum Dominum ad evocandos ad pœnitentiam criminum vinculis obnoxios in terrarum orbem veniſſe intelligerent, hircum pariter, aptato Paſtoris humero ſublatum Cœmeterialibus in tabulis exhibebant, ut Theodoretus præ cæteris in illud Cant. 1. Paſce hœdos tuos, in hæc verba dicens aſſeruit: *Vult enim benignus Dominus, ut non modo juſtos, verum etiam peccatores omni ſtudio & cura complectamur. Non enim egent, inquit, qui ſani ſunt, medico, ſed qui male habent. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pænitentiam.* Et paulo infra ejuſdem propoſiti enarrationem hunc in modum proſequitur: *Hædorum autem nomine peccatores intelligit divina ſcriptura. Hos enim Dominus à ſiniſtris ait locatum iri, ſejunctos ab agnis, qui dexterum locum obtinebunt. Nam in lege quoque pro peccatis non ovis, ſed hircus ex capris mactabatur, &c.*

Paſtor cum hirco in humeris quid denotet.

Ovis typus juſtorum.

Hinc ſymbolum peccatorum.

Matth. c. 25.

Theod. in c. 1. Cant.

10 Vides igitur, amice lector, quam congruè ſub myſtica Paſtoris imagine ſupernæ viſcera pietatis probi illi Chriſtianæ fidei cultores proteſtarentur, & erga devios à recto virtutis tramite propenſum Dei miſerantis, ac evocantis ſtudium intuentibus contemplandum objicerent, ut nimirum quiſquis corde compunctus anteactæ vitæ errores pertæſus, quantumvis fœdas atque enormes flagitiorum labes deteſtatus fuiſſet, ſe ultro aberrantem paterno tamen ejuſdem ſinu excipiendum fore neutiquam dubitaret: *Nullum enim ſpernit*, ait Auguſti-

Solatium peccatorum Paſtoris cum hirco in humeris imago.

Augustinus, *neminem abjicit, si pœniteo, parcit, si revertor, suscipit, si differo, præstolatur.* Vides immensam Pastoris ovem ultro excipientis benignitatem. Sed audi quid ad Pastorem Augustinus proloquatur: *Revocas errantem, invitas repugnantem expectas torpentem, amplexaris redeuntem.* Sed de mystica Euangelici Pastoris imagine, quam hucusque suspeximus, hæc breviter lectori prælibanda voluimus.

Aug. l. in med.

CAP. XIX.

De sacra Pastoris Euangelici baculum, & pastoralem fistulam manu gestantis imagine.

Baculus in manu Pastoris quid significet?

1 QUoniam de recolenda Euangelici Postoris imagine, quæ Christianis frequens admodum extitit, nobis adhuc sermo recurrit, Pastor item in perantiquis Cœmeteriorum tabulis unà cum baculo, & pastorali fistula adumbrari consueverat. Ad ejusœmodi autem rerum, quæ latent, elucidanda mysteria, præter ea, quæ nos alibi de virga, quam Christus manu præsefert, sermonem instituentes satis abunde disseruimus; nonnulla hic de baculo, qui pastoralis muneris insigne computatur, adjicere libet, quæ quidem S. Paulinus Episc. diserte quondam his plane verbis ad Florentium conscripsit: *Hic ergo Dominus & Deus noster, qui in terris visus est, & inter homines conversatus est, pro nobis ovis, & Pastor in nobis est: quia nos invisibili baculo, & salutari virga intus reget, ut etiamsi ambulemus in umbra mortis, non timeamus mala, quia nobiscum Deus.* Verum ut de baculo mysticè, ut cœpimus loqui, prosequamur. Innocentius Papa Tertius nobile quoddam Ecclesiasticæ in baculo hierarchiæ symbolum agnovit, dum sermone primo Dominicali, quem post dies Paschales edidit, ejusœmodi baculo Episcopalem, vel ut melius dixerim, pastoralem baculum repræsentari hæc dicens affirmat: *Bonus Pastor debet pungere lentas, sustentare morbidas, & colligere vagas, quæ tria bene significantur in baculo Pastorali, qui est in ultimo acutus, in medio rectus, in summo retortus. Acutus ut pungat oves lentas, & pingues: rectus, ut sustentet oves morbidas & infirmas: retortus, ut colligat oves vagas, & errabundas.* Isthæc concinne in baculi pastoralis dilucidationem Innocentius. Idem plane, & quidem egregie aptatis in rem verbis ab Augustino suggeritur: *Inde etiam est,* inquit ille, *quod baculus Pontificalis ex inferiori parte pungit, superius in anteriora extenditur, quia prædicator pungere debet vitia carnis, & mentis vires in superiora dirigere.* Et infra sanctissimus doctor ejusdem baculi formam ingeniosis observationibus expendens, utpote qui in cacumine curvus existit, & ipsummet, cujus manu defertur, quodammodo respicit, isthæc in mysterii elucidationem congerit: *Ita tamen,* inquit, *quod ad sui considerationem semper redeat, ne cum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur.* En quam sapida Pastoris baculus mysteriorum arcana intuentibus offert.

S. Paul. ep. ad Floren.

Baculus Pastoris symbolum Ecclesiasticæ hierarchiæ.

Innoc. Pap. III. ser. 1. Dom.

Aug. Glos. in ps. 124.

Fistula Pastoralis quid denotet?

2 Porro ut nunc à Pastoris baculo, ad fistulam, quam Pastor inter cætera pastoralis muneris insignia gestare consuevit & orationis stylum convertamus: hac quidem quid potissimum designetur, Gregorius Nazianzenus planè his verbis edocuit: *Pastor gregem ad pascua ducet, & à pascuis reducet fessumque recreabit, & alio movebit, ac revocabit, aliquoties quidem pedo, ut plurimum autem fistula.* Ex quibus opportune in rem præsentem enarratis, quam præcipue ob causam à Christianis baculus Christo omnium Pastor aptetur, videre est, ut nimirum se totos ejusdem imperio ac nutibus regendos ultro committerent, cui peculiari quidem jure cunctas regendi oves cura, atque onus incumbit, & dum singulas sapientissimis legibus suaviter informando demulcet, in amœnissima tandem collium æternorum pascua deducit. Sed de his hactenus.

Naz. Apol. 1.

CAP. XX.

De Christi speciem Agni præseferentis imagine.

1 SPecioso quidem Agni titulo Christus à Ioanne Baptista primum salutatus est, & haud alio subinde nobiliori, quam Agni symbolo à Ioanne Apostolo passim in Apocalypsi mysticis potius verbis, quam coloribus Christi Salvatoris imago adumbratur: quapropter jure merito, qui omnium culpas ablaturus, & proprio abluturus sanguine venerat, Agni vocabulum apud antiquos promeruit. Neque Agnus dumtaxat, sed *Agnus ab origine mundi occisus nuncupatus est.* De quo quidem præclaro Christi titulo aptè Paulinus in rem præsentem cecinit:

Paulin. ep. 12.

Sub Cruce sanguinea niveo stat Christus in agno,
Agnus, ut innocua injusto datur hostia letho, &c.

Christus Dominus sub Agni typo.

Cum antiquum igitur ejusœmodi symbolum Christianis extiterit, solemne item iisdem extitit: quapropter qui aptis plerumque symbolis abditas quasque res præsignabant, ut non modo sub Pastoris, verum etiam sub Agni typo sacris frequenter in tabulis Christum contemplandum oculis exhiberent. Redemptor etenim non tantum nos bonus veluti Pastor solicite, ac studiose tueri, perquirere, ac paterno affectu regere dignatus est, sed vel mitissimus veluti Agnus ad immolandum pro nobis duci, crucis patibulo adddici, & seipsum ultro in ara Crucis libenter mactari sustinuit: *Et ego,* inquit, *quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Quod Paulinus pjissimo quidem vir ingenio præditus in hactenus recensita ad Florentium epistola in hæc planè verba adnotavit: *Idem Agnus & Pastor reget nos in secula, qui nos de lupis agnos fecit: earumque nunc ovium Pastor est ad custodiam, pro quibus fuit Agnus in victimam: de quo in Apocalypsi cap. 13. Agnus occisus ab origine mundi.* hæc Paulinus, dum aptatam Christo Agni similitudinem prosequitur.

Ierem. c. 11.

D. Pau. ep. ad Florent.

Apoc. 13.

Agni nomine Christus Dominus sæpissime appellatus.

2 Porro quamplura hic proferanda in medium sacrarum paginarum oracula suppeterent, quibus sub descripto agni typo Christus Dominus, ut videre est, symbolice figuratur, sed unum interim præ omnibus ad rem convincendam sanctissimi Ioannis Baptistæ Præcursoris testimonium sufficiat, qui cum à longe aliquando Christum ad se venientem conspexisset, illis protinus vocibus salutavit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quapropter hoc ipsum Ioannis testimonium haud unquam apud Christianos antiquatum, auribus jugiter Ecclesia suggerit, dum ejusdem verba quotidie in sacrosancto Altaris mysterio usurpans, his plane verbis semel, atque iterum Christum compellat, dicens: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.*

Liturg. Missal. Rom.

3 Congrue igitur recolendæ antiquitatis Patres cum Christum Dominum intuentium oculis atque animis contemplandum objicerent, mystico Agni ejusœmodi symbolo uti frequenter consueverant,

ut sæpe sæpius in ipsis Cœmeterialibus tabulis videre contingit, in quarum nonnullis venerandæ item Crucis imago multiplicibus insculpta modis exprimitur: interdum enim baculu[m] quidam effingitur, ex quo pastoralia quædam vasa affabre elaborata pendent, ut palam munus utrumque videlicet, quod ille pro nobis exhibuit, Agni nimirum & Pastoris adumbraretur, ut jam in supra enarratis exposuimus.

Crux variis modis olim exprimebatur.

Agnus cum Cruce.

Porro Crucem ipsi deinde Agno haud peculiari absque mysterio apponebant: quia cum inter ipsa Ecclesiæ exorientis primordia, Crucis patibulum sontibus carnificum manu puniendis adhiberetur, Christum Dominum, qui totus innocentia candidatus, pro nobis tamen velut culpis obnoxius, Cruci suffixus fuerat, haud clavis è ligno aliorum instar pendentem repræsentare consueverant, ne videlicet qui nuper ad fidem accesserant, ex Christi probrosæ Crucis trunco affixi imagine, cui eadem forte die scelestum quempiam ac facinorosum hominem affigi conspexerant, eisdem cum fidei iniuria ex imagine probrum subreperet, & scandalum item, ac animi deliquium obtingeret: homines quippe triste, ac funestum ejusmodi spectaculum, ut humanæ fert consuetudinis ratio, & sensus ipse dictare videtur, summopere exhorrent. Quapropter eorundem imbecillitati ad tempus caute pro animi viribus prospicientes, Crucem duntaxat suppressa Christi è Cruce pendentis imaginem effingebant: eandem insuper Crucem gemmis, ut jam diximus, egregie excultam, ornatam, & quandoque Agnum sub ipsa consistentem affabre pingebant, ut Paulinus altero è recensitis nuper carminibus innuit:

Crux absque imagine Crucifixi ab antiquis Christianis depingi solita.

Agnus sub Cruce olim depingi solitus.

D. Paulin ep. 11.

Sub Cruce sanguinea niveo stat Christus in agno.

Id autem præstitere, ut qui tunc temporis, quando Crux probro erat, ex gentilitate ad fidem traducebantur, & Christo in baptismate nomen dabant, blande, ac suaviter ad altiora Christianæ fidei mysteria intellectu assequenda proveherentur. Haud imus tamen inficias, pie ac studiose lector, venerandam quoque Christi Salvatoris imaginem antiquis temporibus Cruci itidem exsculptam aptari interdum consuevisse, verùm nullatenus ante Constantini Magni tempora id præstitum est; Christiani enim longe ante quam ipse Romani clavum Imperii obtineret, & diutino etiam temporum interlapsu, post quam felicissima ejusdem tempora Christianæ rei publicæ illuxere, Crucem & Agnum pariter juxta Crucem, vel Agnum Crucis vexillum deferentem in sacris, ut diximus, tabulis repræsentare solebant.

Christus Agni forma ulterius exprimi non necessarium.

Con. 83. Syn. S. Io. Dam. or. 3. de Imag.

4 Quamvis autem in sexta generali synodo Canon. 83. districte fidelibus interdictum fuisse videatur, ne descripta à nobis hactenus Agni imagine uterentur, quæ à Ioanne Damasceno oratione de imaginibus illis utique verbis eleganter describitur: *In quibusdam*, inquit, *sanctorum imaginum picturis Agnus exprimitur, quem Præcursor digito demonstrat. Nos igitur veteres figuras atque umbras ut veritatis notas & signa Ecclesiæ tradita complectentes gratiam & veritatem anteponimus, quam ut plenitudinem legis accepimus. Itaque ut ad id quod perfectum est, in picturis etiam omnium oculis subjiciamus, Agnum illum, qui mundi peccatum tollit, Christum Deum nostrum, loco veteris agni, humana forma posthac exprimendum decernimus, &c.* Verum enimvero ut hic quæ ad rem faciunt enarremus, præterquam quod haud unquam ab Ecclesia Romana canonem illum receptum fuisse palam fit, quemadmodum ipsemet asserit, ac prolixius Cardinalis Baronius noster in suis Annal. edisserit: & Binius pariter in quinti Conc. notis, quod sextum nuncupatur, unà cum aliis ibidem ab ipso recensitis affirmat. Certe quæ in medium protulimus ipsiusmet Canonis verba, nullatenus sacras Christi sub Agni symbolo imagines ab ipso Ecclesiæ promptuario semovendas decernunt, sed illis Christi ejusdem imagines sub humana forma affabre effictas præferendas edocent. Quod sentit Glossa in sextam synodum; cui Turrecremata mordicus hæc dicens adhæret: *Tertio est*, inquit ille, *responsio hic in glossa, quam ponit, seu prosequitur Guillelmus in Rationali, ut hoc referatur ad picturam in Cruce, ut videlicet in Cruce Christus in figura hominis depingatur principaliter, quo depicto non obest, si etiam in parte inferiori depingatur agnus.* Quinimmo ut validioribus assertio argumentis fulciatur, ipsemet Adrianus Papa in conscripta ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum epistola, quæ in septima pariter synodo Act. 2. recitatur, sacram Christi imaginem sub Agni symbolo à sexta synodo comprobatam omnino fuisse disertis utique verbis affirmat, cum de synodica Tharasii ejusdem epistola agens, in rem præsentem hæc habet: *In qua clare est expressum, quod in sextæ synodi divine & legaliter prædicatis canonibus recipitur pictura illa veneranda, in qua Agnus digito Præcursoris demonstratus graphice est insculptus, qui in typum gratiæ assumptus, verum nobis per legem Agnum, nempe Christum Deum indicat. Veteres igitur typos, figuras & umbras tanquam veritatis signa, & notas Ecclesiæ traditas suscipientes, gratiam & veritatem agnoscimus, tanquam legis plenitudinem hanc arbitrantes. Vt igitur & in colorum effectibus subjiciatur omnium oculis figura illa, quæ Agnum illum, qui abstulit peccata mundi, nimirum Deum nostrum, juxta humanam effigiem delineat, censemus ab hoc tempore pro veteri illo Agno, qui scilicet immolabatur, typusque erat Christi immolandi, vel ille, de quo Ioannes in Apocalypsi, Agnus occisus ab origine mundi, & novum in Ecclesia Dei erigendum, quo per eum exaltationem humilitatis Verbi Dei consideremus, quo in memoriam politici illius, qua in carne vixit, item passionis ejus, & salutiferæ mortis, unde mundi liberatio contigit, veluti manu ducamur, &c.* Hæc Adrianus Papa pro asserenda mystici hujus Agni imagine perrorasse quodammodo visus est.

Baro. Ann. to. 8. an. 692.

Turrecr. Gl. dist 3. c. sex. de Consec.

Adrian. Pa. ep. ad Tharas.

5 Nunquam igitur Romana Ecclesia Christum sub Agni symbolo oculis fidelium repræsentare destitit, Agnum, inquam, qui crucem insuper formis multiplicibus delineatam, ac blande humeris exceptam deferret, ut in pluribus apprime inter cæteras recolendis ipsius Vrbis, & Orbis Ecclesiis videre est. Vt res autem exemplis liquido comprobetur, exponendum hic nobis occurrit, quod super cathedralis Ecclesiæ Cœmeterio Septempedanæ civitatis, nunc vulgo sancti Severini in Piceno, Ioanni Severano viro sacræ antiquitatis studiosissimo adnotare licuit, cujus per antiqua item symbolici Agni imago typis hic in lectoris gratiam expressa est, prout in Subterraneæ Romæ opere, Italico olim idiomate ab eodem edito, præferebatur.

Christi Agni forma exprimi non indecorum, & usu receptum est.

Vides



Christus Cruci affixus sub Agni specie à primævis Christianis cur exprimeretur.

6 Vides igitur, optime lector, quibus potissimum primævi Christianorum rationibus permoti, Christum Salvatorem Orbis, sub Agni immaculati, typo contemplandum jugiter ob oculos proponebant, ut immane videlicet Crucis scandalum, quod tunc temporis intuentium animis altius insederat, ex parte saltem leniter expungerent, ac penitus aliquando abolerent. Satagebant insuper, ut ipsomet aspectu mysticæ illius oblationis meminissent, qua Christus ex recolendis antiquorum Prophetarum oraculis haud alio titulo quam Agni immaculati frequenter prænotatur: quippe qui ipse vere est Agnus pro cunctorum expiatione scelerum, Agnus, inquam; ab ipsiusmet mundi primordiis occisus, & pro nobis æterno Patri in odoris suavitatem immolatus. Antiqua vero, ac laudabilis ista, Christi imaginem sub Agni typo pingendi, ac efformandi consuetudo adeò apud Christianos inolevit, ut apud Romanam Ecclesiam, quæ cæterarum omnium tum fide, tum moribus caput, & forma est, illibata adhuc perseveret. Ex candida quippe cera concinne, eleganterque ipsiusmet Agni imagines numismatum instar, sacris item titulis prænotatæ conficiuntur, quas hunc in modum elaboratas sacro subinde Chrismatis oleo à Romanis Pontificibus infundi, ac solemni ritu septimo quoque recurrente Pontificatus anno benedici, fidelibus ultro ingenti easdem devotionis ardore exposcentibus, in more positum est: Deo interimè Cælo sacrarum ejuscemodi imaginum cultui, quæ Pontificiam benedictionem obtinent, ac Romanæ Ecclesiæ consuetudini, quæ eisdem utitur, attritis mirabiliter Satanæ viribus, ac multiplici portentorum genere earundem imaginum virtute obtingentium, suffragium præstante. Sed his obiter enarratis, ad alia interim, si libet, enarranda progrediamur.

CAP. XXI.

De Orphei imagine.

Vis eloquentiæ Orphei commentitia quomodo Christo Domino conveniat.

1 CUm divini instar oraculi illa mortalium animis vox altius insederit, & auribus jugiter insonet, *haud sacra*, videlicet, *miscenda profanis.* Inde absurdum plane, ac quid merito execrandum videri cuipiam poterit, quod profana in sacris Christianorum Cœmeteriis, quæ augustissima illibatæ religionis, ac fidei promptuaria sunt, profana, inquam, ipsius Orphei imago, quam Ethnici impense colebant, reliquas inter venerandas imagines coloribus adumbretur, ut in prima Cubiculi tertii, & in secunda item Cubiculi quarti tabula apud celeberrimum Callisti Cœmeterium, unà cum multiplicibus tum veteris Testamenti sacris exsculptis imaginibus videre est. Quapropter explodenda quidem, atque omnino expungenda nobis prima quidem facie ejuscemodi imago videbatur: at rem altius expendentibus, haud otiose, haud perperam hanc ibidem delineatam fuisse fatendum proculdubio est: multiplicia quippe, nec perexigui hæc momenti cælestium arcanorum mysteria antiquorum Patrum ore decantata, & prolixiori à nobis sermone in studiosi gratiam lectoris edisserenda præsefert, quod à nobis eo facilius, dum sacræ perscrutandæ antiquitati insistimus, præstandum est, *ut lutum* videlicet, *ab auro, & pretiosum à vili secernamus*, & ne pia Christianorum manu exculpta exteri hominis imago castæ, sinceræque sacrorum Cœmeteriorum venerationi quidquam detrahat, vel certe profani, qui ejuscemodi aliquando locis obrepserit, cultus notam inurat. Quamobrem ne Christianorum, probatissimorumque scriptorum manu, ac pennicillo descripta imago temere, & quid veluti Cœmeteriales inter tabulas suppositititium rejiciatur, orthodoxorum pro Orphei imagine Patrum perorantium sententias prius diligenter consulere, ac in medium producere, & sano prudentique subinde lectoris judico litem dirimendam, ejusdemque rem totam arbitrio definiendam consulto relinquere animus est.

Orpheus 360. Deos novos in Græciam induxit.

2 Orpheus igitur, ut rem altius repetamus, suusque veritati nitor constet, apud celeberrimas sapientium Græcorum academias, Theologicarum scientiarum princeps, subdolis, futilibusque gentilitiæ superstitionis erroribus imbutus, detestando insuper dæmonum cultui, ac omni prorsus idololatricæ impietati eum in modum addictus fuit, ut immane adaucto inanium Deorum numero, tercentum, & sexaginta colendos Græcis hominibus Deos proposuerit, & plura quoque de eisdem concinne, suaviterque plectro concinuerit, ut probe illud Moysi ore prolatum adimpleri oraculum videretur: *Novi, recentesque venerunt, quod non coluerunt patres eorum.* At ipsius deinde veritatis divinitus luce perfusus, *quæ illuminat omnem hominem*, ut Ioannes ait, *venientem in hunc mundum*, anteactæ vitæ serio palinodiam recantans, in unum verum, æternumque Deum, quibusvis sapientior effectus, ac uberiori donatus lumine, mentis aciem vel sero defixit, supernamque divini Numinis gloriam, quam studiose apud Ægyptios sapientissimi Moysis Pentateuchum perlegendo edidicerat, & miris postmodum laudum præconiis celebravit, ac saluberrima dogmatum illibatæ fidei rudimenta, quæ cuique ad assequendam animorum salutem nosse opus est, progenitum ex se Musæum nomine, nati effectus ex progenitore magister, edocuit. Ne ejuscemodi autem rem gratis lectori asserere, aniles concinnando fabulas, videamur, id unus præ cæteris Iustinus martyr exhortatione ad gentes disertis in hunc modum verbis inculcat; *Orpheus*, inquit, *sane quidem multitudinis Deorum, sive plurimæ divinitatis, ut sic aliquis dicat: primus auctor, qualis posterius ad filium suum Musæum, ac reliquos germanos, verosque auditores de vero, eodemque solo Deo prædicaverit, necessarium visum est nobis exponere.* Hæc Iustinus. Et idem lib. quem de

Deuteronomii c. 32.

Id. c. 1.

Musæus Orphei filius.

Iust. Mart. exhort. ad gent.

Orpheus multa de Deo vero versibus edidit.

ipsius

Iust. de monar. Dei. ipsius Dei monarchia edidit, isthæc in rem præsentem inserit: *Testimonium*, inquit, *mihi quoque dicet Orpheus, qui trecentos sexaginta Deos subintroduxit in libro, quem Testamentorum titulo inscripsit; ubi eum pœnitentia ductum, resipuisse apparet, ex eo quod scribit:*

Carmen Orphei ad filium suum de Deo vero.

Solis canto piis, procul, ô procul este profani,
Tu Musæe audi, lunæ sate stirpe silentis,
Perniciosa prius, vita quæ adversa futura
Ex me cognosti: sed nunc te vera docebo.
Inspectans Verbum divinum, huic totus inhære.
Pectoris hoc mentem sacri, gressusque guberna,
Incedens recta, Regemque hunc orbis adora.
Vnicus est, per se existens, qui cuncta creavit, &c.

Vides quali argumentorum pondere pro resipiscente profano quondam homine Orpheo contra impugnantes Iustinus martyr in acie stet, contendatque. At in re admodum gravi atque ancipiti, & quæ multorum item sententiis valide comprobanda est, Clemens Alexandrinus adhortatione ad gentes Iustino his plane verbis adstipulator accedat. *Clem. Alex. adhort. ad gent.* *Thracius sacrorum simul interpres & poeta, Oeagri filius Orpheus, postquam Orgyorum sacra fuit effatus, & simulachrorum exposuit Theologiam, recantationem vere sacram, sed sero tamen canens orationem; quam refert hujusmodi.*

Audi vera loquor, nec quæ olim visa fuere
Pectoribus, charæ te privent lumine vitæ.
Verbum est aspiciens divinum, assistere nunquam
Huic cessa, mentemque tuam, & cor dirige recta
Atque via ingredere, mundi autem respice Regem,
Solum immortalem.
Ex se unus genitus, genita & sunt omnia ab uno,
Versaturque in eis ipse, ex mortalibus ullus
Nec videt hunc, contra sed cunctos aspicit ipse, &c.

Et ad præmemoratorum Carminum calcem isthæc subtexit:

Ast homo consilio ne tu cunctare sagaci,
Sed propera placare Deum, mox ipse reversus.

Audis quæ vir à veritatis quondam tramite devius, nunc vero Deo aspirante è lubrico redux, saluberrima salutis monita pretiosa velut animi pharmaca Christianis auribus ingerat. Nec vero, ut proposito insistamus, Theodoretus miram recolendamque Orphei à commentitiis erroribus, quibus olim tenebatur, resipiscentiam silentio præterire voluit, dum his rem totam verbis prolixius enarrat: *Theod. l. 3. de princ. to. 1.* *Orpheus autem Odrysius profectus in Ægyptum, hæc de Deo præfatus est, quæ vocalissime ita testatur:*

Perfectus Deus est, qui perficit omnia solus.
Ipse eadem lustrans, oculis nec cernere cuiquam
Hunc hominum liceat, tamen idem cuncta tuetur.
Conspectus nulli, quoniam caliginis atræ
Obsistunt nebulæ, & mortalia nubila nobis,
Et pupæ tenues, caro circum atque ossa resistunt,
Ipsum autem magnum superest innixus Olympum
Aurato residens solio, pedibusque sub ipsis
Pressatur tellus, dextram usque ad littora tendit
Oceani, montes imis radicibus acti
Contrepidant, nec ferre queunt ea numina dorso.
In cælo residens, imis tamen omnia terris
Perficit hic caput, hic medium, finesque tuetur.

Hæc ille, quibus immensam, incircumscriptamque, ac prorsus ineffabilem Dei magnitudinem aptis in rem verbis circumscribere, & Apostolicis quidem sermonibus valde consone vir iste elocutus fuisse visus est. De Deo enim quid aliud eleganter adumbravit Apostolus ad Timoth. scribens, dum ait: *Beatus & solus potens Rex regum, & Dominus Dominantium: qui solus habet immortalitatem & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum videre potest, cui honor & imperium sempiternum, Amen.* *Ep. 1. ad Tim. c. 6. n. 16.*

2 Verum illud à nobis hic caute præmittendum videtur, cum de externorum hominum, & à fide alienorum doctrinis, etsi veritati consonis, ac per se probatis agitur, quas manu quodammodo ab eisdem acceptas mutuari contigit, illud, inquam, præmittendum est, quod Augustinus in libro contra Faust. lynceis in hæc verba oculis adnotavit: *Sibylla porro, vel Sibyllæ, & Orpheus, & nescio quis Hermes, & si qui alii vates, vel Theologi, vel sapientes philosophi gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixisse, vel dixisse perhibentur, valet quidem ad paganam vanitatem revincendam, non tamen ad istorum auctoritatem amplectendam.* Quid enim Christianorum assertis eorumdem conferat auctoritas, quos Christi fides, sine qua *Deo placere nemo potest*, nobis nullatenus commendavit.

Doctrinæ infidelium etiam veræ, non probant, sed ipsismet tantum convincunt. *S. Aug. l. 13. c. 5. cont. Faust. t. 6.*

3 Christiani igitur antiquæ probitatis, qui gentilitiis procul deliramentorum superstitionibus abdicatis, Christo nomen dederant, ipsius Orphei in sacrorum abditis Cœmeteriorum imaginem pingere eo quidem animi consilio opportunum rati fuere, ut eandem nimirum intentis subinde oculis conspicientes, ipsummet, quem sectati inter superstitionum tenebras fuerant, & cujus dictis ac imperio paruerant, antiquorum recantasse errorum palinodiam probe meminissent, eundemque salutaris pœnitentiæ vi ad meliorem frugem traductum, quamplura divinis Christi dogmatibus mirifice consona plectro enarrasse, dum pictam suspicerent imaginem secum mente recolerent. Et ut uno verbo singula complectamur, mira quadam pingendi arte sub ipsius Orphei typo Christum quoque Salvatorem quodammodo adumbratum fuisse intelligerent, vivifica dulcisonæ Crucis lyra, atque inexhausto meritorum cumulo, potenti insuper divini ipsius Verbi voce, quæ cuncta complectitur, effera quæque, atque inhumana hominum corda novo inusitatoque portenti genere blanda, ac mansueta perficiens, ab ipsiusmet Tartari faucibus addictas sibi credentium animas potenter extraxerat. Orphei demum similitudinem Christo optime consonam Christiani meditabantur: hic enim illius adinstar, qui dulcisonis, & concinnatis ad plectrum vocibus feras pertrahebat, universum ad se mellifluis, quæ ex ore jugiter eructabat, æternæ vitæ oraculis terrarum orbem divinitus pelliciendo attraxit, ut ipsemet longe ante perspicuo patentique divinæ vocis oraculo prænunciaverat: *Ego si exaltatus fuero, inquit, à terra, omnia traham ad me ipsum.* *Io. c. 12.* Ad quod præterea valide comprobandum ipsa Hieronymi verba mirifice faciunt, quæ de arcana ipsius vi ad allicendos, trahendosque hominum animos hunc in modum eleganter edisserit: *Certe fulgor ipse, inquit, & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide, & succinis hæc esse vis dicitur, ut annulos & stipulam & festucas sibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos volebat?* *S. Hieron. in Matt. c. 9. l. 1.* Hæc in rem præsentem Hieronymus, qui ad omnimodam divini item Verbi vim mortalibus inculcandam, isthæc in Matthæum congerit: *Hier. l. 3. in c. 21. Matt.*

Orpheus in Cœmeteriis cur depictus?

Lyra Orphei symbolum Crucis Christi.

Christus Dominus, sicut Orpheus omnia trahit ad se.

Igneum

Igneum enim quiddam, inquit ille, *atque sidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie.* hucusque Hieronymus. Idem plane Origenes, & peracute quidem his verbis adnotavit: *Vis tibi adhuc amplius quid ex divinis Scripturis ostendam, quomodo major cura salutis erga homines Deo est, quam diabolo perditionis? Num aliquid non sufficiebat angelorum diligentia adversus insidias dæmonum, & adversus eos, qui ad peccandum homines trahunt? Ipse Unigenitus, ipse namque Filius Dei adest, ipse defendit, ipse nos custodit, ipse nos ad se trahit. Audi quomodo ipse dixit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Nec sufficit eum esse nobiscum, sed quodammodo vim nobis facit, ut nos pertrahat ad salutem. Ait enim alio loco: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Vides quomodo non solum invitat volentes, sed etiam cunctantes trahit?* Vides plane divini istius Orphei vim omnino admirandam, & in pertrahendo cuncti potentem, ut palam Origenes adumbrat, qui hæc coronidis instar enarratis infra subtexit: *Sic ergo non solum invitamur, sed trahimur, & cogimur ad salutem, &c.* hæc Origenes.

Orig. ho. 20. in Matt. 29.

4 Nec unus dumtaxat Origenes in Orphei aptis verborum coloribus imagine elucidanda ingeniose elaboravit, sed Clemens Alexandrinus loco, quem supra recensuimus post immanium enarrata, quibus se turpiter Orpheus infecit, errorum piacula, ac cæteros subinde, qui inanem Deorum cultum impietate haud impari æmulantur, acriter insectatus, hæc de Christo Domino in medium profert: *Sed non talis est meus cantor*, de Christo loquitur, *sed venit paulo post dissoluturus acerbam servitutem dæmonum tyrannidem obtinentium, ad suavem autem, & benignum religionis, & pietatis in Deum jugum nos traducens, in Cælum rursus evocat eos, qui humi sunt abjecti. Solus quidem certe ex iis, qui unquam fuerunt, difficillimas feras, homines mansuefecit. Volucres quidem eos, qui ex ipsis sunt leves: serpentes vero eos, qui deceptores, & leones eos, qui sunt rapaces: lapides autem & ligna sunt insipientes. Præterea autem lapidibus quoque est insensibilior homo, qui est cinctus ignorantia.* Et tandem ubi ad rem nostram plura congessit, & postquam comparationem ejuscemodi argumentis quampluribus comprobavit, rem totam hunc in modum dirimit, atque concludit: *Has ergo omnes immanissimas feras, & tales lapides ipse cælestis cantus in mansuetos homines transformavit. Vide quantum potuerit novum hoc canticum, homines ex lapidibus, & humanos, ac mites fecit ex feris.* Hæc Alexandrinus.

Christus Dominus cum Orpheo collatus.

Clem. Alex. exhor. ad gen.

Homines brutis assimulati.

5 Verum enimvero descripto à nobis hactenus Orphei symbolo haud suam quoque desiderari auctoritatem patitur Hieronymus: quippe qui in illa Isaiæ verba *Habitabit lupus cum agno*, quæ quidem Iudæi perperam, ut somnianti mos est, interpretantes, illa sub extremam rerum universarum periodum, ac totius orbis ad interitum vergentis excidia complenda omnino fore asseverant, hanc tamen eandem similitudinem in medium profert, ac mirifice insuper comprobat, sed verba quæso tanto condigna scriptore excipiamus: *Hæc quoque Iudæi, inquit, & nostri judaizantes, juxta literam futura contendunt, ut in charitate Christi, quem putant in fine mundi esse venturum, omnes bestiæ redigantur in mansuetudinem, & pristina feritate deposita, lupus & agnus pascantur simul, &c.* Nec hactenus recensita enarrasse contentus, hæc infra ad rem nostram subtexit: *Cæterum juxta vivificantem spiritum facilis intelligentia est. Lupus enim Paulus, qui primum persequebatur Ecclesiam, de quo dictum est: Benjamin lupus rapax &c. habitavit cum agno, vel Anania, à quo baptizatus est: vel Petro Apostolo, cui dictum est: Pasce agnos meos.* In illa item ejusdem Isaiæ verba: *Leo quoque ferocissimus, & ovis & vitulus pariter morabuntur*, isthæc argute proloquitur: *Quod quotidie, inquit, cernimus in Ecclesia, divites & pauperes, potentes, & humiles, Reges atque privatos pariter commorari, & à pueris parvulis, quos Apostolos intelligimus & Apostolicos Viros, &c.* ad illa, videlicet, Prophetæ verba mirifice alludens: *Et Puer parvulus minabit eos.* Demum sanctissimus idem doctor visionem Petro divinitus exhibitam, multiplicium scilicet animalium mystico illo lintei sinu exceptorum, edisserens, hæc ad rei propositum affert: *Quam diversorum prius morum conjunctionem, etiam B. Petrus in vase linteo, quod de cælo demissum est, se vidisse testatur, habente quatuor principia, quæ quatuor mundi plagas intelligimus, ut repletam terram Dei scientia cognoscimus. In quo vase erant quadrupedia, & serpentes & bestiæ, & volatilia Cæli, ut quod arca in diluvio, hoc Ecclesia præstet in mundo.* Audis quanta ex brevi linteaminum sinu, Apostolicos ob oculos patulo sub irrationabilium item animalium cortice, humanæ rationi sacramenta inter contemplandum arrideant.

Hier. in c. 11. Isai.

Hie. in Isa c. 11. l. 4. Quomodo tempore Christi bestiæ mansuefieri dicantur.

Hier. in Isai.

6 Demum in Orphei symbolum eleganter quidem ludens Eusebius oratione, quam habuit de Constantini laudibus, pulchra congessit: *Ad hunc modum, inquit, communis omnium Servator per instrumentum humani corporis, quo se circumdedit, se beneficum omnibus præstitit, & salutarem, non aliter quam musicus, qui suam in arte peritiam per lyram declarat Orpheus, ut in fabulis Græcorum est, omnia ferarum genera cantu permulcere, & instrumenti fidibus plectro percussis, belluarum immanium furores mitigare potuit. Quæ res à Græcis & passim decantatur, & vera esse creditur, quod scilicet lyræ inanimi concentu tum feras mansuescere, tum arbores, quæ fagi vocantur, musicæ suavitate delinitæ, situs suos mutare solent. Eodem modo igitur sapientissimus Dei sermo, cujus vi, ac potestate omnia continentur, cohærens animis hominum, omnium vitiorum generibus oppressis, varias curationes adhibere hominibus, & humana natura, tanquam instrumento musico, à sua ipsius sapientia fabricata, in manus accepta cantilena, & quasi incantationes animantibus non expertibus ratione, sed ejusdem participibus, occinere cœpit, omnes feros mores tam Græcorum, quam barbarorum, omnes etiam agrestes, & immanes animorum perturbationes salutaribus cælestis doctrinæ medicamentis sanavit, &c.* hæc Eusebius in Constantini Augusti laudem blandos Imperatoris dignissimi mores stylo prosecutus enarrat.

Eus. or. de laud. Const. Imp.

Quomodo Christus, ut Orpheus fera hominum ingenia permulserit?

7 Plura autem testimonia sunt, quæ velut symbolicæ Orphei ipsius imagini consona, ad susceptæ enarrationis propositum comprobandum hic coacervari simul possent, nimirum Gregorii Nysseni in Hexamer. Irenæi lib. adversus hæreses, Ioannis Chrysostomi homiliis in Genesim, & præsertim homilia 23. in cap. 6. & homil. 29. in cap. 9. Leontii Episcopi Cypri contra Hebræos in antiqu. lect. Cassiodori in psalmos, & aliorum sacrorum item scriptorum, quæ brevitatis gratia, ne tædium studiosis lectoribus inferamus, ultro libenterque omittimus. Illud tamen hic haud præteriisse volu-

Greg. Nyss. or. 1. in exam. Iren. l. 5. c. 8. adv. hær. Chrys. ho. 23. in c. 6. ho. 29. in c. 9. Leont. ep. to. 5. cont. hær. Cassiod. in ps. 49.

volumus, Orphei quoque nomine ipsummet Davidem, quem patentissimum Christi symbolum extitisse nemo est, qui nesciat, à sacris plerisque scriptoribus appellatum fuisse, ut præcipue à Georgio Piside de mundi opificio in Bibliotheca Patrum, explicans verba illa psalmi, *Extendens cælum sicut pellem*, sic ait:

Bibl. Pat. to. 8.

Tu pellis instar explicavisti polum,
Namque tuus Orpheus fila contrectans lyræ
Deum canentis nuncupat pellem polum.

Verum Iustinus Martyr loco, quem supra citavimus, piis, probisque viris, harmonicam Orphei lyram hæc dicens comparat: *Atque ita divinum*, inquit, *de Cælo plectrum descendens, quasi instrumento quopiam citharæ alicujus, vel lyræ viris justis utens, divinarum nobis & cælestium rerum cognitiones revelaret.* hæc ille.

Iust. Mart.

8 His igitur & quampluribus aliis, quæ hic à nobis in medium afferri possent rationibus unusquisque edoctus, absurdum neutiquam, atque execrandum pronunciare audebit, quod antiqui in sacris Cœmeteriorum tabulis Christiani prophanam Orphei imaginem coloribus expresserint: cum hic præsertim, apud quos tam frequens ejusdem imago in usu habebatur, Alexandri potissimum Imperatoris exemplo ad id præstandum permoveri potuerint, qui propensiori erga Christianam religionem animo affectus, descriptam hactenus Orphei imaginem suo in larario unà cum venerandis Christi atque Abrahami imaginibus religiose colebat, ut in ejusdem gestis Lampridius his verbis testatur: *Alexander Severus matutinis horis in Larario suo, in quo & divos principes, sed optimos, electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & hujusmodi Deos habebat, ac majorum effigies, rem divinam faciebat.* Et hæc interim de symbolica Orphei imagine Christum adumbrante, qua sacra passim Christianorum Cœmeteria illustrantur, in studiosi gratiam lectoris exposuisse voluimus.

Alexander Imp. imaginem Christi, & Orphei in sua Larario locaverat.

Lam. prid. in Alexand.

CAP. XXII.

De duobus Græcis elementis A. & Ω.

1 A Recolendis potissimum imaginibus, quæ multiplici colorum genere exsculptæ Christum Salvatorem Christianorum oculis contemplandum objiciebant, stylum contrahentes, jam ad symbolicas figuras, ac notas, quibus tum Christus designabatur, sermonem convertimus. Præter recensita enim hactenus, quæ de symbolis, atque imaginibus, quibus Cœmeteriales passim cumulantur tabulæ, prolixiori sermone digessimus, sacrosanctum Christi nomen variis item formis, ac notis pia antiquorum Christianorum manu exsculptum, sed Græcis duabus illis præcipue A. & Ω. prima videlicet, ac postrema Græcis ipsius alphabeti litteris exaratum conspicitur; quibus potissimum notis ipsemet Deus, ut res ad sua derivetur initia, Euangelistæ Ioanni innotescere, ac terrarum Orbi palam fieri voluit: *Ego sum*, inquit, *Alpha, & Omega, principium, & finis.* Quapropter sacrosanctum Christi nomen, quod Græcis istis duabus notis exprimitur, Crucis quoque mysterio, honoris gratia Christiani obsignabant, ut in secunda Cœmeterii Pontiani tabula Via Portuensi videre est: ibi enim gemmatæ Crucis imago rosarum sertis undique nobiliter exculta, & notis insuper venerandi Christi nominis A. & Ω. hinc inde è Cruce pendentibus, supra sacrum Altare contemplanda intuentium oculis exhibetur, ut supra lib. 6. cap. 4. enarratum est. Et merito quidem jure, cum Deus Opt. Max. cunctarum rerum principium pariter, ac finis existat, primo, ac novissimo Græcarum elocutionum elementis ejusdem nomen exprimitur, ac definitur. Quod sane pereleganter antiquissimus ille inter scriptores Tertullianus in hæc verba edocuit: *Sic & duas*, inquit, *literas Græcas, summam & ultimam sibi induit Dominus, initii, & finis concurrentium in se figuras, ut quemadmodum Alpha ad Omega usque volvitur, & rursus Omega ad Alpha replicatur, ita ut ostenderet in se esse initii decursum ad finem, & finis recursum ad initium, ut omnis dispositio in eum desinens, per quem cœpta est, per sermonem scilicet Dei, qui caro factus est, proinde desinat, quemadmodum & cœpit.* Vides quantum vel bina muta Græci sermonis elementa immensam, incircumscriptamque Dei naturam loquantur.

Nomen Christi duobus Græcorum elementis expressum.

Apoc. 1. & 22.

Mysterium duarum literarum Alpha, & Omega.

2 At doctissimus vir Beda de Græcis istis literis sermonem agens in Apoc. 1. verba, quæ hactenus recensita sunt, alia prorsus ratione subintelligenda esse affirmat; sic autem in rem præsentem inquit: *Ego sum Alpha & Omega, initium & finis. Initium, quia nullus præcedit: finis quia nullus in regno succedit.* Huic autem sententiæ Augustinus hæc dicens mirifice adstipulatur: *Ipse de se dicit: Ego sum primus & novissimus. Indubitanter agnosce, quod priorem non potest habere, qui primus est. Item: Ego sum Alpha & Omega. Sicut Alpha literarum nulla præcedit, ita & Filium Dei nulli secundum constat esse.* Verum Hieronymus in libro, quem contra Iovinianum edidit, Tertulliani sententiæ mordicus inhæret: *Docet*, inquit, *Apostolus scribens ad Ephesios, Deum præposuisse in adimpletione temporum recapitulare omnia, & ad principium retrahere in Christum Iesum, quæ sunt super Cælos, & super terram. Vnde & ipse Salvator in Apocalypsi Ioannis: Ego sum, inquit, Alpha & Omega, initium & finis.* Neque prætereundus hic silentio Rupertus Abbas videtur, qui miro quodam modo ipsamet verba hunc in modum explanat: *Quid dixerit*, inquit, *quid intelligi velit per Alpha & Omega, confestim exponit dicendo:* Principium & finis. *Duæ nempe literæ Græcorum, quibus & cujus linguæ Ecclesiis hunc librum scripsit, duæ, inquam, literæ illius linguæ, summa & ultima ista sunt. Vt ergo dubium non sit, quale, vel cujus rei principium sit, vel finis: per Alpha commoniti, quæ prima est, ad sacræ Scripturæ exordium respiciamus, ubi scriptum est: In principio creavit Deus Cælum & terram. Et per Omega, quæ ultima est, item commoniti, ad finem ejusdem Scripturæ in Euangelico volumine respiciamus, ubi scriptum est: Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Vt veraciter credamus, & confiteamur hunc esse principium, in quo omnia facta sunt: & finem sive consummationem, qua omnia restaurata & perfecta sunt.* Audis, quot verba, tot sententias ad sacrum Christi illustrandum nomen disertissimi hominis ore prolatas, quibus egregie Prudentius quoque suis carminibus consonat, dum hymno, quem nonum in ordine de Christo cecinit, iisdemque plane sententiis confirmat:

Beda in Apoc. 1.

S. August.

S. Hier. l. con. Iovin.

Rupe. Abb. in Apoc. l. 1 c. 1.

Prud. hom. 9. Cathemerinon.

Alpha & Omega cognominatur,
Ipse fons, & clausula omnium,
Quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt.

Sed

Sed profanis quoque scriptoribus, ut singula perstringamus, loquendi hæc formula usitata fuit. Martialis enim in epigrammatum libro, quem conscripsit, Codrum quemdam *Alphapenulatorum* appellavit. Et Eratosthenes insignis prolyhistor, eo quod in omni scientiarum genere secundas ferret, velut singulariter edoctus aptato meritis nomine *Beta* nuncupatus est. Et hæc pro sacrosancto Christi nomine Græcis litteris concepto in studiosi gratiam lectoris congessimus.

CAP. XXIII.

De Græco ☧ *nomine.*

Nomen Christi duabus literis Græcis Chi, & Rho expressum.

Divinissimum Christi Salvatoris nomen, quod illi cælitus inditum, muneri potius quam naturæ consonat, Angelis quidem, ut Apostolus ait, venerationi, hominibus obsequio, ac ipsismet dæmonibus pavori est. De hoc quippe Apostolus ait: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Verum Christiani haud tam frequenter supra recensitum Salvatoris nomen usurpantes, Christi passim nomine in sepulchralibus titulis, & in Cœmeterialibus præsertim Cubiculis usi fuere, à quo ipsi nimirum vocis, quam præferebant, denominationem traxerant. Christi igitur nomen Christianis usitatissimum extitit, *quod*, ut Lactantius ait, *haud proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis, & regni.* Regiam enim potestatem speciosum istud nomen significat, & *Christus*, Augustino teste, *Sacramenti plane nomen est*: Græcum quippe nomen χριστός à verbo Græco χρίω, id est ungo, Hebraicum autem Massiach à verbo משח Massach, quod idem significat, ac ungere, Latinum demum unctus resonat. Quo potissimum nomine in sacris divinarum scripturarum paginis Reges appellantur: *Faciens misericordiam Christo suo David.* Et alibi: *Non mittam*, inquit, *manum in Christum Domini.* Reges enim cum apud Iudæos primum renuntiabantur, oleo ipsa Prophetarum manu perfundi consueverant: *Inveni*, inquit, *David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.* Verum sicut ab externa olei unctione Reges, ita pariter ab interna, ac mystica, quam illa præsignabat, Christus Messias, & unctus per antonomasiam appellatus est: quapropter jure de eo Regius Psalmista cecinit: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Et semetipsum Christus, Christum utique, id est, unctum nuncupavit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.* Vt egregie autem Gregorius Nazianzenus edisserit, Christus Dominus unctus dicitur, quia divinitas unctionis locum tenebat: *Dicitur unctus*, inquit, *propter divinitatem, ea enim humanitatis unctio est.* Christiani igitur, quibus sacrum Christi nomen à mystica unctione derivatum animo altius insederat, & primævos item Christianæ fidei sectatores, qui apud Antiochiam demorabantur, Christi nomine nuncupatos fuisse recolebant: *Ita ut*, inquit Lucas, *cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani*; hoc plane nomen frequentius præsignare, inscribere, insculpere, atque in Cœmeterialibus locis usurpare consueverunt; Christi quippe nomine unà cum Apostolo jugiter insigniti illud Christo canebant: *Christi bonus odor sumus Deo*, id est, ut erudite Theophylactus edisserit: *Quocunque abierimus, odorem spiritualis unguenti circumferimus, cognitionis videlicet Dei in omni loco hominibus bono suffitu afflamus.*

Ad Phil. c. 2.

Lact. l. 4. de sap. c.

Aug. lo. c. 2. Sebast. Barrad con. Euang. l. 9.

Psal. 15. 1. Reg. 24.

Psal. 88.

Psal. 44

Isa. c. 63.

Naz. or. 4. de theol.

Act. c. 17.

ad 2. Cor. 2

Theoph. in ep.

2 Hac igitur Græcorum voce ubique locorum venerandum Christi nomen frequenter apud antiquos expressum reperitur, ex duabus Græcis literis videlicet Chi; & Rho hoc plane modo: ☧ Quæ quidem celeberrimæ vocis nota, etsi à Constantino Magno in suo militari labaro usurpata aliquando fuerit, postquam illi è Cælo vivificæ Crucis signum præmonstratum est, in quo faustam illi Deus atque optatam validissimo ab hoste victoriam pollicitus fuerat, juxta id quod Prudentius cecinit:

Signum solemne Christianis ante tempora Constantini

Christus purpureum gemmato textus in auro
Signabat labarum.

Prud. cont. Symm.

Veruntamen, ut veritas ipsa magis eluceat, certum quoque, ac indubitatum omnino est, longe ante Constantini tempora hanc ipsam notam apud Christianos in usu fuisse, cum haud pauca in Cœmeteriis sacris sepulchra reperiantur, quæ præclare ejuscemodi notis insignita non sint, ut in quampluribus titulis tertio hujus Subterraneæ Romæ libro recensitis compertum fit, ac præsertim in sepulchris Marii martyris sub Adriano: Alexandri item martyis sub Antonino, & demum Caji Papæ & martyris sub Diocletiano palam videre est, in cujus potissimùm sepulchro, quod hac nostra ætate in lucem venit, tria insuper ejusdem Diocletiani numismata reperta sunt. Nuper autem, ut res exemplo comprobetur, intra Cœmeterialem alterius Marii Ianuariani martyris tumulem æneum quoddam Iuliæ Augustæ, quæ Severi quondam Imperatoris conjux fuit, numisma egregio quidem artis opere exculptum latebat, Vestæ sacrificium ex altera facie contemplandum exhibet, quod ab Illustrissima Marchionissa Angelella pretiosi instar monimenti, ut jam lib. 3. cap. 22. diximus, tibi nunc contemplandum offertur.





Fideles enim in tumulandis sanctorum martyrum exuviis Imperatoris quoque, sub quo martyrio iidem coronati fuerant, juxta illos numismata studiose reponere consueverant. Nec vero, ut ad sua redeat oratio, martyrum dumtaxat sepulchris sacrosanctum Christi nomen insculpere apud Christianos olim in more positum fuit, sed & numismata insuper ex ære confecta hoc salutari nomine prænotata collo appensa jugiter deferre consueverant: quod vel ex eo potissimum confirmari videtur, quia in quodam Cœmeteriali tumulo, ubi venerandum martyris corpus recondebatur, numisma affixum æneum ita plane insculptum novissime adinveniri contigit: foramine autem, quod summitati inerat, illud martyri ad deferendum inservisse demonstratur: cujus ex prototypo iconem Ioannes Carolus Vallonus Acolythus Apostolicus in recolendæ anti-

Numismata Imperatorum in sepulchris martyrum indicant tempus martyrii.

tiquitatis monimentum hic tibi contemplandam offert.



Verum non apud Christianos tantum, sed & apud Ethnicos, eadem olim figura, qua sacrum Christi ☧ nomen constat, usu recepta, sacrasque inter Ægyptiorum notas recensita fuit, ac in plerisque æneis Regum Ptolemæorum numismatibus adnumerabatur, ut in nobilissimo olim Lælji Pasqualini, nunc autem Eminentissimi Cardinalis Boncompagni, ejusdemque familiæ Musæo conspicitur. Verum enimvero una eademque Græci idiomatis nota diversam plane apud gentiles interpretandi rationem sortiebatur: nonnulli enim ejuscemodi vocis sono Χρηστέλον exprimi, alii Χρυσάορος, peculiare apud quosdam Jovis epitheton, *Chremen* alii, qui ex Atheniensium Principum numero unus fuit, designari putaverunt. Grethserus autem de Cruce to. 1. lib. 2. cap. 28. ubi varias hac de re scriptorum sententias refert, probabiliori quidem argumento subnixus hac nimirum voce Χρηστόν denotari pronuntiat, quod idem plane nostris subinde auribus sonat ac *bonum, benignum, suavem, clementem, utilem*, & gloriosos ejuscemodi Ptolemæorum Ægypti Regum titulos, qui in ipsius Tertulliani Apologetico cap. 3 descripti recensentur.

Numismata Ptolemæi cum X. & P. eorumque explanatio.

Chrysaorus epitheton, Iovis.

Gret. de Cruce to. 1. l. 2. c. 28.

Tertull. apolog. c. 3.

3 Præstat autem hoc potissimum loco subtexere, quæ Gregorius Longus tractatu de signatoriis antiquorum annulis satis erudite de hoc speciatim signo; his plane verbis edisserit: *Quoniam vero frequens notæ hujusce usus, multis etiam ante seculis occurrit, quam humanam carnem Christus indueret, ac proinde tam sanctum nomen innotesceret, eo fit ut in varias sententias de notæ intelligentia viri docti discedant.* Quibus præmissis hæc paulo infra ad rei propositum subjicit: *Quidam*, inquit, *cautius & verius ajunt esse notam nominis ignoti, cujus primæ literæ.* X. P. *Moris enim fuisse propria nomina Præfectorum rei, seu monetæ in nummis exprimere.* Nec desunt præterea antiquarum ejuscemodi rerum notarum exploratores, qui signa hæc officinæ, vel certe magistratus notas fuisse existiment. Hieronymus vero Borserius præter multiplices quidem rationes, quibus præmemorata Græci sermonis nota pacem apud antiquos designatam ostendit, prout tom. 3. Theatr. Insubr. Magnificentiæ lib. 27. edisserit: probi autem Augusti potissimum numismate, in quo similis nota efficta conspicitur, validissimi instar argumenti pro se jaculum intorquens, pacis potius quam sacrum Christi nomen indicari arbitratur; haud enim ethnico Imperatori, & à religione Christianorum maxime alieno, Christi nominis notitia ad scribenda videtur. Sed nunc ad rei propositum isthæc Georgium, quem supra citavimus, enarrantem excipiamus: *Ego licet præter conjecturas, quod adferam, sicut & alii, non habeam, arbitror tamen cum Iacobo Gretsero lib. 2. de Cruce cap. 28. nota illa in antiquis numismatibus vocem* Χρηστός *signari, hoc est*, bonus, benignus, clemens. *Quemadmodum & Ptolemæi nummum, de quo idem Gretserus, principis bonitatem ea nota indicasse, perspicuum est; ex eo quod alii etiam honorificis cognomentis à virtutibus ipsis desumptis, Ptolemæus* Evergetes, Philadelphus, & Philometor *dictus est*. hæc erudite in rem præsentem Georgius.

X. & P. apud Ethnicos quid significarent?

Georg. Long. tract. d. ann. sign.

Bor. to 3. Theat Insub. l. 27.

4 At vero Isidorus Hispalensis lib. 1. orig. cap. 20. de hac ipsa voce, quam *Chresimon* appellat, prolixiorem quidem sermonem instituens, eadem plane interserit, aitque, si quid apud scriptores inter legendum censura, vel certe animadversione dignum aliquando occurreret, signari consuevisse. Quod Cassiodorus libro de divinis lectionibus de Origene loquens, his plane verbis confirmat: *Quapropter*, inquit, *in operibus ejusdem Origenis, quantum transiens invenire prævalui, loca quæ contra regulas Patrum dicta sunt, hæresim disputatione signavi.* Ita prorsus novissima editio præsefert, ubi in ipsiusmet libri margine typographus pro *Achresimi repudiatione*, alias *Achresimi disputatione* adnotavit; quamvis librariorum forsitan incuria in ipsa, quæ leguntur, verba mendum irrepserit, & *Achresimon* pro *Chresimon*, pro *dispunctione* vero *disputatione*, typus edi contigerit. Quod erudite in suis symbolicis epistolis, epist. 24. Pignorius oculis lynceis expendit; ubi & de perantiquo notæ ejusdem usu quæ ipsismet olim servorum collaribus apponi consueverat, se satis superque in Commentario, quem *de servorum ministeriis* inscripsit, disseruisse pronunciat; illud unum postremo loco addens, hac insuper nota, cujus mentio agitur, compendiaria quadam ratione ejus, qui cudendæ olim monetæ præfectus fuisset, apte nomen significari potuisse, nimirum *Chrysodori, Chrysanthi, Chrysippi*, vel certe alterius hujuscemodi nomine inscripto.

Isid. Hisp. l. 1. orig c. 20. Chresimon quid significet?

Cassiod. lib. de div. nomin.

Pign. in symb. ep. 24

5 Nec vero absurdum cuiquam videatur, si quemadmodum olim apud Ægyptios literæ T. & X. ipsiusmet symbolum Crucis designabant, pari quoque ratione ejuscemodi nota Christum Crucis ligno ☧ suffixum præsignari dixerimus. Quamvis enim Ethnici in ipsa meridiana luce velut cæci palpantes, & mille errorum tenebris circumquaque obvoluti, mysterium nequaquam, quod rudibus sub elementis latebat, intelligerent, quin potius vocem ipsam quandoque usurpantes quid omnino à re, de qua nunc quæritur, alienum hac voce exprimerent, peculiari tamen arcanoque Dei Consilio obtigisse credimus, ut una eademque nota secretiore quodam symbolo tum venerandæ Crucis signum, tum ipsiusmet Crucifixi imago intuentium oculis adumbraretur, quod & de quampluribus aliis gentilitiam olim superstitionem redolentibus, quæ sacro postmodum religionis usui cessere, & in veneranda insuper Christianorum promptuaria, omni penitus superstitione abolita, expurgatisque ritibus, invehi meruerunt, abundè jam supra diximus.

T. & X. Crucem Domini significant.

6 Ex promiscuo igitur ac profano usu, cui inserviebat, notam hanc à magno & præcipuæ pietatis Imperatore Constantino vindicatam fuisse, credere nobis par est, ut ipsum videlicet Christum Dominum diro & contumelioso Crucis patibulo nostræ salutis causa suffixum intuentium tum oculis tum animis contemplandum exhiberet, qui, ut Sedulius eleganter cecinit,

—— Pœnam vestivit honore,
Ipsaque sanctificans in se tormenta beavit.

Sedul poet. l. 5.

Iam tum enim ejuscemodi symbolo sacrum Christi nomen venerationi, & crucis signum, quod dedecoris erat nota, decori ipsismet Imperatoribus esse cœpit: *Crux*, inquit Augustinus, *à locis suppliciorum*

Aug ep. 36.

rum

rum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Iam tum, ut Hieronymus asserit, *Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli Salvatoris pictura condecorat.* Jam tum, inquam, Crucis signo suam Christus orbis divinitatem patefecit: *Iam enim in purpuris Crux, in diadematibus Crux, in armis Crux, in toto Orbe Crux, & super Solem fulget Crux,* inquit Chrysostomus. Ad quod allusisse Constantinus Imperator visus est, dum militaribus hastis in Crucis formam aptatis virum paludamento circumdatum, & triumphantis in morem iisdem insistentem, verbis hisce additis exhibuit: *Virtus exercitus,* ac duplici Tau quod salutis symbolum est, prænotavit. Cujus quidem numismatis iconem, haud amplius typis exceptam, nunc primum è Francisci Angeloni Musæo Joannes Petrus Bellorius rei antiquariæ studiosus ejusdem Francisci nepos hic tibi contemplandam offert.

Hier. ep. ad lot.

Chrys. de not adver. gent. quod Christ. sit Deus.





Nomen Domini à Christianis in omnibus actionibus præmissum.

Sub Christianissimi igitur Imperatoris tempora eadem à Christianis voce sacrosanctum Christi nomen adumbrari, atque exprimi palam cœpit, sub cujus tutelari præsidio, divino invocato numine, cuncta felici jugiter omine aggredi, ac perficere consueverant, juxta id quod Apostolus Colossenses hisce verbis admonet: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi facite. &c.* Quinimo ipsasmet epistolares paginas, quas passim conscribebant, ut prolatis in medium ad hujus secundi Tomi calcem exemplaribus patebit, sacrosancto hoc nomine, exculptoque Christi charactere, quo fidem promererentur, insignire, ac prænotare satagebant, quod certe ibidem Chrysostomus homilia 9. in hæc verba testatur: *Vis aliquid loqui, nomen Dei præpone. Et ideo nos quoque in epistolis nomen Domini præponimus. Ubi fuerit nomen Domini; omnia sunt fausta & felicia. Nam si Consulum nomina efficiunt, ut firmæ, & validæ sint literæ, multo magis Christi nomen, &c.*

D. Chrys. ho. 9. in ep. ad Colos.

Nomen Domini in epistolis Christiani præponebant.

Labarum militare Constantini Imp. quale?

7 Quoniam verò de Constantini labaro supra mentio incidit, haud ab re alienum putamus, nonnulla hic, vel obiter, in rem præsentem afferre, & quidem de vivifico Crucis signo in labari formam ipsius Constantini jussu ab artificibus elaborato, & de Christi nomine Græcis duabus literis ibidem expresso Eusebium ipsum enarrantem audire hic præstat: *Ille,* Constantinus videlicet, *simul atque dies illuxit, surgens primum arcanum illud visum amicis exponit: deinde artificibus, qui aurum & lapides pretiosos affabre sculpere norant, auditis, medio inter illos loco assidet; verbis signi describit effigiem, eam auro, & lapidibus pretiosis imitatione adumbrari mandat: quam quidem effigiem contigit, ut nos olim oculis contemplaremur, ipse enim Imperator, Deo illud largiente, eam nobis ostendere dignatus est, erat autem tali figura fabricata. Hastile oblongum, erectumque auro undique obductum fuit, quod cornu habuit transversum ad formam Crucis constructum, supra in fastigio ejus operis corona affixa lapidibus pretiosis, & auro polite circumtecta. In ea salutaris appellationis Salvatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis, id est, è duabus primis literis nominis Christi erat P, in medio literæ X, curiose, & subtiliter inserta,* ☧ *quæ totum Christi nomen perspicue significarunt, quas quidem literas deinceps semper Imperator in galea gestare consuevit.*

Baron. t. 3. an. 312. n. 23. & seq. Euseb in vit. Const. l. 1. c. 24. 25. 26.

Labari ejusdem descriptio.

8 *Ad cornu illius particulæ, quæ ex transverso erat per hastile trajecta, velamen quoddam pertenue appensum adhæsit, regalis videlicet, & magnifica textura mirabili varietate lapidum pretiosorum, artificiose conjunctorum, lucisque suæ claritate pulchrè resplendescentium depicta, & multo auro intexta: quæ dici non potest quantam spectatoribus ob suam pulchritudinem excitarit admirationem. Istud igitur velamen ad cornu affixum, longitudinis, latitudinisque Crucis mensuram penitus exæquavit. Oblongum verò & erectum hastile in sublime appensum, cujus pars inferior versus basim longius ducta fuit, sub ipsum Crucis insigne ad texturæ discurrentis fimbrias, auream pii Imperatoris pariter, ac liberorum suorum effigiem ad pectus usque concinne descriptam continuit. Isto igitur salutari signo Imperator, tanquam hostilis cujusque & infestæ violentiæ propugnaculo semper usus est, cujus expressæ similitudines mandavit, ut universum exercitium perpetuo antecederent. Verum ista paulo post acciderunt.* Hæc in rem præsentem Eusebius, quibus ipsius Crucis signum, & sacrosanctum Christi nomen labaro insculptum, dicatumque disertis plane verbis palam describit.

9 Quibus & hæc Baronius noster in hujus sanctissimi nominis dedicationem subtexit: *Habes,* inquit, *in labaro per X. P.* ☧ *Christi nomen expressum, per literam enim X. consuevisse Christi nomen intelligi, fidem facit etiam Iulianus Apostata in Misopogone. In hoc vero & illud observandum, mira concinnitate iisdem elementis exprimi simul Christi nomen, & Crucis signum, ut Crux in Christo, & Christus in Cruce monstretur: per X. enim Crux licet transversa notatur, quam in rectam lineam sic alii deducebant,* ⳨ *& id quidem hoc seculo in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria tabula effossa est cum ejusmodi inscriptione, atque signo ad finem posito.*

Baron. t. 3. an 312. n. 23.

MIRÆ INNOCENTIÆ AC SAPIENTIÆ
PUERO MARCIANO
QUI VIXIT ANN. IV. ET MENS. IV.
DIES II. QUIESCIT IN PACE
D. PRID. CAL. DEC. ARBETIONE
ET LOLLIANO + COSS. ⳨
PARENTES FECERUNT.

Sub recensita autem inscriptione, ut Baronius asserit, *character hieroglyphicus sic, ut supra habetur expressus, quem imago togata, seu potius sacra induta veste ibidem sculpta dextera tenet,* quam etsi nos supra, ubi de Priscillæ Cœmeterio egimus, cudendam curavimus, nunc iterum hic studioso lectori, ut facilius innotescat, contemplandam offerimus.

MIRÆ INNOCENTIÆ AC SAPIENTIÆ
PUERO MARCIANO QUI VIXIT ANN. III. ET
MENSES IIII. DIES II. QUIESCET IN PACE
D. PRID. KAL. DEC ARBETIONE ET LOLLIANO COSS. PARENTES.
FECERUNT



Sacrum Christi nomen tempore Constantini quam solemne esset.

Porro Christi nomen multipliciter quidem in imperiali olim labaro expressum fuisse, licet Crux eodem semper modo repræsentata fuerit, ex ipsismet antiquis numismatibus, quæ à Baronio in suis Annalibus delineantur, videre est. Sacrosanctum vero Christi nomen Constantini tempore eum in modum Urbi, & Orbi innotuit, & publicis item exhibitis signis adeo exsculptum est, ut in ejusdem exercitu, ut Prudentius vult, non in labaro dumtaxat, sed & in militum scutis, atque galeis id ipsum Christi nomen affixum fuerit, quod quidem eleganter Prudentius illis carminibus cecinit:

Prud. adver. Symm. l. 1.

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis Crux addita cristis.


Ut apud Baronium in perantiquis ejuscemodi numismatibus multiformiter exsculptis videre est.

Sacrum Christi nomen lucernis impressum ejusque mysterium.

10 Verum enimvero sacrosanctum Christi nomen unica dumtaxat Græca litera, vivificoque Crucis signo prænotatum Christiani longe ante Constantini tempora haud lapidibus, haud Sarcophagis, haud parietibus, immo haud ipsismet fictilibus, sed æneis insuper Cœmeterialibus, lucernis quandoque obsignabant, ut nimirum salutaris vexilli, ac nominis divini splendor se ubique diffunderet, caligantibusque suam inter tenebras oculis lucem ingereret, quod olim celeberrimo ipsiusmet Isaiæ vaticinio editum, decantatumque est: *Donec egrediatur, ut splendor justus est, & Salvator ejus ut lampas accendatur.* Juxta quod item ipse Apostolus edixit: *Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Quapropter, ut in perantiqua lucerna ænea ex Cœmeteriis novissime eruta videre est, quæ Christianis quondam, dum sacra isthæc loca ad synaxes obirent, usui extitisse comprobatur, quam item Carolus Antonius Magninus vir sacræ rei antiquariæ studiosus hic tibi, lector, exhibendam curavit. Venerandum hic Christi nomen unico Græco charactere, videlicet P, & Crucis signo, vel certe nota Tau intersecante efformatum, columbam item ejusdem notæ summitati mystice insidentem, juxta illud Isaiæ oraculum: *Et requiescit super eum spiritus Domini: omnis enim hæc,* ut Hieronymus ait, *de Christo prophetia est,* specioso quidem, ut vides, symbolo præsefert.

Esai. c. 61. n. 1. — *1. ad Cor. 3.* — *Isa. c. 11.* — *Hier. c. 11.*

LUCERNA ÆNEA VETERUM CHRISTIANORUM IN SACRIS COEMETERIIS REPERTA, QUÆ NUNC APUD CAROLUM ANTONIUM MAGNINUM EXTAT.



Crucis signum lucernis impressum ejusque mysterium.

11 Verum, ut pauca his de salutari Crucis signo, quod tam frequens, & tam solemne antiquis Christianis extitit, lectori suggeramus; apte quidem lucernis, quæ ad tenebras effugandas accendi consuevere; idem una cum venerando Christi nomine concinnatum est, ut cunctis ipsa luce clarius innotesceret, & oculis intuentium Crucis gloria objiceretur, eidemque, ut Petrus ait, animis intenderent, *quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.* Crux enim errorum tenebras effugat, & fidei lumen humanis mentibus infundit. Quin immo id eo potissimum consilio præstitere, ne quisquam sub illa primæva tempora, vel persecutionibus impetitus de Christi Cruce erubesceret. Ideo enim Christianæ fidei cultores vivifico hoc signo, Tertulliano teste, frontes mystice, quod quidem *signaculum frontium ab eo* appellatur, obsignant: symbolum quippe est, ut pudor ille, qui ex probro obvenire fronti convenire fronti consuevit, procul, ipso Augustini testimonio, arceatur: *Non sine causa,* inquit, *signum suum in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat.* Haud enim in occultiore aliqua corporis parte, sed in patulo humanæ faciei prospectu venerandum signum imprimitur, ut pudori nuncium remittere didicerimus: *Usque adeo,* inquit Augustinus, *de Cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam Crucem Christi, sed in fronte portem.* Sapienter igitur Christiani haud obscurum, atque occultum Cœmeterialibus in locis ejuscemodi signum inter tenebras subsistere patiebantur, dum lucernis ardentibus non secus, ac in meridiana luce emicare, oculisque hominum objectari gaudebant: *Crux quippe,* ut Ephrem ait, *est lumen eorum, qui in tenebris sedent, &c. Crux spes Christianorum; Crux resurrectio mortuorum, Crux triumphus adversus dæmones, &c.* Congrue igitur Crux olim, ut nunc quoque, adeo frequenter pia Christianorum manu Cœmeteriis, ad obtestandam videlicet mortuorum resurrectionem, affigebatur, & cunctis veluti validum, ac nullatenus

Petr. ep. 2. c. 1. — *Tertul. l. 5. contra Marcion.* — *Aug. in Ps. 30.* — *Aug. in Ps. 141.* — *Cur Crux Christi in fronte Christiani ferre debeant.* — *S. Ephr. t. 3. de S. Cruc.*

nus

nus expugnandum Christiani pectoris munimentum commendabatur: *Hac enim thoracis loco*, ut Ephrem subdit, *amicti milites Christi, sancti Martyres quascumque artes, adinventiones, audaciamque tyrannorum superarunt; hanc Sancti bajulantes, abdicato seculo, ingenti cum gaudio, & alacritate in solitudinibus, & montibus, speluncis, & terræ cavernis sibi mansiones delegerunt.* Vides hic ipsorummet Christianorum Cœmeteriales speluncas incolentium probe sub uno Crucis vexillo descriptam, adumbratamque imaginem.

Crucis figura Christianis olim solemnissima.

12 Quocirca, ut susceptæ enarrationi insistamus, ad tatareas procul arcendas tenebras, absterrendasque ipsius Averni legiones, in Christianorum domibus, ac lucernis Crucis olim vexillum, ut testis est Origenes, rutilabat: *Gaudentes*, inquit, *hoc signum levemus in frontes, quod dæmones cum viderint, contremiscunt: nam qui aurea capitoli non timent, Crucem timent.* Quibus plane verbis ad id fortasse, quod à Ioanne in Apocalypsi mystice denuntiatum est, allusisse voluit: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Olim quippe Deus Angelo Hierosolymorum Vrbem excurrenti præcepit, ut signo *Tau* salvandorum ab internecione frontes obsignaret: *Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam Civitatem in medio Hierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementium, & dolentium, & super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* Ad quod expressioribus quidem terminis denotandum subjicit: *Senem, adolescentulum, & virginem, parvulum, & mulieres interficite, usque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis Tau, ne occidatis, & à sanctuario meo incipite.* Hebræi quippe, ut Origenes docet, literam *Tau*, quia Hebraicarum literarum novissima est, & quia תורה Tora, id est, lex, à litera *Tau* incipit, eos potissimum significare afferunt, qui perfectam, omnimodamque divinæ legis scientiam obtinent, & ex ejuscemodi scientia sensu intimoque animi ob admissas in legem prævaricationes dolore afficiuntur. Quod Hieronymus pari verborum sententia hunc in modum edisserit: *Hebræi autumant, quia lex apud eos appellatur, Tora, quæ hac in principio nominis sui litera scribitur, id est, Tau, quod illi hoc accepere signaculum, qui legis præcepta compleverant.* Hæc ille.

Orig. ho. 8. in divers.

Apoc. c. 7. n. 3.

Ezech. c. 4. n. 4.

Tau litera salutaris.

c. 9. n. 6.

13 Verum apte quidem recensitus in rem præsentem Hieronymus, Origenes, Tertullianus contra Judæos, Ambrosius lib. 1. de Abraham, D. Augustinus in dialogo altercationis Ecclesiæ, & Synagogæ, Clem. Alexandrinus lib. 6 stromatum, aliique passim edisserendo affirmant, literam videlicet *Tau* Græcorum, Latinorumque simillimam extitisse: quocirca Syri codices concinne pro signo *Tau* legendum volunt: *Signa Crucem.* ut Joannes Grial ex Caninio in notis ad S. Isidorum lib. 1. Etymol. 3. refert. Crux ergo, ut diximus, patentissimum à nece liberandorum æque, ac salutis per Christi Crucem obtinendæ sacramentum mortalibus propinatum est. Hinc quippe ipsimet quondam Ægyptii Serapidis pectori literam *Tau*, quasi futuræ signum vitæ inscribebant: qua de re luculenter ex more Jacobus Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 51. ubi ex Ruffino, Socrate, Sozomento, contra nonnullos, qui id in controversiam revocant, concinne in rem præsentem confirmat.

Orig. Tert. con. Iud. Ambr. l. 1. de Abrah. Aug. dial. con. Hebr. Cle. Alex. l. 6. strom.

Io Grial. l. 1. etym. 3. S. Isid.

Iac. Gret. l. 1. de Cruc. c. 51.

Crucis signum pluribus in rebus naturaliter commendatur.

14 Porro salutare Crucis signum, sacramentumque pariter, tam impense universo Orbi, Deo disponente, commendatum est, ut animatis, ac inanimis item rebus illud jugiter sine voce loquentibus, palam suggeratur. Aves enim ipsæ sursum ad volandum se attollentes, Crucis figuram, ut diserte ait Hieronymus, exprimunt, quod & homo tum natans, tum adorans ipsomet situ corporis eleganter adumbrat, sed & navis antenna ubi Crucis figuræ assimilata est, à ventis insufflatur, atque impellitur: *Quin ipsa*, inquit Hieronymus, *crucis figura, quid est nisi quadrati mundi forma.* In ipso autem homine Crucis figuram peculiari Bernardus mysterio dedicatam hic verbis agnoscit: *Fortasse*, inquit, *Crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus. Homo etenim formam Crucis habet, quam si manus extendet, exprimet manifestius.* Animatam igitur in homine Crucis figuram agnosce. Cæterum si ad antiquiora tempora rem hanc derivemus, sane recolendum *Tau* signum, Græcis æque, ac Latinis vitæ symbolum, è contra vero ipsum *Theta* mortis signum extitit: quocirca legibus olim obnoxii, damnatique à Judicibus, Ausonio teste, litera *Theta*, liberandi vero *Tau* signo adnotabantur. Hoc quippe, ut alia item quamplura Romani à Græcis, Græci ab Ægyptiis, Ægyptii à Judæis mutuati sunt. Quod autem *Theta* antiquis apud Judæos temporibus θανάτȣ, id est, mortis nota extiterit, compertum est. Inde enim Ausonius in Eunum epig. 120. ludens cecinit:

Bern. ser. 4. in vig. nat. Dom.

Litera Theta condemnatoria.

Miselle doctor ϑ tibi sit obsceno,
Tuumque nomen Theta sectilis signet.

Auson. ep. 120.

In quem postea locum Scaliger; ϑ, inquit, *erat signum suspendii, refert enim laqueum collo involutum, litera condemnatoria: quin & in castris militem ex cohorte morte dispunctum hac nota significabat.* Verum pie, eleganterque Martialis ille Christianus lib. 3. prolusit:

Infelix multis Theta est, mihi litera felix
Si θάνατον scribit, scribit & ille θεόν.

Jure igitur à Chaldæorum gladio in Hierosolymitanæ Urbis excidio liberandi signo *Tau* potius quam alio prænotantur, vel eam potissimùm ob causam, quod litera *Tau* formam, ac speciem Crucis exhiberet, ac redemptionis, vitæque symbolum esset: *Quoniam eo signo*, ut Tertullianus ait, *vita hominum præstruebatur.* Ut inde profecto orbi præsignaretur, nos per Christi Crucem à morte, à gehenna, ab ipsa dæmonum tyrannide in libertatem vindicandos, eosque præsertim, qui salutarem Christi Crucem fronti, atque animo, constanti fide imprimunt. Demum ut symbolice rem discutiamus, *Tau* quidem ultima est Hebræorum litera, & Christum, qui pro nobis virorum omnium in Cruce novissimus factus est, apte designat, ut Isaias cap. 53. expressis verbis enunciat. Rursum vero *Tau* Christum Dominum, qui est Α & Ω ipsius legis principium, & finis, significat. Quod nunc autem ad mores salubriter instruendos attinet, Crucem tum signaculum, tum amicorum, electorumque Dei tesseram esse, ideoque hanc haud ab hominibus subterfugiendam, sed totis ambiendam amplexandamque animi viribus fore suggeritur. Quapropter Constantinus Magnus, Eusebio enarrante, Cruce frontem crebro, *quasi trophæo victorioso* obsignare consueverat: quippe qui contra Maxentium in acie dimicaturus, signum Crucis in Cælo illis plane notis inscriptum contemplari meruit, nimirum ἐν τȣ́τῳ νίκα id est, *in hoc signo vince.* Et ejuscemodi insculpto signo tyrannum Crucis vexillo mirabiliter vicit, ac prostravit, haud una, sed duabus Græcis literis prænotato.

Tert. lib. cont. Iud.

Isa. c. 53. n. 3.

Eusеb. in vit. Const. l. 3. c. 2.

15 Il-

Nomen Christi quomodo a Græcis expressum.

15 Illud vero enarratis hactenus coronidis instar subteximus, ut venerandæ antiquitati suus decor, ac promeritus cultus jugiter illibatus permaneat, ac sacrosanctum Christi nomen Græcis notis exsculptum cuique ad hæc usque tempora oculis ultro explorantibus innotescat, in ipsis videlicet numismatibus tum à Constantino Magno, tum ab Arcadio Augusto olim editis sacrum Christi nomen Græcis duabus literis militari labaro sub Crucis forma X insculptum, designatumque fuisse, ex quibus aliquot ex auro affabre elaborata & inter Palatii Lateranensis rudera, Sixto V. Pontifice Maximo, in demoliendis antiquis, quæ proxime ruinas minabantur, substructionibus felici Christianorum omine adinventa, idem Pontifex insignioribus quibusdam Episcopis, qui tunc in Urbe aderant, pretiosi instar thesauri reservanda concessit, hac tamen conditione legis instar addita, ut parochiali Ecclesiæ, sub qua demum eosdem diem obire contigisset, eadem perpetuo addicta, ac dicata permanerent. Nec vero recolendæ antiquitati hunc in modum sapientissimus Pontifex prospexisse contentus, ut amplioribus quoque privilegiis recolenda isthæc numismata, quo majori apud omnes venerationi essent, cumularet, sacris indulgentiarum thesauris, ex ipsius Ecclesiæ promptuario, cunctos Christi fideles perpetuo locupletari voluit, qui ad prædictas Ecclesias, in quibus sacra numismata asservabantur, perpetuis futuris temporibus sacrosanctum Crucis vexillum in eisdem veneraturi accessissent, quod bis quidem in anno indulsit, festivis videlicet diebus Inventionis sanctissimæ Crucis mense Maii, & exaltationis item ejusdem Crucis Septemb. mense annuatim recurrentibus. Unum autem è sacris hisce numismatibus nostra Vallicellana Ecclesia inter præcipuas sanctorum reliquias, & sacræ antiquitatis monimenta possidet, cujus hic tibi iconem contemplandam proponimus, quod Crucis signum, & Christi pariter nomen in militari labaro hunc in modum intuentibus exsculptum exhibet.

Numismata aurea cum Christi nomine.

Numisma Arcadii aureum cui Christi nomen impressum in Ecclesia Vallic.





Numismatis Arcadii significatio.

Porro aureum hoc aurei plane Imperatoris Arcadii numisma, quod suspiciendum jugiter Christianorum oculis recolendæ antiquitatis monimentum est, ex una quidem parte Imperatoris effigiem, ex altera vero ipsummet Imperatorem triumphali erecto Crucis vexillo anguis tartarei caput pede conculcantem exhibet, quo symbolice illud fortasse Regii Psalmistæ oraculum inculcet: *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Præclaro quippe ejuscemodi symbolo idololatriam Christianorum pedibus Christi virtute proculcatam sapienti consilio Imperatores prænotari volebant. Qua item forma Magnus ille, Christianorumque Imperatorum, ac principum dux Constantinus in suis numismatibus militare labarum sacrosancto Christi nomine, ac Crucis signo nobiliter excultum, ac præmunitum, ut infra subjicimus, primus omnium erexit, cujus nimirum hastæ antiquus serpens Dominicæ Crucis potentia, ut videre est, devictus, prostratusque succumberet. Demum peculiari antiquæ religionis zelo Innocentius X. Pontif. Max. cum nuper Constantinianam basilicam jam quasi collabentem instaurandam curaret, serio recolens quam gratum primævis Christianis sanctum Christi nomen Græcis illis expressum literis, & quam solemne extiterit, quibus jugiter ad manum erat, & quam speciosum item, ac familiare ipsimet Constantino Magno, qui publicis illud passim monimentis dedicavit, antiquos ejusdem Constantinianæ basilicæ parietes, quos illibatos extare voluit, hoc nobili salutis signo triumphalis instar coronæ exornari jussit.

Psal. 90.

Labarum militare Constantini Imp. crucesignatum.

Innocentius X. Basil. Const. instaurat, & parietes nomine Christi ornat.

☧ 15 Sed his in perenne sacrosancti Christi nominis monimentum prolixiori sermone hactenus enarratis, ut ad Cœmeteria, è quibus digressi sumus, nunc tandem revertamur. In his præcipue locis exsculpta hujus nominis nota coruscat, & quidem congruè, nec valde lectori mirandum, si in abditis quibusque antiquorum Cœmeteriorum locis, in quibus juges Christianorum conventus fiebant, & tuto recepta sinu imperterrita Christi militum castra, in acie tandem proditura, cogebantur, haud mirandum, inquam, si tam multa passim sepulchra, ac sepulchrales insuper titulos sacratissimi hujus nominis nota inscriptos, ac prænotatos assiduo perscrutantium studio adinveniri contingit. Hoc quippe nomen velut unica, ac singularis Christianorum tessera, vel ore prolatum, vel stylo inscriptum aut ferro insculptum veros Christi cultores palam ostendit, atque renuntiat, apud quos tum vivos, tum mortuos inter vestigandum perpetuo reperitur. Et hæc de venerando Christi nomine Græcis elementis exarato, sacræ consulentes antiquitati, prolixiori sermone enarrasse voluimus.

CAP. XXIV.

De beatorum Apostolorum sub multiplici forma Imaginibus.

1. A Symbolicis Christi imaginibus, quas hactenus curiose perlustravimus, expediti ad sacras jam Apostolorum, qui proximum post Christum in Ecclesia locum obtinent, imagines invisendas digredimur. Et quidem (ut enarrandi exordium faciamus) in descriptis hactenus Cœmeterialibus tabulis nedum exsculptæ, effictæque sacræ Apostolorum imagines exhibentur, sed beatissimi quoque iidem Apostoli multiplicibus figuris ac symbolis adumbrati frequenter conspiciuntur. At vero præ cæteris symbolum illud potissimum est, quo sub ovium forma ipsimet ovilis Dominici pastores contemplandi intuentium oculis proponuntur. Ad quod comprobandum haud prolixam hic nobis enarrationem subtexere opus est, cum ipse Christus Dominus, ut Euangelicæ testantur paginæ, eosdem, quos elegit, Apostolos *ovium* vocabulo nuncupaverit. In ipsa quippe recolenda sacratissimæ Passionis nocte, fugam quam illi metu perterriti, ultro arrepturi erant, haud obscure prænuntians, ait: *Omnes vos scandalum patiemini in me ista nocte: scriptum est enim, percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* Et ipse insuper Paulus gentium doctor de Christi Apostolis loquens in epistola, quam ad Romanos conscripsit: *Æstimati sumus,* inquit, *sicut oves occisionis.* Innumera autem sunt è sacrarum paginarum, ac orthodoxorum Patrum prom-

Apostoli sub variis formis in Cœmeteriis depicti.

Sub ovium forma.

Matt. c. 26

Ad Rom. c. 9.

promptuario testimonia, quæ ad id, cujus sermo recurrit, comprobandum in medium afferri possent, sed ne pio, ac studioso lectori tædium inferamus, sententias, quæ hac super re à Patribus coacervantur veluti apprime notas consultò hic prætermittimus: unum interim nobis insinuasse opportunum videtur, à priscis videlicet illis Christianæ fidei cultoribus, qui sacra passim picturis loca excolebant, beatissimos eosdem Apostolos, dum bis denas ante venerandam Christi Pastoris, vel certe Agni Crucem deferentis imaginem oves pingebant, designatos fuisse; ni forte asserere quispiam velit duodeno, qui in tabulis præfertur, ovium numero duodecim Israëlitici populi Tribus, vel certe familiarum prosapias subintelligendas fore, ad quarum promovendam jugiter, procurandamque salutem è Cælo se missum in Euangelio Christus palam contestatur; quas insuper Tribus ad diem novissimum eorundem Apostolorum, qui terrenis omnibus se abdicarunt, judicio subjiciendas idem Dominus prænunciavit.

Duodecim oves duodecim Tribus Israël à Christo salvandæ.

2 Verum ut proposito insistamus, haud ovium duntaxat symbolo Apostolos, sed aliis item formis eosdem designari asserimus. Apostoli quippe (ut alicubi videre est) virentes arborum ramos capitibus præseferentes adumbrantur: quod quamvis ex consueta pictorum licentia obtigisse queat, quibus, ut poëta olim cecinit,

Apostoli cum virentibus arborum ramis depicti, ejusque mysterium.

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Cum tamen de sacris hic picturis Christianorum manu elaboratis agatur, haud ullam tabulis irrepsisse licentiam, sed potius ejuscemodi pingendi forma quid mysticum portendi arbitramur: hoc enim fortasse symbolo divina imbuti sapientia viri exprimere id voluere, quod Apostolus illis plane verbis edocet: *Tu autem, cum oleaster esses insertus in illis, & socius radicis & pinguedinis olivæ factus es.* Quæ verba hac plane usus interpretandi ratione in rem præsentem Augustinus edisserit: *Ergo de radice patriarcharum dicit fractos quosdam ramos propter infidelitatem, & insertum ibi oleastrum, ut esset particeps pinguedinis olivæ, id est, Ecclesiam ex gentibus venientem.* Porro ut egregie ibidem Ambrosius adnotavit, præter usitatum & communem omnium morem obtigisse videtur, ut sterilis plantæ vel agrestis omnino surculus in bonam aut sativam arborem inseratur: quod nisi expressis verbis Apostolus asseruisset, nullius quidem esset roboris argumentum, quod ab ipso recensetur: quapropter hæc ibi ad rei propositum subdit: *Contra naturam, seu præter naturam*, ut Græcus textus habet, *insertus in bonam olivam. Id tamen assecut sumus per illam insitionem, ut arbor mala efficiatur bona, & oleaster bona reddatur olea, participans de succo & pinguedine spiritus Christi. Insuper insiti Christo, non jam fructus nostros, sed plantæ, cui insiti sumus, id est, Christi, feramus. Ipse est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate; & sicut dixit Ioannis 15. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Hæc Ambrosius.

Christiani sunt insiti Christo.

Rom. 11.

S. Aug. in ver. Apost.

Homines arbores.

S. Amb. in ep. ad Rom. 11.

Io. c. 15.

3 Ramos igitur, quibus sacras Apostolorum imagines interdum adumbratas conspicimus, ipsosmet Apostolos in Christo insitos proculdubio designare asserendum est, qui uberrimos deinde ex toto terrarum orbe spiritualium bonorum fructus ipsius Christi virtute mirabiliter præstituri essent. Verum concinne suo ex more ad rei propositum Augustinus serm. quem in festivo S. Laurentii die habuit, dum sinapis parabolam edisserit, eandem his plane verbis sententiam confirmat: *Sed quoniam dicit scriptura: Et crevit & facta est arbor, & volucres cæli requieverunt in ramis ejus. Arbitror hoc ipsi Christo Domino dicere, & rectius comparari: quia nascendo in homine, humiliatus ut granum est: adscendendo ad Cælum, exaltatus ut arbor est.* Et idem infra hæc symbolicæ locutioni insistens profert: *Ramus*, inquit, *est Paulus, ramus est Laurentius, cujus hodie natalitia celebramus, rami sunt omnes Apostoli & martyres Salvatoris.* Verum Augustino Hilarius quoque hunc in modum adstipulatur: *Sed jam*, inquit, *in ramis arboris ex solo in sublime prolatæ, Cæli volucres inhabitant, Apostolos scilicet ex Christi virtute protensos & mundum inumbrantes, in ramis intelligimus, in quos gentes in spem vitæ advolabant; & aurarum turbine, id est diaboli Spiritu flatuque vexatæ, tanquam in ramis arboris requiescunt.* hæc in rem præsentem Hilarius. Iidem insuper Apostoli, qui ramis interim portenduntur, symbolico quoque arborum typo quandoque repræsentari indubitatum est; sed quoniam à nobis de his infra suo loco differendum erit, eò lectorem sacræ anhelantem antiquitati amandamus. Interim vero pauca hæc de Apostolorum imaginibus lectori delibasse sufficiat.

Rami imaginibus Apostol. appicti quid denotent.

S. Aug. ser. 28 in S. Laur. fest.

Christus Dominus granum sinapis.

Apostoli, & martyres rami Christi arboris.

S. Hil. in Matt. can. 13.

CAP. XXV.

De recolendis virginum ardentes lucernas manu deferentium Imaginibus.

1 VEnerandas quidem beatarum Virginum imagines, *quæ sunt* (ut Cyprianus ait) *illustrior pars gregis Christi*, & *quibus*, ut Hieronymus inquit, *pudicitia plus est quam regnum* præcipuum quoque inter suspicienda olim Cœmeterialium locorum monimenta locum obtinuere, & congrue quidem, quarum nitor apprime coruscat; earundem imago loca isthæc sacra decorasse visa est: & quibus ipsummet Regnum Cælorum edisserente parabolas Christo, comparatum erat, subterranea quoque iisdem Roma item illustrari promeruit. Ut propositæ igitur enarrationi vela pandamus: sat cuique ex Euangelica lectione notum est, nobilissimam eam inter cæteras, quas Christus digessit, decem virginum parabolam extitisse, ut Apostolos, ac cæteros deinde fidelium ejus explanatione salubriter erudiret. Quapropter cum parabola hæc præcipuis sit referta mysteriis, à primævis quoque Christianis eamdem frequenter usurpari, ac coloribus exprimi contigit. In prima enim Cubiculi tertii Cœmeterii Beatæ Agnetis tabula mulieres quinque unà cum lampadibus, quas manu deferunt, contemplandæ exhibentur: quibus profecto haud alias, quam prudentes virgines indicari putamus. Mystica vero hujus parabolæ, quæ ad nostri potissimum instituti propositum facit, elucidatio apud virum doctissimum Bedam his verbis recensetur: *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, id est, electi simul, ac reprobi, à somno mortis excitati, sua secum opera numerant, pro quibus recipiant, &c.* Sed disertis plane verbis hæc eadem parabola, & congruis quidem in rem præsentem significationibus, à Divo Hilario exponitur, apud quem isthæc videre est: *Primo*, inquit, *progressu vitæ hujus officiis occurrere in resurrectionem, quæ est ex mortis, præparamur. Lampades igitur animarum splendentium lumen est, quæ sacramento Baptismi splendue-*

Hier. l. 1. cont. Iovin.

Parabola decem virginum ejusque mysteria.

Parabola decem virginum in Cœmeteriis depicta, & cur.

Bed. in c. 25. Matt.

Per decem virgines electi ac reprobi intelliguntur.

S. Hil. in Matt. c. 27

Parabolæ decem virginum expositio.

duerunt. Oleum, boni operis est fructus. Vasa, humana sunt corpora, intra quorum viscera thesaurus bonæ conscientiæ recondendus est. Nuptiæ, immortalitatis assumptio est, & inter corruptionem atque incorruptionem ex nova societate conjunctio. Mora sponsi, pœnitentiæ tempus est: expectantium somnus, credentium quies est, & in pœnitentiæ tempore mors temporaria universorum. Nocte media clamor cunctis ignorantibus, Tubæ vox est Domini præcedentis adventum, & universos ut obviam sponso exeant, excitantis. Lampadum assumptio, animarum est reditus in corpora, earumque lux, conscientia boni operis elucens quæ vasculis corporum continetur; &c. hæc Hilarius, acutissimus mysteriorum Cælestium perscrutator, qui sub unius, ejusdemque parabolæ velamento quot verba tot sententias protulit, & quot res digessit, totidem sacramenta propinavit.

Parabola decem virginum quid Christianos doceat.

2 En igitur, amice lector, quam opportuno, & consono ipsismet rebus mysterio, ejusce modi virginum parabola sacris olim Christianorum Cœmeteriis expressa atque affixa pariter fuerit, ad fovendos nimirum, obfirmandosque certa futuræ resurrectionis spe fidelium animos, eosdemque ad martyrium pro Christi fide subeundum alacriter excitandos: quod in gestis præsertim beatorum mart. Cyri & Ioannis, ab iisdem egregie præstitum fuisse legimus, dum Theoctisto, Theodoræ & Eudoxiæ virgini nobilissimi certamen martyrii ultro constanterque amplectendum suggererent, ac tum verbis, tum rationibus suaderent; his enim athletæ Christi, ut historia perhibet eorumdem ore sermonibus compellati fuere: *Iam inter prudentes virgines accepistis oleum in vasis vestris cum lampadibus. Restat ergo, ut superantes tyrannos, cum corona virginitatis & palma martyrii ad cælestes nuptias intretis cum Christo Domino & sponso vestro, atque cum eo perpetuo exultetis, &c.* Audis quam apte proposito prudentium virginum symbolo pugiles Christi in arenam evocentur.

Act. SS Cyri, & Ioan.

Ex parabola virginum spem resurrectionis concipiebant.

3 Oculis igitur parabolica virginum imago ad contemplandum exhibita, & pio Christianorum studio in subterraneis Cœmeteriorum locis, in quibus defunctorum corpora servabantur; atque ob diram insectantium rabiem iidem delitescebant, coloribus affabre adumbrata futuræ spem certam resurrectionis contemplantibus ingerebat, & calcarium instar torpentes urgendo acres mœrentium animis ad certamina strenue pro Christo subeunda, post certamen ad coronam, & ad festivas inde unà cum virginibus nuptias evocandis stimulos addebat Sed his hactenus super descripta Virginum imagine enarratis ad alias Cœmeteriales imagines contemplandas properandum est.

CAP. XXVI.

De hominum multiformiter expressis Imaginibus.

Variæ hominum figuræ, earumque positio.

Sacras jam, recolendasque (ut vides amice lector) Christi Salvatoris, ac beatorum Apostolorum imagines, præcipuaque earundem mysteria paucis delibavimus: nec non cæteras insuper, quæ in historia Euangelica recensentur, imagines intuentium ob oculos calamo, ac penicillo itidem adumbravimus; reliquum nunc est, ut earum, quæ sub humana specie multiplicibus quidem formis effictæ quandoque conspiciuntur breviter perstrictam sermone explanationem aggrediamur.

2 Quoniam vero nonnullæ ex præmemoratis hisce imaginibus quosdam extensis brachiis, ac manibus elevatis orantium in morem stantes exhibent; aliæ vero quosdam, ut videre est, ad Christi pedes humiliter provolutos præseferunt, illud à nobis hic primum præmittendum est, ut rem totam commode per se lector assequi valeat, variis quidem olim modis, ac multiplici corporis situ antiquos Christianæ fidei sectatores Deum exorare consuevisse; genu videlicet aliquando humi defixo; manibus interdum junctis ac simul complicatis, in terram devolutos, nec non alicubi stantes, ac manibus in Cœlum elevatis: quæ quidem singula illibatæ fidei ac probatæ innocentiæ viri, cœlesti sapientiâ præditi non absque peculiari mysteriorum obtentu utpote à Spiritu sancto edocti, præstitere, ut Nicolaus Pontifex hujus nominis Primus in respons. ad Bulgar. egregie his verbis inculcat: *Dicitis*, inquit, *quod Græci fatentur, quod in Ecclesia qui non constrictis ad pectus manibus steterit, maximum habeat peccatum. Hoc ut fieret, præceptum fuisse nusquam, ni fallor, invenitur; ac per hoc nisi fiat, peccatum non est: nam quidam faciunt hoc, quidam illud genus humilitatis.* Et idem infra hæc in rem præsentem subtexit: *Quia in Euangelio reproborum ligari manus & pedes reperiuntur: quid aliud isti agunt, qui manus suas coram Domino ligant, nisi Domino quodommodo dicant: Domine ne manus meas ligari præcipias, ut mittas in tenebras exteriores: quoniam ecce ego eas ligavi, & ecce in flagella paratus sum.* Hæc ad rem Nicolaus Pontifex enarrat.

Orantium imagines manibus extensis easque mysterium. Aliæ prostratæ item orantes.

Responsio Nicolai I. ad Bulgaros de modo orandi manibus inter se junctis. Nicol. I. Pap. resp. ad Bulg.

3 Verum enimvero quemadmodum modus hic Deum suppliciter exorandi, his, qui multiplicibus criminum vinculis obnoxii sunt, & qui ad redimenda peccata pœnitentiæ operibus vacant, maxime congruit: ita pariter stantem quempiam corpore (quod resurrectionis symbolum est) preces ad Deum effundere, animam utique ab ipsomet perenni interitu, cui jam delinquendo addicta fuerat, ad vitæ gratiam divinitus surrexisse designat. Quapropter Dominicis præsertim diebus, qui Dominicæ resurrectionis mysteria Christiano orbi protestantur, ac toto Paschalium interlabentium dierum tempore stantes atque erecto corpore orare Christiani consuevere: quod ex Apostolicis ipsiusmet Clementis Papæ constitutionibus, his plane verbis liquido comprobatur: *Deinde adstans dat orationem, quam nos docuit Dominus: surgentem autem stare oportet necessario, & orare; quoniam qui suscitatus est, rectus manet. Ideo cum is commortuus sit, & excitatus unà cum Christo, adstare debet.* Illud autem enarratis hactenus subjicimus, quod Iustinus Martyr eleganter in rem præsentem enarrat: is enim aliquando interrogatus, quanam de causa diebus Dominicis genua neutiquam flectimus, dum oramus, quod tamen reliquis hebdomadæ diebus exacte præstare omnibus solemne est, in hunc plane modum respondit: *Quia*, inquit, *utriusque nos oportet jugem habere memoriam, & ipsius per peccatum lapsus nostri, & gratiæ Christi nostri, per quam à lapsu resurreximus. Eapropter genuum per sex dies inclinatio, symbolum & nota est lapsus per peccata nostra quod vero die Dominico genu non flectamus; signum est, & designatio resurrectionis, per quam gratia Christi & à peccatis, & à morte, quæ ab illo interfecta est, liberati sumus. A*

Orare erecto in pedes corpore symbolum resurrectionis.

Clem. Const. Apost. c. 44.

Orare diebus Dominicis non flexis genibus ab Apostolis originem traxit ejusque mysterium.

Iust. mar. Apol. 2. in. resp. ad. q. 115.

tem.

temporibus autem Apostolorum consuetudo talis accepit initium, prout B. Irenæus Martyr, & Episcopus Lugdunensis in libro de Paschate: ubi quoque mentionem facit Pentecostes, in qua genua non inflectimus; quoniam pari est cum die Dominico potestate, &c. Vides antiquam illibatamque Ecclesiasticorum rituum, & qui adhuc apud nos vigent, retentam jugiter consuetudinem.

4 Demum ut res magis elucescat, omissis hac super re aliorum Patrum sententiis, & Conciliorum, Nicæni præsertim, Carthaginensis, Constantinopolitani ac cæterorum decretis, presbyter venerabilis Beda hoc quod supra dixeramus, ejuscemodi verbis confirmat: *Nec quemquam sanctorum legimus, tempore Dominicæ resurrectionis, vel ipso Domino, vel Angelis sibi visis, terræ prostratum adorasse. Unde mos obtinuit Ecclesiasticus, ut vel in memoriam Dominicæ vel nostræ spem resurrectionis, & omnibus Dominicis diebus, & toto tempore quinquagesimæ, hoc est à Paschate resurrectionis ad Pentecosten, non flexis genibus, sed declinatis in terram vultibus oremus.* Hactenus pro recepta apud Orthodoxos orandi consuetudine Beda.

Bed in Luc. c. 14.

Orare manibus sublatis gentilibus etiam Solemne. *Tert. car. de Ion. & Niniv.* Socii Jonæ orant brachiis extensis.

5 Porro protensis, elevatisque manibus precationi insistere, gentilibus quoque usui quondam fuisse exploratissimum est, ut ipsemet Tertullianus carm. de Jona & Ninive testatur, ubi de Propheta Jona diserte loquens, ejusdem socios, dum inter insurgentes maris procellas periclitarentur, suos utique Deos extensis brachiis, ac manibus elevatis deprecatos fuisse ait; hæc autem sunt ejus verba:

Expanduntque manus nullorum ad numina Divum.

Moyses brachiis extensis orans impetrat victoriam. *Exod. 17. n 12.*

Porro ipsos apud Hebræos peculiaris quidam mos inoleverat manibus elevatis Deum exorandi: quem ritum pluribus quidem sacrarum Paginarum locis obsignatum legimus, ut præsertim patet Exod. 17. 12. ubi isthæc: *Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israël, sin autem paulutum remisisset, superabat Amalech. Quapropter Aaron & Hur manus ejus ex utraque parte sustinere curarunt.* Piissimus autem vir David hac plane ratione precationi vacare consueverat, ut ipsemet in plerisque Psalmis satis expresse testatur, Psalmo videlicet 27. *Dum oro ad te, dum extollo manus meas ad Templum sanctum tuum. Si expandi manus meas ad Deum alienum. In nomine tuo levabo manus.* Psal. 62. *Tota die expandi manus meas.* Psal. 87. *expandi manus meas ad te.* Psal. 142. & idem frequenter alibi apud regium Psalmistam exprimitur.

David orat manibus elevatis. *Psal. 27.* *Psal. 62. Psal 87. Psal. 142.*

Orare manibus extensis Crucem repræsentat.

6 Ejuscemodi autem orandi ritum, qui apud omnes passim inolevit, jam tum, salutare Crucis signum præmonstrasse orthodoxi Patres edocuere, cujus mirabili potissimum virtute, & ipsiusmet Christi meritis, qui protensis in trunco manibus clavis valide confixus est, tartareorum hostium legiones profligantur, & cuncta, quæ à Deo votis exposcimus, salubriter protinus obtinentur. Huc præcipue Cyprianus allusisse videtur, qui tractatu, quem de Christi passione edidit, de elevatis à Moyse in cælum manibus, quarum ministerio confertas Amalecitarum copias facili inter dimicandum negotio debellabat, luculenter de more edisserens, Christum, cujus ille typum gerebat, his plane verbis, alloquitur: *Considero*, inquit, *opera tua, & admiror te cruci inter damnatos affixum, jam nec tristem, nec pavidum, sed suppliciorum victorem, elevatisque manibus triumphantem de Amalech.*

Apostrophe S. Cypriani ad Christum crucifixum. *S. Cypr. tract. de pass. Chr.*

Comparatio Christi, & Adami.

7 Verum aliud præter hactenus recensitum in re præsenti mysterium Gregorius Nazianzenus acute contemplari non desinit, dum ob temere Adami manus ad carpendum vetita ex arbore pomum extensas, Christum Dominum, ut Patri se ipsum offerendo morem gereret, suas in Cruce manus extendisse his verbis affirmat: *Idcirco lignum adversus lignum, & manus adversus manum. Illæ*, inquam, *fortiter extensæ adversus incontinenter extensas: illæ clavis confixæ, &c.*

Naz. Apol. or. 1.

Christiani cur orant Crucis in formam.

8 Christiani igitur manibus in Crucis formam junctis, aptatisque Christi toto animi studio exemplar sectantes, orationi insistere consueverant, hac nimirum orandi forma eidem Domino in mentem quodammodo revocantes acerbiora quæ pro humano genere redimendo hunc in modum è Crucis patibulo pendens pœnarum tormenta perpeti dignatus est tunc potissimum quando iisdem fidelibus quorum crimina diluebat, uberrimam supernæ benedictionis gratiam cruorem effundendo, & vitam instillando promeruit. Quamobrem fideles contemplationis hujus præsidio communiti, ardua quæque amoris Christi gratia subire, & cunctarum genera pœnarum constanter perpeti nullatenus detrectabant; potentiam quippe sacratissimæ Crucis ac gloriam pariter unà cum beatissimo Apostolo Andrea jam prope lynceis oculis delibantes, pleno eamdem jugiter ore populis annunciabant. Cujus quidem rei testis locupletissimus est Nazianzenus, qui oratione adversus Julianum, ardentiores Christianorum conatus, ac pia eorundem in precando studia recolens, isthæc subtexit: *Quorum*, inquit, *lacrymæ peccati diluvium, & mundi piamentum: quorum extensæ inter precandum manus, flammas extinguunt, feras consopiunt, gladiorum aciem retundunt, instructas acies in fugam vertunt, &c.* huc usque Nazianzenus.

Naz. or. ad Iul.

Martyres in ipsismet tormentis orant brachiis extensis.

9 Quod sane quamplurimis beatorum Martyrum exemplis comprobatur, qui contestandæ fidei causa, dira quæque tormentorum genera subituri, protensis in cælum manibus, forti, constantique animo inter agones persistendo orabant. Ex his vero, ut cætera taceamus, unum duntaxat in medium proferre libet, quod Eusebius de quodam adolescente his plane verbis recenset: *Interea non modo virilem & intrepidam sanctorum illorum animi tolerantiam, sed firmam etiam atque inflexibilem in teneris corporibus constantiam cum stupore quodam mirari licuerat. Vidisses enim adolescentem, non viginti annos integros natum, multis constrictum vinculis, firme consitentem, manibus in Crucis modum è transverso expansis, robusta & excelsa mente in precibus ad Dei nomen fundendis attentissime defixum; neque omnino se commoventem, neque in hanc neque in illam partem de loco, in quo steterat, deflectentem; idque cum ursi & pardi furorem in eum exhalarent, cumque jam ejus carnem dentibus lacerare aggrederentur, quorum ora, divina quadam & inexplicabili potentia, nescio quo pacto fuere prope obturata, &c.* Illud hic præterea nobis, quod duplici mysterio conspicuum fit, contemplandum occurrit, Christianos videlicet præmemorata olim forma orare consuevisse, non ut Crucis duntaxat imaginem, potenti ejus virtute suffulti, ad vivum repræsentarent, sed & defixis insuper in Cælum oculis inter precandum perstitisse, ut inde *nobis omne datum optimum, & omne donum perfectum* sacrorum edocti scripturarum oraculis obvenire faterentur: quapropter extensas in sublime frequenter manus protendē-

Euf. hist. l. 8. c. 7. Adolescentis cujusdam constantia, ac fortitudo in martyrio.

tendere non desistebant, ut superna enixius dona postulantes, spe subnixi, quæ postulabant, jam manibus quodammodo apprehendere viderentur: Dominus quippe se ultro petentibus bona isthæc daturum repromiserat, ut habetur Joan. 16. *Petite, & accipietis.* Et: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, &c.*

Ioh. c. 16.

Manibus vultui admotis orare quid denotet?

10 Inter easdem insuper Cœmeterialium Cubiculorum imagines nonnullæ interdum conspiciuntur, quæ manus, vel digitos ori, quædam vero naribus superpositos præferunt. Porro imagines, quas primo loco recensuimus, attentionem animi, atque oris silentium indicere, vel potius indicare videntur, ut ex ipsismet Jobi verbis cap. 21. aperte colligitur: *Attendite me*, inquit, *& obstupescite, & superponite digitum ori vestro.* Ubi Glossa: *Qui silentio audiunt, ferme cubito in femur incumbente, & in manus ora residente, ad ea quæ dicuntur, advertere animum consuevere.* Et ex illis ejusdem Jobi 39. *Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? Manum meam ponam super os meum.*

Iob. c. 21.

Iob. c. 39. 34.

Digiti naribus admoti, ejusque mysterium.

11 Digitus vero naribus admotus, ut in sacris præcipue Petri & Jonæ imaginibus videre est, mœrentis animi symbolum præsefert: cujus quidem rei prænotandæ signum illud accedit, quod juxta Petrum gallus quandoque pingitur, qui perpetrati deinde abnegato magistro piaculi, quod jugiter ille deflebat, corrector ac nuncius cantu ipso effectus, perenne ejusdem animo monimentum suggerebat. Pari quoque ratione Jonas sub arido foliorum umbraculo consistens, ac digitos hunc in modum præseferens, mœrorem animi intuentibus ipso aspectu demonstrat. Quod autem digitus naribus appositus mœrentis animi indicium sit, Epiphanius de Trascodrugitis hæreticis loquens; quibus ejuscemodi consuetudo inerat, hac plane ratione affirmat; sed ejus hic verba in medium proferamus: *Vocantur autem*, inquit, *Trascodrugitæ ob hanc causam. Trascus apud ipsos pertica appellatur: druggus vero nasus, sive rostrum appellatur, & ab eo quod imponunt digitum suum* indicem *appellatum, in nasum, dum orant, tristitiæ nimirum & ultroneæ justitiæ gratia, ab aliquibus Trascodrugitæ appellati sunt, &c.* At vero cum Christiani pravos, corruptosque hæreticorum mores, ac impiorum hominum consuetudines jugiter detestantes, sibi ab eorundem commercio maxime caverent, nobis potius existimandum videtur, ad iram stomachabundi atque indignantis Jonæ prænotandam gestum descriptum corporis referendum esse: nares enim velut præcipua iracundiæ sedes computantur; quod non profanorum duntaxat scriptorum, verum & ipso sacrarum paginarum testimonio abunde convinci potest. Sed jam humanis, quas huc usque recensuimus, imaginibus perlustratis, jam ad cæteras multiformes Cœmeteriales pescrutandas progrediamur.

S. Epip. hær. 48. Hæretici Trascodrugitæ orabant digito naribus admoto in signum mœstitiæ.

CAP. XXVII.

De multiplici Christianorum Agape.

1 AD convivales jam, si libet, epulas, quæ Cœmeterialibus in tabulis exhibentur, læto quidem, ac perjucundo invitante nuncio evocamur. Quotusquisque autem non prompto, libentique animo epulis invitatus intersit? Sed quorsum, quis inquiet, in Cœmeteriis convivia? quorsum, inquam, ubi funera, ubi cadavera, ubi sepulchrales urnæ? ibi epulæ, ibi discumbentium mensæ? An non opportuno Sapiens consilio nos præmonitos voluit, Cœmeteria videlicet nuptialibus mensis, ac epotantium conviviis longe anteferenda mortalibus? *Melius est*, inquit, *ire ad domum luctus: quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum sit.* Evigilat quippe in sepulchris inter arida mortuorum ossa mens hominis, quæ inter lætas blande viventium, & convivantium dapes sopita luxu, ac otio torpescens dormitat: *Cor sapientium*, inquit Sapiens, *ubi tristitia, & cor stultorum, ubi lætitia.* Ad Cœmeteriorum igitur sepulchra, ad sepulchrales eorundem titulos, non ad convivia, & convivantium dapes, si sapimus, accurramus. Verum quoniam Cœmeterialia pariter sunt convivia, quæ istis nobis in tabulis apponuntur, quæ pia item, modesta ac sobria Christianorum charitas alieno prorsus beneficio, proprio licet impendio, frequenter instruere consuevit, haud convivales istas epulas, quæ hic exhibentur, delicate nobis fastidiendas esse putavimus: spiritalis enim alimoniæ cibos, animis profecto haud parum sapidos, mensis ejuscemodi accumbentes degustabimus. At Cœmeterialium interim conviviorum lubenti animo enarrationem aggrediamur.

Prolepsis auctoris de Agapis acturi.

Eccl. c. 7. n. 3.

Eccl. c. 17.

2 Cæteras quidem inter locorum subterraneorum imagines, quas accedentibus perscrutando suspicere fas est, quædam in supra jam descriptis tabulis recensentur, quæ convivas mensæ accumbentes, ac jucunde epulantes repræsentant. Cum satis autem exploratum sit, in sacris ejusmodi locis parentalia, vel mœsta gentilium silicernia nullatenus unquam celebrata fuisse, ut suo jam loco probavimus: cum præterea haud casu, haud ociose hæc olim ibidem Christianorum manu coloribus adumbrata fuerint, ut eorundem, si quod latet, mysterium propius assequamur, operæ pretium duximus in studiosi lectoris gratiam prolixiori quidem sermone de iisdem conviviis hic nonnulla differere.

Imagines convivantium in Cœmeteriis.

3 Porro in primis statuendum nobis est, sub ipsamet Ecclesiæ exorientis initia in unum ad Synaxim fideles coëuntes, ubi divinissimum Eucharistiæ Panem suscepturi essent, in ipsismet Ecclesiis opipare mensam instruere consuevisse, ut Dominicam, inquam, cœnam, quæ primum Christo accumbente instituta est, ad vivum pari pietatis exemplo recolerent: quod ex ipsis Apostoli verbis 1. Cor. 11. satis aperte convincitur, quibus ille Corinthios acri sermone perstrinxit: *Primum quidem*, inquit, *convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo: nam oportet hæreses esse.* Eosdem autem subinde, quæ in utraque mensa ritè essent servanda, solicite admonens, sermonem in hæc verba prosequitur: *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum; & alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* Et infra piam ac laudabilem insuper ad Christianam conveniendi Synaxim, & salubriter participandi formam præscribens, adjicit: *Itaque fratres mei*, inquit, *cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis.* Ubi autem de

Cœnæ in Ecclesiis.

1. Corint. 2.

Cœnæ communes in Ecclesiis post sumptum SS. Eucharistiæ Sacramentum.

de divinissimo Eucharistici Panis convivio loquitur, aculeato audientium animos sermone compungens, isthæc subjicit: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, &c.*

4 Verum quod ad recolendum cœnarum ejuscemodi ritum atque ordinem attinet, quamvis Christus Dominus legalem post cœnam venerandum Eucharistiæ Sacramentum instituerit, & divina suis postmodum Apostolis mysteria impertiverit, quam plane ob causam in nonnullis Ecclesiis communis hæc cœna Sacramentalem præire consuevit, ut de Ecclesia Alexandrina Sozomenus docet hist. lib. 7. cap. 19. frequentiori tamen usu in cæteris receptum fuit, ut ad communem, vulgaremque mensam Sacramentali peracta Christiani convenirent, Augustino teste epistola 118. ad Januarium. Cui Chrysostomus verbis hisce firmiter adstipulatur: *Statis diebus*, inquit, *mensas faciebant communes, & peracta synaxi post sacramentorum communionem inibant convivium, divitibus quidem cibos afferentibus; pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus.* hæc Chrysostomus, qui ibidem in illa Pauli verba: *Oportet hæreses esse*, isthæc in rem præsentem subdit: *Ab hac lege & consuetudine inolevit in Eccl. sius consuetudo quædam admirabilis: fideles enim omnes in conventibus suis, postquam audissent doctrinas, post preces, post sacramentorum communionem, soluta concione, non mox domum descendebant, sed divites & abundantiores alimenta, & edulia domibus suis afferentes, pauperes vocabant, communesque faciebant mensas, communia prandia, communia convivia in ipsa Ecclesia.*

Soz. hist. l. 7. c. 19.

Aug. ep. 118. ad Ian. S. Chrys. in 1. Cor. 11. ho. 27.

Synaxis quid sit?

5 Quam potissimum ob causam hujuscemodi ab antiquis Cœna *Agape* vocabatur, quasi *dilectio*, ut ipsemet Tertullianus his verbis edocet: *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim* ἀγάπη *id quod penes Græcos dilectio*; eamdemque quampluribus verbis consuetudinem apprime commendans, subdit: *Quantiscumque sumptibus constet*, inquit, *lucrum est, pietatis nomine facere sumptum.* Idem plane, parique sententiarum robore Cyprianus edisserit, qui laudabilem consuetudinem hanc describendo inculcans, ac fideles ad eamdem ultro retinendam vehementer exhortans, ait: *Agapen, & dilectionem fraternam religiose, & firmiter exercendam.* Quapropter Gangrense Concilium can. 11. in eos præsertim metuendum anathematis jaculum intorquet, qui antiquum ejusmodi ritum parvipenderent, & ad mysticam hanc mensam convenire detrectarent, hæc autem sunt præmemorati Concilii verba: *Si quis despicit eos, qui fideliter Agapes, id est, convivia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei convocant fratres, & noluerint communicare in hujusmodi vocationibus, parvipendens quod geritur, anathema sit.*

Cœna communis dicta Agape. Tert. Apol. c. 39.

Cypr. Test. l. 3.

Conc. Gangr. Can. 11.

6 Porro piam hanc, ac laudabilem consuetudinem Christianæ fidei cultores tanti semper fecere, ut tunc potissimum, cum acerbiora persecutionum tempora urgerent, nec de more in Ecclesiis Agapen celebrandi facultas suppeteret, in abdita quæque ac semota loca convenirent, & in secretiores, ut nobis credere par est, Cœmeteriorum sese sinus hujus rei gratia reciperent. Ex quo fortasse contigit, ut Agapen in sacris eisdem Cœmeteriorum Cubiculis frequentius expressam coloribus inspiciamus. Quod quidem ipsiusmet Origenis cæteros inter scriptores antiquissimi auctoritate compertum sit: quippe qui contra Celsum scribens hæc ait: *Primum criminationis caput Celso est, à Christianis clancularios conventus haberi solere legibus vetitos. Nam conventus alios propalam celebrare legitime, alios occulte fieri, eosqui damnari legibus, quæ eo tendunt, ut calumientur Agapen, quam Christiani vocitant, quoties occulte communis periculi metu conveniunt, &c.* Quamvis autem per Agapen loco, quem nunc recensuimus, fidelium conventus ad sacram Synaxim subintelligendus esse videatur, in iis tamen cum Agapæ quoque de more instruerentur, easdem olim in abditis quibusvis locis, ut præsertim sunt Cœmeteria, religiose ab antiquis celebrari consuevisse fatendum nobis est.

Agape in Cœmeteriis.

Orig. cont. Cel. l. 1.

7 Agapæ autem triplici quidem genere constabant, aliæ quippe Natalitiæ dicebantur, funerales quædam, Connubiales autem aliæ: qua ratione Nazianzenus easdem subdividendo, isthæc ait: *Non insuper ad sacrum aliquod epulum, vel natalitium, vel connubiale cum pluribus currens, &c.* Quæ quidem singulæ sacræ jure merito nuncupabantur, ob pietatem videlicet, modestiam, ac temperantis insuper animi formam, qua à religiosis fidei cultoribus exercebantur.

Agapæ Natalitiæ, funerales & Connubiales in Cœmeteriis. D. Greg. Naz. de vit. Diff.

8 Natalitiæ igitur, ac funebres, ut connubiales, quæ ad rei institutum nullatenus faciunt, prætereamus, in festivis, ac solemnibus martyrum natalitiis, vel certe recurrentibus eorundem anniversariis, quin etiam cum ipsosmet fideles interdum è vita decedere contigisset, fieri olim consueverant. Porro præscriptam utriusque celebrandæ, ac funeralis præsertim formulam Origenes in medium affert, hæc dicens: *Nunc vero nos non nativitatis diem celebramus, cum sit doloris, utque tentationum introitus, sed mortis diem celebramus, quia non moriuntur hi, qui mori videntur. Propterea & memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorum, vel amicorum in fide morientium devote memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. Sic itaque non diem nativitatis celebramus, quia in perpetuo vivunt ii, qui moriuntur.* Et idem infra consuetos earundem ritus, ac modestiores fidelium in his peragendis mores enarrans, isthæc subdit: *Celebramus nimirum religiosos cum sacerdotibus convocantes, fideles unà cum clero invitantes: adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus: nobis autem efficiatur in odorem suavitatis in conspectu Dei &c.* hæc Origenes.

Agape qua ratione celebranda.

Orig. in Iob. l. 3.

9 De ejuscemodi autem Agape Hieronymus ad Eustochium epist. 22. de custod. Virgin. disertis verbis loquitur, dum omnem ostentationis, atque inanis gloriæ ambitum, qui tam in Agape de more peragenda, quam in eleemosyna pauperibus eroganda interdum obreperet, acriter his plane verbis perstringit: *Cum manum*, inquit, *egenti porrexerint, buccinant, cum ad Agapem vocaverint, præco conducitur.* Neque vero eundem Hieronymum Agapen sugillare voluisse credendum est, cum paulo inferius ait: *Unde in Ecclesia Agapetarum pestis introiit?* Ibi enim de inolita quosdam apud viros, qui cœlibem vitam ducebant, consuetudine loquitur: hi enim privatis passim in domibus unà cum mulieribus cohabitabant, quæ *Agapetæ*, quemadmodum &

Agape alio sensu ab Hieronymo accepta

D. Hieron. ad eund. ep. 22. ad cust. Virg.

viri pariter *Agapeti*, ex mutuo videlicet dilectionis, quo invicem tenebantur, affectu, juxta præmemoratæ vocis etymon appellabantur. Porro lubricum ac vitiosum Agapetorum, Agapetarumque genus acribus item verbis sanctissimus vir perstringit, dum ad Oceanum de Vit. Cleric. conscribens, isthæc inquit: *Cum ergo hoc genus à te non amputatur, das reprehendentibus te locum: ipse te detrahentium morsibus tradidisti, si Agapetarum consortium non dimiseris.* Verum Cyprianus longe ante Hieronymum hujuscemodi genus hominum gravi orationis stylo insectatus fuerat. De iisdem quoque Gregorius Nazanzenus sermonem instituit in præcept. ad Virg. illis potissimum verbis: *Cognomento Agapes subit*; ut satis erudite Billius eundem locum dilucidat.

Agapetæ & Agapeti.
D. Hier. ep. ad Ocean. de vit. Cler.
Greg. Naz. præc. ad Virg.

10 Cæterum de Agapis, quæ pio ac religioso Christianorum cultu tunc temporis instrui frequenter consueverant, Chrysostomus quoque meminit, ac miris easdem laudum præconiis cumulat, dicens: *Cur post mortem tuorum pauperes vocas? cur presbyteros ut pro eo velint orare, obsecras? non ignoro te responsurum: ut defunctus requiem adipiscatur, & propitium judicem inveniat.* Quod sane Alethius ille haud parum à S. Paulino epistola. 33. commendatus, egregie præstitit, qui ipsomet Rufinæ uxoris, & Paulæ filiæ obitus die, cunctorum pauperum greges, qui in Vrbe tunc aderant, ad marmoreos templi gradus, & juxta ipsius Vaticanæ Basilicæ atrium miro Christianæ pietatis ardore, & inaudita prorsus liberalitate pasci curavit. Idem pariter Divus Remigius à suis præstari voluit, qui in ipsius testamenti tabulis, quas sub vitæ finem condidit, vineam ac nonnulla insuper Agathimero nepoti legavit, tali injuncto onere, ut presbyteros omnes, ac Laudonensis Ecclesiæ diaconos ipso recurrente obitus anniversario die benigne apud se convivio exciperet, ut Steph. Durandus testatur de Rit. lib. 2. cap. 43.

D. Chrys. hom. 33 in Matt. ho. 27. in c. 11. ep. 1. ad. Cor.
Alethius pauperes convivio excipit in obitu uxoris suæ.
Paul. ad. Alet. ep. 33.
S Remigius Agapen sibi fieri nepoti suo testamento injungit.
Steph. Duran. l. 2. c. 43 de ritib.

11 De iisdem insuper Agapis in B. Arsenii actis in vit. Patr. lib. 5. mentio recolitur, qui hasce funebres epulas Christianæ humilitatis gratia sibi post mortem exhiberi jussit, hæc autem sunt quæ ibidem leguntur: *Dicebat Abbas Daniel, quia cum moriturus esset Abbas Arsenius, delegavit nobis, dicens: Videte ne velitis pro me Agapem facere, quia si feci ego pro me ipso, id invenio.*

S. Arsenius. *Vit. Patr. l. 5*

12 Porro quoniam de funebribus epulis hic sermo incurrit, ut rem altius repetamus, quam impense olim gentilitiæ superstitionis homines hujuscemodi convivia instruerent defunctis, ipse Tertullianus, & acri quidem eosdem oratione perstringens, hisce verbis enarrat: *Defunctis parentant, & quidem impensissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, ut quos negant sentire quidquam, escam desiderare præsumant.* Et quidem quoddam parentandi genus tunc extitisse, dum epulæ ad monumentum defunctorum comedendæ deferrentur, idem Tertullianus hæc scribens edocet: *Vocas porro securos, si quando extra portam cum obsoniis, & tibi potius parentans, ad busta recedis, aut à bustis dilutior redis.* hæc ille: *Moris etenim est*, inquit Hieronymus, *lugentibus ferre cibos, & præbere convivium, quod Græci περίδειπνα, & à nostris vulgo appellantur parentalia: unde & in Proverbiis dicitur: Date siceram morientibus.* Hujuscemodi autem epulum gentiles superstitiose nimis Diis, ut vocabant, Manibus sacrabant, nefas deinde putantes ex illo quidquam attingere, aut comedere. Quapropter illud vel super tumulos relinquebant, vel ignibus cremabant, quod perperam videlicet existimarent, defunctorum animas ab inferis excitatas istis epulis delectari, ut potissimum apud Homerum videre est, & Lucianum.

Gentiles convivia suis mortuis instruebant.
Tert. l. de res. c. 1.
Tert. l. de test. anim. c. 4.

13. Cæterum hic mos è gentilitate proveniens ad usque Augustini tempora quosdam apud populos diutius inolevit, quem deinde veluti superstitionibus redundantem sanctissimus Pater acri orationis stylo perstrinxit: *Miror, inquit, cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant: epulæ enim, & refectiones caro tantum requirit, spiritus autem, & anima iis non indiget: parare aliquis suis charis dicit, quod ipse devorat, quod præstat ventri, amputat pietati.* Hæc Augustinus, inolitam gentilitiæ superstitionis consuetudinem acutissime hunc in modum sugillans. Et quidem, quod cibaria, ut jam diximus, aliquando ad sepulchra insani homines, deridendam in epulis superstitionem redolentes, relinquerent, vel certe concremarent, ipsemet irridens Tertullianus docet: *At ego*, inquit, *magis ridebo: vulgus tunc quoque, cum ipsos defunctos atrocissime comburit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem & promerens & offendens.* Ad hoc insuper epuli genus, quod in funeribus instruebatur, allusisse videtur Gaudentius his plane verbis: *Parentalia mundi malum idololatriæ extulit caput erroris: nam gula suæ causa primum cœperunt homines prandia mortuis parare, quæ ipsi comederent, post hæc ausi sunt sacrificia eis sacrilega celebrare, quamvis nec ipsis mortuis suis minus sacrificent parentalia, dum super sepulchra mensas tremulis manibus vina fundentes, spiritum balbutiunt.* Verum si quis deinde ab omni superstitionis errore ritum hunc vindicaverit, & Christianam pietatem redolet, & merito sacris in paginis, ut videre est, apprime commendatur. Sanctissimus enim vir Tobias id filio suo impensius exhibendum injunxit: *Panem tuum*, inquit, *& vinum tuum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.* Illud vero epulum super justorum sepulchra afferri præcipit Tobias, sicut diserte explicat Hugo, Lyranus, Carthusianus, Bellarminus, & Turrianus, quod haud vivis dumtaxat prodest, uti jam diximus, sed quod iisdem etiam defunctis prodesse posset, nimirum illud etiam pie admodum pauperibus eleemosynam distribuendo: quod etiam in primitiva Ecclesia fideles præstare consuevisse satis diserte Patres edocuere, quod etiam postea diutius quidem viguisse Hieronymus his verbis testatur: *Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, &c. Pammachius noster sanctam favillam, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat.* Cui item subscribit Chrysostomus his verbis: *Sed si filii, & fratris defuncti facis commemorationem, erroris concuteris conscientiæ, nisi consuetudinem implens pauperes convocares.* hæc Chrysostomus de funebribus Agapis.

Gentilium mos convivia mortuis præbendi, notatus.
Aug. ser. 15.
Tertul. l. de res. anim. 1.
Epulum pauperib in eleemosynam super sepulchra rite instruitur.
Tob. c. 4. v. 17.
Hier. ad Pam.
Chrys. ho. 27. in ep. ad. Cor.

4 De Natalitiis vero, quæ olim in festivis BB. martyrum diebus peragi quotannis consueverant, Greg. Nyssenus expresse meminit in B. Gregorii Thaumaturgi gestis, ubi ab ipsomet Gregorio easdem haud rejectas, improbatasque fuisse pronunciat. Sed ejus interim verba ex ipsis Gregorii Thaumaturgi gestis excerpta repetamus: *Cum animadvertisset*, inquit, *quod propter corporis voluptates simplex*

Agapæ Natalitiæ concessæ à Gregorio Thaumaturgo populo suo.

plex

Nyss. in vit. Greg. Taum.

plex & imperitum vulgus in errore simulacrorum cultus permaneret: quo maxime id præcipuum in eis interim assequeretur, ut vanis superstitionibus relictis, ad Deum converterentur, permisit, ut in memoriam sanctorum se exhilararent; & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur, &c. Vides quam leniter infidelibus interdum Ecclesia connivere consueverit, ut eos ad fidem traduceret traductosque ab ipsismet superstitionibus, quibus tenebantur, feliciter expurgaret.

15 De iisdem etiam Agapis Gregorius Nazianzenus luculenter agit Oratione, quam ad Gregorium Nyssenum conscribit, ubi de modestiæ ac temperantiæ cultu, qui in illis adhibendus est, copiose admodum edisserens, ut easdem quis vere Agapes nuncupare queat isthæc in rem præsentem subjicit:

Agapæ Natalitiæ quomodo celebrandæ sint?

Naz. orat. ad Nyss.

Si ad hunc modum coimus, aut confluimus, haud dubium, festum hunc diem, ut Christo gratum est, celebramus: sin autem eo convenimus, ut ventris voluptatibus indulgeamus, & fluxis ac momentaneis deliciis fruamur, cibosque evanescentes ingeramus; atque hæc loca non temperantiæ, sed crapulæ, atque hæc tempora non spiritualis assensus, &, nisi hoc à me audacius dictum videatur, Divinitatis confiquendæ, cujus mediatores sunt martyres, &c. At vero mirum in modum Nazianzeno Theodoretus adstipulatur Euang. verit. l. 8. ubi profanas gentilium epulas perstringens, hæc inquit: *At illos* (gentilium nimirum deos) *Deus cassos gloria, vanosque reddidit; suis autem martyribus honorem illum dedit. Pro prandiis, & Diasiis ac Dionysiis, hoc est, Iovis, Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Leontio, Antonio, Mauritio, aliisque sanctis martyribus solemnitates, populari epulo, peraguntur: proque illa veteri pompa, pro turpi obscœnitate atque impudentia, fiunt modestæ, castæ, & temperantiæ plenæ festivitates: non illæ quidem mero delibutæ, non comessationibus leves, non cachinnis solutæ; sed viris canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentæ, quibus ad Deum preces non sine suspiriis summittuntur, &c.*

Theod. Euang. ver. l. 8.

16 Verum quam pio ac frugi, quam modesto ac temperanti Christianorum studio Natalitiæ potissimum Agapæ instruerentur, Tertullianus testis locupletissimus est, qui in suo Apologetico isthæc ad rei propositum recitat: *Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse. Ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire, &c.* ea demum sobrietate ac modestia convivales illæ Christianorum epulæ, eodem Tertulliano teste, peragebantur, & convivium pariter solvebatur: *Ad eam* videlicet *curam modestiæ & disciplinæ* (ut ipse ait) *ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam. Hæc coitio Christianorum.* Hæc antiquus atque oculatus sacrorum rituum testis Tertullianus in primævorum laudem Christianorum, felicissima eorundem tempora eleganti sermone describens inculcat.

Ratio ac modus Agapas celebrandi.

Tert. Apol. c. 39.

17 Quoniam vero de Cœmeterialibus Agapis hic mentio est, nonnulla vel obiter de recolendis item Christianorum Agapis subtexere libet, in quibus haud triticeo pane, sed divini potissimum verbi pabulo mirifice convivantium animi reficiuntur; & ad quæ hoc nostro seculo, quando hæ salubri consilio, sanctorumque opera ac ministerio institutæ vigent, Christiani, qui in Vrbe sunt, apostolicorum temporum æmuli, aviditate maxima quotidie reficiendi confluunt: ut enim fideles olim juxta id, quod Lucas describit: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus;* ita pariter Christianos postremo hoc seculo Sanctus Philippus Nerius in unum simul coire, ad saluberrimum orandi studium in singulos dies provehi, & ad excipiendum divini verbi pabulum exerceri cupiens, peculiari Dei spiritu afflatus, Oratorii Congregationem in Vrbe instituit, ubi à suis Dei verbum plana ac facili methodo quotidie confluentibus administrari, voluit, quod ex ipsismet Breviarii Romani tabulis hunc in modum recolendum proponitur: *Innumeros pene Christo filios peperit, quos verbi Dei quotidiano pabulo, Sacramentorum frequentia, orationis assiduitate, aliisque piis exercitationibus enutriri cupiens, Oratorii Congregationem instituit.*

Populum in Vrbe ergaSS Sacramentum devotio antiquis haud impar.

Act. Apost. c. 2. n. 42.

S. Philippus Nerius.

Lect. Brev. Ro. die 26. Maji.

18 In Vallicellana igitur Ecclesia, mos iste olim à Beato Parente acceptus, illibatus adhuc viget, ac perseverat ut singulos in dies, quos feriales dicimus una sabbati duntaxat excepta, nec non diebus festivis, præmissa per horæ dimidium pia ex probatis auctoribus lectione, integro duarum horarum spatio familiarem divinis de rebus à quatuor è nostris Sacerdotibus, successivo ordine, ab unoquoque videlicet ex his per dimidiam horæ partem sermones habeantur, multiplici tamen singillatim unicuique themate atque argumento præscripto, vel ex fidelibus receptisque sanctorum gestis, vel ab Ecclesiasticarum historiarum fonte, aut certe è sacrarum promptuario scripturarum, ac moralibus de rebus ad erudiendum aptis concinnatisque; quibus tandem completis, & musica modulatione audientium animis mirifice recreatis, concio dimittitur.

Sacer quotidianus sermo ad populum in Congr. Orat. habetur.

19 Porro laudabilis ista consuetudo, quod plane mirandum est, Deo favente, ex quo primum cœpit, usque in præsens, nonaginta, & amplius annos grata jugiter, & illibata perstitit: ita ut integrum jam fere seculum recensere quis valeat, cum hæc feliciter in Vrbe instituta haud exiguo animarum fructu peraguntur. In præmemorato autem verbi ministerio viri doctrina, ac pietate in Vrbe conspicui, Abbates, Præsules, Episcopi adjutricem quandoque sub ipsa instituti exordia manum exhibuere: quin immo, ut singula recenseamus, sapientissimi quoque ac religiosissimi è Purpuratorum Senatu Patres in divino apte parvulis frangendo pane, & pabulo familiari, planoque stylo turbis ministrando haud suam desiderari operam passi sunt. Nam præ cæteris Eminentissimi, ac gloriosæ memoriæ Robertus Cardinalis Bellarminus è Societate Iesu, Ecclesiæ eximius controversiarum scriptor, & Cæsar noster Card. Baronius Annalium item Ecclesiasticorum auctor, festivis olim plerumque diebus, succisivisque horis in nostra Vallicellana Ecclesia pie ad populum perorare, & è suggesto ad piorum hominum avide confluentium captum verba subtexere, ingenti singulorum admiratione pariter, ac proventu non destitere. Sed nos cum hæc, vel obiter, honoris gratia meminerimus, Baronium interim in suis Annalibus prolixius pro Oratorii Vallicellani instituto his quidem verbis, amice lector, perorantem consule: *Sed divino plane consilio, inquit, factum est, ut nostra ætate ante annos triginta ad ejusmodi apostolici conventus formam magna ex parte, ea potissimum, quæ ad audientium ædificationem ex rerum divinarum sermonibus comparata, ad profectum Ecclesiæ peragi mandavit Apostolus, in Urbe fuerint*

Iam toto fere vertente seculo mos iste in urbe viget.

Cardd. Bellarminus, & Baronius.

Bar. ann. to. 1 an 57. n. 162.

fuerint instituta, opera in primis R. P. Philippi Nerii Florentini, qui tanquam sapiens architectus posuit fundamentum, & ejus in Christo alumni R. P. Francisci Taurusii Politiani, qui in his videbatur esse dux verbi. hæc Baronius. Verum quod ad peculiarem instituti formam, & ad divini verbi disseminandi rationem à nostris receptam spectat, hæc ad rem subdit.

19 *Horum igitur studio, & industria institutum primitus fuit, ut per singulos ferme dies, qui ardentiori studio Christianam vitam excolerent, ad Oratorium sancti Hieronymi convenirent* (ex eo namque & nostro Collegio nomen est inditum, ut Oratorii Congregatio diceretur) *ubi hoc ordine religiosus haberetur conventus: præmissa in primis silentio facta precatione ex fratribus aliquis lectionem auspicaretur ad permovendos animos ad pietatem accommodatam. Inter legendum etiam idem, qui praeesset pater, solitus esset interloqui, ac ea quæ dicta essent, accuratius explicando, amplificando & ardentiori studio in audientium corda insinuando, interdum etiam aliquorum ex fratribus, quid de aliqua re sentirent, rogando sententiam, in modum fere dialogi sermonem ad horæ spatium magna audientium alacritate perduceret, ejusdem jussu postea suggestum gradibus sublimiorem conscenderet è fratribus aliquis, qui ex vitis Sanctorum probatis atque receptis, divinaque scriptura, ac sanctorum Patrum sententiis absque fuco vel pigmentis intextam orationem haberet. Qui huic succederet eodem plane dicendi genere, sed diverso argumento, sermonem diceret: demum tertius his accederet, qui historias Ecclesiasticas ordine temporum dispositas enarraret. Quibus dimidiæ horæ spatio singulis ad dicendum concesso, mira audientium utilitate pariter, & voluptate perfunctis, cantato hymno, ac repetitis iterum precibus jam conventus absolveretur. Rebus igitur in hunc modum dispositis atque Romani Pontificis autoritate firmatis visa est pulchra illa conventus apostolici facies pro ratione temporum reddi, cui adgaudentes probi omnes complures ex ipsis inde mutuati exemplum, aliis in locis eadem pietatis officia instituere, ac propagare conati sunt.* Hæc Baronius de quotidiano divini verbi pabulo, & mystici, inquam, panis fractione famelicis fidelium exsaturandis in diserto turbis & ad novissimas, quas descripsimus, agapes ad vivum fidelium oculis repræsentandas, in suis annalibus eleganter digessit, quæ nos hic obiter, dum antiquas Christianorum agapes recoleremus, pio lectori suggerere voluimus.

Congregatio Oratorii cur id nomen sortita? *Baron. to. 1. an. 57. n. 162.*

Forma ac ratio proponendi verbi divini è Patribus Congr. Orat. quæ habeatur.

20 Quibus & illud oportune, dum turbas, ut pane divinitus reficerentur, avide Christum sectantes, & Christianos ad Agapes confluentes recolimus, subtexendum videtur, alium videlicet præter descriptum hactenus saluberrimum quidem, summisque provehendum laudibus à sancto Philippo morem ad nostros derivasse, qui usque in diem hanc velut quid hereditario ad nos jure profectum solicite servatur. Verno etenim tempore, hoc est ab ipsis Paschalibus diebus Dominicæ Resurrectioni solemniter dicatis, post decantatas in Ecclesia Vesperas, in apricum, ac peramœnum Ianiculi Collis locum, qui haud longe à Divi Onuphrii Ecclesia situs est, nostri convenire solent, ubi aër, qui suaviter perflat, & pulcherrimus Vrbis prospectus, qui oculis objicitur, adstantes mirum in modum recreat. In hoc igitur colle moras ad unius circiter horæ spatium trahentes, dispositis, aptatisque in theatri formam sedilibus ligneis, quæ humi defixa sunt, populus se locat, indeque musico præmisso concentu, initium fit: ubi vero à puero brevis conceptis ad rem verbis memoriter sermo præhabitus est, duo è nostris Sacerdotibus ordine sibi invicem succedentes, per quartam singuli horæ partem populum de rebus cælestibus salubriter erudiendo, & ad virtutem alacriter excitando, musico intermedio concentu, operam dant, quibus ex voto peractis gens, quæ ingenti quidem numero tunc temporis divini illecta verbi avidiate in locum confluere consuevit(ad millenarium enim, & ultra numerum interdum pertingit) singuli fere è subselljis, toti amore Dei succensi, blandeque tam animo, quam corpore deliniti, hilaris unusquisque domum remeat. Piæ autem ejuscemodi exercitationes usque ad festivam BB. Petri, & Pauli Apostolorum diem protendi consuevit: subinde verò intra proximiorem quampiam Vrbis Ecclesiam, quousque æstivi calores remittantur, & autumnales dies intercurrant, ad isthæc obeunda pii homines confluunt. Demum à festivo omnium sanctorum die usque ad sanctum Pascha in Oratorio nostro sub vesperum consuetæ preces, & pii ad populum sermones una cum harmonicis concentibus, ingenti tum Romanorum, tum exterorum concursu habentur. Et hæc sunt, quæ de symbolicis divini verbi panibus, qui populo in Vrbe ipsius sancti Philippi magisterio jugiter franguntur, & de recolendis insuper Christianorum Agapis, quæ adhuc in Vrbe laudabiliter vigent, dum antiquas eorundem Agapes recolimus, hic pio, ac studioso lectori paucis delibasse visum est. Nunc verò ad nostra redeamus.

Mos à S. Philippo Nerio populum in Ianiculum collem ad verbum divinum audientium ducendi hodieque permanet.

21 Laudabilis hæc fidelium consuetudo post longa interlapsa secula tandem aliquando refrixit, eumque in modum ipsa rerum facies, quod ad religionis cultum pertinent, immutata est, ut haud amplius consuetæ Christianorum Agapæ, sed turpissima quæque ebrietatum, & comessationum genera, quod valde dolendum est, permisceri cœperint. Quamobrem acri orthodoxorum Patrum stylo, ac toto insuper animi conatu eadem perstringi contigit; quod quidem præ cæteris egregie Ambrosius præstitit, qui Monicæ item matronæ piissimæ, & Augustini ipsius matri, eas de more laudabiliter exercenti, ut ipsemet Augustinus his verbis aperte testatur, intercidendas duxit: *Itaque cum ad memorias*, inquit, *sanctorum, sicut in Africa solebat, & pultes, & panem, & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur, ubi hoc Episcopum vetuisse cognovit, tam pie atque obedienter amplexa est, ut ipse mirarer.* Et infra admirandum beatæ ejusdem parentis in epulis hisce instruendis temperantiæ modum extollens, hæc subdit: *Sed illa cum attulisset canistrum cum solemnibus epulis prægustandis, atque largiendis, plus etiam quam unum pocillum pro suo palato satis sobrio temperatum, unde dignationem sumeret, non ponebat. Et si multæ essent, quæ illo tempore videbantur honorandæ memoriæ defunctorum, idem ipsum unum, quod ubique poneret, circumferebat, quod non solum aquatissimo, sed etiam tepidissimo cum suis præsentibus per sorbitiones exiguas partiretur: quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem. Itaque ubi comperit à præclaro prædicatore atque antistite pietatis præceptum esse ista non fieri, nec ab eis, qui sobrie facerent, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, & quia illa, quasi parentalia, superstitioni gentilium essent simillima, abstinuit libentissime, &c.* Vides quantum venerandorum Antistitum præceptis, Christianorum pietas deferre jugiter consueverit:

Agapæ à Patribus verbis castigatæ, ac perstrictæ.

S. Ambrosius Agapus in Ecclesia haud celebrandas esse duxit. *S. August. Conf. l. 6. c. 2.*

S. Monica ejusque virtus.

verit: illud quippe secum animo reputabant: *Quia melior est obedientia, quam victima.*

S. Augustinus Agapes in Africa prohibuit.

22 Quinimmo ipsemet Augustinus Ambrosii vestigiis studiosè inhærens, easdem in Africa, ubi fieri consueverant, abolendas ultro curavit, hac videlicet super re ad Aurelium Carthaginensem Episcopum scribens, eidemque modum quo facilè easdem è medio tolleret, tum exhortando, tum leniter agendo suppeditans, hæc inquit; *Non ergo aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando: sic enim agendum est cum multitudine.* Quod totum ad amussim toto sexennii tempore Aurelius servandum sibi proposuit; ac voti tandem in Carthaginensi Concilio compos effectus est, cui & ipse Augustinus, tunc Episcopus, interfuit, anno scilicet Christi 397. quod trigesimo ejusdem Concilii Canone his verbis recensetur: *Vt nulli Episcopi, vel clerici in Ecclesia conviventur, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur. Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur.* Qua pariter de causa ejuscemodi Agapæ in Laodiceno Concilio sub Romano Pontifice Silvestro vetitæ fuerunt, Can. 28. relat. in. cap. *non oportet*, dist. 42. his nimirum verbis: *Non oportet in basilicis, seu Ecclesiis Agapem facere, & intus manducare, vel accubitus sternere.*

S. Aug.

Agapæ prohibitæ in Concilio Carthaginem. Cont. Carth.

Conc. Laod. can. 28. in cap. non oportet. dist. 42.

23 Quamvis autem Gregorius Magnus notæ sanctitatis Romanus Pontifex, alterius Gregorii Thaumaturgi vestigia sectatus, easdem Angliæ populis non ultro inhibendas duxerit, haud ulla tamen ratione easdem in ipsismet Ecclesiis, sed juxta earundem ambitum exerceri indulsit, in hæc plane verba ad Mellitum rescribens: *Qui boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut dedicationi, vel natabitio sanctorum martyrum venerationem, quorum illæ reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conviviis solemnitatem celebrent.* isthæc sapienti quidem consilio Gregorius Magnus. Verum etsi ipsemet Augustinus præmemoratas Agapas usu jam penitus abolitas fuisse affirmet, eas tamen haud omnino improbare videtur, dummodo ob intensam erga Christi martyres devotionis cultum, hujuscemodi super eorundem tumulos cibi deferantur, ut ex lib. 8. de Civit. Dei, & ultimo legentibus palam fit, ubi hæc ille: *Quicunque Epulas suas*, inquit, *eo referunt*, ad memorias videlicet beatorum martyrum, de quibus supra egerat, *quod quidem à Christianis melioribus non fit, & plerisque terrarum nulla talis est consuetudo: tamen quicunque id faciunt, quas cum apposuerunt, orant, & auferunt, ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum in nomine Domini martyrum.* Cœmeteralis vero Agapæ iconem in studiosi lectoris gratiam hic iterum ob oculos proponendam voluimus.

Agapæ à S. Gregorio Anglis permissæ juxta Ecclesias.

D. Greg. Reg. l. 7. ep. 71.

Agapæ toleratæ à S. Augustino.

S. Aug. l. 8. de Civil. & Vlt.

TABVLA SECVNDA CVBICVLI PRIMI COEMETERII SANCTAE AGNETIS VIRGINIS ET MARTYRIS VIA NOMENTANA



Mensæ lunares.

24 Convivales igitur mensæ, & festivæ earundem epulæ, quæ frequenter in Cæmeteriorum tabulis effictæ coloribus conspiciuntur, Agapes, quas prolixiori hactenus sermone enarravimus, intuentium oculis exhibent: quæ à silicerniis quidem ac parentalibus, præterquam in mensarum forma, quæ communis utriusque extitit, longe distabant: ambæ enim semicircularem formam præferebant, Sigma ab iisdem, ob Græci elementi, hujus quidem figuræ similitudinem exprimentis appellatæ, & lunares itidem, quæ semiplenam intuentium oculis Lunam repræsentarent. harum autem Martialis carminibus illis meminit.

Sigma.

Accipe lunata scriptum testudine sigma.
Octo capit: veniat quisquis amicus erit.

Martial. l. 14 epigr. 77

Quod vero mensæ, quæ in hanc plane formam dispositæ erant, apud fideles quoque in usu essent, D. Paulinus in vita S. Martialis aperte his verbis testatur:

Hos inter medios quà Sigma flectitur orbe,
Presbyter accubuit, &c.

D. Paul. in vit S. Mart. l. 3.

25 Quare cum eadem mensarum forma omni prorsus superstitiosæ labis suspicione careat, ut & rotunda pariter mensa, quæ orbicularis seu orbis nuncupabatur, eo quod completum quendam circu-

Mensa orbicularis.

Mensa quadra. circulum repræsentaret, & quadra itidem quæ ab antiquis pariter usurpabatur, Christiani quoque absque ullo ambigendi scrupulo hujuscemodi mensas in usu habuere. Et pari item ratione absque ullo religiosæ observantiæ detrimento in convivalibus ejusdem epulis calida uti ad bidendum aqua consueverant: quod quidem in more olim positum fuisse altera ex supra recensitis tabulis palam edocet, in qua hæ leguntur notæ, *Dacalda*, quæ quidem gentilibus in eorumdem conviviis usui erat, ut ex Seneca constat, qui libro de Ira isthæc in rem præsentem ait: *Irascuntur boni viri pro suorum injuriis, sed idem faciunt, si calida non bene præbeatur.* Et ex Paulo item Iurisconsulto libro 18. de fund. Instr. leg. ubi isthæc: *Nec multum refert inter cacabos & ahenum, quod super focum pendet, his aqua ad potandum calefit; in illis pulmentarium coquitur.* Ex Iuvenale item, qui illo potissimum carmine cecinit:

Aqua calida convivis præberi solita.

Sen. de Ira. l. 2. c. 22.

Paul. Iurecon. l. 1. de fund. Instr.

Iuv. sat. 3.

Quando vocatus adest calidæ, gelidæque minister.

Mart. l. 1. epig. 11. Præterea Martialis ad Sextilianum scribens, id confirmat, ubi illum bibulum appellans, ait:

Iam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares Sextiliane merum.

Id. l. 8. ep. 63. Et iterum ex eodem Martiale assertionis nostræ propositum comprobatur:

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit,
Alget adhuc nudo clausa culina foco.

Quibus adjicienda videntur, quæ alibi recensitus Poeta enarrat:

Id. l. 14. ep. 95.

Frigida non deerit, non desit calda petenti.

Nec vero cuiquam hoc mirum videatur: olim quippe Romanis calidæ potus aquæ in deliciis habebatur. Quapropter Imperator Caligula ultimo quendam supplicio affecit, qui ejuscemodi aquam, quo potissimum die Drusillæ funeralia persolvebantur, publice per urbem venalem exhibere non destiterat. Et hanc potissimum ob causam Tiberius Claudius Nero, qui eadem potione plurimum oblectabatur, *Bibertus Caldius Mero* appellari promeruit.

Caligulæ in quendam crudelitas.

In Tiberii nomen populi jocus.

26 Præter viros autem gentilitiæ superstitioni apprime deditos, apud quos iste mos inoleverat, apud Christianæ item fidei cultores calidæ potum aquæ usui extitisse ipsemet Philo Hebræus testatur qui frugales Alexandrinorum Christianorum mensas sub Essenorum nomine, juxta D. Hieronymi descript. Eccles. & Baron. Annal. to. 1. an. 57. describens in rem præsentem hæc refert: *Vinum per illos dies non præbetur, sed aqua limpidissima, cæteris frigida, calida vero his, qui inter seniores tractantur delicatius.* Sed hæc de convivi alibus tabulis propinasse sufficiat, ad alias interim Cœmeteriales imagines properemus.

Christianis olim etiam potus aquæ calidæ in usu.

Bar. ann. to. 1. an. 57.

CAP. XXVIII.

De vario indumentorum genere, quo Cœmeteriales imagines excultæ sunt.

1 QUoniam Cœmeteriales multiplicibus indumentorum formis effictæ intuentium oculis imagines exhibentur, de iisdem nunc sermo instituendus est: & primo quidem loco cum sacræ Christi Domini, ac beatorum Apostolorum imagines, quæ in singulis fere Cœmeterialium Cubiculorum tabulis contemplandæ objiciuntur, tunicatæ, ac palliatæ insuper conspiciantur, inde exploratissimum nobis fit, Christianos pallio, ac tunica usos quondam fuisse. Quod satis aperte Euthymius de Christo Domino in illa Ioannis verba afferunt: *Surgit à cœna & ponit vestimenta*, hoc est inquit, *pallium nam eo solemus exui aliquid operis facturi.* Eusebius autem lib. 7. cap. 14. & Sozomenus lib. 5. apud Cæsaream Philippi ad sua usque tempora æream Christi Domini statuam pio mulieris studio à sanguinis profluvio curatæ illi erectam substitisse testantur, quæ quidem sacra imago tunicam, ac pallium præseferret, de qua nos supra suo loco disseruimus. Verum si de Apostolis loquamur, quod ipsi quoque ejusmodi indumentorum genere uterentur, ex illis ejusdem Domini verbis Matthæi 5. perspicue comprobatur: *Qui vult tecum*, inquit Christus, *judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et Matthæi 16. *Nolite possidere duas tunicas.* Idem plane ex his, quæ Angelus Petro dixit, convinci videtur: cum enim Christi Apostolus jam è vinculis extrahendus esset, illis ab Angelo vocibus præmonitus est, videlicet: *Circunda tibi vestimentum tuum*, id est, *pallium*, ut Tertullianus de Coron. milit. & Ephrem doc. var. cap. 88. exponunt, quod item D. Gregor. enarrat Regest. lib. 2. epist. 3. de beatissimi Ioannis Apostoli tunica in Vrbem delata, & Joh. Damascenus in ejusdem Gregorii gestis l. 3. cap. 59. cap. ubi tunicam hanc strictiores habuisse manicas enarrat, prout in jam descriptis, atque enarratis imaginibus exprimitur: cujus quidem formæ tunicas, ut hac saltem ratione à monachis distinguantur, ipsi nunc clerici, Apostolos imitati, deferre comprobantur. Plura hic interim de pallio, ac tunica nobis edisserenda suppeterent, sed ne otiose in his, quæ notissima sunt, immorari videamur, quod ad instituti nostri propositum facit, investigandum est: quid nimirum illæ elementorum notæ legentibus innuant, quæ in quibusdam imaginibus expresse conspiciuntur, nempe T. X. I. H. & hæc quidem, ut ipsamet ratio suadet, peculiaria arcanorum mysteria, vix tamen ab ullo è Patribus hucusque, quod noverimus, explanata, continent. Verisimile tamen nobis fit, illa elementari nota T. crucem præsignari, que videlicet per *Tau* signum aperte prænotatur; cujus potenti virtute eos omnes apud Ezechielem prophetam, ut supra dictum est, servatos legimus, qui antea salutari hoc signo valide ipsius Angeli ministerio præmuniti fuerant, juxta verba, quæ ibidem haud otiose describuntur: *Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam civitatem in medio Hierusalem, & signa Tau per frontes virorum, gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus, & illis dixit, &c.* Et infra de signatis hoc nobili charactere ab interitu vindicandis, hæc subdit: *Omnem autem, super quem videritis Tau, ne occidatis.* Hæc utique apud Ezechielem in perenne salutaris, ac vivificæ Crucis monimentum descripta leguntur. Sed nos de mystica *Tau* nota plura quidem in rem præsentem cap. 23. hujus sexti libri in studiosi lectoris gratiam hic repetenda congessimus.

Pallio, & tunica Christus & Apostoli induebantur.

Eut. in Io.

Eus. l. 7. c. 14. lib. 5. Sozom.

Statua Christi Domini ab Hæmorrhoissa illa posita palliata, & tunicata.

Matth. c. 5.

Matth. c. 16

Tert. de coron. milit. S. Ephr. doc. var. c. 88. S. Greg. Reg. l. 2. ep. 3.

Io. Diac. in vit. S. Greg. l. 3. c. 59.

Tunica S. Ioannis Apost.

Vestimenta Imaginum Cœmeterialium literis notata.

Litera T. in vestimentis quid significet?

2 At recolendum mysterium, quod paulo ante recensitum est, ipse quoque fatetur, ac veneratur Origenes, qui homilia octava de Epiphania Domini isthæc habet: *Denique in Ezechiele propheta, cum omnes qui missus fuerat, occidisset, illi tantummodo sospites reservantur, quos Tau litera, id est, crucis pictura signaverat.* Boethius vero pari vir pietate, ac eruditione conspicuus lib. 1. de consolatione, sibi Philosophiam per visum se contemplan-

Tau litera signati servantur.

Orig. ho. 8. de Epiph.

Philosophia per visum Boethio se monstrat.

dam

dam exhibuisse affirmat, cujus habitum hujuscemodi notis exsultum; atque insignitum delineando describens, hæc ait: *Vestes erant tenuissimis filis, &c. Harum in extrema margine P. Græcum, in supremo T. legebatur, atque inter utrasque literas in scalarum modum gradus quidam insigniti videbantur, quibus ab inferiore ad superius elementum esset ascensus.* In scholiis autem hujus libri easdem plane notas D. Thomas disertis verbis explanando insinuat. Verum alioqui sapientissima Angelici Doctoris elucidatio neutiquam Cœmeterialibus Imaginibus consentanea videtur, in quibus ad fidei præcipue dogmata rudiorum animis salubriter inserenda, hujuscemodi rerum symbola pio antiquorum Christianorum ingenio adinventa, exarataque fuisse proculdubio credendum est. Porro elementaris nota X. decussatam pariter Crucem præsignare nobis arbitrari fas est, ejus plane formæ, quam beatus Andreas Apostolus anhelanti animo festinusque ac si nuptialem ad thalamum properaret, paratam sibi complexatus fuit. Quamvis Goropoius Hierog. lib. 11. hoc plane symbolo præviam ad Spiritus sancti charismata cælitus excipienda mentis habitudinem portendi velit. Pari item ratione litera I. divinissimum Iesu Salvatoris nomen mystico, solemnique charactere præsignari affirmandum est. Quamvis autem apud Græcos denarium nota hæc numerum significet, apud eosdem tamen sacrosanctum quoque Nomen hoc patenter exprimitur. Quapropter Clemens Alexandrinus de Decachordo sermonem faciens, hæc ait: *Nunquid autem Decachordum psalterium verbum Iesu significat, qui manifestatur elemento Decadis.* Idem insuper augustissimum Dei Salvatoris nomen per notam H. quæ nimirum *Ita* Græcum exprimit, significari constanti utique assertioni crediderim. Reliqua interim in Cœmeterialibus perlustrandis imaginibus, studioso lectori lynceis oculis contemplanda, proposito sistentes, prosequamur.

Descriptio vestimentorum ejus.

Litera X. ejusque significatum.

Litera I. sanctissimum Domini Iesu nomen denotat.

Clem. Alex. l. de. Decachord.

Et litera Græca H. idem significat.

3. Et quidem, ut ennarratis hactenus nonnulla notatu dignissima subtexamus, in iisdem, quibus passim, ut videre est, Subterranea Roma illustratur, tabulis sacratissimæ Christi, & Apostolorum imagines plerumque calceatos sandaliis pedes præseferunt, quæ substratas quidem soleas continent; in superiori autem parte aperta sunt, & corrigiis invicem ad commode ambulandum restringuntur. Porro sandalia isthæc effictas quasdam soleas intuenibus exhibent, cujusmodi observantiores potissimum Franciscani Capuccinorum familiæ atque instituti deferre solent, quæ communi Italorum voce vulgo *scarpe all' Apostolica* appellantur. Antiquissimum vero eorumdem exemplar in conspicuo ac celebri Eminent. Cardinalis Francisci Barberini S. R. E. Vicecan. Musæo asservatur.

Sandalia eorumque forma.

4 Verum enarratis hactenus illa Christi verba negotium aliquod facessere videntur, quæ Matth. 10. recitantur: *Nolite*, inquit, *possidere aurum, neque argentum, neque peram in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*, &c. ubi, ut Chrysostomus optime animadvertit, *Apostoli una cum tunica, & discalceatis pedibus, circumibant, totum modum, & superabant, &c.* Ex quibus verbis illud plane asseri posse in rem præsentem videtur, sandaliis Apostolos usos fuisse, etsi perperam vano pictorum studio, aliter eosdem in tabulis effingi ac repræsentari contigerit: quinimmo ipsummet Dominum haud calceatis, sed nudis pedibus deambulasse fateri nobis ultro necesse erit, si Hieronymi præsertim sententiæ inhæreamus; qui epistola 22. ad Eustochium hæc ait: *Moyses & Iesus Nave nudis in terra sancta jubentur pedibus incedere: Apostoli sine vinculis pellium & onere calceamentorum ad prædicationem novi destinantur Euangelii: milites vestimentis Iesu sorte divisis, caligas non habuere, quas tollerent. Non enim habere Dominus potuisset, quod servos suos habere prohibuerat.* Idem plane epistola 4. ad Rust. & 4. item ad Ageruchiam affirmat. Cui D. Bonaventura in exposit. Reg. fratrum Min. cap. 2. mirifice adstipulatur ubi de beatissimis Christi Apostolis sermonem instituens, eos haud unquam absque sandaliis incessisse pronunciat. Quod item clarius ex ipsis Marci Euangelistæ verbis cap. 6. comprobatur, ubi Christi Domini præceptum id suis ultro inhibentis recensens, hæc ait: *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque in zona æs, sed calceatos sandaliis, & ne induerentur duas tunicas, &c.* Ex quibus profecto diversi generis ac formæ sandalia à calceamentis extitisse constat: hæc enim totum pedem cooperiunt, illa vero inferiorem dumtaxat ejus partem, vel ipsam pedis plantam contegunt.

Apostolis calcamenta prohibentur.

Matt. c. 10.

Chry. in. Matt. c. 10

Christus Dominus nudis pedibus incessetit.

D. Hier. ep. 22.

Hier. ep. 4. ad Rust. Et ep. 4. ad Ageruc. D. Bon. in exp. ad reg. frat. min. c. 2.

Apostoli sandalius utebantur.

Marc. c. 6.

5 Apostoli igitur post injunctum sibi divinitus præceptum sandaliis uti nullatenus destitere, quod ex eorundem actis cap. 12. satis aperte convincitur, ubi Angelus Petro Herodis jussu vinculis coarctato illa edixisse verba describitur: *Præcingere, & calcea te caligas tuas*; vel, ut Græco, ex textu clarioribus terminis legendum occurrit: *Subliga sandalia tua:* quamvis una eademque vox *caligas* & *sandalia* pariter denotet, ut Papias pervetustus inter grammaticos, & D. Bonaventura loco supra citato edisserunt; & à Iulio Nigronio tractatu satis erudito, quem *de antiquorum caliga edidit*, egregie comprobatum est.

S. Petrus Apostol. Sandaliis calceatus erat.

Act. Apost. c. 12.

Sandalia, & caligæ idem significant.

6 Neutiquam igitur Christus Dominus sandaliorum usum Apostolis interdixit: etsi enim aliquando nonnullas apud regiones ejuscemodi sandalia decori pariter, atque ornamento essent, eademque vano gentilium ritu Apollini maximè tribuerentur, qui *Sandalarius* hanc ob rem nuncupabatur, quod sandaliis videlicet muliebribus calceatus videretur. Hæc item Sandalia cum apud fœminas in usu passim haberentur, vani quoque cultus ac enervatæ mollitiei haud obscurum argumentum extitisse, ipso Æliano teste, comperimus var. histor. lib. 1. cap. 7. & Iul. item Poll. lib. 7. cap. 22. qui isthæc eleganti oratione describens, à fœminis studiose, ac concinne floribus atque auro exornari consuevisse refert. Ex quo illud conjicitur, quod cum id genus ornamenta muliebrem plane luxum redolerent, si hæc à viris pariter quandoque deferrentur, levis quidem ingenii, ac mollioris animi notam præseferebant. Illud tamen apud nos indubitatum omnino est, eo quod eorumdem Christus Dominus Apostolis usum indulserit, in Palæstinæ præsertim regionibus, ab infimæ sortis duntaxat hominibus, ac egenis usu recepta fuisse, cujusmodi suos ipsemet Dominus sectatores Christianæ humilitatis titulo se jugiter exhibere, ac palam cunctis absque ulla ostentationis nota ostendere præoptabat.

Sandalia decori atque ornamento apud aliquas olim erant.

Apollo Sandalarius.

Ael. Var. hist. l. 1. c. 7. Iul. Poll. l. 7. c. 22.

7 Sed hic in rem præsentem, studiose lector, ea potissimum recensere nobis præstat, quæ Cornelius Iansenius hac super re prolixius his quidem verbis edisserit:

Quæ ac qualia calceamenta Apostolis

interdicta, & quænam permissa? Cor. Ian. Conc. c. 55. in Matt. 10.

edisserit: *Quarto prohibet calceamenta; cui contrarium videtur, quod habet Marcus, permissum illis fuisse, ut essent calceati sandaliis. Proinde intelligit Cajetanus ad nomen calceamenta, debere etiam repeti numerum binarium, ut intelligantur prohiberi secunda calceamenta, sicut duplices tunicas. Alii, quod eodem redit, intelligunt prohiberi calceamenta præterea, quæ habebant in pedibus, quæ scilicet secum deportarent, attritis vel sordidatis aliis. Verum cum Lucas cap. 22. dicat Dominum dixisse Apostolis in ultima cœna: Quando misi vos sine calceamentis, satis signat in totum calceamenta illis prohibita. Et deinde Marcus dicens permissum, ut calcearentur sandaliis, signat aliquod calceamenti genus illis interdictum, dicens calceamenta ea esse prohibita, quæ totum pedem tegerent: sandalia vero concessa, quæ plantam quidem pedis defenderent ab occurrentibus viæ incommodis, verum superiorem pedis partem sinerent nudam. Nam hujusmodi calceamenti genus vocari sandalia indicat Augustinus. Non autem ideo prohibet calceamenta, & concedit sandalia, quod illi curæ fuerit, quo calceamenti genere sui uterentur, &c.* Hæc suo ex more de sandaliis Iansenius erudite congessit, quibus isthæc infra addit: *Sed quoniam, ut est verisimile, Christus & Apostoli pro more illius regionis maxime recepto à pauperibus, utebantur sandaliis, noluit Dominus suos jam profecturos mutare sandalia, & quemadmodum itinerantes facere ibi solebant, calceamenta, quæ totum defenderent pedem, assumere, volens eos non aliter ire instructos ad prædicandum, quam sicut cum adessent illi, eumque comitarentur. Dominum enim non plane nudus incessisse plantis verisimile est, quod hoc non convenisset asperitati & caliditati illius regionis, per quam assiduo discurrebat: sandalis autem tantum fuisse usum ex eo constat, quod peccatrix mulier, quæ lacrymis rigabat ejus pedes, utique reperit superiorem pedum Domini partem nudam.* hæc vir sacræ antiquitatis apprime eruditus enarrat.

Luc. c. 22.

8 His autem nunc recensitis, quæ D. Augustinus de Apostolis scribit, subtexere fas est, videlicet Christum Dominum calceatis etiam quandoque pedibus deambulasse, sed verba, si libet, Augustini in medium proferantur: *Nam de his*, inquit, *calceamentis, quibus calceati ambulamus, consolatur me ipse Dominus meus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Ioannes diceret: Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum, &c.* Sanctissimus autem doctor hujuscemodi prohibitionem spirituali sensu intelligendam esse definit, quemadmodum cætera quamplura, quæ expressis ibidem verbis prohibentur, ut exempli gratia: *Neminem per viam salutaveritis*, sic autem Augustinus in rem præsentem inquit: *Itane placet, ut iter agentes occurramus charis nostris, & eos non salutemus majores, non resalutemus minores? Itane Euangelium imples, quia salutaris, & taces?* Ac si illud verbis hisce disertissimus Pater innuat non adeo stricte videlicet à Domino id Apostolis injunctum fuisse, & ad pressum (ut ajunt) corticem, & ipsius literæ sonum, sed ut eosdem ad paupertatis Euangelicæ formam studiosius æmulandam exhortando proveheret, ac omnimodam rerum futilium suorum animis despicientiam ingereret, cum maxime eosdem discipulos tanquam Dei nuncios & Euangelii præcones, terrenis curis procul abjectis, in totius orbis ac animarum cultu solicitos esse oporteret. Quamobrem plerique sanctorum Patrum, voces, quæ hactenus recensitæ sunt, *sandalium* videlicet & *calceamentum* nulla præhabita distinctione usurpantes, complura inde rerum spiritualium dogmata, informandis dirigendisque humanis moribus apta hausere: & unus præ cæteris Ambrosius calceamentis, quæ jam descripsimus, ipsiusmet Euangelii promulgationem his plane verbis designari asserit: *Calceamentum*, inquit, *prædicatio est Euangelii.* Et infra: *Hæc est præparatio Euangelii, ad cælestem cursum dirigens præparatos, ut non in carne ambulemus: sed in spiritu.* Idem autem sapientissimus Ecclesiasticos inter scriptores eodem libro septimo ipsam calceamentorum materiam, ex qua compacta sunt, expendens in illud Matth. *Non peram, non calceamenta. Vtrumque*, ait, *de corio mortui animantis conficitur. Nihil autem in nobis Dominus Iesus mortale vult esse.* Quod mysticum plane symbolum Augustinus quoque loco supra citato his verbis eleganter inculcat: *Calceamenta, quibus utimur, coria mortuorum sunt, nobis tegmina pedum. Per hoc ergo jubemur renunciare mortuis operibus. Hoc in figura Moyses admonebatur, quando Dominus loquens ait: Solve calceamenta de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est. Quid tam terra sancta, quam Dei Ecclesia? In illa ergo stemus, calceamenta solvamus, id est, mortuis operibus renunciemus.* hæc Augustinus.

Christus Dominus non incedebat nudis pedibus.

D. Aug. ser. 42. de Sanct.

Calceamentorum prohibitio spiritualis.

Rerum terrenarum despicientia, & abstinentia.

Calceamenta quidnam mystice significent.

S. Ambr. in Luc. c. 5. l. 7.

Matt. c. 10.

Aug. ser. 42. de Sanct. 2. de Apost.

6 Chrysostomus quoque hac super re nobis consulendus videtur, qui de patre, ac duobus filiis loquens, postquam multa diserte suo ex more elocutus est, ita ad rei nostræ propositum concinne philosophatur: *Mandat*, inquit, *& calceamenta pedibus apponi, aut propter communienda vestigia ad corrigendum viam, ut per lubricum mundi istius iter fixum incedat, aut excluso in euangelicis calceamentis carneæ contagionis luto mundos pedes immaculate conservet, & dirigat, aut propter mortificationem membrorum. Vitæ enim nostræ cursus in scripturis per appellationem, & mortificationis species in calceamentis ponitur, quia de animalium mortuorum pellibus conficiuntur.* Hæc Chrysostomus.

Mystica ex sandaliis doctrina.

D. Chry. ho de fil. prod.

10 Idem plane paribusque sententiis Beda confirmat: *Calceamenta*, inquit, *in pedes, præparatio euangelizandi ad non tangenda terrena, Marcus dicendo calceari Apostolos sandaliis vel soleis, aliquid hoc calceamentum mysticæ significationis habere admonet, ut pes neque tectus sit, neque nudus ad terram, id est, ne occultetur Euangelium, nec terrenis commodis innitatur.* Quod item lectionis Euangelicæ mysterium per se recognoscere unusquisque potest apud Anselmum his propemodum verbis: *Calceamentum est totum Euangelium. Apostoli dicuntur habuisse sandalia, quæ subtus soleas habent, desuper vero aperta, & ligata corrigiis, quia pedes Apostolorum sunt calceati in præparatione Euangelii pacis. Euangelium debet prædicatores munire, ne terrenis adhæreant, sed debet esse apertum audientibus, ad quos eunt.* Quæ totidiem plane verbis sententia apud Augustinum lib. 2. de consensu Euang. cap. 30. recensetur. Sed de sandaliis hæc interim ad instituti propositum paucis enarrasse visum est.

Beda in Eph. c. 6. Sandalia, eorumque forma mysteriosa.

D. Ansel. in Matt. ho. 3

Aug. de cons. Euang. 2. c. 30.

CAP. XXIX.

De Tiara.

1 CUm Cœmeteriales plerumque imagines, quas suo loco exacte descripsimus ejuscemodi tiaras capitibus ornamenti conciliandi gratia præ se ferant, nostri quoque instituti ratio, ut de

iisdem

iisdem pauca edisseramus, à nobis proculdubio exigit. Ut rem igitur aggrediamur, studiosus, & recolendæ antiquitatis amicus lector norit, quod trium Puerorum, Magorum item, atque Orphei imagines aptatis capiti pileolis contemplandæ objiciuntur: hi autem illis omnino persimiles sunt, quibus Persici quondam Imperii homines utuntur, & qui vulgo *tiaræ*, seu *cydares* nuncupantur, ut erudite Hieronymus illa Danielis verba cap. 3. exponit: *Et confestim viri illi vincti cum braccis, & tiaris, Tiara*, inquit, *genus pileoli, quo Persarum, Chaldæorumque genus pileoli, quo Persarum, Chaldæorumque genus utitur.* Quod magis perspicue ex illis Ezech. verbis cap. 23 colligitur: *Cumque vidissent viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, & accinctos balteis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, &c.*

Tiaræ, Cydares. *D. Hier. in c. 3. Daniel.* *Ezech. c. 23.*

2 Porro diversæ fuerunt communes tiaræ ab iis, quibus uti Reges consuevere, quæ quidem rectæ & acuminatæ erant; at communes satis depressæ ac paululum inflexæ, juxta ejusdem Hieronymi ad Fabiolam scribentis, nec non Suidæ, Senecæ, aliorumque sententiam. Nil igitur mirum, si tres Pueri veluti Persæ, consueto Persarum more, hujuscemodi pileolis capite cooperti sacris in tabulis exhibeantur. Verum de Magis potior difficultas suboriri videtur, quos Tertullianus libro adversus Judæos cap. 9. & 3. de Idol. S. Cyprianus de stel. & Mag. S. Augustinus sermone 30. de tempore. & S. Leo sermone 2. de Epiph. ex orientali regione venisse affirmant, ex ipsius videlicet Euangelicæ lectionis textu, ubi dicitur: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam.* At Clemens Alexandrinus Strom lib. 1. S. Hieronymus in Dan. 1. & S. Joan. Chrysostomus Homilia 6. in cap. 2. Matthæi, & alii eosdem è Perside profectos fuisse docent. Porro S. Cyrillus Alexandrinus in Isaiam cap. 49. Orat 2. varias scriptorum sententias hac plane ratione invicem conciliare nititur: *Quod autem* inquir, *innumeri fuerint vocati, & ex omni parte sub Cælo congregati, ostendit dicens: Ecce è longinquo veniet, & hi ab aquilone & mari, alii è terra Persarum. E longinquo videtur indicare partes australes, Aquilo aquilonares, mare, occidentales regiones. Horum enim sic facit mentionem Psalmodus, cum ait: Aquilonem & mare tu creasti. Illi vero è terra Persarum esse possunt, qui capti & inescati sunt ad orientem: versus enim radium solis Persarum terra, fortassis etiam Magos intelligere convenit, qui cum adorarunt. Venerunt enim Judæam, &c.* Et hæc infra in rem præsentem adjicit: *Meminit hujus etiam Psalmodus, cum dicit de omnium nostrum Salvatore Christo. Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ. Arabiam enim hic Persarum regionem, &c.*

Hieron. ep. ad Fabiol. Suidas, Seneca. *Tert. l. adver. Iud. c. 9. & 3. de Idol. S. Cyper. de stel. Mag. S. Leo ser. 2. de Epiph. S. Aug. ser. 30. de temp. Cle Alex. Stro. l. 1. hom. 6. in c. 2. Matt.* Magi ex qua regione venerent. *S Cyr. in Isa. c 49. or. 2.*

3 Utcunque tamen se res habeat, illud certe apud omnes exploratissimum est, hujuscemodi formæ pileolos Chaldæis quoque usui extitisse, juxta receptam Hieronymi sententiam, quam loco citato recensuimus. Quo plane modo tres Magi coloribus expressi conspiciuntur in pervetusta imagine ad hanc usque diem, opere musico elaborata, in pervetusto Basilicæ S. Mariæ Majoris arcu, qui Triumphalis dicitur: & in marmoreo item Sarcophago, quem Franciscus Gualdus Armin. Eques S. Stephani vir sacræ, ac venerandæ antiquitati apprime deditus, in ejusdem Basilicæ porticu novissime poni curavit. Eodem autem fere modo ejuscemodi olim imagines in celebri Joannis Septimi ad Vaticanum Sacello visebantur, eodem plane loco, ubi nunc porta, quæ *sancta* dicitur, sita est. Quibus quidem locis non pileolos modo, quos supra descripsimus, Magi deferentes, sed munera insuper quibusdam in capsulis Deiparæ Virgini Infantem Jesum sinu gestanti offerentes, eundem in modum delineati exhibentur, quo in recensitis hactenus Cœmeterialibus imaginibus videre est. Quin & Alcuinus ipse de divin. offic. cap. 5. in Biblioth. Patrum to. 3. de Magis luculenter edisserens, eosdem *tiaratos* hunc in modum appellat: *In Bethleem*, inquit, *pervenerunt, quem tiaratis vultibus adorantes lætata est sagax curiositas Chaldæorum.*

Tiaris Chaldæi etiam utebantur. Sarcophagus marmoreus Franc. Gualdi. *Alcuin. de div. offic. c. 5. ex Bib. pat. to. 3.*

4 Major autem difficultas rem altius contemplanti subest, si quis nimirum studiose recolat, quanam ex causa hujusce formæ pileolum, seu tiarum pictæ ipsius Orphei imagini aptari contigerit; sed propositæ nuper quæstionis nodus facile solvitur, si quæ à nobis jam de ipso Orpheo præmissa sunt, mente repetamus. Apertissimum quippe Christi Domini typum eundem extitisse asserumus, cui merito quidem jure hoc tiaræ ornamentnm consonat, quæ regum olim insigne erat: etsi tiaram ipsam humilitatis symbolum prænotare unà cum Innocentio III. lib. 2. de myst. Missæ affirmare quis valeat; de hujuscemodi enim re sanctissimus Pontifex hæc in medium affert: *Cydaris*, inquit, *vel tiara quam ultimo Pontifex assumebat, significat humilitatem, de qua Dominus dicit: Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Multo magis Christo Domino convenit, qui de se ipso dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Si vero mysteriis elucidandis altius intendamus, tiaram quoque futuræ resurrectionis imaginem præseferre, auctore Beda, intelligemus: *Cydaris*, inquit, *ornatus capitis est, & ideò resurrectionem significat.* Idem Dominus de semetipso pariter dixit: *Ego sum resurrectio, & Vita*, Haud igitur otiose pio antiquorum Christianorum studio tres Pueri pileolis insce egregie exculti, ac Magi insuper infantem Christum inter cunabula adorantes, & Orpheus sacris in tabulis pictorum manu repræsentari consuevere. Sed hæc interim paucis, ut eruditioni & brevitati pariter consulatur, attigisse voluimus.

Orpheus cum tiara. Tiara quomodo Christo Domino conveniat? *Innoc. Pap. l. 2. de myst. Miss.* *Bed. in Levit. c. 16.* Cydaris, seu Tiara symbolum resurrectionis.

CAP. XXX.

De Braccis, Saraballis ac Mitris muliebribus.

1 PRæter tiaras, quas modo, sacrarum inhærentes elucidationi ac cultui picturarum, ex antiquitatis promptuario fideliter excerptas descripsimus, braccis quoque beatos tres Pueros pereleganter indutos fuisse, ex illis præsertim Danielis Prophetæ verbis, quæ capite tertio recensita sunt, legimus, videlicet: *Et confestim viri illi vincti cum braccis suis, & calceamentis, &c.* Et infra: *Contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, etiam sarabalia eorum non fuissent immutata.* Porro quidnam, & cujus potissimum generis, ac formæ indumenta ejuscemodi fuerint, multiplices scriptorum sententiæ adnumerantur, quarum nunc singulas in medium proferre instituti nostri propositum exigit. Certe Hieronymus in eundem Danielis textum hæc scribit: *Pro braccis, quas Symmachus ἀναξυρίδας interpretatus est, Aquila & Theodotio Saraballa dixerunt, & non, ut corrupte legitur, sarabara: lingua autem Chaldæorum Saraballa*

Dan. c. 2. Braccæ, & Sarabellæ cujusnam indumenti genus sint? *D. Hieron.*

balla crura hominum vocantur, & tibia, & ὁμωνύμως *etiam braccæ eorum, quibus crura teguntur, & tibiæ quasi crurales & tibiales appellata sunt.* Et idem epistola 49. ad Innocent. de muliere septies icta, isthæc ingerit: *Huc huc, inquit, mihi trium exempla puerorum: qui inter frigidos flammarum globos, hymnos edidere pro fletibus, circa quorum Saraballa, sanctamque cæsariem innoxium lusit incendium.* Ex quibus plane verbis haud *Saraballa* à braccis distingui convincitur, cum Saraballa tantum, & ipsos insuper puerorum capillos haud ab igne consumptos fuisse pronuntiet. Nicolaus autem de Lyra loco, quem citavimus, commune utrisque nomen, ac significationem respondere asserit, dum ait: *Saraballa, id est, braccæ æstivales.*

Hier. ep. 49. ad Innoc. de mul. sept. icta.

Nicol. de Lyra, in l. cit.

2 Verum Isidorus Hispalensis Origin. lib. 9. eorum sententiæ adstipulatur, qui *sarabaram* (sic eam appellat) idem esse cum tiara affirmant: *Sarabara*, inquit, *sunt fluxa ac sinuosa vestimenta, de quibus legitur in Daniele: Et sarabara eorum non sunt immutata. Apud quosdam autem sarabara quædam capitum tegmina nuncupantur, qualia videmus in capitibus Magorum picta, &c.* Quæ quidem opinio ipsi magis consona textui videtur, ubi cum *tiaræ* nomen exprimitur, nulla de saraballa mentio incurrit; è contra autem, ut in duobus locis ejusdem capitis jam supra recitatis videre est, hoc idem ex altero patet; ibi enim expressis verbis nullam penitus vim in sacris eorumdem corporibus ignem ad urendum habuisse, & nulla ex parte capillos capitis eorumdem adustos fuisse; quibus & illud demum subtexitur, & *saraballa eorum nullatenus* immutata fuisse, ac si dicat: non capillos duntaxat, quos tiara, seu saraballa tegebat, nullum ab igne detrimentum sensisse, sed nec ipsamet quæ igni propiora, ac flammarum incendio magis exposita sunt, ejusdem vim nulla quidem ratione sensisse. Verumtamen Tertullianus libro de resurrectione carnis cap. 58. unam ab altera secernere videtur, dum hæc ait: *Quod Babylonis ignis trium fratrum nec tiaras, nec sarabaras, quanquam Iudæis alienas, læserunt, &c.*

Saraballarum descriptio.
Isid. Hisp. orig. 9.

Tert. l. de res. c. 58.

3 At vero, ut recolendæ antiquitati fides, quemadmodum par est, constanter deferatur, & petitis inde argumentis omnis controversia dirimatur, certe apud Vaticanam Bibliothecam in sanctorum Menologio, quod ipsimet olim Basilio Porphyrogenito Imperatori Constantinopolitano usui fuit, & deinde à Card. S. Cæciliæ nuncupato Paulo Papæ V. dono datum est, qui illud in eadem Bibliotheca pretiosi instar thesauri perpetuo asservari jussit; in eodem, inquam, Menologio veneranda trium Puerorum imago unà cum eorundem indumentis ad vivum expressa conspicitur, ex qua profecto quid omnino diversum esse tiaram à saraballis satis apertè dignoscitur, quas ejusdem plane formæ, qua olim ab Hieronymo describuntur, extitisse contemplando apparet: oblonga quædam nimirum veluti femoralia ad talos usque protensa, quæ alio vocabulo *braccæ* nuncupantur.

Trium puerorum imago cum Saraballis.

4 Mitræ verò, seu *mitrella*, quæ super mulierum nonnullarum capita affabre coloribus effictæ conspiciuntur, cum in singulis imaginibus nequaquam exprimantur, certe & mysterium aliquod eisdem adumbrari intuentibus palam innui videtur; quoniam etsi mitrarum usus singulis fere mulieribus communis erat, ut Servius docet in illud Virg. 9. Æneid.

Mitræ muliebres.

Mitra omnibus mulieribus communis.
Serv. Vir. Æn. l. 9.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Qui hæc in rem præsentem affert: *Pilea*, inquit, *sunt virorum, mitræ fæminarum quas calanticas appellant.* At Isidorus Hispalensis Orig. lib. 6. cap. 31. hujusmodi inter Christianos olim ornamenti genus mulieribus quidem Deo dicatis peculiare extitisse his verbis pronuntiat: *Mitra & pileum Phrygium caput protegens, quale est ornamentum capitis devotarum: sed* pileum *virorum est*, mitra *autem fæminarum.*

S. Isid. Hisp. Orig. l. 9. c. 31.

5 Ad rem autem hanc magis comprobandam illud facit, quod in Africana olim Ecclesia ejuscemodi mitræ virginibus solemni ritu imponerentur, quemadmodum & hac nostra ætate in more positum est, ut sacra videlicet moniales velamina accipiant, dum suam Deo solemniter virginitatem dicant, ac perpetuo Christi obsequio addictæ, consuetis Ecclesiæ ritibus initiantur. Quod ex Optato Milevitano evidenter colligitur, qui Donatistas, eo quod mitras è sacrarum virginum capitibus abstulissent, acriter perstringens, quippe quæ pia Catholicorum manu iisdem impositæ fuerant, ut alias videlicet ab eorum manibus deinde acciperent, isthæc ait: *Iam illud quam stultum, quàm vanum quod ad voluntatem, & quasi ad dignitatem vestram revocare voluistis, ut virgines Deo agerent pœnitentiam? & jamdudum professa signa voluntatis capitibus postea vobis jubentibus immutarent, ut mitrellas alias projicerent, alias acciperent.*

Mitræ virginum Deo sacrarum. Vela sacra virginum vicem mitrarum nunc obtinent.
Donatistæ auferunt vela virginum à Catholicis imposita ipsis.
Opt. Milev. l. 6.

6 Verum enimvero ejusmodi *mitræ*, quæ sacrarum virginum capitibus imponi consuevere, ab his longe distabant, quas cæteræ passim mulieres ornamenti conciliandi gratia capite gestabant: quæ quidem proculdubio satis eleganter ex cultæ ac pretiosis gemmis refertæ conspiciebantur; cujus plane generis castissimæ Judithæ mitram extitisse comperimus, de qua ibi cap. 16. sermo in isthæc verba fit: *Colligavit concinnos suos mitra.* Consimili quoque capitis ornamento Blesilla lectissima virgo utebatur prius, quam se toto Deo, ejusque obsequio addiceret, ut Hieronymus epistola 23. ad Marcellam hunc in modum scribit: *Tunc crines*, inquit, *ancillulæ disponebant, & mitrellis crispantibus vertex arctabatur; nunc neglectum caput scit sibi tantum sufficere, quod velatur.* At vero mitræ istæ muliebres, de quibus sermo nunc est, simplices quidem erant, absque ullo prorsus ornamenti genere, laneæ, purpureoque dumtaxat colore imbutæ, ut ex eodem Optato, quem supra laudavimus, colligitur, qui isthæc ibidem in rem præsentem subtexit: *Nec ulla sunt præcepta conjuncta, vel de qua lana mitrella fieret, aut de qua purpura tingeretur: non enim panno potest virginitas adjuvari.* Hæc igitur in antiquarum imaginum, quæ mitris muliebri more excultæ sunt, gratiam, de ejuscemodi ornamenti genere lectori prælibasse, haud cuiquam ab instituti proposito alienum videatur. Sed ad alia interim properemus.

Mitræ virginum differentes ab aliis.

Mitra Judithæ. Iud. c. 16.

Mitra Blesillæ
D. Hier. ep. 23. ad Marcell.

Opt. Mel.

CAP. XXXI.

De quatuor anni Temporibus.

1 SUum unicuique rei à Deo tempus fuisse præfinitum, & suis recurrentium pariter temporum intervallis cuncta sapienter disponi ac mensurari Sapiens quondam edixit: *Omnia*, inquit, *tempus habent, & suis spatiis transeunt universa.* His evidenti testimonio, atque experimento

Singulis quibusque rebus creatis tempus suum præfinitum est.
Eccl. c. 3.

to nosse, quoniam singulis rebus opportunum tempus Deo disponente constitutum est? audi: *Tempus plantandi, & tempus evellendi, quod plantatum est: tempus occidendi, & tempus sanandi: tempus flendi, & tempus ridendi: tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus: tempus acquirendi, & tempus perdendi: tempus belli, & tempus pacis; &c.* Et demum: *Cuncta fecit bona in tempore suo.* Ita plane suis singula quæque temporibus circumscribuntur, & tempori item congruo, ut bene sibi invicem cohæreant respondent. Arbores manu excultæ, & aquis irrigatæ, ut fructum reddant, opportunum tempus exspectant: *Et erit sicut lignum*, Psalmista inquit, *quod fructum suum dabit in tempore suo.* Quin Euangelicus ille Paterfamilias, qui vineam studiosa manu plantaverat, legendorum tempus fructuum avide aliquando expetiit, ut illos ab agricolis opportune repeteret: *Cum autem tempus fructuum appropinquasset*, Matthæus inquit, *misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.* Sed ingrato illis animo tam benefico Domino respondentibus, auferendam ab iis, & aliis vineam agricolis, qui fructum exhibeant, locandam Christus asseruit: *Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Congrue igitur antiqui Christiani magnam sibi temporis rationem habendam indixere, ad quod unum se potissimum genitos intelligebant: *Has ante ipsa secula*, Tertullianus inquit, *destinari in æstimationem temporum.* Quapropter in Cœmeterialibus quoque tabulis peculiaris, ac symbolica temporum mentio recurrit. Hinc pariter fit, ut in quadam ex jam descriptis Cœmeterialibus tabulis, virorum quatuor affabre coloribus effictæ imagines exhibeantur, quæ scilicet vernum, æstivum, autumnale, atque hybernum tempus symbolice repræsentant. Has autem haud otiose in sacris Cœmeteriorum Cubiculis à Christianis, quibus cuncta fere quid mysticum redolebant, appositas fuisse proculdubio credendum est. Quis enim quatuor isthæc tempora otiose, ac perfunctorie à Christianis pennicillo adumbrata, ut olim carminibus Poëtarum descripta eleganter fuerant, arbitretur? Siquidem Ovidius præ cæteris hunc in modum eadem expressit:

Psal. 1.

Matt. c. 21.

Tert. in apol.

Quatuor anni tempestates in Cœmeteriis symbolice repræsentatæ.

Ovid. l. 1. Metaph.

Verque novum stabat, cinctum florente corona:
Stabat nuda Æstas, & spica serta gerebat;
Stabat & Autumnus calcatis sordibus uvis,
Et glacialis Hyems canos hirsuta capillos.

Recensitæ igitur symbolicæ istæ imagines, sua item mysteria orthodoxorum Patrum sermonibus frequenter expressa contemplantibus exhibent. Et ut hic nonnulla breviter edisseramus, Tertullianus inter scriptores antiquissimus, inevitabilem, quæ singulis hominibus imminet, mortis pœnam, obfirmatamque futuræ spem resurrectionis ex præmemoratis hisce imaginibus merito convinci asseverat: *Revolvuntur*, inquit, *hyemes, æstates, & verna, & autumna cum suis viribus, moribus, fructus. Quippe etiam terræ ac Cælo disciplina est arbores vestire post spolia, flores denuo colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem quæ absumpta sunt, semina, nec prius exhibere, quam absumpta.* Et hæc infra in rem præsentem subjicit: *Omnia in statum redeunt, cum abscesserint, omnia incipiunt, cum desierint, omnia finiuntur, ut fiant. Nihil deperit nisi in salutem. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum.* Vides igitur, quemadmodum ipsamet temporum revolutio optabilem adfuturæ tandem resurrectionis felicitatem mortalibus propinat.

Inevitabilis moriendi necessitas. Indubitata resurgendi spes.

Id. Tert. loc. sup. cit.

2 Sed, ut temporum imaginibus insistamus, lynceus quoque in divinarum scripturarum sensibus perscrutandis Origenes sub earundem imaginum symbolo præsentis ac futuræ vitæ conditionem acute contemplari non desinit. Hæc autem inquit: *Omnis planta post hyemis mortem resurrectionis ver exspectat. Si ergo & nos in Christi morte complantati sumus in hyeme hujus seculi & præsentis vitæ, etiam ad futurum ver inveniemur fructus justitiæ ex ipsius radice proferentes.* Miro autem modo Origeni Ambrosius abstipulatur, qui in Luc. isthæc verba conscribit: *Hyeme enim arbores ventus suo onere dispoliat & asperitas frigoris teneras frondes in speciem mortis interficit. Vere autem resurgunt semina, & tanquam nova ætas naturæ viridantis adolescit.*

Hyems & vere vitæ præsentis & futuræ symbolum.

Orig. in ep. ad Rom. l. 5. c. 6.

D. Amb. in Luc.

3 Porro optatissimum humanæ resurrectionis mysterium per quatuor anni tempora symbolice adumbrari Augustinus affirmat: *Tota*, inquit, *hujus mundi administratio testimonium est resurrectionis futuræ. Videmus certe hyemis tempore arbores spoliari pomis, nudari foliis; sed eas rursus verno tempore speciem resurrectionis exhibere.* Quod item disertis verbis Cyrillus Hierosolymitanus insinuat: *Arbor quidem excisa*, inquit; *rursus floret: homo autem excisus non florebit? & surculi vitium, aliarumque arborum omnino excisi & transplantati reviviscunt & fructificant: homo vero, propter quem illa sunt, cadens in terram non excitabitur? &c.* Et demum isthæc subjicit: *Videns enim Deus tuam incredulitatem in iis, quæ videntur singulis annis, resurrectionem efficit, ut ea videns in rebus inanimatis, etiam de animatis rationabilibus credas.* In eandem plane sententiam ipsemet D. Paulinus abit, qui apte ad fratres super Celsi pueri obitu sermonem instituens, resurrectionis inde mysterium adstruit, atque incredulas hominum mentes acri stylo perurgens, isthæc eleganter cecinit:

Symbolum resurrectionis.

D. Aug. ser. 10. de Apost.

D. Cyril. Hier. Catech. 18.

Incredulitas humanæ mentis.

D. Paulin. ad frat. de obitu Celsi.

Cuncta resurgendi faciem meditantur in omni
Corpora, & in terris germina, & astra polo.

Et patentibus infra verbis ex ipsa temporum serie futuram corporum resurrectionem hunc in modum argumentatur.

Panegyricum S. Paulini in morte Celsi pueri.

Quid sata, quid frondes nemorum, quid tempora nempe
Legibus his obeunt omnia, vel redeunt.
Vere resurgentum cunctis nova rebus imago
Post hyemis mortem vivificata redit.
Quod semel est facturus homo, cui subdita mundi
Corpora, sub Cælo cuncta frequenter agunt.
Sed quærant quali reparetur mortuus omnis
Corpore, quove modo fiat homo ex cinere.
Si non sufficiunt sacris signata Prophetis,
Muta fidem clamant, credite conspicuis.
Cernite nulla suis emergere semina campis,
Ni prius intereant labe soluta putri.
Nuda seris, vestita legis, jacis arida grana,
Atque eadem fructu multiplicata metis.
O perversa fides & diffidentia nobis,
Credere nos terris, & dubitare Deo!

Condigna profecto tanti viri pietatis, ac eruditionis pariter monimenta, quæ ad rei propositum studioso lectori, ut par est, recolenda à nobis recenseantur.

Hyems symbolum Idololatriæ.

4 Verum S. Zeno Veronensis Episcopus sub iisdem imaginibus Idololatriam, Baptismi gratiam, fervens, ac juge Christianorum studium, ac Martyriorum

S. Zeno Veron. Episc. ser. 2. de Pasch.

tyriorum denique certamina lynceis oculis contemplatur: *Quis non hæc*, inquit, *cælestibus mysteriis coaptata cognoscat? Hyems namque pigra, sordida & tristis ad eos pertinet, qui Idololatriæ servientes, mundanis voluptatibus compediti, libidini vacantes, & gutturi, longe moliti, id est, æternæ morti sunt à Deo, quod opus tenebrarum dilexerunt, destinati. Ver, sacrum fontem debemus accipere, cujus divite ex alveo, favonio non vento, sed Spiritus sancti generante odorem divinum, beata spirante fide, diverso charismate, sed una nativitate, Ecclesiæ flores clarissimi, ac dulces nostri funduntur infantes. Æstas autem fidelis est populus, Angelus & mundus, qui sponsionis suæ palmam fortiter retinens, peccatorum paleis limpidatus, semet pretiosum frumentum divinis horreis inferre desiderans, licet suo uberet fonte, tamen æstuat semper justæ operationis ardore. Autumnus quoque Martyrii locus est, in quo non vitis, sed fossoris sanguis effunditur, ut vita beata pretiosæ mortis vindemiæ comparetur.* Hæc Zeno de quatuor anni temporibus tropologico sermone digessit.

Ver hieroglyphicum Baptismi.

Æstas imago fervoris Christianorum.

Autumnus martyrii significationem.

5 Pulchra autem, & concinna admodum sunt, quæ Hieronymus ad instituti propositum edisserit, dum Regnum Dei præ cæteris æstivo tempori comparat: *Bene ergo*, inquit, *Regnum Dei æstati comparatur; quia tunc mœroris nostri nubila transeunt, & vitæ dies æterni solis claritate fulgescunt.* Et item Proverb. cap. 16. æstatem præsenti vitæ simillimam esse pronuncians, ait: *Hæc enim vita messi comparatur & æstati, quod nunc inter ardores tentationum tempus est colligendi futurum merita præmiorum. Ad Dies Judicii hyemis similatur rigoribus, quia tunc nimirum nulla relinquitur facultas pro vita laborandi, sed tunc cogitur quisque de horreo priscæ actionis, quod condidit, proferre.* Verum hac super re Chrysostomus nobis consulendus est, qui infidelium mentes, ac frigescentes hominum animos hyemi esse similes his verbis docet: *Hyemem dicit frigus infidelitatis spirituale; qui enim non habet in corde suo ignem, de quo Dominus dicit: Ignem veni mittere in terram, id est, verbum divinum, de quo calefiat in fide. ille semper in hyeme est, etsi fuerit in media æstate.* Porro Sedulius poëta quatuor hisce temporibus quatuor sacrorum Euangeliorum scriptores, qui totum orbem compleverunt, designari arbitratus est carminibus illis:

Æstas symbolum Regni Cælorum.

D. Hieron. in Prov. c. 20.

Prov. c. 20.

Æstati vita præsens comparatur Dies Judici hyemi assimilatur.

D. Chrys. in Matt. 25. hom. 49.

Quatuor hi proceres, una te voce canentes
Tempora ceu totidem latum sparguntur in Orbem.

6 Demum, ut rem totam latentium mysteriorum elucidatione definiamus, doctissimus vir Beda in illa Apocalyps. verba cap. 14. *Et in manu sua falcem acutam*, apte quidem messorum falcem & subtiliter expendens, isthæc philosophatur: *Judicialem scilicet dirimendi sententiam, quæ nullatenus evitatur, Inter ipsam quippe sumus, quolibet fugere conemur, In falce enim quicquid includitur, intus cadit.* Et hæc quidem paucis elucidasse satis visum est, ut recolendæ symbolicarum imaginum antiquitati consultum sit, meritusque iisdem honor in Ecclesia Dei jugiter deferatur.

Falx messoris Hieroglyphicum Judicii, & punitionis divinæ.

Beda in Apoc. c. 14.

CAP. XXXII.

De variis quadrupedum, & Bovis præsertim Imaginibus.

Providentia Dei circa creaturas.

1 HAud Bovi trituranti os alligandum, cum Deum moralibus Judaicum populum monitis imbueret, sed illi quoque, ut ex residuis spicarum manipulis, dispersisque frumenti granis libere in agro pascatur, permittendum edixit: *Non alligabis*, inquit, *os bovi trituranti.* Verum, ut quid peculiaris ista Dei providentia bovem respicit, ut illius quoque enuntriendi cura tangatur? *Nunquid enim Deo*, ut Apostolus ait, *est cura de bobus?* Ita plane animalia quoque irrationabilia Dei potissimum curæ commendata sunt: *Creaturam quippe*, ut Augustinus ait, *quam condidit Deus, administrat: non enim fecit, & abiit.* Et pari sapientia regit singula, quæ mira item potentiæ vi condidit, ut canit Ecclesia:

Deut. c. 25.

1. ad Chor. 10.

August.

Quicquid est, potentia magna creasti,
Nec regis minore providentia.

Hymn. Angel. Cust.

Vt igitur de quadrupedibus sermonem instituamus, horum quoque imagines inter cæteras Cæmeteriales, quas descripsimus haud desiderari contingit. Bruta quippe, quæ ad varias pertinent species, inter Cœmeteriales olim imagines à primævis Christianis effingebantur, ut symbolicis eorundem formis, humanæ contemplationi exhibitis, multiplicia quidem intuentium oculis mysteria suggererent. Sicut enim propter nos scripta isthæc sunt, ita pariter & propter nos picta, atque expressa in Cœmeteriis olim fuere: *Nam propter nos*, Apostolus inquit, *scripta sunt, quoniam debet, in spe, qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi.* Quin & iisdem imaginibus rudiorum animi ad invisibiliuum rerum notitiam manu quodammodo ducuntur juxta id quod Apostolus ait Roman. 1. *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quod quidem luculenter his verbis Origenes adnotavit: *Quia impossibile est homini*, inquit, *in carne vivente agnoscere aliqua de occultis, & invisibilibus, nisi imaginem aliquam, & similitudinem conceperit de visibilibus. Ob hoc arbitror, quod ille, qui omnia in sapientia facit, ita creavit unamquamque visibilium speciem in terris, ut in his doctrinam quandam, & agnitionem rerum invisibilium, & cælestium poneret, quo per hæc ascenderet mens humana ad spiritualem intelligentiam, & rerum causas in cælestibus quæreret, &c.*

Mysteria, quæ ex animalium aliarumque rerum inanimatarum imaginibus hauriuntur.

ad Cor. 1. c. 10.

Intellectus humanus, ex visibilibus ad invisibilia ascendit.

Grig. ho. 3. in Cant.

2 Haud igitur temere, ut ipsiusmet Origenis verbis inhæreamus, antiqui Christiani Cœmeteriales inter figuras, symbolica quædam animalia, rationis expertia, coloribus interdum expressere; quæ mysticum quid atque arcanum sub eorundem animalium integumento latens, altiori mentis obtutu perquirendum denunciant. Et ut nonnulla hic quæ ad rem nostram pertinent, studioso lectori exponere aggrediamur, cum pleræque Cœmeteriorum tabulæ boves potissimùm pictos præseferant, quænam sub eisdem mysteria dilitescant, nunc videamus. Porro ipsa bovis imago Apostolos, necnon Apostolici ministerii viros, Hieronymo teste, designat, cujus verba in medium proferre libet *Tauri*, inquit, *& boves, qui operantur terram, id est, Apostoli & viri Apostolici, de quibus Apostolus, Paulus scriptum interpretatur: Non alligabis os bovi trituranti.* Eucherius insuper ipsius Apostoli sententiæ inhærens, idem plane affirmat: *Per boves quippe*, inquit ille, *Apostolos, & Euangelistas, immo omnes verbi ministros debere intelligi, Apostolo docente cognoscimus, qui exponens mandatum legis, quod est: Non alligabis os bovi trituranti: nunquid de bobus, inquit, cura est Deo? An propter nos utique dicitur. Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* 3 At

Animalia symbolica in Cœmeteriis depicta, eorumque mysteria.

Boves symbolo Apostolos significant.

S. Hier. in Isa. c. 30.

Eucher. en. 3 Regn. n. 21.

3 At Chrysostomus studiosus divinorum perscrutator oraculorum homil. 41. in illud Matthæi 22. *Tauri mei, & altilia occisa sunt.* Per boves utique Prophetas, & eos, qui pro animarum salute persequentium manu trucidati sunt, intelligendos fore arbitratur. Ejus autem hæc sunt verba: *Qui sunt tauri, & saginata occisa? Prophetæ, qui occisi sunt pro salute ejusdem populi, quemadmodum docet nos Apostolus dicens: Ego enim jam delibor. Hominis libatio alicui pro aliquo offertur. Deo ergo immolandus fuerat Paulus pro populo, quem docebat.* Et infra isthæc in rem præsentem subjicit. *Sed & Christus de figurata sanctorum suorum immolatione dicebat: Holocausta medullata offeram tibi, boves cum hircis, &c.* Et demum sanctissimus Pater ubi evidenter ejuscemodi sacrificiorum genus asseruit haud unquam omnipotenti Deo à Christo Domino oblatum fuisse, id de iis tantum hominibus, qui pro Christi fide martyrium subiere, intelligendum esse his plane verbis affirmat: *Hæc autem diximus, ut ostendamus tauros & saginata occisa intelligi debere Sanctos occisos.* Hæc Chrysostomus.

Per Boves Sancti ac martyres intelliguntur.

S. Chry. ho. 41. in c. man. 22.

4 Verum Glossa in cap. Num 18. ipsam bovis imaginem, patentissimum Christi Domini symbolum extitisse pronuntiat: quippe qui pro expiandis mortalium culpis semetipsum pacificam Deo hostiam offerre dignatus est: cujus rei gratia boves sub veteri Mosaicæ legis testamento offerri consueverant; hæc autem ibi in rem præsentem leguntur: *Bovem mediatorem Dei, & hominum, cujus immolatione peccata nostra deleta sunt.* Quin & illud serio Mosaicæ legis præceptum Glossa expendens, quo binos Deo boves immolari jubebatur, hæc subdit: *In utroque bove incarnatio ejus significatur. Vna est enim passio Christi, sed duo nobis impetravit, expiationem scilicet à peccatis, & sanctificationem, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu. Et quia horum alterum pro hostia pacifica, alterum pro peccatis offerebatur.* Hæc vero ibidem subtexuntur: *Possunt autem per hos duos boves, quorum unus pro peccatis, alter offertur in holocaustum, duæ actionum species exprimi: quarum una, qua male gessimus, per pœnitentiæ lamentum abluimus: altera bonorum operum, & virtutum fructibus gratiam Dei, & præmium beatitudinis promeremur.*

Bovis imago Christum Dominum typice designat.

Gloss. in n. 18.

5 Neque vero aliud à nobis mysterium silentio hic prætereundum videtur quod disertissimus inter scriptores Abulensis in cap. Genes. 15. acute contemplatur, dum enarrato bovis symbolo divinum plane Christi robur in subeundis pœnarum laboribus prænotari his verbis affirmat: *Bos fortitudinem Christi in patiendo denotat.* Cassiodorus autem per boves istos, qui ferendo jugo jugiter destinati sunt, Evangelici seminis promulgatores intelligit: *Boves*, inquit, *Prædicatores designant, qui humana pectora mandatis cælestibus exarantes virtutum messem germinare fecerunt:* Et in Psal. 65. *Boves* (ait) *intelliguntur prædicatores, qui pectora hominum feliciter exarantes, eorum sensibus cælestis verbi semina fructuosa condunt.* Porro doctissimus vir Hesychius in præfatione ad Levit. bovem viri probi ac justi symbolum esse contendit, & hæc opportune adjicit: *Quid ergo incongruum, si quis etiam nunc præsens legis negotium exponens, bovem dicat esse hominem, qui operatur justitiam?* Nec prætermittendus hic est Cyrillus Alexandrinus, qui in illa Isaiæ verba: *Beati serentes super omnem aquam, ubi bos & asinus calcant*, argute ipsismet bobus Iudæos hæc dicens comparat: *Bovi assimilat Iudæorum gentem: mundum enim animal est; secundum legem bos & oblatus est in odorem bonæ fragantiæ Deo.* Demum Gregorius Magnus (ut ejus verba coronidis instar in Bovis laudem subtexamus) Cyrillo mirifice adstipulatur: *Quia boum*, inquit, *nomine vita uniuscujusque operantis exprimitur. Legis præcepta testantur, quæ per Moysen præcepit, dicens: Non alligabis os bovi trituranti. Per boves Iudæi operarii, & per asinum gentiles populi designantur, cum per Prophetam dicitur: Cognovit bos possessorem suum. Quis enim bos nisi Iudaicus populus extitit, cujus cervicem jugum legis attrivit?* Quibus in elucidenda Bovis imagine enarratis hæc infra sanctissimus doctor jugum Euangelicæ legis ad portandum suavissimum esse docens, inserit: *Habuit vero & ante Redemptoris adventum Iudæa boves, quia ad prædicandum misit operarios, quos grave jugum legis presserat, quia exteriora literæ mandata tolerabant, quibus veritatis voce dicitur: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Tollite jugum meum super vos, &c. quia qui Redemptori Domino colla subjiciunt, quo nisi ad requiem tendunt?* Idem in cap. 18. repetit, cum de bonis operariis agit *Quid aliud*, inquit, *in figura per boves, quam bene operantes accipimus?* At vero cap. 25. animal hoc laudabilium cogitationum symbolum esse pronunciat; ejus autem isthæc sunt verba: *Quid arantes boves, nisi graviores nostras cogitationes accipimus, quæ dum cor studiosa exercitatione conficiunt, uberes profectuum fructus reddunt.* Et tandem singula in Euangelicæ prædicationis gratiam his verbis concludit: *Possunt etiam per arantes boves cogitationes charitatis accipi, quibus prodesse aliis conamur, cum fraterni cordis duritiam prædicando scindere cupimus.* Hæc in Euangelici bovis imaginem Gregorius congessit. Verum quæ ad mysticam ejusdem enarrationem spectant, ne tædio lectorem afficiamus, breviter exposuisse sufficiat.

Abul. in c. 15. Genes.

Per boves verbi Euangelici promulgatores intelliguntur.

Cassiod. in ps 8.

Cassiod. in ps. 65.

Bos symbolum hominis justi

Hes. in præf. in Levit.

Bos imago Iudæorum.

Cyril. Alex. in Isa.

D. Greg. l. 5. c. 6. in c. 1. Iob.

Greg. in c. 18 Iob.

Per boves bene operantes intelliguntur.

Bos symbolum bonarum cogitationum.

CAP. XXXIII.

De Cervo.

1 Cervi ad fontem, ut sitim expleat, præpropere anhelantis symbolum, tum in recolendis antiquorum paginis frequens, tum ipsomet Prophetarum ore sæpe sæpius decantatum est. Nam & Regius Psalmista David, ut vehementissimum Dei, quo æstuabat jugiter, desiderium verbis saltem exprimeret, concinnam Cervi similitudinem sibi aptando, ejusdem sitim se sitire verbis illis testatus est: *Quemadmodum*, inquit, *desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem ejus.* Vides profecto sitientem, audis anhelantem prophetæ animum, & rerum pariter cælestium sitim ab ipso, qui Deum tam intense sitiebat, probe edíscis: *Curre ad fontem*, inquit Augustinus, *desidera fontem, sed noli utcumque, ut Cervus curre, quid est ut Cervus? non sit tarditas in currendo, impigre curre, impigre desidera fontem.* Cum Cervus igitur spiritalem Christianorum animis sitim ingereret, ejus item imago in abditis Cœmeteriorum Cubiculis à Christianis frequenter coloribus exprimi consuevit nec id quidem absque peculiari mysteriorum sensu ab iisdem præstitum fuisse asserendum est. Cum enim plures, & miræ quidem ipsius cervi proprietates, ut rem altius con-


Cervi symbolum in sacris literis frequentissimum.

Ps. 41.

Aug. in ps. 41.

Cervi proprietates mysteriosæ.

contemplanti patebit, adnumerentur, è singulis fere consona sanctissimi Patres arcanorum mysteria eruenda, sibique studiose expendenda proposuere. Quæ quidem antequam gratis auribus, uti par est, propinemus, Cervi ipsius fontem sitientis imaginem, symbolumque præmittimus, quod tam sole nne Christianis, qui Deum jugiter sitiebant, extitit, ut haud subterraneis dumtaxat Cubiculis, sed Cœmeterialibus insuper, fictilibusque lucernis, quibus hæc loca illustrabantur, Cervi imaginem frequenter adumbrarent, quod præsertim ex fictili hac lucerna, quæ apud Joannem Baptistam Casalium rei sacræ antiquariæ studiosum extabat, videre est, cujus hic tibi iconem consulto delineavimus.



2 Et Hieroglyphica quidem Cervi imago, quæ Cœmeterialibus tum lucernis, tum tabulis affixa conspicitur, haud obscura intuentibus mysteria præfefert. Cervus quippe animal timidissimum est, & pedum dumtaxat velocitate, ubi opus est, se à periculis proripit: magnum vero cor haud magnanimus obtinet, quod iis potissimum animalibus, Aristotele attestante, contigit, quæ timiditati subjacent. Mititate etiam, cum felle careat, naturæ beneficio potitur: quapropter quem eadem timidum, ac pusillanimem fecit, pedibus ad fugam opportune capessendam armavit. Hinc proverbiali dogmate illud vulgo in omnium ore de meticuloso homine decantatum viget: *Cervo timidior*: & *Cervinum cor habere* dicitur: quapropter ad immanem Turni metum insinuandum Poëta Cervi apte similitudinem inseruit:

Cervum, aut punicæ septum formidine pennæ.

Qua item symbolica loquendi formula ignavos, pavidosque pennicillo adumbrare, ac veluti digito præmonstrare voluit carminibus illis:

Punicæve agitant pavidos formidine pennæ.

Ad quod insuper Tertullianus, etsi perperam, ac minus caute, prudenterque locutus, allusisse aliquando visus est, dum persecutionum tempore haud ullatenus secedendum, & ex uno loco in alium, quod tamen Christo præmonente didicimus, fugiendum: *Cum vos*, inquit, *persequentur, de Civitate ista fugite in aliam*, sed in acie obstinato coram animo persistendum asserens, austerus homo, nimiumque sibi fidens, aliisque durus, eos, qui tunc fugerent, subsannans & ludibrii gratia jocans pariter, ac perstringens Catholicos pastores cervorum nomine appellabat: *Novi pastoros eorum, in pace leones, in bello cervos*. Sed dum nimis justus linguam contra fugientium pedes exacuit, viam sibi in præceps ad errores, in quos misere subinde prolapsus est, patefecit.

3 Cervus insuper longævitate gaudet: centum enim, & amplius annos superstes suæ diu timiditatis, ac fugæ præsidio fruitur. Verum quod ad mores hominum instruendos attinet, haud prudentiæ animal istud expers est. Cerva enim, si Aristoteli credimus, inter quadrupedia prudentiam exhibet. Suos quippe fœtus, ubi primum nati sunt, ad fugam intra speluncas viam præmonstrando excitat. Quod & Plinius diserte affirmat, dum ait *Editos partus vix natos exercent cursu, & fugam meditari docent, & ad prærupta ducunt, saltusque demonstrant.* Quapropter congrue Cœmeterialibus, in quibus Christiani persecutionum metu delitescebant, cavernis Cervi imago affigitur: cujus item symbolum toties sacris in paginis cælesti sponso consonans commendatur: *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque Cervorum.* Quo item nobili hieroglyphico Iacobus patriarcha Nepthali filium insignivit: *Nephtali*, inquit, *Cervus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.* At illud plane mirum, quod Cervæ tonitruo obstrepente parturiunt, juxta quod regius olim Psaltes cecinit: *Vox Domini preparantis cervos*, ubi Cajetanus paucis immutatis *Cervas* legit. Quod item sapienti themate ingeniosus ille expressit, dicens: *Obstetricante Cœlo.* Res autem mira, haud mysteriis expers, homines Dei potissimum timore perculsos designat, de quibus Psalmista cecinit: *A voce tonitrui tui formidabunt.* Hos enim ubi primum salubris metus invasit, divinus subinde ad virtutem sectandam, & ad bene operandum amor impellere consuevit, juxta illa Isaiæ verba. *A facie tua concepimus, & quasi parturivimus Spiritum.* Qua de re idem propheta locutus fuisse intelligitur, dum ait: *Domine in angustia requisierunt te.* Vbi septuaginta interpretes concinne in rem præsentem legunt: *Propter timorem tuum Domine in utero accepimus, & parturivimus, & peperimus spiritum salutis tua.* Quo plane salutari metu se quoque ad legem Dei jugiter custodiendam Regius Propheta intime perfundi præoptabat: *Confige*, inquit, *timore tuo carnes meas, à mandatis enim tuis timui.* Christianis igitur Deum timentibus, etsi nondum perfecte amantibus, timores ipsi, velut tonitrua Cervis, ad promendos in lucem virtutum ex animo fœtus, salubres existunt. Deus quippe dum altius timorem animis incutit, *fulgura*, ut Propheta ait, *in pluviam fecit*: absterrendo enim, vel invitos, vel nolentes in bonum plerumque propellit: Sed interim Augustinum disertis ad rem verbis perorantem excipe: *Fulgura sunt, contremiscis: pluvit, gaudes: fulgura in pluviam fecit, qui terruit, ipse ut gauderes, fecit.* Vides quomodo efficta Cœmeterialibus in tabulis Cervi imago, qui timiditati jugiter obnoxius est, dum intuentibus vel procul timores objicit è proximo salutem propinat.

Verum enimvero jure Christianorum Cœmeteriis Cervus adscribitur, qui satis aperte ipsiusmet Christi typum præfefert, cui in Canticis Canticorum, sponsa colloquente, assimilatur: *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque Cervorum.* Christo enim Domino mitis utrique Cervi mores, qui venatores, à quibus insidiæ parantur, haud odit, haud refugit, haud insequitur mirifice, ut Ambrpsius edisserit, aptantur: *Verus Dei Filius in semetipso*, inquit, *naturam, quam ipse animantibus donavit, expressit, qui in hunc mundum tanquam Cervus advenit, & cum his se mira simplicitate jungebat, à quibus ei parabantur insidiæ: fertur enim ejusmodi cervorum esse simplicitas, ut cum his nonnunquam societatem*

Cervus natura timidus. — Arist. l. 3. de qua. Anim. — Et Mitis. Arist. l. 2. c. 15. — Prov. 16. — Æneid. l. 12. — Georg. l. 3. — Tertulliani erroneus in Catholicos locus. — Matt. c. 10. Tert. l. de cor. persec. ad Fel. Baron. an 10. 1. an. 20. — Cervi longævitas.

Cervi longævitas. — Arist. l. 6. c. 5. — Cervus prudentiæ haud expers. — Plin. l. 8. c. 31. — Can. c. 2. 2S. — Gen. 49. n. 2. — Cervæ tonitru tertitæ parturiunt. — Psal. 28. — Io. Paul. Aret. in. I. instr. — Psal. 103. — Timor Dei homines ad bene agendum impellit. — Isa. c. 26. n. 18. — Isa. c. 26. n. 16. — Psal. 118. — Psal. 134. — Aug. in ps. 134. — Cervus simulacrum Christi Domini. — Can 2 n. 28. — Ambr. l. 3. off. c. 1.

tem

tatem ineant, qui ipsos insectantur. Ita ergo Dominus Iudæis dolum sibi astruentibus miscebatur, & societatem, osculo Iudæ proditoris ascivit, cujus simulatione funesta, usque ad Crucis laqueos, ac retia passionis accessit. Cervus item alioqui timidus, imperterritus tamen juge cum serpentibus bellum exercet, quos è cavernis, in quibus latere consueverunt, vel ipso halitu ad vorandum extrahit, & contra venenatos eorundem morsus antidotum in cornibus præfert; solus quippe cervinorum cornuum exustorum odor serpentes, ut scriptores aiunt, effugat, quinimmo eorundem concrematorum cinis præsentaneum contra vermes remedium est. Congrue autem Christo, qui cum tartareo serpente bellum iniit, & Christianis, quibus jugis cum illo pugna subest, Cervi symbolum quadrat: *Estote*, inquit, *fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente.* Mutuæ insuper charitatis aptissimum Cervi symbolum contemplantibus exhibent; hi quippe dum fluvios gregatim tranant, juxta illud Virgilianum carmen:

Cervorum in serpentes odium.

Mutuæ charitatis symbolum.

Virg. Georg. l. 2.

——— *Superant montes, & flumina tranant,*

caput quod cornibus onustum, ac iter inter undas arripientibus onerosum est, alter alterius blande dorso imponunt, ita ut unusquisque successivo ordine tum laborem, tum levamentum sentiat. Ejusmodi autem charitatis officium Christianis quoque Apostolus illis jugiter verbis inculcat: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Quod item apte Augustinus edisserit, dum ait: *Quantum portas, tantum amas, desinis amare, si portare desistis.* Magna igitur Cervus vel pictus sacramenta intuentibus contemplanda offert. Verum Cervi ipsas Cœmeteriales inter tabulas proposita, quo magis oculis innotescat, imagine, ut nonnulla subinde, quæ ad Cervum pertinent, è Patrum orthodoxorum sententiis breviter attingamus, primo quidem loco se nobis Origenes offert, qui tertia in Cant. Homilia cervos sanctorum virorum symbolum esse pronuntians, hæc ait: *Sed & quod sanctus cervo comparetur, in multis divinæ scripturæ locis habetur.* Et post recensita, quæ ad Cervum pertinent, sacrarum paginarum oracula, idem plane argumentum his verbis prosequitur: *Et forte possunt cervi accipi sancti quique, ut Abraham, Isaac, & Iacob, & David, & Samson, & omnes, ex quorum semine Christus secundum carnem descendit.* hæc Origenes.

Ep. ad Gal. c. 6.

Aug. in Psal.

Orig. hom. 3. in Cant. Cervus viros sanctos symbolice significat.

5 At Hieronymus totam eloquentiæ vim in edifferendis scripturarum arcanis exacuens, beatissimos Christi Apostolos, ac sanctos insuper Ecclesiæ doctores Cervis hunc in modum confert: *Quodque septuaginta transtulerunt:* Ibi obviarunt tibi Cervi, &c. *Sic allegorice interpretabimur, ut doceamus cervos, id est, Apostolos, & sanctos quosque doctores, de quibus scriptum est Psalmo 41. Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum.* Et alibi: *Vox Domini perficientis cervos, &c.* Et expositione in eundem Psalmum 41. cervo ad fontem properanti, peccatorem ad pœnitentiæ remedia confugientem hæc dicens, comparat: *Mos est enim ejus* (cervi scilicet) *ut inventum serpentem naribus hauriat, & post hæc exardescens extinguat sitim. Ergo homo Ecclesiæ, qui diu in actu venenoso degebat, ubi se perspicit cœno fornicationis, idololatriæ fœtore repletum, desiderat venire ad Christum, in quo est fons luminis, ut ablutus baptismo, accipiat donum remissionis, &c.*

S. Hier. in Isa. c. 34. Cervi Apostolos, & Ecclesiæ Doctores figurate denotant.

Psal. 41.

6 Mira autem, quæ velut ingenita cervorum naturæ congruunt, curiosius expendens, satis quidem aptis ad rem nostram verbis Rufinus Aquileiensis philosophatur: *Dicitur* (inquit ille) *natura esse cervi, ut serpentem flatu suo extrahat, atque ipsum ad renovationem suam transglutiat, quo absumpto tanta siti propter venenum exardescit, quod non sufficit ei de uno fonte potasse, sed ad plures currit.* Et deinde vir eruditissimus exponens, quinam fons ille sit, ad quem, dum siti exæstuat, cervus accurrit; ipse nimirum Christus Dominus, de quo Psal. 35. dicitur: *Apud te est fons vitæ.* Et dicit ipsemet: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Et: *Aquam quam ego dabo, &c.* hoc modo rem totam pereleganter complectitur: *Serpentes vitia tua sunt. Consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis.*

Cervorum natura.

Ruf. Aquil. in Ps. 45. Devorant serpentes.

Currunt ad fontes.

Christus fons Ps. 35.

Vitia, & peccata serpentibus assimilata.

7 Porro insitum cervis à natura morem Cassiodorus quoque lynceis oculis contemplatur: *Sed non incassum*, inquit, *fidelibus hoc animal comparatur. Est enim primo innoxium, deinde velocissimum, tertio desiderio inardescente siticulosum: serpentes naribus trahit, quas ut voraverit, veneno æstuante permotus, ad fontem aquarum quanta potest velocitate festinat: amat enim aqua dulci, parissimaque satiari. Hujus decora comparatio nostrum desiderium ardenter instigat, ut quando venena antiqui serpentis haurimus & ejus facibus æstuamus, ad fontem divinæ misericordiæ illico festinemus; quatenus quod peccati adversitate contrahitur, dulcissimi haustus puritate vincatur.* Idem insuper in Psalm. 113. aliam quoque eorumdem animalium conditionem his verbis perpendit: *Cervus, ut diximus, venenosorum serpentium est vorax: spinosa transcendens, & summa agilitate præditus, habitare diligit montes altissimos. Huic merito comparantur fideles, qui diabolum vorant, quando nequitias ejus, ad Domini laudem, gloriamque convertunt; vitiaque hujus sæculi, quasi spinas bona conversatione transiliunt, & habitant in montibus, id est, Apostolis & Prophetis, qui sanctis prædicationibus suis in hoc mundo solida cacumina esse meruerunt.* Huc usque Cassiodorus.

Cass. in Ps. 41. Cervus symbolum peccatoris pœnitentiam agentis.

Cass. in Ps. 113.

Cervus in montibus habitat, & loca spinosa transilit. Peccandi occasio fugienda.

8 Doctissimus item Beda consulendus hic nobis est, qui in illa Psalmi 28. verba: *Revelabit condensa*, cervos quam aptum Apostolorum symbolum esse his quidem verbis affirmat: *Per cervos, id est, per Apostolos revelabit Dominus condensa. Quod & dictum ad similitudinem: solent enim cervi inter condensa nemorum ingredientes, ramos ipsis cornibus separare; & campum ubi pascantur, sibi & aliis animalibus aperire. Sicut sancti Apostoli opacitatem, & occulta mysteria scripturarum, in quibus & ipsi pascerentur, & alios pascerent, aperuerunt.* His attexere licet, quæ in Psal. 41. velocissimum præmemoratorum animalium cursum considerans, hunc in modum eorumdem exemplo Christi fideles ad alacriter currendum provocat: *Curre ergo*, inquit, *ad fontem, desidera aquam fontis, non utcunque sed ut cervus impiger currit, impiger desiderat. In Cervo enim est velocitatis insigne.* Mutuum insuper ibidem, quod Cervi sibi invicem peculiari naturæ ductu auxilium impendent, admirari non desinit, dum ad onera junctis simul viribus, parique conatu levanda, atque asportanda incumbunt, juxta illud Apostoli præceptum: *Alter alterius onera portate.* Ejusmodi autem symbolo invictam in ferendis moribus constantiam fideles ultro edocet: *Et est*, inquit, *aliud etiam, quod & de cervis dicitur, & in cervis videtur. Quando enim longinquas regiones petunt, aut per mare nando, aut in agmine eundo, alter unus capitis superponit clunibus* alterius,

Cervi hieroglyphicum Apostolorum. Bed. in Ps. 28.

Bed. in Ps. 41.

Cervus fidelium imaginem obunet.

Mutuum inter Cervos auxilium.

ad Gal. c. 6.

Symbolum charitatis.

alterius, sicque se invicem portant, nec se deserunt, sed propositum iter peragunt.

9 Hæc & plura alia ex nativis cervorum moribus ad humanos salubriter animos informandos documenta seligi, ac coacervari possent, quæ, ut brevitati consulamus, hic consulto omittimus. Si quis tamen hæc nosse cupit, Hugonem Cardinalem consulat, à quo hæc compendio in eundem Psal. 41. his quidem versibus recensita leguntur:

Hugo Card. expos. in Psal. 41.

Clune natans portat: vocat hydros: cornua mutat.
Cor finis ossescit: salit & sitit: & juvenescit.
Silvester: sapidus: vivax: velox: sine cauda:
Pes durus, fulvusque pilus: venatio: fœtus:
Pugnat ob uxores: fusa pinguedine squallens,
Surdus demissis, bene rectis auribus audit.

Quæ singula acutissimis subinde verbis ab eodem Hugone dilucidantur. De reliquis vero quadrupedibus, quorum frequenter ab antiquis imago usurpatur, utpote hirci, ovis, atque agni, jam alibi satis superque disseruimus; ad quæ lectorem ultro remittimus.

CAP. XXXIV.

De variis volatilium Imaginibus.

Volatilium symbolum in sacris Paginis.

1 SUb multiplici quoque Volatilium genere peculiaria sacris nobis in paginis mysteria contemplanda exhibentur: quid enim Davidicis in Psalmis ad arcanas, quæ moribus hominum aptæ sunt, res adumbrandas frequentius, quam diversi generis volatilia exprimuntur? Sanctissimus quippe vir modo columbæ alas ad secedendum à Regni, quibus detinebatur, curis sibi aptari expetit, dicens: *Quis dabit mihi pennas, sicut Columbæ, & volabo, & requiescam.* Nunc Turturis, nunc passeris adinvenientium tutum sibi, & pullis suis locum solicitudinem stupet: *Etenim passer invenit sibi locum, & turtur nidum sibi, ubi reponat puellos suos.* Passeris item symbolo à jugibus insidiantium laqueis eripi gestit: *Anima nostra*, inquit, *sicut passer erepta est de laqueo venantium*, vel juxta Hebraici textus derivationem: *Vita nostra tanquam avicula evasit de laqueo venantium.* Moyses insuper Judæorum sapientientissimus paternam Dei, qua Israëliticum jugiter populum fovit, solicitudinem haud alio, quam aquilæ symbolo adumbravit: *Sicut aquila*, inquit, *provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Demum ipsemet Christus in Evangelio propensiorem erga suos amoris affectum gallinæ, quæ in pullis suis quodammodo infirmatur, ipsius gallinæ, inquam, similitudine expressit: *Quoties*, inquit, *volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Volatilium igitur, quorum blandos, mitesque jam vidimus mores, sibi exoptandos regius Vates proposuit, & sæpe meminit, & symbolicas etiam eorundem imagines inter canendum describit.

Psal. 34.
Psal. 83.
Psal. 123.
Deut. 32.
Matt 23.

Aves veros Christianos typice significant.

2 Quapropter quamplures diversi generis aves Cœmeterialibus in tabulis pennicillo adumbrantur, quæ peculiare quoddam ipsorummet Christianorum delitescentium ibi, vel certe quiescentium symbolum extitisse credimus, eorum, inquam, qui terrenis hisce ac futilibus curis animo subliniores, ad altissimarum virtutum apices, pennarum instar, desiderio provehuntur, & quorum jugis potissimum *conversatio*, ut Apostolus ait, *in Cælis est.* Quod certe Beda eruditissimus sacros inter scriptores asserit: *Volucres* inquit, *sunt qui sursum cor habent, & cælestia concupiscunt.* Hoc idem Richardus de sancto Victore his plane verbis edocuit: *Nonne aves Cæli videntur esse, qui veraciter possunt dicere: Nostra autem conversatio in Cælis est? Nonne Cæli aves dicendi sunt, qui se in alta contemplationis penna suspendunt?* Et hæc infra ex Hilario in Matth. cap. 12. in rem præsentem subinfert: *Sedjam in ramis arboris*, inquit, *in sublime prolatæ, Cæli volucres inhabitant; Apostolos scilicet ex Christi virtute protensos, & mundum inumbrantes, in ramis intelligimus, in quos gentes in spem vitæ advolabant, & aurarum turbine, id est, diaboli spiritu, flatuque vexatæ, tanquam in ramis arboris requiescunt.* Et vero Rupertus Abbas aves eorumdem Apostolorum symbolum esse his plane verbis asserit: *Aves ergo, quæ volabant per medium Cælum, Apostoli sunt.* Et isthæc infra prosequitur: *Ista sunt volatilia illa, quorum exemplo vel imitatione debemus omnem victus aut vestitus solicitudinem deponere, dicente Domino: Respicite volatila Cæli, &c. Nam Apostoli, quibus primum & præseutialiter hæc libertas avium proposita est ad imitandum, ut cælestium contemplationi vacare posent, omnia terrena reliquerunt. Idcirco recte ipsi volatilia Cæli dicuntur.* hæc Rupertus. Neque hic interim silentio prætereundem est, quod egregie ipsemet Beda futuræ resurrectionis mysterium recolens atque inculcans loco, quem supra recitavimus, hunc in modum subdit: *Vel Volucres*, inquit, *sunt, qui obviam Christo in aëre ex mortuis sunt ituri.* Sed à volatilibus, quæ generatim recensuimus, ad singula speciatim contemplanda, quibus peculiaris mysteriorum vis inest, si libet, properemus.

Beda in Iob. l. 1. c. 12.
Richar. de S. Vict. de erud. to. 1. l. 2. c. 44.
Hil. in Matt. c. 12.
Aves symbolum Apostolorum.
Rup. in c. 13. Apoc. l. 11.
Aves typus justorum, qui Christo obviam in resurrectione ituri sunt Beda.

CAP. XXXV.

De Columba.

Noemica columba pacis nuncia.

1 NOemica quondam Columba inter ipsasmet Orbis fluctuantis undas, virentis tandem olivæ ramum rostro deferens, tranquillæ pacis symbolum extitit, & faustæ exoptatæque felicitatis omine jam tum bonorum omnium nuncia mortalibus dedicata est: *Emisit quoque Columbam, ut videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ. Quæ cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam.* Verum cum iterum ex arca septem post dies dimissa fuisset: *Venit*, inquit, *ad eum ad vesperam portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Intellexit ergo Noë, quod jam cessassent aquæ super terram.* Iure igitur præcipuum sibi inter volatilia Columba locum vindicat, quæ potiora arcanorum mysteria sub ipsius mundi primordia mortalibus propinavit. Quapropter, ut ad peculiares volucrum imagines, de iisdem speciatim acturi, orationis stylum convertamus primo quidem Columba se nobis offert, quæ in Cœmeterialibus passim Christianorum monumentis, vel certe in sepulchralibus eorundem titulis frequens deprehenditur. Quod enim hæc potissimum apud antiquos Innocentiæ symbolum præferat, vel ex eo convinci videtur, quod virginum ac puerorum tumulis pia olim Christianorum manu adscriberetur: ut ex hoc sepulchrali Critesis pueri lapide comprobatur, qui è sacris Cœmeteriis erutus, apud Eminentissimum Cardinalem Ginettum S. D. N. Papæ Vicarium his notis, ac symbolis egregie sculptus asservatur, nostrisque oculis oblatus est.

Gen. c. 8. n. 8
Columba ejusque mysterium.
Innocentiæ symbolum columba.


Ve-



CRITESI BENEMERENTI QUI
VIXIT ANNIS VIII. MENSES VIII.
INNOCENTIÆ IPSIUS FECERUNT
PARENTES IN PACE.



Verum primævi Christianæ fidei cultores exculpta Columbæ imagine, velut præcipuo candoris symbolo, eum in modum oblectabantur, ut præter innumeros exculptos, inscriptosque sepulchrales titulos, æneas quoque, quas Cœmeterialibus locis suspendebant, lucernas mystico Columbarum typo curiose obsignarent, quod ne gratis lectori asserere videamur, æneæ hic lucernæ Cœmeterialibus in locis perscrutantium studio adinventæ, & ex nobili Io. Baptistæ Casalii Musæo excerptæ iconem contemplari fas est.



Porro ut à præcipuis rerum divinarum symbolis, suas expandendo alas columba volatum auspicetur, candidam, mitem, atque omni penitus labe innoxiam præ cætteris aviculam ipsiusmet Spiritus Parancleti imaginem præferre, apud omnes, qui sacrarum scripturarum paginas probe tenent, notissimum est: de hac quippe Tertullianus libro de Bapt. hæc eleganter edisserit: *Tunc ille sanctissimus Spiritus, &c. columbæ figura delapsus in Dominum, ut natura Spiritus sancti declararetur per animal simplicitatis, & innocentiæ, quod etiam corporaliter ipsa felle careat columba. Nec hoc quidem sine argumento præcedentis figuræ. Quemadmodum enim post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post Baptismum, ut ita dicam, mundi, pacem cælestis iræ præco columba terris annunciat, dimissa ex arca, & cum olea reversa, quod signum etiam, apud nationes pacis prætenditur, eadem dispositione spiritualis affectus terræ, id est, carni nostræ emergenti de lavacro, post vetera delicta columba sancti Spiritus advolat pacem Dei afferens, emissa de Cælo, ubi Ecclesia est Arca figurata.* Hinc satis perspicue apparet, quam potissimum ob causam Christiani passim suis sepulchralibus titulus Columbam virentis ramum olivæ ore gestantem insculpendam curarent, ut defunctos scilicet in Christi pace ibidem depositos, ac dulci somno in Christo, qui est pax nostra, quiescentes designarent. Quod autem antiquus hic Columbam pingendi mos, ut Spiritum sanctum repræsentarent, apud Christianos extiterit, S. Paulinus, qui carminibus isthæc musico opere in parietibus elaborata olim descripsit, testis locupletissimus adest:

[Margin: Figura Spiritus S.]
[Margin: Tert. l. de Bap. c. 8.]
[Margin: Columba in sepulchris quid denotet.]

Pleno coruscat Trinitas mysterio,
Stat Christus agno vox Patris Cælo tonat
Et per Columbam Spiritus sanctus &c.

[Margin: S. Paul. ep. 12.]

De Columbarum item symbolo, quarum pictis juxta Crucem imaginibus Ecclesiarum hinc inde porticus exornabantur, idem Paulinus cecinit:

Quæque super signum resident cæleste Columbæ,
Simplicibus produnt regna patere Dei.

2 Verum enimvero genuinam cum avicula hac Spiritui sancto similitudinem probe aptari Cyprianus satis erudite verbis illis ostendit: *In domo Dei*, inquit, *id est, in Ecclesia Christi unanimes habitant, concordes, & simplices perseverant*: idcirco & *in Columba venit Spiritus sanctus, quæ simplex, & lætum est animal, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum.* Et mox isthæc in Christianæ simplicitatis, ac fraternæ unitatis laudem subinfert: *Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda, ut Columbas dilectio fraternitatis operetur.* Ad quod item Chrysost. allusisse illis verbis visus est, *Ideo à Spiritu sancto species Columbæ suscepta est, quoniam præ omnibus hæc cultrix est charitatis.* Porro acutissimus cæteros inter scriptores Origenes columbinorum prærogativam oculorum expendens: *In columbis*, inquit *oculis prædicantur. Quod enim dixit, columbæ super plenitudines aquarum, ferunt hoc genus avis cum ad aquas venerit, quia ibi solet insidias accipitris pati, venientem desuper inimicum, volitantis umbra aquis conspecta, deprehendere, & oculorum perspicacia fraudem periculi imminentis evadere. Quod si tu ita perspicere poteris insidias diaboli, & cavere, sacrificium Deo columbas obtuleris, &c.* hæc Origenes.

[Margin: S. Cypr. l. de unit. Eccl. c. 6.]
[Margin: Chrys. ho. in Matth.]
[Margin: Columba videt in aquis umbram accipitris, ejusque mysterium.]
[Margin: Orig. in Lev. c. 4. ho. 3 & c. 1. & 2. ho. 2.]

2 Ambrosius vero sermone in S. Eusebii Episc. laudem illa Psalmistæ verba explicans: *Quis dabit mihi pennas, &c.* hæc ait: *Sanctus David cum puritate mentis volare concupisceret, non alterius animantis, nisi columbæ, optavit alas, dicens: Quis dabit mihi pennas &c. Intelligebat enim, quod altiora facilius penetrantur simplicitate mentis, quam levitate pennarum.* At Augustinus libro quæst. Euang: in Matthæum, in illud Euangelii: *Estote simplices sicut columbæ*, miram hujus aviculæ simplicitatem, ac congenitam sibi conditionem nocendi prorsus expertem prædicat: *Simplices autem* (ait) *sicut columbas esse voluit ad nulli nocendum. Nam hoc genus avis nullum omnino animalium necat, non solum grandium, contra quæ vires non habet; sed nec etiam minutissimorum, quibus etiam perparvi passeres aluntur. Est autem omnibus irrationabilibus animantibus una quædam inter se societas, sicut etiam rationalibus sua, id est, hominibus, non solum secum, seed etiam cum Angelis. Discant ergo ex similitudine columbarum nulli prorsus nocere ad societatem suam pertinenti, participatione rationis.*

[Margin: Volatus Columbæ, & ejus mysterium.]
[Margin: D. Amb. ser. de S. Eus.]
[Margin: Matt. c. 10.]
[Margin: Columbæ imago simplicitatis.]
[Margin: D. Aug l. quæst. Euang. in Matt.]

3 Porro idem sanctissimus Pater alia sub hujus aviculæ symbolo arcanorum mysteria explorat:e po-

 sitione

Columba dilectionis significationem habet. *Idem Aug. exp. in ps. 54*

sitione enim in Psal. 54. hæc habet: *Columba à molestiis quærit avolationem, sed non amittit dilectionem. Columba enim pro signo dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur: nihil tam amicum gemitibus, quam columba, die noctuque gemit, tanquam hic posita, ubi gemendum est.* Præterea idem Cant. 6. *Per columbam,* inquit, *unitas Ecclesiæ significatur, de qua dictum est: Vna est columba mea.*

Gemitus symbolum. *Cant. c. 6.*

Septem columbæ proprietates.

4 Nec interim Rupertus Abbas prætereundus hic est, qui Comment. in Cant. 1. ipsi Augustino egregie adstipulatur. Et rursus lib. 3. in cap. 3. septem præcipuas columbarum proprietates describendo recensens, easdem Deiparæ Virgini his verbis quidem symbolice aptat: *Hæc,* inquit, *avicula primum sine felle est, deinde nihil vivum comedit: pullos alienos nutrit: grana semper candidiora colligit: in petris nidificat: gemitum pro cantu habet: libenter juxta fluenta residet, ut venientem accipitrem ex ex umbra præcognitum effugiat.* Susceptæ vero subinde enarrationis periodum ad B. Virginem inflectens, orationis stylum in hunc modum prosequitur: *Tu maxime ô misericordiæ Mater, sine felle es, nihil unquam habuisti invidiæ, nihil odii: nihil vivum columba comedit, & tu longe ab illis, de quibus scriptum est: Devorant plebem meam sicut escam panis. Pullos alienos columba nutrit, & nos qui eramus alieni secundum carnem à genere tuo, ecce vivimus tuis meritis. Grana candidiora columba colligit: & tu conferens in corde tuo testimonia de scripturis, creditum tibi conservabas secretum Dei. Columba in petris nidificat; & tu in solitudine fidei permanens, evasisti serpentis antiqui venena. Columba gemitum pro cantu habet; & tibi gemere dulce fuit; eo quod præ cunctis mortalibus mente vulnerata esses. Columba juxta fluenta residet, tibi autem, vel tuo pectori omne fluentum scripturarum quam contiguum est? nunquam adventus spiritualis accipitris tibi esse imprœvisus, aut te consequi, immo nec tibi appropinquare potuit.* hæc Rupertus. Quorsum autem hic, dicet aliquis Chrysostomus in medium pro mysticis columbæ laudibus, iterum non prosilit, qui homilia 4. in cap. 3. Matth. peculiare quoddam charitatis symbolum columbam esse pronunciat? *Ideo,* inquit, *Spiritus sanctus speciem columbæ suscepit: quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis: omnes enim species justitiæ, quas habent servi Dei in veritate, possunt habere & servi diaboli in simulatione: habet enim diabolus mansuetos & humiles, habet castos & eleemosynarios, & jejunos, &c. solum autem charitatem Spiritus sancti non potest immundus spiritus imitari.* Cassiodorus insuper hic nobis consulendus est; ipse enim ingenitas columbæ proprietates ingeniose expendens, eandem innocentiæ symbolum, mansuetudinis item & candoris typum exacte describens, hæc inquit: *Columba dicta est, quasi cellæ alumna, quæ vitam sine alterius gravamine peragit; avis innocens, mansueta, quæ in nullum animal fellica voluntate consurgit, nec escis sordidis ullatenus acquiescit.* Cæteras demum innocuæ hujus aviculæ proprietates Hugo Cardinalis in psalm. 54. Carminibus hisce peracute complectitur.

Rup. com. in Cant. 1 & l. 3. in c. Cant. 3.

Maria Virgo Columbæ assimilatur.

Columba pro signo charitatis ponitur.

D. Chrys. ho. 4. in c. 3. Matt.

Charitas est propria tantum servorum Dei.

Columba simulacrum est innocentiæ mansuetudinis, ac puritatis. *Cassiod. in Matt. c. 10.*

Hug. Card. in ps. 54.

Grex, Visus, Pulli, Fel, Oscula, Pugna, Lapilli,
Grana, Latex, Nidus, Turris, Gemitus, Color & Pes,
Nuntia, Simplicitas, Fimus, Ova, Venus, Fuga,
Cervix.

Quas singulas benignissimæ naturæ proprietates prolixiori ibidem sermone in studiosi lectoris gratiam explanat.

5 Nobis interim ad instituti propositum, ne incerti huc atque illuc vagemur, miram avis ejusdem simplicitatem expendere satis sit: cujus singularem quidem prærogativam merito Christus Dominus ipsis columbis assignat, cum Matth. c. x. hæc ait: *Estote simplices sicut columbæ.* Quæ quidem præcipue virtus cæteris comitata virtutibus, nimirum humilitate, mansuetudine, ac Dei timore, animam, supernæ illuminationis, atque reverentis admodum cum ipso Deo consuetudinis capacem reddit, Salomone test. Pro. 3. ubi, *Cum simplicibus,* inquit, *sermocinatio ejus.* Quinimmo ejusdem Dei habitaculum efficit, dicente Isa. 66. *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos?* Et hanc fortasse ob causam cum tot, tantisque mysticarum rerum splendoribus, ac prærogativis avis hæc illustretur, sacratissimam olim Eucharistiam in Ecclesia, intra auream columbam recondi consuevisse legimus; ut ex ipsis præsertim D. Basilii actis apud Surium liquido constat tom. 1. 1. Ianuarii. Et ut in quinta synodo perhibetur, à clero & à monachis pariter Antiochenæ Ecclesiæ Severus ille hæreticus apud œcumenicæ Synodi Patres delatus est, eo quod auream quandam columbam, in qua divinissimus Eucharistiæ panis in altari asservabatur, impia ac sacrilega inde manu abstulisset, & alteram argenteam, quæ supra ipsum Baptismi fontem sacrorum usui mysteriorum apposita erat, ad symbolice videlicet præsignandum, sub ejuscemodi olim forma, cum à Ioanne Christus in Jordane baptizaretur, Spiritum sanctum è Cælo super eum protinus advenisse. Iure igitur optimo in Cœmeterialibus Cubiculis apud antiquos illos candidæ fidei Christianos ac illibatis plane moribus frequenter ipsius columbæ imago usurpabatur, è symbolico quippe aviculæ ejusdem adspectu tot Christianæ pietatis insignia, virtutum monimenta, divinorum arcanorum mysteria jugiter intuentibus ingerebantur. Sed de his hactenus.

Simplicitas, ejusque prærogativa.

Matt. c. 10.

Simplicit. animam illuminationis supernæ idoneam ac capacem reddit.

SS. Eucharistia intra auream columbam olim recondebatur.

D. Basil. in act. apud Sur. to. 1. 1. Ianuar.

Severi hæretici furtum sacrilegum.

CAP. XXXVI.

De Pavone.

1 PAvo, speciosa quidem avis, ac versicoloratis ad Orbis similitudinem, natura lenocinante, pennis instructa, post candidam quam nuper suspeximus columbam, haud à Cœmeterialibus tabulis, pia Christianorum manu excultis, omnino reijcienda videtur, ut quæ præter decorem, miramque pennarum, quam singulari naturæ opificio obtinet, pulchritudinem præcipuorum quoque mysteriorum pompam fixis delibandam oculis præsefert. Quapropter cum à sacris paginis ejusdem nullatenus mentio explodatur, nec à Subterraneis quidem Romæ tabulis imago expungenda est. Verum vt à profanis primum scriptoribus istius pulcherrimæ avis gloriam aucupemur, quis non probe meminerit, magni quondam nominis Alexandrum, ubi apud remotissimas Indiarum oras, in quibus morabatur, peregrinam invisamque avis pulchritudinem mirabundis oculis deprehendisset, gravissimis alioqui pœnis præcavisse, ne tantæ vis, ac manus pulchritudini inferretur. Apud Libyæ vero nationes inter sacras avis hæc computabatur, nec ab ullo impune, tanquam religioni injuriosum foret (ut ipse Ælianus refert) mactari poterat: quin ut sacris adhibita ministeriis,

Pavo & ejus mysterium.

con-

conspicua magis apud Romanos jugiter haberetur, dum solemni quis ritu in Deorum numerum à delirantibus olim gentilibus adscriberetur, quemadmodum è rogo in cælum prosiliens Aquila Imperatorem Deorum jam numero adscitum, pari item ratione Pavo funebri è lecto se in altum tollens Imperatoris conjugem superis aggregatam commentitio quondam symbolo designabat. Pulcherrimæ autem avis non pennæ dumtaxat, sed carnes tanti apud Heliogabalum habitæ sunt, ut male sanus adolescens, qui ambitiose pulchritudinem corporis dumtaxat, non animi esuriebat, iisdem jugiter pasceretur: verum aptius quidem mentis, quo tenebatur, morbum opportune solvisset, si ejusdem cruorem (quo insaniam purgari ajunt) præsentaneum velut remedium sibimet propinasset. Avis enim, cujus pennis nulla par pulchritudo, haud gulam carnibus, sed plumis versicoloratis dumtaxat oculos pascendos Martialis eleganter edixit:

Pavo in rogo Imperatoricum.

In vit. Heliog. Imp.

Heliogabalus pavorem carnibus vescitur

Mart. l. 14. ep. 70.

Miraris quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hanc sævo tradere dure coquo?

Ita plane oculis, haud palato pulchritudo tam mira delibanda suppetit, ne tam speciosæ avis interitu, ac sanguine convivia infici potius, quam confici videantur. Verum ut suspicienda Pavoni, si pennas quis contemplatur, elegantia inest, sua quoque è contra, si pedes inspiciantur, deformitas, ac turpitudo suggeritur, ita ut ipsemet, qui vagus fuimet contemplator est, plumas inspiciendo gestiat, pedes autem conspiciendo ploret, atque erubescat: quod eleganti in rem præsentem emblemate acuti vir ingenii hoc dicto expressit: *Exultat & plorat.* Inanis quippe, ac futilis auræ ambitus, atque exemplar symbolico, ut sapienti viro placet, themate designatur: superba enim avis, ac sui nimium amans, extremæ pedum vilitatis oblita, solisque pennarum illecebris inaniter decepta, se curiosius, quam par est, in tuendo, de sua sibimet ipsi pulchritudine nimium placere satagit: *Deformes*, ut ille ait, *oblita pedes.* Quo superbiæ quidem oculatum contemplantibus symbolum, & in Israëlitico præsertim olim populo, ad sacras recurrendo paginas, propinari videtur: hic enim populus cum donis è Cælo affluentibus apprime ditesceret, inde superbiendi occasionem nactus, adversus munificum Deum colla erexit: quamobrem Amos Prophetæ vocibus graviter subinde Deus obdoluit *Detestor ego* inquit, *superbiam Israël.* Haud enim vagus ille populus, plumis dumtaxat, prosperisque arridentibus rebus illectus, suorum vilitatem pedum respiciens, elargita Deo dona, sibi autem, quod suum non erat, adscribebat, juxta quod lacrymabundis postmodum oculis, fœdam Israëliticæ gentis imaginem Ieremias contemplando, ajebat: *Et sordes in pedibus ejus.* Quam item Christus turbis inter blanda seculi gaudia delirantibus, ut sanam vel sero ad mentem redirent, vilibus utique amictam, delineatamque coloribus illis apte verbis objiciebat: *Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die, tua quæ ad pacem tibi.*

Io. Paul. Aret. lib. te. rar.

Pavo pro homine vano ac glorioso.

Amos. c. 6. v. 8.

Pavo simulacrum superbiæ.

Ier. Tren. c. 9.

Luc. c. 19.

2 Opportune autem pulcherrimæ istius volucris, ubi de Iudaico populo sacris in paginis sermo recurrit, mentio ipsiusmet Dei oraculo insonante refricatur: *Nunquid avis discolor, hæreditas mea mihi, numquid avis tincta per totum?* Quibus plane verbis, ut in rem præsentem Hieronymus eleganter edisserit, Pavus describi, ac designari videtur, cui Iudæorum populus ob multiplicia temporalium bonorum, quibus liberaliter cumulatus fuerat, munera symbolico sermone conferebatur: *Avem discolorem,* Hieronymus inquit, *tinctamque per totum juxta literam Pavum intelligit. Tantam enim habuit pulchritudinem Israël, & tantis fuit Hierusalem distincta virtutibus, ut nihil esset bonum, quod non cerneretur in ea.* Merito autem ad redarguendum ingrati animi vitium, quo misere, vel inter Dei munera iste deturpatus est populus, discoloratæ avis, miroque excultæ pennarum lenocinio, verborum apte coloribus pulchritudinem adumbravit.

Pavoni Populus Israel assimilatur.

Ier. c. 12.

Hieron in Ier.

3 Sed ne suis pictam Pavonis imaginem mysteriis destitui credamus, certe colorum, quos præsefert, varietate multiplices forte legis Mosaicæ ritus, ac cæremonias mysticis obvolutas symbolis, ut quibusdam placet, præsignasse, & altiora quæque arcanorum mysteria specioso Pavonis hieroglyphico, antiquos intuentium oculis Christianos objicere voluisse fatendum est. Vt enim ex his aliqua delibemus, cum avis ista singulis jugiter annis, recurrente autumnali tempore, ubi arbores frondibus destituuntur, gemmatas, quibus tota vis pulchritudinis inest, pennas continuo amittat, & vere postmodum redeunte, eisdem iterum enascentibus, prompto naturæ ministerio iterum vestiatur, haud obscurum futuræ symbolum resurrectionis, in redeuntibus pennis, velut in emergentibus arborum foliis, rem bene intelligentibus insinuari videtur: cum enim in morte blanda humani corporis forma omni prorsus decore evanescente solvatur, totam, pristinamque adveniente demum resurrectionis momento venustatem Deo elargiente resumet: *Oportet autem*, Apostolus inquit, *mortale hoc induere immortalitatem*, tunc enim, quod prophetice decantatum est, adimplebitur: *Refloruit caro mea*, *Psalm. 27. num. 7.* Opportune igitur Cœmeterialibus in tabulis Pavonis mira pennarum coloribus mysteria designantis imago adumbratur. Vario quippe pennarum nitore præ cæteris avibus nobilitet illustrata, suum quoque Cœmeterialibus, tabulis decorem confert: singulares enim proprietates humanis informandis moribus aptas propensiori naturæ beneficio obtinent, quæ tum animis, tum parietibus excolendis exornandisque mirifice congruunt. Et quidem haud mirum: quis enim nesciat avem hanc specioso pennarum flabello muscas procul ab epulis abigendo, vel mortuam, convivalibus mensis gratiam conciliare consuevisse, ut Martialis in suis aliquando Carminibus testis est:

Versicolor pavo quid significet?

Pavo resurrectionis hieroglyphicum.

1. ad Cor. 15.

Psal. 27. 7.

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Mart. l. epig.

Quod item ab antiquis more receptum Propertius quoque suis eleganter carminibus insinuare visus est:

Et mihi Pavonis cauda flabella superbi.

3 Profanis igitur mensis, & Cœmeterialibus item tabulis Pavonis, ut vides, pennæ præsto sunt. Quapropter istam cæteras inter aves antiquitus Christiani coloribus adumbrare consueverunt, eam videlicet ob causam, quia haud pauciores, nec minus suspiciendas, recolendasque in Pavone, quam in Columba proprietates ipso naturæ ductu reperiri, ac prænotari contingat: cujus hic decerptam è Cœmeterialibus tabulis iconem proponimus.

Prop. in Carm.

Nos



Nos interim cæteris Pavi proprietatibus rejectis, eas dumtaxat, quæ ad inſtitutum pertinent, recenſendas hic duximus.

Qualitas Pavonis.

4 Et primum quidem, ſi cunctas exacte, quod ad corpus pertinet, avis iſtius partes bene ſibi invicem reſpondentes contemplemur, eaſdem quid myſticum intuentium animis præſeferre patebit. Criſtatum videlicet caput, parvum, & ut Albertus ait, ſerpentinum; caudam variis interpunctam, diſtinctamque coloribus; inceſſum gravem & occultum; vocem horriſonam atque clamoſam: quapropter de volucri hac illud vulgo dicitur, plumis quidem, quæ Angelos decent, circumamictam eſſe: ac latronis inceſſum exhibere. Et ſane hujuſcemodi proprietates jure optimo ipſimet dæmoni congruunt, qui latentem, verſipellem, ac ſubdolum ſortitur inceſſum, atque innumeris, ut hominem illaqueando decipiat, fraudum technis, ac dolis jugiter ſcatet: quippe qui ſub ipſa certaminum initia levi primum conatu pugnantes aggreditur: oculatam vero caudam præſefert, quam deinde ab intuentium oculis, quorum mirifice aſpectum recreare videbatur, quantocyus retrahit, fallaces nimirum ac momentaneas divitias eſſe ſymbolum illud proclamat, quæ ab intuentium oculis ipſomet oculorum ictu velocius evaneſcunt: terrificum denique vocis ſonum, quem auribus incutit, tyrannicum diaboli imperium, cui delictis obnoxii miſerandum in modum ſubjacent, ſymbolice demonſtrat.

Pavo ſymbolum diaboli.

Proprietates Pavonis dæmonis tentationibus congruentes.

Pavo juſtorum ſimulacrum. Gloſſ. in 3 reg. 10.

5 At è converſo idem Pavo ſicut diaboli, & impiorum hominum, ita & juſtorum quoque ſymbolum eſt, ut Gloſſ. 3. Reg. 10. his verbis refert: *Pavo eſt avis multiplicis coloris.* Et infra; *Eorum caro ſiccata imputribilis permanere, dicitur, & quia pennarum pulchritudine veſtiuntur, deſignare poſſunt perfectos, & igne tribulationis decoctos, adeo ut variis virtutibus decorentur.*

S. Auguſtinus ex incorruptione carnis Pavonis infert damnatorum in igne ſubſiſtentiam. D. Aug. de Civ. Dei. l. 21. c. 4.

6 Et de mira quidem Pavonicæ carnis temperamento, quæ corruptioni nullatenus ſubjacet, idem Auguſtinus de Civit. l. 21. c. 4. ubi hoc potiſſimum argumento utitur ad probandum vel inter ipſos Tartareos ignes haud abſumpta viventium damnatorum corpora ſubſiſtere poſſe, hæc ait: *Quid adhuc à nobis rerum poſcantur exempla, quibus doceamus non eſſe incredibile, ut hominum corpora ſempiterno ſupplicio punitorum, ut in igne animam non amittant, & ſine detrimento ardeant, & ſine interitu doleant? Habebit enim tunc iſta carnis ſubſtantia qualitatem ab illo inditam, qui tam miras & varias tot rebus indidit, quas videmus, ut eas, quia multæ ſunt, non miremur. Quis enim niſi Deus Creator omnium dedit carni pavonis mortui ne putreſceret? Quod cum auditu incredibile videretur, evenit, ut apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc avis: de cujus pectore pulparum quantum viſum eſt, decerptum ſervari juſſimus: quod poſt dierum tantum ſpatium, quantum alia caro quæcunque cocta putreſceret, prolatum atque oblatum, nihil noſtrum offendit olfactum: itemque repoſitum poſt dies amplius quam triginta, idem quod erat inventum eſt: idemque poſt annum, niſi quod aliquantulum corpulentiæ ſiccioris & contractioris fuit.* hæc Auguſtinus.

Pavo ſymbolum hominis vani, & ambitioſi.

7 Patentiſſimum quoque pulcherrima hæc avis, gaudiorum pomparumque futilium hujus ſeculi ſymbolum agnoſcitur, quæ quantocyus ab oculis mortalium quibus inhiant, evaneſcunt. Cuncta enim iſthæc veluti erratica quædam, ac fugitiva rerum umbraticarum ſpectra avis hæc diſcolor, ſuarum exemplo pennarum intuentibus haud magnifacienda admonendo inculcat: nam dum aureis, ac nitentibus gemmarum coloribus ſuffuſas explicat, ac rotat in gyrum pennas, ſtatimatque deformes pedes, lutoque conſperſos inſpicit, omnem illico elatarum pennarum pompam ac faſtum, quo altius intumuerat, deponit. Pari quoque ratione ſplendidam atque conſpicuam fluxarum rerum faciem, ac prætervolantis ſeculi gloriam facili negotio unuſquiſque procul à ſe abjicit, contemnit, pedibuſque conculcat, ſi quam vilem ac triſtem poſtea illa exitum ſortiatur, & cinerum, in quos tandem cuncta hæc erratica, prætereuntium umbrarum ne dicam imaginum figmenta reſolvuntur, oculatus quiſque, ac ſapiens rerum arbiter ſecum ipſe contemplando meminerit. Idem Beatus Antonius Patavinus diſertis plane verbis hæc dicens, edocuit: *In pavonibus gloriæ temporalis abjectio deſignatur: & ſicut in pennis pavonis eſt pulchritudo, & in pedibus turpitudo, ſic pœnitentes hujus ſeculi gloriam abjiciunt per vilitatis ſuæ & incinerationis recordationem. Tales mentes veri pœnitentes deferunt de ſe, & ſua quotidie non deſinunt explorare.*

Recordatio mortis faſtum ac ſuperbiam vitæ refrænat.

S. Ant. de Pad. ſer. 5. poſt. Trinit.

Pavo ſymbolum reſurrectionis

8 Alteram vero ſpecioſæ hujus avis proprietatem idem B. Antonius ſupra laudatus alto mentis proſpectu contemplans, futuræ reſurrectionis myſterium inde quam eleganter adſtruit; ejus autem iſthæc ſunt verba: *Pavo ejicit pennas ſuas cum prima arbore ejiciente folia ſua, & poſt naſcitur ei pluma, cum arbores incipiunt frondeſcere & Prima fructificare arbor fuit Chriſtus, quæ plantata fuit in horto voluptatis, id eſt, in utero Virginis. Hujus arboris folia ſunt ipſius verba, quæ cum prædicator in prædicatione ejicit, & peccator ipſe ſuſceperit, pennas, id eſt, divitias abjicit. In generali vero reſurrectione, qua omnes arbores, id eſt, omnes ſancti incipiunt vireſcere, pavo ille, qui mortalitatis pennas abjecit, immortalitatis pennas recipiet.* Demum, ut cætera, quæ afferri poſſent, ſilentio prætereamus, id unum, quod in rem præſentem facit, poſtremo loco adjicimus, omnem nimirum avis ejuſdem decorem ac venuſtatem in cauda veluti in regio quodam throno conſpicuam reſidere: qua plane ratione pulchram, ac probatam juſtorum vitæ normam, ac omnem pariter meritorum cumulum, unius perſervantiæ bono, quæ virtutes cæteras coronat, adimpleri. *Virtus enim boni operis, perſeverantia eſt*: Ambr. teſte, ac victoriæ palmam eos dumtaxat, qui in finem uſque conſtanter perſeverant, feliciter promereri: *Non enim coronabitur*, ut Apoſt. ait, *niſi qui legitime certaverit.* Sed à Pavone ad Gallum oculos, ac ſtylum pariter convertamus.

Idem.

Chriſtus arbor. Maria Virgo Hortus Paradiſi.

Perſeverantia neceſſaria.

CAP.

CAP. XXXVII.

De Gallo gallinaceo.

1 FRequens ac sæpius repetita divinis in paginis Galli gallinacei mentio recurrit, & laudatissimo Iobi testimonio unus præ cæteris singulariter intelligentiæ titulo commendatur: *Quis dedit Gallo*, inquit, *intelligentiam?* Quippe qui dum statis diei, ac noctis subinde horis decantat, cantu ipso syderum cursum, horarum spatia se probe nosse, omnimodamque temporum rationem ac si intellectu præditus foret, intime assequi comprobatur. Quamobrem haud absurdum, & à veritate alienum quis dixerit, susceptæ enarrationis proposito inhærentes, si reliquas inter aves Gallum quoque adnumeremus: quas inter jure merito ipsemet Aristoteles rerum naturalium peritissimus, & velut lynceus naturæ oculus de incess. animal lib. 1. eundem recenset. Opportune igitur hic de eodem sermo instituendus est, cum efficta ejusdem Cœmeterialibus in Tabulis frequenter, nec juxta beatissimum Apostolum Petrum suspicienda dumtaxat imago occurrat, utpote qui admissum turpiter erga Magistrum ingrati animi facinus amare deflens susceptæque postmodum salubri consilio pœnitentiæ typum lacrymabundus præsefert, sed & aliis Cœmeterialibus passim in locis ob multiplicia recolenda mysteria, quæ complectitur, hæc intuentibus imago contemplanda exhibeatur. Quapropter in nobili marmoreo sepulchrali Sarcophago, qui inter anonymos recensetur, & apud celeberrimum B. Agnetis Cœmeterium Nomentana Via, Bosio perscrutante, innotuit, duo Galli gallinacei eleganti opere exculpti, ipsasque inter Angelorum manus delineati conspiciuntur; ad innuendum videlicet omnimodæ, ut infra enarrabimus, Vigilantiæ symbolum, quo defunctus, qui intra sepulchralem urnam recluditur, adhuc vivens præfulsit: symbolicæ autem imaginis iconem è lapide excerptam hic tibi ultro contemplandam offerimus.

Gallus gallinaceus, & ejus mysteria. — *Iob. c. 28. n. 36.* — *Arist. l. 1. de incess. anim.* — *Gallus Petro Apost. appictus negationem ejus & pœnitentiam designat.* — *In Cœmeterialibus Tabulis Galli simulacrum solemne.*



Cui alterum subinde sepulchralem lapidem Donato inscriptum, & Galli gallinacei symbolo prænotatum apud præmemoratum D. Agnetis Cœmeterium hic subjicimus, videlicet:

DONATUS QUI BIXIT ANNIS XXX.
MENSIS VI. DIES XVIII.
DEPOSIONE NONY. KL. IWIAS.
QVESQVI IN PACE.



Quo plane Galli symbolo lapidi insculpto Euangelicum illud, ut nobis credere par est, legentibus oraculum insonat: *Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum repente venerit, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Quippe incerta mortis hora, quæ imminet, uniuscujusque, dum sepulchrum aspicit, menti suggeritur, & illa item Christi verba, tonitrui instar, Euangelico Lucæ testimonio deprompta, exculptus ille Gallus tacito personare videtur: *Vigilate itaque omni tempore, orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.*

Luc. c. 21. n. 36. — *Marc. c. 13.*

2 Inter præcipua igitur admirandæ avis istius symbola, quæ à scriptoribus diligenti observatione prænotantur, *Vigilantia* potissimum antecellit: quamobrem antiqui Christianorum galli imaginem editiori sacrorum templorum loco reponendam constituere, quo nimirum jugem Pastoris Vigilantiam conspicuo; præstantique symbolo ad vivum repræsentarent. Huc autem spectant verba, quæ Gregorius in Ezech. lib. 1. Homilia. 11. recenset: *Speculator quippe*, inquit, *semper in altitudine stat, ut quidquid venturum est, longe prospiciat, & quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare, ut possit prodesse per providentiam.*

Gallus Hieroglyphicum vigilantiæ. — *D. Greg. l. 1. in Ezech. ho. 11.*

3 Hinc eleganter Poëtæ, ut ipsis quandoque fabulis salubria legentium animis, ad mores optime instruendos monita suggererent, Argum, utpote qui custodiæ præerat, ad injunctum sibi vigilantiæ ministerium serio obtestandum, totum undequaque oculis patulum, scatentemque finxere. Vigilantiam quippe oculi potissimum suo constanter muneri insistentes, & speculæ instar defixi, palam prænotare videntur. Quapropter leo inter animalia fortissimus, vel ex hoc vigilantiæ typum præ se fert, quod perpetua, ut nonnulli asserunt, vigilia utatur, seu quod apertis, patentibusque oculis jugiter obdormiat, ac si dormiens quoque is, Pierio teste, altius evigilare videatur. Quin insuper, ut Epiphanius auctor est, eum in modum à somno, quo reliqua passim animalia intercipiuntur, evigilare describitur, ut venatorem septem procul stadiis præsentiens, quam citissime cavendo subterfugiat, sed penes auctorem rei fides sit.

Ovid. l. 1. Argus cur centum oculos habuisse dicatur. — *Pierius. l. 1.* — *D. Epiph. ad Phyl. c. 2. de ferar. et. vol. nat.*

4 Interim vero ne in nudo dumtaxat rerum cortice persistamus, ab ipsomet leone symbolum derivando, palam in rem præsentem convincitur, eum, qui super cæteros principatum obtinet, ac populorum regimini præest, vigilantia in primis præditum esse oportere: quod Iacobus reliquos inter Patriarchas sanctissimus æque ac sapientissimus symbolicis illis verbis Iudam filium, ad cujus tribum cæterarum totius Israëlitici populi tribuum sceptrum revocandum esset, à longe salutando prænotavit: *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti ut leo.* Leoninam quippe hominis ad imperandum cæteris destinati vigilantiam apprime laudando præsignat. Qua profecto laude haud ipsemet, qui laudator est, caruisse comprobatur: vitam enim in campestribus aliquando pastoritiam agens sacris in paginis vigilantissimus extitisse describitur: Labano quippe socero illud merito, cum ab eo durius pertractaretur, objecit, quod vi-

Leo animal vigilantissimum. — *Gen. c. 49. n. 9.*

delicet armentis ejusdem indefessus longo annorum spatio deserviens, præter diurna laborum incommoda, etiam insomnes, ut suo satis muneri faceret, noctes duceret: *Die, noctuque*; inquit, *æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Quippe ut
Gen.c.31.n.40. Damasus Pontifex hunc egregie locum edisserens, ait: *Si ergo sic laborat & vigilat, qui pascit oves Laban,*
Dam.to.1. Conc. *quanto labori, quantisque vigiliis debet intendere, qui pascit oves Dei.* Vt enim recensito palam exemplo conficitur, labor pastoribus è proximo est, & in januis, somnus autem raro, vel à longe salutatur. Singularis ergo Pastorum, & Ecclesiastici præcipue ordinis præsulum laus, & prærogativa, vigilantia est: qui enim procurandæ animarum saluti Deo disponente præficiuntur, alienis jugiter commodis insistere, aliorum saluti invigilare tenentur: haud enim gravioribus hisce curis opportune somnus obrepit, immo potius turbulenter ab oculis effugari consuevit. Quod quidem Virgilianis olim carminibus apte, eleganterque decantatum, est:

—— *somnos abrumpit cura salubres.*

Virg. 3. Georg. Pastoris quippe oculus, qui subditorum jugiter, ut satis muneri fiat, commodis, ac vilitate intendit, qui eorundem pericula nedum damna prævidet, qui cunctis demum opportune prospicit, haud somno unquam sopiri potest, cujus quidem apte solicitudinem Philosophus ille inter mortales de Imperatore loquens his verbis expressit: *Omnium do-*
Sen.l. de brev. vit. *mos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delitias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.*

5 Mystice vero id aliquando Ambrosius insinuasse lectori visus est, ubi Pastores Christo nascente in Bethlemitica supra gregem regione inter profundæ noctis silentia vigilantes attentius contemplatur. Inde enim iis maxime, qui ovili Dominico præsunt, peculiari opera, ac vigilantiæ studio opus esse pronunciat: *Videte*, inquit, *Ecclesiæ sur-*
Ambr.ser.2. in c.2. Luc. *gentis exordium, Christus nascitur, & Pastores vigilare cœperunt, qui gentium greges, pecudum more ante viventes in caulam Domini congregarent, ne quos spiritalium bestiarum per offusas noctium tenebras paterentur incursus.* At singularem nascentis Christi ejusdemque optatissimam cunctis supremi ex vigilantia principatus excellentiam inculcans, hæc adiicit: *Et bene pastores vigilant, quos bonus pastor informat. Grex igitur populus, nox seculum, pastores sunt*
Ambr. loc. cit. *sacerdotes. Aut fortaße etiam ille sit pastor, cui dicitur: Esto vigilans, & confirma, quia non solum Episcopos ad tuendum gregem Dominus, sed etiam angelos destinavit.*

Pastores ovilis Dominici vigilantia maxime decet.

6 Congrue igitur, sapienterque Christiani ad vigilantiam cunctorum animis symbolice ingerendam, Galli, quam in præsens describimus, imaginem editioribus templorum locis reponebant, ad quod item probe edocendum, in ipsismet Cœmeterialibus cavernis, in quibus olim ipsorum greges fidelium, insectantium metu absterriti, ne eos dispergi contingeret, colligebantur, & una simul ad synaxes coibant, in editiori subterraneorum Cubiculorum prospectu velut in fornicibus, apsidibusque in recolendum pastoralis mysteriis typum, propriis dilectam humeris oviculam deferentis affabre coloribus exultam, suspiciendamque sibi Pastoris imaginem proponebant, ipsisque met fictilibus lucernis Pastoralis vigilantiæ symbolum jugiter prælucere volebant, ut ex perantiqua hac fictili lucerna videre est, quæ haud symbolice, ut in reliquis

Galli imago cur in locis editis ponatur.

cernitur, sed ipsiusmet, sub pastoris typo, Christi Redemptoris, *qui pastorum*, ut Petrus ait, *princeps* Petr.ep 1.c.5.n.4.
est, & qui item de se ipso loquens: *Ego sum*, inquit, *Pastor bonus*, Christi, inquam, Redemptoris imaginem contemplandam præsefert, cujus iconem, ne Ioan.c. 10.
tam nobile recolendæ antiquitatis monimentum, quod vel sero ad manus nostras devenit, studiosum lectorem prætereat, ex Ioannis Baptistæ Casalii viri eruditissimi Musæo excerptam, nobisque oblatam, hic tibi ultro exhibemus:



Pastoris igitur Euangelici tam crebro, ut vides, Cœmeterialibus in tabulis repetita imago, tum sui Pastores muneris, tum debiti subditos obsequii commonebat. Præpositorum enim auribus increpatorium illud Domini Petrum, & discipulos redarguentis, & ad vigilandum adhortantis verbum ingerebat: *Simon dormis. Non potuisti una hora vigila-* Luc.c.24.37.
re mecum? vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Pastoribus vero salubriter, ut par est, admonitis, oves, ut exhibendæ majoribus observantiæ meminissent, Apostoli verbis perstringere videbatur: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Apost. ep. ad Hebr. c. 13. n. 17.

7 Sed ut symbolicam Galli, cujus nunc elucidationi insistimus, lynceis imaginem oculis perscrutemur; argute quidem ipsummet gali cantum Ambrosius expendens, plura quidem ex eodem saluberrima documentorum themata his verbis conjicit: *Est etiam galli cantus suavis in noctibus; nec solum suavis, sed etiam utilis, qui quasi bonus cohabitator & dormientem excitat, & solicitum admonet, & viantem solatur, processum noctis canora significatione protestans. Hoc canente latro suas relinquit insidias. Hoc ipse lucifer excitatus oritur cælumque illuminat. Hoc canente trepidus nauta metum deponit. Hoc canente devotus affectu exilit ad precandum. Hoc postremo canente ipsa Ecclesiæ Petra culpam suam diluit. Ipsius cantu spes omnibus redit, ægris levatur incommodum, minuitur dolor vulnerum, febrium flagrantia mitigatur, revertitur fides lapsis. Iesus titubantes respicit, errantes corrigit, &c.*

Cantus Galli, ejusque mysteria.

S. Ambr. l.5. Hex. c. 24.

8 Quæ quidem singulæ, & miræ prorsus gallo ipsius naturæ magisterio insitæ proprietates ab eodem Ambrosio hymno primo in unum collectæ ad extollendas Dominici Diei laudes recensentur, nimirum: *Æterne rerum Conditor, &c.* ubi dignissimas Petri lacrymas singulari præconio complexus, Ambr. hym. ad matut. dom.
quæ timidæ abnegationis piaculum ipso respiciente Domino diluerunt; miram pœnitentis animi gratiam, ac profusam lacrymarum vim singulis errantibus intentius deprecando in hæc plane verba concludit:

Gallus symbolum Christi Domini.

Iesu labentes respice,
Et nos videndo corrige:
Si respicis, lapsi stabunt,
Fletuque culpa solvitur, &c.

Ele-

Eleganti itidem methodo singulas ejusdem galli proprietates Prudentius expressit, dum hymno primo Cathemerinon, qui uno pariter fidelium ore ad cujus libet feriæ tertiæ laudes decantari consuevit, isthæc recitat:

Prud. hym. 1.

Ales diei nuncius
Lucem propinquam præcinit.
Nos excitator mentium
Iam Christus ad vitam vocat:
Auferte clamat lectulos
Ægro sopore desides
Castique, recti ac sobrii
Vigilate, jam sum proximus.

9 Gallum insuper præconis Euangelici symbolum esse S. Eucherius his verbis affirmat: *Galli nomine designantur prædicatores sancti, qui inter tenebras vitæ præsentis student venturam lucem prædicando quasi cantando nunciare. Dicunt enim nox præcessit, dies autem appropinquavit, abiciamus ergo opera tenebrarum, &c.* Cui disertis quidem verbis Gregorius adstipulatur, qui haud aliud quam divini verbi præcones ipsius galli nomine designari pronunciat. Hæc autem inquit lib. moral. 30. cap. 3. in illud Iob: *Quis dedit gallo intelligentiam: Qui hoc loco* (inquit ille) *alii, galli nomine designantur, nisi modo alio repetiti iidem prædicatores sancti, qui inter tenebras vitæ præsentis student venturam lucem prædicando quasi cantando nunciare? &c.* Et cap. 4. ibidem hæc in rem præsentem addit: *Intelligentiam quoque gallus accepit, ut prius nocturni temporis horas discutiat, & suas demum voces excitationis emittat: quia videlicet Sanctus quisque prædicator in auditoribus suis qualitatem vitæ considerat; & tunc demum ad audiendum congruam vocem prædicationis format: quasi enim horas noctis discernere est actionum tenebras apta increpationis voce corripere.* Ac demum sermonem hunc in modum concludit: *Gallo itaque intelligentia desuper tribuitur, quia Doctori veritatis virtus discretionis, ne noverit quibus, quid, quando vel quomodo inferat, divinitus ministratur. &c.* hæc Gregorius Qui addem fere propositæ galli ejusdem similitudini inhærens in Pastorali par. 3. cap. 56 repetit: *Prædicator quisque, inquit: plus actibus, quam vocibus insonet: & bene vivendo vestigia sequentibus imprimat, quam loquendo quo gradiantur, ostendat: Quia & gallus iste quem pro exprimenda boni prædicatoris speciem locutione sua Dominus assumit, cum jam edere cantus parat, prius alas excutit, & semet ipsum feriens vigilantiorem reddit: quia nimirum necesse est, ut hi qui verba sanctæ prædicationis movent, prius studio bonæ actionis evigilent, ne in semet ipsis torpentes opere, alios excitent voce: prius semper sublimia facta excutiant, & tunc ad bene vivendum alios solicitos reddant.* Et isthæc infra sanctissimus doctor inserit: *Antequam verba exhortationis insonent, omne quod locuturi sunt, operibus clament.*

S. Euch. l. de spir. serm. c. 5.
Galli nomine designantur divini verbi præcones:
S. Greg. l. 30 mor. c. 3. in Iob.
Greg. in past. c. 56
Gallus prius alis excutit quam cantat, ejusque mysterium.

10 At præmemoratum divinæ scripturæ locum Hebræi, paucis admodum immutatis: *Quis dedit Gallo intelligentiam,* ita legunt: *Quis dedit cordi intelligentiam?* Cordatum quippe animal hoc quodammodo apparet, cordatisque viris intelligentiæ lumen; dum altius evigilat, refundere videtur: juxta quod in Canticis canitur: *Ego dormio et cor meum vigilat.* Vigilia enim viventis, veluti somnus demortui quodammodo hominis symbolum est, juxta quod poëta cecinit:

Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Cohærenter autem poëtæ Chrysologus locutus est, dum ait: *Plus vigilare, plus vivere est: quid tam mortis simile, quam dormientis aspectus? quid tanta vita plenum, quam forma vigilantis.* Præterea salubris vigiliarum usus sospitatem homini conciliando, vitam ipsam protendere consuevit, quod & Aristoteles in suis aliquando quæstionibus edocuit? *Ante lucem,* inquit, *surgere & ad sanitatem, & ad curam rei familiaris, & studium philosophiæ prodest quamplurimum.* Quod si ad vitam virtutibus excultam vigilantiæ symbolum referas, Gallus, qui se haud unquam ante Solis occasum quieti dat, & longe ante ejusdem Solis ortum è somno semper evigilat, eorum profecto, qui rerum divinarum contemplationi insistunt, imaginem exhibere videtur: hi enim Deo jugiter vacantes intempestæ noctis silentio, è strato surgentes, psalmodicis cantibus Galli instar abrumpunt, furtivisque, antequam Sol exoriatur, Deum horis conveniunt. Quod ad amussim regius ille Psaltes expressit, qui toties repetitis Deum laudibus insonabat, & nocte vel media regali è strato, quietis impatiens, vigilandique studiosissimus, prosiliebat: *Media, inquit, nocte surgebam ad confitendum tibi,* ita quippe haud totus obdormiebat, ut non tam Rex suo in cubili dulciter obdormire, quam excubias intempesta nocte unus præ omnibus agere videretur, vel probe Galli ipsius tum munus, tum vigilantiam exhibens, qui nocturnas (Plinio teste) in domibus excubias exercet, tam eorum, qui præsunt, quam eorum, qui divini præcones verbi sunt, patentem oculis imaginem obijciens, de quibus Propheta: *Super muros tuos constitui custodes, tota die, ac nocte non tacebunt laudare nomen Domini.* Quod item alibi regius Psaltes illis verbis expressit: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Quocirca ipsemet Christus Dominus, utpote verus omnium custos, tam sæpè in oratione Dei pernoctasse legitur, ut vigilantiæ nimirum formam sectatoribus suis, discipulisque, ut Chrysostomus ait, vel exemplo suggereret: *Quare Christus ipse in monte pernoctat, ut nobis forma fieret?* Vides igitur ex ipsius Galli imagine vivis adumbratam Christianorum menti coloribus vigilantiam.

Chrys. serm. 24.
Moderati somni utilitas
Arist. in œcon.
psal. 118.
Isa. 62. n. 8.
psal. 120. n. 4.
Chrys. ho. 43.

10 Nec demum, ut cæterorum quoque Patrum sententias pro symbolica Galli imagine consulamus, Beda silentio prætereundus videtur, qui in eadem verba Iob. lib. 3. cap. 7. justum vinumquemque ac probum virum gallo potissimum his verbis comparat: *Gallum, inquit, puto esse unumquemque sanctorum, qui in nocte & tenebris hujus mundi accipiunt per fidem intelligentiam, & virtutis constantiam clamandi ad Deum, ut aspiret jam dies permanens, & amoveantur umbræ vitæ præsentis, qui urgent etiam sequenti clamore precum suarum, dicentes: Emitte lucem tuam & veritatem tuam; &c.*

Gallus symbolum Iustorum.
Bed. in. Iob. l. 3. c. 7.

11 Sapientissimis igitur Christiani rationibus permoti, qui cum inter persecutionum procellas in abditis Cœmeteriorum locis degerent, ad divina jugiter recolenda mysteria animo evigilabant, & ad assequenda bonorum cælestium præmia propensiori mentis studio anhelabant, galli ad vivum expressam coloribus imaginem sibi ob oculos proponebant, ut ejusdem jugiter, qui aptissimum ipsiusmet vigilantiæ symbolum est, & torpentes, ac desides cantu velut tuba ad sua unumquemque officia excitat, meminissent.

CAP. XXXVIII.

De Piscibus.

Pisces de sacrificiis cur rejicerentur.

1 PIsces, quos Deus inter animantes primos quidem condidit, etsi juxta Mosaicæ legis tabulas à sacrificiis olim velut quid minus aptum rejicerentur, haud tamen à sacris paginis, ob peculiaria rerum, quæ prænotant mysteria, repelluntur. Ideo autem ab altari antiquitus ad immolandum excludebantur, quia cum nullatenus hi extra elementum aquæ vitam protrahant, vix viventes adduci, & per consequens, nec Deo immolari potuissent. Quin cum valde imperfecta, ac ignobilia ista præ ceteris animantia sint, procul ab altari arcenda Deus voluit: nam cum pisces primo quidem loco conditi fuerint, eorundem ignobilitatem in hoc natura coarguit, ut Philo lib. de constit. mundi his verbis affirmat: *Animarum quidem aliqua est tardissima, & minus expressa, quæ generi piscium obvenit: aliqua vero acutissima, quæ hominis est. Quæ autem ambarum est intermedia, terrestribus, ac volucribus data est. Magis enim hæc sensilis, quam in piscibus, hebetior vero, quam quæ in hominibus. Quamobrem Deus inter animantes, pisces primos condidit, magis corporis substantiæ, quam animæ participes, & quodammodo animalia, & non animalia, ac mobilia inanima.* Quocirca Ægyptii piscibus, teste Herodoto, quasi impuris, & coinquinatis abstinebant, quin & iidem cum nefas, aut inquinamentum significare volunt, piscem protinus pingunt, eo quod pisces mutua carne vescantur, & nulla penitus ratione præhabita inter se unus alteri esca sit, ut Horus Ægyptius scribit. Sane præter Ægyptios, Syros quoque piscibus abstinuisse legimus: quapropter Atergatis apud eos Dea celebratur, quæ interpretatur sine pisce. Syrorum quippe lingua *Ater* privativa est dictio, & *Gatis* piscem significat.

Pisces animal ignobile.

Phil. l. de. constit. mund.

Corn. à Lap. in l. Pent. Leu. c. 1.

Ægyptiis piscis animal impurum.

Thynnus, & Anguilla.

Varro l. 3. de re rust.

2 Alias vero gentium nationes rem sacram de Thynno, & Anguilla fecisse Athenæus tradit lib. 7. Quin & Marcus Varro lib. 3. rei rusticæ de certis quibusdam piscibus sacrificium apud Lydios peragi consuevisse scribit. Verum apud peculiares orbis terrarum gentes, haud sacrificiis dumtaxat piscis olim inserviebat, sed & in templis, atque altaribus, ut quid divinum colebatur. Idolum enim, quod *Dagon* dicitur, inter cæteras animalium figuras, quas repræsentabat, hominem simul, ac piscem contemplantibus exhibebat. Certum autem omnino est, Syros divinitatem piscibus attribuisse, ut testis est Circo lib. 3. de natura Deorum, ac propterea ab eorum esu, ne suis numinibus injurii viderentur, abstinuisse juxta illud Ovidii Fastorum lib. 2.

Idolum Dagon.

Ovid. 2. Fast.


Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Ne violent timidi piscibus ora Syri.

Hinc & illud de Nabuchodonosore: *Immolabit sagenæ suæ & sacrificabit reti suo.* Ab. 2. n. 16. ubi vates, ut Guevara interpretatur, continens pro contento, sagenam pro piscibus expressit: piscibus enim Nabuchodonosor, tanquam diis fautoribus suas acceptas victorias referebat, & consueta, in gratiarum actionem sacrificia instruebat. Quare haud mirum, si Philisthini, qui inter Syros recensentur, Dagonem sub figura piscis venerarentur. Quo fortasse Theodoretus allusisse voluit, ut Franciscus de Mendoza Societatis Iesu adnotat, cum ser. 3. de providentia *Dagonem mutum*, quales pisces proverbiali schemate dicuntur, congrue appellavit. Idcirco autem Deus Israëlitis in promissionis terram properantibus, ne piscium imagines fingerent, & adorarent prohibuit, Exod. 20. num. Quia videlicet prope Philisthinos piscium simulacra colentes habitaturi erant. Verum etsi pisces à Iudæis, eorumque sacrificiis, ut quid superstitiosum repellebantur, à quibusdam tamen, ut Pierius tradit hierogl. c. 13. velut præstans innocentiæ hieroglyphicum agnoscebantur. Hi quippe innocui omnino sunt, nec elementum suum ad insidias aliis inferendas unquam transgrediuntur: ideoque Pythagoras piscibus abstinendum cavit, ne insontes videlicet quis insectetur, prout Lilius Giraldus in Pythagoræ symbolis edocet. Inde piscis symbolum familiare item antiquis Christianis extitiat. In Cœmeterialibus igitur Christianorum Cubiculis, atque Sarcophagis frequenter quidem ipsorummet piscium imagines studiosa artificum manu expressas intuentibus contemplari fas est: immo & in ipsismet fictilibus lucernis juxta Sarcophagos apponi consuetis sacrosancto Christi nomine obsignatis pisces, ut hic vides, mystice exprimebantur, quam iconem ex Musæo Poetæ hoc nostro seculo laudatissimi Octavii Tronsarelli Romani contemplandam offerimus:

Nabuchodonosor Pisces adorat.

Franc. de Mend. in l. reg. c. 5.

Pisces innocentiæ hieroglyphicum.



Apud veteres enim Christianos piscium, uti & columbarum, & anchoræ, & alia id genus symbola usui erant, de quibus Clemens Alexandrinus Pædagog. lib. 5. cap. 2. illis præsertim verbis meminit: *Sint vobis signacula, columba, piscis, vel navis, quæ celeri cursu à vento fertur: vel lyra musica, qua usus est Polycrates, vel anchora, quam insculpebat Seleucus, & si sit piscans aliquis, meminerit Apostoli & puerorum, qui ex aqua extrahuntur.*

Piscium imago, & ejus mysteria.

Cle. Alex. Pæd. l. 5. c. 2.

4 Mystico igitur piscium symbolo, ne quid mysterio vacet, homines potissimum designantur, quamvis in explanatione ejus, quam supra descripsimus, ipsius Tobiæ imaginis Christum salutis nostræ auctorem prænotari asseruerimus. Ipsemet enim Dominus assertionis hujus elucidatione symbolum hoc illustravit, dum Apostolis loquens, isthæc protulit: *Faciam vos fieri piscatores hominum*; & idem magis perspicue verbis illis Matth. 13. expressit: *Simile est Regnum Cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam, cum impleta esset, educentes, & secus litus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.*

Piscium imagine homines designantur.

Matt. c. 13.

5 Quamobrem pisces ad Cœmeteriorum sepulchra affabre coloribus expressi, justos ibidem conditos, atque in vasibus ad servandum repositos præseferebant; qui miras electorum piscium conditiones nacti, congrue quidem ab Origene his

Piscium imagines cur sepulchris appingerentur.

verbis

verbis describuntur: *Si quis est in aquis istis, & in mari vitæ hujus, atque in fluctibus seculi positus, tamen debet satis agere, ut non in profundis jaceat aquarum, sicut sunt pisces isti, qui dicuntur non habere pinnas, neque squamas. Hæc namque eorum natura perhibetur, ut in imis semper, & circa ipsum cœnum demorentur, sicut sunt anguillæ, & huic similia, quæ non possunt ascendere ad aquæ summitatem, nec ad ejus superiora pervenire. Illi vero pisces qui pinnulis juvantur, & squamis muniuntur, ascendunt, magis ad superiora, & aëri huic viciniores sunt, velut qui libertatem spiritus quærant. Talis est ergo sanctus quisque, qui intra retia fidei conclusus bonus piscis à Salvatore nominatur: qui etiam mittitur in vas, velut pinnas habens & squamas. Non enim habuisset pinnas, non resurrexisset de cœno incredulitatis, nec ad rete fidei pervenisset, nisi pinnis adjutus ad superiora pervenisset, &c.* Hæc Origenes.

Orig. ho. 7. in Levit. c. 10.

Rete & Piscis symbolum fidei. *Bed. l. 1. in Ioh. c. 12.*

6 Nec vero ipsum duntaxat rete, ut Origenes hic edocet, fidei symbolum est, sed ipsemet piscis rerum supernarum fidem designat, si Bedæ attestanti credimus in Job. lib. 1. cap. 12. ubi isthæc: *Illi pisces intelligendi sunt, qui confestim de fonte Baptismi migrant ad Dominum.* Et lib. 3 cap. 11. in Lucam hæc subjicit: *Piscis est fides invisibilium, vel propter aquam Baptismi, vel quia de invisibilibus locis capitur.*

Id. l. 3 in Luc. c. 2.

Aqua in qua nascitur, & alitur piscis quid significet? *S. Euch. form. spir. c. 4.*

7 Quod plane mysterium S. Eucherius diserte prosequitur in Formul. Spir. cap. 4. ubi ex nativis piscium proprietatibus haud obscura Christianæ fidei argumenta elicit: *In pisce*, inquit, *fides non ficta exprimitur: quomodo enim piscis sub tegumento aquarum nascitur, vivit, & alitur, sic & fides, quæ in Deum est, quæ alterius vitæ gaudia per lamenta præsentia, fletusque requirit, invisibiliter in corde gignitur, invisibili gratia spiritus per aquam Baptismatis consecratur, invisibili auxilio divinæ protectionis, ne deficiat, nutritur, invisibilium præmiorum intuitu quæque valet bona operatur, memor illius Apostoli* 2 *Cor.* 4. *quia quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.* Et infra ex eodem argumento, fidei nostræ robur & constantiam totis animi viribus inculcat, & prædicat: *Possumus*, ait, *& hoc dicere, quia piscis in eo fidei typum teneat: quod sicut ille crebris maris fluctibus tunditur, nec perimitur: ita fides firma quantislibet adversantis mundi pressuris impugnatur, inconvulsa, persistat; immo etiam de certamine gloriosior existat adjuvante illo, qui missus ad prædicanda ejusdem fidei dona discipulis ait: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Pulchra autem, ac lectoris studio condigna sunt, quæ ad instituti propositum Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. eleganter proloquitur, ubi veros Christi cultores, qui in hujus vitæ pelago diris undique procellis exagitantur, ad firmiter retinendam invictam fidei constantiam opportuno piscium exemplo his plane verbis cohortatur: *Imitare illum*, inquit, *piscem, qui minorem quidem adeptus est gratiam, tamen tibi debet esse miraculum. In mari est, & super undas est: in mari est, & super fluctus natat: in mari tempestas furit, stridunt procellæ, sed piscis natat, non demergitur, quia natare consuevit. Ergo tibi seculum hoc mare est: habet diversos fluctus, undas graves, sævas tempestates; & tu esto piscis, ut seculi te unda non mergat.* Neque isthæc sanctissimus doctor pio lectori exposuisse contentus, alia insuper ejusdem ingenio consona propinando suggerit: nam, ut de cæteris taceamus, illa Apocalypsis cap. 8. verba explicans: *Et mortua est tertia pars creaturæ eorum, qui habent animas in mari*, miam eisdem in piscibus proprietatem, Baptismi Sacramento respondentem contemplatur, sed ipsum hic quæso enarrantem excipiamus: *Per mare*, inquit, *sicut jam diximus, multitudo peccatorum designatur. Pisces vero cum ab aquis subtrahuntur, animas amittunt. Electi ergo, quamdiu in aquis vitiorum suorum versantur, animas marinas habent, peccatorum videlicet tenebris involutas: cum vero aut per Baptismum, aut pœnitentiam ab aquis vitiorum pertrahuntur, animas pristinas quasi amittunt, cum ex malis boni efficiuntur, moriunturque diabolo, ut vivant Deo.* hæc Ambrosius.

2. ad Cor. c. 4. Constantia & fortitudo fidei.

S. Ambr. l. 3. de sacram. c. 1.

Apoc c. 8.

Aquæ vitiorum significatio nem habent.

8 Verum de piscibus hæc generatim dixisse sufficiat: nunc de Delphino eorum principe, qui cum ob varias, easque nobiles naturæ dotes, tam apud sacros, quam profanos auctores celeberrimus sit, atque adeo à primævis Christianis in Cœmeterialibus olim tabulis ejusdem imago præ cæteris frequentissima reperiatur, operæ pretium esse duximus de illo speciatim hic nonnulla studioso lectori delibare.

CAP. XXXIX.

De Delphino Marinorum Piscium principe.

1 Cum de piscibus, quorum symbolo Cœmeteriales tabulæ instruuntur, prolixiori ad instituti propositum sermone paulo ante egerimus, nullatenus hic de Delphino, qui inter recolenda Cœmeteriorum Hieroglyphica recensetur, & marmoreis Sarcophagis insculptus; vel subterraneis certe parietibus pennicillo adumbratus frequenter inspicitur, silendum nobis est. Et sapienti quidem consilio, ac peculiari mysterio sepulchralibus urnis pia Christianorum manu exculptus fuit, quippe qui sepulturæ obsequium defunctis deferendi unus hic præ cæteris omnibus animantibus officiose amantissimus ipsiusmet naturæ ductu comprobetur. Porro Delphinus, ut apte hic nonnulla inferamus, conspicuis naturæ proprietatibus cætera inter aquatilia præditus, utpote qui marinorum rex piscium designatur, plures regii principatus dotes & insignia obtinet. In primis enim, si Aristoteli lyncea rerum naturalium investigatori fides adhibenda est, felle caret, quod principem maxime decet, ex quo fit, ut longo subinde tempore vitam protrahat. Præterea erga sui generis socios, tum viventes, tum mortuos se apprime officiosum præfert. Delphini quoque se invicem amicabiliter fovent, gregatimque dum mare transcurrunt, quispiam è grandioribus semper velut itineris dux parvulis jungitur, quod si ex iisdem unus piscatorum forte retibus intercipiatur, haud à cæteris inter pericula omnino destituitur, cuncti enim, qui comites numerabantur, velut individui fortunæ ipsius affectæ, pristinam à piscatoribus periclitanti libertatem exoraturi supplices adsunt.

Delphini imago in Cœmeteriis frequens.

Delphinus inter pisces principatum obtinet.

Arist. l. 8 de nat. anim.

Aul. Gel. e. 8. lib. 7.

2 Verum enim vero, ut singula ab ipsis accepta scriptoribus fideliter perstringamus, mira quidem, & dictu vix credibilia sunt, quæ iidem referunt. Miti autem naturæ temperamento Delphinus eum in modum gaudet, ut musicali concentu, qui bene compositis ut plurimum corporibus, animisque consonat, valde oblectetur, quo enim magis, ut re sibi gratissima, eodem perfruatur, vel

Delphinus musicæ amans.

Ael. l. 2. c. 6.

Plin. l. 9. c. 8.

vel longe poſitus audiendo feſtinus accurrit. Hominem vero, velut præcipuo devinctum ſibi fœdere, ſingulariter diligit. Otium ſummopere non ſecus, ac perniciosum quiddam refugit, & omnimodæ impatiens quietis ex eo comprobatur, quod ſemper, vel dum obdormit, aliqua ex parte moveatur: ubi enim ſupra aquas ſe ad quieſcendum locavit, ipſomet pondere corporis urgente ad ima depreſſus, profundumque maris, ut Ælianus ait, ſinum pertingens, tunc è ſomno, quo tenebatur, experrectus ad ſummas feſtinus aquas proſilit, & ac ſi redivivus ad ſua obeunda munia redit. Quod quidem ex eo provenire ajunt, quia cum novo, & uberiori Delphinus ad reſpirandum aëre jugiter indigeat, haud hunc magis commode, quam ſupra aquas excurrendo attrahit.

Cum homine amicitiam exercet. — *Æl. l. 22. c. 11. de anim.* — *Somni parciſſimus.*

3 Eminentioris vero loci, aëris videlicet delibandi gratia adeo amicus eſſe convincitur, ut ad hunc liberaliter hauriendum immanes quandoque ſaltus edat, tamque ſublime inter ſaltandum proſiliat, ut ipſoſmet ſaltu navium malos, Ariſtotele teſte, tranſcendat. Delphinus inſuper omni inter pericula metu liber conſiſtit: *Magni quippe animi*, ut Seneca ait, *eſt proprium, placidum eſſe tranquillumque, atque injurias, atque offenſiones ſemper deſpicere.* Si quando enim Piſcatorum retibus interceptus detineatur, ingruenti prorſus tum metu, tum periculo longe ſuperior, tutoque vel mancipatus carceri agens, cæteros interim qui intra rete concluſi ſunt, piſces ad ſatietatem depaſtus, ubi piſcatores unà cum præda littori appropiant, ille confeſtim jocabundus è reti, quà concludebatur, in aquas emergit. Quod concinne olim ingenioſus vir ille paucis expreſſit, dicens: *Vel cum præda erumpens.*

Aërem liberiorem amat. — *Ariſt. l. 9. c. 48. de nat. anim.* — *Plin. l. 9. c. 8. Plutar. Senec. 1. de clem. c. 5.* — *Io. Paul. Aret. lib. teſſer.*

4 Quoniam vero perpetuum Delphino unà cum homine fœdus intercedit, humanis proinde tum vivis, tum mortuis, ut Albertus Magnus enarrat, carnibus abſtinet, & cum mutua viciſſim iis, qui nobiſcum fœdere obſtricti ſunt, ubi neceſſitas poſtulat, & caſus urget, auxilia ipſiſmet amicitiæ legibus ſuppeditari oporteat, homini inter maris undas ex naufragio periclitanti amicabiliter accurrens, præſto eſt, ſuamque ultro operam, naturæ potiſſimum inſtinctu, laboranti exhibere didicit.

Albert. Mag. l. 21. de anim.

5 Verum, qui intra maris ſinum, vaſtaque Neptuni confinia, cæteros ſupra piſces imperium obtinet, bellum quoque adverſus tyrannidem intentantes, ubi opus eſt, ſtrenue dimicando nullatenus exercere detrectat. Cum Crocodilis igitur, qui è Nilo clanculum ad prædam emergunt, juges Delphini diſcordias fovent: licet enim felle, ut diximus, careant, magna tamen cum clandeſtinis iiſdem inſidiatoribus ſimultas intervenit: quapropter valide cum adverſariis, corporea quantumvis mole grandioribus, ſi quando neceſſe eſt, congredi neutiquam refugiunt. At vero, quibus robore, ac viribus longe impares ſunt, palmam victoriæ, quam ſingulari certamine referre nequeunt, arte dumtaxat, ac dolo conſequuntur: Delphinus quippe, ubi in certamen proſilit, Crocodili protinus, ventrem ſubit, in quo nullæ ad obtegendum ſquamæ, & ſpinis, quibus valide ſibi dorſum inſtruitur, hoſtem, ut Seneca ait, transfodiendo triumphat.

Delphini cum Crocodilis bellum. — *Sen. l. 4. c. 2. q. natur.*

6 Quo autem teneros adhuc filios Delphinus amore complectitur? Qua ſolicitudine fovet? qui ut conſternatos dejectoſque ſuos inter pericula fœtus conſpicit; eiſdemque nullus ad evadendum locus ſuppetit, quos ſemel ediderat, iterato ſuum intra ventrem, tuendi, fovendique gratia recipit, ut diſertis Baſilius verbis hunc in modum enarrat: *Delphini etiam recentes adhuc, & teneros*, inquit, *catulos ex aliqua cauſa conſternatos rurſus ventre ſuſcipiunt, & complectuntur.* Iidem quippe jam in lucem editi, iterato matris alvum introeunt, ut periculis erepti, vitæ ſuperſtites primæ redditi iterum ſubinde in lucem enaſcantur. Quo plane admirando Delphini ſymbolo, cujus item imagine ſacra Urbis Cœmeteria illuſtrantur, ipſiuſmet erga homines Dei amor myſtice deſignari videtur. Etſi enim parentes ipſorummet aliquando filiorum pertæſi obliviſcantur, ipſe tamen haud unquam noſtri, quippe qui nos ultra menſuram impenſiſſime diligit, obliviſci valet, juxta divinum Iſaiæ oraculum: *Ego tamen non obliviſcar tui.* Quod item alibi Deus palam expreſſit: *Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini à meo utero, qui geſtamini à mea vulva.* At quod majoris erga nos dilectionis exhibitio eſt, ſe ad eoſdem ferendum, fovendumque jugiter Deus paratum oſtendit: *Uſque ad ſenectam*, inquit, *ego ipſe, & uſque ad canos ego portabo.* Apte igitur Chriſtianorum Cœmeteriis Delphinus, qui adeo erga ſuos propenſus, ac beneficus exiſtit, pia eorundem Chriſtianorum manu exſculptus conſpicitur.

Baſil. ho. 7. in exam. Delphini catulos in periculo ventre ſuſcipiunt. — *Iſa. c. 46. n. 3.*

7 Demum, qui hactenus Delphinum ex ſe progenitos comiter, ac blande foventem demirati ſumus, hunc quæſo ipſas inter marinorum fluctuum altius obſtrepentes procellas omni penitus metu immunem, geſtientem præ gaudio, exilientemque contemplemur. Hic enim ubi tempeſtas mari imminet, dum fluctus propius intentantur, cunctique ad ima piſces dehiſcunt, dum Nautæ pericula præſagiendo palleſcunt, ſolus ipſe dumtaxat inter procellas, inter pericula ſaltitans jocabundo corpore ludit. Quod quidem Jacobus Apoſtolus Chriſtianis ſub perſecutionum procella Cœmeteriales intra ſpeluncas coëuntibus illud apte ex Delphini ſymbolo ſuggerere viſus eſt: *Fratres omne gaudium exiſtimate, cum in tentationes varias incideritis: ſcientes quod probatio certæ fidei patientiam operatur.* Et illud item totis viribus perſonare: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Delphinus igitur coloribus adumbratus ſpem bonam Chriſtianis inter pericula deprehenſis, & divino auxilio ſubnixis conciliat. Quocirca merito ſepulchris affigitur, ut in perantiquo lapideo Valeriæ Latobiæ Sarcophago videre eſt, quem anno Redempti Orbis 1590. ut ſupra diximus, in Vaticana Baſilica nobili inſcripto titulo reperiri contigit:

Delphinus in tempeſtate imperterritus. — *Iac. Ap. c. 1. n. 2.* — *Id. c. 1. n. 12.*

Quod




BALERIA LATOBIA
OF. QUE VIX. ANN.
VS XLII. M. III. D.
XV. FVIT BEDVA
ANNVS XII. DEPOSI
TA III. IDVS SEPTE
RIS IN PACE.

Quod autem ad rem noſtram attinet, quatuor Delphini in præmemorato Sarcophago ſe mutuo reſpicientes ferro eleganter, ut vides, exculpti inibi conſpiciuntur. Quin etiam in ipſis quandoque ſepulchris Delphinorum imagines encauſto elaboratæ, & calcis glutino iiſdem impreſſæ perſcrutantium oculis objiciuntur, ut in iſtis Delphinulis intra Cœmeteria adinventis, quorum tibi iconem offerimus, videre eſt.



8 Nec vero rem ſuo deſtitui myſterio exiſtimandum eſt. Quid enim Delphinis, utpote marinis bellivis, quid, inquam, illis cum Cœmeteriis, ac Cœmeterialibus rebus commune, ni ſymbolice rem ad ſua derivantes principia officioſum ab iiſdem ſepulturæ obſequium cæteris ſui generis cadaveribus, vel ſolo naturæ ductu præſtari, Ariſtotele edocente, ac experientia rerum magiſtra didicerimus Probatæ is quippe inter ſcriptores fidei lib. 9. cap. 48. de hiſtoria animalium, quam texuit, Delphinorum aliquando gregem, tum majoribus, tum minoribus inſtructum humano conſpectui exhibitum fuiſſe, binoſque item alios poſt eum Delphinulum defunctum in ipſius pelagi ſummitate dorſo perhumaniter ferre, ne ab aliqua marina bellua, quibus pelagi ſinus immane redundant, inhumatum inhumaniter deglutiretur. Quod Plinius ſubinde, & poſt ipſum expreſſis item verbis Ælianus aſſeverant, Delphinos videlicet, ne fabuloſum quid enarratum hactenus habeatur, ſepulchrali miniſterio ſpecialiter deditos, ſuorum corpora ſubeundo ad aquæ ſummum dorſo blande allevare, tum ad continentem velut funere efferentes, hominibus quodammodo in miniſterii opus evocatis tumulanda tradere.

Ariſt. l. 9. de hiſt. anim. c. 48. Delphini in ſui generis mortuos obſequium. *Plin. l. 9. c. 8.* *Ael. l. 12. c. 6.*

9 Hoc igitur miræ humanitatis, ac ſupremum, ſi loqui fas eſt, pietatis officium, quod præ cæteris terreſtribus animalibus officioſiſſimum formicarum & apum genus, ut Apoſtolus ait, ſuis exhibent, Delphini quoque haud inter aquatiles inhumani, etſi terræ commercio diſſiti, ſuis præſtare didicerunt. Quis enim neſciat, quod Ariſtoteles de Apibus potiſſimum ennarrat: *Si qua videlicet intra alveum interierit, cæteras ſtatim foras cadaver educere.* Quod funebre officium Ælianus quoque in Apibus, agnoſcit, ut ſui videlicet generis extinctas ab alveis ingenioſe apto repoſituræ loco extrahant, recenſitis hactenus ſcriptoribus Virgilio quoque ſuis carminibus adſtipulante, dum ait:

Idem in Apibus videre eſt. *Ariſt. l. 52. de nat. anim. c. 2.*

—— Corpora luce carentum
Exportant tectis, & triſtia funera ducunt.

Virg. Georg. 14.

At Plinius in naturalibus oculatiſſimus ſedulo in re funeraria Apibus palmam tribuens conſulendus eſt: *dum eaſdem progerere defunctas, funerantiumque more comitari exequias*, diſertis verbis affirmat.

Plin. l. 11. c. 18.

10 Sed quorſum formicas, ad quas intertes, ſocordeſque homines Sapiens remittit: *Vade*, inquit, *ad Formicam ò piger*, ab apibus, quas eadem officia copulant, ſilentio ſecernimus? Plinius quippe etſi memoriæ, quod plerumque contigit, lapſu interceptus, cum de formicis loquitur, *eas ſepelire inter ſe viventium ſolas præter hominem* aſſeruit, cum tamen ſibi parum conſtans, idem plane in Apibus obſequium mirari non deſtiterit. Certe inſignis ille, & ſatis haud unquam inter Monachos Hieronymi ore laudatus Malchus nomine, ingentem aliquando formicarum in eremo gregem conſpicatus, dum ſuis ſingulæ muneribus diligenter incumbentes, quamdam inter alias, *luctu*, ut Hieronymi verbis utamur, *celebri corpora defuncta portare haud otioſe oculis, ac mente contemplatus vidit.* Nec ab re quidem noſtra Plutarchus olim, & Ælianus Cleanthem Philoſophum formicam funebri alterius formicæ obſequio addictam, cæteraſque in deferentis auxilium certatim accurrere non abſque ingenti, licet in re perexigua, animi ſtupore conſpicuatum fuiſſe pronunciat.

Formicarum ſuas mortuas ſepeliendi cura. *Plin. l. 11. c. 30.* *Hier in vit. mald.* *Plut. l. 6. de nat anim. c. 50.*

11 Tradunt inſuper, ne res ſcitu digna ſtudioſum lectorem prætereat, Formicarum ſtationem, ſeu domicilium, vel potius Formicariam aulam, in qua diverſantur, tripartitam obtinere manſionem, quarum una ſit ubi cœtus, & comitia peragunt, altera ubi grana, ac cætera edulia pro alimentorum apparatu, & cuſtodia recondunt, tertia vero, in qua mortuas, elataſque velut in Cœmeteriali quodam ſinu reponunt, eaſdem in granorum folliculis condentes ſicut homines in urnis, loculiſque ſuos amicos, vel parentes condere conſuevere. Vides quam apte, & concinne Cœmeterialia ſuis in cellulis Formicæ, ubi opus eſt, miniſteria expleant.

Formicarum domicilia bene ordinata. *Ælian. l. 6. c. 43. in fin.*

12 Sed Apibus, ac Formicis, de quibus ſermo, vel obiter, nobis incidit, ad ſua officia dimiſſis, nunc ad Delphinum, cujus opportune meminimus, orationis ſtylum revocemus. Hunc enim idcirco in ſuis Chriſtiani Cœmeteriis expreſſum voluere, quoniam ipſi de ſepulchro inſtruendo, exhibendoque tum ſibi, tum cæteris cura potiſſima inſit, quo mortales mortis prorſus oblivione interceptos, de morte, quæ jugiter imminet ac de ſepulcro, quod unicuique opus eſt, parando, vel ſui aſpectu præmoneat, cæteriſque ſupernæ charitatis, ac humanitatis officium, quod unuſquiſque ſibi poſt mortem non libenter dumtaxat, ſed ambitioſe exoptat, oculis atque animo ingerat, Quin immo cum maxima Delphino erga hominem ipſius naturæ magiſterio inſit propenſio: *hic enim ſolus*, ut Plutarchus ait, *hominem hoc ſolo nomine diligit, quod ſit homo*; ubi tamen cæterorum animalium, vel nullum, vel quæ manſuetiora ſunt, ſuos tantummodo nutricatores, ac

Cur Delphini tumulis inſculperentur. *Æl. l. utrum anim.*

Delphinorum in hominem obsequium. ac familiares diligant. Certe, quod ad perhumanum hujus marinæ belluæ erga hominis obsequium, aptatosque ad pietatem mores spectat, multiplicia à probatissimis passim scriptoribus exempla proferuntur, quibus Delphini è profundo maris gurgite hominum cadaveribus ad littus, ne à piscibus absorberentur, delatis, sepulturæ iisdem beneficium expetere, ac conferre quodammodo visi sunt, quod nos supra lib. 1. cap. 10. num. 18. & 19. hujus nostri operis prolixiori sermone digessimus, ad quæ studiosum, cupidumque lectorem amandamus. *Rom. Subt. l. 1. c. 10. n. 18. 19.*

S. Luciani mart. corpus Delphini ad littus portant. 12 Ut autem sacra hic dumtaxat delibantes, à profanis consulto abstineamus, illud in rem præsentem meminerimus, martyris videlicet Luciani Antiocheni corpus, Delphinorum obsequiis exceptum, iisdemque adnitentibus è mari levatum, hominum deinde manu sepulturæ illatum fuisse. Christianis quippe sacras martyris exuvias, ne condigno frauderentur honore, ad tumulandum optantibus, Delphini cujusdam opera, atque obsequio, ad maris littus eædem delatæ fuere, ut ex ejusdem Martyris probatæ fidei actibus apud Surium recensitis videre est: *Ille, autem*, id est, Dei servus, *cum primum eum somnus dimisisset, & jam dies illucesceret, surgens, & quosdam secum alios ex piis assumens, cum eis venit in locum, qui fuerat ei significatus. In eo autem ingens Delphinus ascendebat, è mari, jam ex eo emergens, qui cum esset extensus super aquæ superficiem, valde spirabat, & ad terram contendebat, eratque juxta ipsum multa spuma, & murmur fluctuum, qui ab ipso scindebantur: ferebat autem extensum mortuum, tanquam in lecto jacentem, eratque spectaculum admirabile, super corpus adeo lubricum, & rotundum quiete manens mortuus, & nec à suo pondere, neque à vi fluctuum devolutus ab eo, quod ipsum portabat, vehiculo. Cum autem Delphinus fuisset prope continentem, fluctu sublimi fuit sublatus, & terræ id appulit. Atque ille quidem statim expiravit: mortuus autem statim in arenam delatus jacebat salvus & omni ex parte integer, &c.* Vides hinc obsequentem adeo venerando martyris cadaveri, Numine prorsus impellente, Delphinum, ut mortem, sacro onere exoneratas, tantoque dignatus honore sponte subeat, ut condigna mortuo sepultura donetur. Neque id semel dumtaxat è sacris historiarum paginis, ac martyrum actis compertum redditur. Beatis quippe Arriano, ac sociis martyribus saccis cum arena inclusis, ac in mare sub immani Diocletianæ persecutionis procella projectis, pari Delphinorum obsequio sacra eorundem pignora ad Alexandrinæ civitatis littora deferri, ibidemque honorifice tumulari contigit: ac si piorum hominum funeri, ac tumulo Delphini quoque pietatem edocti, operam ac studium impendere gestiant. *Ex act. S. Luc. mart. apud Sur. die 8. maj.*

SS. Arriani & sociorum corpora Delphini in terram deferunt. *Sur. to. 2. die 13. maj.*

Delphini effigies cur sepulchris Christianorum apponeretur? 13 Congrue igitur Christianorum Cœmeteria sculptis, aptatisque Delphinorum imaginibus veluti præcipuis rerum Cœmeterialium cultoribus, assertoribusque exornantur: mystice quippe, ne casu id præstitum quis credat, Delphinus defunctorum tumulis adscribitur: hic enim unus præ cæteris piscibus cum inter mundos recenseatur, haud in maris imo degens, luto, & arenæ aliorum instar hæret, atque demergitur, sed limosa loco pertæsus, ac superna ambiens, ad aquæ superficiem saltu provehitur, purioribusque aquis perfundi gaudet: illud fortasse, vel muta sui imagine, prægrandi tamen, ac resonante rerum symbolo intuentibus innuens, Christianos videlicet defunctos, sarcophagisque Cœmeterialibus inclusos, haud temporalium rerum visco, ac curis obvolutos, dum vitam hic mortalitati obnoxiam agerent, vanis consumptos spebus hæsisse, sed mente terrena omnia prætergressos, ad cælestium rerum spem toto jugiter animi conatu contendisse. De his enim merito Apostolus ait: *Quibus dignus non erat mundus.* Et: *Qui seculo, & mundo*, ut Beda ait, *majores esse cœperant, nulla seculi cupita re retardabantur.* *Ep. ad Heb. Beda ser. 18. de SS.*

14 Hactenus igitur diligenter, ut vides, amice lector, expendimus, quid potissimum animalium terrestrium, volatilium, & aquatilium imagines in Cœmeterialibus locis, ac Subterraneæ Romæ monumentis effictæ intuentibus designent: restat nunc, ut de reliquis promiscuis imaginibus prolixiori sermone edisseramus, quas haud temere pia olim, ac studiosa Christianorum manus, ut nobis credere par est, ibidem effinxit: & primo quidem antequam in lucem è profundo maris gurgite emergamus, de Anchora, cujus potissimum vi firmæ jugiter & inconcussæ in mediis fluctibus naves persistunt, hic nobis sermo instituendus est.

CAP. XL.

De Anchora.

1 Unicum Nautis, qui mare excurrunt, inter sævientes undarum procellas emergendi Anchora subsidium est: si quando enim iis è proximo naufragandi periculum imminet, cunctorumque salus verti in discrimen cœpit, qui profundo è pelago nullatenus effugere queunt, ad Anchoram protinus desperatis jam rebus confugiunt. Inde vero opportunus vulgato apud omnes proverbio locus obvenit, in supremo videlicet rerum discrimine, *Anchoram sacram solvere.* Anchora quippe, ut ex Pierio 15. hieroglyphicorum libro didicimus, *Salutis, ac præsidii typus constituitur.* Hinc vero aureum illud è Solonis vita Plutarchi monitum apte repetendum videtur, cum publica de re, ac de bene instructa fido sub regimine civium multitudine loquens, *Senatu velut Anchora*, inquit, *civitatem firmari.* Et eidem alibi insistens metephoræ ait: *Romanum Imperium, quasi Anchoram fuisse fluctuanti mundo.* Apud Euripidem quoque Hecuba Polydorum gentis, familiæque suæ *Anchoram* symbolico item sermone appellat, ὄκων ἄγκυραν ἐμῶν, hoc est, *domus, ac generis Anchoram nostri.* Anchora igitur periclitantibus præsidii symbolum præstat. Hanc porro dum Nautæ jaciunt, Delphinus, ut suam quoque operi manum, periclitantibusque operam vel officiose inter pericula impendat, imminentes jam procellas præsagiens, ubi à nautis toto Anchoram conatu immitti animadvertit, & si navim ventis exagitatam offendit, eamdem Anchoram, ut tutius figatur, humano quodam velut instinctu dirigit. Quo quidem egregie symbolo, ut Alciato libet, princeps, qui populorum regimini præest, edoctus, eo laborem, conatumque omnem dirigere debet, ne res videlicet publica privato licet impendio periclitetur, aliorumque tum curæ tum saluti sui ipsius curam, salutemque postponere, quod illis eleganter in rem præsentem carminibus Anchoræ insculpto, cui inest Delphinus, emblemate idem expressit:

Anchoræ utilitas. *Pier. l. 18. Hier.* Anchora hieroglyphicum salutis, ac præsidii. *Plut. in Solon. vita.* *Eurip. in Hec.* Delphinus nautis in periculo auxiliatur. *Plin. l. 18.*

Titanii quoties conturbant æquora fratres,
Tum miseros nautas Anchora jacta juvat. *Alciat. in emb. 43.*

Hanc


Hanc pius erga homines Delphin complectitur, imis
Tutius, ut possit figier illa vadis.
Quam decet hæc memores gestare insignia Reges,
Anchora quod Nautis, se populo esse suo.

Anchora, & ejus mysteria. Sed ut à profanis nunc ad sacra stylum contrahamus, congrue quidem primævi Christianorum, qui tunc maxime cum acriores contra Ecclesiam persecutionum procellæ ingruerent, contrariusque ventus Christi naviculam impeteret, laborantes erant in remigando, congrue, inquam, Cœmeterialibus Cubiculis Anchoram sibi contemplandam oculis, tenendamque animo proponebant, quo symbolicè certam, solidamque ad emergendum è periculis spem Deo protegente haurirent, ac se divino nequaquam destituendos præsidio crederent. Anchoræ enim ipsius dumtaxat aspectus, obfirmatam jam tum Christianis spem portendit, qua ad cælestis patriæ stationum se perventuros, tentationum periculis jam sedatis, superatisque procellis, confiderent, ut optime alibi doctissimus Beda remigantium discipulorum labores contemplatus his plane verbis edixit: *Labor discipulorum in remigando, & contrarius eis ventus, labores sanctæ Ecclesiæ varios designat, quæ inter undas seculi adversantis, & immundorum flatus spirituum ad quietem patriæ cælestis, quasi ad fidam litoris stationem pervenire conatur.* Et certe Anchoræ subsidio iis maxime opus fuit, quibus vehementiores sub illa tempora insectantium impetus extitere: *Nonnunquam enim Ecclesia*, ut Beda subinfert, *tantum Gentilium pressuris non solum afflicta, sed & fœdata est, ut si fieri posset, Redemptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus videretur.*

Beda l. 2. c. 28. in c. 6. Marci to. 5.

Bed. ubi sup.

Anchora in sepulchris cur appingeretur. 2 Sapienter igitur pia antiquorum Christianorum ingenia, quæ occultiora inter perscrutandum rerum mysteria aptis concinne symbolis attingebant, cæteras inter Cœmeteriales quibus Subterranea Roma præfulget, imagines anchoram pingere plerumque, ut hic vides, consueverunt.



Anchora spei symbolum. Verum id haud præcipuis mysteriorum ponderibus vacuum, quis, dum sacras paginas probe calleat, arbitratur: ut enim rem altius repetamus, quis non meminerit, anchoram Christianæ spei symbolum esse, ipsomet Apostolo attestante, qui ad Hebræos cap. 6. *Fortissimum*, inquit, *solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam & firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introijt Iesus.* Quæ sane verba disertissimis de more sententiis Ambrosius expendens hæc ait: *Sicut enim anchora jacta è navi non permittit eam circumferri, licet venti commoveant eam, sed jacta firmam facit navem; sic & fides spe roborata, introducit nos in rerum speciem, quam modo in fide & spe tenemus. Ideo addidit dicens: Et penetrantem usque ad interiora velaminis. Tempestas enim & multus imber commovet ratem, anchora autem non permittit eam demergi. Sic enim nostra spes, quam habemus fixam in interiora velaminis, nulla infidelitate mergi poterit, si cum propheta veraciter dicamus: Iacta in Domino curam tuam, & ipse te enutriet.* Et idem paulo infra: *Spes vero penetrat in interiora velaminis, dum cælestia absque ulla dubitatione credit, & amat, operibusque ostendit, utpote qui credit, quod sperat, &c.*

ad Heb. 6.

D. Ambr. in verb. Apost. ad Heb. 6.

Velamen Templi quid significet.

Anchora hieroglyphicum bonæ spei. *Ruf. Aquil.* 3 Mirifice insuper ad rei propositum faciunt, quæ Rufinus Aquileiensis, dum illa Psalm. 15. verba explicat, *Sanctis qui in terra sunt ejus*, anchoræ interserendo metaphoram in medium profert: *Sanctis*, inquit, *qui in terra viventium spem suam posuerunt, civibus patriæ cælestis, quorum conversatio spiritualis per anchoram spei in illa patria figitur, quæ recte Dei terra nominatur, quamvis in his terris carne versetur.* Et infra psal. 151. isthæc apte in rem præsentem subjicit: *Nauta cum timet tempestatem, figit anchoram suam. Si nos anchoram spei fixam in Deo habuerimus, nullam hujus mundi tempestatem formidabimus.* Quibus procul dubio addenda sunt, quæ S. Joannes Chrysostomus eruditè in psalm. 10. proloquitur, ubi totam animæ spem in Deum ejusque auxilia constanter refundendam afferens, anchoræ similitudinem pereleganter subtexit. Sed ejusdem hic, si libet, verba proferamus: *Quemadmodum*, inquit, *execrandus est, qui sperat in homine, ita & beatus, qui sperat in Deo. Ab omnibus ergo te sejungens, hanc tene anchoram.* Enarratis autem hactenus aptissime consonant, quæ idem sanctissimus doctor Homilia 20. ad populum his verbis subinfert: *Scimus enim, ad quem ab initio confugimus, & quasi spei adhæsimus sacræ salutem nostram anchoræ affiximus, nec homini credimus hanc, sed Deo.* Idem plane in Psam. 115. egregie prosequitur, dum eandem anchoram, tutissimum sanæ illibatæque fidei symbolum esse pronuntiat: *Ejusmodi enim*, inquit, *res est fides: est quædam anchora, quæ undique sustentat mentem, quæ ei adhæret, &c.*

S. Chrys. in Psal. 10.

Chrys. ho. 20. ad pop.

Id in ps. 115. Anchora fidei simulacrum.

Chrys. ho. 4. in Lazar. Sacra anchora conscientiæ typum habet. 4 Verum præterea, quæ hactenus enarravimus, idem Chrysostomus Concione quarta in Euangelicam Lazari historiam, candidi ac imperterriti animi nulla prorsus culparum labe obnoxii anchoram typum aptissimum constituit: *Conscientiæ*, inquit, *increpatio sacra est anchora, quæ nos nequaquam sinit absorberi.* hæc Chrysostomus. Sed quorsum hic, inquies, silentio obvolvuntur, quæ S. Paulinus Natal. 2. de beato Martyre Felice, mystice quidem de anchora, sed eleganter his carminibus cecinit:

Paul. Nat. 2. de S. Fel. mart.

Post pelagi fluctus, mundi quoque fluctibus actis,
In statione tua placido consistere portu
Hoc bene subductam religari littore classem
In te compositæ mihi fixa sit anchora vitæ.

Paupertas, & tribulatio instar anchoræ justis sunt. 5 Porro quamplures quidem sunt, quæ de enarrato in studiosi lectoris gratiam anchoræ symbolo in medium à nobis afferri nunc possent, selectæ, inquam, probatissimorum Patrum sententiæ, sed his omnibus consulto prætermissis, illud postremo loco cupidi, ac studiosi lectoris animo contemplandum ingerimus, quod disertissimus vir Hugo Cardinalis miris ac præcipuis sententiarum dogmatibus exprimit atque exornat; sic autem ad instituti nostri propositum ait: *Nota, quod anchora figitur in salo, & in arena, & non videtur multum firma:* Sic

Hugo Card. in Hebr. 6. *Sic spes sanctorum in paupertate & tribulatione stabilitur; & ideo à perversis infirma videtur. Sed sicut dicitur* Sap. 3. (Sap. c. 3.) *Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena &c. In arenis jacitur anchora spei, quia ibi sciunt sancti jacere thesaurum salutis, & stabilitatem ibi inveniunt regni cælestis. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. In arenis ergo spem ponit, qui de tribulationibus, quas pro Christo hic sustinet, copiosam se habiturum remunerationem confidit, &c.*

6 Vides igitur, amice lector, quorsum anchoræ signum primævi illi, ac intenso spiritus fervore succensi Christianæ fidei cultores, dum assiduis persecutionum fluctibus, ipso insufflante dæmone, quaterentur, opportunum videlicet firmæ & inconcussæ fidei, nec non spei symbolum in Cœmeterialibus frequenter tabulis adumbrarent, sibique eamdem ob oculos contemplandam ponerent, ut divinæ opis, quam sibi adfuturam sperabant, præsidio suffulti, jacta inter ipsos insurgentium procellarum impetus cælestis fidei anchora tuti jugiter, ac immobiles subsisterent, & illa Bernardi verba unusquisque jugiter inter adversa læto animo caneret: (Bern. in Ps. 91.) *Fremit mundus, premit corpus, insidiatur diabolus, non cado, fundatus enim sum supra firmam petram.* Sed de his hactenus.

CAP. XLI.

De Arboribus.

1 Coecus ille Euangelicus perfecto nondum oculorum lumine Christo largiente perfusus: *Qui profecto non aurum*, ut Gregorius ait, *sed lumen petiit*, (Greg. ho. in Euang.) arboribus utique homines comparans: *Video*, inquit, *homines velut arbores ambulantes &c.* Homines igitur quampiam cum arboribus innatam similitudinem obtinere, vel cæcus agnovit, quos primo oculorum aspectu arborum instar deambulantes sibi videre visus est. (Homines arboribus comparati) Quinimmo humanæ propaginis, ipsiusque Nabuchodonosoris Regis gloria præcelsæ quondam arbori Deo inter somnia arcana revelante, ipsiusque Danielis ore assimilata est: (Dan. c. 4. v. 8.) *Videbam*, inquit, *& ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia. Magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens Cælum, aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea: subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres Cæli, & ex ea vescebatur omnis caro.* Hæc de florido Nabuchodonosoris regno, (Regnum Nabuchodonosoris arbori assimilatur.) sed de ejusdem præostenso excidio hæc infra apud Danielem: *Et ecce vigil, & sanctus de Cælo descendit. Clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus. Fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus.* Ex quo ad altissima quæque arcanorum mysteria mortalibus propinanda arboribus vim inesse, & ipusmet justi viri typum exhibere sacris in paginis didicimus: (Psal. 1.) *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Quapropter dum arbores conspicimus, haud venustatem pictis dumtaxat tabulis, sed mysteriorum quoque pondus humanis mentibus earum prospectu conciliari intelligamus.

2 Cum præcipuæ igitur Cœmeterialium Cubiculorum tabulæ, (Arbor, & ejus mysteria.) quæ variis passim picturis illustrantur, virentium quoque arborum foliis mirifice decorentur, nemini profecto addubitandum est, arbores, quæ his quandoque tabulis exprimuntur, haud casu, & temere à Christianis, sed eo potissimum consilio appositas fuisse, ut ornatum, ac decoris gratiam, mysteriorumque insuper salubritatem ipsismet, quæ exhibentur, imaginibus superadderent. Verum & illud à nobis constanter hic asserendum videtur, nonnullas ex iisdem arboribus ad quid certum designandum, atque exprimendum ibidem studiosa pictorum manu effictas fuisse, cum haud pauca, nec parvi quidem momenti, his potissimum figuris arcanorum mysteria prænotentur.

3 Ut breviter autem ex potioribus aliqua in studiosi gratiam lectoris attingamus, ipse in primis Origenes consulendus est, qui in cap. 6. ad Romanos lib. 5. (Orig. l. 5. in c. 6. ad Rom.) dum illa Apostoli verba exponit: *Si enim complantati sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus*, arbores ipsius Christi Domini symbolum esse pronuntiat, (Christus Dominus arbor est.) hæc dicens: *Christus ergo Dei virtus, & Dei sapientia ipse est arbor vitæ, cui complantari debemus, & novo quodam, atque admirabili Dei dono mors illius arbor vitæ efficitur.* (Orig. l. 6. in ep. ad Rom.) Et ibidem lib. 6. iisdem arboribus ipsammet hominis voluntatem egregie comparat, quæ bona & mala pariter pro varietate temporum interdum esse consuevit.

4 At Cyrillus Hierosolymitanus arbores futuræ resurrectionis symbolum præferre his plane verbis affirmat: (Arbor symbolum est resurrectionis. S. Cyril. Hier. Catech. 18.) *Tunc vero arbor excisa rursus floret: homo autem excisus non florebit? & surculi vitium, aliarumque arborum omnino excisi, & transplantati revivíscunt, & fructificant: homo vero, propter quem & illa sunt, cadens in terram non excitabitur?* Cyrillo autem Hieronymus apprime consentit, (Et hominis. D. Hier. ho. 3. in Cant.) qui expositione, quam habet in Cant. ejuscemodi rem magis perspicue hunc in modum explicat: *Omnes igitur homines arbores dicuntur, sive bonæ, sive malæ; & fructuosæ, sive infructuosæ; sicut & Dominus in Euangelio dicit: Aut facite arborem bonam, & fructum bonum; aut facite arborem malam & fructum malum. Et: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, &c.* Et ibidem homilia 4. (Hier. ho. 4 l. cit.) *Sicut ergo*, inquit, *generaliter in Ecclesia singuli quique credentium diversæ arbores intelliguntur: ita & in unaquaque anima diversæ virtutes efficacia ejus, diversæ arbores intelliguntur.* Idem insuper epist. 6. (Id. ep. 6.) amicum quendam ægrotantem, ut eum ad patienter, constanterque subeundas, quo premebatur, morbi molestias adhortetur, robustæ ac solidæ arboris exemplum inducit, quæ haud ullo unquam ventorum impetu quatitur, sed immobilis jugiter radicibus humo alte defixis perseverat: (Arbor simulacrum hominis justi, & constantis.) *Non enim est*, inquit, *arbor solida, nec robusta, nisi quæ assidui turbinis incursione, stipitibus concussis huc atque illuc inclinata tentatur; aut in quam sæpe ventorum ac turbinum flamen incurrat. Ipsis enim vexationibus constringitur, premitur, fixisque radicibus certius roboratur. Ita nos mordacibus flagellis malorum frequentium munimur extensi, corrigimur verberati, constringimur cæsi, caremusque squalore, dum longis casibus ventilamur.* At diserte insuper Hieronymus in illa Isaiæ verba cap. 60. *Gloria Libani data est ei*, ipsosmet viros sanctitatis laude conspicuos arboribus comparat, utpote qui jugi bonorum operum ac vitæ exemplo florentem Ecclesiæ sinum cumulant atque exornant, (Arbores Sanctis assimilantur. Id. Hier. c. 60. in Isai.) hæc autem inquit: *Qua ratione compellimur omnia spiritualiter*

liter accipere; quod abies, cyparissus, pinus, & cedrus excelsæ quondam Libani arbores glorificaverint Templum Dei, & locum pedum illius inclytum fecerint; ac, ne longo sermone sensum traham, vir sanctus & eloquentissimus martyr Cyprianus, & nostri temporis confessor Hilarius, non tibi videntur excelsæ quondam in seculo arbores ædificasse Ecclesiam Dei? &c. Hæc acute in rem præsentem Hieronymus.

Christus Dominus Agricola appellatur.

5 Quod plane symbolum Fulgentius usurpat in sermone de SS. Christi Confess. ubi sub ipsomet descriptarum arborum typo homines designari constanter affirmat, quorum culturam peculiari Christus ministerio exercet, sed ejus quæso verba promptis hic auribus excipiamus: *Arbores sumus, inquit, fratres, in agro Domini constitutæ, Dominus autem noster agricola est:* Et hæc infra subjicit: *Etsi non possumus omnes arbores æquales fructus afferre, nulla tamen debet in agro Domini sterilis permanere.* Anastasius vero Synaita Anagog. contemplat. in exam. lib. 9. in Bibl. Patr. To. 1. enarratum hactenus thema prolixori sermone his plane verbis prosequitur: *Nec hoc solum*, nempe Christum, *aperte operantem arbores ratione præditas, & eas quidem, quæ sunt immundæ, mundantem, quibus etiam dicebat: Volo, mundare. Siccas autem humectantem, ex quibus erat & illa arbor, quæ aridam suam habebat manum, tanquam ramum, ad quam exclamavit bonus hortulanus: Extende manum tuam ad Dei operationem. Sic etiam tanquam vita & morte affectos viros vivificavit, ex quibus erat mortua & arida arbor Lazarus lacrymæ aqua irrigata, & quæ statim germinavit ex terra. Supernaturaliter autem scit quoque hic agricola Iesus inoculare, ut qui instar hortulani, luto & aqua inoculans eum, qui erat cæcus ab ortu, ut qui esset lux de lumine, cæci oculis visum reddiderit. Quod si etiam ipsum velis irrigatorem videre, audi cum dicentem: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Sic enim sedens ad puteum pulchra illa vitis, nempe Samaritana, irrigata, eam fertilem reddidit. Unde etiam tanquam fructum amans agricola & Deus reprehendit eum, qui triennio ficum illam irrigavit, de cætero jubens eam excidere. Quo modo etiam per se increpasset ficum, quæ folia faceret, non autem fructum, ipsam exsiccavit.* Vides quam præclara hic tibi, lector, contemplanda mysteria proponantur: & quidem verba novissimo loco à præmemorato scriptore recensita pavendis illis Christi Domini minarum jaculis optime consonant: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Malarum autem arborum nomine, mali utique prophetæ, ac fraudulentis tam moribus, quam dogmatibus viri designantur, de quibus Judas Apostolus in epistola isthæc inculcat: *Arbores sunt autumnales, infructuosæ, bis mortuæ & eradicatæ. Quæ, si quem fructum faciunt, non humano usui aptus est*, ut Bernardus ait, *sed porcino.* Istæ autem arbores succidendæ protinus sunt.

S. Fulg. ser. de confess. — *S. Anast. Syna. Anag. contem. in exam. l. 9. in Bibl. Pat. to. 1.* — *Matt. c. 7.* — *Iud. Ap. ep. Bern. ser. de S. Bened.*

6 Congrue igitur, ut videre est, Cœmeaerialibus arbores imaginibus Christiani inseruere, ut picturarum pariter decori, oculorum ipsorum oblectationi, ac demum spirituali intuentium commodo isthæc salutis mysteria coloribus adumbrando prospicerent. Sed ad cætera curiosius perverstiganda properemus.

CAP. XLII.

De Cupresso

1 Cupressus arbor præ cæteris funesta, quæ utpote funeribus dicata, pro mortis signo adhibita est, domibus quidem, mortuorumque olim sepulchris affigi consuevit, & apte antiquis etiam Christianorum Cœmeteriis, ac Subterraneæ Romæ tabulis inseritur. Ut pauca enim de funebri, cujus hic mentio incurrit, arbore præmittamus, cum Diti potissimum sacra inter arbores recenseretur, id pro funebri signo, ut Plinius ait, domibus affigebatur: sicut enim apium plebeiorum hominum, pari hæc ratione procerum, magnatumque sepulchris imponi consueverat, quod concinne, eleganterque in suis Alciatus emblematibus hunc in modum expressit.

Cupressus arbor funesta. — *Diti sacra.* — *Plin. l. 16. c. 33* — *Apium pauperum sepulchris.* — *Alciat. emblem. 198.*

Funesta est arbor procerum monumenta cupressus;
Quale Apium plebis promere fronde solet.

Porro eam præcipue ob causam, tum apium, tum cupressus funeribus adjungebatur, quod iisdem putredinem averti crederetur, *quorum utrumque simile propemodum folio, colore, odore, facultate, naturaque sit*, etsi nonnulli cupressinos defunctorum ante ædes ramos idcirco appositos olim fuisse asserant, ne quis videlicet per imprudentiam illuc ingressus, mortuorum commercio pollueretur. Sed quoniam symbolis apud antiquos, qui sapientia præstabant, res agebatur, idcirco funeribus, quæ lacrymis redundabant, cupressus inserebatur, quod semel videlicet recisa nullatenus unquam renascatur, vel certe ut corpus humanum, quod anima destitutum putredini subest, & ad corruptionem proxime tendit, diu, vel sine anima, incorruptum permaneret. Aliam præterea rationem attigisse Varro visus est, qui id eam ob causam in more apud antiquos fuisse credidit, ne gravis cadaverum odor, qui dum hæc interim injecta rogis adurebantur, efflabatur, nares offenderet.

Ratio ejus. Alci. ubi sup. — *Varro de Cap.*

2 Verum enimvero, quod funebris merito planta hæc, quæ, qua mortis olim symbolum portendebatur, computanda sit, satis apud Poëtas passim decantatum est. Horatius enim ode 5. epod. & Virgilius itidem funestas ejuscemodi arbores appellat:

Cupressus mortis symbolum. — *Hor. od. 5. Epo. Virg. 6. Æneid.*

——— cum frontibus artis
Intexunt latera: & ferales ante cupressos.

Quo plane titulo ipsemet easdem Æneidos 3. prosequitur:

——— stant manibus aræ
Cæruleis mistæ vittis, atraque cupresso.
Et non plebeios luctus testata cupressus.

Quibus Ovidius quoque 3. Tristium eleg. 13. apte consonat:

Ovid. 3. Trist. eleg. 13.

Funeris ara mihi, ferali cincta cupresso.

Claudianus item 2. de raptu Proserp. in eamdem fere sententiam de cupresso cecinit:

Claud. 2. de rap. Proserp.

Quercus amica Iovi, tumulos tectura cupressus.

3 Præter Cupressum autem, cujus mentio est, Pinus quoque, & Myrtus pro mortis symbolo ab antiquis usurpari consuevere. Et Pinus quidem, quia semel excisa nunquam reviviscit, ac repullulascit. Myrtus vero funesta iridem arbor computatur, ejus quippe foliis Thebani ad Iolai herois maximi tumulum, ut Græcos apud Scholiastes fertur, utebantur. Verum inter funebres sibi jure palmam Cupressus vindicat: *Videmus enim*, Alciatus inquit, *in magnatum, & nobilium sepul-*

Pinus, & Myrtus mortis significationem obtinent. — *Alc. in embl.*

ſepulchralibus, ac pollincturis ſpargi Cupreſſi frondes, ſed iſte ritus apud omnes non æque celebratur. Unum interim in ſtudioſi gratiam lectoris præmittendum videtur, quam potiſſimum ob cauſam funerarias inter arbores Cupreſſus adſcribatur? An ob pariles videlicet ramos, unde Græcum illi nomen, metarum quippe formam intuentibus exhibent, unde Nonius illud ex Ennio:

Nonius ex Ennio.

Capitibus nutantes Pinos, rectoſque Cupreſſos.

Ac ſi hieroglyphica foliorum parilitate illud innui videatur, quod eleganter Horatius expreſſit:

Horat.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regumque turres.

Hæc enim dominos ſervis, & ſceptra ligonibus æquat, quin & in omnes arithmetica proportione ſe habet, ut acute in rem præſentem Alciatus ediſſerit, utpote quæ nullum fert,

Diſſimile ſimili conditione ligans.

Quod ſatis etiam argute in mortuorum dialogis Lucianus adnotat. Inde ſymbolicum illud, quod ad mores attinet, Alciati carmen ex Cupreſſi tum forma, tum nomine concinnatum eſt:

Indicat effigies metæ, nomenque Cupreſſi,
Tractandos parili conditione ſuos.

Quibus hic obiter enarratis, apte illud in rem præſentem Martialis carmine repetendum ſuggeritur:

Martial. ep. l. 6.

Sed mihi perpetua nunquam moritura Cupreſſus.

Quod Lucanus item lib. 3. de bello civili expreſſit:

Luc. l. 3. de bel. civ.

Et non plebeios luctus teſtata Cupreſſus,
Tunc primum poſuere comas.

Quibus Alciati in Magni viri Epicedium conſcripta carmina quadrant: optimo enim ejuſdem regimini Palma ſimul, & Cupreſſus coronam perpetuò manſuram intexunt:

Quam tibi cura ſalus populi fuit, optime Princeps,
Hoc tua ſtrenuitas, claraque geſta canunt.
Nempe tibi conſtanti animo, dum vita maneret,
Propoſitum fuerat vivere, ſive mori.
Perpetuas ergo inferias tibi, Magne, ſacramus,
Signaque conſpicue Palma Cupreſſus erunt.

Alc. embl. 198.

Verum ut à profanis ad ſacra tranſeamus, Chriſtianorum Cœmeteriis, in quibus invicti tot Chriſti pugiles quieſcunt, palma quoque, & Cupreſſus ſimul junctæ mirifice conveniunt, piaque eorundem Chriſtianorum manu inſculptæ cernuntur.

Cupreſſus, & ejus myſteria.

3 Præcipuas igitur inter arbores, quibus ſacræ plerunque Cœmeteriales tabulæ exornatur, Cupreſſus velut quid loco conſonans, & funeri dicatum deſcribitur. Feralis enim planta iſta, quæ lacrymis jugiter irrigata, juxta rogos potiſſimum, & cineres pullulat, apta ibidem conſeri viſa eſt, ubi olim funera paſſim pia Chriſtianorum manu cadaveribus inſtruebatur. Ut quid enim in iis potiſſimum locis, in quibus tumulata defunctorum cadavera in Chriſto obdormiunt, & ubi crebra inter funera acerbior ipſius mortis memoria recrudeſcit, Cupreſſi jugiter non inſpiciatur, non inſculpatur imago? ut in ſepulchrali quodam hujus noſtræ Subterraneæ Romæ lapide videre eſt, in quo præcelſa duas inter domos Cupreſſus affabre coloribus efficta conſpicitur. Quæ quidem funeſtiſſima arbor, etſi gentilitiam ſuperſtitionem redolet, quippe quæ frequens olim gentilibus extitit, ac juxta eorumdem domos, & ipſoſmet defunctorum rogos, ut ethnici plerique ſcriptores aſſerunt, poni, ac humo defigi conſueverat; Plinio præſertim, ut diximus, id atteſtante lib. 16. cap. 33. eum tamen ſatis abunde ſuo loco à nobis probatum ſit; haud ulla videlicet ratione in ſacris Chriſtianorum Cœmeteriis humatos gentiles aliquando fuiſſe: illud nobis hic interim affirmare opus erit, aut lapidem illum è profanis gentilium tumulis ſublatum, in Chriſtianorum deinde Cœmeteria invectum irrepſiſſe, quod & aliis ſepulchralibus titulis contigit, ut jam ſupra lectori palam oſtendimus: vel certe arbores ac domos coloribus ibidem adumbratas myſticas abditarum ſignificationes rerum præſeferre, fateri ultro cogimur. Porro, ut tuum lector hac de re judicium ſit, lapidem ipſiuſmet Cupreſſi imagine prænotatum & à Boſio inter perſcrutandum Cœmeteria, quæ in Viis potiſſimum Appia atque Ardeatina ſita ſunt, adinventum, icone ex ipſis Cœmeterialibus tabulis diligenter excerpta, hic tibi ob oculos contemplandum proponimus.

Plin. l. 16. hiſt. c. 33.

Lapides ſepulchrales gentilium uſui ſunt ſepulchris Chriſtianorum.



4 Verum enimvero, ut in re quæ difficultatibus intercipitur, Originis ſententiæ inhæreamus, præcipua ille ſub adumbratæ arboris iſtius ſymbolo myſteria contemplatur: homilia enim tertia, quam in Canticorum explanationem edidit, illa acute verba explanans: *Trabes noſtræ cupreſſi*, hac ipſe ratione vel potius juxta vulgatæ textum legendum putat: *Laquearia noſtra cypreſſina*, hæc de domibus & cupreſſis: *Sunt autem Eccleſiæ, vel Eccleſiæ domus ſponſi & ſponſæ, ſive animæ verbi domus in quibus ligna ſunt cedrina.* Et iſthæc paulo infra ſubtexit: *Et puto*, inquit, *quod convenienter hi, qui Epiſcopatum bene miniſtrant in Eccleſia, trabes dici poſſint, quibus ſuſtentatur & tegitur ædificium vel ab imbrium labe, vel ardoribus ſolis. Secundo autem horum loco tigna Presbyteros opinor appellari; & trabes quidem dici cypreſſos, quibus & fortitudo robuſtior, & odor ſuavitatis ineſt, per quod in operibus ſolidum, & in doctrina gratia fragrantem deſignat Epiſcopum.* Hæc ad rem noſtram Origenes. At eleganter de more Ambroſius in Pſal. 118. iſthæc in rem præſentem de Cupreſſo eloquitur: *Genus hoc arboris numquam amittit viriditatem ſuam; hyeme juxta, vere atque æſtate comam paſcit, nec diverſo colore mutatur: ſolam hanc arborem ventus ſuo nunquam honore deſpoliat: ſola nunquam veteri exuitur amictu, aut novo flore veſtitur. Sic Apoſtolica quoque gratia neſcit defectum, ſed venuſtate ſua floret. Anima igitur corrumpi neſcit, quæ florentibus meritis vigens ſemper juſtitiæ, cæterarumque virtutum culmina patienti magnanimitate ſuſtentat, & ideo non defluit, neque decidit, quia nihil in eo rimoſum eſt, ac remiſſum, nihil mobile, nihil lubricum, nihil quod vitio ſermonis ex ea poſſit effundi.* Gregorius item in eadem Canticorum verba, nimirum: *Laquearia noſtra Cypreſſina*, perennitatis quoddam in Cupreſſo ſymbolum attentius admirari non deſinit: *Cedrus autem & cupreſſus*, inquit, *imputribilia ligna eſſe perhibentur: quibus bene omnes electi figurantur, quia*

Epiſcopi, & ſacerdotes Domus Dei trabes appellati.

Orig. ho. 3. in Cant.

Cupreſſus hominis juſti ſignificationem habet.

D. Ambr. in Pſ. 111.

D. Greg. in ver. Cant.

dum

dum temporalia nullo desiderio sectantur, aeterni fiunt, eo quod mentem in aeterna figunt. Demum Bernardus eadem sacrorum Canticorum verba edisserens, Gregorio hunc in modum adstipulatur: *Cupressus item boni aeque odoris & imputribile similiter lignum, incorrupta vita & fidei quemvis de clero, debere esse demonstrat: & merito decori domus, & laquearium ornatui deputatur. Scriptum est enim: Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum. Ubi sane & sanctimoniae decus, & indeficientis gratiae expressa perseverantia est.* huc usque Bernardus.

D. Bernard.

5 Illud verò à nobis silentio obvolvendum non est, eodem nimirum sepulchrali lapide, in quo domus & cupressus pariter exsculpta artificum manu conspicitur, domum quidem semidirutam; cupressum autem virentibus ramis excultam haud peculiari absque mysterio intuentium oculis contemplandam exhiberi. Illud enim fortasse, ut nunc menti subest, haec imago rem altius expendenti innuere videtur, semidirutae videlicet domus aspectu corruptibile hoc nostrum corpus vel mortis falce jam resolutum, seu dissolutioni jam proximum, cupressi vero viridantium ramorum praestantis amoenitate imagine immortalem hominis animam haud ullo unquam tempore perituram designari.

Corpus humanum instar domus semidirutae est.

6 Pio igitur, ac valde opportuno veterum Christianorum studio, quibus cuncta quid mysticum, tum oculis, tum auribus resonabant, cupressus imago Coemeteriis affigi consuevit, ad levandos videlicet inter diversa, quibus jugiter impetebantur, laeto ac fausto virentis jugiter arboris symbolo maestorum animos, quod oculis suspiciendum, ac contemplandum mentibus ingerebatur, eosdemque ad certam optatissimae immortalitatis spem alacriter provehendos. Sed haec interim de Cupresso exposuisse haud nos piget: caeterum ad palmam, quae principem inter arbores locum tenet, & certum victoriae omen praefert, jam, si libet, amice lector, contendamus.

CAP. XLIII.

De Palma.

1 HAud aliud prae caeteris tam apte, quam Palmae symbolum Coemeterialibus locis consonat, in quibus juges Christiani ex Averni hostibus palmas, ac triumphos revexere: hic enim, ubi piorum quondam palaestra certaminum, ac ipsamet luctantium arena extitit, ubi invicti ad pugnam pugiles Christi exercebantur, ubi *Sancti per fidem,* ut Apostolus ait, *vicerunt regna, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, fortes facti sunt in bello, castraverterunt exterorum:* hic ubi *acceperunt mulieris de resurrectione mortuos suos:* hic ubi *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti:* hic ubi *in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis; & cavernis terrae, quibus profecto dignus non erat mundus:* hic ubi demum delituere, & *ut meliorem invenirent resurrectionem,* post pugnam laureati in Christo tandem quiescunt: hic ubi pretiosa eorundem corpora tot coronis, tot palmis, quot tormentis, quot vulneribus exculta, jacent: *Pretiosa quippe sanctorum Martyrum corpora,* ut Chrysostomus ait, *sicut pretiosis lapidibus acceptis pro Christo vulneribus distincta omni Regum diademate pretiosiora, & spectabilia redduntur.* Merito, inquam, ubi quondam pugnae, ibi nunc palmae: ubi quondam luctae, ibi nunc coronae: ubi vulnera, ubi contumeliae, ubi funera, ubi demum cineres, ac sepulchra, ibi triumphales palmae vigent, atque coruscant. Palma enim, cujus Salomonico potissimum templo nobiliter exornando, Deo jubente, imago dedicata est, aptiori nunc symbolo Subterraneae Romae Coemeteriis, Deo aspirante, affigitur, haec enim ipsis certantibus semper in voto fuit, nam, ut Plutarchus ait: *Plura certamina coronam palmae habent.* Palma siquidem coronae instar victores donabantur: quippe cum haec una certaminum typum exhibeat, victoriae quoque omen portendit. Quamobrem in certaminibus olim ut idem Plutarchus ait, *placuit palmam signum esse victoriae, quoniam ejus indolis est, ut urgentibus, opprimentibusque non cedat, sed fortius assurgat.* Quod sane, ut verum fateamur, haud aliis, quam martyribus consonat, hujus arboris enim frondes spatularum, quibus certamen perficitur, formam intuentibus exhibent: *Sumetis vobis die prima fructus arboris pulcherrimae, spatulasque palmarum.* Haec autem pugnantibus quam probe conveniant, quis non videt? cum enim certaminibus varia apud gentiles quondam praemia extiterint, palma tamen commune omnium ornamentum, ac praemium pariter, Plutarcho teste, computabatur: *Cum sacrorum,* inquit, *certaminum aliud aliam habeat coronam, Palma communis est omnibus.* Palma quippe haud soli ornamentum capiti confert, sed & totum victoris corpus ambiendo decorem praestat: victores enim tum manu, tum veste triumphalis palmae olim symbolum praeferebant: quo plane habitu Christiani quoque inter tyrannorum persecutiones, ac certaminum lucta mystice conspicui reddebantur: *Hic est,* Tertullianus inquit, *habitus victoriae nostrae, haec palmaris vestis, tali curru triumphamus.* Palma igitur, vel solo aspectu triumphum portendit: ibique concinne regia haec, nobilisque arbor piorum manu conseri consuevit, ubi quondam invictorum Christi pugilum certamina ipsomet irrigata sanguine pullularunt, probe quidem sacris martyrum pignoribus victoriale istud symbolum arridet: *Palma enim,* ut Ambrosii verbis utamur, *martyribus suavis est ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper vestita foliis, semper parata victoriae, atque ideo non marcescit palma, quia martyrum victoria non marcescit.*

Palma sepulchris Christianorum aptissima; & cur

Ep. ad Heb. c. 11.

Palmae effigies Templo Salomonico dedicata

Plut 95. l. 4.

Palma cur victoriae symbolum constituatur.

Lev. 23.

Plut. in Symp.

Tert. apol. 50.

Ambr. ser. 24.

2 Palma igitur caeteras inter arbores, tum mellito fructuum sapore, tum pulchritudne, & sui longaevitate praestat, symbolicis tamen rebus, quibus multipliciter illustris redditur, longe praecellit. Haec enim post praelia victores designat, & triumphos sui exhibitione consummat. Quamobrem usitato apud Latinos vocabulo *palmam ferre, & palmam dare,* idem sonat, ac victorem esse, aut quempiam victorem fateri. Haud ab re igitur nobili victorialis palmae symbolo, triumphalis instar vexilli Christiani quondam athletarum Christi tumulos insignire ac praenotare consueverunt. Nos vero, ut ipsius palmae praeconia, & subinde symbola edisseramus, hoc quidem lignum in Dominico Crucis patibulo in victoriae signum, vel potius insigne dedicatnm est. Crux enim, ut nonnulli ex Patribus edocent, ex quatuor lignis, praecipue ex palma compactum est, quod à Glossa Clementin. 1. de Trinitate, & Fide Catholica his verbis comprobari videtur: *Fertur Crux quatuor habuisse genera lignorum. cedrum in stipite, palmam in palo per longum, cupressum*

Palmae arboris nobilitas.

Crux Christi è quatuor lignorum gener. ib.

sum in ligno ex transverso, olivam in tabula super Crucem, quod & brevi Carmine concluditur:

Ligna Crucis Palma, Cedrus, Cupressus, Oliva

Palma, eiusque mysteria alia apud Christianos, alia apud Ethnicos habebantur.

Hæc glossa. His autem obiter præmissis, quod ad rem attinet, recolendum Palmæ Hieroglyphicum non minus Christianæ fidei cultoribus, quam ipsismet Ethnicis usui quondam extitisse satis apud omnes exploratum est. Illi enim ad solis imaginem symbolice præsignandam, & ad exprimendos ejusdem radios; ad mensium item, & anni tempora, ad ipsam Iudææ pronunciam, ad Iustitiam demum ac victoriam, & alia id genus prænotanda, quæ apud Pierium, aliosque passim recensentur, qui de Hieroglyphicis copiose agunt, ipsius Palmæ ramos adhibuere. Verum probati è nostris scriptores admirando hoc symbolo & ipsi quidem Iustitiam, ac Victoriam, sensu tamen ab ipso gentilium intellectu longe præstantiori, pluraque alia, quæ intuentium ac legentium animos mirifice ad virtutum decora promovent, virentibus palmarum foliis adumbrari suis frequenter scriptis edocuere.

Palma hieroglyphicum Iustitiæ, & Victoriæ.

Palma asperitatis hujus vitæ imaginem præfert.

3 Vt nonnulla igitur hic ad instituti propositum breviter edisseramus, primo quidem loco à nobis in medium proferenda sunt, quæ eleganter Ambrosius sermone in Dominicam Palmarum describit; quippe ipsiusmet Palmæ formam studiosius expendens, aptissimum justi eandem viri symbolum esse pronunciat: *Palma*, inquit, *radix aspera est, sed nitorem maximum habet in fine, ostendens per hujus vitæ asperitatem in decorem cælestis patriæ nos debere sustolli.* Porro Eucherius lib. de spiritual. formul. pari sententiarum vi Ambrosio in hæc verba subscribit: *Palma corticum suorum involutionibus angustiatur; sed prius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur: sic electorum vita inferius despecta, sed superius pulchra. Habet quidem & aliud Palma, quo à cunctis arborum generibus differt: omnis enim arbor, quæ in suo robore juxta terram valde subsistit, crescendo superius angustatur, & quantum paulisper sublimior, tantum in altum redditur subtilior. Palma vero ab imis inchoat, & juxta ramos, & fructus ampliori robore exurgit, & quæ tenuis ab imis proficit, vastior ad summa succrescit. Quibus itaque aliæ arbores nisi terrenis mentibus inveniuntur esse similes, inferius vastæ, superius angustæ esse, &c. At contra ex æqualitate Palmarum designatur proficiens vita Iustorum, qui nequaquam in terrenis studiis sunt fortes, & in cælestibus debiles, sed longius atque distantius se Deo exhibent, quam seculo fuisse meminerunt.* Hæc ille, ex quibus vides quam sapida cælestinm arcanorum mysteria sapienti ore mortalibus vir iste divinus edisserat.

D. Amb. ser. in ram. pal.

S. Euch. l. de spir. for. c. 4.

Palmæ justorum vita comparatur.

4 Hic itidem lectori repetenda videntur, quæ præcipuus cæteros inter Ecclesiæ Doctores Gregorius ingerit, in illa potissimum verba: *Sicut Palma multiplicabo dies*; ubi & ipse Palmam speciosum justarum symbolum animarum esse fatetur: hæc autem sunt ejus in rem præsentem verba: *Nec immerito justorum vita Palmæ comparatur, quia scilicet Palma inferius tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obvoluta; superius vero & visu & fructibus pulchra. Inferius corticum suarum involutionibus angustiatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic quippe est electorum vita, despecta inferius, superius pulchra. In imo ista quasi multis corticibus devolvitur, dum innumeris tribulationibus, angustiatur, in summo vero illa, quasi pulchræ viriditatis foliis, amplitudine retributionis expanditur, &c.* Idem plane symbolum à Cassiodoro his verbis comprobatur: *Hæc supra terram hispida est, & quibusdam tumoribus inæqualis, sed ubi ad superna processerit, dulcissimorum fructuum suavitate completur, & quasi quibusdam radiis ornata distenditur: Sic justorum conversatio in hoc mundo duris est laboribus plena, sed in supernis probatur esse pulcherrima.*

S. Greg. l. mor. 19. c. 16.

Cass. in Ps. 91.

5 Pulchra item, & prolixo quidem sermone copiose de Palmis Theophylactus edisserit: de festivis enim palmarum ramis, quibus turbæ Hebræorum, ac pueri Christo Domino Hierosolymam subeunti obviam in triumphi morem prodiere, sermonem instituens, isthæc habet: *In summitate folia habet, alma germina in folio ferens. Porro in trunco & mediis usque ad fastigium aspera est, & vix ascensilis; in ramis autem virgas erectas promittens. Ita & qui ad cognitionem Verbi & Filii Dei properat, asperam quidem illam inveniet, ambulans per labores virtutis: veniens autem ad summitatem scientiæ, assequetur fulgidissimum lumen cognitionis divinæ, quasi candidissima Palmarum germina, &c.*

Palmæ triumphales Christi Hierosolymam ascendentis.

Theoph.

6 Sed attentius interim contemplari libet, quæ vir doctissimus Beda lib. 6. in illa Canticorum verba: *Statura tua assimilata est Palmæ*, ipsius Palmæ formam exacte describens, mysticis interlocutionibus eleganter edisserit: *Quia Palma*, inquit, *in inferioribus aspera videtur, in summitate autem pulchritudinem, & fructu suavitatem ostendit, merito huic statura assimilatur Ecclesiæ sive animæ cujusque fidelis; quæ asperos pro Domino portat in terra labores, sed mercedem à Domino gratissimam se accipere sperat in Cælo. Aspera est Palma juxta terram, quia persecutionem patiuntur propter justitiam electi: pulchra est & dulcis in summo, quia gaudent in pressuris, & exultant scientes, quoniam merces eorum copiosa est in Cælo.*

Palma typum fidelis Ecclesiæ.

Bed. l. 6.

7 Porro ex peculiari frondium memoratæ arboris forma, nobilissimum Ecclesiæ symbolum idem Beda verborum coloribus adumbrare videtur, quod deinde hunc in modum lectori contemplandum exhibet: *Item quod Palma*, inquit ille, *diuturnis est vestita frondibus, & folia sua sine successione conservat, quis non videat, quia typum teneat staturæ fidei quæ variante statu seculi labentis eadem semper verba rectæ confessionis, quasi folia nunquam reditura lapsura retinet? & candem operum perfectionem, quæ ab initio cœpit quasi decorem Palmarum usque ad finem seculi in electis suis intemerata custodit, &c.* Hæc Beda.

Palma simulacrum fidei quoque constituitur.

8 Illud vero in studiosi lectoris gratiam prænotandum est, quod Soli quidem tot inter arbores Palmæ peculiariter convenire dignoscitur: hæc quippe præ cæteris adversus pondus, quod pressa sustinere cogitur, eum in modum nititur, ut immani cuivis oneri imposito haud unquam cedat, nec ramis aliquando depressa flectatur, immo potius, quod mirandum est contra ipsummet pondus quod patitur obluctando consurgat, ut ipsemet Aristoteles octavo Problematum libro, & Plutarchus in 8. Symposiac. edocent. Quam potissimum ob causam lyncei naturalium rerum perscrutatores Palmam patentissimum victoriæ signum ac symbolum pariter esse pronunciant; neq; id ipsi duntaxat Ethnici dictis comprobarunt, qui duces, ac milites nobili victoriæ triumpho hostilibus è castris remeantes consertis palmarum foliis exornabant; sed & Christiani, quibus jugis est cum tartareo hoste conflictus, id ipsum præstitere: hi quippe tri-

Palma Victoriæ de inimicis spiritualibus imago est.

Arist. l. 8. prob. Plut. in 8. Sym.

triumphali palmarum signo eos potissimum dignos renuntiarunt, qui spirituales, insensosque jugiter ipsiusmet animæ hostes post innumera tentationum certamina viriliter subegissent. Huc autem eleganter Origenes in cap. 21. illis verbis alludit: *Palma victoriæ signum est illius belli, quod inter se caro & spiritus gerit.* Quibus & Ambrosius pari eloquentia consonat, dum lib. 3. cap. 13. Hexameron isthæc scribit: *Laurus & palma*, inquit, *ad insigne victoriæ, lauro victorum capita coronantur: Palma manus victricis ornatus est. Vnde & Ecclesia ait Cantic. 7. Dixi: Ascendam in palmam, ut apprehendam fructus ejus Ascendam in Palmam, ut omnia inferiora relinquat, & ad superiora contendat ad bravium Christi, ut suaves ejus fructus carpat & gustet.* His adde quæ ipsemet Ambrosius cap. 7. hunc in modum subjicit: *Rapimus enim ex hoc mundo palmam salutis, & quasi excubantibus obsessos serpentibus pervigili labore decerpimus; ita tamen, ut non furtiva sublatio, sed direptio sit triumphalis.*

Orig. in c. 21.

D. Amb. l. 3. c. 13. Exam.

Cant. 7.

Id. in. Luc. c. 7.

9 Sed cæteris symbolicis, quæ Palmæ congruunt, argumentis illud accedit, quod quamvis nobile ac præcipuum victoriæ insigne præseferat, peculiari tamen ratione faustissimæ illius victoriæ signum ac symbolum extat, quæ proprii effusione sanguinis purpurea Martyrii laurea comparatur. Quod quidem egregie quadragesimali sermone in Dominum. 2. Ambrosius expressit: *Præmium enim*, inquit, *quoddam est Palma martyrii, quæ confitenti linguæ dulcem fructum tribuit & victrici dexteræ gloriosum præstat ornatum. Est plane palma Martyribus suavis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper parata victoriæ. Atque ideo non marcescit Palma, quia Martyrum victoria non marcescit.* Hac in rem præsentem Ambrosius.

Palma martyrii interpretationem quoque habet.

D. Amb. ser. in Dom. 2. quadr.

10 Victoriales quoque Martyrum palmas ipsemet Augustinus miris laudum præconiis extollit in illud Apocalyps. 7. *Stabant ante thronum in conspectu Agni amicti stolis albis, & Palmæ in manibus eorum;* ubi postquam de jugi Martyrum ante thronum Dei consistentium lætitia luculenter disseruit, isthæc subdit: *Stolis fulgent albis, & Palmas in manibus habent; dum corpora, quæ ignibus ustulari, ac bestiis dilacerari, plagis absumi, per præcipitia devolvi, ungulis abradi, omnimodo pœnarum genere passi sunt dissipari, per resurrectionem glorificata recipiunt.* Quibus omnino consonant, quæ idem tract. 51. in Ioan. subnectit: *Rami palmarum*, inquit, *laudes sunt, significantes victoriam: quia ibi erat Dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo Crucis de diabolo mortis principe triumphaturus.* Hæc Augustinus. Gregorius item hic nobis consulendus est, qui lib. 2. in Ezech. homilia 17. illa potissimum verba exponens: *Et ante frontes pictura Palmarum. Quid per Palmas*, inquit, *nisi præmia victoriæ designantur? Ipsæ quippe dari vincentibus solent. Vnde & de his, qui in certamine Martyrii antiquum hostem vicerant, & jam victores in patria gaudebant, scriptum est: Et Palmæ in manibus eorum, &c.* Et hæc infra: *Palmas quippe in manibus habere, est victorias in operatione tenuisse: cujus operationis Palma ibi retribuetur, ubi jam sine certamine gaudetur.*

Palmæ martyrum victoriales propriæ.

D. Aug. in c. 7. Apoc.

Id. tract. 51. in Ioan. Palmæ, cum quibus obviam Domino iverunt Hebræorum pueri, & earum mysteria.

S. Greg. l. 2. in Ezec. ho. 17.

11 Verum enimvero complures Patrum id comprobantium sententiæ in medium proferri possent, sed omnibus interim ablegatis, unum nobis pro quovis sententiarum pondere argumentum sufficiat, antiquissima nimirum ipsius Ecclesiæ consuetudo, quæ in recolendis beatorum Martyrum natalitiis ejuscemodi titulum ac phrasim usurpare consuevit. Cujuslibet enim singillatim Martyris, dum gloriosa ejusdem sacris in dypticis mentio recurrit, his potissimum verbis laudatio concluditur: *Martyrii Palmam accepit.* Item, *Martyrii Palma coronatus est; vel Martyrii palmam meruit obtinere.* Et ut uno verbo singula complectamur, frequentissima tum in Romano Martyrologio, tum in recolendis Martyrum actis ipsius Palmæ mentio agitur: cujus quidem rei etsi exempla quamplura deessent, quibus validè ejusmodi assertio comprobetur, satis abunde ex ipsismet celeberrimæ virginis ac Martyris Agathæ gestis obfirmari videretur: quippe quæ his tyrannum immanissimum verbis compellasse describitur: *Nisi perfeceris corpus meum à carnificibus attrectari, non potest anima mea in Paradisum Dei cum Palma intrare Martyrii.* Quapropter consonis quidem triumpho vocibus, plaudentium more in beatorum Martyrum Innocentium hymno sacrosancta jugiter Ecclesia canit:

Palma martyrii solemnis Ecclesiæ phrasis.

Acta S. Agathæ.

Hymn. de SS. MM. Innoc.

Vos prima Christi victima
Grex immolatorum tener
Aram ante ipsam simplices
Palma & coronis luditis.

12 Quibus item concinne respondent, quæ Apocalyps. 7. beatus Christi Apostolus & Euangelista Joannes ad instituti propositum loquitur, cum ipsos Christi Martyres stantes ante thronum Dei, & palmas triumphantium in morem manibus præferentium se vidisse affirmat: *Post hæc*, inquit, *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum & in conspectu Agni amicti stolis albis & Palmæ in manibus eorum.* Idem insuper ex recepto ac perantiquo Ecclesiæ usu satis convinci videtur, quæ dum beatissimorum Martyrum imagines pingit, eosdem aptatis manui Palmis effingere consuevit, ut iisdem in tabulis haud semel videre est.

Apoc. c. 7.

Martyres Palmas in manibus tenentes pingendi mos.

13 Ut enim Baronius in suis ad Rom. Martyrologium notis asserit, palma victoriæ symbolum esse consuevit, *non tantum*, inquit, *apud Iudæos, ut ex plerisque divinæ scripturæ locis apparet, erant palmæ victoriæ insignia, sed & apud Græcos, ex quibus ad Romanos eadem provenit consuetudo, ut victoribus palmæ darentur, sed id non ante debellatos Samnites, ut habet Livius lib. 10. in fin. Dec. 1. Quod sit in Palma victoriæ symbolum habes ex Plutarcho lib. 8. q. 4. Symposiac. narratum à Gellio lib. 7. c. 6. Certe his insignibus nobilitatos sanctos Martyres vidit sanctus Ioannes Apoc. c. 7. ut non mireris, si in Martyrologio sæpius leges sanctos Martyres palmam accepisse Martyrii: est enim ea dicendi phrasis ex divinis scripturis comparata, atque antiquitus usurpata.* Hæc in rem præsentem Baronius, quibus & multiplices ipsarummet Cœmeterialium palmarum icones subtexere, & hic lectori è Subterraneæ Romæ Sarcophagis excerptas delineare voluimus.

Bar. in noti ad Mart. Rom. die. 1. Ian.

Palma victoriæ insigne habetur.






Palma enim, quæ victoriæ symbolum, & triumphi index est, à Christianis olim Martyrum sepulchris ferro exsculpi consueverat: quapropter ubi

Sepulchris Martyrum palmæ insculpi solitæ.

puerorum quoque interdum Sarcophagi palmarum ramis nobiliter exſculpti conſpiciuntur, eoſdem haud temere perſecutorum gladio interceptos, Chriſtianæ fidei teſtimonium exhibuiſſe, & ſanguine laureatos de tyrannis triumphum revexiſſe aſſeri poteſt. Cujus rei gratia ſepulchralem hunc pueri Valentiniani lapidem, qui è Cœmeteriis erutus, apud Petrum Antonium Gabriellum Romanum, virum tum ſacræ, tum profanæ antiquitatis ſtudioſum, extat, lectori contemplandum proponimus, ubi palma ad calcem inſculpta cernitur: quippe quæ ut plurimum index martyrii eſſe conſuevit.

HIC REQUIESCIT IN PACE
INNOCENS PUER
NOMINE VALENTINIANUS
QUI VIXIT ANNOS III.
DIES XXV.
SEPULTUS EST
PRID. NON. DECEMB.
CONSULATU VOLUSIANI
VIC.

Chriſtiani inſuper, ut victorialibus inter ipſa adverſa, quibus impetebantur, palmis cumularentur, earundemque vel ſolo aſpectu alacriores ad certamina, triumphos interim animo recolentes, ac victoriam meditantes, redderentur, fictilibus quoque lucernis ſæpe ſæpius palmarum ramos in triumphi ſymbolum delineando affigebant: quod ex nobili Cœmeteriali hac præſertim lucerna ex noſtris hiſce tabulis lib. 3. excerpta tibi contemplandum offertur, quæ palmarum arborem columbis hinc inde inſignitam exhibet.



Palmæ martyrum proprium inſigne.

14 Palmarum enim virentium ſymbolo Martyres à cæteris ſanctis peculiari veluti ſigno ſecernuntur, quorum potiſſima virtutum inſignia iiſdem tabulis exprimi in more poſitum eſt. Quapropter quemadmodum ubi quis pictas juxta alicujus imaginem claves adſpicit, mox veneranda ibidem beati Petri Apoſtolorum Principis imaginem exhiberi pronuntiat: pari quoque ratione, dum mucronem Pauli, Crucem Andreæ, Apoſtolorum inſignia, & id genus alia recognoſcimus, ſanctorum protinus, quibus iſthæc congruunt, imagines præferri intelligimus. Hinc haud diſſimili, ſi nobis argumentari fas eſt, ratione cum Sancti alicujus imaginem viridi palmarum ramo excultam conſpicimus, eam velut martyris imaginem continuo veneramur.

15 Verum an idem prorſus de Palma Cœmeterialbus ſepulchrs inſculpta aſſerendum ſit, quod martyrem ſcilicet conditum ibidem fuiſſe deſignet, merito quidem nonnulli addubitant, eam victoriæ potius ac triumphi ſymbolum, quem ibidem reconditus de tribus illis acerrimis hoſtibus, mundo ſcilicet, carne, ac diabolo retulit, intuentibus præſeferre affirmantes. Argumentum autem ad id comprobandum ex pluribus ſepulchralibus titulis deducunt, qui in opere Subterraneæ Romæ Italico ſermone hactenus edito recenſentur; ubi tertio potiſſimum libro inſcriptiones quamplures Palmarum ramis prænotatas videre eſt; hæc autem, ut iidem conſtanter aſſerunt, Martyrium nullatenus deſignare queunt, & argumenti vis ex ſepulchrali cujuſdam præſertim Leupardi titulo augeri, videtur, de quo iſthæc ibi leguntur:

De Palmis, quæ ſepulchris inſculptæ viſuntur.

Leupardus ſe bivo fecit.

duobus interim Palmarum ramis in ipſius monumenti

menti prospectu eleganter exculptis. Quorsum autem quis inquiet, victorialem suo quispiam monumento Palmam, quæ augustissimi martyrii index & nota est, absque tumidi & arrogantis animi fastu insculpi jubeat? Ex altero item sepulchralis inscriptionis titulo res palam ex istorum sententia confici posse videtur, ubi duobus intertextis palmarum ramis hæc verba leguntur:

REGINA VIBAS
IN DOMINO JESU.

At nullam prorsus fœminam, ut ipsæ sacrorum Actuum testantur paginæ, nullam, inquam, quæ Reginæ præseferat nomen, martyrio coronatam, quod didicerimus, Romana Ecclesia novit, ac inter martyres veneratur: tum quia sub iis Consulibus, quorum nomine titulus prænotatur, haud ulli, ut alias contigit, persecutores Dei Ecclesiam divexabant nedum fidelibus subeundi pro Christo martyrii occasio suppetebat. Porro hactenus recensitis alter inscriptionis titulus subnecti posset, quo pueri cujusdam, qui ex infirmitate decesserat, duas item præseferens palmas, tumulus illustratur.

Titulorum sepulchralium communis phrasis *In pace*, quid significet?

15 Porro major subinde adversariorum argumentis vis conciliatur, si quis consuetam sepulchralium titulorum phrasim sapienter expendat, quæ illa possim verba intuentibus legenda exhibet: *In pace*. Per hæc autem verba in Græcorum Menologiis hi, qui absque Martyrii laurea jam defuncti sunt, à martyribus ipsis secernuntur. Quis enim dixerit invictos Christi martyres in pace mori, quorum constans fides ac imperterrita jugiter animi constantia multiplicibus quidem probata certaminibus, extremis demum, ac acerbioribus tormentis impetita coronari promeruit. Quapropter cum de iisdem in sacris Menologiis mentio recurrit, adjecto potissimum martyrii genere, quo Tyrannis jubentibus absumpti sunt, gladio videlicet, aut igne vitam pro Christo in agone fudisse describuntur.

Palmæ sepulchris insculptæ non semper martyrii indices.

16 Ut alterum denique his argumentum subjiciamus, Palmas quoque in ipsis nondum baptismo initiatorum sepulchris, immo & in bimestris pueruli tumulo antiquitus exsculptas fuisse compertum est: quibus insuper ad argumentorum vim magis augendam accedunt, quæ inserta inscriptionibus plerumque verba leguntur, videlicet, *Conjugi Charissimæ: Viro Benemerenti*, quos tamen haud Christi Martyres extitisse constat. Hæc utique ab adversariis jacula pro Palmarum ramis haud Martyrii, ut ajunt, indicibus adversus sepulchrales titulos valide intorquentur. Verum alii potioribus permoti rationibus, Palmæ signum sacris recolendisque Urbis Romæ Cœmeteriis affixum, patentissimum Martyrii symbolum præseferre arbitrantur, vel tum præcipue, si omnimoda tam loci quam temporis ratio habeatur. Ut quid minus enim ejuscemodi Palmæ signo victoria duntaxat ac triumphus de consuetis animæ hostibus, mundo videlicet, ipsius carnis oblectamentis, ac dæmone, à quibus homo jugiter impetitur, palam intuentibus denuntiatur: nam si hoc verum esset, isthæc signa ac symbola in singulis ferè Cœmeterialibus sepulchris conspicerentur, cum non nisi præcipuis Christianarum virtutum meritis conspicui, ac selecti inter Christianos, ut nobis credere par est, dum acerbiora persecutionum tempora ingruerent, clam in Cœmeteriis degentes, pia ibidem fidelium manu sepulchri locum obtinuerint, palmas tamen in paucis admodum sepulchris suspicere fas est.

Quid de titulo sepulchrali dicendum, quem Laupardus sibi vivens inscripsit.

17 At quid objectis potissimum argumentis hi ex adverso respondeant, videamus. Et primo quidem quod ad insculptum Leupardi sepulchro titulum spectat, absque controversia asserendum est, arrogantis animi, ac tumidæ. elatæque mentis nota jure eundem merito sugillari posse, si dum adhuc vitam hanc periculis obnoxiam viveret, constructo sibi sepulchro, ac si postmodum Martyr. futurus triumphum ante victoriam canens, palmas incidi jussisset. At ne quid minus arrogantiæ crimen subterfugere valuisset, si easdem in triumphi signum, quod de spiritualibus hostibus revexerat, exprimendas curasset. Quapropter, ut difficultatis nodus eludatur, necessario fatendum videtur, Palmarum signa haud ab ipsomet Leupardo, dum viveret, sed ab aliis, post ejusdem obitum tumulo incisa fuisse. Quibus & ad argumenti vim facilius dissolvendam addere quis posset, virum hunc conspicuæ pietatis, qui mortis jugiter memor, vivens sibimet sepulchrum longe ante prospexerat, nobile postmodum pro Christi fide Martyrum consummasse, paratoque sepulchro illarum fuisse, in quo palmarum ramos, effusi cruoris indices, pia deinde fidelium manus ferro insculpserit. Quod vero nullum prorsus inter Martyres Reginæ nomen Romana Ecclesia colat, aut recenseat, id plane haud mirum cuiquam videatur, cum fere innumera Martyrum beatorum nomina in libro vitę descripta adnumerentur, quæ militantium in terris Ecclesia, eorumdem actis gentilium furore abolitis, recensere nullatenus novit; quinimmo nec in Romano quidem Martyr. eorum omnium, qui Romæ pro Christi fide coronati sunt inscribi nomina, exploratissimum est, cum tamen haud profunctorie singulis quibusque diebus ea ex eodem Martyrologio fidelium auribus verba resonent: *Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum, confeßorum, atque sanctarum virginum.*

Ex Mar. Rom. die 1. Ian.

Inscriptiones Palmis insignes positas tempore pacis in Ecclesia.

18 Verum quod ad inscriptiones attinet, quæ certis quoque Consulibus tunc potissimum temporis prænotatæ sunt, cum jam in Christianos persecutio desierat, & palmis tamen insignitæ conspiciuntur; unica autem ex his, *Paulini* scilicet Consulis prænotata nomine extat ex qua plures ejusdem nominis Paulinos Consules extitisse perhibetur: ut propositæ vero difficultati nunc fiat satis, quamvis Pauliuum hunc, cujus mentio recurrit, juniorem fuisse scriptor conjectatus sit, haud tamen id serio & constanter asseruit, cum is, de quo agitur, quispiam ex antiquioribus fuisse potuerit. At quamvis de ipsomet juniore inscripta sepulchralis tituli verba subintelligenda fore quis dixerit, haud tamen inde inferre licet, Martyres in Dei Ecclesia, & apud Romanam præsertim Urbem sub ipsamet Christianorum Imperatorum tempora nullatenus floruisse, cum maxime, ut ex Romano Martyrologio constat, cujus indubitata apud omnes fides est, S. Almachius Martyr. Romæ Calendis Januarij sub ipso Theodosio Augusto coronatus Martyrio legatur. Porro inscriptio, quæ *Theodosio, & Fausto Consulibus* prænotatur, haud palmæ, sed olivæ ramo, columbæ pedibus affixo decoratur. Quod autem de sepulchrali pueri cujusdam titulo palmis duabus insignito adversarii instantius objicien-

Rom. Mart. Kal. Ian.

objiciendo urgebant, non est quod cuiquam negotium facessat, oculi quippe id ultro asserentis inter ipsas Cœmeteriales tenebras, vel tum in meridiana luce caligaverant, re tamen melius inspecta, haud palmæ, sed bini olivarum ramusculi columbæ pedibus inserti caligantibus oculis innotuere.

Phrasis sepulchralis *In Pace* martyribus & confessoribus communis.

19. Interim vero de phrasi illa titulis apponi consueta, *In pace*, etsi Græci aliter asserant, certe apud Latinos verba isthæc Martyribus æque, ac confessoribus, ut diximus, apte consonant: ad quod sane comprobandum, Antiphona, quæ natalitio plurimorum Martyrum die ad laudes ab Ecclesia canitur, adversariis omnino convincendis sufficeret, quæ sic se habet: *Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt.* At id ex iisdem sepulchralibus titulis, ut rem prosequamur, manifeste apparet, quorum bini potissimum, *Exuperantiæ* nimirum, *& Valerij*, vasa quædam prunis referta intuentibus contemplanda exhibent, quæ lapidi incisa, nobilissimi procul dubio Martyrii, quo per ignem fidei causa transeuntes coronati sunt, symbolum præseferunt.

Ant. in fest. SS. MM.

Baptismus flaminis, & fluminis.

20 Porrò inscriptiones, quæ de sacro nondum baptismate initiatis, & de bimestribus pueris afferebantur, haud ullæ in nostro hoc Subterraneæ Romæ opere insculptæ extant; verum si ex his nonnullas in medium quis proferat, facili quidem negotio, ut arbitrari fas est, tota argumenti vis protinus eludetur, dum constanter quoscunque baptismo tum flaminis, tum sanguinis, ut Theologi docent, Deo aspirante, initiatos, ac ipsosmet infantes ultro pro Christo trucidatos, inter martyres jure optimo adscribi potuisse asseramus. Demum verba illa, quæ sepulchris tituli vice plerunque consignata sunt, videlicet *Conjugi charissimæ, viro benemerenti*, haud evidenter quidem defunctos quos tumulari ibidem contigit, martyres extitisse coarguunt, cum & ipsi mortem fidei causa subeundo inter martyres jure merito adnumerari potuerint; quorum deinde sepulchris post nobile pro fide Martyrium, palmæ exsculptæ fuerunt, vel ipsius conjugis adhuc superstitis studio, vel certe pia fidelium manu, ut jam de Leupardo prolixius enarravimus.

Phrasis titulorum sepulchralium *In Pace*, quam mortem denotet.

21 Verum ex his duabus quænam probabilior sententia pronuncianda sit, prudens lector, utriuslibet sententiæ rationibus diligenter expensis, quod magis libet, ipse dijudicet. Equidem non eo inficias phrasim illam, *In pace*, ex vi ac proprietate vocabuli mortem illam, quæ naturaliter obvenit, nullatenus vero violentam designare, quod pluribus sacrarum paginarum testimoniis evidenter comprobari potest, Hieremiæ præsertim cap. 34. num. 4. ubi Propheta Regem Sedeciam alloquens, hæc ait: *Hæc dicit Dominus ad te: Non morteris in gladio, sed in pace morieris.* Verumtamen cum sepulchrales tituli his verbis prænotati, videlicet *in Pace*, clara quoque & manifesta Martyrii insignia, vasa videlicet ignibus referta, præseferant, haud fortasse asserere absurdum erit, hunc loquendi modum tum Martyribus, tum confessoribus Christi communem pari ratione fuisse. Et quidem ex ipsismet sacrarum paginarum tabulis mori quis interdum in Pace dicitur, etsi gladio feriente moriatur, quod plane ex Holdæ Prophetidis uxoris Sallum verbis comprobatur, quam cum Helcias Sacerdos, Regis Iosiæ jussu, consuluisset, propheticum illud pro Rege responsum Deo tunc suggerente ac cepit: *Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.* Regem quippe in pace moriturum apertis illa verbis prænunciaverat, qui tamen in acie à Pharaonis Regis Ægyptiorum sagittariis vulneratus interiit, ac violenta manu, ut Scriptura ait, in Maggedo occisus est. Quorsum ergo in pace mori tunc potuit, qui valida sagittariorum manu vulneratus decessit?

Ier. c. 35. n. 4.

lib. 4. Reg. c. 22.

Reg 4. c. 23.

22 Ut sacri igitur interpretes rem exponunt, & præsertim Gaspar Sanctius vir disertissimus è Societate Jesu, *Pax* interdum, & eo præsertim loco, haud privata & propria ipsiusmet Regis subintelligenda est; vere etenim ille in pace non decessit, id est, haudquaquam pacificam (quod hominibus communiter contigit) mortem obiit, quæ talis tunc potissimum dicitur, cum à senectute, vel à morbo, non violenta autem extrinsecus illata manu, provenit, ut pluribus idem auctor satis erudite probat lib. 3. Regum cap. 2. ad illud Joab: *Non deduces canitiem ejus pacifice ad inferos.* Pax autem illa, cujus sermo agitur, totius regni intelligitur, quod tunc quidem haud ullis bellorum procellis atque incommodis infestabatur, quo tempore Iosias è vivis decessit, atque ideo regia quidem pompa, quod in bello, ac rerum militarium tumultu haud fieri consuevit, sanctissimus Rex, ac solemni omnium planctu, qualem perpauci in eadem regione consecuti hactenus fuerant, post mortem sepulchro illatus est. Cum Josias igitur etsi sagitta confossus, in pace tamen regni mortuus sit, in pace mortuus absolute dicitur. Quæ sane in rem præsentem explicatio ex ipsismet Paralip. 2. cap. 34. verbis optime convincitur, ubi isthæc Regi prophetico ore prænunciata leguntur: *Insereris in sepulchrum tuum in pace, nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum, & super habitatores ejus.* Cum igitur phrasis hæc, *in Pace*, morte interdum violenta, sacræ testantur paginæ, occumbentibus aptetur; haud mirum, si Christiani quoque eamdem invictorum Martyrum sepulchris interdum aptando inscriberent.

Gasp. Sanct. in Comm. in Reg. 3. l. c. 2.

Gasp. cit. l. 3. Reg. c. 2.

Paral. l. 2. c. 34.

23 Ad quod magis magisque comprobandum, haud studiosum lectorem lateat, quamplurimos item Martyres, fuisse vocatos, quamvis nullatenus martyrii gladio interempti ciderint, cum tamen pro Christi fide carceres, aut alia id genus tormenta perpeti eosdem contingeret, quod fuse ipsemet Cyprianus probat epistola 7. 9. 10. 15. 30. 37. 52. & 81, edit. Pamel. qui idem in ep. nonæ scholiis diligenter adnotavit. In horum autem sepulchris palmas affabre effictas fuisse, nobis quidem credere par est, ni forte quis asserere illud velit, primis illis rudioribus Christianorum seculis ab his, qui apte minus artem, peritiamque incidendi c allebant, haud palmam ab oliva discretm, sed unam pro altera marmori frequenter incisam fuisse. Porro tunc nobis nullus ambigendi locus relinquitur, & palmæ insignia lapidi ferro insculpta martyrium certissime designant, cum aliud quiddam Martyrii symbolum palmis adjunctum, ac sepulchris affixum reperitur. Quamobrem in Cœmeterialibus plerisque tumulis, quibus palmæ signum inest, vitrea quoque ac fictilia vasa conspiciuntur, quæ sacrum martyrum cruorem secretiore in iisdem sepulchris loco reconditum, calce obsignata continebant, ut præcipue in jam descripto S. Saturnini Sarcophago videre est: ibi enim præter palmam vas item vitreum, quod repertum est, in

Martyres etiam sine effusione sanguinis.

Cypr. ep. 7. 9. 10. 19. 30. 37. 52. & 81.

Palma in sepulchro S. Saturnini.

in studiosi lectoris gratiam insculpendum curavimus. Idem insuper patet in B. Victoris mart. tumulo, ubi vas & palma ferro expressa cernitur, immo & singula fere sacro imbuta martyrum cruore vasa incisum triumphalis palmæ symbolum intuentibus præseferunt.

24. In pluribus item antiquorum Cœmeteriorum sepulchris ipsiusmet instrumenta martyrii vel satis ruditer delineata conspiciuntur: in singulis autem ipsummet pro afferendo palam martyrio palmæ symbolum exhibetur, quo nimirum ipsorum martyrum sepulchra ab aliis, ut diximus, Christianorum tumulis secernebantur. Quod in lapide potissimum adnotare licuit, quo recolendum Beati Caji Papæ, ac mart. sepulchrum operiebatur: ibi enim sacrum insuper Christi nomen, Græcis in hunc modum literis de more exara ☧ tum contemplantibus exhibitum est. Idem quoque in beatorum martyrum Tiburtii, Valeriani, & Maximi sepulchro apud sanctam Cæciliam Transtyberinæ regionis in perantiqua ejusdem Ecclesiæ confessione, nec non in aliis quampluribus sanctorum tumulis observari contigit. Quam quidem sententiam nos probabiliorem ducimus, contrariam tamen haud omnino rejicimus, atque improbamus: verum quidquid sapientiores viri, sacrarumque rerum notitia præditi in re admodum dubia singulis bene perpensis pronunciaverint, nos quoque alieno potius quam nostro acquiescentes judicio, libenter amplectemur. Et de his hactenus.

Palma, & nomen Christi in sepulchro Caji Papæ.

Et in sepulchro SS. Tiburtii, Valeriani, & Maximi

CAP. XLIV.

De Oliva.

Oliva ejusque decor. 1 POST Triumphalis palmæ, quam lætis, amice lector, oculis suspeximus arborem, victorialis nunc Olivæ symbolum Cœmeterialibus affixum tabulis occurrit: hæc enim reliquas inter plantas suo decore conspicua perenni foliorum viriditate potitur, certantiumque capiti haud vulgaria, ut jugiter animis vigeant, ornamenta suggerit: in victoriæ quippe signum nobilem ultro vincentibus coronam intexere consuevit. Apud Græcos igitur in Olympicorum præsertim ludorum certaminibus nobiles ex olivarum sertis coronæ donabantur. Athenis verò festiva olearum fronde, ut Plinius asserit, promeritorum crines redimiri mos erat. Demum apud Romanos ii potissimum olivarum sertis coronabantur, qui minores, quos *Ovationes* appellabant, triumphos promeruissent, derivantes videlicet ab Hercule ejuscemodi usum, qui minores; ut ajunt, post superatum certamen fratres oliva coronaverat. Verum ut impensus ab ipsismet olim gentilibus olivæ cultus, ejusdem gloriam piis Christianorum oculis adumbret, sacra hæc olim Palladi arbor, sicut Jovi quercus habebatur, quod Alciatus in suis eleganter emblematibus metrice expressit:

Alex. ab Alex. l. 5. Gen.

Vall. l. 5. hierog.

Quercus amica Iovi: potitur Pallas oliva,
Illius fructus hujus & umbra placet, &c.

Alciat emblem.

Quod autem Minervæ olim sacra hæc jure meritò à gentilibus arbor adscriberetur, nec frondium dumtaxat pompa, ut reliquæ arbores cæteris dicatæ diis, sed fructuum insuper ubertate speciosa inter cæteras caput extollendo reddatur, ex illis apud Phædrum carminibus lib. 3. palam convincitur, ex quibus etiam symbolice Oliva intuentibus innuit, fructum videlicet frondibus, commoda pompæ, utilitatem splendori longe præferendam. Quis enim olivam exilem, forisque abjectam ingenti cuivis platano, aut annosæ quercui, frondibus dumtaxat luxurianti non præferat? Sed carmina in olivæ præconium gratis auribus excipienda hic sunt:

Oliva cur Minervæ sacra dicatur?

Apud Phæd. l. 3.

Apud Phædrum. l. 3

Olim quas vellent esse in tutela sua
Divi legerunt arbores: quercus Iovi,
Et Myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybelæ, populus celsa Herculi.
Minerva admirans, quare steriles sumerent,
Interrogavit. Causam dixit Iuppiter:
Honore fructum ne videamur vendere,
At me hercule narrabit, quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructus est gratior.
Tunc sic Deorum genitor, atque hominum sator:
O nata merito sapiens dicere omnibus,
Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.

Sapiens igitur, aliorumque impensis edocta Minerva olivam præ cæteris arboribus fructiferam sibi deposcens, speciosæ arboris ubertatem designando, vanum prorsus, ac futile esse omne promicantis gloriæ choragium, nisi succulentis interim utilitatis ubertatisque fructibus fœcundetur, symbolice edocuit. Et quidem haud immerito ex Oliva, quæ pulchro frondium virore, ac fructu pariter ditescit, perennitatemque solo dumtaxat aspectu præsefert; coronas ab antiquis concinnari contigit. Hæc enim exsectis aliquando ramis, etsi penitus exaruisse videatur, omnem contra spem, pristinum exhibuisse virorem visa est, ut apte poëta cecinit:

Olea Minervæ sapientiæ præsidi sacra.

Quin & candicibus sectis mirabile dictu,
Truditur è sicco radix oleagina ligno.

Virg Geor. 2.

Congrue igitur speciosæ istius arboris fronde serta victorum capiti imponebantur, ut suis poëta carminibus expressit:

——— *Flavaque caput nectentur oliva.*

Virg. Aen 5.

Ejusdem quippe frondibus caput ambitioso munere cingebatur, cujus liquore, ac succo, ut in arenam descendens viriliter dimicando persisteret, ad luctandum foveri consueverat: luctatorum enim corpora olim officiose perungebantur:

——— *Populea velatur fronde juventus,*
Nudatosque humeros olea perfusa nitescit.

Aeneid l. 5.

Unctio enim vigorem corpori, Olivæ autem frondes decorem capiti conciliabant. Oliva quippe foliis quidem perexiguis, ac pallidis instructa, sed fructu maxime uber, & vigens propheticum illud Ieremiæ oraculum apte menti suggerit: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.* Lignum enim Oleæ nec tempestas, nec caries, neque vetustas unquam labefactare novit: quamobrem apud antiquos æternitatis symbolum erat. Inde Elias, & Enoch, utpote æternitatis candidati, specioso Olivæ titulo appellantur: *Isti sunt duo filij olei splendoris, qui assistunt dominatori universæ terræ.* Et eodem plane nomine in Apocalypsi decorantur: *Hi sunt duo olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*: Quia scilicet imperfracto viri animo Antichristo sub mundi occasum resistent, nec ullis laboribus, minis, aut tormentis cedent, & ejusdem olivæ symbolo, quo ad prælium armabuntur, & quo post pugnam, ac victoriam ex Antichristo revectam triumphantes coronabuntur. Sed ut à profanis ad sacra oculos, ac stylum pariter contrahamus;

Ier. c. 10. n. 16.

Olea æternitatis hieroglyphicum.

Zach. c 4 n. 13.

Apoc. c. 11. 4

Oliva ejusque mystica.

mus; pulchra quidem, & mira sunt rerum arcanarum symbola, quæ speciosa rudi quidem sub cortice arbor complectitur: hæc enim, ut paucis singula perstringamus, misericordiæ, pacis ac victoriæ hieroglyphicum adumbrat, hæc fluctanti, & naufrago quondam orbi Noemicæ columbæ ministerio advecta pacem retulit, hæc refundendum jugiter pietatis oleum præsefert: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei*, Regius Propheta inquit; hæc molli, stillantique liquore prodituros in arenam ungere, hæc victores demum festivis frondium sertis redimire consuevit.

Olivæ ramusculi in sepulchris Cœmeterialibus.

2 Hinc præter palmarum ramos, quos in victoriæ symbolum fortissimis Christi athletis, nec non & ob gloriosi martyrii signum Christiani promeritis quondam viris erexere, quidam etiam in Cœmeterialibus tabulis frequenter ramusculi ipsismet sepulchris affixi exhibentur, qui intuentibus ipsius olivæ formam præseferunt: neque id vero, ut mox enarrabitur, absque peculiari mysterio præstitum est. Oliva enim, ut Tertullianus loco, quem supra recensuimus, sexto videlicet lib. de Baptismo cap. 8. symbolum pacis præsefert: nam disertissimus vir de columba ad Noëmicam arcam post imminutas diluvii aquas redeunte agens, isthæc subdit: *Quemadmodum*, inquit, *post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum, ut ita dixerim, mundi, pacem cælestis iræ per columbam terris adnuntiavit dimissam ex arca, & cum olea reversam, quod signum etiam apud nationes paci prætenditur, &c.* Et communi quidem omnium voce hæc una præ cæteris arbor pacifica nuncupatur, quo plane titulo ipsemet Virgilius reliquorum Poëtarum princeps eamdem appellat:

Oliva symbolum Pacis constituitur.

Tertul.

Aeneid. 5. *Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.*

Quapropter ad præsignandum Christianos, qui in Cœmeteriis conditi sunt, in Christo, *ipse enim*, ut Apostolus ait, *est pax nostra*, in Christo, inquam, suaviter obdormire, columbas olivarum surculos deferentes, exsculpto Christi nomine, exprimebant, ut in sepulchrali lapide apud Martium Milesium virum rei antiquariæ studiosissimum, quem subjicimus, videre est:



Lapis vero notis hisce pereleganter exsculptus legitur.

BENEMERENTI FILIO CAL.
PURNIO PARENTES
FECERUNT
QUI VIXIT ANN. V. M. VIII.
D. X. DECESSIT IN PACE
XIIII. KAL. IUN.

In quo plane titulo, columbæ olivarum ramos ore præferentes, Calpurnii pueri innocentiam, ac simplicitatem designant. Vas autem ipsamet corpora denotat, nam ut Apostolus ait: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Præmemorato autem lapidi alter itidem puero Cretesio haud dissimilibus verbis inscriptus consonat, ubi columbæ olivarum ramis illustrantur, ut supra suo loco vidimus. Porro quod olea pacis symbolum præseferat, plane Ambrosius edocet lib. de Noë, & Arca cap. 19. hæc dicens: *Hunc quoque ramum*, scilicet olivæ, *pacem petentes præferre consueverunt.* Et cap. 2. in Luc. in illo utique olivæ ramusculo, quem redux fausto tandem omine columba rostro detulit, & in Noemicæ illius arcæ forma, pacis, quæ post sedatos procellarum fluctus Ecclesiæ affulsit, typum extitisse pronuntiat: *Inter ipsa*, inquit, *mundi diluvia Spiritus sanctus ad Ecclesiam suam pacem afferret fructuosam.* Aliud prætereaipse mysterium edisserit, dum Apoc. cap. 6. oleam legis symbolum esse his plane verbis affirmat: *Per ramum olivæ legem possumus intelligere, vel accipere: per folia autem virentia, eos qui per legem salvi facti sunt.* Neque tot ac tantis sanctissimus Pater olivarum ramos præconiis cumulasse contentus, aliud in oleæ gratiam mysterium cap. 11. in Epist. ad Romanos interserit, ubi specioso hoc symbolo fidem designari pronuntiat: *Oleam*, inquit, *fidem intellige, per quam Abraham justificatus est.* Hæc Ambrosius.

2. ad Cor. 4. n. 7.

Amb. lib. de Noe, & arc. c. 19.

Id c. 2. in Luc.

Apoc. c. 6. Olea legis hieroglyphicum.

In ep. ad Rom. c. 11.

4. At miris quoque laudibus Hieronymus olivam prosequitur, eidemque nobilissima mysteriorum insignia calamo devotus insculpit; quippe qui in illa Oseæ verba cap. 14. lib. 3. *Et erit quasi oliva gloria ejus*, hanc veluti patens sanctorum virorum symbolum prædicat: *Sanctum*, inquit, *virum, & conversum ad Dominum, olivæ fructiferæ Propheta comparat, quæ dicit in alio loco: Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini.* Synagogam quoque eidem olivæ comparat, prophetica illa Habacuc verba cap. 17. expendens: *Mentietur opus olivæ.* hæc autem ad rei propositum affert: *Olivam quoque populum Synagogæ liquido comprobabit.*

Oliva sanctorum imago habetur.

Hier. in Oseæ c. 14. l. 3.

Ab. c. 17. Oliva synagogam quoque symbolice significat.

5 Idem plane mellifluus sacros inter scriptores Bernardus diserte comprobat in Hierem. verba lib. 17. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocabit Dominus nomen tuum*; quo potissimum loco Hierusalem, ac Judæorum gentem olivæ pulcherrimæ, ac fructuosæ eleganti sermone comparat, quæ per superbiam elata protinus viridibus foliis orbata exaruit, ut enim Propheta ibi subtexit: *Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta ejus.*

Bern. in verb. Hierem. c. 17.

Ier. c. 17.

6 Sed hic quæso in medium proferantur, quæ Augustinus in Ioan. cap. 1. tract. 6. hujus fructum arboris lynceis oculis contemplans loquitur; ubi hanc velut charitatis symbolum hunc in modum describit: *Olivæ fructus*, inquit, *charitatem significat. Unde hoc probamus? Quomodo enim oleum nullo humore premitur, sed diruptis omnibus exilit, & supereminet; sic & charitas non potest premi in ima; necesse est, ut ad suprema emineat.*

Oliva charitatis significationem obtinet.

D. Aug. in c. 1. Io. tract. 6.

7 Huic vero explanationi Gregorius inhæret, qui Homilia 20. in Euangel. ipsamet etymologicam olivæ notionem argute perpendens, isthæc in medium affert: *Quos autem*, inquit, *per olivam, nisi misericordes accipimus, quia & Græce* ἔλεος *misericordia vocatur.* Oleum quippe, quod ex olea exprimitur, misericordiæ symbolum est. Quapropter uberrima olim symbolici olei irrigatione adventus Christi non Urbi dumtaxat, sed & toti terrarum orbi prænuntiatus fuit. In Transtyberina enim regione paulo ante Christi nativitatem ex Meritoria Taberna fons olei totum integrum diem emanavit, ut Christum, qui misericordiæ sinum cunctis adaperiret, nasciturum evidenti testificatione

D. Greg. ho. 20 in Euang.

Oleum in Taberna Meritoria Christo nascente fluit.

tione portenderet. Cujus quidem admirandi jugiter portenti, ac portentosi pariter fontis Eusebius in Chron. Orosius lib. 6. c. 19. & alii testes sunt: quod in suis Ecclesiasticis Annalibus à Baronio his verbis describitur: *Anno vero tertio*, ut testis est Eusebius, *Romæ è Taberna meritoria trans Tyberim oleum è terra erupit, fluxitque toto die sine intermissione.* Quibus enarratis hæc ad mysticum Christi adventum designandum ab Orosio subtexuntur: *Quo signo*, inquit Orosius, *quid evidentius quam in diebus Cæsaris toto Orbe regnantis futura Christi nativitas designata est? Christus enim unctus interpretatur. Itaque cum eo tempore quo Cæsari perpetua Tribunitia potestas decreta est, Romæ fons olei per totam diem defluxit, sub principatu Cæsaris, Romanoque Imperio per totum diem, hoc est per omne Romani tempus Imperii Christum, & ex eo Christianos, id est, unctum, & ex eo unctos de Meritoria Taberna, hoc est de Hospitali, largaque Ecclesia affluenter, atque incessabiliter processuros.* Hæc Orosius. Meruit autem subinde locus ille, ut subdit Baronius, nobilissima memoria illustrari, Ecclesia nimirum amplissima Dei Genitricis titulo, à Callisto Pontifice prima omnium, quarum extet memoria, olim erecta. Ideo autem portentosum ibi potissimum in Urbe oleum effluxit, ut Baronio placet, quia cum habitarent Augusti tempore Judæi, qui Romæ aderant, trans Tyberim, ut auctor est Philo, permissi more majorum vivere; quod & Ethnici scriptores testantur: quapropter unus ex ipsorum poëtis Judæum hominem, Transtyberinum ambulatorem appellat, cum ait:

Hoc quod Transtyberinus ambulator
Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat vitreis.

Quamvis autem viles, ac abjecti essent, ut in rem præsentem Baronius ait, *tamen quoniam ex Iudæis salus ventura erat, regio ubi degerent, eo meruit miraculo illustrari.* Locus autem nunc beatissimæ Virgini, quæ misericordiæ Mater appellatur, dicatus, cunctis misericordiæ oleum quod ex uberrimo Sacramentorum Christi fonte promanat, & Christi pariter unctionem cunctis inculcans sacris hisce carminibus rem mysticam prænotantibus illustratur:

Hinc oleum fluxit, cum Christus virgine luxit
Hic & donatur veniæ quodcumque rogatur.

Porro præmemorata Deiparæ Virginis Ecclesia, cujus hic mentio recurrit, prima quidem inter alias in Urbe adnumeratur, quæ publico religionis cultu à Christianis in Dei honorem dicata est, intra quam primævi ad orandum, & psallendum Christiani coire consueverunt: cum enim Christiani haud ullum publice locum ad sacra obeunda munera obtinerent, anno Christi ducentesimo vigesimo quarto ab Alexandro Imperatore Mammeæ filio, locum hunc sibi concedi suppliciter expetiere, verum popinariis de eodem impetrando contendentibus, & enixius apud Imperatorem instantibus, Imperator, utpote è matre optime educatus, pro Christianis, ut Lampridius in ejusdem gestis ait, benigne rescripsit: *Cum Christiani*, inquit Lampridius, *quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, è contra Popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit: Melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam Popinariis detur.* Locus igitur à Christianis ex tunc legitime occupatus, sacris ritibus à B. Callisto Papa in honorem Deiparæ, illibatique ejusdem partus olei prodigio præsignati memoriam consecratus est.

Eus. in chron.
Bar. in appar. ad Ann. Eccl. n. 29.
Oros. hist. l. 6. c. 20.
Ecclesia B. Virginis Transtyberina.
Philo l. de leg.
Mar. ep. l. 1. in Cæcil.
Ecclesia B. Virginis Transt. prima Romæ Deo dicata. Bar. t. 2. ann. 224 n. 4.

8 Demum cæteris omnibus mysticis derivationibus, quæ Patrum testimonio olivæ congruunt, brevitatis gratia silentio obvolutis, hanc unam postremo loco, pio ac studioso recolendam lectori subjicere sat est, quæ ad nostri quoque instituti propositum facit. Probe igitur nosse oportet, olivam in victoriæ item symbolum, ipso Augustino teste, mirifice aptari, libro de Civitate Dei, ubi isthæc: *Oliva solebat imponi victoribus in ludis Minervæ, quod ejus fructuum inventricem Minervam tradunt.* Quod quidem antiquis temporibus apud Ethnicos in more positum fuisse constanti plurium testimonio scriptorum didicimus, & ipsius præsertim Virgilii, quem recensuimus, Æneid. lib. 5. ubi præcipue de præmiorum muneribus, quæ suis post pugnam Æneas dux meritissimus victoribus pollicendo proponeret, edisserens hæc inquit:

Omnibus hic erit unus honos, tres præmia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva.

Et infra in rem præsentem isthæc subjicit:

Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur viridi Mnestheus evinctus oliva.

9 Columbarum igitur imagines Christianorum sepulchris frequenter unà cum olivæ ramusculis in victoriæ signum nulla interim efficta ipsius Noëmi, aut Arcæ figura, exsculptæ sunt: & non eam dumtaxat ob causam, ut nobis credere par est, quod fideles, qui illic in Cœmeteriis, tanquam in Noëmica arca inclusi delitescebant, Dei ipsius nutu se regi ac servari, atque inundantes diluvii aquas, id est, ingruentium persecutionum vim tandem aliquando, Deo votis feliciter aspirante, desituram intelligerent: sed quod nobilissima ultro ex adversis, si quæ pati contingerent, se victoriæ laurea potituros sperarent, quam nobiliores Christi athletæ Tartareis jam ex hostibus viriliter dimicando revexerant, qui depositis inibi mortalis sarcinæ exuviis suaviter in Domino quiescebant.

10 Quod plane expressa columbæ ramum olivæ præferentis imago innuere videtur, quæ tribus super pueris intra Babylonicæ fornacis ambitum consistentibus afficta cernitur, ac si faustarum iisdem rerum prænuntia, illud symbolice menti suggereret, rabidum ac vorax illud, haud aquarum, sed ignium exæstuantium pœnale diluvium divinitus restinguendum fore, quod olim Noëmo sub ipsa diluvii tempora inter immensos aquarum vortices feliciter obtigit. Et demum ut virentis olivæ ramo, quem ore columba præferebat, optatissimus victoriæ triumphus, qui Babylonico è Rege ab iisdem inter flammarum incendia referendus esset, palam hoc nobili symbolo præmonstraretur.

11 Mystice autem virginum quandoque tumulis olivarum rami apud Christianos insculpti conspiciuntur. Apud ipsos quippe antiquos multiplicium rerum oliva symbolum extitit, & virginalem præ cæteris candorem prænotasse Phornutus his verbis asserit: *Ideo enim Minervæ olea tribuitur, quod semper vireat, & aliquid habeat glaucedinis, & quod oleum nihil contineat humidi admixtum, sed semper sincerum, & ἀκηράσιον perseveret, ita & Virginitas*, ut optime deducto in rem symbolo Phornutus subinfert. Sunt insuper, qui oleæ sertum paciferis viris assignent, quod hæc potissimum arbor sit pacis symbolum: *ideoque arma ferri, bellaque suscipi dicuntur, quo tandem commodius in pace vivatur*, ut Girald. syntag. 11. edisserit. Ex veterum insuper Commentariis, ut Alciatus edocet, dicatam Palladi oleam dici, eandemque castitati addictam didicimus, utpote

Oliva victoriæ signum.
D. Aug. l. de Civ. Dei 18. c. 12.
Virg. Æn. 5.
Cur sepulchris columbæ cum oliva appingerentur?
Columbæ olivarum præferentis imago Pueris in fornace appicta quid innuat?
Oliva virginitatis interpretationem habet.
Pacis symbolum.

pote quæ humanis haud unquam usibus pollueretur, immo quæ Deorum templis nisi consulto accenderetur. Verùm ut speciosum illibati candoris symbolum ex olea hauriamus, *inter Græcos plerique auctores olivam ab impudicis consitam aut non crescere, aut fructum non ferre asseverant; qua opinione*, ut Alciatus ait, *imbuti, à castis tantum, & virginibus inseri debere putabant*. Nec olivarum subinde succus Deo in sacrificium, dulcioribus quibusvis succis rejectis, oblatus mysterio vacat: oleum quippe quod ex olivarum amaritudine exprimitur, in Salomonis Templo ad concinnandas Candelabri lucernas incendebatur, animi potissimum amaritudinem Deo gratissimam esse evidenti symbolo, ut ait Hieronymus, portendebat: *In Domini*, inquit, *sacrificiis mel non offertur, ceraque contempta, quæ mellis hospitium est, oleum accenditur in templo Dei, quod de amaritudine exprimitur olearum*. Ita Hieronymus: ad quod eleganti emblemate ingeniosus ille allusisse visus est, dum de oleis quantumvis amarissimis, dulcem stillantibus liquorem, illis aliquando verbis lusit: *Amaritudine dulcescunt*.

Oliva ab impudicis consita non crescit, aut infructifera redditur. Oleum Deo accendebatur ejusque mysterium.

12 Vides igitur, amice lector, quorsum Christiani festivos olivarum ramos Cœmeterialibus passim sepulchris affigerent, ut pacis videlicet, ac victoriæ symbolum intuentium tum oculis, tum animis olivæ jugiter adspectus ingereret. Sed hæc interim de olivæ symbolo lectori prælibasse sufficiat.

CAP. XLV.

De Vitibus & Vvarum racemis.

Vitis Centurionum insigne.

1 VItis quidem, ut ab altiori principio, & ab antiquioribus rem temporibus, ac dicendi pariter exordium auspicemur, nobile olim Centurionum insigne unà cum cingulo extitit: hanc quippe manu gestantes, in delinquentes milites animadvertere consueverant. Quapropter de Mario gregario olim milite sub Centurione hæc apud Iuvenalem:

Iuven. sat. 1.

Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.

Plin. l. 14. Tac. ann. l. 1.

Sed & Plinius idem his palam verbis comprobare videtur: *Centurionum*, inquit, *in manu vitis, & optimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipsam honoret*, nempe quod nobili ligno delinquentes verberaret. Sed est & illud Taciti in animadversione militum per Centuriones adhiberi vitis ligno consueta hæc de Lucillo Centurione sævissimo dicentis: *Centurio Lucillus interficitur: cui militaribus facetiis*, Cede alteram *nomen indiderant: quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, & manu aliam poscebat*.

D. L. Miles agrum. § is autem §. de re militari.

Porro Centurioni, ut Baronius in rem præsentem affirmat, vite militem verberanti, haud impune reluctari licebat. Nam sic Macer in lib. de re militari de irreverenti milite: *Si vitem tenuit, militiam mutat*, nempe in gradum inferioris ordinis redigitur. Rursum: *Si ex industria fregit, vel manum Centurioni intulit, capite punitur*. Hæc ipse ex veteris disciplinæ præscripto. Hinc in Marcelli Centurionis actis, qui Tingi in Mauritania nobili Martyrio sub Diocletiano Imperatore coronatus est, antiqua ejuscemodi consuetudo, & vitis insigne, quo Centuriones præstabant, apertis verbis exponitur: eundem enim una cum cingulo vitem obtestandæ fidei causa procul à se abjecisse describitur: *Si talis est*, inquit, *conditio militantium, ut diis, & Imperatoribus sacra facere compellantur: ecce projicio vitem, & cingulum, renuncio signis, & militare recuso*. Et hæc de viti, quæ olim apud Gentiles militaris præeminentiæ ac potestatis insigne præseferebat, hic primum studioso lectori suggerere voluimus.

Bar. to. 2. Ann 298. n. 2. apud. Sur. to. 1. de 30. Octob.

Vitis, & Uvæ earumque mysteria.

2 Verùm ut nunc à profanis ad sacra, & à militaribus rebus ad Cœmeteriales stylum convertamus, antiqui Christianorum præter jam descriptas, ac enarratas symbolicarum rerum imagines, vites pariter uvis, refertas, in abditis Cæmeteriorum Cubiculis frequenter pingere consueverunt: neque vero ornamenti duntaxat conciliandi gratia, sed mysteriorum quoque adumbrandorum causa id ab iisdem præstitum fuisse dixerimus. Vites quippe, & uvæ, quæ iisdem Subterraneæ Romæ tabulis inferuntur, Israëliticum populum, ac Synagogam designant, quæ in compluribus quidem sacrarum paginarum locis haud alio, quam electæ titulo vineæ commendatur: id autem præcipue ex c. 2. Hieremiæ constat, ubi ipsemet Deus acceptum sibi populum, quem singulariter excoluerat, hac potissimum similitudine compellat: *Ego autem plantavi te vineam electam, &c.* Quod psalmo item 79. repetitur: *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, & plantasti eam*.

Vitis Synagogam symbolice designat. *Hier. c. 2. Psal. 79.*

3 At magis quidem mysteriis consone, ut verum fatear, ipsummet Dominum propositæ vitis symbolum prænuntiari crediderim, qui de semetipso loquens, isthæc ait: *Ego sum vitis, vos palmites*: & quod inde consequitur, Ecclesiam ipsam, cunctosque fideles apte hujuscemodi symbolo designari quis merito asserere potest, Hieronymo teste in illud Isaiæ 5. *Vinea facta est dilecto, meo, &c.* ubi isthæc: *Cuncta*, inquit, *quæ dicuntur de vinea, possunt & ad animæ humanæ referri statum, quæ à Deo plantata in bonum, non uvas attulerunt, sed labruscas*. Verum enarratæ hactenus ab Hieronymo sententiæ Augustinus Ps. 8. qui *pro Torculari* inscriptus est, his verbis mirifice adstipulatur: *Torcularia possumus accipere Ecclesiam eadem ratione, qua & Arcam intelligimus Ecclesiam: quia sive in Arca, sive in Torculari nihil aliud agitur, nisi ut fructus ab integumentis purgetur*. Et infra apte in rem præsentem hæc subdit: *Est alius intellectus de Torcularibus, dum tamen ab Ecclesiarum significatione non recedatur. Nam & Verbum divinum potest etiam intelligi. Dictus est enim Dominus Botrus uvæ, quem ligno suspensum de Terra promissionis qui erant præmissi à populo Israël tanquam Crucifixum attulerunt, &c.* Hæc eleganter Augustinus.

Vitis symbolum Christi Domini congruentius. Et Ecclesiæ fideliumque. *D. Hier. in c. 5. Isai. D. Aug. in Ps. 8.*

4 Quapropter ut res, cujus sermo recurrit, oculis comprobetur, sapienti quidem consilio ipsiusmet Christi Salvatoris imago à Christianis olim, ut in Cœmeterialibus tabulis videre est, sub vitis, ac racemorum uvæ symbolis contemplanda proponebatur: quinimmo in ipsismet fictilibus lucernis Christi imaginem uvarum racemis ad innuenda symboli ejusdem mysteria iidem eleganter excultam delineabant, ut in hac potissimum lucerna compertum fit, quæ uvarum racemis nobilis instar coronæ fertis Christi sub pastoris typo circumdatam imaginem contemplandam exhibet:

Christi imago cum uvarum racemis.

Quod



Quod plane Pastoris Euangelici inter mysticos uvarum racemos consistentis symbolum illa Joannis Chrysostomi verba auribus nostris jugiter insonare videtur: *Quis pastor*, inquit, *oves proprio pascit cruore? quid dico pastor? matres multæ sunt, qui post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus: sed ipse nos proprio sanguine pascit, &c.* Uvarum igitur botri ipsiusmet Christi, quem pro hominibus effudit, sanguine redundantes salutis nostræ pretium ac sacramenta propinant. Verum ut propositæ insistamus similitudini, congrue quidem non in sacris tantum Cœmeteriis Christiani vitem, sed in ipsiusmet templis pennicillo adumbrabant, ut in apside Ecclesiæ S. Clementis de Urbe videre est, ubi eleganter prope Amphitheatrum tessellato opere vitis Christi Crucem circumiens suspicitur, carminibus hisce exsculptis:

Chrys. ho. 87. in Matth.

Ecclesiam Christi viti similabimus illi,
Quam lex arentem, sed Christus facit esse virentem.

Picturis igitur proposita similitudo mirifice comprobatur.

D. Amb. l. 3. Hexam. c. 12. Vitis cum anima fideli comparatio.

4 Quam item Ambrosius ex ipsiusmet vitis proprietate disertis plane verbis in hunc modum comprobat: *Quis non miretur?* inquit, *ex acino vinaceo vitem usque in arboris summum cacumen prorumpere, quam velut quodam amplexu fovet, & quibusdam brachiis ligat, & circumdat lacertis, pampinis vestit, sertis uvarum coronat, quæ ad imitationem vitæ nostræ, primum vivam defigit radicem, deinde quia natura est flexibilis, & caduca est, claviculis, quasi manibus quidquid apprehenderit, stringit, sicque se erigit, & attollit. Hujus est similis plebs Ecclesiæ, quæ velut quadam fidei radice plantatur & reprimitur humilitatis propagine, de qua pulchre ait Propheta: Vineam de Ægypto transtulisti, &c. Et per Isaiam: Vinea facta est dilecto meo, &c. Evidenter igitur exemplo vitis ad nostræ vitæ institutionem ascendendum esse significavit, quæ prima veris tepefacta temperie gemmare perhibetur; deinde ex ipsis sarmentorum articulis fructum emittere, de quibus oriens uva formatur, paulatimque augescens immaturi partus retinet acerbitatem; nec potest nisi matura jam & cocta dulcescere. Vestitur interea viridantibus pampinis vinea; quibus adversum frigus, omnemque injuriam exiguo munitur subsidio, & à solis ardore defenditur. Quid autem eo spectaculo gratius, vel fructu ejus dulcius? videre serta pendentia, velut quædam speciosi ruris monilia, carpere uvas vel aureo colore vel purpureo renitentes?* Audis quam speciosa in vitis ac racemorum ejusdem præconia aureum Ambrosii eloquium derivet. Sed isthæc de mira vitis ubertate, ac de eleganti pariter fructuum, quos gemmarum instar profert, copia prælibasse parum ratus Ambrosius ociosos homines; ac stertentes, qui tempus ipsum faciendi fructus frustra terunt acrius perstringendo redarguens, hæc infra subtexit: *Nec advertis*, inquit, *ex his admoneri te homo, ne immaturos fructus tuos dies supremus inveniat, ut plenæ tempus ætatis opera imparata dedeceant. Acerbus enim fructus amarior esse convenit, nec potest dulce esse, nisi cum ad maturitatis perfectionem adoleverit. Huic viro profecto nec frigus horridæ mortis, nec sol iniquitatis nocere consuevit, quia obumbrat eum gratia spiritualis, & omnia mundanæ cupiditatis, & corporeæ libidinis restringit incendia, defendit ardores, laudent te quicunque conspiciunt, & agmina Ecclesiæ velut quædam palmitum serta mirentur: spectent singuli fidelium pulchra animarum monilia, delectentur maturitate prudentiæ, splendore fidei, confessionis decore, justitiæ pulchritudine, ubertate misericordiæ, & dicatur tibi: Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, & quod redundantiam vitis fructiferæ copiosæ munere liberalitatis imiteris.*

Vitis maturos fructus proferens quid hominem doceat.

5 Interim vero, ne Hieronymum prætereamus, studioso lectori repetenda sunt, quæ mysticis idem elocutionibus in Amos. 9. ad rei propositum edisserit, dum uvam in torculari, calcantium pedibus expressam, invictorum Martyrum symbolum esse pronunciat; sed ejus hic quæso verba gratis auribus excipiamus: *In illo tempore plenis torcularibus uva calcabitur, & de Christi ac Martyrum sanguine rubentia musta fundentur.* Quod plane mysterium Bernardus in illud Cant. 6. diserte prosequitur: *Vineæ florentes dederunt odorem suum*, ubi hæc habet: *Cæterum si vineæ, animæ flos opus, odor opinio est, fructus quid? Martyrium; & vere fructus vitis, sanguis est Martyris.* Martyrium quoque sub specioso descriptæ vitis symbolo in illa psal. 126. verba, *Filii merces fructus ventris*, altius inculcat: *Quidni*, inquit, *sanguinem uvæ dixerim meracissimum, sanguinem innocentis, sanguinem justi? Quidni mustum rubens, probatum, pretiosum plane, de vinea Soreth torculari passionis expressum, &c.*

Uva symbolum Martyrii constituitur.

D. Hier. in c. 9. Amos.

D. Bern. in Cant. 6.

Id. in Ps. 126.

6 Demum ad rei propositæ symbolum sufficienter comprobandum accedunt, quæ in M. S. Sanctæ Eugeniæ Cod. S. Cæciliæ actis recensentur: dum enim illa virgines, quas jam ad Christi fidem traduxerat, ad Martyrium alacri, constantique animo subeundum adhortaretur, his potissimum easdem verbis interpellasse legitur: *Ecce vindemiæ tempus, in quo uvæ fertiles succidentur, ut à pampineis levitatibus separatæ, poculis cælestibus exprimantur; & vos vitæ meæ propagines & meorum viscerum botriones estote paratæ, &c.* Ex enarratis igitur legenti compertum fit, quid coloribus expressa pulcherrimæ vitis imago, quæ sacris passim imaginibus interseri consueverat, quid, inquam, tot recolenda jugiter intuentium animis mysteria ingerendo, emolumenti exhiberet, tum præsertim cum viriliter in agone pro fide certantibus haud obscurum delibandi sanguinis,

S. Eugeniæ ad Martyrium adhortatio adducta uvarum metaphora. M. S. Cod. S. Cæc.

guinis, ac Martyrii symbolum præseferret. Sed de Vite hactenus.

CAP. XLVI.

De Candelabro.

Candelabrum Mosaicum ejusque mysteria. Exod. 21.

1 AVreum legis Mosaicæ Candelabrum, ipsomet olim jubente Deo conflatum, quod suum inter cætera ornamentorum genera Salomonico Templo splendorem refundebat: *Facies*, inquit, *& Candelabrum ductile de auro purissimo*; aureis itidem, ut reliqua antiqui Testamenti monimenta, mysteriorum symbolis illustrabatur. Quippe cum Mosaicæ tabulæ, vel sub umbra Christum exhiberent, tum verbo, tum facto venturum eundem orbi designabant, ut optime Tertullianus carmine illo edisserit: (Tert. l. 2. car. c. 2.)

Omnia de Christo, per Christum cuncta loquuntur.

Quoniam enim ex divino Apostoli Petri oraculo: *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent*; Candelabrum quoque suam Christo gentibus præmonstrando vel inter tenebras lucem contulit. Qua enim ratione arca, & legis item digito Dei vivi conscriptæ tabulæ Christum symbolice adstruebant, venturumque vel tacite loquebantur, ut potissimum de Arca orthodoxis è Patribus, & ex eodem Tertulliano, hanc expressam Christi Salvatoris humana forma induti imaginem pronunciante innotescit, illis videlicet verbis: (Act. Ap. c. 10. 53.)

Arca sub exemplo corpus venerabile Christi
Ostendit. (Tertul. l. 4. c. 3. cont. Marc.)

Et de Mosaicis insuper tabulis, quas utriusque præsignati in Christo testamenti indices fuisse contendit, idem apte in rem præsentem Tertullianus his verbis elocutus fuisse videtur:

Et tabulæ duplices conscriptæ legis in Arca,
Significant simul hæc in Christo condita semper,
Qui vetus, atque novum mandatum protulit ipse. (Tert. ubi sup.)


Antiqui enim, ac novi pariter Testamenti tabulas unus, idemque Salvator adimplet: *Finis enim legis*, Apostolo enarrante, *Christus est*. Candelabrum igitur, ut ex umbra gratam oculis lucem auspicemur, haud aliud profecto, quam Christum mentibus ingerit, qui de semetipso concinne testatus est: *Ego sum lux mundi.* & uno fere orthodoxorum omnium Patrum ore sub Candelabri typo Christus Dominus revelatus agnoscitur: *In quo*, ut Gregorius edisserit, *natura humanitatis fulsit lumine divinitatis, ut mundi candelabrum fieret.* (Rom. c. 10. — Candelabrum Christi typus. — Io. c. 8. — Greg. ho. 6. in Ezech.)

Candelabri Mosaici imago in Cœmeteriis.

2 Congrue igitur Christiani, cum in Cœmeterialibus cavernis tenebras inter, unaque cum mortuis consepulti, persecutionum tempore delitescerent, lucernasque ad propulsandam noctis caliginem sepulchris passim affigerent, Mosaicum quoque septenis instructum lucernis Candelabrum, quo idem olim Christus præmonstrabatur, oculis contemplandum ingerebant, ut abolitarum jam figurarum umbras, ne dicam tenebras, fidelium oculis suam, juxta illud prophetæ oraculum, afferre lucem contestarentur: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* & illud item: *Quia tenebræ non obscurabuntur, nox illuminatio mea in diliciis meis.* Christiani quippe supernæ fidei lumine perfusi, illud merito Apostoli ore insonare poterant: *Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur, de claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu.* Istud igitur Candelabrum jam tum tenebris addictum, quod symbolicè suam Euangelium lucem contulit, sacris quoque Cœmeteriis lumen quodammodo mutuat. Quamobrem haud immerito in Subterraneæ Romæ tabulis Candelabri hujus desideranda imago videbatur; quod sub Tito quondam Imperatore è Hierosolymorum templo in Urbem cætera inter spolia in triumphum deferri contigit, ut in conspicuo cujusdam Titi arcus lapide longa adhuc post secula illibato, vel à cæcutientibus ad Euangelii lumen Judæorum oculis videre est, abolitæ legis monimentum, ipsomet Josepho his verbis enarrante dedicatum est: *Spolia*, inquit, *alia passim ferebantur, eminebant autem ea quæ apud Hierosolymam reperta sunt, mensa aurea ponderis talenti magni, & Candelabrum similiter auro factum, posthæc autem portabatur lex Iudæorum novissima spoliorum.* (Psal. 138. — 2. ad Cor. c. 3. n. 16. — Candelabrum Mosaicum à Tito in triumphum portatum. — Ios. heb. l. 7. de bell. Iud. c. 64. Azor. inst. mor. l. 6. c. 43.)

Candelabrum Mosaicum in sepulchris Christianorum cur pingeretur?


3 Celeberrimum ergo Candelabrum, quod septenis quidem lucernis jugiter præfulgebat, & sub ipsa Mosaicæ legis umbra Hebræorum genti velut quid præcipuum ad sacrum Iudaici Templi cultum usui erat: cujus item imago in eorumdem Hebræorum Cœmeterio frequenter exprimebatur, in Christianorum quoque Cœmeteriis pingi, ac repræsentari aliquando consuevit. Neque vero qui cuncta sapientissimis permoti rationibus, præstabant, id otiose aut perperam præstitere: nam etsi Mosaicum ejuscemodi Candelabrum, quod ipso præcipiente Deo conflatum est, omni jam præceptorum cæremonialium ritu abolito, nobis nullatenus usui existat, nihilominus tamen quod ad mysteriorum significationem attinet, Christiani ab ipsismet Iudæis quibusdam in rebus haud omnimode discrepant, & sub mystico Candelabri ejusdem typo, altiora ac nobiliora rerum arcanarum mysteria contemplantur. Quapropter sub Mosaici Candelabri etsi jam aboliti, ac obtenebrati symbolo mysteriorum lumen hauriebant. Sed antequam ad intima, quæ latent, edisserenda mysteria deveniamus, Cœmeterialis interim Candelabri à Iudæis frequenter, & ab ipsismet Christianis usu quandoque receptam hic tibi ob oculos imaginem repetitam proponimus.



Candelabri imago in Hebræorum Cœmeterio.

Verum Iudæis potissimum, quibus caligine altius obcœcatis nulla supernæ fidei & Euangelii lux refunditur, sublato in perfidiæ pœnam ipsomet scripturarum fulgore, inter tenebras cœcutientibus sola duntaxat extincti Candelabri umbra remansit: quocirca eorumdem Cœmeterium, quod Portuensi via situm est, lucernis Mosaico Candelabro passim obsignatis excultum Bosius oculatus rei testis, ut jam diximus, contemplatus est.

4 Can-



Candelabrum simulacrum Cæli.

4 Candelabrum hoc igitur Hebræi, quod mirifico olim artis studio elaboratum in Templo suspiciebatur, manifestum ipsiusmet Cæli symbolum esse jactabant: lucerna autem, quæ medium inter cæteras locum tenebat, solem adumbrari ac demum reliquis hinc inde luminaribus, quibus Candelabrum mirificè instruebatur, minores, quas dicunt, planetas collucentes exprimi affirmabant. Ita prorsus Philo lib. Quis rer. divin hæres. & Ioseph. Antiqu. lib. 3. cap. 7. Hoc idem nonnulli ex nostris quoque scriptoribus asseruere, inter quos præcipuus est Clemens Alexandrinus Stromat. libro 5. cujus hæc sunt verba: *Ex utraque parte Candelabri tres inserti sunt rami, & in ipsis lucernæ: quoniam sol quoque tanquam Candelabrum collocatus est in medio aliorum errantium, & iis qui sunt super ipsum, & ii, qui sunt sub ipso, divina quadam musica, lumen indit.* Idem pariter ac in eamdem fere sententiam Abulensis exponit in 2. Paralipom. cap. 2. q. 11.

Phil. Iud. l. 23. div. Ios ant. l. 3 c. 7.

Clem. Alex. strom. l. 5.

Abul in 2. par. c. 2. q. 11.

Candelabrum requiem symbolice significat.

5 Hebræi insuper per Candelabrum quod septenis lucernis constabat, requiem symbolice denuntiari asserebant, quæ septima videlicet rerum omnium ex nihilo conditarum die olim præfigurabatur. Iactabundò itidem ore lucernam illam, quæ septimo præ cæteris loco fulgebat, faustissimum Messiæ symbolum præferre docebant, in cujus adventu in omnimodam ipsi libertatem, & è jugo tandem miseræ servitutis, quo premebantur, in exoptatæ pacis sinum feliciter vindicandi essent. Quæ quidem singula nos quoque Christianis imbuti dogmatibus de Messiæ ultro ac palam asserimus vel hoc uno tamen discrimine à perfidis Iudæorum assertionibus discrepantes, quod illi in ipsamet rerum divinarum luce, & vel dum scripturarum radii undique coruscant, oculis cœcutientes venturum expectant, quem nos opportuniore divinitus fidei lumine respersi jam ultro nostræ salutis causa in terrarum orbem advenisse profitemur.

Messias per septimam Candelabri lucernam mystice denotatur.

6 Christiani igitur haud incongrue hujusscemodi Candelabri symbolo cœlum intuentibus designare conati sunt, in quo nimirum ipsummet Christum Dominum patentissimum Iustitiæ solem ac æternæ lucis jubar contemplari fas est, ex quo totus subinde orbis peroptatum mentis lumen exhauriret, quod & à sanctis Prophetis prænuntiatum, & ab ipso præsertim Isaia cap. 9. his quidem verbis palam demonstratum fuerat: *Habitantibus*, inquit, *in regione umbræ mortis lux orta est eis. Et c. 10. Super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur.* Et infradum in rem præsentem magis perspicue loqueretur: *Non erit tibi amplius*, inquit, *sol ad lucendum per diem; nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Huc item spectant, quæ Christus Dominus de seipso Ioan. 8. aptis; apertisque verbis exposuit: *Ego sum*, inquit, *lux mundi.* Et: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* De quo pariter festivis illis vocibus Deiparam interpellans canit Ecclesia: *Ex te enim ortus est sol justitiæ Christus Deus noster.* Hoc item lumen est, quod Ioann. 1. illis potissimum Euangelicis verbis ostenditur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Verum quod cœcutientibus Iudæorum oculis immissum cælitus lumen haud quidquam profuerit, audi ipsum Euangelistam de Hebræis hunc in modum loquentem: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Quapropter dum lucem illi cunctis jam mortalium mentibus obortam, *Ipsi rebelles*, ut scriptura inquit, *lumini* clausis oculis haurire detrectant, perpetuis noctuarum instar tenebris addicuntur, ac nobis duntaxat, quibus scripturæ palam Christum loquuntur, tanquam superna luce perfusis Mosaici hujus Candelabri figura resplendet. Merito igitur jure Hebræis tanquam lucifugis, ac in perfidiæ, qua tenentur, pœnam vel in ipsa meridiana luce palpantibus, Mosaici Candelabri symbolum obscuratum est, nec iisdem ullatenus, utpote quibus jugis nox est, aptatur: quod eleganter quidem eruditissimus vir Ioannes Castellinus Zaratinus expressit, dum Hebræorum quondam Cœmeterium unà cum Bosio curiose perlustrans, tot ibidem in eorumdem sepulchris exsculptas candelabrorum imagines videret, hoc enim perarguto disticho lepidissime ludens, obfirmatam insani populi cœcitatem delusit:

Isa. c. 9.

Isa. c. 9.

Io. c. 1.

Ant. ad laud B. Virg.

Io. c. 8.

Quid Candelabrum prodest sine lumine Christi?
Perpetuis tenebris turba proterva jaces.

Candelabrum typus Christi Domini

Clem. Alex.

7 Candelabrum igitur, de quo nunc agimus, mystice Christum designat, ut apertis verbis Clemens Alexan. loco citato edocet, ubi isthæc subdit: *Habet autem aliud quoque ænigma aureum Candelabrum signi Christi, non figura solum, sed & etiam quod lucem immittat multifariam, multisque modis in eos; qui in ipsum credunt, sperant, & respiciunt, per ministerium eorum, quæ sunt primo creata. Dicunt autem esse septem oculos Domini, septem spiritus requiescentes in virga, quæ floruit ex radice Iesse, &c.* Clementi quoque Alexandrino pari sententiarum pondere Ruper. Abbas adstipulatur, qui isthæc in medium profert: *Sed quia sunt exemplaria cælestia, caleste ex ipso speculemur Candelabrum, id est, Christum incarnatum, &c.* Et hæc infra ad idem elucidandum subtexit: *Septem lucernæ, septem spiritus Dei sunt, quorum exemplares septem lucernæ fuerunt, quæ super illud materiale Candelabrum positæ sunt. Christus ergo, super quem requiescet spiritus Domini spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritu timoris Domini. Ipse est Candelabrum Cæli, Candelabrum & lux mundi: septem hujusmodi lucens semper inextinguibilibus lucernis.* hæc Rupertus.

Rup. Ab. l. 4. in Exod. c. 8.

Septem Candelabri lucernæ septem Spiritus S. dona sunt.

Candelabrum Christum mystice designat. D. Greg. ho. 6. in. Ezech.

8 Eidem vero sententiæ, quæ sub mystico Candelabri symbolo Christum Salvatorem agnoscit, Gregorius pariter inhæret, dum homil. 6. in Ezechielem, illa Exodi verba exponit: *Facies Candelabrum, &c. Christus*, inquit, *est, in quo natura humanitatis fulsit lumine divinitatis, ut mundi Candelabrum fieret, cujus lumine peccator tenebras suas agnosceret. Ex auro purissimo, quia naturam nostram sine culpa suscepit.*

Candelabrum imago Spiritus S. Bed. c. 25 in Exod.

9 At Beda aliud sub septenarum hujuscemodi lucernarum typo divinitatis hieroglyphicum recolit, ac veneratur, qui cap. 25. in Exod. per illud Mosaicæ legis Candelabrum mystice Spiritum sanctum designari affirmat: *Candelabrum*, inquit, *Spiritus sancti gerebat imaginem, qui septiformi gratia illustrat Ecclesiam.* Plura interim in una eademque re vir doctissimus mysteria attingens cap. 49. quæst. super Exod. Christi quoque ac septem Ecclesiarum typum esse pronuntiat, de quibus in Apoc. sermo est, hæc autem ille in rem præsentem habet: *Alii Candelabrum Cristum intelligunt gestantem septem Ecclesias, in quibus septiformis splendor Spiritus sancti emicat, &c.* Ecclesiæ insuper imaginem Iudaico Candelabro adumbrari idem asserit in lib. quem de Tabernaculo inscripsit cap. 8. ubi isthæc: *Candelabrum Tabernaculi, sicut & mensa, præsentis temporis Ecclesiam designat.* Et hæc paulo infra: *Hastile Candelabri; ipse est, qui est Caput Ecclesiæ, mediator Dei, & hominum Christus Iesus.*

Bed. q. in Exod. c. 49. Bed. in. l. de Tab. c. 8. Candelabrum typum Ecclesiæ præfert.

Candelabrum Christum, & fideles omnes mystice significat. Ansel. in c. 9. ad Heb.

10 Multiplicia tamen divinorum arcana mysteriorum sunt, quæ ex Mosaici hujus Candelabri typo excerpta Anselmus præ cæteris contemplatur in illud Hebræorum 2. *Tabernaculum factum est primum, in quo erant Candelabra, &c.* ubi singula uno eodemque sermone mysteria sigillatim complectens, sic eloquitur: *Primum Tabernaculum*, inquit, *præsens est Ecclesia, in qua militatur Deo, & sacrificium bonæ actionis offertur, antequam veniatur ad Cælum. In qua est Candelabrum, id est, Christus fulgens lumine divinitatis in medio fidelium, qui & ipsi Candelabra aurea sunt, qui sapientia lucent, quæ per aurum designatur, & charitate bonorum operum.* Et hæc infra in symboli ejusdem explanatione ingerit: *Ipse Christus est medius stipes, qui portat tria brachia à dexteris, & tria à sinistris, quia ipse est vera vitis, ex qua procedunt fructuosi palmites. Ipse est origo & concordia, & caput omnium justorum, qui sibi sanctos veteris, & novi Testamenti hinc & inde facit adhærere. Omnes enim ab hoc fundamento consurgunt, & à tanto Principe, ac medio bono & communi omnium lumine gubernantur. Nam tria brachia de sinistra parte, tres viri sunt, Noë, Daniel, & Iob, id est, tres ordines fidelium in veteri Testamento, videlicet rectorum, continentium, & conjugatorum. Nam per Noë, qui rexit in undis Arcam, figurati sunt Rectores. Per Danielem, cujus mira legitur abstinentia, abstinentes & continentes. Per Iob, qui uxorem & filios habuit, conjugati. Similiter & alia tria de parte dextera, sunt tres electi discipuli: Petrus, Ioannes, & Iacobus, qui viderunt gloriam transfigurati in monte, id est, tres ordines sanctorum, qui gloriam ejus in Cælesti Regno visuri sunt, hoc est Rectorum, continentium & conjugatorum. Petrus enim Rectores Ecclesiæ signavit, Ioannes autem cælibes, & Iacobus reliquos, id est, conjugii utentes, & hi omnes, vel doctrina, vel exemplis bonorum operum lucent, & cæteris lumen suum spargunt, &c.* hactenus Anselmus.

Id. Ansel. loc. cit. Et Sanctos veteris Testamenti designat. Noë, Daniel & Iob quid figurate denotent? SS Petrus, Ioannes, quamnam figuram præferant?

11 Verum enimvero haud à cæteris Hieronymus dissentit, qui dum c. 4. in Zach. Candelabrum, de quo à nobis nunc quæritur, Ecclesiæ pariter figuram esse pronuntiat: *Candelabrum*, inquit, *aureum, de auro purissimo Ecclesia intelligitur.* Quod quidem in cap. Matth. 5. hom. 10. his verbis comprobat: *Quid est Candelabrum? Ecclesia, quæ bajulat verbum vitæ.* Vbi illa item Apostoli verba ad Phil. 2. exponens, videlicet: *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes.* isthæc ad rem nostram argute subdit: *Consequenter omnis vir Ecclesiasticus habens verbum Dei, dicitur Candelabrum.* hæc Hieronymus.

Candelabrum typus Ecclesiæ. D. Hier. c. 4. in Zach. Id. in. c. 5. Matt. ho. 10.

Candelabrum symbolum Crucis.

11 Alii vero multiformia arcanorum mysteria pro suo quisque libitu in medium proferens, Candelabrum, quod hactenus enarravimus, manifestissimum sacrosanctæ ac vivificæ Crucis symbolum extitisse pronuntiant, inter quos Theophilus Patriarcha Antiochenus præcipue recensendus videtur quippe qui comment. in Euang. lib. 2. illa Matthæi verba cap. 9. edisserens: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super Candelabrum. Candelabrum*, inquit, *Crux Christi est, quæ totum mundum fulgore sui luminis illustravit.* Cui Cromatius pariter in. 5. Matth. cap. his plane verbis adstipulator accedit; *In ipso Crucis Candelabro sol resplenduit.* Demum, ut Candelabro coronidem devotis manibus imponamus, enarratis à nobis hucusque orthodoxorum scriptorum sententiis Augustinus pari eloquentia, ac sententiarum robore subscribit, dum isthæc ad rei nostræ propositum disertissimis quidem verbis inculcat: *Si spectet impietas, ridet Regem pro virga regni, lignum sui portare supplicii: si spectet pietas, videt Regem bajulantem lignum ad semet ipsum figendum, quod fixurus erat in frontibus Regum.* Et hæc paulo infra: *Dicturo enim Paulo: Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi: ipsam Crucem suo gestans humero commendabat, & lucernæ arsuræ, quæ sub modio ponenda non erat, Candelabrum ferebat.* Quibus postremo loco mirifice consonant, quæ lib. de quinque hæref. cap. 2. studiosissimus Pater interserit: *Ista*, inquit, *domus totus est mundus; lucernæ accensio Verbi est incarnatio: Candelabrum autem Crucis est lignum: lucerna in Candelabro lucens, Christus in Cruce pendens.*

Theoph. Patr. Antioch. comm. in Euang. l. 1. in c. 6. Matth. Crom. in. c. 5. Matth. D. Aug. tract. 117. in Ioan.

12 Merito igitur jure Christiani inter ipsas Cæmeterialium locorum tenebras Candelarum Mosaicum, etsi ex præscripto Euangelicæ legis jam omnino abolitum, & lumine penitus orbatum, intuentium tamen oculis suspiciendum proposuere, ut lucernis videlicet omnibus, quas præfefert, in Euangelii lumine omnimoda jam luce destitutis, etsi haud ullum intuentium oculis, uberrimum tamen recolentium animis, Deo aspirante, enarratorum hactenus mysteriorum lumen refundat. Sed hæc interim satis de Candelabro enarrasse visum est.

CAP. XLVII.

De Domibus.

Domorum imagines in Cœmeteriis. Suet. c. 31. vit. Ner. n. Domus Aurea Neronis.

1 LVteas profecto, in cultasque Cœmeterialibus in Cubiculis domos pia Christianorum manu effictas, haud nobilis, splendidasque Romanorum Imperatorum ædes affabre olim elaboratas, & auro usquequaque fulgentes, qualis Neroniana potissimum, quæ *Aurea* dicebatur, studioso hic lectori ob oculos contemplandas offerrimus. Domus quippe, cujus hic mentio incidit,

ea

ea quidem amplitudine conspicua extitit, ut haud domus, sed splendidissimæ Vrbis faciem uno dumtaxat intuentibus aspectu præseferret. Vrbanorum enim ædificiorum incendio ac patriæ cineribus suæ fundamenta domui princeps perditissimus comparavit, & tunc maxime cum succenso Vrbem ac patriam igne extinxit, regiam sibi domum auro coruscantem excitavit: *In qua domo*, inquit Tacitus, *haud perinde gemmæ, & aurum miraculo essent, solita pridem, & luxu vulgata, quam arva & stagna.* Et quidem ipso Suetonio teste cap. 31. domus hujusce magnificentia haud unquam hactenus visa, etsi sub inviso principe, totius Orbis terrarum admiratione dignissima videbatur. Neronis autem in ædificanda sibi domo luxum acute in hæc verba prosequitur: *Non in alia re damnosior, quam in ædificando. Domum à palatio Exquilias usque fecit. Quam primo transitoriam, mox incendio absumptam, restitutamque Auream nominavit.* Hanc suis item eleganter carminibus Martialis adumbravit:

Tac. l. 16. — Suet. l. 31. vit. Neron.

Roma domus fiet, Vejos migrate Quirites,
Si non & Vejos occupat ista domus.

Mart. l. epig.

De qua idem Martialis, Titum Imperatorem alloquens, & Neronianam unà cum fastu tum morum, tum ædificiorum immanitatem perstringens, hæc cecinit:

Invidiosa feri radiabant atria Regis,
Vnaque jam tota stabat in Vrbe domus.

Mart. l. 1. epig.

2 Sed tenebris, ut par est, hujus domo addicta, qui Vrbem flammis, ac suam rogo ante funus patriam addixerat, Menelai quoque domum hic silentio obvolvimus, quam Homerus suis aliquando carminibus descripsit: cujus item perfidus ille Lucianus Christianos deridens his verbis meminit: *In domum aurato vestigio insignem ascendimus, qualem Homerus Menelai fingit esse.* Silemus hic superbas olim Crœsi, Crassique ac Mecœnatis insuper excultissimas ædes. Nec Salomonis quidem domum in præsens recolimus splendidissimo opere, ac sumptu exædificatam, ut sacræ historiales libri Regum paginæ his verbis testantur: *Domum suam ædificavit Salomon tredecim annis, & ad perfectum usque perduxit.* Regiam quippe domum egregio plane opificio, ac regali magnificentia absolutissimam tredecim annorum spatio exstruxit. Demum nec alteram ab eodem Salomone Pharaonis filiæ constructam, quæ *domus Saltus Libani* dicebatur, cujus item nobilis in libro Regum mentio recurrit, hic tibi lector suspiciendam proponimus: *Ædificavit quoque domum saltus Libani.*

Luc. in Philopatr. — Domus Crassi. — Domus Mecænatis. — Domus Salomonis. — Lib. 3. Reg. c. 7. n. 1. — Domus Saltus Libani. — Lib. 3. Reg. c. 7.

3 Sed profanis interim ædibus rejectis, de contemptibilibus olim, Christianorumque pennicillo adumbratis domibus nunc sermo à nobis instituitur. Et congrue quidem, ut rem altius repetamus, rudes quidem Cœmeterialibus in tabulis domunculæ, ut passim videre est, coloribus adumbrabantur. In locis enim, in quibus defunctorum corpora ad diem novissimum deposita servantur Christiani sepulchralem sibi domum, vel certe sepulchralis domus imaginem delineantes, sepulchrorum se potius, quam hujus prætervolantis seculi cives, ac inquilinos profitebantur. Divinum quippe Psalmistæ oraculum mente jugiter pervolventes, oculis pariter delibare gestiebant: *Simul insipiens, & stultus peribunt, & relinquent alienis divitias suas, & sepulchra eorum, domus eorum in æternum.* Omnes enim, & cujusvis generis homines pari tandem sorte, immo pari mortis sententia intercipiendos, quis mortalium in regno mortis ignorat? *Nudus egressus sum de utero matris meæ*; inquit Iob *& nudus revertar illuc.* Ita plane, inquit Ambrosius, *nescit natura discernere quando nascimur; nescit quando deficimus: omnes similes claudit gremio sepulchri.* Ad quod aliquando pistor, qui sepulturæ sibi inter viros nobilitatem præstantes locum elegerat, concinne allusisse visus est, ejuscemodi notis sepulchrali suo lapidi insculptis: Hic sepulturæ videlicet locum sibi elegit, sciens;

Domorum imagines in Cœmeteriis. — Ps. 48. n. 17. — Mortis æqua omnium conditio. — Amb. l. de Nab. & Achab. c. 1.

Homines nasci impares, mori pares.

Enimvero, ut instituti proposito insistamus, mortales qui pari simul conditione junguntur, etsi pares, impari prorsus vitæ periodo sejunguntur: insipientes enim, ut Psalmista ait, ita quidem mortis jura subeunt, ut nullus eis ad meliora transitus, nec ulla ad vitam spes ultra remaneat: *Et sepulchra eorum*, inquit, *domus illorum in æternum.* Vbi enim inopinata è vita excesserint, in sepulchris, ut Genebrardus eleganter edisserit, perpetuo consistent usque ad consummationem seculi: in æternum enim istud hoc loco significat, omnem citra spem ad suas revertendi divitias, & facultates: qua item ratione in sacris paginis, *Sepulchrum*, inquit ille *domus æternitatis humanæ appellatur. Et ibi homo*, ait, *in domum æternitatis suæ.* Et sepulchra eorum, tabernacula eorum, perpetua. *Illa*, ut præcitatus auctor ingerit, *habebunt pro æternis tabernaculis, fœtidis in sepulchris manebunt in perpetuum, non in ditibus illis locis, quibus voluptuose ædificatis sua imposuerunt nomina, & vocaverunt nomina sua in terris suis.* Pari item eruditione isthæc Psalmistæ verba Cardinalis Bellarminus hunc in modum edisserit: *Ipsi vero*, id est, profani homines, *morientes*, inquit, *reliquerunt alienis divitias suas, sibi autem nihil retinuerunt, nisi angustissimam domum, id est, sepulchrum, in quo jacere debent in æternum, id est, usque ad finem seculi.* Idem vero, ut ex recensitis Psalmistæ verbis videre est, ignobile satisque angustum, ac rude demortui hominis habitaculum, modo *sepulchrum*, modo *tabernaculum*, nunc *Domus æterna* symbolice appellatur.

Ps. 48. n. 17. — Gen. in ps. 48. — Sepulchrum Domus stultorum æterna — Eccl. 12. n. 5. — Psal 48. ver. 12. Bel. in ps. 48.

4 Verum concinne quidem in rem præsentem Ægyptii olim, eorumque præsertim Reges, ut Diodorus refert, brevitatem vitæ sapienter sibimet propinantes, ac de sepulchro jugiter cogitabundi, cum de privatarum structura domorum se minus curiosos, solicitosque exhiberent, in exstruendis tamen, exornandisque splendida manu sepulchris, animæ immortalitatem recolentes, serio elaborarunt. Quippe *quid sepulchrorum monimenta*, Cicero inquit, *quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare.* Quamobrem antiqui jure, quibus immortalitas cordi maxime fuit, viventium quidem domicilia, eo quod, ad breve quidem tempus, ut Diodorus ait, incolantur, *Diversoria*, defunctorum verum sepulchra, quoniam ad multa in eisdem secula quiescendum sit, *Domos æternas* nuncupavere. Id autem & apud cæteras Orbis nationes usu receptum fuisse, tum è profanis aliquando scriptoribus innotescit. Sepulchra quippe, ut apud eos legimus, *perpetua* interdum, nonnunquam *æterna sedes*, & quandoque *æterna possessio* appellantur. Quapropter iisdem plane vocibus tam morientes, quam in sepulchris compositos salutare consueverant, ut apud Virgilium videre est:

Diod. l. 1. p. 2 — Ægyptii Reges de exstruendis sibi sepulchris solitudo. — Cic. q. Tert. 1 — Var. ap. Prisc. 2. ad fin. Sen Trag. Oct. act. 4. vid. Cru. in Jer. ju ind. c. 16. ps. 48. Eccl. 1. 2. leg. si nec dum C. de rel. leg. si quis eo. Paul. ep. 37. ad Pam. Tib. 3 eleg. 2. l. qui sep. 4. C de sep. viol. Val. Prob. de not. D. M.

Aeneid. 11. —— *Salve æternum mihi maxima Pallas,*
Æternumque vale.

Et apud Catullum idem plane loquendi mos resonat:

—— *In perpetuum frater ave, atque vale.*

Quippe vel has inter voces ipsismet Gentilium animis, quod Cicero ait, altius insederat, *Animos remanere post mortem, &c. & mortem,* ut ille ait, *non interitum esse, omnia tollentem, omnia delentem, sed quandam quasi migrationem, commutationemque vitæ.* (Cic. quæst. Tusc. q. 1.) hæc Gentiles ipsi de luteis hisce nostris domibus sapienter edixere.

5 Christiani vero supernæ fidei lumine imbuti, ac de hominis morte altius cæteris, ut par est, philosophantes, domos passim etsi rudi delineatas pennicillo, sepulchra utique ad manendum domus instar hominibus constituta esse, usque dum exspectatæ resurrectionis tempus adsit, serio meditabantur, Iobi videlicet oraculum ore, ac animo jugiter personantes: *Exspecto donec veniat immutatio mea.* (Iob c. 14) Nec non Psalmistæ vocem sepulchra ad inhabitandum hominibus exhibentis jam probe meminerant: *Qui habitant,* inquit, *in sepulchris.* (Ps. 67.) Qui & alibi eadem utitur loquendi formula, dum ait: *Sicut vulnerati, dormientes in sepulchris, quorum non est memor amplius.* (Ps. 87.) Verum enimvero istas idcirco domunculas coloribus adumbrabant, ut ad vigilandum unumquemque, & ad suæ domus, ac vitæ custodiam jugiter exhibendam Euangelico ejuscemodi, quod ab ipsius Christi ore acceperant, Symbolo præmonerent: *Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* (Matt. 24.) Vrbi enim, ac domui adfutura derepente vastitas omnimodam incolentibus, ac custodientibus vigilantiam inculcat: quid enim tam prope ruinis, ac excidio, quam Vrbis, aut domus sub hostium oculis, tuto tamen inter insidias, inter imminentia pericula obdormiens, prout gentilis ille poëta Vrbem aliquando describit:

(Margin: Mortis assidua apud Christianos meditatio.)

Aeneid. 2. *Invadunt Vrbem vino, somnoque sepultam.*

Ad quod caute homini, qui suæ custodiendæ domui jugiter vacat, illud alter poëta opportune suggessit:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. (Hor. l. 1. ep. 4.)


Haud enim cum hoste induciis, immo vigiliis, ut domui bene quis consulat, concertandum est.

6 Cœmeterialis igitur domus, quæ pennicillo expressa suspicitur, imago futilis, ac momentaneæ vitæ, concitatæque itidem mortis imaginem Christianorum oculis præseferebat; (Ps. 38.) illudque subinde Petri Apostoli oraculum intuentium animo suggerebat: *Obsecro vos tanquam advenas, & peregrinos, abstinete vos à carnalibus desideriis, qui militant adversus animam.* (Petr. ep. 1. c. 1. n. 11.) Recolendam insuper primævorum hominum, qui sanctitatis merito præfulsere, memoriam tacite objiciebat, eorum, inquam, qui se haud mundi cives, sed peregrinorum instar in mundo degere, alibique patriam quærere, ac mansionem exspectare obtestabantur: *Confitentes,* inquit Apost. *quia peregrini, & hospites sunt super terram.* (Apost. ep. Heb. 11. v. 13.) Abraham quippe sanctorum præcipuus peregrinam se hic vitam agere palam fatebatur, utpote *qui non terram hanc,* ut Chrysostomus ait, *sed Cælum spectavit.* (Chry. in ep. ad Hebr. 13.) Vt enim unusquisque rudes istas Christianorum manu effictas inspiciendo domunculas, de hujus vitæ fugacitate sapienter philosophetur, domus neutiquam, sed hospitia, ut Bernardus in rem præsentem docet, habenda sunt: *Est ergo,* Bernardus inquit, *tabernaculum nostri corporis non civis mansio, aut domus indigenæ, sed aut tabernaculum militantis, aut stabulum viatoris.* (Ber. ser. 26 in Cant.) Quod egregie quidem Gregorius Nazianzenus magni vir animi præstitit, qui Cælum quoad vixit continuo suspiciens, terram haud unquam, nisi ut hospes, nisi ut viator aspexit: *Mihi,* inquit ille, *omnis terra, & nulla terra patria est.* (Greg. Naz.; In vit. S. Greg. Naz.) Quod item Hilarius Ægyptiorum Eremitarum sanctissimus opere ad vivum exhibuit: adeo perangustam quippe ad inhabitandum sibi cellam construxerat, ut *Sepulchrum potius,* inquit Hieronymus, *quam domum crederes.* (Hilarii domicilium. Hier. in vit. S. Hilar.) Nec Basilius Christianos inter philosophos oculatissimus ab istorum commercio segregandus videtur, qui ut nullum penitus haberet cum mundo commercium, extra mundum quotidie fieri cupiebat, fugacemque humanæ vitæ imaginem, quam umbram potius dixerim, tunc potissimum lynceis Christianorum oculis delibandam proposuit, cum Præfecto ipsius Valentiniani jussu ad absterrendum transmisso, & tum exilium, ac bonorum omnium proscriptionem, tum multiplices eidem calamitates, ac mortem ipsam comminanti imperterrito animo in hæc verba respondit: *Nihil horum, quæ dixisti, curo, melior sum his, qui proscribunt, ipse me ob spem regni Cælestis proscribens, nihil vero possidens, exilii metu liber sum, unam recognoscens esse patriam, paradisum: terram enim quasi communem omnium aspicimus.* (S. Basilii Christiana perfectio. In vit. S. Basil.) Qui cum subinde suas Præfecto sponte sarcinulas obtulisset, *quæ sola ipsius erant supellectilia,* exilium quod semper animo meditabatur, & quod perpetuo ferebat, nullatenus pertimescens; hæc protulit: *Exilium nihil ad me spectat, cum domus, quam inhabito, aliena sit.* Christianis igitur sepulchrum domus, terra autem, & omnis terrena habitatio, quam incolunt, diversorium, neutiquam domicilium est, ut optime magnus ille Ioannes Episcopus eleemosynarum cognomento, ac meritorum cumulo dives, quod antiqui Christiani pictæ symbolo, ipse facto inculcans admonuit, qui haud vere aliam, quam sepulchrum, sibi domum agnovit: *Quippe ut mortis memoriam,* inquit Leontius, *sua cogitationi profunde imprimeret, & eam perpetuo haberet præsentem & ante oculos, quid facit? Iubet sibi exstrui monimentum, ei autem finem non imponi, sed semiperfectum sic relinqui: deinde eos, qui præfecti erant operi, cum esset festum aliquod insigne, accedentes in conspectum omnium, qui considebant, aperte dicere: Monimentum tuum in hodiernum usque diem est imperfectum, domine: Iube ergo ut id finem accipiat, incertum est enim, qua hora fur ingrediatur.* (Ioannes Eleem. mortem assidue meditatur. Leon. in vit. S. Io: Telesfor. apud. Sur.) En paucis expressa vigilantissimi ad suæ domus custodiam Pastoris miranda jugiter solicitudo.

(Margin: Vt peregrini in hoc mundo non ut cives degendum.)

7 Inter varia igitur imaginum symbola, quibus sacrorum abdita olim Cœmeteriorum Cubicula à Christianis olim exculta sunt, domorum quædam formulæ pennicillo interdum pia eorumdem manu adumbrari consuevere, ut nonnullis in tabulis videre est, quæ sua pariter contemplantium animis arcanorum mysteria ingerunt. (Domorum in sepulchris imagines effictæ quidnam significent?) Quibus symbolice quidem, ut singula paulatim discutiamus; ipsummet humanum corpus designari potest, juxta id quod Apostolus 1. ad Cor. cap. 5. his verbis innuit: *Terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvitur.* (Domus humani corporis symbolum. Apost. 2. ad Cor. c. 5. Et sepulchri.) Id autem eam forte ob causam ab antiquis Christianis præstitum fuisse quis dixe-

Eccl. c. 12. dixerit, quod sepulchrum, in quo quisque inferendus est, haud alio potissimum vocabulo Ecclesiastici 12. nuncupetur: *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Idem plane ex psal. 48. textu comprobatur: *Sepulchra eorum, domus illorum in æternum.* Quapropter, ut quod pia Christianorum manus ferro exculpebat, symbolo quoque veluti digito contemplantibus innueret, sepulchrales hosce lapides Lazari imagine prænotabant. Porrò in Cœmeterialibus tabulis domos olim symbolice à Christianis delineari consuevisse, lapis ad SS. Quarti, & Quinti Cœmeterium à Bosio Via Latina inter perscrutandum repertus intuentibus fidem facit, qui nimirum, ut supra lib. 4. cap. 7. de Cœmeteriis ab eodem repertis enarratum est domus cujusdam rudi quidem opere imaginem inter alia symbola ibidem exsculpta præsefert, cujus quidem iconem in studiosi gratiam lectoris nunc iterum exhibendam, voluimus.



Hieroglyphica lapidis superiores enarrata. Quo plane Cœmeteriali symbolo supremum vitæ momentum, extremamque illam periodum, qua unicuique hinc velit nolit, exeundum est, à Christianis designatam fuisse, singula quidem, quæ sepulchrali huic lapidi inserta sunt, hieroglyphica satis perspicue prænotare videntur. Nam incultam præter domum, exsculpta ibidem piscis imago, tum brevitatem, tum etiam humanæ vitæ incertitudinem palam suggerit: piscis quippe, vel tunc maxime cum securior undas excurrit, hamo, aut retibus piscatorum interceptus, ubi primum extra aquas rapitur, intermoritur, quod olim Sapiens sapienter quidem in rem præsentem aptata piscis similitudine admonuit: *Nescit homo finem suum,* inquit, *sed sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.* Ad omnimodam igitur ingerendam mortalibus solicitudinem, ac vigilantiam apprime unicuique commendandam, Candelabrum quoque septem instructum lucernis appositum cernitur, ut Euangelicum Lucæ oraculum hoc typo personet: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus exspectantibus dominum suum.* Ni forte quis id quod cunctis post mortem imminet, districtum videlicet, exactumque de minutis quibusque scrutinium interpretandum velit, de quo Apost. *Statutum est,* inquit, *hominibus semel mori post hoc autem judicium.* Vel certe oculatum illud vel potius aculeatum, ut congrue de lucernis loquamur, quod de singulis minutissimis quibusvis humanis actibus habendum est examen, multiplex lucernarum numerus intuentibus indicat, quod Deus quidem longe ante cunctis edixit: *Scrutabor Hierusalem in lucernis.* Quapropter, ut apte rerum futurarum ordo mysticis item symbolis prænotetur, ubi primum mortis imago, sub Lazari in sepulchro jacentis typo, mortalibus proposita est, & resurrectionis item sub ejusdem imagine spes ingesta sub appensæ (sic) stateræ hieroglyphico, rationis reddendæ sacramentum, ad homines in officio continendos salubriter commendatur, juxta quod Rex ille Balthassar Danielis ore illis acriter verbis perstrictus est: *Thecel, appensus es in statera, & inventus es minus habens.* Ex quibus imaginibus, ut videre est, nil prorsus apud antiquos Christianos otiosum extitisse, quod peculiare mysterium non præferret, probe lector ediscit. Sed Cœmeteriali perlustrata interim tabula, & sepulchrali unicuique ad quiescendum in tenebris descripta, ac designata domo, quæ merito quidem oblivionis domus è sacrorum oraculorum paginis nuncupari potest, juxta illud psalmistę: *Sicut vulnerati jacentes in sepulchris, quorum non est memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.* Jam à mortuorum domibus pedem contrahentes, ad ipsas viventium domos stylum, si libet, convertamus.

Piscis in certitudinem vitæ humanæ denotat.

Eccle. c. 9. n. 12.

Candelabri mysterium.

Ad Heb. c. 9. n. 27.

Soph. c. 12.

Lazari imago ejusque mysterium.

Dan. c. 5. n. 25.

Sepulchrum domus oblivionis.

8 Quis autem in primis nesciat, quod ipsa terrestris militans jugiter Ecclesia, domus titulo ipsius Domini voce illustratur, Matth. 21. *Domus mea domus orationis vocabitur.* Quod vero triumphalis Ecclesia ac cælestis illa, quæ sursum est Hierusalem, & quæ ædificatur ut civitas, ipsiusmet domus appellationem sortiatur, satis superque ex psalmo 121. convincitur, ubi isthæc: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Ut orthodoxorum igitur Patrum hac super re sententias consulamus, & ab ipsomet Origene mysticos in rem præsentem sensus haurire aggrediamur; certe typica domus ipsius imagine Ecclesiam designari hunc in modum affirmat: *Videtur autem Ecclesia describi à Christo, quæ est domus spiritualis, & domus Dei, sicut docet Paulus dicens: Si autem tardius venero, ut scias quomodo te oportet in Domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Et hæc infra subjicit: *Sunt autem Ecclesia, vel Ecclesiæ*

Matth. c. 21.

ps. 121.

Domus imago Ecclesiam militantem & triumphantem mystice designat. Orig. ho. 7. in Cant.

Domus sponsi & sponsæ, sive animæ verbi domus, in quibus tigna sunt cedrina.

9 Verum haud ab Origene Irenæus interim distare videtur, qui cunctas totius terrarum orbis Ecclesias, & sacrosanctum cunctorum Christi fidelium Cœtum hujuscemodi symbolo præmonstrari his quidem verbis affirmat: *Ecclesia in universum mundum disseminata, quasi unam Domum inhabitans.* Cujus quidem sententiæ Hieronymus subscribit, qui in illud Isai. c. 65. utramque Ecclesiam, Triumphantem scilicet, ac Militantem, sub descriptæ Domus symbolo lectori ob oculos contemplandam exhibet: *Ergo Domus*, inquit, *in quibus habitaturi sunt, qui ædificant eas, vel virtutes intelligendæ sunt, vel diversæ mansiones apud Patrem, quasi jugiter possidebit, qui eas ædificavit.* Et hæc infra in rem præsentem congerit: *Talem domum & Salvatoris in Euangelio verba describunt: Omnis qui venit ad me & audit sermones meos, & facit eos, similis erit viro prudenti, qui ædificavit domum suam super petram.*

S. Iren. l. 1 c. 3.

S. Hier. in c. 65. Isa.

Div ux in Cælo mansiones.

10 Porro idem symbolicum thema Augustinus egregie prosequitur in illa psal. 26. Verba: *Unam petij, hanc requiram à Domino*, ubi apertum hoc triumphantis Ecclesiæ hieroglyphicum esse demonstrat, hæc autem inquit: *Hoc hic agitur ab iis, qui bene ambulant, quid est hoc? Quæ est illa una? ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Et idem infra prolixiori sermone confirmat: *Quid autem*, inquit, *acturi simus in illa domo, habes evidenter expressisse altum psalmum: Beati, qui habitant in Domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Hac iste, si dicendum est, cupiditate ardens, & amore isto æstuans desiderat omnes dies vitæ suæ in Domo Domini habitare. In Domo Domini omnes dies vitæ suæ, non quasi finiendos sed æternos.*

D. Aug. in ps. 26.

11 At eleganter enarratis hactenus consonant, quæ idem sanctissimus doctor in illa psalmi 31. & 131. verba inculcat: *Proteges eos in Tabernaculo tuo*, ubi *Tabernaculum à domo* secernens; & uno quidem Militantem, altero autem Triumphantem designari Ecclesiam pronunciat: *Quid est*, inquit, *Tabernaculum? Ecclesia hujus temporis Tabernaculum ideo dicitur, quia adhuc in terra peregrinatur. Taberna enim habitaculum est militum in expeditione positorum. Domus non est Tabernaculum. Pugna in expeditione peregrinus, ut salvus factus in Tabernaculo, gloriosus recipiaris in Domo.* Hæc Augustinus.

Domus, & Tabernaculum in quo differant inter se.

S. Aug. in ps. 31. & 131.

12 Demum Chrysostomus animis mysticæ erudiendis insistens (ut cætera quæ à Patribus exponuntur, prætermittamus) in illud psal. 111. *Justitia ejus manet in sæculum sæculi*, virtutes domibus eruditissime hunc in modum comparat: *Vidisti*, inquit, *memoriam, quæ se in omni sæculo extendit? vidisti memoriam magnis & ineffabilibus plenam bonis? Tali ædificio nostri memoriam relinquere studeamus.* Quod quidem Tabithæ exemplo confirmat, quæ eleemosynis ac bonis operibus domum sibi in Cælis ædificavit, hæc autem subdit: *Vidisti domos animatas, vocem emittentes, & tantæ virtutis, ut à morte ad vitam revocare queant?* hæc Chrysostomus.

Domus symbolum Virtutis.

S. Chrys. in ps. 111.

Tabitha, ejusque prudentia.

13 His plane consona Gregorius l. 4. dialogorum edocuit, dum militis cujusdam visionem enerrat, qui mortali eductus è corpore, & quantocyus in vitam subinde revocatus, splendidissimam quodam in loco domum aureis quidem laterculis conspicuam exædificari visam à se fuisse palam testabatur: de cujus quidem ædificii structura cum serio ipsemet Gregorius enixis adstantium præcibus interrogatus fuisset, in hæc verba respondit: *Qui præmia æternæ lucis eleemosynarum largitate promeretur, nimirum constat, quia auro ædificat mansionem suam.* Idque recensito potissimum exemplo ad audientium animos obfirmandos mirifice comprobavit. Porro æmulandam viri haud divitis, erga pauperes tamen singulariter munifici pietatem cum ad instituti quoque nostri propositum faciat, hic itidem recensere nullatenus piget. Sic igitur cœptam Gregorius enarrationem prosequitur: *Hic etiam quidam juxta nos Deusdedit religiosus habitabat, qui calceamenta solebat operari, de quo alter per revelationem vidit, quod ejus domus ædificabatur, sed in ea constructores sui solo die sabbati videbantur operari. Qui ejusdem viri postmodum vitam subtiliter requirens, invenit quia ex his, quæ diebus singulis laborabat, quidquid ex victu atque vestitu superesse potuisset, die sabbati ad B. Petri Ecclesiam deferre consueverat, atque indigentibus erogare. Quæ ex re perpendes*, subdit Gregorius, *quia non immerito Domus ipsius fabrica sabbato crescebat.* Vides quâ potissimum ratione & quorum manibus haud manufactæ in Cælo domus, intra quas unusquisque sit tandem recipiendus, exædificentur. *Facite* (Christus inquit) *vobis amicos ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna Tabernacula.*

Greg. l. dial. c. 37.

Eleemosyna Domum ædificat in Cælo.

S. Greg. loc. cit.

Luc. c. 16.

14 Congruo igitur pingendi studio Christiani ipsas domorum imagines, ut intuentium animis pietatem vel pennicillo suggererent, in Cœmeteriis, ubi tunc temporis Ecclesiæ ad declinandam persecutorum sævitiam, incolatum protrahendo, delitescebat, & ubi fideles in aciem prodituri ad fortiter subeunda pro fide certamina sese veluti in palæstris exercebant, domorum, inquam, imagines adumbrare consueverant, ut dum peregrinorum instar degentes non tam habitarent ibi, quam peregrinarentur, omnibus hujus vitæ ærumnis, atque incommodis confecti, ac sanguine tandem (quod erat in votis) laureati æternam sibi in Cælis domum construerent; quò cum Paulo jugiter aspirantes illud secum animo repetebant: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in Cælis. Nam & in hoc ingemiscimus habitationem nostram, quæ de Cælo est.* Sed hactenus de Cœmeterialium tabularum domibus.

Apost. 2. ad Cor. c. 5.

CAP. XLVIII.

De Cathedris.

1 Antequam de Cœmeterialibus Cathedris, quæ ad instituti propositum spectant, edisseramus, illud consulto præmittimus, multiplicem variamque videlicet Cathedræ nomen scriptores apud antiquos tum sacros, tum profanos significationem obtinuisse, & ut à gentilibus primum rei, ac nominis notitiam auspicemur, Cathedra interdum pro sede, ac peculiari loco accipitur: qua quidem significatione Iuvenalis aliquando hoc nomen usurpasse legitur, cum de locis potissimum, quæ senatoribus, ac aliis discreta in theatris asservabantur, agens, Cathedræ nomen inducit carminibus illis:

Cathedræ significatio

Quæque reportandis posita est orchestra Cathedris.

Iuven. sat. 7. v. 43.

Quæ quidem loca sedilium nomine vulgo nuncupabantur, de quibus Or. Epod. ode 4.

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedes.

Orat. Epod. od. 4.

De

De ſedilibus quippe Equeſtris Ordinis quæ ſubſellia item appellata ſunt, Roſcia olim lege ſancitis, abolitiſque novum poſtmodum Domitianus Imperator edictum protulit, ad quod Martialis lib. 5. ep. 8. alluſiſſe viſus eſt:

Mart. l. 5. ep. 8.

Edictum Domini, Deique noſtri
Quo ſubſellia certiora fiant
Et puros eques ordines recepit
Laudabat modo Pharis in Thaetro.

De iiſdem plane ſubſelliis, vel certe ſedilibus Seneca lib. 7. de benef. cap. 12. in hæc verba meminit: *Deinde pluribus modis*, inquit, *communia ſunt, equeſtria omnium Equitum Romanorum ſunt, in illis tamen locus meus ſit proprius, quem occupavi.* Hæc de Theatralibus, quæ Cathedræ interdum nomine veniunt, ſedilibus hic obiter præmiſiſſe voluimus. Verum ſi à profanis ſcriptoribus ſtylum contrahentes, ſacros ſuper Cathedræ vocabulo conſulamus, honoris quidem, ac præeminentiæ gradum hoc titulo deſignari comperimus: quapropter ſapiens à ſubdolo, ac verſipelli homine ſolicite cavendum præcipit, ne quis ſuo è gradu eliminatus excidat: *Non ſtatuas illum*, inquit, *penes te, nec ſedeat ad dexteram tuam, ne forte converſus in locum tuum, inquirat Cathedram tuam.* Cathedræ igitur nomen ita in ſacris paſſim paginis accipitur, ut ejus potiſſimum ſedem ſignificet, qui docentis, aut imperantis locum, poteſtatemque ſortitur, quæ alio titulo honoris gratia thronus dicitur. Hinc Cathedra Regis idem plane eſt, ac Regia poteſtas, propter magiſterii, & gubernationis auctoritatem, ut 1. Reg. 20. & alibi paſſim, & optime Greg. 19. moral. ediſſerit. Davidis quippe principatus ipſius Cathedræ nomine deſignatus eſt 2. Regum 23. *Sedens in Cathedra ſapientiſſimus princeps inter eos ipſe eſt, quaſi tenerrimus ligni vermiculus.* Cathedris quippe, ſeu thronis ſui principatus exordia reges auſpicabantur.

Sen. l. 7. de benef. c. 12. — *Subſellia Theatralia.* — *Cathedra in ſacris literis quid ſignificet.* — *Eccl. 12. n. 12.* — *2 Reg. 23. n. 8.* — *Cathedra magiſterii ſymbolum.*

2 Cathedras igitur præeminentiæ, ac magiſterii pariter ſymbolum intuentibus præſeferre, præter antiquiſſimum morem, qui apud omnes uſu receptus inolevit, ipſiuſmet Chriſti oraculo, ut à ſacris paginis dicendi initium ſumamus, Euangelicis tabulis convincitur: *ſuper Cathedram Moyſi*, inquit Chriſtus, *ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia ergo quæcunque vobis dixerint, ſervate, & facite.* Judæi quippe ex Cathedra olim, velut ſublimiori è throno ſapientiam propinantes, magiſterium, ut Ambroſius teſtatur, ſolemni quodam ritu aggrediebantur: ſeniores enim, qui cæteris tum ætate, tum ſapientia, tum auctoritate præſtabant, in ſublimioribus Cathedris honoris gratia conſidentes, circumſtantem edocere populum conſueverant: *Hæc*, Ambroſius inquit, *traditio ſynagogæ eſt, ut ſedentes diſputarent, ſeniores dignitate in Cathedris, ſequentes ſubſelliis, noviſſimi in pavimento ſuper mattas.* Doctores igitur, cum de his maxime, quæ ad legem ſpectant, coram diſſererent, in Cathedris, inferiores in ſubſelliis, noviſſimi verò ſuper mattas, hoc eſt ſtoreas humi ſubſtratas ſedebant, diſcipuli, inquam, ad magiſtrorum, ſive ſeniorum, à quibus inſtruebantur, pedes recepti ſedebant. Hic autem mos, ac ſi per manus ab antiquis acceptus ex ipſiuſmet Apoſtoli verbis palam comprobari videtur, cum de ſe ipſo loquens, hæc ait: *Nutritus ſum in civitate ſecus pedes Gamalielis, eruditus juxta veritatem paternæ legis.* Hanc itidem ſedendi conſuetudinem apud Eſſenos quoque homines Moſaicorum rituum obſervantiſſimos uſu receptam Philo inter ſcriptores antiquiſſimus diſertis plaverbis confirmat: *Quoties*, inquit *Synagogas adeunt pro ætatis ordine juniores ad ſeniorum pedes conſident, & ad audiendum ſe componunt.*

Matt. c. 23. — *Ambr. in ep. 1. ad Cor. c. 14.* — *Ordo ſedentium in ſynagoga.* — *Act. Ap. c. 22.* — *Philo quod omnis probus ſit liber.*

3 Verum de Cathedris, in quibus ſapientes olim ad edocendum populum honoris gratia conſidebant, ſermo paſſim ſacris in paginis occurrit, & Regius Pſalmiſta illis plane verbis haud ſemel attigiſſe viſus eſt, dum ait: *Et in Cathedra ſeniorum laudant eum.* Ubi Chaldæus, ut egregie in hunc locum Genebrardus ediſſerit, per ſeniores mavult ſapientes deſignari: *Exultent*, inquit, *eum in congregatione populi filiorum Iſrael, & in ordine ſapientum*, vel ut in alio exemplari: *Apud Senadrin ſapientes*, inquit Genebrardus, *laudant illum*, quos συνεδρίους Joſephus vocat, de quibus Elias: Senadrin, inquit, vocantur ſeptuaginta ſenes curiæ magnæ, quæ eſt Hieroſolymis, fortaſſe qui apud Matthæum & alibi πρεσβύτεροι, ſive ſeniores, & unà cum Pontificibus ac Phariſæis junguntur. Conſpicuum enim illud ac nobile ſapientum virorum Concilium, quod *Sanedrin* apud Judæos appellabatur, ſepremam in his, quæ ad Dei, ac religionis cultum, & ad legis Moſaicæ obſervantiam ſpectant, ſupremam, inquam, in definiendo auctoritatem obtineat, ita ut ſi quid circa ipſiuſmet legis verba dubium aliquando obreperet, horum judicio dijudicandum deferretur: hos enim, nato Chriſto, Herodes homo ille alienigena ſuper ejuſdem potiſſimnm ortu, ut Euangelicus textus enarrat, apprime conſulendos voluit: *Et congregans*, inquit Matthæus, *omnes ſcribas & ſacerdotes populi, ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur, at illi dixerunt ei, in Bethlem Iudæ; ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlem.* Omnimodo inſuper ſeniores iſti, quorum mentio eſt, ſupra Regiam domum in his, quæ regimen ſpectant, judicandi arbitrio potiebantur, juxta quod regius olim Pſaltes cecinit: *Quin illic ſederunt ſedes in judicio, ſedes ſuper domum David.* Ubi eruditiſſimus Genebrardus optime in rem præſentem explicat: *Sedes*, inquit, *id eſt, throni tribunalia judiciaria regiæ domus David, vel ſecundum alios, ſacerdotum in judicio, ad judicium.* Duo enim, ut idem ſubdit, ſolia collocata illic erant: *Primum Cathedra Moyſis, ſive ſacerdotum, deinde Regum: nam & ſacerdotes, & Levitæ judicabant etiam de rebus temporariis.* Cathedra igitur tum magiſterii, tum præeminentiæ, ac poteſtatis, ut videre eſt, ſymbolum extitit.

Cathedra ſeniorum. — *Pſ. 106.* — *Matth. c. 2. 5.* — *Pſ. 121.* — *Geneb. in Pſ. 121.*

4 Quid mirum autem, cum ſupremam Chriſtus in Eccleſia Cathedram erexerit, apicem conſtituens, Cathedræ hujus primatum Petro conceſſerit, ut ipſe nimirum, ejuſque legitimi ſucceſſores, Romani Pontifices, Chriſtianis omnibus divina, omnimodaque auctoritate præeminendo, Apoſtolici muneris miniſterium obirent, quid mirum, inquam, ſi Chriſtiani adeo frequenter, vel rudes, ac luteas ejuſcemodi Cathedras in Cœmeterialibus ſpeluncis, intra quas colligebantur, erigerent, in quibus velut ſublimiori in throno, dum ad Synaxes, & natalitia martyrum convenirent, Romani Pontifices conſiderent, vel certe earundem imagines in Cœmeterialibus parietinis ad deſignandam Apoſtolicæ Cathedræ præeminentiam affabre delinearent, & quidem plura alibi, & præſertim lib. 2. noſtrarum Cœmeterialium elucubrationum, ubi opportuna ſe nobis occaſio obtulit, de Cathedris meminimus: & de lignea præſertim B. Petri Apoſtolorum Principis Cathedra prolixiori ſermone actum eſt, quæ conſulto, ne actum agere videamur, prætermittimus.

Cathedræ in Cœmeteriis.

5 Ve-

Cathedra Pontificia quanta in veneratione.

5 Verum quoniam opportune de Cathedris sermo recurrit, illud apte hic studioso lectori suggerere visum est, Christianos videlicet præcipuo Pontificias honore Cathedras prosecutos fuisse, nec primævos dumtaxat fideles sed Reges quoque ac Imperatores Euangelicum illud Christi oraculum recolentes: *Qui vos audit, me & audit, & qui vos spernit, me spernit*, singularem Apostolicis, eorumque sedibus cultum jugiter detulisse. Ad pedes quippe Romanorum Pontificum Christiani omnes cujusvis conditionis humiliter provolvebantur, ipsorumque pedes certatim deosculari consueverant, quod & ab ipsismet olim gentilibus honoris gratia his, qui regia dignitate præcellerent, præstitum fuisse novimus. Persarum quippe Reges, ut exemplo res conficiatur, convenire, & alloqui, ut Xenophon ait, nemo poterat, nisi prorsus humi regiorum vestigia pedum ante deoscularetur. Verum quod ambitiosis, profanisque temere principibus præstitum est, jure merito Christiani ad religiosum Pontificalis præeminentiæ cultum derivantes, Romano Pontifici Christi vices gerenti, perpetuo, ut par est, exhibuere, ut propheticum merito Isaiæ oraculum c. 49. ipsomet facto adimpleretur: *Vultu in terram demisso adorabunt te.* Quo plane obsequio religiosi principes, Imperatores videlicet, ac Reges erga Romanos Præsules Apostolicæ Petri tum fidei, tum Cathedræ successores impensissime officiosi decertarunt, ut historiales paginæ testantur, & ipsimet Annales Ecclesiastici, ad quos lectorem remittimus, ultro legentes admonent.

Luc. 10. 16. — Regum Persarum fastus. — Xenoph. hist. — Isa. c. 49. 23.

6 Principes enim ipsi idcirco sublimiori throno locantur, potiorique præ cæteris honore afficiuntur, ut quid veluti divinum intuentium oculis exhibeant, & probe homines intelligant, quanta sit regia dignitas, ac potestas, quæ præcipuum inter homines locum meretur. Quocirca merito aliquando Plutarchus, *Principes simulacra Dei esse administrantis universa* affirmavit. Cui Tacitus de principibus loquens eisdem plane verbis adstipulatur, dum ait: *Principes instar Deorum esse.* Seneca item, *qui Reges Deorum vices fungi in terris* diserte pronuntiat. Quapropter Ethnici suos olim principes Deorum nomine appellarunt: quo quidem nobili titulo in sacris quoque paginis principes, ac judices nuncupatos fuisse legimus: Dei quippe locum inter homines præsidendo ac judicando tenent, ideoque Christiani ab Apostolis salubriter admoniti sunt, ut *subditi sint Regibus, & potestatibus sublimioribus, quod non sit potestas nisi à Deo.* Frequentissimum præterea est apud cæteros Christianos scriptores, ut Principes ac Magistratus *Dei Vicarij, & imagines Dei* vocitentur. Verum ut populi principibus, quod ad politicum regimen spectat, subdi oportet, ita ipsosmet, Reges, atque Imperatores in rebus, quæ ad Dei cultum, & religionem pertinent Episcopis subditos esse oportere, ex communi Patrum sententia, tum ipsius antiquissimi Ignatii Antiocheni Episcopi, Apostolorumque discipuli auctoritate convincitur, qui epist. ad Philadelphenses hæc pro Episcopali Cathedra scribit: *Principes*, inquit, *obediant Cæsari, milites principibus, at diaconi presbyteris sacrorum præfectis, presbyteri, diaconi, & reliquus clerus, una cum populo universo, militibus, principibus, & Cæsare, ipsi Episcopo pareant: Episcopus Christo, ut Christus Patri obedivit.* Ubi Cæsarem ipsum, ejusque thronum Episcopo, ejusdemque Cathedræ, Deo ipso jubente, subdit. Ad Smyrnenses quippe hæc ait: *Neque enim Episcopo, qui Deo consecratus est, pro totius mundi salute quidquam majus in Ecclesia. Sacerdotium quippe*, ut idem ait, *omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apex est. Namque honor, & sublimitas Episcopalis*, Ambrosio teste, *nullis poterit comparationibus adæquari, si Regum fulgori compares, & principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares.* Quod luculenter Chrysostomus in rem præsentem edisserit: *Alij sunt*, inquit, *termini Regni, alii termini Sacerdotii: hoc illo majus est. Regi ea quæ hic sunt, commissa sunt, mihi cælestia: mihi cum dico, sacerdotem intelligo. Regi corpora commissa sunt, sacerdoti animæ. Ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia: major hic principatus: propterea Rex caput submittit manui sacerdotis, & ubique in veteri Testamento sacerdotes inungebant Reges.*

Regum dignitas: — Princeps simulacrum Dei. — Plut. l. de doct. princ. — Tac. l. 3. An. — Sen. l. 1. de Clem. — Exod. 28. ps. 81. — 1. Pet. 2. ps. 81. Rom. 13. — Populus Principi, Princeps Episcopis subditus est. — Ignat. ep. ad Philad. — Ign. ep. ad S.m. — Episcopalis dignitatis excellentia. — Ambr. de dign. sac. c. 2. — Chrys. ho. 4. de ver. Isa. — Sacerdotii dignitas Regali præferenda.

7 Quapropter præstitam sibi divinitus auctoritatem probe noscens Ambrosius, Valentiniano Juniori in res Ecclesiæ regimini subjectas se temere immiscenti illis acriter verbis restitit: *Noli te*, inquit, *gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est enim, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ: publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum.* Quod optimi quique Imperatores Episcopali Cathedræ jugiter obsequentes palam in religionis obsequium obtestati sunt, inter quos ille in primis omnium laudatissimus Constantinus Magnus Episcopos vices Dei gerentes humiliter alloquens: *Vos*, inquit, *intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam à Deo Episcopus constitutus sum.* Verum enimverro, ut proposito insistamus, haud summis dumtaxat Pontificibus, qui Petri sedem, & locum in Ecclesia obtinent, sed quibusvis Episcopis, qui Cathedra supra cæteros, ut Ecclesiastico regimini par est, potiuntur, à Regibus perpetuus certatim honor delatus est, ita ut fideles ad eorum pedes passim procumberent, ut Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli hunc in modum edisserit: *Ad Ecclesiam accurris*, inquit, *Episcopum videre desideras, ad ejus pedes volutaris.* Quod D. Ambrosius lib. de dignit. sacerdot. cap. 2. ad sacerdotes, extendens, paribus verbis confirmat: *Regum colla, & principum*, inquit, *submittuntur genibus sacerdotum, & osculatis eorum dexteris, orationibus eorum se credunt communiri.* Et quidem si de Regibus hic sermo sit, Clotharius Francorum Rex ad S. Lupi Senonensis Episcopi pedes supplex accessit. Longobardorum item Rex regio è throno prosiliens ad Corbiniani Episcopi pedes humillime provolutus est. Porro talis, ac tantus his, qui Pontificia Cathedra, & sacerdotali munere præcellerent, vel ab ipsis Regibus observantiæ, atque obsequii cultus impendebatur, ut ante ipsos se prosternere, Regiamque pariter cum Regis infulis coronam humiliter eorum pedibus, ac imperio subjicere neutiquam dedignarentur. Quam obrem Hispaniarum præcipue Regum in ejuscemodi re pietas apprime enituit, ut Leo Cassius miris eosdem laudibus extollens, in hæc verba edisserit: *In vetustissimo*, inquit, *codice Ordinis S. Benedicti reperi olim Reges Hispaniæ, cum audirent Episcoporum Synodum, procumbere solitos toto corpore ad terram ante ipsos Episcopos, terram osculari: neque prius attollere se humo, quam è suis illi subselliis surgerent, & Reges eorum pedibus circumfusos brachiis attollerent, & in sella Regia pro dignitate collocarent.* Vides hinc, amice lector, quantum Pontificiæ Cathedræ,

S. Ambrosii pro jure Eccl: constantia. — Amb. ep. 14. de Marcell. — Apud Eus. 4. de vit. 24. — Amb. ep. 13. ad Valen. — Regum erga Episcopos obsequium. — Aug. ser. 18. de ver. Ap. — Amb. l. de dig. ser. c. 2. — Clotharius Rex. — Regum Hispaniarum erga Episcopos observantia — Leo Cass. in M.S. Ced. S. Bened.

dræ, ac ſacerdotali muneri deferant, qui Regias eorumdem pedibus infulas, ac ſemetipſos unà pariter cum Regnis ſuis ſponte libenterque ſubjiciunt. Quamobrem Leontius ille ſacerdotalis plane animi, ac pectoris Epiſcopus Pontificiæ Cathedræ ſuum perpetuo illibatum ſervari honorem volens, ac præeminentiæ, quam ſupra Regum capita, eorumque infulas Epiſcopalis dignitas obtinet, probe memor, Euſebiam Imperatricem, ut Suidas refert, illis plane verbis admonuit: *Si me vis*, inquit, *ad te venire, ſervato mihi reverentiam Epiſcopus convenientem, ut ingrediar quidem ego, tu autem mox celſo tuo ſolio deſcendens cum pudore mihi occurras, deinde ſedeam quidem ego, tu autem ſtes reverenter, nec ſedeas, donec ſigno jubeam. Si his parere vis, viſam te: ſin minus, ſcito te non obtenturam, ut nos honorem Epiſcopis debitum prodamus, & in divini ſacerdotii jus ſimus injurii.* Certe D. Hieronymus, ut antiqua tempora recolamus, Pontificiæ olim Cathedræ, ac iis, qui in ea conſidebant, eum venerationis cultum à fidelibus certatim exhibitum fuiſſe narrat, ut plebs Epiſcopo venienti occurreret, & ad ejus exſculandos pedes humiliter proſterneretur, quod Epiphanio potiſſimum præſtitum eſt. Gainas Arrianus Gothorum dux, qui acres contra Imperatorem Arcadium ſeditiones concitarat, S. Io: Chryſoſtomo, quem infenſo animo, velut ſuis contrarium votis perſequebatur, longo itinere obviam proceſſit, ſuiſque filiis diſtricte præcepit, ut ejus genua, quod Theodorus enarrat, ſupplici vultu deoſcularentur. Verum ut à ducibus ad Imperatores ſtylum convertamus, Theodoſius Imperator poſt partam divinitus ex Eugenio tyranno victoriam, Ambroſii pedibus, cujus precibus palmam ab hoſte revexerat, humillime provolutus, debitas gratiarum actiones perſolvit. Idemque veniam aliquando precaturus, Nicephoro teſte, ad Amphilochii pedes procubuit. Valentianus autem Imperator, ejuſdemque conjux, ut Fortunatus ſcribit, hos, ampliores que Martino Turonenſium Epiſcopo honores detulit, ſic enim rem metrice cecinit:

Leontius Epiſcopalis dignitatis defenſor.
Suidan. Hiſt.
Principes mundi Epiſcopos venerantur.
In vit. S. Epiph.
Leo ne in vit. S. Io. Chr. apud Sur.
Gajanes Dux Gothus.
Theodoſius Imp. Paulin. vit. S. Ambr.
Nic. l. 11. c. 9.
Valentinianus Imp.
Fortun. de geſt. S. Mart.

Hinc ſede exiliit rapiens ſe Cæſar, & ardens,
Martini genua amplectens, pedibuſque volutans.

Quibus paulo poſt iſthæc ſubdit:

Nec ceſſat Regina pedes lachrymoſa rigare,
Sternens membra ſolo, ſuſpendens gaudia voto.

Quo autem honore Ioannem Romanum Pontificem Iuſtinus Imperator olim proſecutus eſt? cui Hieroſolymam advenienti cum tota Urbe venerabundus obviam procedens, ejuſdemque pedibus humillime provolutus, detracta ſibi Auguſtalia inſignia Pontifici ſupplex obtulit, iiſdemque Pontificia manu honoris gratia exornari ſe enixe petiit. Iuſtinianus item ſecundus Imperator, haud Iuſtino erga Romanos Pontifices pietate, ac obſequio impar, ad Conſtantini Papæ pedes humilis accurrens, humiliter deoſculatus eſt. Idem plane Carolus Magnus, ejuſque avus Pipinus Stephano Secundo Romano Pontifici in Gallias profecto: hoc ipſum Ludovicus Pius Caroli filius Sergio Secundo Romano item Pontifici, veluti Apoſtolicæ Petri Cathedræ, & fidei pariter ſucceſſoribus admirando pietatis exemplo præſtitere.


Iuſtinus
Iuſtinianus Imp.
Carolus Magnus.

7 Cathedræ igitur, vel ipſæmet recolendæ Pontificum Sedes, quæ in perantiquis Subterraneæ Romæ Cœmeteriis ad hanc uſque diem conſpiciuntur & in præcipuis Cœmeteralium Cubiculorum tabulis pictæ exhibentur, haud prolixiori verborum pompa, ac rhetorum coloribus exornari indigent: nemo enim eſt ſacram probe callens antiquitatem, qui eaſdem ſummis olim Pontificibus uſui fuiſſe ignoret, dum ſacros in abditis Cœmeteriorum locis cœtus, ac ſynaxes ſtatis temporibus peragerent: illud tamen hic ad rei propoſitum nobis repetendum videtur, primævos videlicet Chriſtianos beneficiorum divinitus inde acceptorum memores, quippe qui à beatiſſimis Chriſti Apoſtolis Euangelium ac fidem pariter per manus acceperant, ingenti religionis cultu eorundem deinde ſedibus reſervatis, præcipuum iiſdem venerationis obſequium detuliſſe, quod potiſſimum Pontificiæ ſedi contigiſſe, conſtat, in qua Jacobus Apoſtolus Hieroſolymis, Marcus Alexandriæ, & ipſe demum beatiſſimus Petrus Apoſtolorum Princeps Romana in Urbe primum ſederat: hæc enim ad noſtram uſque hanc ætatem ex omni parte integra extat, de qua item in ſacris ſeptem Eccleſiarum monumentis à Severano noſtro prolixior utique mentio agitur.

Sedes ac Cathedræ in Cœmeteriis.
Cathedræ Apoſtolorum conſervatæ, & in veneratione habitæ.

8 Cum probe igitur primævi Chriſtiani noſſent, ipſiuſmet Chriſti vicem in Epiſcopos præſeferre, & haud impar illis obſequium à fidelibus deferendum eſſe intelligerent, eas præſertim ſedes, quibus illi in Eccleſia inſidentes cæteris de more oculorum inſtar præſidebant, quid veluti divinum pretioſis undique velis exornare, pannis item ſericis, atque holoſericis obtegere, ut nos alibi diximus, in more habuerunt. Quod plane Pontius ille diaconus in beati Pontificis Cypriani apud Surium actis 14. Septembris innuere palam videtur, cum digniſſimum tanti viri certamen enarrans, hæc ait: *Sedile autem erat fortuito linteo tectum, ut ſub ictu paſſionis, Epiſcopatus honore frueretur.* Hic inſuper ſtudioſo lectori repetenda ſunt, quæ Auguſtinus epiſt. 204. ad Maximem Donatiſtarum Epiſcopum ſcribens de obvelatis cathedris hunc in modum recenſet: *In futuro*, inquit, *Iudicio nec abſides gradatæ* (ſedes enim Epiſcoporum ſublimiori attolli faſtigio conſueverant) *nec cathedræ velatæ adhibebuntur ad defenſionem. &c.* Verum hac ſuper re Pacianus conſulendus videtur, qui epiſt. 2. ad Sympron. Epiſcopalem utique ſedem honoris gratia linteatam appellat, uti Baronius in ſuis ad Martyrologium notis refert. Paciano Ennodius Ticinenſis in libello, quem in Symmachi gratiam pro Romanæ Synodi defenſione conſcripſit, his verbis adſtipulatur: *Ecce nunc ad geſtatoriam ſellam Apoſtolicæ confeſſionis vela mittunt.* Nec vero Epiſcopalibus ſedibus ornamenta ejuſcemodi, vel ſub ipſamet tempora, quibus acriter Dei Eccleſia perſecutionum motibus impetebatur, defuiſſe ex marmoreo præſertim fragmento compertum eſt, in quo Pontificia quædam Cathedra delineata conſpicitur, quod quidem recolendum fragmentum in veteri beatorum martyrum Marcellini & Petri Cœmeterio juxta Viam Lavicanam, Dei potiſſimum nutu, à Boſio reperiri contigit, ut nos ſupra lib. cap. 14. propoſita, nonnulla in rem præſentem lectori ſuggeſſimus, & nunc denuo eamdem hic tibi iconem exhibendam voluimus.

Cathedræ, ac ſedes Pontificales velis exornari ſolitæ.
Act. S. Cypr. mar. 14. Sept.
Aug. ep. 203. ad Max.
Pacian ep. 2. ad Sympon.
Bar. in not. ad Mart.



Ibi enim ejuſcemodi velamina marmoream utraque ex parte cathedram ornamentorum inſtar ambientia apparent.

Columba ſedibus Pontificiis inſidens aſſiſtentiam Spiritus S ſymbolice ſignificat.

9 Quoniam vero opportuna nunc Cathedræ mentio recurrit, nullatenus prætermittendum videtur, in præmemorati marmoris fragmento columbam inſuper ferro exſculptam eſſe, quæ ipſimet pontificiæ Cathedræ inſidet, quod quidem,ut rem expendamus, ingenti myſterio præſtitum eſt, utpote ad inſinuandum tum oculis tum animis intuentium præcipuam divini Numinis, atque ipſiuſmet ſancti Spiritus providentiam, qua Apoſtolicæ Sedi jugiter præeſt, ejuſdemque, quod Petro olim Chriſtus pollicitus eſt, haud ullo umquam tempore regimen defuturum, quod antiqui Patres ſupra firmam ac ſtabilem Eccleſiæ petram fundamento divinitus præſtito conſiſtentes, profitebantur, & cuncti orthodoxæ fidei ſectatores veluti certum quoddam ipſius fidei argumentum conſtanter unanimi conſenſu tenent. Quocirca haud nobis hic Patrum ſententias congerere ac ſacras Conciliorum ſanctiones & decreta ad id comprobandum in medium proferre opus eſt : nec interim quod ipſamet enarratio à nobis exigit, ſilentio prætereundum videtur, divino plane nutu, atque admirando ſæpe prodigio in ſummorum Pontificum, aliorumque orthodoxorum Epiſcoporum electionibus è Cœlo ſuffragium adfuiſſe : tunc enim haud alio quam columbæ indicio provehendus ad Pontificii culmen apicis deſignatus, & rata è Cœlo electio habita eſt. Quis enim neſciat, quod ſacræ teſtantur hiſtoriarum paginæ, tunc temporis videlicet cum Fabianus in ſummum Pontificem à patribus ſalutatus eſt, columbam cælitus adveniſſe, & fauſto atque optato omine, tanti viri meritis, ejuſdem capiti inſidendo ſuffragium detuliſſe? Quod ſane Baronius Annal. tom. 2. anno 238. & Euſebius item lib. 6. cap. 22. apertis verbis edocent.

S.Fabianus Pontifex.

Bar. ann.to. 2. an 238. Euſ. l.6.c. 22.

10 Idem vero conſpicuæ ſanctitatis Gregorio Epiſcopo Agrigentino divinitus contigit, cum de Pontificia electione, uti mos eſt, conſultatio haberetur; de quo Lippom. tom. 5. & Surius tom. 6. 26 Nobr. diſerte agunt. Hoc idem in complurium Ravennatum Epiſcoporum electionibus ſolemne extitit, Aderiti præſertim, Eleocadii, Marciani, Calοceri, Proculi, Dati, Severi, & aliorum, quorum merito quidem jure memoriam Rubeus Hiſt. Ravenn. lib. 1. & 2. recolit, qui illud inſuper ſtudioſe adnotat, Eccleſiam, quæ S. *Theodori* olim nuncupabatur, nunc *S. Spiritus*, immutato nomine ab omnibus vulgo in rei teſtimonium appellari, ob frequentes videlicet præſtitas divini Spiritus ſub ipſius columbæ ſymbolo, ut hactenus enarratum eſt, apparitiones, & tunc quidem temporis, cum de Epiſcopis deligendis communi apud populum ſuffragio ageretur.

S Eſebius.

Lipp tom.5. Sur.tr.6.26. Nov.

Rub hiſt Rav. l.1.& 2.

Eccleſia S. Theodori nunc S.Spiritus.

11 Demum ſub hac ſymbolica imagine Spiritum ſanctum ipſimet Gregorio magno, cum ſacrarum ſcripturarum explanationi inſiſteret, viſibiliter aſtitiſſe Io: Diaconus in ejuſdem geſtis locupletiſſimum teſtimonium profert lib. 4. cap. 69. & Petrus item Diaconus, qui admirandi hujus portenti oculatus teſtis eſſe promeruit, cujus rei gratia veneranda beatiſſimi Pontificis imago columbam auribus incubantem præſeferens pio fidelium ſtudio pingitur.

S.Gregorius cur pingatur cum columba ejus veluti auribus incubante.

Io. Diac.in vit S. Greg. Mag. l. 4. c. 69.

12 En igitur, amice lector, potiſſimas tibi rationes delibavimus, cur antiqui Chriſtiani, impenſum jugiter Pontificiæ dignitati obſequium deferebant, & qui præſidentes in Eccleſia animarum regimini paſtores, utpote ipſius Chriſti ſupremi omnium Paſtoris vicem exhibentes, & vel ipſum præſidentis locum omni venerationis cultu proſequebantur, cur, inquam, Chriſtiani, quibus nil antiquius pietate, nobiliſſimas Pontificum cathedras ſplendide excolerent, & marmoreas earumdem imagines ſtudioſe in Cœmeterialibus Cubiculis exſculpentes, intuentium frequenter oculis ingererent. Et hæc interim de Cathedris prolixiori ſermone enarraſſe voluimus.

CAP. XLIX.

De Coronis.

1 ANtiquiſſimus plane coronas intexendi, eiſdemque caput exornandi apud ſingulas fere Orbis terrarum nationes mos extitit: & ut à profanis interim gentilium ritibus, ad ſacra ſubinde rem derivantes auſpicemur, in ſacrificiis potiſſimum, quæ idolis offerebanttur, Coronæ adhiberi con-

Coronarum in ſacrificiis uſus.

Athen.l.15. consuevere: *Sacrificantes quippe*, ut Athenæus ait, *id quod Diis offerebant, vel acceptum etiam referebant, coronabant.* Inde Plautus in Amphitr. illis plane loquendi formulis eundem gentilium morem commendare visus est, ait:

Plaut. in Amp. *Serta, unguenta, coronas ferri Veneri, Cupidini.*

Idem in Aulul. prolog.

Has coronas floreas, ut imponantur in foco nostro lari.

Idem in Pseudol.

Plaut. in Pseu. *Illam esse domum Iovis*

Augurium menti querna corona dabat.

Quam plane apud antiquos receptam in sacrificiorum ritibus consuetudinem Ovidius quoque 3. Tristium eleg. 1. illis eleganter carminibus expressit: Ovid. 3. Trist. eleg. 1.

Fumea cingatur florentibus ara corinis.

Verum insolitæ quondam apud omnes fere consuetudinis, si Aristoteli fidem adhibeamus, ea potissimum ratio esse convincitur, quia hisce videlicet coronis, quas portendebant, nil Diis mutilum, sed integra cuncta, ac perfecta offerenda esse designabant: corona quippe perfectionis, ac plenitudinis symbolum est. Hinc eodem Aristotele teste apud Rhodiginum lib. 27. cap. 26. *Antiqui convivitis coronati accumbebant*, ac si coronis, quas tunc capiti præferebant, annonæ fertilitatem, rerumque omnium copiam symbolice inaugurantes, lætitiam exhiberent. At si morem hunc, cujus sermo recurrit, ad sua derivemus initia, coronarum ejuscemodi origo, & causa item illa potissimum extitit, quod cum discumbentes multo convivales inter epulas se vino ingurgitarent, ne caput subinde doleret, fascia illud linea, vel certe lanea vinciebant. Hæc enim, ut Festus ait, primum cunctis corona ad manus fuit, verum luxu subinde immane aucto, ad novas sibi delicias concinnandas, compacta tum ex frondibus, tum ex floribus, aut calidis aromatibus serta adhibita sunt, quæ humani capitis meatus molliter, ut vinum facile perspiret, adaperiunt, quod ex Nardo potissimum corona præstare consuevit: vel certe ex frigidis interdum coronæ instruebantur, ut opportune meatus temperamento adstringentes, æstuantis vini vim valide comprimerent: ad quod apte quidem corona ex violis, rosis, & ex hedera item intexta adhibebatur. Quis enim nesciat, quod *Liber, seu Bacchus hedera*, ut Plutarchus ait, *bacchantes, ludentesque coronavit?* Hedera suo videlicet ebrietatem frigore, quo minus à vino, liberaliter epotantes, læderentur restinguente. Has porro convivales coronas capiti, aut fronti, vel certe temporibus circumdabant, aut festivum in morem lætitiæ gratia de collo suspendebant, juxta quod apud Ezechielem Prophetam intemperantes illi homines, qui ad suas olim turpitudines explendas Hierosolymam ventitabant, festivis coronis hisce utebantur: *Posuerunt*, inquit, *armillas in manibus eorum, & coronas speciosas in capitibus eorum.* Quo magis enim blandas inter delicias lascivirent, coronas capitibus ob lætitiæ symbolum præferebant.

Arist. Symp. — Cur nil nisi coronatum Diis olim offerretur. — Rod. l. 27. c. 26. — Et cur convivis coronati accumberent? — Fest. de coron. — Plut. 3. Sympos. c. 1. — Ezech. c. 23. n. 42. — Corn. in d. Ezech.

2 At vero quemadmodum impositæ capiti coronæ lætitiam, ita pariter, ubi deponebantur, mœrorem, ac luctum intuentium oculis portendebant: quod satis aperte ipsamet ejusdem Ezechielis verba comprobare videntur, dum ait: *Aufer cidarim, tolle coronam.* Ibidem enim, ut passim scriptores edisserunt Propheta symbolice loquens, Saram Pontificem tollendum, vel certe Pontificali cidari, & Sacerdotio abdicandum fore prædixit. Idem quippe apud antiquos erat Cidaris, ac corona, fascia videlicet alba, quæ caput circumligabat: hæc enim Regibus olim corona erat, & inde Diadema appellatum est à διαδεῖν, id est, à *circumlegando*: qua plane ratione in perantiquis numismatibus Romani passim Imperatores fascia caput redimiti, coronatique insculpti cernuntur: quod ipsamet Hebraica vox significat *mitsnephet*, *isanaph* enim idem sonat, ac involvere. Sic autem Plutarchus in Lucullo Mithridatis uxorem diademate ipsimet collo circumdato, se suspendisse enarrat. Iustinus vero Alexandrum ipsomet Lysimachi vulnus diademate alligasse scribit, quod quidem eundem Regem aliquando futurum felici omine præsignavit. Dion quoque in Pompeji gestis, *Tigranem candidam fasciam ante Pompeji pedes, quasi Regium insigne abjecisse narrat, ac si eidem Regnum subjiceret.* Ita plane præ cæteris Maldonatus, & Prado, qui coronæ, aut fasciæ hujus rationem edisserens, hæc subtexit: *Vel certe Cidarim vocat pileum, coronam vero fasciam jam dictam pileo circumdatum*, de qua item cap. 24. vers. 17. Ezechiel illis verbis elocutus est: *Corona tua circumligata sit tibi.* & vers. item 23. *Coronas habebitis in capitibus vestris.* Cornelius à Lapide ait, corona, inquam, intelligitur, id est, fascia, qua Sacerdotes pileum veluti coronant, capitique aptant, vel certe ipsummet rotundum pileum, coronam vocat, qui coronæ instar caput ambiendo coronat, quales olim profecto Mitræ, & Tiaræ Sacerdotum erant, nunc vero sunt ipsimet Turcharum, quos vulgo appellant *Turbanti*: hæ quippe Hebraica voce *peer*, id est, *decor*, *gloria capitis* nuncupantur, habebantque lemniscos, & quasdam subinde vittas, quibus capiti alligabantur. Quippe cum Propheta Ezechiel inter Sacerdotes recenseretur, mitra velut congrua sacerdotali muneri corona cingebatur. Vel ibi certe sub coronæ titulo ipsammet capillorum cæsariem intellexisse voluit, quæ in rotundum deducta, vel attonsa, aut potius colligata fuerat: quibus plane verbis haud ullatenus à Propheta luctum assumendum, aut coronam, ut mœstos decet, è capite deponendam Deus edixit: septuaginta enim legunt: *Erant crines tui colligati super te*, quibus plane verbis illud, ut Hieronymus ait, ipsiusmet Dei oraculo innuitur: *Noli lugere, ac lugentium more comam, pilium, aut fasciam eum coronantem deponere, & calceos exuere, ut nudo capite, & pedibus incedas, nec os velabis, aut veste teges, ut pullati faciunt.* Ita erudite quidem in rem præsentem, ut Cornelius refert, antiquam Hieronymus consuetudinem edisserit.

Depositio coronæ mœstitiæ olim signum erat. — Ezech. c. 21. — Corn. à Lapid. in c. Ezech. 21. n. 26. — Corona antiquis: quæ ac qualis esset? — Plut. in Luc. — Dion in vit. Pomp. — Iuven. l. 15. — Ezech. c. 24. n. 17. — Corn. à l. 47. in c. 24 Eze. 17. — Ezec. c. 24. n. 17. — Hier. ad Heliod.

3 Ut antiquorum enim consuetudini, cujus sermo recurrit, insistamus, Græci olim, & Romani pariter, coronas suis in funeribus deponebant, ut his diserte verbis, & apte in rem præsentem Hieronymus ad Heliodorum in Nepotiani epitaphio testatur: *Proponunt*, inquit, *innumerabiles viros, & maxime Periclem, & Xenophontem Socraticum: quorum alter amissis duobus filijs coronatus in concione disseruit*, ut ostenderet nimirum se haud dolere, haud lugere. *Alter vero*, inquit Hieronymus, *cum sacrificans filium in bello audisset occisum, deposuisse coronam dicitur, & eamdem capiti reposuisse, postquam fortiter in acie dimicantem reperit concidisse.* Modus autem iste defunctos solemniter plorandi

Antiquorum in funeribus coronas deponendi mos.

apud Judæos quoque usu receptus fuisse legitur. Hi enim, cum suis justa persolverent, ac luctui impensius vacarent, coronas primum deponebant, consuetisque se vestibus exuentes, lugubres induebant. Nec dissimili quoque vestium ritu mœsti olim inter funera gentiles utebantur: quippe qui magistratus insignia in luctu ponebant, ut in Germanici potissimum funere Tacitus lib. 3. accidisse scribit. Nec vestes dumtaxat, sed & annulos mutasse ex Suetonio didicimus, qui ipso Augusto mortuo, quosdam censuisse tradit, *exsequiarum die ponendos annulos aureos, ferreosque sumendos.* Idem plane Livius lib. 34. hunc in modum confirmat: *Quid aliud*, inquit, *in luctu, quam purpuram, atque aurum deponerent.* Recensitis autem scriptoribus Ovidius quoque lib. 8. Metamorph. adstipulari videtur, dum Altheam fratres misere extinctos conspicatam, vestem protinus mutasse describit:

Romanorum in luctu mos.

Tac. l. 3. in vit. German.

Liv. l. 34.

Ovid. l. 8. Met.

Quæ plangore dato, mœstis clamoribus urbem
Implet, & auratis mutavit vestibus atras.

Huc item illud C. Cilnii Mecœnatis in Horatium epigramma quadrat, quod apud Isidorum lib. 19. cap. 32. his quidem Carminibus concinne describitur.

Isid. l. 19. c. 32.

Lugens te mea vita, nec Smaragdos,
Beryllos neque Flacce, nec nitentes
Semper candidas quæro margaritas,
Nec quos Tynica lima perpolivit
Anellos, nec Iaspios lapillos.

Quinimo ob publici doloris, ac mœstitiæ signum, tam solemnis iste apud Romanos præsertim mos extitit, ut in publico Principum luctu Iustitium esset: Consules enim vulgari veste induti in curia considebant, fasces eisdem inversi præferebantur; læta omnia vitabant, se publico abstinebant. In quam plane sententiam in Germanici funere hæc Tacitus: *Hos vulgi*, inquit, *sermones audita mors indicet, ut ante edictum Magistratum sumpto justitio desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia, & gemitus.* Verum in mœroris typum apud Iudæos quoque coronas deponere, & cinere caput aspergere in more positum erat: quocirca Isaias Prophetice ait: *Ut ponerem lugentes in Sion & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Ubi Hebraicus textus *Cidarim pro cinere legit.* Hebræis etenim mos inoleverat, ut in luctu caput cinere aspergerent, arridente autem lætitiæ tempore, ut in nuptiis, festis, triumphis, coronas capiti imponerent, quin insuper inter blanda gaudentes oleo se ungere consueverant. Concinne autem recensita mœroris in gaudium transmutatio brevi ibidem manu describitur, ubi paucis dumtaxat transpositis Hebraicis literis paronomastice ex *Epher* fit *Peer*: tam facile quippe, ac præsentaneum, Deo protegente, est, cinerem in cidarim, luctum in lusum, rictum in risum, mœrorem denique in gaudium converti.

Iustitium ob publicum Principum luctum.

Tac. in fun. Germ.

Isa. c. 31. v. 3.

Hebræorum in luctu mor.

Christiani à Coronis cur abstinuerint?

4. Porrò Christiani symbolice quidem olim à coronis abstinentes, easdem haud festivo gentilium more, multiplicibus ad id permoti rationibus, gestabant: cum enim Gentiles sertis passim superstitiose idola coronarent, fideles, ne impios eorundem sectari ritus viderentur, coronas maxime detestabantur, tum etiam, quia cum hujus vitæ tempus mœstitiæ, luctus ac cineris tempus, haud lætitiæ, computandum sit, lubrica delirantis seculi gaudia rejecto futili coronarum typo superfugere præmonebantur: & demum quod maximi fidelium animis momenti jugiter contemplandum insidebat, spinea, qua Christi Salvatoris caput corona redimitum fuerat, floream procul, ac morbidam, Christianis coronam arcebat: quippe *non decet*, ut aperte Bernardus ait, *sub capite spinoso membrum fieri delicatum.* Quapropter cum quondam Severus Imperator donativum militibus, ut mos erat, impenderet, & singulis coronæ ipsiusmet Imperatoris manu exhiberentur, Christianus quidam miles, etsi minus sapienter, rem detestatus, haud castrensem cæterorum more lauream capite, sed manu gestabat: causam vero facti expostulatus, cum se Christianum esse, sibique licere nullatenus coronatum incedere respondisset, in carcerem protinus conjectus est. Quo tempore instaurandæ potissimum in Christianos persecutionis occasio facta est: & inde opportunum Tertullianus scribendi argumentum nactus, ut quod miles vel inconsulto, parumque sapide præstiterat, mordicus defenderet, luculentum de Corona militis librum conscripsit. In quo de coronis diserte sermonem intexens lib. 7. cap. 7. superstitioso coronas ritu potissimum ab idolis, & idololatris adinventas, usuque receptas fuisse multiplici exemplorum insinuatione demonstrat: nam ut breviter singula ipso referente percurramus: Pandoræ videlicet caput à Charitibus coronatum fuit. Saturnus ante omnes coronatus est. Jupiter vero, post edomitos dumtaxat Titanas. Priapo Tæniæ Ariadnæ sertum ex auro, & Indicis gemmis adscribitur. Juno vite coronata legitur: Hercules populum capite, oleastrum, aut apium præfert: Apollo autem Delphico interempto Dracone lauream induit. Liber nunc hederatus, nunc aureæ princeps coronæ exprimitur, qua ex Indis triumphavit. Isis repertas spicas nobilis instar ornamenti capite circumtulit: ac postremo tandem loco aculeatis verbis gentilitias ejuscemodi coronas perstringens, his dumtaxat coronidis instar librum, in quo de coronis agitur, stomachabundus homo concludit: *Serva Deo rem intaminatam, ille eam coronabit: Qui viceriit*, inquit, *dabo ei coronam vitæ. Esto tu fidelis ad noctem. Decerta & tu bonum agonem, cujus coronam & Apostolus sibi repositam merito confidit. Accipit & Angelus victoriæ coronam præcedens in candido equo. Ut vinceret, & alius iridis ambitu ornatur cælesti. Porro sedent & presbyteri coronati, eodemque auro & filius hominis micat. Si tales imagines in visione, quales veritates in repræsentatione? illas aspice, illas odorare. Quid caput strophiolo, aut dracontario damnas, diademati destinatum? Nam & Reges Deo, & Patri suo fecit Christus Iesus.* Sed perperam quidem Tertullianus, vel nimis justus, ubi opus non erat, atque austerus coronas in milite, & militem cum coronis damnavit, qua de re nos infra paucis, rem, dum coronas inteximus, edisserentes, nonnulla consulto subtexemus. Interim vero cum de Cœmeterialibus coronis sermo instituendu sit, hæc vel obiter in studiosi gratiam lectoris præmisisse voluimus.

Ber. in ser.

Severus Impp. Coronas militibus donat.

A Christiano aspernatur.

Tert. l. 7. c. 7. de cor. mil.

Idolorum capita coronandi mos.

Pandoræ.

Saturni.

Jovis.

Priapi.

Junonis.

Herculis.

Apollinis.

Liberi.

Isidis.

5 Et quidem cum multa Christiani in abditis Cœmeteriorum locis symbolice interdum pingerent, coronas pariter quæ præcipuum quoddam ornamenti genus exhibent, pingere consueverant. At vero ne perfunctoria res ista videatur & ut nonnulla interim ad rei notitiam præmittamus, pius ac studiosus lector hic præmonendus est, quod Coronæ quæ

Coronæ donativum Severi Imp rejectum à milite.

quæ in Cœmeterialibus quibusdam sepulchris adumbrantur, iis præsertim negotium facessere videntur, qui Tertullianum de Corona militis, ut supra attigimus, diserte scribentem consuluere, ubi militem præcipuis laudibus extollit, qui donativum, coronam videlicet accepturus, haud illam capiti impositam, quod cæteri Christiani milites præstabant, gestare acquievit, sed quid veluti profanum, ac gentilitiam superstitionem redolens, voce libera, constantique animo respuit. Quo ex facto vir ingenio acutissimus acuendi styli opportunitatem nactus, in ejuscemodi rem acrius etsi temere ac parum sapienter, invehitur. At ipsum quæso, etsi paulo ante differentem exceperimus, nunc iterum Christianorum militum coronas haud jure stylo perstringentem patienter audiamus: *Quid tam*, inquit,

Corona militaris improbata à Tertulliano.

indignum Deo, quam quod dignum Idolo? Quid autem tam dignum Idolo, quam quod & mortuo? Nam ut mortuorum est ita coronari, vel quoniam & ipsi Idola statim & habitu & cultu consecrationis, quæ apud nos secunda Idololatria est, &c. hæc Tertullianus.

Tertul. de cor. mil.

6 Clemens quoque Alexandrinus eandem cum Tertulliano sententiam mordicus tenens, militarium coronarum usum ac si profanum apprime detestari videtur: quippe qui Pædagog. lib. 7. cap. 8. iisdem vel ipsamet defunctorum capita coronis redimiri, gravissimi quidem piaculi genus pronuntiat. Hæc igitur in rem præsentem ait: *Qua de causa mortuos quoque coronant, quo nomine re ipsa suo testimonio mortua esse asserunt. Qui enim bacchantur, nec absque coronis Orgyi sua celebrant, cum dæmonibus nullo modo communicandum est: sed nec viva Dei imago mortuorum simulacrorum ritu est coronanda &c.* Audis quam stomachabundo de militaribus coronis ore iste alter veluti Tertullianus loquatur.

Et à Clemente Alexandrino.

Clem. Alex. l. 7 pedag. c. 3.

7 Verum enimvero si qu s Minutium Felicem, antiquissimum inter scriptores, consulat, hujus quidem sententiæ assertorem, propugnatoremque comperiet. Christianos enim coronam gentilium more haudquaquam, quod tunc illis crimini adscribebatur, gestantes excusans, ac ipsosmet gentiles, qui passim ejuscemodi ritus præstabant, hanc unam ob causam deridens, hæc inquit: *Sane quod caput non coronamus, ignoscite: auram boni floris naribus ducere, non occipitio, capillisve solemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, aut non sentienti coronam, cum & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus.* hæc Minutius.

Min. Fel. in Octav.

8 Cum igitur ex jam enarratis scriptorum sententiis ejuscemodi olim coronarum serta Christianis capiti gestare, ne superstitiosos, ac profanos gentilium ritus, ac mores sectari viderentur, vetitum fuisse constet, ex hoc fortasse quispiam arguet, Cœmeterialibus hisce sepulchris, in quibus expressas interdum coronas repræsentari contigit, haud pia Christi fidelium, sed fœtida potius gentilium cadavera condi, ac designari. Verum si orthodoxorum Patrum sententias diligenter expendamus, illas potissimum coronas Christianis deferre, quæ hominibus gentilitiæ superstitioni deditis, in obscœnis eorumdem ludis, execrandisque sacrificiis usui erant, & quibus ipsamet Idolorum, vel certe defunctorum capita, vano, futilique observantiæ ritu cingebant, vetitum fuisse constabit: nullatenus vero eas gestare interdicebatur, quibus milites post partam sedatis bellorum procellis victoriam, cum solemnes deinde triumphos agerent, vel dum con-

Coronæ in sepulchris quomodo deceant Christianos?

Coronæ à Patribus prohibitæ quænam sint.

Et quænam licitæ?

giarium ab Imperatoribus publice exhiberetur, ipsi de more triumphantium instar redimiti incedere consueverant, ut in ipsiusmet Severi principis congiario, aut donativo contigit, in cujus solemni lætitiæ pompa cæteri Christiani milites non impertitam duntaxat sibi coronam palam gestare nullatenus detrectarunt, verum etiam militem illum, qui summis à Tertulliano laudibus provehitur, acri reprehensionis nota perstrinxere: ex eo enim, quod ille imprudenti consilio præstitit, peroptata, ut alibi diximus, diutinæ pacis tranquillitas, qua tunc Ecclesia perfruebatur, palam in discrimen adduci visa est, ut anno insequenti, immutata rerum facie, novisque procellis obortis, contigit. Quapropter jure quidem merito factum istud, ut disertis Baronius verbis probat Annal. to. 2. an. 101. ab omni Christianæ religionis injuria vindicandum est, cum haud ab Idolo ejuscemodi coronarum serta reciperentur, nec eidem simulacro velut quid religioso dicatum cultui delibaretur; & ut uno demum verbo singula complectamur, ea coronidis instar ratio, quæ cæterarum omnium potissima est, accedit, quod videlicet nullam penitus superstitionis labem actus iste coronam gestandi saperet; sed lætum ac faustum victoriæ duntaxat symbolum omenque præseferret: tunc enim temporis ille apud omnes mos, ut jam diximus, inoleverat, ut dum Imperator congiarium, aut certe triumphum celebraret, coronam milites sibi ultro oblatam acciperent, capitique impositam non secus ac ensem, aut conspicuum rei militaris insigne deferrent. Nec vero in floridissimis Roman. castris Christiani milites, & vel integræ interdum ex eorum numero legiones deerant, inter quas una quidem, ac præcipua fuit, quæ speciosum ac formidandum pariter sortita vocabulum *Fulminatrix* appellari promeruit, & condigno honoris titulo ab ipsomet Tertulliano in suo Apologetico recensetur, nusquam tamen ex tot virorum pietate, ac militari item robore præstantium numero quisquam à coronis quas elargiri Imperatores consuevere, præter istum nimia animi scrupulositate delirantem, ut alibi diximus, abstinuisse legitur. Illud igitur nobis certum, ratumque habendum est, Christianis nimirum coronas olim ipso gentilium more deferre, eisdemque (quod ipsi gentiles impie factitabant) domorum januas, templorum Idola, & id genus alia contextis florum sertis redimire vetitum fuisse, his tamen in victoriæ signum ac triumphalis lætitiæ symbolum uti consueto ex more fas erat. Verum hactenus enarratis, ad instituti propositum valide comprobandum illud accedit, quod ipsimet Christiani Imperatores ejuscemodi coronis absque ulla animi ambiguitate, & conscientiæ reatu caput palam cingere ac frontem redimire non dubitarunt, ut aperte in Imperialibus Constantii, Constantini Magni filii, immo & in ipsiusmet Constantini, quæ adhuc extant, numismatibus videre est. Quamvis Magnus ille Constantinus, cui nemo Imperatorum par, ubi Christo nomen dedit, salutaribusque baptismi aquis ablutus est, auream quidem coronam pretiosissimis gemmis exculptam, haud lauream deinceps, ut in illo, quod infra subjicimus, numismate vides, gentilium more gestare consueverit, ne hanc videlicet ab Apolline, cui sacra laurus arbor dicebatur, sed regalem à Christo Domino, qui est *Rex regum, & Dominus dominantium*, regalem, inquam, unà cum totius terrarum orbis principatu, ac Romani Imperii fascibus coronam se accepisse fateretur, ut

Congiarium Severi Imp.

Bar. to. 2. An an. 101.

Christiani sub Impp. ethnicis militabant.

Legio Fulminatrix Christianorum.

Tert. in apol.

Christiani coronas licite gestabant.

Apost. 1. ad Tim. c. 6. n. 15.

Arcadii

Arcadii potissimum Imp. numisma hic appositum tibi fidem facit.





Hæc autem potissima Christianis militibus causa exctitit, ut in ipsismet laureis coronis ut omnem superstitionem excuterent, divinissimum Christi nomen exprimerent: cujus plane rei typus in vestutissima quadam corona, exhibetur, quæ in celebri olim Lælii Pasqualini, nunc autem Eminentissimi Cardinalis Boncompagni Musæò, tanquam nobile antiquitatis recolendæ monimentum asservatur: ejusdem vero exemplar typis excerptum à Baronio in suis Annalibus to. 3. anno 612. lectori exhibetur, in qua corona duabus Græcis literis sacrosanctum Christi nomen de more intextum hac quidem forma conspicitur, cujus hic tibi iconem contemplandam exhibemus:

Bar.to.3. ann.an. 351.n.1.



Porro cum de coronis, quæ tum gentilibus, tum Christianis Imperatoribus usu receptæ fuere, sermo opportunus incidat, haud ab re cuiquam videatur, si antiquam coronarum originem vel hic obiter edisseramus. Vt altius igitur rei mentionem auspicemur, Romulus quidem primus triumphalis coronæ usum post Acronem bello devictum, nobilique trophæo erecto invexit, ut Livius, & Plutarchus, quoque his verbis enarrat: *Quercum excidit proceram, & trophæi more formavit, singulaque Acronis arma ordine circumduxit: ipse autem veste succinctus caput comatum laurea coronavit.* Porro multiplicis quidem generis coronæ antiquos apud scriptores recensentur, aliquot nimirum frondeæ, gramineæ, laureæ, quernæ, in quibus imagines haud exsculpi poterant. *Graminea autem corona, nulla plane nobilior fuit*, ut Plinius ait, *gemmatæ, aureæ, vallares, murales, civicæ, triumphales post hanc fuere.* Graminea quippe, cujus sermo incurrit, nulli nisi ab universo exercitu olim decreta, cæteræ vel ab ipso Imperatore concessæ sunt, cum unam hanc haud Imperator militi, sed ipsimet Imperatori miles donaret. Myrtea vero Imperatores corona, dum ovantes Vrbem subirent, utebantur. Quam plane coronam M. Crassus, cum fugitivos bello subegisset, ovansque Vrbem intraret, insolenti ambitu aspernatus est. Verum

Romulus Coronarum auctor.

Liv.l.1. Plutarc.

Varia coronarum genera.

Plin.l.16.c.4.

Quintus Consul, ut ille lauro, haud myrto subinde coronaretur, obtinuit, ut Cicero orat. in Pisonem, Gellius lib. 5. cap. 6. Plinius lib. 15. cap. 29. testantur. Lauream vero coronam ab Apolline primum derivatam fuisse Ælianus asserit: sacra quippe eidem apud omnes semper habita est: cujus quidem arboris ramum, qui Deorum laudes canerent, manu tenere consueverant: inde autem obtigit, ut laurea triumphis amica, *janitrix Cæsarum* atque *Pontificum*, Plinio teste, appellaretur. Hæc item fausto Imperium omine portendere visa est, quod potissimum Severo Alexandro obtigisse legitur: eo enim nascente domi laurus Persicam juxta arborem exorta est, quam postmodum ille renunciatus Imperator intra anni spatium feliciter, ut Lampridius refert, bello devicit. Hac igitur ex arbore coronam sibi Imperatores morem à Romulo auspicantes concinnabant: quamobrem præcipuum hanc Imperatorum insigne Tacitus describens, ait: *Vt assequi nomen Imperatorium, & deportare lauream posset.*

Cic.in Pison. Gell.l.5.c.6. Plin.l.15 c. 29. Ælian l 3 c. 1.

Plin.l.15. c.36.

Tac.l.1. Ann.

9 Et quidem laureæ primum, si coronarum origini insistamus, triumphantium coronæ, postmodum vero aureæ, ut Gellius lib. 15. ait, extitere, ita tamen aurum lauro ornamenti gratia superinductum est, ut, etsi coronæ auro elaboratæ magis conspicuæ forent laureis neutiquam locus adimeretur: quemadmodum enim laureati triumpho milites aderant, vallares nihilominus, murales navalesque aureas insuper aut ipsimet victores gessere, aut certe sibi in triumphi symbolum præferri voluerunt: pari item ratione Imperatores, dum triumphum solemni ritu peragerent, laurea aureaque pariter corona exornabantur, ut Livius illis palam verbis edocet: *Tunica palmata, corona triumphalis laureaque.* Porro aureæ coronæ, cujus mentio est, res præclaræ ab Imperatore gestæ eleganter insculptæ conspiciebantur: ejus autem magnitudinis, ac ponderis ejusce modo corona erat, ut à valido, robustoque homine, si Iuvenali credimus, deferri vix posset. Ait enim:

Laureæ coronæ primum usu. Gell.l.15.c.6.

Liv.l.10.

Aureæ coronæ triumphantium earumque magnitudo. Iuven. sat. 10

—— magnæque coronæ
Tantum Orbem, quanto cervix non sufficit una,
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.

En quibus olim apud Romanos, ut vides amice lector, triumphalis pompa ornamentis instruebatur: triumphantem quippe Imperatorem exercitus subsequi laureatus consuevit, ut de P. Æmilio his plane verbis Livius asseruit: *Lauro coronatus erat universus exercitus currum Imperatoris per cohortes, & ordines secutus, &c.* Festiva itidem à militibus triumphales inter coronas carmina, ut Martialis edocet, pangebantur:

Liv l.45.

Festa coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.

Mart.l.7.e. 6.

Ne festivis autem dumtaxat coronis triumphorum lætitia celebris redderetur, floribus insuper viæ, per quas triumphus ducebatur, molliter aspergebantur, ut olim Ovidius cecinit:

Saxaque jactatis erubuisse rosis.

Ovid.l.1.& 2.de Pon.

Quod & alibi metrice in hunc modum expressit:

Vndique jactato flore tegente vias.

Ovid.l.4. Trist.eleg.2.

Qui demum, ut triumphalem Romanorum pompam magis adaugeat, populares quoque floribus plausus adjungit:

Læta triumphanti de summo Mater Olympo,
Plaudet, & appositas sparget in ora rosas.

Et l 1. amor.eleg 2.

Quo-

Quoniam vero coronarum mentio adhuc nobis ipsos inter flores recurrit, ut singula, quæ ad rem faciunt, subtexamus, & superstitiosas, profanasque à reliquis secernere quis valeat; multiplex insuper coronarum usus apud antiquos passim describitur: nam quis olim observatum civem corona ex quercu comparata donabatur, ut suis eleganter carminibus Claudianus expressit:

Corona ex quercu ob civem servatum donata.

Mos erat in veterum castris, ut tempora quercu
Velaret validus fuso qui viribus hoste
Cassurum potuit morti subducere civem,
At tibi, quæ poterit pro tantis civica reddi
Mœnibus? aut quæ te pensabunt facta coronæ?

Claud. de laud. Stil. c. 3.

Coronæ igitur quoniam promeritis, & post exantlatos pro publica re labores veluti condigna virtuti præmia donabantur, ad rem symbolice designandam Romani quidem caput Bovis corymbis, ac sertis redimire consueverunt: talis enim profecto erat corona illa, ac fascia affabre artificum manu exculta, quæ operosam olim Hadriani molem hic Romæ circumquaque ambiebat, cujus adhuc frusta passim conspiciuntur. Bos quippe laboris symbolum antiquis extitit, ut Ovidius 15. Metamorph. eundem pingit:

Caput bovis coronatum quid denotet?

Bos laboris hieroglyphicum.

Quid meruere boves, animal sine fraude doloque
Innocuum, simplex, natum tolerare labores.

Ovid. 15. Met.

Quapropter Ægyptii quoque aptius laborem coloribus pingere, & ad vivum oculis exhibere volentes, in suis Hieroglyphicis caput bovis, Pierio teste, pingebant: Romani vero aptata Bovino capiti laboriosoque præ cæteris animanti corona, rem symbolis prænotantes, uberrimos quidem fructus gloriæ ex labore feliciter provenire designabant. Quinimo & festivis ipsamet Deorum sacrificia coronis instruebantur: victimæ enim quæ mactandæ erant, coronis redimitæ adducebantur, ut concinne Ovidius cecinit:

Pier. in lib. emblem.

Victimæ coronatæ ad sacrificia ducentur. Ovid. Metamorph.

——— *Indutaque cornibus auro*
Victima vota facit.

Ad quod item Virgilius in suis carminibus alludit:

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum.

Quem subinde locum Servius apte in rem præsentem edisserens, hæc ait: *Simtnor*, inquit, *hostia esset immolanda, illius de fronde coronabatur, cui sacra fiebant, laneaque infula, & candida vitta circumdata ante aras nulla vinculo ligata sistebatur.* Sed ut à sacris ad profana, antiquum earundem coronarum usum exploraturi, orationis stylum convertamus, coronis nuptiales quoque olim pompas cumulari consuevisse quis nesciat? novæ enim nuptæ coronis blandeque eleganterque redimitæ prodibant, ut Catullus de nuptiis Iuliæ, & Manlii eleganter cecinit:

Virg.

Serv. in Virg.

Novæ nuptæ coronis redimiri solitæ.

Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.

Catul. de nupt. Iul. & Manl.

Quod & Lucanus satis de nubente in suis carminibus expressit:

Turritaque premens frontem matrona corona.

Antiquum autem hunc nuptialium coronarum morem antiquissimus Tertullianus illis aperte verbis comprobat: *Coronant*, inquit, *& nuptiæ sponsas.* Fores insuper nuptialium domorum floribus, frondibusque exornari olim consueverant, ut Catullus de Pelei nuptiis canit:

Luc in carm.

Tert. l. de cor. mil.

Fores domorum nuptialis coronis ornabantur.

Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

Catul. de nupt. Pelei.

Lauro quippe domorum postes tum in publicis, tum in privatis gaudiis circumvestiri antiquis mos extitit, ut Plinius lib. 15. cap. ult. de lauro loquens: *Laurus*, inquit, *triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus, janitrix Cæsarum, Pontificumque sola, & domos ornat, & ante limina excubat.* Quod satis item Iuvenalis confirmat, dum de muliere statim post nuptias divertente, hæc ait:

Laurus coronarum usui dicata.

Pl. l. 15. c. ult.

Ornatas paulo ante fores, pendentia liquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

Iuven. in satyr.

Idem plane Tertullianus in suo Apologetico cap. 35. affirmat: *Cur die læto*, inquit, *non laureis postes obumbramus.* Et hæc de coronis nuptialibus, ac de sertis, quibus nubentium domus de more exornabantur, vel obiter enarratis illud subteximus, multiplici quidem florum genere nuptiales istas, convivalesque coronas concinnatas fuisse: ibi quippe coronæ ex his potissimum floribus intextæ ad epulas evocatis donabantur, quos opportune tempus ad manus exhiberet, serta autem ex rosis præcipue, cæterisque instruebantur, quæ ebrietatem propulsando, haud capiti molestiam ingererent. Has vero coronas quidam capiti, nonnulli autem collo, alii brachiis, ut in antiquis passim marmoribus videre est, aptabant. Et coronarum quidem ejuscemodi usum Cicero in suis in Verrem proclamationibus, & 5. præsertim, his verbis edisserit: *Ipse autem coronam habebat, unam in capite, alteram in collo.* In privata autem dumtaxat cœna se ipsos, alias vero pocula coronabant, ebriis enim potissimum, vinoque madentibus se ipsos coronandi mos extitit, ut innuit Plautus in Amphitr. illis verbis:

Tert. in apol.

Coronæ convivales è quo florum genere texerentur.

Cic. or. 5. in Verr.

Captam coronam in caput,
Assimilabo me esse ebrium.

Plaut. in Amph.

Ad quam item consuetudinem concinne Propertius carmine illo allusisse voluit:

Cum tua propendent dimissæ in pocula sertæ.

Eundem insuper morem Virgiliana carmina satis eleganter adumbrant:

Virg. Aen. lib.

——— *Et vina coronant.*

Quod & alibi idem ingerit, dum canit:

——— *pateramque corona*
Induit.

Theocritus quoque hoc idem inculcat: *Cinge poculum*, inquit *purpureo oris flore.* Et ex Festo antiquissimum plane lanearum genus coronarum extitisse convincitur. De quibus Bulengerus in lib. quem de conviviis scripsit, à studioso lectore in rem præsentem consulendus est.

Coronæ laneæ in conviviis.

Buleng. l. 3. c. 24. de conviv.

10 Hic vero de funeralibus coronis taceo, quibus funebres apud Romanos pompæ exornabantur. De Coronis dumtaxat aureis, triumphalibusque illud postremo loco, ut nil lectorem prætereat, subtexendum videtur: ad Alexandrum item cognomento Magnum, ut Athenæus lib. 12. refert, id genus coronas transmissas fuisse: *Post victum*, inquit, *Darium missas coronas partim à legatis gentium, aliisque æstimatas decem millibus, ac quingentis talentis.* Quod item apud Romanos, ut Livius scribit, & nos supra, usu frequens extitit: cum enim Gnejus Manlius Gallogræcos bello devicisset, metuque Asiam vindicasset: *Missæ undique legationes non gratulatum modo*, inquit Livius, *venerunt, sed coronas etiam aureas, pro suis quæque facultatibus attulerunt.* Vt autem Festus ait: *Triumphales coronæ sunt, quæ Imperatori victori aureæ præferuntur, quæ antiquis temporibus propter paupertatem laureæ fuerunt.* Hæ autem coronæ non ad usum, sed ad pompam dumtaxat ferebantur: de quibus Tertullianus quoque lib. de corona militis ait: *Sunt & provinciales aureæ imaginum jam non virorum capita*

Athen. l. 12.

Liv. hist l. 28.

Coronæ triumphales aureæ.

Tert. l. de coron.

Aurum coronarium.

capita majora quærentes. At aureas præter coronas aurum item coronarium in historialibus paginis recensetur, de quo Cic. ad Pisonem: *Mitto autem aurum coronarium, quod lex & decerni, & accipi vetat, nisi Imperatoribus ex provincia decedentibus ad decorandum triumphum.* Ex enarratis autem prudens quisque, ut nobis arbitrari fas est, coronas, quæ superstitionis labem præseferebant, quæ vero tum à gentilibus, tum à Christianis nullo habito respectu laudabiliter passim usurpari consueverant, facili negotio internoscit, & suo litem arbitrio proposita dumtaxat corona inter concertantes dirimere valet, dum nos interim delibandis Christianorum militum coronis insistimus.

12 Si Christianis igitur quondam militibus, ut opportune ad Cœmeteriales tandem coronas sermo recurrat, ob victoriæ signum coronas olim accipere, easdemque insertas capiti deferre licuit; ampliori quidem titulo ac jure illibatos Christi milites post revectos Tartareis ex hostibus triumphos victorialibus prosequi infulis, appensisque lætitiæ causa eorumdem sepulchra coronis excolere condignum videbatur, ut hæ quædam veluti symbola illarum coronarum existerent, quæ immarcescibiles jugiter sunt, de quibus potissimum Apocalyps. 2. sermo est: *Esto fidelis usque ad mortem; & dabo tibi coronam vitæ.* Et Iac. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit; accipiet coronam vitæ.* Quod item Apostolus 2. Timoth. 4. disertis verbis inculcat: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex, non solum autem mihi, sed iis qui diligunt adventum ejus.* Quam demum coronam emeritis dumtaxat donandam esse militibus edocet: *Non coronabitur*, inquit, *nisi qui legitime certaverit.*

Coronæ Christianorum sepulchris appensæ quid denotent. *Apoc. c. 2.* *Iac ep. c. 1.* *Apost. 2. ad Tim. 4.*

13 Porro triumphalibus iisdem sertis, quæ justorum nectenda capiti ipsius Dei manu reservantur, Augustini verba mirifice consonant, quæ in psal. 65. hunc in modum subtexit: *Coronam*, inquit, *ubi audis, gloria victoris significatur. Vince diabolum, & habebis coronam.* Huc item referenda videntur, quæ ad rei propositum apte Chrysostomus in rem præsentem his quidem edisserit: *Iam in mediis illis Olympicis certaminibus corona post victoriam nihil aliud est, quam folia lauri, quam applausus & acclamatio vulgi, quæ tamen omnia vespere ingruente marcescunt, & pereunt. At corona quæ pro virtute, & ejus sudoribus datur, nihil habet sensibile, neque in hoc seculo nobiscum dissolvitur, sed perpetua est, & immortalis, extendens se in omnia secula, &c.* Certe victoriali hujuscemodi corona splendide redimitum ipsummet Cleopatræ conspicuæ pietatis matronæ filium se videndum post obitum præbuisse in Vari Martyris invicti actis didicimus, quæ ad Surium tom. 5. 9. Octobris recensetur.

Aug. in ps. 65

Coronæ temporales cum æternis comparantur. *D. Chrys. ho. 42. in Gen.*

S. Varus filium corona redimitum matri ostendit.

14 Verum, ut sacris interim floribus profanos, ubi de coronis agitur, misceamus, superstitiose, ac futiliter delirantes olim gentiles, floribus, rosisque brevi emarcescentibus sibi coronas texere gestiebant: rosa quippe una præ cæteris floribus validum infirmitatis humanæ, ac momentaneæ pulchritudinis hieroglyphicum est, ut apte Plinius edisserit: *Flos enim odoresque*, ait ille, *in diem gigni magna, ut palam est, admiratione hominum, quæ spectatissime floreant, celerrime marcescere. quid? quod Artemidorus visas per quietem, & coronas è rosis ab ægrotis, & infaustas prodit, & morituros prædicere; quod facile marcescant.* Optime enim metrice lusit ille aliquando, dum cecinit:

Act. S. Vari mar apud Sur to. 5. 6. sept.

Rosa evanidæ pulchritudinis, & imbecillitatis humanæ symbolum.

Plin. l. 21. c. 1.

Prorsus juventa floribus simillima.

Quamobrem Ausonius virginem curiosa flores manu legentem illis salubriter carminibus admonuit:

Car. Pasch. de cor. l. 2.

Collige virgo rosas, dum flos novus, & nova pubes,
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Aus. in carm.

Pari quoque symbolo morientem Euryalum, succiso ab aratro flori Virgilius confert:

Purpureus veluti cum flos succisus aratro,
Languescit moriens.

Quam item tropicam eloquendi formulam Catullus ante Virgilium usurpavit, dum labilem prætervolantis vitæ conditionem ingerit:

Aeneid. l. 9.

——— *veluti prati*
Vltimus flos prætereunte postquam
Tactus aratro est.

Catul. epig. in Tur. & Aurel.

At virginalis castimoniæ flos, & decus, utpote perpetuo vigens, marcescere haud unquam didicit, ut alter illis concinne carminibus innuit:

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori; nullo contusus aratro.

Minus autem sapide condignas à futilibus coronas secernere noverunt illi, qui juventuis florem haud cito evanescentem, immo emarcescentem contemplati, coronas non utique ex frondibus perenni vigore præditis, sed ex floribus momentaneo decore vernantibus, coronas, inquam, sibi intexere satagentes, ajebant, *Venite, coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Marcescentem florem agnoscunt, & prompta tamen manu carpunt, fugitivam rosæ purpuram norunt, hac tamen se ultro libenterque purpurare, sibique coronas studiose contexere ambiunt. Hos quidem inter blanda seculi gaudia delirantes, sapienter aliquando Tertullianus admonuit: *Quid tibi*, inquit, *cum flore morituro?* Haud igitur ex ejuscemodi floribus coronas Christiani sibi præoptabant, qui perennes è Cælo, vernantesque jugiter è manu Dei auspicabantur.

Stulti evanescentium seculi voluptatum amatores.

Sap. c. 2. 8.

15 Congrue igitur ut ad nostra redeamus, Christiani haud sibi, sed Christi martyribus, post superata certamina coronas intexere, ac peculiari eisdem obsequio dicare consueverant, & more ex ipsa antiquitate petito in Dei Ecclesia receptum est, ut non coloribus tantum coronæ adumbrentur, aut certe ferro exsculpantur, verum etiam ut ipsæmet ad sanctorum sepulchra in lætitiæ, atque obsequii signum appendantur, quod interdum miraculis comprobatum est, ut in ipsis beati Martini gestis apud Paulinum legimus, quæ To. 8. Bibl. Patr. recitantur; & Gregorius Turon. de miraculis ab eodem patratis his verbis refert: *Thymus quidam rabidus, instinctu dæmonis actus, coronam sepulchri, quæ sancti meritum declarabat, violenter arripuit: mox lumine privatus, præda, cogente dolore, restituta, lumen quod perdiderat, recepit.* Vbi verba illa diligenter adnotanda sunt videlicet, *Quæ sancti meritum declarabat*, utpote quæ immortalium præmiorum, quibus beatissimi ejusdem viri in Cælis anima perfrueretur, apertissimum intuentibus symbolum exhiberet.

Coronæ ad sanctorum sepulchra suspendi solitæ.

Gest. S. Mart. Ep. & Conf. Greg. Tur. l. 1. c. 2.

16 His vero in studiosi gratiam lectoris subtexere licet, quæ in natalitio S. Felicis martyris die de festivis coronarum sertis pia fidelium manu ejusdem sepulchro appendi consuetis, his quidem carminibus enarrant.

S. Felix mart.

Purpu-

Purpureum ver spiret hyems: sit floridus annus,
Ante diem sancto cedat natura Diei,
Martyris ad tumulum debes & terra coronas.

Lampades ad sanctorum sepulchra accensæ coronæ dicuntur. Et hanc forte ob causam, ut rem altius repetamus, lampades, quæ ipsismet sanctorum sepulchris olim honoris exhibendi gratia incendi consueverant, ad præmonstrandam videlicet perennem, præoptatamque beatissimæ lucis felicitatem, qua jugiter eorundem in Cælis animæ, coruscant, *Coronæ*, ipso Anastasio teste, in Romanorum præsertim Pontificum gestis, appellantur, dum ab ipso amplissima, quæ eorundem manu Ecclesiis ornamenta præstita sunt, exacte describuntur.

17 Potiori igitur jure venerandis beatorum martyrum sepulchris coronas, velut splendida promeritorum triumphorum insignia suspendere nobis fas est, utpote quæ agone feliciter peracto ob comparatam pretio sanguinis immarcescibilem victoriæ lauream invictis Christi pugilibus debentur: quod quidem adeò constans, & veritati consonum est, ut & ipsummet martyrium consueta Ecclesiæ phrasi, haud alio, quam *coronæ* titulo nuncupetur, ac proinde loquendi mos ille in sacris passim Martyrologiis inoleverit, ut ubi de martyribus incurrit, sub his quidem verbis, mentio peragatur: *Martyrii coronam accepit*, vel: *Martyrio coronatus est*, vel certe: *Ad martyrii coronam pervenit*, vel demum, *Martyrum coronæ*, & id genus aliæ loquendi formulæ sacris frequenter in paginis usu receptæ inseruntur. Quapropter congrue, ut res verbis consonet, Cœmeterialibus passim sepulchris multiplici quidem forma insculptæ, vel certe parietibus effictæ in triumphi, ac victoriæ symbolum coronæ inspiciuntur, cujusmodi hic tibi iconem contemplandam offerimus: (Martyrium Coronæ nomine appellari consuevit.)



18 Porro quoniam opportunus interim de Coronis sermo recurrit, has quidem in sacris olim ministeriis adhibita frequenter fuisse quis nescit. Profecto si antiqua illibataque legis Mosaicæ tempora, cæremonialesque ejusdem ritus recolantur, ipsamet nobilissima Testamenti Arca, quæ Arcanorum Dei symbolum extitit, corona plane aurea, Deo jubente, eleganti opere exculta fuit: *Faciesque supra coronam auream per circuitum.* Quin & ipsummet altare thymiamatis, aurea per gyrum corona ambiebat: *Faciesque ei coronam auream per gyrum.* Pari quoque ratione Iudæorum templum cum præcipui Machabæorum duces incultum proculcatumque turpiter à gentibus quondam offendissent, ac patriæ religioni consultum vellent, quo illud, ut par erat, colendum suoque nitori restituendum satagerent, festivis ultro coronis obtexerunt: *Ornaverunt faciem templi coronis aureis, &c. & facta est lætitia in populo magna valde.* Et optime quidem sacris coronæ ministeriis, utpote Dei, ac religionis cultui dicatæ consonant. Coronarius quippe circulus complementi, perfectionis, atque æternitatis, quin & ipsiusmet Dei, qui principio, & fine caret, patentissimum symbolum est, ut Pierius Valerian. lib. 39. cap. 7. & alibi eleganter edisserit. Quamobrem Deo dumtaxat, ac sanctis ejus, & his qui præoptata jam æternitatis laurea donati, beatifica ejusdem visione perfruuntur, corona debetur, de quibus jugiter ab Ecclesia canitur: *Et corona aurea super caput ejus.* Congrue enim Christiani aureas Sanctorum coronas æmulabantur, non quas temere gentiles, & quidem ambitiosissime sibi præoptabant, qui auream, & radialem sibi è gemmis coronam intexebant, ut sic non tam radiis, quam gemmis emicantibus cum sole decertare viderentur, quin & ad Solis cursum, & ad Zodiaci signa respicientes, duodenarium item radiorum symbolice numerum coronæ aptabant, ut eleganter Virgilius Latini Regis coronam describens, carminibus expressit:

(Arca Testamenti aurea insignita corona. Exod. 25. n. 11. Et Altare. Exod. 30. n. 3. — Mac. c. 4. 57. Templum Hebræor. aureis exornatur coronis. — Pier. Val. 39. c. 7. 8. 10. — Coronæ gentilium Solis radios æmulatrices. — Aen. l. 12.)

———— *Ingenti mole Latinus*
Quadrijugo invehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi speciem.

Rejectis igitur commentitiis ejuscemodi coronis; haud mirum, si Christiani suos frequenter in Cœmeteriis suaviter in Christo obdormientes, quos Deo jam perfrui credebant, festivis ex more coronis prosequerentur. Verum ut res exemplis conficiatur, nonnullos hic sepulchrales Christianorum lapides coronis affabre exculptos, eorundem ex celebri Priscillæ Cœmeterio iconibus fideliter excerptis, hic tibi contemplandos offerimus, & primo quidem loco innocentis cujusdam puellulæ Sarcophagus unà cum nomine nobili in hunc modum corona excultus occurrit: (Lapides Christianorum sepulchrales coronis exornati.)



Nuper autem recensito sepulchrali lapidi, alterum hunc pueruli quoque columbis, pisce, olivarum surculis, & dimidiatis item utroque ex latere coronis exsculptum; ac in eodem Cœmeterio adinventum subjicimus;



Innocentium vero præsertim puerorum Sarcophagos coronis, ac columbis à Christianis excoli consuevisse, alter hic lapis, quem offerimus, contemplantes edocet:




RESPECTVS QVI VIXIT.
ANNV ET MENSES
VIII. DORMIT
IN PACE



Postremo loco in eodem nobili Cœmeterio Sarcophagus iste lectori contemplandus obiicitur, qui olivæ ramusculo, & pisce itidem ore coronam præseferente insignitus, ac notis hisce prænotatus est:

PRIMA MATER FECIT PRIME
VENEMERENTI QVAE VIXIT
ANNIS LI MES IDVS V DIEBVS



Quæ singula in studiosi lectoris gratiam hic inseruisse voluimus. Verum hic quoniam de martyrum coronis sermo est, studioso lectori repetenda sunt, quæ in probatis martyrum actis, & in beatorum quadraginta præcipue militum apud Surium gestis to. 2. mart. 9. recensentur, qui martyrii certamen aggressi, omnipotentem Deum his plane verbis, D. Basilio teste, deprecati sunt: *Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item Domine corona donemur.* Porro iisdem in actis post enarratum alterius lapsum, qui ex eorundem numero, jam à fide defecerat, hæc adduntur: *Vigilabat janitor, qui & illos orantes & luce circumfusos quosdam è Cælo descendentes, angelos tanquam à Rege missos, qui coronas triginta novem militibus distribuerent, intuens, ita secum loquebatur: Quadraginta hi sunt, quadragesimi corona ubi est? Quo viso janitor martyribus se adjunxit.* Huc usque recolenda eorundem martyrum acta, in quibus locupletissima, ut vides, de coronis, & opportuna in rem præsentem mentio peragitur.

Suri. to. 2. die 9 Mart. SS. 40. Mart. S. Basil in gest. SS. 40. mart.

Quadraginta Martyres.

19 Item plane in perantiquis beatæ Potamienæ actis apud Eusebium relatis lib. 6. cap. 4. & apud Niceph. lib. 5. c. 7. videre est, quæ cum ad supplicium duceretur, & vir quidam Basilides nomine, eandem ab impudicorum, ac petulantium hominum nequitia tutatus esset, condignam quidem pii, quod ille exhibuerat, officii mercedem retribuit. Post triduum enim se illi videndam obtulit, ejusdemque capiti coronam imponens, ad Christi fidem traductum, martyrem protinus reddit.

S. Potamiena. *Act. S. Potam. apud Eus. l. 6. c 4. Niceph. l. 5. c. 7.*

20. Nec interim silentio obvolvendum videtur, quod apud Surium to. 2. 30. April. de recolenda sanctorum martyrum Iacobi diaconi & Mariani lectoris, quæ divinitus obtigit, visione, his plane verbis enarratur: *Agapium nostrum videbam*, Iacobus loquitur, *inter omnes alios lætiorem, quos una nobiscum Cirthensis carcer incluserat, solemne quoddam & lætitia plenum celebrare convivium. Quo cum ego Marianus, quasi ad Agapem spiritu dilectionis & charitatis raperemur, adcucurrit obvius nobis puer, quem constabat esse alteram ex geminis ante triduum cum matre passis, corona rosea collo circumdatus, & in manu dextera palmam viridissimam deferens, &c.* Quibus præmissis sub ipsius enarrationis finem hæc leguntur: *Et perducti sunt ad Coronæ locum, nempe martyrii.* Vides hinc ipsum certaminis locum, ubi pugiles Christi palmam consequebantur, haud alio, quam coronæ vocabulo à Christianis appellatum fuisse.

Iacobus Diaconus, & Marianus. *Sur. to. 2. die 30. Apr. in gest. S. Iac Diac. & Marian. Lect.*

21 Demum, ut innumera è martyrum actibus excerpta hujuscemodi exempla sileamus, optime in rem præsentem locupletissimum ipsius Ecclesiæ testimonium quadrat, quæ beatissimos martyres, Severum videlicet, Severianum, Carpophorum, & Victorinum, quorum gloriosa à fidelibus nomina ignorabantur, congruo eorundem meritis titulo *Coronatos* communi voce appellandos fore decrevit, & cum singulos quosque ex immenso martyrum numero pari quoque horum Coronatorum forte conspicuos, paribus obsequiis prosequantur, cunctos jugiter Christi fideles ad contemplandas, promerendasque eorundem coronas illis festivum in morem verbis invitat: *Venite & videte martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die solemnitatis & lætitiæ.*

Martyres Coronati nuncupantur.

22 Congrue igitur Christiani, dum clanculum in Cœmeterialibus cavernis agerent, in quibus tot passim pretiosa beatorum martyrum pignora asservabantur, veneranda nobilium athletarum Christi sepulchra, ac recolendam pariter eorum memoriam, quos proprii cruoris purpura, & perennis martyrii laurea decorabat, coronis quoque ob victoriæ signum cumulabant, & hæc de sepulchralibus, immo triumphalibus martyrum coronis prolixiori sermone in studiosi gratiam lectoris enarrasse voluimus.

Ant. de plur. mart. temp. Pasch.

CAP. L.

De Cœmeterialibus symbolis, ac promiscui generis Imaginibus.

1 QUid ultra Subterraneæ Romæ, cui hactenus excurrendæ ac perscrutandæ supremam imposuisse manum videbamur, quid ultra, quis inquiet, post coronas? Quid Cœmeterialibus quæso imaginibus quas intextis Christianorum manu sertis, ut par est, cumulavimus, vel addendum, vel subtexendum præter ea, quæ congesta sunt, superest? Apte quippe Cœmeteriales nostras elucu-

elucubrationes, ubi feliciter ad coronam deventum est, semetipsis concludi, ac opportune terminum sortiri prudens. quisque pronunciabit: *Finis enim*, ut vulgo proverbium fert, *finis*, *inquam*, *opus coronat.* Coronæ igitur, ne remotioribus argumentum in rem præsentem auspicemur, nostro congrue operi, coronidem velut imponendo, finem fecerant. Ex antiquorum enim paginis sat cunctis innotuit, quod corona potissimum triumphi olim concluderentur, & victori nil ultra, postquam coronam accepit, expetendum votis, expectandumque suppetat. Nos vero ipsas quidem post coronas, nonnulla hic, amice lector, ut vides, consulto edisserenda congessimus. Quod eo potissimum animi consilio à nobis præstitum est, ut vel incultis Subterraneæ Romæ cavernis, in quibus jam tum moribus apprime exculta Christianorum prosapia virtutem adeo excoluit, coronas jure merito affigendas, triumphalesque in victoriæ symbolum palmas erigendas libera voce fateamur. Nam Romanorum quidem triumphos olim (ne nostra longius aberret oratio, sed ad sua recurrat initia) ipsæmet hostium exuviæ, subactarumque provinciarum spolia concomitabantur, utpote quæ in triumphantis obsequium, quo pompa triumphi nobilior esset, tota plaudente Vrbe deducebantur. Haud dissimili profecto ratione Subterraneam Romam, vel inter cineres redivivam, vel inter cadavera, ac sepulchra adhuc spirantem, & meridiana ipsas nunc inter tenebras luce clariorem, quin & de iis, à quibus martyrum quondam sanguine perfusa, victa penitus, ac jugo addicta videbatur, magnifice adhuc triumphantem, multiplicia gentilitiæ crudelitatis, quæ Christianorum carnificinæ deservierant, in splendidiorem ipsius triumphi pompam instrumenta sectantur.

Corona triumphus concluditur.

Exuviæ, hostiumq; spolia triumphantem concomitabantur.

2 Verum enimvero, ut Romanorum quondam triumphis refertissimus victimarum, quæ à victoribus deferebantur, numerus splendorem haud exiguum conferre visus est, quod diserte Livius de Flaminii triumpho lib. 45. in hæc verba testatur: *Pars*, inquit, *non minima triumphi est, victimæ præcedentes;* Subterraneæ item Romæ, si de victimis agitur, tot beatorum millia martyrum, qui pro Christo cæsi sunt, ibidemque sepulti, victimarum instar triumphum præcessere: *Triumphus* quippe *Dei est* ut Hieronymus ait *passio martyrum pro Christi nomine & cruoris effusio*, incomparabilem gloriæ cumulum perperisse pronunciandum est. Porro id unum superest, ut quod gentilitios olim triumphos augebat, spoliorum videlicet, prædarumque hostilium pompa, quæ victores præire consueverat, mutato in præsens ordine, Subterraneæ hujus Romæ haud præcedat triumphos sed consequatur.

Victimæ pars magna triumphi.

Livius l. 45.

Triumphus Dei passio martyrum.

Hieron. ep. 50.

3 Antiquis igitur temporibus, ut rem altius repetamus, superba inimicorum spolia postquam solemni, festivoque in Vrbem apparatu illata fuissent, arma videlicet, catapultæ, tela, tormenta, balistæ, & id genus alia, quid veluti sacrum Deorum templis ad perenne monimentum affigebantur, de quibus apte Ovidius cecinit:

Arma hostium Templis affigebantur.

Ovid. l. 3. de Pont. eleg. 4.

Scuta sed & galeæ gemmis radientur, & auro,
Stentque super victos trunca trophæa viros.
Oppida turritis cingantur eburnea muris, &c.

Quæ quidem præclara opimaque spolia, ubi condignam, ut par erat, triumpho pompam, & triumphanti decorent, prætulissent, Capitolinis item arcibus inferebantur. Inter nobiliores autem hostium exuvias illas potissimum, quæ pegmata, aut pompæ fercula dicebantur, contemplari fas erat, de quibus isthæc in rem præsentem Appianus: *Turres prætervehuntur, simulacra captarum urbium, & picturæ, & species eorum, quæ gesta sunt.* De quibus insuper Claudianus antiquam triumphi faciem curiosis inspectandam objiciens, sic cecinit:

Appian. de triump. scrip.

Claud. l. 2. Stil.

Hi famulos traherent reges, hi facta metallis
Oppida vel montes, captivaque flumina ferrent.

Captarum quippe urbium, expugnatarumque turrium, ac munitionum imagines, popularibus oculis exhibitæ ipsummet, qui instruebatur, triumphum spectabiliorem reddebant. Hostilia autem hæc spolia, ut jugiter in omnium oculis essent, templorum valvis perpetuo illic mansura addicebantur, ut Virgilius eleganter cecinit:

Virg. Æn. l. 7.

Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.

Solemnem item antiquorum morem in hostium erigendis, dicandisque spoliis concinne carminibus cæteros inter poëtas Silius prosecutus est:

Mos antiquus spolia hostium erigendi, dicandique.

Affixi clypei, currusque & spicula nota
Ædibus in parvis, magni monimenta triumphi.

Silius. l. 6.

Et quidem si ad antiquiora secula recurramus, è sacris itidem paginis palam mos iste convincitur. In celebri quippe Davidis, dum adhuc adolescens pastorem in campis ageret, triumpho Goliath gigantis Philistæi gladius in sacrum tabernaculi cultum sacerdotis Abimelech manu appensus, dicatusque legitur: *Ecce*, inquit, *gladius Goliath Philistæi, quem percussisti in Valle Terebinthi est involutus pallio post Ephodi.* Nec vero in Cœmeterialibus etiam Subterraneæ Romæ sanctuariis, quorum nunc mentio est (ut apte in rem præsentem loquamur) ipsorummet hostium arma, gladii videlicet, tela, crates ferreæ, flagella, lanceæ, plumbei, globuli, forcipes, secures, & complura id genus desiderantur, quæ adhuc martyrum beatorum cruore perfusa, ibidemque eorundem sepulchris affixa perpetuo utique asservanda Christianorum manu reponi contigit, at longa post secula unà cum sacris corporibus ad gloriæ cumulum adinventa Cœmeterialibus è tenebris in lucem feliciter, emersere. Quippe, ut quod verum est fateamur, Cœmeteriales Vrbis cavernæ, ac sepulchrales Christianorum urnæ, quæ passim excurrentibus, ac perscrutantibus objiciuntur, triumphalium instar fornicum, eversæ jam funditus idololatriæ memoriam ingerunt, ac triumphantis adhuc Christi potentiam, vel mutis Christianorum ruderibus, lapidibusque cruore madidis eloquuntur. Quis enim quæso in lapideis nobilioribus Romanorum arcubus, qui adhuc extant, Imperatorum nomina, eorumque res præclare gestas, vel dum prospicit, non probe recolat, non admiretur? Quis laureatos Cæsares frigida inter marmora in Vrbe adhuc viventes non obstupescit? Quis vel antiquam Romæ faciem, antiquatis licet jam rebus, in monimentis tamen, quæ supersunt, non oculis ultro deprehendit? Ita pariter, si id dicere fas est, intra Vrbis Cœmeteria recolendas Christianorum exuvias, auro, ac luce ipsa splendidiores, pius quisque, ac curiosus explorator assequitur: inter sepulchrorum rudera, haud rudes Christi pugilum animos, haud incultas, etsi in occultis latentibusque locis, coronas perscrutando rimatur, & in

Gladius Goliath in Tabernaculo appensus.

1. Reg. c. 21. n. 9.

Instrumenta martyrorum trophæa Christianorum.

cæsorum pro Christo hominum cadaveribus, quæ fere innumera suppetunt, purpureis quidem exculptas notis Christianæ tum fidei, tum constantiæ victorias, & palmas in ipsismet marmoribus exaratas usque nunc legit.

Arcus triumphales Imperatorum in Urbe.

4 In marmoreis quidem arcubus, quibus Roma nobiliter aucta est, si antiquæ Vrbis mentio recurrat, antiquorum plane memoriam Cæsarum, vel longa post evoluta secula, quantumvis suos inter cineres jam extincta, fama adhuc loquente, vivit, vigetque: ibi enim direpta hostibus spolia, debellatarum exuviæ provinciarum, superba Regum trophæa, oppida, munitionesque bello interceptas, captivorum hominum greges, res denique tum à ducibus, tum ab Imperatoribus foris magna cum laude gestæ ferro præter ipsorum invidiam temporum marmoribus insculptæ æternitati superstant, quod eleganter præ cæteris Claudianus, dum suum gratulabundus Stiliconem prosequitur, carminibus expressit:

Claud. in Stil. l. 3.

Indutosque arcus spoliis, æquataque templa
Nubibus.

Quorum item triumphalium arcuum multiplicibus onustorum spoliis mentionem idem poëta suggerit, dum ait:

Claud. paneg. 4.

Æraque vestitis numerosa puppe columnis.
——— *spoliisque micantes*
Innumeros arcus.

Captivi in summis arcubus effictu.

5 Nam in perpetuæ quidem tum notam, tum monimentum contumeliæ, captivi reges, ac populi pariter marmoribus adhuc affixi suspiciuntur, ibidemque ipsa temporum vetustas, quæ cuncta tandem abolere consuevit, etsi de ipsismet victis, nullatenus tamen de victoribus ex more triumphat: triumphales quippe isti lapides, qui nunc visuntur, virentes adhuc victoribus palmas, & victis contumeliam portendere, ac designare videntur: quapropter ut triumphus magis conspicuus esset, victorumque dedecus immortale intuentium oculis plene innotesceret, captivos in sublimiori fornicum triumphalium parte insculpebant, quos Juvenalis quondam suspiciens hæc cecinit:

Iuven. sat. 10.

——— *Summo tristis captivus in arcu.*

Arcus Titi triumphalis.

6 Nonne in Titiano illo, ut hæc obiter inferamus, splendide exculto, qui præ cæteris etiamnum conspicuus est, arcu, Hierosolyma, totaque pariter Iudæorum gens mœniorum, ac templi omnium præclarissimi ruinam adhuc plorat? *Et lacrymæ ejus*, ut Propheta ait, *in maxillis ejus.* Sublimi quidem Titus curru, alatæque victoriæ manu coronatus Palæstinorum quondam subactorum triumphos in Vrbem quadrijugis invehit. Adhuc videlicet, ac si recens, aurea mensa opipare vasibus onusta in Romanum Capitolium infertur: adhuc lapideæ Moysis tabulæ, quibus lex insculpta præferebatur, perivacem increduli populi impietatem coarguunt: & Candelabrum aureum lumine penitus sub Euangelii luce orbatum, tenebrisque merito inter triumphos addictum triumphantis Christi gloriam, splendoremque humanis mentibus inculcat. Certe si ad Constantinum Magnum oculos convertamus, adhuc in suo ille nobili arcu Maxentio urbis tyranno victor insultat, & Romæ, ac civibus libertatem sospitatemque auspicatur.

Ierem. c. 1.

Spolia Iudæorum insignis.

Arcus Constantini triumphalis.

Roma Subterranea martyrum triumphis conspicua.

7 Verum, ut ad sua redeat oratio, Subterranea Roma altera, quæ oculis conspicua est, haud impar, suos merito triumphos obtinet, quibus apprime caput extollens nobilitatur. Hæc enim suas non in Cæsarum, sed in Cælorum fascibus, ac monimentis palmas, atque coronas exsculpsit: hæc luto magis, quam auro exculta, & non tam ferro, quam sanguine dives, pugilum, quos gremio fovet, triumphos Cælo inserit. Cœmeteriales igitur cavernæ etsi perangustæ, Capitolinis arcibus, ac triumphalibus Augustorum arcubus celebriores, martyrum cadaveribus, martyriorumque instrumentis mirifice nobilitantur: vivifico quippe Crucis signo, ac Christi nomine passim prænotatæ, sanctorum exuviis adauctæ, victorum invictorum sanguinem, quo adhuc stillante rubescunt, sua intra viscera reconditum perscrutantibus offerunt, & victorias adhuc unà cum sanguine loquuntur.

8 Haud igitur suos antiquis Subterranea Roma triumphos, quæ haud semel, sed jugiter in martyribus triumphat, haud suos, inquam, triumphos invidet, ut Prudentius apte in rem nostram cecinit:

Frustra igitur currus summo miramur in arcu
Quadrijugos, stantesque duces in curribus altis,
Sub pedibusque ducum captivos poplite exo
Adjuga depressos, manibusque in terga retortis
Et suspensa gravi telorum fragmina trunco.

Prud. l. 2. in fin.

Roma quippe quot martyrum exuviis, tot triumphis, quot sepulchralibus titulis, tot insignita trophæis, vel inter tenebras illustratur, & victoriali dominicæ Crucis signo dedicata est. Quod symbolice quidem vel ipsamet olim Romanorum, ut Cyprianus in symbolo, & Octavius ille in Minutio, trophæa intuentibus præferebant: *Trophæa vestra victricia*, Octavius inquit, *non tantum simplicis Crucis faciem, verum & affixi imitantur.* Quod item in rem præsentem Iustinus Martyr in suo adversus Gentiles apologetico his plane verbis edisserit: *Signa vestra*, inquit, *militaria figuræ hujus Crucis potestatem declarant: ipsa enim trophæa, per quæ progressus vestri ubique fiunt, imperii & potestatis hujus, quæ in Cruce est, signa ostendunt.* Nullatenus igitur conspicuæ Romæ triumphi, quantumvis spectatissimi, Subterraneæ Romæ, quos hucusque recoluimus, triumphos exæquant: in angustiis enim illis, qui substant arcubus, & cavernis interempti quondam pro Christo laureati triumphant, muta itidem sepulchrorum marmora Christi nomine prænotata, & sacris martyrum pignoribus referta, haud ullis unquam æquiparandam triumphis, ac thesauris Christi gloriam testantur: quamobrem jure merito gratulabundis eamdem vocibus Prudentius alloquitur:

Trophæa Romanorum victricia crucis formam præferebant.

Cypr. in symb.
Octav. in Min.

Iust. in apol. 2.

Vis decorare tuum ditissima Roma Senatum,
Suspende exuvias armis, & sanguine captas
Congere cæsorum victrix diademata Regum.

Prud. l. 2. in Sym.

9 Non tam igitur subactorum Regum diadematibus, quam purpureo occisorum sanguine, laureisque Roma decoratur: sacris quippe Apostolorum Petri, & Pauli corporibus, binis instar coronis Vrbs nostra circum splendide cingitur, ut disertis Chrysostomus verbis edixit: *Qualibus coronis duabus*, inquit, *ornatur Vrbs ista?* Quinimmo & ipsamet martyriorum instrumenta, quæ pugilibus Christi necem inflixere, incredibilem tum illis, tum Vrbi decorem conferendo, immortales martyribus quidem coronas peperere, & nobis hæc recolentibus coronarum instar Subterraneæ Romæ tabulis subtexenda videntur: quis enim nesciat clavos, quibus cruci Petrus affixus, & gladium, quo Paulus obtruncatus est, Chrysostomo coronarum instar ambitioni fuisse: *Sit mihi*, inquit, *gladius ille*

Chrys. in ep. ad Rom. ser. 32 an moral. exhort.


Chry. ser. apud Metaph.

ille pro corona, & clavi Petri pro gemmis infixis in diademate. Pari quoque ratione martyriorum instrumenta, quæ postremo tandem loco in sacris Cœmeteriis perscrutandis congessimus, condignam operi coronam, & quavis, ut arbitrari fas est, præstantiorem contexunt. Pœnis enim ac certaminibus immortales martyrum coronæ ipsa Dei manu contex- *Ambr. in 118* tæ sunt: *Tolle martyrum certamina*, inquit Ambrosius, *tulisti coronas.*

10 Ut post Cœmeteriales igitur martyrum exuvias nobiles item martyriorum sarcinæ pio contemplandæ lectori exhibeantur; præter multiplicia quidem & cujusvis generis, quæ in recensitis hactenus *Varia in Cœmeteriis symbola, & imagines.* prolixiori sermone enarrata sunt, Cœmeterialium imaginum symbola, in variis insuper, quibus Subterranea Roma illustratur, sepulchris promiscua quædam & piis digna oculis signa conspiciuntur, cruces nimirum multiformiter efficta: vitrea quædam orbicula affabre distincta, atque exornata; eburneæ insuper imagunculæ: numismata, annuli, conchylia, corda, & diversimoda ornamentorum genera musivo ac tessellato item opere elaborata: quinimo ipsamet quæ martyrii quondam instrumenta extitere, nempe secures, serræ, flagella, crates ferreæ, & alia id genus quamplura, inscripta quoque ipsarummet litterarum elementa, ac numeri, quæ quidem singula in Cœmeterialibus passim tabulis, quas in studiosi gratiam lectoris huc usque delineavimus, exacte ut videre est, intuentium oculis contemplanda exhibentur.


11 Porro ejusdemodi signa his quidem in locis, ornamenti ut plurimum comparandi gratia apposita fuere, & ut ferventiores illi, qui primis extitere temporibus, Christianæ fidei cultores impensum, quo tenebantur erga beatos martyres, ac cæteros defunctos, pietatis studium ostenderent.

12 Haud tamen quispiam negare potest, nonnulla pariter & præcipua quidem iisdem signis mysteria prænotari & hæc haud otiose apposita ibidem fuisse, ut in medium nunc exemplum aliquod pro- *Variæ instrumentorum imagines in sepulchris quid denotent.* feratur, ipsa nobilissimi martyrii instrumenta demonstrant, quibus profecto rem altius contemplantes, quo potissimum martyrii genere pugil invictus, cujus venerandæ ibidem exuviæ recondebantur, pro fide coronatus fuisset, edocebantur, quamvis haud negandum omnino sit, & ipsummet interdum artificum opus, quod vivens quisque manibus exercuerat, opportune quidem instrumentis hisce designari potuisse. Quoniam vero de pœnalibus præcipue instrumentis, quibus martyres carnificum manu excruciati sunt, sermo recurrit, ut uno duntaxat res exemplo conficiatur, in nobilissimo quidem Vaticano Cœmeterio intra quoddam sepulchrum ferreus quidam forceps qui olim excruciandis martyribus inservierat, adinventus, inter recolenda sacræ antiquitatis monimenta in eadem Basilica usque hodie religiosissime asservatur, Christianorumque venerationi solemnioribus diebus proponitur: quo plane nobili instrumento id quod nunc asserimus, palam convinci videtur: hujus autem forcipis iconem quam tibi lib. 2. c. 2. contemplandam proposuimus nunc iterum, cum opportuna ejusdem mentio recurrat, venerandam tibi afferimus.




De quo pœnali instrumento frequens in sacris martyrum actis mentio recurrit, & nos alibi prolixiori sermone egimus.

13 At vero ex duobus Cœmeterialibus hisce la- *Martyrii instrumenta martyrum sepulchris insculpta.* pidibus, haud nomine prænotatis id, quod supra diximus, videre est: in iis enim instrumenta, quæ insculpta exhibentur, an artis, an martyrii signa & insignia sint, haud commode conjici potest, hæc tamen studioso hic contemplanda lectori volumus.



Quod item & ex altero hoc lapide rem oculis exploranti compertum fit.



Verum præter sepulchrales hactenus recensitos lapides, qui notis omnino carent, alterum ex Cœmeterio D. Agnetis Via Nomentana erutum subjicimus, qui Susannæ conjugi, ut lib. 4. enarravimus, ab Exuperantio inscriptus ferreæ cujusdam serræ figuram intuentibus præsefert, & his notis, ut vides, insculptus est:

DEPOSITA SUSANNA IN PACE DIE XIII KALENDAS NOVEMBRES
CONSULATU ANICI BASSI ET FL. FYLIPPI VV CC QUAE BIXIT
ANNIS PL M. XXV FECIT CUM MARITO ANNUS PM SEPTE +
EXUPERANTIUS MARITUS SE VIVO UXORI DULCISSIME
SIBI POSTERISQUE SUIS HOC TUMULUM FECIT



Quod autem sepulchrali insculpta interdum marmori ipsiusmet forma martyrii instrumentum
Instrumenta martyrii tumulus insculpta. præseferret, vel ex pœnalibus hisce instrumentis, que variis Cœmeterialibus Sarcophagis insculpta alicubi cernuntur, ut nos supra retulimus, palam videre est, in quibus lebetes, ollæ igni succensæ, pectines ferrei, ignesque insculpti, ut hic notatum vides, adumbrantur:

Quod quidem magis perspicuum ex nobili Alexandri martyris sepulchro apud Callisti Cœmeterium, ac instrumento martyri, olla nimirum ignibus succensa, & his notis prænotato redditur:





ALEXANDER MORTUUS NON EST SED VIVIT SUPER ASTRA ET
CORPUS IN HOC TUMULO QUIESCIT VITAM EXPLEVIT CUM
ANTONINO IMP. QUI UBI MULTUM BENEFITII ANTEVENIRE PRE
VIDERET PRO GRATIA ODIUM REDDIT GENUA ENIM FLETENS
VERO DEO SACRIFICATURUS AD SVPPLICIA DVCITVR O TEMPO
RA INFAVSTA QUIBUS INTER SACRA ET VOTA NE IN CAVERNIS
QVIDEM SALVARI POSSIMVS QVID MISERIVS VITA SED QVID MI
SERIVS IN MORTE CVM AB AMICIS ET PARENTIBVS SEPELIRI NE
QVEANT TANDEM IN CAELO CORVSCAT PARVM VIXIT QVI
VIXIT IV. X. TEM.



Quoniam vero hic de martyriorum instrumentis opportuna, ut vides ad Subterraneæ Romæ calcem mentio incidit, quibus lydio veluti lapide invicta, illibataque olim Christianorum fides explorata est, & ipsiusmet Christiani nominis confessio purpureis insculpta haud marmori, sed cordi notis, condignam immmortali Deo in tot occisorum funeribus gloriam, ac perennem ipsismet sanctis coronam peperit: & nobis insuper hæc scribentibus veneranda
Instrumenta martyrii in sepulchris imponuntur. quædam beatorum Christi martyrum instrumenta sanguine quondam illustrata intueri contigit: nonnulla ex istis præcipuis pœnarum instrumentis, quæ non lapidibus dumtaxat incidebantur, sed & ipsismet includebantur sepulchris, ad pias Christianorum manus in sacris Cœmeteriis inter perscrutandum adinventa pervenere, hic pio, ac studioso lectori contemplanda ac veneranda pariter offerre visum est.

14 Quæ quidem quis oculis inspiciendo oculatus profecto, ut ita dicam, antiquæ Christianorum tum fidei, tum constantiæ testis fiet, & acerbiora, quæ antecesserunt, persecutionum tempora probe recolens, gentilium crudelitatem quibusvis tormentorum ad expugnandum, at frustra, machinis instructam ex illis Tertulliani ad gentiles verbis manu deprehendet: *Crucibus*, inquit, *& stipitibus imponitis Christianos: ungulis deraditis latera Christianorum: cervices ponimus ante plumbum, & glutinum, & romphos*, id est, clavos: *ad bestias impellimur: ignibus urimur, in metalla damnamur, in insulas relegamur.* hæc Tertullianus, qui & inflictarum passim exquisitissimis plane modis pœnarum illam rationem dumtaxat pro Christianis adversus gentiles, Christi videlicet nominis confessionem in medium profert. Quippe cum ex tabula olim adversus reos sententiam recitari soleret, hæc una contra Christianos passim Christi videlicet confessio insonabat: *Unum illud*, inquit Tertullianus, *audiebatur: Talis, quia Christianus damnatur, & nunquam quod fur esset, adulter, aut homicida.* Præclara igitur Christi confessio Christianæ innocentiæ testimonium sectatorumque ejus absolutio est. Porro quam immane olim gentilium crudelitas adversus Christianos, etsi innoxios omnimodis tormentis desæviret, Tertullianus, qui supra, Christianorum non patientiam dumtaxat, sed in perferendo alacritatem animi & in se ultro tortoribus, tormentisque offerendo lætitiam gentilibus admiran-

Tertul. apol. c. 12.

Chriiani ob solum Christi nomen damnantur.

Tert. apol. c. 2.

Tert. apol. c. 1. admirandam objiciens expressit: *Crudelitas vestra*, inquit, *gloria nostra est, vide*, Scapulam alloquitur, *ne hoc ipso, quod talia sustinemus, ad hoc solum videamur erumpere, ut hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed ultro vocare.* Quam Christianorum alacritatem prolato in medium exemplo confirmat, dum Arrio Antonino Asiæ Proconsule, Christianos crudeliter exagitante, illos è contra haud insectanti, sed totam fere civitatem globatim ad tribunal Christo testimonium exhibituram occurrisse his quidem verbis enarrat: *Omnes illius civitatis Christiani se obtulerunt.* Cum ille ejuscemodi spectaculum expavescens, hæc adstantibus, ut ait Tertullianus, respondit: *O miseri si cupitis perire, præcipitia & restes habetis.* Et Christianorum quidem numerum se ultro carnificinæ pro Christo exhibentium ira excandescenti præfecto Tertullianus objiciens subdit: *Hoc si placuerit sic fieri, quid facies de tantis millibus hominum, &c. quantis ignibus, quantis gladiis opus erit.* Profecto Christianorum in perferendo eum in modum constantia enituit, ut beneficii loco damnationis haud absolutionis ubi fidei negotium agebatur, sententiam computarent: *Cum omni sævitia vestra*, inquit, *concertamus, ultro erumpentes, magisque damnati, quam absoluti gaudemus.* Ex quo tantum quidem roboris Christianorum, dum acrius impeterentur, pectoribus insederat, ut mortem ultro condicerent: *Occumbebant enim*, inquit Bernardus, *sed non succumbebant, triumphabant & mortui.*

Christianorum in moriendo pro Christo alacritas. — *Tert. apol. c. 1.* — *Tert. ad Scap. c. 5.* — *Bern. l. 3. de conc. ad Eug.*

Incredibile Christianorum martyrii subeundi desiderium.

15 Porro ubique terrarum sanguine pro fide dimicatum est, & res haud verbis, sed tormentis ubique constanter peracta, nec viri dumtaxat, sed mulieres, pueri, virgines, cujusvis ætatis, sexus, ac conditionis in certamen prosilire non dubitarunt: siquidem cum Christianorum numerus immane adauctus innumerabilis prorsus evasisset, certatimque singuli, tanquam apes ad alvearium, ad nomen Christi confitendum, & ad martyrium convolarent, cruciamentis omnimodis contra eosdem sævitum est, quod suis eleganter Prudentius carminibus hunc in modum cecinit:

Prud. hym. de S. Rom m.

Conspirat unus fœderatus spiritu
Grex Christianorum, agmen imperterritum,
Matrum, virorum, parvulorum, virginum,
Fixa, & statuta est omnibus sententia,
Fidem tueri, vel libenter emori.

Quapropter dum in singulos quosque effera persecutorum crudelitas acerbioribus tormentis instructa, nemini parcendo, ferveret, is majorem sibi laudem aucupari videbatur, qui magis Christianos excruciando sæviret: in quam plane sententiam acerbiora carnificinæ instrumenta, quæ martyribus intentabantur, Prudentius his quidem carminibus concinne descripsit:

Gentilium crudelitas. — *Prud. in perist. de S Hipp. n. 1.*

Carceres crinita situ, stare agmina contra
Iuverat horrendis excrucianda modis.
Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra
Stridere, virgarum concrepitare fragor,
Vngula fixa cavis costarum cratibus altos
Pandere secessus, & lacerare jecur.


Sed constans illibatumque Christianæ fidei testimonium sanguineis palam notis exaratum, toti terrarum Orbi refulsit, & Cælo, vel inter persecutionum procellas, se ultro inseruit, ut Prudentius cecinit:

Prud. hym. 3. de S. Eulal.

Quam juvat hos apices legere
Qui tua Christe trophæa notat,
Nomen & ipsam sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.

Christi quippe trophæa notis hisce beatorum martyrum venis sanguinem ultro scaturientibus exculpta fuere, de qua re condignis Cyprianus verbis locutus ait: *Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulsantes, ac laniantes ungulas pulsata, ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita: quamvis rupta compage viscerum torquerentur in servis Dei, jam non membra, sed vulnera. Fluebat sanguis, qui incendium persecutoris extingueret, qui flammas, & ignes gehennæ glorioso cruore sopiret.* Verum quoniam opportunus hic de ungulis è sacris martyrum corporibus sanguinem vi elicientibus sermo recurrit, en tibi præter forcipem ferreum, quem supra proposuimus, hoc item ferreum ferinarum vnguium ad instar elaboratum, quod in Cœmeteriali sepulchro repertum, martyrum carnificinæ adhibitum est, instrumentum contemplandum hic offerre voluimus, quod in nobili Eminentiss. Francisci Card. Barberini S. R. E. Vicecancellarii Musæo, pretiosi instar thesauri, & omni prætiosius auro, nuper è Calepodii Cœmeterio, ut Lucas Holstenius vir fide dignissimus asserit, erutum asservatur. Est autem ejus plane formæ, cujus hic tibi exhibetur.

Cypr. ep. ad Matt. & Ens. l. 2. — *Ungula ferrea martyribus excruciandis.*



Cui plane instrumento, cum ferinarum unguium exemplar præseferat, congrue Baronii verba aptari possunt: *Dictæ sunt ungulæ*, inquit, *quod ea instrumenta ferarum imitarentur vestigia, quorundam referrent exemplum, eodem quoque dicta nomine invenies lib. 1. cap. de emendatione servorum: Ferarum*, inquit, *unguibus latera persecando. Sed in Cod. Theod. eo tit. sic: Ferrarum vestigiis latera persecando.* Hæc in rem præsentem Baronius. Cujusmodi autem antiquis temporibus pœnale instrumentum istud esset, & quo potissimum nomine appellaretur, an ungulæ videlicet, an fidicularum, an unci, nos quidem in re dubia nil certi statuere audemus. Siquidem si de ungulis agitur, jam lib. 2. cap. 2. num. 13. hujus nostri operis rem prolixiori sermone edisseruimus, ubi & de fidiculis mentionem fecimus, quæ quid potissimum fuerint, exacte S. Isidorus demonstravit etymol. lib. 5. cap. ult. dicens, eas esse ungulas ferreas, quibus damnati excruciabantur: *Quocirca*, inquit, *ungulæ dictæ, quod effodiant, hæ & fidiculæ, quia iis rei in equuleo torquerentur, ut fides inveniatur.* Hæc Isidorus, quibus subtexenda sunt, quæ ab Antonio nostro Gallonio erudite in lib. de SS. Martyrum tormentis ingerit: *Fidiculas* videlicet *à findendo nuncupatas esse, quasi findiculas, vel à fodicando, quia nempe reorum latera illis fodicarentur, nominatasque esse fidiculas, quasi fodiculas, nam fodicare latera fidiculis usurpatum apparet ab Ammiano.* Hæc ille, quibus plane Prudentius in hymno S. Romani adstipulari videtur, dum quas vocavit fidiculas, easdem

Bar. in not. ad mart. die 16. mart. — *Isid. l. 5. etymol.* — *Fidiculæ quale instrumentum fuerit; & unde dictæ.* — *Ant. Gall. l. de torment.*

dem ungulas dicit, hæc autem sunt apud ipsum Asclepiadis verba:

Hymn. de S. Rom.

Vertat ictum carnifex
In os loquentis, inque maxillas
Sulcosque acutos, & fidiculas transfer
Verbositatis ut rumpatur locus.

Amm. l. 12. Et quidem apud Ammianum lib. 9. hæc præcipua cruciatuum genera recensentur, ex quibus lector suo rem arbitrio dijudicare valet: *Intercluduntur*, inquit, *equulei, expediuntur pondera plumbea cum fidiculis, & verberibus.* Quo plane sensu fidiculas apud Josephum lib. 5. de Machabæis, apud Senecam lib. 3. de ira cap. 3. apud Valer. de patientia lib. 3. cap. 3. Quintilianum declamat. ult. & alios passim usurpari contigit. *Amm. l. 14.* Idem vero Ammianus lib. 14. isthæc habet: *Intendebantur*, inquit, *equulei, uncosque parabat carnifex, & tormenta.* Ad quæ item Prudentius suis allusisse carminibus aliquando visus est, dum canit:

Prud. hym. de S. Ven.

Extorque, si potes, fidem,
Tormenta, carcer, ungulæ
Stridensque flammis lamina,
Atque ipsa pœnarum ultima
Mors Christianis ludus est.

Quibus paulo infra hæc in rem præsentem de Christianorum in tormentis constantia subtexit:

Ridebat hæc miles Christi
Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus ungula.

Cypr. ep. ad Donat. Et quidem si de ungulis, ac fidiculis agitur, earundem Cyprianus in epist. ad Donatum mentionem his verbis ingerit: *Hasta illic, & gladius, & carnifex præsto est, ungula effodiens latera, & deradens equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus unum supplicia multa.* *Varia tormentorum genera apud antiquos.* Multiplicium autem tormentorum, quæ Christianis potissimum excruciandis adhiberi consueverant, idem Cyprian. in lib. de lapsis in hæc verba meminit: *Cypr. l. de lap.* *Sed cum sævissimi judicis recrudescente sævitia jam fatigatum nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc effoderet, nunc flamma torreret.* Verum si apud ipsosmet gentiles scriptores hæc tormentorum series recolatur, *Cic. or. 7. in Ver.* Ciceronem 7. in Verrem isthæc enarrantem lector comperiet: *Quid cum ignes*, inquit, *ardentesque laminæ, cæterique cruciatus admovebantur?* *Cic. Phil. 3.* Quod & Philip. 3. his verbis repetit: *Ponite ante oculos vincula, verbera, equuleum, carnificem, tortoremque Samarium.* Cui Seneca paribus verbis reorum supplicia intexens lib. 3. de ira *Sen. l. 3. de ira. c. 3.* cap. 3. adstipulari videtur: *Apparatusque illi reddendus est suus, equulei, & fidiculæ, & ergastula, & cruces, & circumdati defixis corporibus ignes, & cadavera quoque trahens uncus.* *Unci tortorii.* Porro unci quoque, vel uncini ad torquendum reos ex more adhibebantur, de quibus supra Ammianus, & lib. 26. illis verbis meminit: *Ambr. l. 1.* *Unci, & cruentæ quæstiones, &c.* & Arnobius de uncis tortoriis lib. 1. prope finem agit, de quibus Prudentius quoque in suo Peristephano hymn. 5.


Bar. not. die 16. Ian.

Stridentibus laniatur uncis.

Porro ut Baronius in not. ad Mart. ait: *Erat adhuc uncus non tantum ad torquendum, sed ad trahendum reum ad pœnas instrumentum*: unde Juvenalis sat. 10. *Iuven. sat. 10.*

——*Impacto Sejanus ducitur unco.*

Cic. Phil. 1. De uncis item Cicero Philip. 1. meminit: *Uncus*, inquit, *impactus est fugitivo illi.* *Suet. in vit. Tib.* Sueton. in Tib. cap. 54. *Cum et carnifex quasi ex Senatus auctoritate laqueos, & uncos ostentaret.* Unco insuper aliquando damnatorum corpora trahebantur, ut Sen. ait lib. 3. de ira: *Cadavera quoque uncus trahens.* *Lamprid. in Comm.* Lampridius item acclamatum in Commodum Imper. ait: *Carnifex unco trahatur more majorum, cadaver unco trahatur dictum pluries.* *S. Sebastiani corpus pendens in unco repertum.* Equidem ex D. Sebastiani actis nobile exemplum suppetit, ubi in fine hæc leguntur: *In cloaca, quæ est juxta Circum, quære, & ibi invenies corpus meum pendens in unco.* Quæ quidem hic studioso lectori de ungulis, fidiculis, ac unco consulto suggessisse voluimus, ut ex recensitis hactenus rem pro suo arbitrio, & quodnam ex supramemoratis instrumentis, quod propositum est & quo potissimum nomine nuncupandum sit, definiat: illud unum subtexentes, quod ejus instrumenti formam quidem, haud tamen omnimodam magnitudinem icon intuentibus præsefert. Alterum item hic ferreum clavum, quem in D. Agnetis Cœmeterio martyris capiti affixum adinveniri contigit, & nobis ab Illustrissima Felice Rondanina matrona piissima oblatum tibi contemplandum offerimus. *Clavus ferreus martyris.*



Clavum autem hunc, qui omnimodam uncini formam exhibet, ad torquendum & ad suspendendum inservisse asseri haud temere potest, de quibus forte Tertullianus locutus est, dum ait: *Cervices ponimus ante plumbum, & glutinum & romphos, id est, clavos.* *Ter. apolog. c. 12.* Siquidem ad aliorum terrorem in publicis quandoque locis interfectorum capiti appendebantur: quidquid autem sit, martyris certe capiti hunc affixum fuisse constat.

At



At post clavum, quem obtulimus, lanceæ item hujus ferreæ, quam fere rubigo consumpsit, iconem in eodem B. Agnetis Cœmeterio intra sepulchrum adinventæ, quæ proculdubio nobilis pro Christo martyrii quondam instrumentum extitit, ab Illustrissima matrona, quam supra meminimus, acceptam, tibi veluti nobile Cœmeteriorum monimentum oculis delibandam exhibere voluimus, cum quibus & binas hasce vitreas orbiculares imagines, Christi videlicet & Deiparæ Virginis, quas intra Cœmeteriales cavernas perscrutantium manu adinveniri contigit, piissima mulier tibi pariter unà cum recensitis martyriorum instrumentis, hic ubi opportunà de Cœmeterialibus promiscui generis imaginibus mentio recurrit, inspiciendas exhibet.

Binæ vitreæ imagines è Cœmeteriis erutæ.



Quibus plane nobilibus antiquorum Christianorum sarcinis, & Cœmeterialibus martyrum exuviis, martyriorumque ipsorum instrumentis Subterranea Roma magis quam pretiosis quibusvis gemmis, ac lapillis altera Roma, quæ orbi quondam conspicua extitit, illustratur: congrue enim nostram hanc antiquæ conferens poëta ille apud Antonium Gallonium, martyriorum instrumenta recensentem, isthæc cecinit:

Christoph. Castellettus in SS. martt. tormenta apud Gallon.

Illi apices, trabeas, fasces, diademata, lauros,
Et claraè patribus stemmata ducta canant.
Nos laqueos, fustes, lapidum ostentabimus imbres,
Igniferas crates, tela cruenta, faces.
Illinc vanus honor brevis, & quem præterit hora;
Hinc oritur solidum, perpetuumque decus.

16 Sed ut ad reliquas inter contemplandum Cœmeteriales imagines sermo recurrat, humanorum insuper cordium imagines, quas in sepulchralibus item titulis marmori sæpissime insculptas videre contigit, quamvis ad ipsamet intersecanda titulorum verba, quædam veluti puncta interiectionum instar appositas plerumque insertasque fuisse credamus haud absurdum tamen, nec quid minus à veritate dissonum pronunciandum est, si ad mysticum quid innuendum, adhibita isthæc fuisse conjectari quis velit; & earumdem plane rerum apud Christianos symbolum præseferre, quas gentilium olim sepulchris affixa designabant, ut satis diserte Jacoponus asserit in lib. de Prisc. Cæs. gen. c. 16. cum orthodoxæ fidei, illibatoque religionis cultui neutiquam dissonet, corda, quæ marmori passim insculpta cernuntur, testatissimi amoris ac candidissimæ pariter sinceritatis symbolum existere; quo plane signo intuentium tum oculis tum menti suggeratur, virum sepulchrali ibidem marmore conditum haud quid unquam effictum & à veritate dissonum ementito ore protulisse, sed juxta exsculpti cordis hieroglyphicum cor ipsum, ut ita dixerim, ad veritatem

Cordium imagines in sepulchris.

Iacop. de prisc. Cæs. gen. c. 16.

candide enuntiandam in ore jugiter habuisse. Ad quod item validis opportunisque rationibus comprobandum, Jacoponus consuetum Romanorum antiquorum morem prolixius enarrat, qui dum adhuc puerili ætate florerent, auream vel certe argenteam supra pectus bullam affabre in figuram cordis elaboratam gestare consueverant. Quo quidem symbolo sapienti eosdem consilio præmoneri volebant, ut palam cordis imaginem præferentes, sincerosque à primævis illius ætatulæ annis bonum, ingenuamque animi indolem unà cum ætate mores inbiberent, cunctisque candidè, ullo absque fuco aut fallacia tum verbo tum opere laudabilitor præstandis assuefierent, quo grandiores ac viri tandem effecti, quod à teneris annis hauserant, nullo unquàm tempore dedíscentes prompto libentique animo exhiberent. Perantiquam vero hujuscemodi gestandæ bullæ consuetudinem idem scriptor ex Cicerone in Verrem disertis verbis comprobare videtur, ubi isthæc: *Bulla in Toga Prætexta erat ornamentum pueritiæ in cordis figuram.* Docetque subinde exacta puerili ætate, eandem festivo quodam è solemnioribus die, ipsismet laribus suspendi consuevisse, ut his quidem carminibus Persius inter poëtas laudatissimus testatur:

Bulla in cordis figuram puerorum collo appendi olim solita, & cur?

Cic. or. in. Ver.

Pers. in car. 6.

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis laribus donata pependit.

Quod & Propertius lib. 4. eleganter inculcat, dum isthæc in rem præsentem cecinit:

Proper. l. 4.

Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo
Matris & ante Deos libera sumpta toga.

Cordis figura sepulchris cur insculperetur.

Porro, ut singula breviter perstringamus, recensita quoque exculpti cordis imagine, si rem hic conjecturis agere velimus, illud item innui posse videtur, hominem videlicet vita jam functum, ac tumulo ibidem exceptum, talem ac tantam cum amicorum tum suorum animis doloris molestiam intulisse, ut dolore saucii dum eundem fato subripi contigit, è corde propemodum sibi animam, imo cor ipsum è pectore radicitus avulsum mœrentes jugiter ingemiscerent. Quem enim unice diligimus; ut experimento comprobatum est, eundem nobis cordi esse eundemque modo cor, modo animam, vel certe animæ nostræ dimidium appellare passim consuevimus. Augustinus quippe de quodam amicitia sibi conjunctissimo, cujus mortem vehementer ingemuit, hunc in modum præ doloris impatientia aliquando locutus est: *Bene quidam*, inquit ille, *de amico suo dixit, dimidium animæ meæ: nam ego sensi animam meam, & animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus: & ideo mihi horrori erat vita; quia nolebam dimidius vivere: & ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.* hæc Augustinus. Intimæ, autem hujus dilectionis vim, quæ animo altius insederat, patentibus ultro signis expressam ipsismet Christianis concedere haud quid à mitibus, ac bene, compositis eorundem moribus alienum pronuntiandum est: quippe qui omnes, ac singulos arctissimo illibatæ charitatis vinculo, quos sibi proximos Christo jubente noverant, prosequi, atque amplecti jugiter didicere. *Major est enim*, ut Tertullianus ait, *fraternitas Christi quam sanguinis.*

Aug. Confil. 4. c. 6.

Tert in Apol.

Cordis figura amorem hieroglyphice designat.

17 Verum si quod hactenus enarratum est, ejuscemodi amoris symbolum nobis rejiciendum esse ex adverso quispiam urgeat, proclametque, ne ulla prorsus in re, unà cum ethnicis coincidere videamur, tunc quidem proculdubio asserendum est, ipsa cordis figura Cœmeterialibus pio Christianorum ritu sepulchris affixa cordis ejusdem munditiam symbolice designari, quam suis frequenter sectatoribus ipsemet Christus illis plane verbis inculcat: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Mat. c. 3. Et regius item Psalmista Christi fideles psal. 23. opportune præmonet: *Quis ascendit in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde.* Psal. 23.

18 Ex quo plane rerum adumbratarum symbolo haud temere philosophari quis posset, eum videlicet, quem ibi tumulari contigit, ob cordis munditiam, quam vivens præsetulit, ac miram vitæ, ac morum, qua præfulsit, innocentiam execlsa cælorum fastigia perpetuo victurum conscendisse, vel certe paulo post illuc feliciter evocandum, ut puro tandem, expurgatoque mentis oculo, pulcherrimam Dei faciem, quæ totius beatitudinis fons est, contempletur.

19 Usitatissimum igitur ex enarratis hactenus primævos apud Christianos extitisse convincitur, ut humani cordis imaginem Cœmeterialibus defunctorum sepulchris exsculperent, & sepulchrales item ejuscemodi imaginibus titulos prænotarent, ut in Subterraneæ Romæ Sarcophagis videre est, quod quidem haud temere, sed peculiaribus eosdem permotos rationibus, ut vides, præstitisse asserendum videtur. Nam ut nonnulla hic vel obiter jam dictis inseramus; cor quidem apud antiquos consilii, ac prudentiæ symbolum, Pierio teste, habebatur: nonnulli quippe in ipso corde præcipuam, potioremque animi sedem locabant: siquidem hanc Plato in cerebro, Aristoteles autem in corde constituit: quod & Ambrosius omnimode probasse visus est, dum ait: *Cor tuum*, inquit, *cogitationum tuarum scaturigo est.* Huc item suis poëta ille carminibus allusisse voluit, dum ait:

Cordis figuram sepulchris insculpendi mos.

Pier. Val. l. 24.

Arist. l. de secr. & sens. Ambr. in Psal. 118.

Consilium, quod nos animum, mentemque vocamus, Lucr. l. 3.
Idque situm media regione in pectoris hæret.

Quapropter nonnulli ipsiusmet humani cordis effigiem serio contemplantes, haud peculiari rerum cæterarum instar mysterio vacare pronunciarunt. Cor quippe pyramidis, & subtriangulari quidem forma, intuentibus figuram exhibet, ejusdemque tribus dumtaxat elementis nomen exprimitur, ut videlicet quid veluti divinum illud cunctos admoneat, quod.

Effigies humani cordis expenditur.

—— *Numero Deus impare gaudet.*

In symbolicum autem cordis nomen lepide alter ille aliquando poëta uno dumtaxat carmine lusit:

Dimidium sphæræ, sphæram cum principe Romæ.

Porro si nunc à nomine ad rem ipsam sermo recurrat, cor quidem in media, ac præcipua corporis parte ipsius naturæ opificio locatum est, ut velut supremus in Regno princeps imperium obtineat: qua profecto olim ratione Stoici universam hanc orbis machinam, quæ oculis subjicitur, magnum aliquod animal, sensu ac ratione præditum arbitrantes, Solem ipsum cor mundi esse affirmarunt: quod enim in Cælo Sol, hoc in hominis corpore cor est: & vel in hoc cum Cœlo ipso symboleitatem sortitur, quia quemadmodum Sol haud unquam quiescendo à motu vacat, ita cor pariter, ne cuncta, solvantur, incessanter movetur. Verum ut originis quoque ordine membrum istud potissimum, quod cæteris nobilitate præstat, ac prioritate pariter antecedat, primum quidem in homine generatur: *Cor quippe animantium sanguine præditorum*, ut Aristote-

Cor in medio corporis locatum.

Cor nobilissimum in animali membrum.

Arist. l. 1. de juv. & sen. Aristoteles lib. 1. de juventute, & senectute asserit, *primo gignitur*: quod & Plinius lib. 11. cap. 37. & Basilius diserte in psal. 1. his verbis confirmat: *Natura*, inquit, *cor præmolitur, & vice fundamenti præstruit*: & quidem cor, nobiliorem veluti partem, postea cerebrum efformari, sicut tardissime oculos, sed hos primum mori, cornovissime disertis Plinius verbis enuntiat, etsi alii primo quidem naturæ ipsius opificio hepar, haud cor effingi, verum subinde primo cor animari, & postremo tandem mori asserant, inter quos est Franciscus Vales. lib. 2. contr. med. c. 6. inde *primum vivens, & ultimum moriens* dicitur, sicut è contra oculi sunt *primum moriens, & ultimum vivens*.

Plin. l. 11. c. 37. *Basil. in psal. 1.* *Plin. l. 11. c. 37.* *Fran. Val. l. 2. cont. med.*

Ex corde mores hominis conjici posse. *Plin. l. 11. c. 37.* 20 Ex corde autem potissimum ipsos hominum mores conjicere, ut Plinius, quem supra recensuimus, in rem præsentem edocet, qui Hermogenem, Leonidam, Aristomenem, Mestenum, Lysandrum, cor hirsutum, ac pilosum re ipsa habuisse enunciat, quod hominum crudelium, asperorum, ac agrestis alioqui indolis haud obscurum est signum, cui Plutarchus in Parall. & Rhod. lib. 4. cap. 16. adstipulantur. *Plut. in paral Rodig. l. 4. c. 16.* Nec mores dumtaxat hominis ex corde, sed & ipsosmet rerum futurarum eventus ex victimarum corde gentilibus conjectari solemne extitit. *Ex corde victimæ eventus rerum conjectari olim solebant* Quapropter victimis, quæ diis mactabantur, si cor unquam deesset, infaustum portendi omen credebatur. Hinc Julio Cæsari Dictatori, qua die primum purpura amictus in publicum procedens in aurea sella consedit, sacrificanti quidem bis in ipsis victimæ extis cor desiderari contigit. Helvio item ac Pertinaci, quo die gladio sublatus est, cum ad sacrificandum accessisset, cor in hostia neutiquam apparens, sinistrum plane, portentosumque mortis omen præsetulit.

Cor mentis ac sapientiæ symbolum. 21 Verum quoniam cordis imago familiaris admodum, ut ex nostris hisce tabulis videre est Christianis extitit, ut nonnulla vel obiter inseramus, cor quidem in sacris divinarum scripturarum paginis, mentem ac voluntatem aliquando designat, & cor ipsiusmet sapientiæ sedes, ac thronus describitur: quamobrem Salomon sapientiæ sibi donum à Deo impertiri exoptans, ait: *Dabis servo tuo cor docile, &c.* *3. Reg. c. 3.* Hinc veteres merito solertem, cordatum, sapientemque virum *Corculum* appellabant, & Nasica ille præ omnibus laudatissimus ob singularem animi, quam præferebat, prudentiam *Corculum*, teste Plinio, appellari meruit. *Plin. l. de vir. Illust. c. 44* Quod si ad sacrarum litterarum monimenta sermo recurrat, Iudas Thadæus cognomento Lebbæus, id est, *Corculum*, nuncupatus est: quin & ipsiusmet Sapientis ore præclarum illud cordi elogium inscribitur: *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum.* A corde enim, quod plane mentem sonat, vocabulum derivando, quemadmodum viri prudentes cordati, sic imprudentes è contra vecordes, sive excordes appellati sunt, ut palam Hieremias Iudaici populi vecordiam his quidem verbis acriter perstringit: *Audi populе stulte, qui non habes cor.* *Ier. c. 5.* In quam item sententiam Tertullianus Marcionis impudentiam aculeatis, ut par est, verbis insectatus, eundem nec cor habere, nec cerebrum affirmavit. *Tert. con. Mar. l. 4. c. 10.* Quibus plane verbis Poëta ille in Rhetoricastrum, qui *reminisco* parum Latine dixerat, lepide carminibus hisce prolusit:

Auson. ep.
Reminisco Rufus dixit in versu suo,
Cor ergo versus, immo Rufus cor non habet.

Quibus & hæc item jocabundus carmina subtexit:

Quo reminisco putat se dicere posse Latine,
Hic ubi cor scriptum est, legeret cor, si cor haberet.

Cor item apte præcipui amoris symbolum describitur, quæ loquendi formula, ut cor amorem denotet, in sacris quidem literis usitatissima legitur, & Prover. 26. illud jugiter Deus insonat: *Fili præbe mihi cor tuum.* *Cor amoris hieroglyphicum constituitur* *Prov. c. 26.* Hinc congrue, eleganterque; de cordis symbolo D. Thomas, & Gregorius Nyssenus elocuti, Spiritum sanctum in sacro die Pentecostes Ecclesiæ, quasi cor è Cælo donatum fuisse pronuntiant. *S. Thom. Greg. Nyss.* Et quidem cum cor patens amoris hieroglyphicum exhibeat immortali Deo primo quidem offerendum esse quis non intelligit: quippe *primum quod damus*, ut D. Thomas ait, *est amor, & Deus non ex manibus*, ut Chrysologus inquit, *sed ex cordibus facta metitur.* *D. Thom* *Crys. in ser.* Quod egregie Patrum laudatissimus Abraham præstitit, qui filium, quem unice diligebat, Deo promptamanu, lubentique corde immolare nullatenus detrectavit: *Tolle filium tuum unigenitum*, inquit illi Deus, *quem diligis Isaac*: *Gen. c. 22. n. 2.* paterni quippe cordis victima, in filii jam immolandi, haud ipsiusmet filii immolatio, ac cor potius offerentis, quam victima, quæ offerebatur, Deo placuit, ut Prudentius his quidem carminibus eleganter edisserit:

Prud. præf. in Psychom.
Senex fidelis prima credendi via est,
Abram beati seminis serus pater,
Adjecta cujus nomen auxit syllaba,
Sterile pignus, qui dicavit victimæ,
Docens ad aram cum litare quis velit,
Quod dulce cordi est, quod pium, quod unicum,
Deo libenter offerendum credito.

Apud primævos igitur Christianos frequens sepulchris imago cordis insculpta cernitur, ad amoris videlicet, ut enarratum est, quo defunctum prosequebantur, vel certè ad innocentiæ symbolum apte edocendum, ut in hoc sepulchrali, qui ex D. Agnetis Cœmeterio excerptus est, titulo videre est: *Cordis imago sepulchris Christianorum insculpi olim solita.*

FLAVIO ❦ ITALO ❦
INNOCENTISSIMO
PUERO ❦

Et ex hoc item titulo in Cœmeteriis Via Latina à Bosio adinvento quem symbolicis cordium imaginibus interpunctum vides:

❦ LOCUS MACEDONIES
QUAE VIXIT
ANNOS PM XXX
DEPOSITA PRID.
IDUS MAR FL.
❦ RICIMERE CONSS ❦



Alterum quoque sepulchralem hunc titulum, qui apud Divi Pauli basilicam Via Ostiensi ex Lucinæ Cœmeterio erutus, haud antiquioribus seculis exculptus est, cordis item imagine passim prænotatum hic tibi conspiciendum offerre libet:

HIC REQVIESCIT IN PACE DEVS DET QI.VIXET ANNVS P.M.XX
DEPOSITVS EST XV KAL MAIAS ITERVM POS CON PAVLINI
L.C.APAT.LAVRENTI QEM SIVIVO COMPARAVIT SOL.TRIS ET TRIMISSE

Bulla cordis figuram præferens pueror um pectori annecti solitam ejusque mysterium. *Marc. c. 6. Sat.*

Et quidem cordis humani imago sepulchralibus hisce tabulis affixa inolitum illum antiquorum gentilium morem, quem supra meminimus, mentisuggerit, quibus bulla humani cordis imaginem præferens solemnis extitit, quam idcirco supra pectus antiqui, ut Macrobius quoque præter Ciceronem jam recensitum ait, deferebant, ut se videlicet homines esse noscerent, si tamen corde saperent, sed ejus hic verba excipiamus: *Nonnulli credunt*, inquit, *ingenuus pueris attributum, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quam inspicientes ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent. Togam quoque prætextam his additam ut ex purpuræ rubore ingenuitatis pudore regerentur.* De qua potissimum re Pierius Valer. in suis hieroglyphicis lib. 41. cap. 1. & 2. consulendus est. Recensita autem bulla, cujus mentio est, ejus plane formæ describitur, cujus hic tibi iconem ex Joanuis Baptistæ Casalii Musæo excerptam offerimus.

Pier. Val. l. 41. c. 1. & 2. de hierogl.



Bulla à triumphantibus gestari solita, quæ ac qualis?

Porro ista orbicularis bulla, quod ad formam spectat, unà cum nomine pluviales aquarum guttas imitari videbatur, vel id certe, quod in torquibus bullæ, vel cordis adinstar deferendum appenditur. Et bulla quidem à triumphantibus olim supra pectus, inclusis ibidem, quæ adversus invidorum malevolentiam, ut credebant, remedio forent, gestari consuevit. Inde autem in more positum est, ut prætexta simul, ac bulla, quæ magistratuum erant insignia, in puerorum nobilium usum ad inaugurandum virtutis iisdem omen cederent. Siquidem Tarquinii Prisci filius, eo quod se viriliter in bello gessisset, primus omnium aurea bulla, prætextaque toga donatus est, ut idem diserte Macrobius his verbis testatur: *Sicut prætexta magistratuum in bulla gestamen erat triumphantium, quam in triumpho præferebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam validissima. Hinc deductus est mos, ut prætexta & bulla in usum puerorum nobilium usurparetur, ad omen, & vota concilianda virtutis ei similis, cui primis in annis munera ista cesserunt.* Ut in Ioannis Baptistæ Casalii Musæo lapidea prætextati pueri, hac item bulla insigniti, imagine videre est. At postmodum superstitioso gentilium more à Christianis abolito, & cordis symbolo in sacrum feliciter usum corrivato, ex paschali quidem cereo, sacro chrismate delibuto, solemnique; Romani Pontificis benedictione impertita, sacras potissimum imagines, quæ Christum sub agni typo præseferunt appensas Christiani è collo deferre cœperunt, ut symbolica Agni imagine, Christi exemplo edocti, mites ac corde humiles esse admonerentur, ut apte Card. Baronius ann. Christi 58. & Spondanus egregie in eum locum edisserunt. Mulieres item Christianæ primævis quidem temporibus sacrosancta bullarum instar è collo Evangelia devotionis gratia appensa gestabant, ut præcipue ex recolendis B. Cæciliæ actis innotescit: *Virgo gloriosa euangelium Christi gerebat in pectore*: quod & Chrysostomus à Baronio ann. 232. recensitus, & Isidorus Pelusiota his verbis meminit: *Quemadmodum nunc mulieres Evangelia parva.* Et hæc interim de sacris cereis imaginibus, ac de Euangeliorum paginis quæ, religiose bullarum instar apud Christianos usurpata sunt, hic vel obiter, dum de Cœmeteriali cordis imagine sermo incidit, suggerere voluimus. Nunc vero ad Cœmeteria, à quibus paululum digressi sumus, redeat oratio.

Tarquini Prisci filius aurea bulla, & prætexta primus donatus. *Macrob. l. 1. Sat. c. 6.*

Agnum ex cerio paschali benedictum Christiani collo appendunt vice bullarum.

Bar. to. 1. an. 85.

Mulieres olim Euangelia in sinu gerebant. *Act. S. Cæcil.*

Isid. Pelu l. 11.

Literæ, characteres & numeri in sepulchris.

22 Notæ quoque, ac multiplices item characterum formæ, numeri pariter I. II. III. & id genus alia, quæ, ut jam diximus, in sepulchralibus passim lapidibus conspiciuntur, haud otiose ab antiquis ibidem affixa sunt. Nam ut omnimodam pervestigando rerum intelligentiam assequamur, studioso rerum antiquarum perscrutatori mente repetendum est, innumeram olim in Urbe beatorum martyrum copiam extitisse, quæ quidem eo usque interdum excrevit, ut vel una die ad decem millia, eoque amplius interemptorum pro Christo numerus pertingeret. Quapropter fideles, qui sacris inferendis, recondendisque martyrum pignoribus operam studiose impendebant, eorundem genus, patriam, ac nomen assequi plerumque, ac probe nosse neutiquam poterant. Cum sævissima autem Imperatorum edicta, quibus per summam injuriam beatis martyribus sepultura, ut jam diximus, interdicebatur, acrius urgerent, Christianis inter angustias temporum deprehensis vix noctu, celeritate maxima suffurandi interemptorum corpora, ac tutum transferendi in locum facultas suppetebat; quinimmo à piissimis interdum viris consulto quidem martyrum nomina, quæ forte jam probe norant, silentio obvoluta fuere: nam si Ethnici vel casu eorumdem aliquando sepulchra pervestigando assequi potuissent, sacra beatorum hominum pignora temerario ausu pedibus proculcarent, aut impia certe manu dispergerent.

Christianorum in martyrum actis ac nominibus colligendis studium.

23 Et propensiora quidem Christianorum jugiter studia, ut hæc vel obiter inseramus, in sacris beatorum martyrum pignoribus, ac nominibus pariter post gloriosa eorundem certamina colligendis extitere: quippe qui nulli aut impensæ, aut labori parcentes, omnimodam gestorum notitiam assequi satagebant. Quod tum in cæteris orbis terrarum provinciis, tum in Urbe potissimum enituit. Clemens enim Romanus Pontifex in colligendis marty-

martyrum actibus, eorundemque nominibus studiose prænotandis ita institit ut vel notariis id munus, prout in lib. de Rom. Pont. qui à quibusdam recentioribus nomine Damasi citari consuevit, iniunxerit, ubi isthæc: *Hic fecit septem regiones dividi notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum solicite, & curiose unusquisque per regionem suam perquirerent.* Quibus Diaconos item septem ac subdiaconos totidem S. Fabianus ad martyrum gesta perscrutanda addidit, ut in lib. de Rom. Pontif. in hæc verba: *Hic regiones divisit diaconibus, & fecit septem subdiaconos, qui septem notariis imminerent, qui gesta martyrum in integrum colligerent.*

In lib. de Rom Pont. Damasi.

Bar. in mart cap. 1.

Cura martyrum nomina adnotandi.

24 Verum haud Romana dumtaxat Ecclesia in perquirendis, ac conscribendis beatorum martyrum actis, prænotandisque nominibus sedulam curam impendit, sed & aliæ, ut Baron. asserit, nobiles Ecclesiæ in iisdem haud segniter elaborasse noscuntur. Extant vero de his clarissima antiquitatis monumenta, ut Ecclesiæ epistolæ de martyribus illic coronantis sub M. Aurelio, & Lucio Vero Imper. apud Euseb. hist. lib. 4. cap. 14. Viennensis, & Lugdunensis Ecclesiarum literæ ab eodem Eusebio ex parte recitatæ lib. 5. c. 2. & 3. Dionysii Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi complures epist. ad diversos conscriptæ apud eundem Euseb. lib. 6. c. 33. & 34. lib. 7. cap. 10. ut in suis Baronius notis inculcat.

Episcopi fidelibus eam curam commendant. *Bar in mart. c. 4.*

25. Verum quo animi studio S. Cyprianus beatorum martyrum memoriam suis recolendam jugiter voluerit, conscripta ad Clerum Carthaginensem epistola testimonium perhibet, quibus id unum præcipue ingerit, ut dies eorum, qui ex hac vita migrarent, diligenter adnotarent, ut videlicet sanctorum instar martyrum certis diebus more majorum eorum celebritas anniversaria oblatione sacrificii ageretur solemniter, cujus hæc sunt verba: *Denique & dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus: quamquam Tertullianus, fidelissimus, & devotissimus frater pro cætera solicitudine, & cura sua, quam fratribus in omni obsequio impertit, qui nec illic circa curam corporum deest, scripserit, ac scribat, & significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriæ mortis exitu transeunt Domino protegente.* Ex quibus profecto legenti palam fit, qua solicitudine martyrio coronatorum nomina à Christianis, ut cultus eisdem promeritus impenderetur, adnotari consueverant.

Cypr. ep. ad Presb. & diac. Sam. ep. 34.

26. Colligebantur quippe pari adhibito studio tam martyrum beatorum pignora, quam eorundem nomina, & in libro isthæc prænotabantur, ut anniversarius eorundem dies, quo par est, honore celebrari posset, prout ex Smyrnensium epist. apud Euseb lib. 4. cap. 15. de sanctis Polycarpi ossibus post nobile consummatum igne martyrium in hæc verba legitur: *Ambusta ejus ossa pretiosissimis gemmis cariora, & omni auro probabiliora per ignem facta, collegimus, & sicut conveniebat ex more condidimus, quo in loco etiam nunc præstante Domino solemnes agimus celebresque conventus, maxime quidem in die passionis ejus, sed & cum eorum memoria, qui prius passi fuerant, celebramus, ut sequentium animi ad præcessorum viam exemplis insignibus suscitentur.* Quæ item epistola apud Baronium ex Rufini versione recensetur. Ex utraque verò epistola, ut idem Baronius subdit, perantiquus Ecclesiæ mos tum in condendis, tum in venerandis sacris martyrum reliquiis egregie commendatur, tum etiam de festivis natalium eorundem diebus celebrandis vetus traditio, ac in omnibus explorata redditur: quin immo, ut laudatissimus idem mos comprobetur, sub Christi ann. 302. Nicomediensium quidem martyrum reliquias ad abolendam eorumdem memoriam dissipatas fuisse tradit his verbis Eusebius: *Famulos illos regios post mortem decoro, & celebri funere terræ mandatos, Imperatores, qui eorum domini putabantur, rursum de integro effodiendos, in mareque præcipitandos sententiis decreverunt, ne, ut eorum ferebat opinio, quidam eos in sepulchris, & monumentis conditos, Deos esse reputantes, divina veneratione prosequerentur.* Hæc autem idcirco persecutores impii, Baronio edisserente, factitabant, quod, ut aliis quoque innumeris exemplis innotescit, fideles sanctorum martyrum reliquias præcipuo honoris cultu in Cœmeteriis prosequi consuevissent.

Apud Euf. l. 4. c. 15.

S. Polycarpus martyr.

Bar. an. 302. n. 2. Euf. l. 8. c. 6. Martyres Nicomedienses.

27 Cum igitur adeo exacte martyrum nomina in Christianorum monumentis describerentur, Martyrologii potissimum conscribendi occasio facta est, cum enim frequens martyrum numerus suppeteret: *Decem enim illis, quas numerant*, ut Baronius ait, *persecutionibus, in unaquaque provincia necatos esse quamplurimos nemo poterit dubitare, atque in chartis Ecclesiæ singulorum nomina, & dies; quibus martyrium consummassent, notata haberentur, ex iisdem Ecclesiasticis monumentis pridie diei natalis, ut hodie in Martyrologio fit, eorum nomina, quorum natalitia die insequenti celebranda essent, annunciabantur.* Porro Ecclesiasticæ ejuscemodi tabulæ, quibus singillatim martyrum nomina, ac natalitia prænotabantur, haud alio quam fastorum titulo apud Tertullianum appellatæ sunt, ut optime ac erudite Pamelius in epist. 3. Cypriani edisserit. Tertullianus enim lib. de Coron. militis hæc refert: *Habes tuos census, tuos fastos, nil tibi cum gaudiis seculi.* Christianis quippe una simul in natalitiis martyrum coëuntibus gaudere mos extitit. Nazianzenus item consuetudini insistens solemni, martyrum memoriam lætitia recolendam esse pronunciat: *Omnium quidem martyrum*, inquit, *memoria læta solemnitate celebranda est.*

Maryrologium.

Bar in mart c. 4.

Tabulæ Ecclesiasticæ.

Tert. l. de cor. mil.

Naz. in laud. Cypr. m.

28 Cum studiose igitur martyrum olim nomina perquirerentur, eorundem sepulchris prænotata affigebantur, vel certe numeri dumtaxat, ubi singulorum nomina, præ nimia interfectorum copia singillatim insculpendi haud facultas suppeteret, lapidibus incidebantur. Quis enim immenso prorsus interdum exuberante numero, singulorum pugilum nomina, vel diligentissime conquisita assequi poterat? tot enim ac tantis Ecclesia martyrum agminibus referta decoratur, ut si dinumerare quis velit, innumerabiles plane eosdem comperiat, juxta illud Psalmistæ oraculum: *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*: quod quidem congrue beatis Christi martyribus adaptari posse videtur, quorum numerus tot persecutionibus, quibus fides Christi jugiter impetita sanguine redundavit, immane adauctus est, & ipsiusmet Regii Prophetæ oraculo eorundem martyrum numerus, ac splendor mirifice innotescit, dum ait: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum, dinumerabo eos, &c.* Apte enim locum hunc in rem præsentem Genebrardus his verbis edisserit: *Certe hoc loco multiplicatio amicorum Dei exprimitur, superque arenam maris futura dicitur.* Et quidem congrue de iisdem in Apocal. c. 7. Ioannes ait: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*,

Quid numeri Martyrum sepulchris insculpti significent.

Psal. 138.

psal. 138.

Gen expos. in psal. 138.

Apoc. c. 7. n. 9.

At-

Numerus martyrum innumerabilis. *Caſſ. l. 1. var. ep. 10.*

Attamen licet eorum numerus ſuper maris arenam excreverit, ſola dumtaxat Dei notitia dinumerari poteſt: nam ut Caſſiodorus ait: *Quantitate numerabili arena maris, guta pluviarum, ſtellæ lucidæ concluduntur: auctori quippe ſuo omnis creatura ſub numero eſt.* Et quidem licet copioſus martyrum numerus exiſteret, eorundem tamen pia fidelium manu collectis, conſcriptiſque nominibus Gregorius Papa teſtis accedit, qui epiſt. 29. lib. 7. indic. 1. ad Eulogium Epiſcopum his plane verbis ediſſerit: *Nos pene omnium martyrum diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolemnia agimus, non tamen eodem volumine quis qualiter ſit paſſus, indicatur, ſed tantum locus, & dies paſſionis ponitur, unde fit, ut multi ex diverſis terris, atque provinciis per dies, ut prædixi, ſingulos cognoſcantur martyrio coronati.*

Martyrologium

29 Porro hoc ſimplex, & abſque ullo additamento Romanum, ut Baronius ait, Martyrologium, idemque perbreve fuiſſe aſſerendum videtur, in quo tantum nomina martyrum, locus, ac dies paſſionis deſcripti recenſerentur. Illudmet ipſum videlicet, cujus Ado in ſui Martyrologii præfatione his verbis meminit: *Huic operi*, inquit, *ut dies martyrum veriſſime notarentur, qui confuſi in Kalendariis inveniri ſolent, adjuvit nos venerabile, & perantiquum Martyrologium ab urbe Aquileja cuidam S. Epiſcopo à Pontifice Romano directum, &c.*

Ado in præf. Mart.

Rom. Eccleſiæ in martyrum actis colligendis cura.

30 Perpetuo igitur labore, ac ſtudio Romana Eccleſia in martyrum nominibus deſcribendis inſtitit, & vel tunc maxime cum perſecutionum procellæ acerbiores impeterent: verum haud cunctorum nomina ſingillatim in album præ nimia multitudine referri potuere: ipſi quippe *ſancti martyres*, ut Gregorius ait hom. 26. in Euang. *Deo numerabiles, nobis ſuper arenam multiplicati ſunt, quia quot ſunt, à nobis comprehendi non poſſunt: novit enim tantum ille, qui*, ut habet pſal. 145. *numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomine vocat.* Iam totus quippe terrarum Orbis, & Vrbs demum ipſa ſacro martyrum cruore referta, palmis jugiter, & coronis rutilat: *Totum mundum*, inquit Gregorius, *fratres aſpicite, martyribus plenus eſt.* Et paribus quidem verbis Gregorio Cyprianus, ubi de martyrum numero loquitur, apteque in rem præſentem adſtipulatur: *Hoc ampliorem*, inquit, *gloriam computantes temporis noſtri, quod cum vetera exempla numerentur, exuberante poſtmodum copia virtutis, & fidei numerari non poſſunt martyres Chriſtiani, teſtante Apocalypſi, & dicente: Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.*

Greg. ho 26. in Euang. — *pſal. 145.* — *Greg. ho. 27. in Euang.*

Triginta millia martyrum in ſingulos anni dies numerantur. *Genebr. expoſ. in pſal. 78. v. 4.*

31 Tam ingenti igitur martyrum numero Chriſti Eccleſia ſplendet, ac diteſcit, ut in ſacris quotidie faſtis multorum millia recenſeri valeant, quod diſertiſſimis in rem præſentem verbis Genebrardus in Pſalmor. elucidatione conſtanter enuntiat: *Magna quidem*, inquit ille, *copia, quæ tanta, ut aliqui in ſingulos anni dies numerent ad triginta millia martyrum.* Et in Romana quidem Vrbe, ubi Romani Imperii principatus ſedem fixit, & ubi tyrannorum furor acrius deſæviit, ampliorem olim martyrum numerum extitiſſe proculdubio aſſerendum eſt: cum enim juges, ac copioſæ hic ſtrages contingerent, haud ſingulorum nomina deſcribi, ſed confuſe pia Chriſtianorum manu in Cœmeteria tumulanda eorundem corpora inferri neceſſitas compellebat: quamobrem haud mirum, ſi ſepulchra paſſim inter perſcrutandum ſine titulo, ac nomine, non tamen ipſius martyrii ſymbolo orbata, conſpiciuntur.

Acta ac memoriæ martyrum ab ethnicis per invidiam abolitæ.

32 Et plurima quidem nobiliſſima martyrum, quæ ſcriptis conſignata fuerant, monimenta perſecutorum, & Diocletiani præſertim, tum invidiatum immanitate ignibus addicta, nobis in præſens deſiderari contigit: quin & ipſiſmet ſepulchris deleta nomina, & martyrum item unà cum actibus memorias igne abolitas jure aliquando Prudentius in Hymno de SS. Hemeterio, & Cheledonio vehementius indoluit:

Invidentur nobis iſta,
Fama & ipſa extinguitur:
Chartulas blaſphemus olim
Nam ſatelles abſtulit,
Ne tenacibus libellis
Erudita ſecula
Ordinem, tempus, modumque
Paſſionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Poſterorum ſpargerent.

Notæ, ac ſymbola martyrum ſepulchris cur ac quo modo inciderentur.

Verum ut ad perſcrutanda ſacra beatorum martyrum ſepulchra certis quibuſdam interdum numeris ac notis, ut paſſim videre eſt, prænotata redeamus: cum hi, qui cæteris tunc pietate, nec non ſapientia præſtabant, Chriſtianæ fidei cultores vel ipſamet interdum recolenda Martyrum nomina ignorarent, vel probe jam nota ſtudioſe atque ex induſtria ſilentio celarent, nonnulla tamen ſigna, vel certa, quædam ſepulchralibus tabulis ſymbola plerumque apponere, & hæc in aliquo ſubinde libello, aut codice privatim apud ſe deſcribere hac ratione conſueverunt, ut ſub ſingulis videlicet notis, quas palam ſepulchro inſculpſerant, ſingulorum ibidem conditorum martyrum nomina, patriam, proſapiam, necis cauſam, martyrii genus, & perſecutionis demum, ſub qua deceſſerant, tempus, ne minimum quid oblivione intercideret, ſcriptis diligenter ſingula conſignarent. Quod quidem ex Prudentii Periſteph. hymno 11. ſatis aperte colligitur, ubi beati martyris Hippolyti Cœmeterium, quod ipſemet ſub anni Chriſti 390. curioſis oculis perluſtraverat, exacte deſcribens, tunc temporis videlicet, quando recens adhuc ubique Martyrum ſanguis fervebat, & ejuſcemodi notæ primævos apud Chriſtianos notiſſimæ habebant, iſthæc carminibus eleganter cecinit:

Prud. in periſt. hym. 11

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Vrbe
Vidimus, ô Chriſto Valeriane ſacer.
Inciſos tumulis titulos, tu ſingula quæris
Nomina, difficile eſt, ut replicare queam.
Tantos juſtorum populos furor impius hauſit,
Cum coleret patrios Troïa Roma Deos.
Plurima literulis ſignata ſepulchra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ ſolum ſignificant numerum.
Quanta virum jaceant congeſtis corpora acervis
Noſſe licet, quorum nomina nulla legis.
Sexaginta illic defoſſas mole ſub una
Relliquias, memini me didiciſſe hominum;
Quorum ſolus habet comperta vocabula Chriſtus,
Vtpote quos propriæ junxit amicitiæ, &c.

Hæc, inquam, Prudentii carmina velut nobiliſſima ſacræ, recolendæque antiquitatis monimenta Chriſtianorum animis jugiter repetenda ſunt. Ab oculato igitur teſte omni fide digniſſimo innumeros


plane

plane in ſacris Subterraneæ Romæ in Cœmeteriis martyres requieſcere palam didicimus, ut illis profecto verbis luce clarius comprobari videtur: *Tantos juſtorum populos, &c.* In quorum tamen ſepulchris nudum dumtaxat nomen inſcriptum, vel ſimplex quidam numerus prænotatus, aut character aliquis, ſeu literulæ nota marmori inciſa vel certe aliud quoddam ſymbolum, aut hieroglyphicum exſculptum atque exaratum conſpicitur; quod quidem ipſemet Prudentius eo potiſſimum vocabulo innuiſſe viſus eſt, dum hoc idem alio nomine *epigramma* appellat, quæ quidem epigrammatis vox, à Græco vocabulo ἐπιγράφω corrivata inſcriptionem ſonat. Sic enim illæ antiquitus notæ vulgo dicebantur, quibus in ipſamet facie, perpetuæ ignominiæ cauſa perſecutorum manu inuri, aut certe inſcribi martyres conſueverant. Vnde Petronius Arbiter in ſatyris, ubi de notis ac ſtigmatibus, quæ ſervorum frontibus inſcribi mos erat, hæc ait: *Notum fugitivorum epigramma liberali manu duxit.* De his autem nos ſupra lib. 1. hujus Subterraneæ Romæ cum de præcipuis martyrum cruciamentis ſermo incurreret, vel obiter meminimus. Nunc vero ut reliqua Cœmeterialium monumentorum inſignia perſcrutemur, annulos quoque in pluribus beatorum martyrum ſepulchris reperiri contigit, quos ipſemet Boſius ſe multoties reperiſſe, & Baronius quoque apud Priſcillæ Cœmeterium oculatiſſimi teſtes ſe vidiſſe teſtantur, & quidem ad hanc uſque diem nonnulla ſaltem, quæ ipſis è ruderibus quondam eruta veluti nobiliſſima ſacræ antiquitatis ſpolia ſuperſunt, eorundem veſtigia contemplantibus exhibent. Quocirca opportune quidem præter Cœmeteriales annulos tum Euangelici paſtoris typo, tum Deiparæ Virginis imagine prænotatos, quos tibi ſupra contemplandos obtulimus, nobis hæc ſcribentibus alter ex ejuſcemodi Chriſtianorum annulis ab Illuſtriſs. Felice Rondanina conſpicuæ pietatis matrona, his plane notis exculptus (IVSTVS videlicet) inſpiciendus, contemplanduſque oblatus eſt, qui ex Cœmeterio B. Agnetis Nomentana Via inter perſcrutandum ad manus, & ſubinde in lucem venit, cujus hic ex prototypo excerptam fideliter iconem, velut recolendum ſacræ antiquitatis monimentum exhibemus.

Stigma ſervis inuri ſolitum epigramma etiam dicebatur.

Petron. Arbit. in ſat.

Annuli in martyrum ſepulchris reperti.



Hi vero vulgo ſignatorii ab antiquis annuli nuncupabantur; de quibus. *l. ſignatorius* de verb. ſignif. Antiqui enim, ut hiſtoriæ perhibent, literas, arcas, cellas vinarias, & id genus alia annulo, ut fuſius ſuo infra loco enarrabitur obſignabant. Sic Budæus lib. 3. de Aſſe, annulos olim Romæ haud ornamenti, ſed res obſignandi cauſa inſtitutos fuiſſe edocet. Et Plinius lib. 33. pennarias quoque arcas, ne quæ ibidem aſſervabantur, ſervorum manu ſurriperentur, obſignari conſueviſſe, his plane verbis affirmat: *Quæ fuit illa priſcorum vita, qualis innocentia in qua nihil ſignabatur; at nunc cibi quoque & potus annulo vindicantur à rapina.* Ad quod comprobandum haud multa nobis in medium proferre opus eſt, cum ex Suetonio in Auguſto, ex Dione in Galba, Apulejo, lib. 10. de Aſino aureo, & aliis rerum hiſtoricarum ſcriptoribus idem apud antiquos uſu receptum fuiſſe ſatis conſtet. Sed ut profanorum hac de re ſcriptorum teſtimonia, & antiquorum pariter ſeculorum mores, in alium ſubinde locum rejicientes, hic conſulto taceamus, certe ſignatorii uſus annuli ex pluribus ſacrarum literarum paginis evidenti teſtimonio convincitur, & præcipue ex l. 3. Reg. c. 21. ubi de Iezzabelis reginæ epiſtola ipſius Achabi regis annulo obſignata iſthæc apte in rem præſentem habentur: *Scripſit itaque literas ex nomine Achab, & ſignavit eas annulo ejus.* Idem plane lib. 3. Eſther de conſcripta ab Aſſuero adverſus Hebræos, Amano inſtigante, epiſtola, ejuſdemque pariter annulo conſignata his quidem verbis aſſeritur: *Tulit ergo Rex annulum, quo utebatur, de manu ſua, & dedit eum Aman.* Et hæc infra: *Scriptum eſt ex nomine Regis Aſſueri, & literæ ſignatæ ipſius annulo miſſæ ſunt.* Et c. 8. ejuſdem item annuli mentio recurrit: *Scribito ergo Iudæis, ſicut vobis placet, ex Regis nomine ſignantes literas annulo meo.* Quibus hæc rurſus ad demonſtrandam antiquorum temporum conſuetudinem ſubtexuntur: *Hæc enim conſuetudo erat, ut epiſtolæ, quæ ex Regis nomine mitterentur, & illius annulo ſignatæ erant, nemo auderet contradicere.* Idem quoque ex lib. Danielis cap. 6. palam comprobari videtur, ubi de cavea, intra quam leones aſſervabantur, ac de Belis templo, regio itidem annulo, ne qua fraus contingeret, obſignatis ſermo ingeritur, videlicet: *Allatuſque eſt lapis, &c. quem obſignavit Rex annulo ſuo, & annulo optimatum ſuorum.* Quibus ſubjicienda ſunt quæ ſubinde de Belis templo hunc in modum obſignato cap. 14. hiſce verbis enarrantur: *Claude oſtium, & ſigna annulo tuo.*

Annulorum inſtar clavium uſus.

Bud. l. 3 de aſſe. Plin. l. 33.

Suet. in Aug. Dio in Galba. Apul. l. 10. de aſino aur.

Lib. 3. Reg. c. 12.

Lib. 3 Heſter.

Lib. 3. Heſter. c. 8.

Dan. c. 6.

Ibid. c. 14.

33 Verum è ſcriptoribus haud pauci de ejuſcemodi annulis diſerte agunt, inter quos Abraham Gorcus præcipuus eſt: hic enim in ſua Dactyliotheca quamplura eorundem exempla atque exemplaria unà cum inſignibus, quæ iiſdem in annulis delineata ſunt, ſtudioſo lectori pro antiquitatis, quam præſeferunt, merito haudquam aſpernenda, deſcribit. At nobis exclamare hic liceat: Vtinam, utinam, in quam, Baronius ac Boſius, qui adeò præclare de ſacra antiquaria meriti ſunt, iis potiſſimum annulis ac ſignis, quorum paſſim meminere, eadem quoque tabulis, ac monimentis conſignando, ad poſterorum oculos ac manus tranſmittendis ſedulam pariter operam impendiſſent. Multa inde profecto nobis Chriſtianorum notitia ac pietate condigna, nobilibus exemplaribus hiſce ſuppeditata fuiſſent, quæ nunc tenebris obvoluta & ſilentio addicta, pios ac ſtudioſos viros latere dolendum eſt. Porro etſi certam omnimodamque rerum notitiam non teneamus, tuto tamen conjectari quis valet, præclariſſima Chriſtianæ Religionis iiſdem annulis ſigna exarata fuiſſe, & ipſamet fortaſſe, quæ à Clemente Alexandrino, ut alibi diximus, pio contemplanda lectori propoſita fuere.

Abraham Gorcus in Dactyliotheca.

34 Sed quoniam opportuna de ſignatoriis Chriſtianorum annulis mentio incidit, antiquiſſimum plane annulorum uſum extitiſſe vel ex ſacris hiſtorialibus conſcriptis à Moyſe paginis comprobatur, ex quibus Iudas Thamari annulum pignoris loco, ac velut fidei ſervandæ pignus dediſſe legitur: *Quid tibi vis? inquit, pro arrhabone? Reſpondit annulum tuum.*

Antiquiſſimus annulorum uſus.

Gen. c. 38. c. 28.

tuum. Pharaonem inſuper Ægypti regem poſt ſomnii præſtitam ſibi Ioſephi opera elucidationem, detractum digito annulum ejuſdem manui inſeruiſſe hunc in modum deſcribitur: *Tulitque annulum dedit eum in manu ejus.* Annulum vero (de quo ſermo eſt) haud honorarium, ſed ſignatorium eidem ac ſi in bene totius regni adminiſtranda provincia & in conſiliis primati, ac velut proregi, ad regia videlicet mandata eodem obſignanda, concreditum fuiſſe convincitur. Ejuſcemodi autem annulorum tum in ſacris ſupra recenſitis tabulis, Eſther, Danielis, tum etiam Machabæorum cap. 6. verſ. 14. mentio recurrit. Quamvis igitur nonnulli ad ſua rem derivantes principia, à Trojanis, ac Lacedæmoniis primævam annulorum originem auſpicentur, nobis tamen ex ipſiſmet ſacris hiſtorialibus paginis, & longe quidem ante hæc tempora, uſui fuiſſe compertum ſit: ſacræ etenim quæ ſuppetunt, hiſtoriæ, quarumvis gentium annalibus, tam antiquitate, quam certitudine longe præcellunt.

Gen.c.41. v.42.

Eſter.c.3.v.2. Dan.c.6. v.17. 1.Mach.c.6 v.15.

35 Et primo quidem ſi annuli ipſius etymologiam, hic de annulo ediſſerentes perquiramus; *An* particula idem plane quod circum, ac vinculum antiquorum auribus inſonat. Ex quo celebre illud vulgatumque Pythagoræ ſymbolum concinnatum eſt, qui arctum digito annulum geſtari prohibuit; quod quidem, ex Hieronymi ſententia, haud anxio, ancipitique vivendum animo, & ne quis ſervituti, quæ nimis dura, ac permoleſta eſt, ſe ultro adjiciat, optime cavendum edocet, ut apte Pierius lib. 36. Hierogl. ſcribit. A circulari igitur forma ipſiuſmet annuli nomen derivatum noſcitur: qua item ratione ab interlapſorum menſium, dierumque circuitu annus itidem appellatus eſt, eo quod apud veteres *An* pro circuitu uſurpetur, vel quod hanc certe ab annulo, ut ipſius Varronis ſententiæ inhæreamus, determinationem provenire contingat. Et quidem inter ſapientiſſima Pythagoræ monita, quæ vulgo Symbola nuncupantur, ne quis videlicet annulum Dei inſignitum imagine aliquando deferat, diſtricte præcipitur. Porro pium hoc Pythagoricum dogma conſcriptis à Moyſe, ut optime Clemens Alexandrinus ediſſerit, oraculis de omni amovenda, ac nullatenus effingenda imagine, utpote quæ divini numinis majeſtatem minus condeceat, mirifice in rem præſentem quadrare videtur: ſiquidem aſſidua, quæ in promptu ſunt, videndi conſuetudo rerum pretia, æſtimationemque minuendo contemptum animo ingerit.

Annuli etymologia.

Pier.l.36. hier.

Annus unde nomen ſuum ſortitus ſit?

Pythagoræ monitum. *Clem. Alex l. 5.*

36 Verum Pythagoricum, quod nunc præfertur, præceptum, nec Græcis, nec Romanis olim probatum eſt: innumeras quippe antiquas annulares gemmas uſque nunc videre eſt, in quibus elaboratas affabre Deorum imagines, & id genus alia vanæ ſuperſtitionis ſymbola inſculpi contigit. Quinimmo haud ipſorum dumtaxat Deorum, ſed virorum quoque principum eleganter inſculptæ annulis imagines exhibebantur. Quamobrem Plinius junior lib. 10. cap. 16. gemmæ cujuſdam Procori Regis imaginem præſeferentis meminit, quod Suetonius pariter in Tiberio diſertis verbis confirmat. Suorum inſuper magiſtrorum ipſimet Philoſophicarum Academiarum ſectatores expreſſam in annulis effigiem de more geſtabant, ut illos videlicet ſemper præ oculis haberent. Quod præſertim de Epicuri ſectatoribus Cicero in hæc plane verba teſtatur: *Nec tamen Epicuri licet oblivisci, cujus imaginem non modo in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis, & in annulis habent.* Porro quod amicorum imagines ipſiſmet annulis inſculperentur, Ovid. eleg. 6. lib. 1. Triſtium inſinuat, & ex quampluribus item annulis Socratem, Platonem, alioſque Philoſophorum anteſignanos, ſicut & Regum, ac Alexandri præſeferentibus convinci poteſt. At ne noſtra longius aberret oratio, innumeri plane ad manum annuli ſuppetunt, qui Iovis, Martis, Mercurii, Solis, Fortunæ, Serapidis, Cereris, aliaque gentilium altius inter tenebras quondam delirantium figmenta intuentibus contemplanda exhibeant. Hi vero annuli haud ex uno, eodemque metalli genere, ſed ferro, ære, argento, auroque interdum elaborati, gemmiſque eleganter exculti conſpiciuntur.

Deorum imagines annulis inſculptas geſtandi olim mos.

Et Principum.

Plin.l.10 c.16.

Suet. in Tib. Et magiſtrorum, ac Philoſophorum.

Ovid.l.1. triſt.eleg.6.

37 Verum enimvero hi haud nudi dumtaxat, ut nil lectorem prætereat, annuli, ſed multiplicibus quidem hiſtoriis rebuſque præclaris geſtis, atque aliis id genus imaginibus prænotabantur. Seleuci quippe anchora annulo ab antiquis, ut Appianus de bellis Syriac. refert. inſculpta cernebatur. Syllæ vero poſt devictum, debellatumque Iugurtham annulus, ejuſdem Iugurthæ typo, ut Plutarchus in Syllæ, ac Marii geſtis, Valer. Maxim. lib. 8. cap. 15. ediſſerunt, nobiliter exſculptus eſt. Porro, quod ad ſymbolicas nunc imagines pertinet, Plinius Harpocratis preſſo, ſignatoque ore ſilentium prænotantis imaginem annulo ab antiquis inditam fuiſſe deſcribit. Fidei inſuper ac fidelitatis ſymbolum, ut Pierius Valer. lib. 36. & lib. 41. edocet, annulo deſignabatur. Et olim quidem apud Ægyptios neceſſitatis ſymbolum, & teſſeram pariter annulus præſeferebat: ſub nodi enim, ac circuli typo, qui duabus in caduceo una ſimul coëuntibus anguibus efformabatur, neceſſitas intuenti palam fiebat, ut Macrobius lib. 1. Saturn. & Pacianus lib. 2. de probat. cap. 42. aſſerunt. Nobilitatis item, ac bellicæ virtutis inſigne ipſiuſmet geſtatorii annuli ambitu adumbratur, quod & haſtæ, vexilla, phaleræ, coronæ civicæ ſymbolum, Pierio teſte lib. 41. hieroglyphicorum, exhibebant. Apud Romanos vero annulus digito inſertus, peculiare Equeſtris Ordinis, quo à plebeiis ſecernebantur, ut Hopping. de jure ſigillorum c. 146. ait, ornamentum extitit.

Hiſtoriæ geſtaque præclara annulis inſculpendi mos.

Appian. de bel.Syrac.

Plut de Syll. ac Mar. geſt. Val Max.l. 8.c.15.

Pier.Val.l. 36.l.41.

Annulus ſymbolum neceſſitatis.

Mar.l.1.c. Sat. Pac. l. 2. de prob. c. 42.

Et nobilitatis inſigne.

Pier.l.41. hier.

Hopping de jur. ſigil.c. 146.

38 Porro ingenui à ſervilis notæ, ac infimæ conditionis hominibus annulo potiſſimum diſtinguebantur: quod & in ſacrarum literarum paginis in Euangelica parabola eleganter ingeritur: *Date annulum in manu ejus*, Lucæ 15. Quem quidem virorum ingenuorum annulum aureum profecto, qui nec ſervis, nec libertis competit, extitiſſe, ex D. Iacobi epiſt. cap. 2. ſatis comprobare videtur. Libertini quippe, ut rem altius repetamus, argenteo, ſervi ferreo, ipſius beneficio principis, annulo utebantur, ut lib. 11. affirmat. Haud tamen hic ſilentio prætereundum eſt, ferreos quoque à Romanis inſertos digito annulos nobilitatis, ac bellicæ virtutis oſtentandæ gratia, ut Plinius docet lib. 33. cap. 1. geſtari conſueviſſe. Verum devicta poſtmodum, redactaque in ditionem Aſia, ferreis, utpote rudioribus, rejectis è digito annullis, auctoque immane interim hominum luxu, aureos digito Romani annulos inſeruere. Multiplicium vero annulorum antiquos apud ſcriptores uſus, æſtivorum videlicet, atque hiemalium, paſſim deprehenditur, ut Iuvenalis Sat. 1. his carminibus docet:

Luc.c.15.

Ingenui à ſervis annulo diſtinguebantur. *Iac.ep.c.2.*

Lipſius.l.11.

Ferreus annulus bellicam virtutem olim denotabat. *Plin.l.33.c.1.*

Annuli æſtivi, & hiemales.

Ventilet æſtivum digitis ſudantibus aurum,
Nec ſufferre queat majoris pondera gemmæ.

Iuven ſat.1.

De

Martial. ep. 63. l. 5. De levioris subinde ponderis ac momenti annulis eleganter quidem Martialis cecinit:

Per cujus digitos currit levis annulus omnes.

Natalitii. Natalitii quoque annuli, qui festivo illo dumtaxat die deferebatur, Persius Sat. 1. hoc quidem carmine meminit:

Pers. Sat. 1. *Et natalitia tandem cum sardonyche albus.*

Munus Annulare. Mart. ep. 122. l. 14. Cic. or. 3. in Ver. Verum annulos pretiosi instar muneris ab antiquis olim donari mos extitit, ut Martialis epig. 122. lib. 14. & ipsemet Cicero orat. 5. in Verrem apte aperteque in rem præsentem edisserit: *Sæpe enim*, inquit, *nostri Imperatores superatis hostibus, optime republica gesta, scribas suos annulis aureis in concione donarunt.* Quod pretiosum annulare munus ad luxum dumtaxat animi corporisque portendendum Iuvenalis Sat. 6. hunc in modum perstringit:

—— *Ciceroni nemo ducentos*

Iuven. Sat. 6 *Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.*

Et annuli quidem quod ex ipso antiquorum more nobile quoddam munus præseferunt, Innocentius III. Romanus Pont. locupletissimo præ cæteris symbolo testatum voluit, cum Richardo Angliæ regi, ut sui erga eumdem animi benevolentiam apprime commendaret, quatuor nobilissimos ad eumdem, adjuncta epistola, annulos transmisit, ut Odoricus Rinaldus noster, Congregationis Orat. in 13. suorum Annalium Ecclesiasticorum Tomo his plane verbis ex Pontificia excerptis epistola luculenter edisserit: *Quatuor annulos*, Pontifex inquit, *aureos cum diversis lapidibus pretiosis magnitudini tuæ destinamus, &c.* Et paulo infra isthæc subtexit: *Vt mysterium potius quam donum attendas: rotunditas enim æternitatem significat, quæ initio caret, & fine. Habet igitur Regalis prudentia, quid in annuli forma requirat, ut de terrenis transeat ad cælestia, de temporalibus ad æterna procedat.* Plura vero subinde de symbolico eorundem annulorum numero, ad prænotanda videlicet nobilissimarum virtutum Iustitiæ, Fortitudinis, Prudentiæ, & Temperantiæ insignia in rem apte prosequitur, quæ qui nosse cupit, ipsummet auctorem consulat.

Odor. Rinald. to. Annal. 13.

Eorum mysterium declarat.

Annuli signatorii. 39 Interim vero, ubi opportunus de annulis sermo est, etsi aliqua summatim lectori innuerimus, haud hic interim silentio obvolvimus, annulos quoque ad obsignandum, quæ domi servabantur, adhibitos fuisse, annulis enim cellas, dolia, utensilia, epistolas item ac testamenta, quæ secreta usque ad mortem esse volebant, caute præsignabant, annulisque clavium instar ad claudendum, ut Tacitus lib. 2. annalium ait, utebantur: *Irridebantur*, inquit *& Græci comites, ac vilissima utensilium annulo clausa.* In quem locum plura deinde Lipsius congerit. Quapropter pater pluribus quidem testamento filiis hæredibus nuncupatis, vel moriens claves una cum annulo custodiæ adhibendæ gratia majori natu inter filios tradere consueverat l. 79. §. Pater pluribus. de legat. 2. *Annulis quippe nostris*, ut Seneca ait, *plusquam animis credimus.* His autem annulis signa ad contractus valide constanterque roborandos apponi consueverant: cum enim testamentariis, aut matrimonialibus tabulis, aut cæteris pactionum, sponsionumque chirographis, quæ meminimus, signa adhiberentur, totum se Deo teste antiqui præstare arbitrabantur. Porrò annulli isti, *sigillares*, *sigillarii*, & *signatici*, eo quod signa, imaginesque præferrent, apud omnes vulgo appellabantur, de quibus apte Q. Curtius lib. 3. locutus hæc ait: *Epistolamque sigillo annuli sui impressam pulvino, cui incumbebat, subjecit.* Vopiscus item ejuscemodi annulorum in Aureliano his verbis meminit: *Vxori, & filiæ annulum sigillaricium quasi privatus instituit.* Quintus vero frater lib. 16. epist. ad Tironem ait: *Sicuti etiam matrem meam facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur aliquæ inanes fuisse.* De quibus item in suis eleganter carminibus Horatius lib. 2. ep. 2.

Tac. l. 2. Ann.

Sen. l. 9. de ben. c. 15.

Q. Curt. l. 3.

Vopisc. in Aur.

Q. Frat. l. 16. ad Tiron.

Et signo læso non insanire lagenæ.

Hor. l. 2. ep. 2.

De his item Plautus in Casina hæc habet:

Plaut. in Cas.

Obsignate cellas, referte annulum ad me.

Annulos signatorios morientes amicissimo tradebant. 40 Porro quoniam de signatoriis annulis adhuc sermo est, hi quidem à morientibus nonnisi spectatæ probatæque fidei hominibus credi consueverant, ut Q. Curtius lib. 10. ab Alexandro Magno præstitum refert, qui gravi morbo decumbens detractum digito annulum, supremæ quidem potestatis, ac veluti hæreditarium ipsiusmet regni jus Perdiccæ tradidit. Augusti pariter Imperatoris annulus, ut Dio scribit, Mecœnati, atque Agrippæ intimis consiliariis concreditus est. Tiberius quoque gravi morbo laborans digito annulum, ac si alteri eundem traditurus extraxit, eundemque subinde, re infecta, digito inseruit.

Q. Curt. l. 10.

Dio in vit. Tib.

41 Arrhæ item ac sponsiones olim annulo interveniente celebrari mos erat, ut lib. 5. de Instit. act. sponsæ item à viris annulo, ut Iuvenalis Sat. 6. edocet, donabantur. Quod & Tertullianus muliebrem luxum perstringens, diserte his verbis inculcat: *Circa fœminas*, inquit, *illa majorum instituta ceciderunt, quæ modestiæ, quæ sobrietati patrocinabantur, cum aurum nulla norat, præter uno digito, quem sponsus oppignorasset pronubo annulo.* Cui & Plinius egregie adstipulari videtur, dum lib. 33. cap. 1. naturalium histor. ferreum annulum, haud gemmis ullatenus excultum apud Romanos olim ad sponsas transmitti consuevisse affirmat. Ad quod concinne B. virgo, & martyr Agnes illis plane verbis de sponso loquens allusisse visa est: *Annulo suo*, inquit, *subarrhavit me Dominus meus Iesus Christus.*

Iuv. Sat. 6. Annulus pronubus. Tert. apol. c. 6.

Plin. l. 33 c. 1.

In act. S. Agnetis.

Annuli Christianorum quales olim essent? 42 Neque vero antiqui Christiani annulorum usum, qui apud cunctos inoleverat, reijciendum putarunt: quippe qui digitis aliorum more annulos inserendo, sacris item manus, atque animum symbolis jugiter excolere satagebant, ut vel ex pretiosis gemmis, ac metallis, quæ manibus inserta gestabant, ad altiorem rerum cælestium contemplationem unà cum oculis animus provocaretur. Quapropter haud consueta annulis symbola gentilium more, idolorum videlicet imagines, ensem, arcum, aut pocula, & cætera, quæ profanum redolent cultum, sed ex Clementis Alexandrini præscripto, columbam, piscem, navim, lyram, anchoram, vel piscatores symbolice delineabant, & sacrosancto insuper Christi nomine & Crucis vivificæ signo sponsales præsertim, ut Baronius adnotavit, prænotare annulos consueverant, ut pluribus passim petitis ab antiquitate exemplis convinci posse videtur. Quod vero mysticis, ut supra attigimus, annulos passim imaginibus prænotarent, nostra hæc quidem conjectura signatorio quodam ex annulo vetustissimo, ac crystallino satis probari videtur, qui in celebri Eminentissimi Francisci Cardinalis Barberini Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellar rei, & sacræ præsertim, antiquariæ apprime studiosi Musæo, inter cætera recolendæ antiquitatis, quæ

Baron. t. 1. an. 57.

quæ dignitate ac pretio ibidem conſpicua extant monimenta, in præſens aſſervatur. In præmemorato enim annulo, ut rem viſu explorantibus patet, ejuſcemodi notæ affabre inſculptæ apparent, quas una cum eodem exemplari ex prototypo diligenter excerptas, & tabulis impreſſas præſens pagina exhibebit.

Signum Tau in ſepulchris.

Inibi autem ſignum *Tau*, hoc eſt, ipſummet ſacroſanctum Chriſti Nomen, Græcis literis eleganter de more expreſſum, & *Alpha* item & *Omega* præcipua Græci videlicet idiomatis elementa prænotata hinc inde conſpiciuntur: ſerpentis quoque imago adumbratur, qui duobus intermedius gallinaceis, ſibi infenſiſſimis, vivifico dominicæ Crucis ſtipiti circumvolvitur; ubi inſuper illa Latinæ elocutionis verba inſculpta leguntur: *Salus.*

Alpha, & Omega.

43 Sed ne ſacroſanctum Chriſti nomen Græcis exaratum, ut vidimus, elementis, quod Cœmeterialibus tabulis tam frequens eſt, & nobili item annulo iſti è ſacris Cœmeteriis eruto pia Chriſtianorum manu inſculptum, cernitur, ingrato ſilentio prætereamus: *Ego ſum*, inquit Deus, *Alpha, & Omega, principium, & finis*, id eſt, principium cunctarum rerum earundemque finis. Congruo quippe Chriſtiani auguſtiſſimi hujuſce nominis ſymbolo, & Chriſto teſtimonium exhibere, ſuoſque ſepulchrales eodem titulo honoris gratia obſignare conati ſunt: divinæ etenim bonitatis, quæ infinitatis termino gaudet, conſona verborum periodo, incircumſcriptæque naturæ, quæ verbis haud umquam definiri valet, paucis admodum, ſed aptis in rem præſentem concepta verbis deſcriptio Chriſtianorum ore propinata eſt: juxta id profecto quod Moyſi olim ineffabile divinitatis nomen, ipſomet Deo ediſſerente, innotuit: *Ego ſum, qui ſum.* Ad probe enim humanis ingerendam auribus omnimodam gentilitiæ ſuperſtitionis idolorum à vero, illibatoque numine diſtantiam, iſta loquendi formula, ut martyr Iuſtinus ait, ipſius Dei oraculo percrebuit. Quod perinde eſt, ac ſi Deus inanem, futilemque idolorum cultum, ipſiſmet cultoribus in erroris propudium objiciens exprobrando diceret: Idololatriæ Deos potiſſimum, qui non ſunt, colunt: verbis autem ejuſcemodi divinitus Deo circumſcribendo aptatis, τὸ ergo *eſſentiæ pelagus plane immenſum*, ut Nyſſenus ait, *& interminum ſignificat.* Quippe, ut Bernardus apte eleganterque in rem præſentem ediſſerit: *Deus eſt, quod eſt, id eſt, ſuum ipſius & omnium aliarum rerum eſſe, ipſe omnibus eſt, ac per hoc quodammodo ſolus eſt. Sum qui ſum*, inquit Deus; ubi paucis admodum in dictione verborum ſyllabis immutatis, ingentique ſub uno eodemque verborum cortice mortalium auribus myſterio propinato, Hebræi hunc in modum ſymbolice legunt: *Ero, qui ero*, futurum videlicet præſentis loco temporis uſurpantes: Hebræis enim, quoad loquendi formulam idem plane ſonat dictio illa: *Ero, qui ero*, quod Latinis iſthæc: *Ego ſum, qui ſum*: nam ut diſerte Gregorius Nazianzenus edocet: τὸ *Erat, erit noſtri temporis, fluxæque naturæ ſegmenta ſunt, Deus autem ſemper eſt.* Quapropter *ſum, qui ſum*, ipſiuſmet Dei æternitatem aptiſſime deſignat, temporiſque noſtri volubilitati conſtanter opponitur, quæ per futurum, præſens, ac præteritum velut certis incertiſque temporum terminis extenditur, ac circumſcribitur: ſolius autem æternitatis, quæ totum jugiter eſt, ſemper & immutabiliter eſſe proprium eſt. Hinc egregie Iuſtinus martyr τὸ ὢ, inquit, *tria tempora complectitur.* Cui conſonis ſubinde verbis divinus ille Dionyſius, Dei naturam in lib. quem de divinis nominibus ſcripſit; apte eleganterque adumbraſſe viſus eſt, dum hæc ait: *Deus eſt ævum ævorum, & Rex ſeculorum, quia ipſe eſt eſſe exiſtentium, & exiſtens ante ſecula.* Iuxta quod & ipſi ſeptuaginta interpretes ea verba hunc in modum legunt, Ἐγώ εἰμι ὁ ὢν, *id eſt, ego ſum ille ens.*

Ineffabile nomen Dei.

Exod. c. 3. n. 14.

Iuſt. mart. exhor. ad gen.

Bern. l. 5. de conſid. ad Eug.

Exod. c. 3. n. 14

Iuſtin mart. exhor. ad gen.

Dion. Areop. de div. nom c. 5.

Deum ut principium & finem omnium Ethnici contemplati ſunt.

44 Et quidem ſapienter antiqui philoſophi naturæ dumtaxat lumine imbuti, dum altius de Deo, ut par eſt, philoſophari contendunt, eundem ſub recenſito hactenus principii ac finis rerum omnium ſymbolo, vel Deum à longe ſalutantes, aſſecuti fuiſſe videntur. Pindarus quippe præ cæteris oculatiſſimus Deum, ut principium ac finem his plane verbis contemplari didicit: *Deus*, inquit, *eſt, qui principium, medium, & finem rerum omnium continet.* Cui & Plato in divinis intime perſcrutandis lynceus pari verborum pondere adſtipulatur: *Deus eſt*, inquit, *qui univerſitatem rerum omnium complectitur.* Verum haud his duntaxat verbis divinitatem mortalibus adumbraſſe contentus, Deum principium, ac finem hunc in modum ediſſerendo deſcribit: *Deus*, inquit, *qui, ut vetus eſt verbum, principium, finem, mediaque omnia habet.* Thales quoque Mileſius abditiſſimam, imperſcrutandamque illam caligantibus oculis lucem perſcrutatus, *Deum principium ac finem univerſarum rerum* aſſeruit. Interrogatus quippe, Laetiro teſte, quid potiſſimum Deus eſſet, in hæc ſapienter verba reſpondit: *Quod principio, & fine caret.* Quocirca apud Ægyptios olim, qui ſapientia præcellentes, ſymbolicis occultiora quæque imaginibus in medium proferentes, auribus, oculiſque, ubi opus erat, ingerebant, circulus ipſe, ut Pierius refert, Dei hieroglyphicum extitit.

Prud. in Phyſ. hymn. 1.

Laer. in vit. Thaleſ.

Pier l. hierogl. c. 36.

Æternitas Dei deſcripta.

45 At divini quidem vim nominis, quod principium, ac finem cunctarum rerum in Chriſto exhibet, Joannes Apocal. cap. 1. verſ. 8. concinne, eleganterque in rem præſentem divinitus expreſſit, cum ait ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, quæ verba noſter ſubinde interpres hunc in modum ediſſerit: *Ab eo, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Dei igitur æternitatem, quæ principio, ac fine, cæterarum inſtar rerum, nullatenus clauditur, brevi dumtaxat elementorum numero Theologorum oculatiſſimus adumbraſſe voluit, quippe ut diſerte Auguſtinus affirmat: *Æternitas Dei eſt, ſubſtantia, quæ nihil habet mutabile, ibi nihil eſt præteritum quaſi jam non ſit, nihil eſt futurum, quaſi nondum ſit, quia non eſt ibi niſi eſt.* Quamobrem conſpicuus ille inter martyres Attalus condigna, uti par eſt, de ipſius Dei æternitate eructando eloquens, cum per contemptum ab Eugenio tyranno, quo Deus potiſſimum nomine cenſeretur, interrogatus fuiſſet, in hæc verba, ut Euſebius ait, ſcite reſpondit: *Qui plures ſunt, nominibus diſcernuntur, qui autem unus eſt, non indiget nomine.* Ita profecto ipſius Dei nomen ſapienti reſponſo ediſſerens, divinitati honorem, vel ſolo nominis præconio, detulit: cujus item nomen æternitatis ſymbolo inſculptum, conſcriptumque & nulla unquam ratione circumſcribendum unà cum Attalo, quem meminimus; Fructuoſus alter invictus Chriſti martyr, & re ac nomine pariter fructuoſus excoluit quià Gallieno principe invitatus, immo ad immolandum idolis per ſummam injuriam compulſus, conſtantiſſimi verbis impietatem ſuadenti hunc in modum re-

Apoc. c. 1. n. 1.

Aug. in pſ. 101.

S. Attali martyris de Dei nomine reſponſio.

Euſ. l. 6. hiſt. c. 3.

S. Fructuoſus martyr.

respondit: *Nolo sacrificare Diis Gallieni, sed æternum Deum, ac ipsius Gallieni creatorem colo veneror que.* Quod quidem martyris oraculum, ipsummet Deum, qui rerum omnium principium, ac finis est, ex nomine agnoscentis egregie Prudentius carminibus illis expressit.

Prud. hym. de S. Pruct.

Jussum est Cæsaris ore Galieni
Quod princeps colit, ut colamus omnes
Æternum colo principem dierum
Victorem, dominumque Galieni.

Idem igitur Deus est, ac ipsamet sibi bene constans æternitas, perenni quidem ambitu, principio, ac fine carens, universarumque rerum A & Ω, principium ac finis, ut optime in suis libris Boethius eleganti carmine adumbravit:

Boet. l. 3. de consol. car. 6.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum, Cælique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens, das cuncta moveri,
Quem non externæ pepulerunt figere causæ
Materiæ fluitantis opus, verum insita summi
Forma boni, livore carens, &c.

Incircumscriptam igitur, & ullo absque principio, ac termino immensam Dei bonitatem Christiani passim scriptores, ac poëta, ut eam mortalium menti ingererent, certatim describere, & tum pennicillo, tum calammo perhonorifice eamdem, ut vides, adumbrare conati sunt: quod vel ipsi poëtæ gentiles, & Horatius præ cæteris isthæc concinens egregie præstitit.

Hor. l. 5. carm.

Qui res hominum & Deorum,
Qui mare, qui terras, variisque mundum
—— *Temperat horis.*

His igitur vel obiter enarratis, quoniam ad suum cuncta oportet redire principium, ut ad fontem, ex quo dicendi initium auspicati sumus, ad augustissimum videlicet Christi nomen redeamus, hoc quidem cum ab antiquis Christianis sub A & Ω non absque peculiari mysterio Cœmeterialibus tabulis prænotatum sit, finem quoque, ac coronidem nostris hisce dictis feliciter imponat.

Ectypum annuli signum.

46 Sed memores interim annuli, quem supra polliciti sumus, ejusdem peculiaris subinde symbolorum explanatio unà cum ipsamet annuli icone, quam pia ac benigna præmemorati Eminen. Card. Barberini manus studioso contemplandam lectori offert, hic opportune à nobis subtexenda videtur.



Alpha, & Omega quid significent?

47 Porro, ut singula breviter edisseramus, quid litera *Tau*, & binæ illæ Græci idiomatis notæ, *Alpha* & *Omega*, denotent, augustissimum videlicet Christi nomen, prolixe à nobis in jam enarratis demonstratum est. Vnum tamen hic in lectoris gratiam subtexere libet, symbolicis nimirum imaginibus, quæ hactenus recensitæ sunt, singulis invicem junctis, ut in nobilissimi hujus prototypo annuli videre est, ipsummet Christum Dominum Salvatorem, humanæque felicitatis auctorem, Crucis, ut jam diximus, patibulo nostri causa suffixum, qui unus idemque Deus & homo est, & quod plane inde consequitur, typum pariter, & ipsiusmet rei, quæ typo olim prænunciabatur aptatissimum commode intuentium oculis exemplar designari: Christi etenim nomen sub litera *Tau*, quæ Crucis figura est, delineatum, Christum Salvatorem ligno affixum ostendit. *Alpha* vero, & *Omega*, quæ binæ literæ initium & finis inter cætera Græci Alphabeti elementa sunt, æternam ac ineffabilem ejusdem Christi velut digito divinitatem præmonstrant, cum ipsemet se rerum omnium principium ac finem esse illis disertissime verbis divinitus asseruerit, Apoc. 21. *Ego sum*, inquit, *initium & finis, Alpha & Omega.*

Litera Tau Crucis figura.

Apoc. c. 21.

48 Serpens autem, qui eodem in sertus annulo exprimitur, apertissimum, quod sane nemo ignorat, hostis tartarei symbolum præsefert, qui sub versipelli ejusce modi forma ad furtive excerpendum vetitum ab arbore pomum dolis Euam ac technis pelliciendo miserandum in modum decepit, totamque humani generis prosapiam noxiali propinato veneno infecit. Porro anguis ad ipsum Crucis stipitem consistens insculpitur, quo plane symbolo salutaris ejusdem signi virtute stygium divinitus anguem, generisque humani hostem devictum, prostatumque fuisse palam præmonstratur; quemadmodum consonis jugiter in rem præsentem vocibus Ecclesia canit: *Vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Et sane ob mysticam rerum analogiam Magnus ille Constantinus eandem fere imaginem, quam in annulo hactenus adumbravimus, ante ipsummet regii Palatii vestibulum in tabula affabre pingendam, atque efformandam curavit, ut locupletissimus testis est Eusebius in ejusdem Constantini gestis lib. 3. cap. 3. Qua typica item imagine Magni ipsius Constantini, & Majoriani item Imperatoris numismata prænotantur, in quibus draco media ventris parte vivificæ crucis ligno transfixus intuentium oculis objicitur, ut Crucis ejusdem virtute ac Christi potentia omnem prorsus vim dæmonum dejectam, prostratamque fuisse designetur. Constantiniani autem numismatis, cujus mentio nobis hæc scribentibus incurrit, his quidem notis exsculpti *Spes publica*, iconem ex Baronii Annalibus fideliter excerptam, hic tibi, lector, contemplandam offerimus.

Eus. l. 3. c. 3.

Numisma Constantini Imp.





Idem quoque & in altero nobilissimo Majorani Augusti numismate iisdem ex Annalibus excerpto perspicue contemplandum suppetit, in quo præmemoratus Imperator unà quidem manu salutare Crucis vexillum, altera vero victoriæ simulacrum gestans, ac dextero pede stygii caput anguis valide conterens, triumphalibus hisce hinc inde insculptis notis: VICTORIA AAVGG. intuentium oculis exhibetur. Hujus autem recolendi numismatis excerptam fideliter iconem hic habes.





Porro ex recensitis hactenus numismatibus antiqua principum Christianorum pietas, & anteactorum, quibus Crux Christi in orbe vigebat, temporum facies mirificè elucet. Vt ad præmemoratum vero annulum oratio recurrat, illud postremo loco adjicimus, quod cum serpens prudentiæ symbolum describatur, hac utique virtute eum præditum esse oportet, qui Christianæ intentius militiæ nomen dat, juxta id quod ipsemet in Euangelio Dominus præmonet Matth. 10. dum ait: *Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Et serpentis quidem prudentia à scriptoribus passim egregie in multis commendatur, quæ qui nosse cupit, sacros scriptores consulat.

Matt. c. 10.

49 De columbis vero idem prorsus hic nobis subtexere liceat, quod alibi attigimus; hæ quippe aviculæ candidæ animorum synceritatis symbolum apte præseferunt, quam idem in Euangelio Dominus condignis laudibus prosequitur, suisque hæc subdens apprime commendat: *Et simplices sicut columbæ.* Quamobrem, ut in antiquis plerisque sanctissimæ crucis imaginibus videre est, studiosa quidem artificum manu columbę frequenter exprimuntur; quod potissimum in Cruce illa vetustissima, tessellatoque opere artificum manu elaborata apparet, quæ hic Romæ in celebris Eccl. S. Clementis apside, venerandæ faciem antiquitatis ad vivum exhibens ad hanc usque diem conspicitur: ubi duodecim numero columbæ, quæ sacrum Crucis vexillum, festivum in morem ambiunt, ad cujus subinde truncum serpens stygius in triumphali velut jam signo suactus subsistit, recolendum beatorum duodecim Christi Apostolorum, singulari prudentiæ ac simplicitatis prærogativa pollentium, symbolum apertissime prænotant. Sub hac enim plane forma sanctissimos olim Apostolos apostolicus vir Paulinus Nolanus Episcopus pennicillo adumbrandos curavit, ut ipsemet carminibus hisce testatur:

Columba innocentiæ ac simplicitatis imago.

Pleno coruscat Trinitas mysterio,
Stat Christus Agno: vox Patris Cælo tonat,
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit,
Crucem corona lucido cingit globo,
Cui coronæ sunt corona Apostoli,
Quorum figura est in columbarum choro.

S. Paul. ep. 12.

Christiani item, qui sapientissimis arcana quæque symbolis propinabant, supra ipsammet Crucem, vel certe ad Crucis ejusdem cornua candidas quamplures columbas symbolico rem typo peragentes, pingere consueverant, ut ex hoc plane symbolo intelligere unusquisque posset, amplissimum, quod suis Deus post exantlatos hujus vitæ labores servat cælorum regnum simplicibus ultro patere; id autem idem S. Paulinus ep. 12. ad Sever. egregie conceptis in rem carminibus edocuit, ubi de ejuscemodi imagine loquens hæc ait.

S. Paul. ep. 12. ad Sever.

Ardua floriferæ Crux pingitur orbe coronæ,
Et Domini fuso, tincta cruore rubet.
Quæque super signum resident cæleste columbæ,
Simplicibus produnt regna patere Dei.

Cui & aliud Epigramma sanctissimus idem ac disertissimus vir pari quidem eruditione, ac pietate carminibus hisce subtexit:

Hac Cruce nos mundo, & nobis interfice mundum.
Interitu culpæ vivificans animam.
Nos quoque perficias placidas tibi Christe columbas,
Si vigeat puris pars tua pectoribus.

50 Verum enimuero si nos interim singulas descriptæ mysticæ Crucis notas, quas supra adumbravimus, ad Christum salutis nostræ auctorem referamus, præter tria illa primo quidem loco à nobis recensita symbola, quæ eidem expresse congruunt, serpentem quoque ejusdem Christi hieroglyphicum esse jure merito affirmare quis potest, quis potest, cum Christus id ultro de semetipso loquens edocuerit: *Sicut Moyses*, inquit, *exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis.*

Serpens à Moyse exaltatus Christi symbolum gerebat.

Ioan. c. 3

51 Columbæ itidem, quæ tam sæpe studiosa artificum, pictorumque manu sacris imaginibus insertæ conspiciuntur, aptissimum Christi typum intuentibus exhibent, ut complures orthodoxorum Patrum disertis plane in rem præsentem verbis affirmant, inter quos præcipue Origenes to. 3. in Gen. adnumeratur, Hilarius item in ps. 54. & nonnulli alii, qui hanc quandoque in sacrum edisserendis paginarum monumentis interpretationem proferunt.

Orig. to. 3. in Genes.
Hil. in ps. 54.

52 Porro Latina dictio seu vox *Salus* quæ annulo exsculpta legitur potissima præ cæteris omnibus notis Christo Domino Salvatori, & peculiari quidem symbolo aptatur. Si enim præmemorata ad Crucem ipsam vox referatur, quis nesciat, quod unico duntaxat Crucis ligno totius humani generis salus, quæ fatali quondam ligno exciderat, divinitus reparata est, sicut congrue in Crucis obsequium canit Ecclesia: *O Crux venerabilis, quæ salutem attulisti miseris.* Et juxta id quod alibi fideles ad juges gratiarum actiones provocans insonat: *Per sanctam Crucem liberati sumus.* Et illa item verba in perpetuum Crucis honorem & monimentum dicata: *Per lignum servi facti sumus, & per sanctam Crucem liberati sumus: fructus arboris seduxit nos, Filius Dei redemit nos.*

In Cruce hominum salus.

Ant. in off. de Cruc. fest. exal. S. Cruc.

53 Verum enimvero si ad Christum Dominum eandem salutis vocem consulto quis referat, is profecto, quod constanter fide profitemur, unica & certa est omnium salus, ut illis consone suppliciterque vocibus redemptionis nostræ beneficium recolens canere consuevit Ecclesia: *Ecce lignum Crucis, in quo Salus mundi pependit.* Et juxta id, quod alibi cunctorum fidelium animos ad tam insigne recolendum jugiter mysterium invitans, repetit: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est Salus, vita & resurrectio nostra; per quem salvati, & liberati sumus.*

54 Demum si vocem hanc ad serpentem, qui typo præfertur, referre libet, quis quæso vel antiquas scriptorum paginas excurrens, quod plerique norunt adhuc tamen crassa Minerva ignorare comprobatur, nec se aliquando in pervetustis eorundem codicibus perlegisse meminerit, serpentem videlicet apud ipsosmet gentiles communi omnium voce præoptatæ hieroglyphicum salutis extitisse? Quapropter illum quidem Æsculapio, ut Ethnici perperam fabulati sunt, medicarum artium Deo adscribentes, sacrum dixere: & in quamplurimis item numismatibus ejuscemodi vocis dictione insculpta,

Salutis hieroglyphicum serpens olim constituebatur.

sculpta, symbolicam serpentis imaginem exprimere, ac designare consueverant, ut præsertim in Romanorum Imperatorum Galbæ, Trajani, Antonini Pii, Faustinæ, Aureliii Cæsaris, Commodi, Maximini, Philippi, Volusiani, aliorumque numismatibus videre est. In numismatibus vero, quæ ab ipsismet gentilibus excudi contigit, recensita hactenus vox illa *Salus*, haud simpliciter ac absolute unquam, sed semper cum additamentis legenda præfertur: *Salus* videlicet *Augustorum*, vel, *Publica*. Salus enim, quam ultro Imperatores illi futiliter ac perperam se præstituros jactabant, eorum duntaxat ditioni subjectos, haud exteros extraneosque ullatenus respiciebat, ac ad eorundem emolumenta protendebatur, & tamdiu sperandæ ab eorumdem manu salutis facultas suppetebat, quamdiu ipsimet Imperatores, qui securitatem pollicebantur, inter vivos degerent. At potiori veræ felicitatis omine ampliorique Christianorum Imperatorum auspicio præmemoratæ dictioni *Salus*, qua Cœmeterialis iste annulus insculptus est, nullum prorsus additamentum subest: Christus enim Salvator, qui hoc nobilissimo hieroglyphico unice prænotatur, præoptatam humano generi salutem sospitatemque solus ac perennem nullisque terminis circumscriptam feliciter contulit. Quod patentissimis quidem notis Urbi, ac Orbi ad perenne monimentum, ut res conficiatur exemplo, Magnus ille Constantinus, victor in Urbem rediens partam tum victoriam, tum salutem Crucis potissimum virtuti, & Christi potentiæ ascribens testatum voluit. Quippe qui salutari erecto, ut Eusebius narrat, Crucis vexillo, victoriales publicæ salutis obsequio notas dedicavit: *At ille*, Eusebius inquit, *utpote pietate in Deum, tanquam naturaliter menti insita imbutus, non applausu illo populari, & strepitu insolenter se jactans, non laudum elatus præconio, sed præsidij à Deo allati admodum conscius extemplo preces cum gratiarum actione auctori victoriæ impertit, atque illustribus inscriptionibus, columellisque erectis omnibus hominibus salutaris Christi signi virtutem promulgavit. Inque Urbe media, quæ præ cæteris principem locum facile obtinet, ingens istud trophæum contra hostes erexit, & hoc salutare signum characteribus, qui nullo modo deleri poterant, in eo insculptis, Romanorum, aliorumque ejusdem Imperio subjectorum propugnaculum esse demonstravit, palamque omnibus proposuit, ad intuendum. Ac statim ubi erectum hastile ad formam Crucis in manum propriæ imaginis in statua expressæ insertum Romæ in loco celebri, ac multum à populo frequentato locatum fuit, hanc inscriptionem Latino sermone eo mandat incidere:*

Crucis virtuti victoriam Constantinus adscribit.

Euseb. in vit. Const. l. 1. 33. Baron to. 3. an. 312. n. 63.

HOC SALUTARI SIGNO
VERO FORTITUDINIS INDICIO,
CIVITATEM VESTRAM
TYRANNIDIS JUGO LIBERAVI,
ET S.P.Q.R. IN LIBERTATEM
VINDICANS PRISTINÆ
AMPLITUDINI ET SPLENDORI
RESTITUI.

Plus igitur Imperator ista Crucis victricis confessione nobilitatus, cum magna dicendi libertate Filium Dei ipsis Romanis palam vulgare cœpit. Hæc de salute ipsius Crucis vexillo, ac Christi virtute sub felicissimo Constantini principatu Romanis arcibus invecta, partaque Romanorum ditioni pace Eusebius ingerit, quæ dum de antiquo Christianorum annulo differimus, opportune in rem præsentem subtexere voluimus.

55 Reliquum nunc est, quoniam ad calcem devenimus, ut postremo tandem loco secundum Subterraneæ Romæ volumen novissimo altero annulo, qui ex antiquitate petitus, sacrosanctum Christi nomen Græcis exaratum litteris, & haud obscura Christianæ pietatis vestigia intuentibus exhibet, obsignemus. Nostros etenim (si qui sunt) labores lucubrationesque uni, trinoque Deo, ac sacrosancto ejusdem nomini *cui soli omnis honor & gloria*, dicantes, inscribentesque, quod Psalmistæ jugiter vocibus resonat, probe meminimus: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* In præmemorato autem annulo, cujus hic tibi iconem exhibemus,

Annulus veterum Christianorum.



venerandum Christi nomen consueto Christianorum more, ac ritu exsculptum aliisque nonnullis insuper symbolis apprime nobilitatum offertur. Columba quippe sacrosanctum Redemptoris nomen, & Crucis vivificæ signum festivis oculis respiciens, stella desuper emicante, intuentibus contemplanda proponitur.

Christi nomen Christianis solemnissimum.

56 Quid mirum autem nobis videatur, si Christiani ipsimet digitalibus, ac signatoriis annulis Christi passim nomen insculperent, qui ejusdem virtutem, ac gloriam animo, ac cordi insculptam jugiter circumferebant? Quisquis vero conspicuos Cœmeterialas, ut jam vidimus, lapides, & ipsosmet nunc annulos salutaribus istis characteribus Christi nomen præferentibus prænotatos inspiciens, non illa probe Prudentii carmina meminerit:

—— quæ jam littera Christum
Non habet? Aut quæ non scriptorum armaria Christum
Laude referta?

Et paulo post immensam divini nominis virtutem recolens, quo cuncta Christianis præstari bona, ac prospera obtingere consuevere hæc subtexit:

O nomen perdulce mihi lux & decus, & spes
Blandus in ore sapor, fragrans odor, irriguus fons.

Hoc planè divinissimum Christi nomen antiqua Christianorum monumenta intuentium oculis ingerunt, insonant, auribus, extinctorum, immolatorumque pro fide ejus ac si recenti adhuc odore cadavera fragrant, redolent, irriguoque hoc bonorum perennium fonte Cœmeteriales speluncæ, ac tota Subterranea, ut ita dixerim, Roma, vel crebra inter martyrum spolia, ac sepulchra, unà adhuc cum sanguine uberrime stillat, ac irrigatur. Jure igitur veneranda antiquorum pietas ex hoc uno maxime elucet, quod heroës primævi, ut in nostris hisce paginis jam enarratum est, tum cordi, tum capiti, tàm manibus, quam lingua, coronis, vestibus insuper, annulis, ac lapidibus Christi nomen honoris gratia præferrent.

57 Columbæ item symbolum, ut probè annulus iste, quem modo protulimus, intuentes edocet, Christianis olim usitatissimum extitit: eo quippe ad sacrorum arcana mysteriorum, profano abolito gen-

Columba ejusque hieroglyphicum.

tilium ritu, delibanda sapientissime urebantur. Neutiquam enim viri pietate conspicui, etsi Columbæ imaginem usurparent, quod perperam gentiles delirando præstabant, religionis eidem cultum tribuebant. Nam ut albas Persæ columbas, ob intestinum, quo lepram odio prosequebantur, invisas jugiter habuere, dissimili easdem ratione Babylonii, ac Syri divinis honoribus cumulando, velut Cæli numina propensius colebant, ut Xenophon, & Lucianus rei testes locupletissimi sunt: Syrorum autem nomine hi potissimum, qui feracissimas olim Palæstinorum regiones incolebant, veniunt, ut suis apte in rem præsentem Tibullus carminibus ingerit:

Columbæ albæ Persis execrabiles. *Syris amicæ & sacræ.* *Xenoph. in coro. Iun. Luc. in Deo Syr.*

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba Syro.

Tibul. in car.

Quod congestis item ad assertionem valide obfirmandam argumentis Antonius de Guevara in Abacuch 1. n. 154. fulcire contendit. Quopropter regii Psalmistæ verba ps. 67. *Si dormiatis inter medios cleros*: (id est, ut ille concinne explicat, inter sortes, hostiumque vestrorum Philistinorum termunos eritis) *sicut pennæ Columbæ deargentatæ*, ac si diceret: eritis candidi, intacti, & ab eorundem vi albæ instar Columbæ illæsi, *cujus posteriora quidem sunt in pallore auri, id est, aureis maculis variegata.* Securitatem quippe his verbis ab hostili impetu, ac furore eisdem, vel inter medios, confertosque inimicorum cuneos, inter quos degebant, repromittens, haud quidquam molestiæ à prævalentium manu perpessuros, sed novo inusitatoque prodigio, cum hi ipsismet Palæstinis in coronæ formam cingerentur, iisdem tamen ultro timori ac religioni pariter futuros, & non secus ac albam, festinamque columbam, quam nemo eorum religionis ac observantiæ metu, haud dumtaxat lædere, sed nec vel leviter attingere audet, Deo, inquam, protegente, securos fore pronunciat.

Psal. 67.

58 Porrò ob hanc potissimum causam, vt arbitrari fas est, dum sacro in Jordani fluentis baptismate Christus ablueretur, sub columbæ symbolo Spiritus sanctus descendens in Palæstina se videndum è Cælo obtulit: blanda enim aviculæ hujus imago oculis exhibita, tunc temporis augustissima ibidem erat. Ex quo autem religiosus hic cultus apud eas potissimum nationes originem traxerit, si altius rem investigando quispiam assequi cupit; Græci quidem Palæstinos columbam in Rheæ, quæ pluviis præsidet, honorem coluisse arbitrantur: ῥέω enim fluo auribus sonat: Assyrii namque vel inter anilium fabularum commenta delirantes, ex aere, & aqua rerum omnium constare principia existimabant, hinc vero pro aqua pisces, utpote Dagonis idolum, pro aere autem, ex quo pluviales in terram aquæ delabuntur, aeream præcipuo honoris cultu columbam prosecuti fuisse creduntur. Etsi planiorem Diodorus Siculus, aliique rationem ingerendo, præmemoratos quidem populos columbam in Semiramidis Assyriorum Reginæ honorem, aut potius Semiramidem ipsam sub Columbæ symbolo, eo quod, ut Gnidius scribit, eam adhuc infantem à Columbis nutritam esse fama percrebuerat, coluisse constanter affirment. Nec longe quidem ab assertionis proposito ipsiusmet nominis derivatio aberrare videtur: Semiramis enim Syriacè avem significat. Gentiles igitur fabulis fabulas intexentes, quam primum à columbis enutritam, eandem subinde post mortem in columbam conversam esse, futili errorum, ac insanæ superstitionis commento propalarunt. Fictis igitur deliramentis rem adumbrantes, componentesque, errandi ansam temere aucupati sunt: quamobrem anile Babylonii ad religionem commentum derivantes, in militaribus vexillis, ac labaris quid veluti sacrum Columbam præferebant, & inde Columba eorundem exercitus dux. prævia in historialibus quoque paginis dicitur. Judæorum enim stemmati insigne istud ac militare Chaldæorum labarum opponi videbatur: nam Leonem nobilissimum stemma Judæ, ac Judæorum gentis insigne extitisse quis nescit, ut ex Genes. cap. 49. nu. 9. Sanchez edisserit.

Columbæ à Palæstinis in honore habitæ. *Semiramis sub columbæ typo.* *Gnidius.* *Babylonii in labris militaribus columbam depingebant.* *Ierem. c. 46. v. 13. & c. 50. v. 15.* *Gen. c. 49. n. 9.*

59 Certe multiplicium avium, animaliumque imagines in vexillis olim gentilium præferri consueverant. Cyrus enim aquilæ præ cæteris insigne præferendum sibi voluit, quod cæteri postea Persarum Reges accepto per manus exemplo æmulati sunt. Pari item ratione sola dumtaxat à C. Mario, ut Plinius ait lib. 10. cap. 4. in Romanorum aciem invecta est; cum anteactis quidem temporibus in militaribus Romanorum vexillis Iupi, Minotauri, equi, apri imagines tantum deferri mos fuisset. At demum Constantinus Magnus cunctis animalium à labaro imaginibus expunctis, rejectisque, haud aquilam, sed Crucis dumtaxat vivificæ signum, ut Ambrosius ait; infixo insuper Christi nomine veluti certum victoriæ omen dedicavit. Sed his interim de militari Columna, ac militarium vexillorum insigni vel obiter enarratis, plura qui vult de Columba apud Pierium Hieroglyph. cap. 22. consulat.

Cyrus aquilæ imaginem in vexillis præferebat. *Plin. l. 10. c. 4.* *Constantinus Crucem.* *Ambr. ep. 22.* *Pier. hier. c. 22.*

60 Ut ad annularem verò, immo ad Cœmeterialem potius Columbam nostra nunc oratio redeat, columba, quæ tam frequens Christianis extitit, multiplicium quidem mysteriorum pompam præsefert. Ipse enim Deus aliquando, ut Gregorius edisserit, symbolice adumbratur, ut Hieremiæ cap. 26. num. 38. *Facta est*, inquit, *terra eorum in desolationem à facie iræ Columbæ à facie iræ furoris Domini.* Sed audi Gregorium: *Columba*, inquit, *est Deus, quia simplex est, & æquabilis, mansuetus, immutabilis, & cum irascitur, punitque Iudæos per Chaldæos, ira non perturbatur.* Congrue autem per aviculam, quæ cum felle careat, provocata tamen vehementius excandescit, Dei ira exprimitur, ut D. Thomas his plane verbis: *Deus per patientiam*, inquit, *hactenus fuit Columba, jam per vindictæ vehementiam Leo futurus est.*

Hier. c. 26. n. 38. *Greg. l. 31. n. 6.* *D. Thom. in loc. Hierem.*

61 Porro symbolica Columbarum imagine Apostoli quoque in Ecclesia, ut dictum est, à Christianis frequenter designati sunt, & præsertim Isajæ cap. 60. v. 8. *Qui sunt isti*, inquit, *qui ut nubes volant, & quasi Columbæ ad fenestras suas.* Ibi enim Propheta mystico loquendi usus tropo fideles nubibus; ac Columbis comparat: & ex Gregorio hom. 18. in Ezechielem 10. Hieronymo, Ruperto, & aliis per nubes, atque Columbas Apostoli, divinique verbi præcones apte designantur. Quapropter concinne Septuaginta vertunt: *Sicut columbæ cum pullus suis*, ac si Apostoli unà cum discipulis, ac fidelibus intelliguntur: *Recte prædicatores sancti nubes*, inquit Gregorius, *appellati sunt, quia verbis pluunt, miraculis coruscant, &c. quia in terra viventes, extra terram fuit omne, quod egerunt: volant enim, qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nil appetunt, qui & ad fenestras suas quasi Columbæ sunt, quia pro mansue-*

Apostoli per columbas significantur. *Isa. c. 60. n. 8.* *Greg. ho. 18. in Ezech. Hier. Ruper.*

mansuetudinis suæ spiritu in hoc mundo per oculos nil concupiscunt. Hæc de mysticis ibi Columbis Gregorius Magnus. Quo plane annulari supra recensita columbæ hieroglyphico illud mystice, quod suis semel, atque iterum Euangelicis in tabulis Christus inculcare consuevit, prænotari credimus: *Estote*, inquit, *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Caute, inquam, Christianos Redemptor adhuc præmonet, ut speciosam hanc exhibitam oculis imaginem intuentes, etsi pœnale, funestumque; Crucis signum ultro amplexandum suggeratur, columbæ tamen junctam mititati innocentiam, cui promptum expeditumque alarum ministerio ad astra iter panditur, sibi præferendam esse intelligant. Columba quippe velocissimo præ cæteris avibus volatu in aera fertur, juxta illud Poetæ:

Æneid. 4. *Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.*

Psalm. 44. Quapropter olim Psaltes regius columbæ sibi pennas cælitus aptari præoptabat: *Quis dabit mihi pennas*, inquit, *sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Quod & mystice ad lectissimæ hujus aviculæ innocentiam Ambrosius his plane verbis referre visus est: *Puto etiam*, inquit, *in ipsis avibus ideo velocius columbam præ omnibus volitare, quod alacritatem & innocentia comitetur.* Et regii subinde Vatis voces, ac vota columbæ pennas anxie anhelantis intexens, isthæc ait: *Intelligebat enim quod altiora facilius penetrabat simplicitate mentis, quam levitate pennarum.* Munditia quippe candidæ huic aviculæ singulari præconio arridet; illibatum enim candorem se cœno nullatenus immiscens servare satagit: quapropter innocua quidem à Noemo columba inter fluctuantis orbis procellas ex Arca primum emissa, cum loca cuncta cœno, cadaveribusque obsita comperisset, celeri protinus in arcam, ex qua prodierat (ut sacræ testantur paginæ) volatu rediit: *Emisit quoque columbam post eum, ut videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ; quæ cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam.* Quippe ut egregie Chrysostomus in rem præsentem edisserit: *Adhuc*, inquit, *inundantium aquarum, quæ ingruerant, cœno & luto plena erant & ipsa montium cacumina, & ideo columba nondum stare, neque convenientem cibum sibi invenire valens, reversa est.* Illibatus igitur animi candor aviculæ hujus terrena singula tam caute inquinamenta declinantis symbolo vel tum maxime commendatur, ubi Christus Salvator proprio criminum maculas cruore in baptismate abluens, omnimodam reis (ut Ioannes Apostolus ait) vitæ novitatem, ac innocentiam contulit: *Qui lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Præmemorati vero annuli ex ære elaborati iconem typis diligenter excerptam nostris hisce Subterraneæ Romæ paginis Ioannes Baptista Casalius amicus noster vir singulari tum pietate, tum eruditione conspicuus, ac de sacra pariter antiquitate optime meritus, nostris, inquam, hisce paginis inserendam voluit: cui tu interim, studiose lector, venerandæ, quod possides, antiquitatis monimentum acceptum referas.

Ambr. ser. 16 de SS.

Ambr. lo cit.

Columba munditiei amica.

Gen. c. 8. n. 8.

Chry. hom. in Gen.

62 Et nos hanc interim genuinam mystici, quem contemplandum obtulimus, annuli elucidationem arbitramur: singulis tamen tam rerum, quam signorum symbolis, quibus pretiosissimis velut intextis gemmarum lapillis illustratur, diligentiori ipsius lectoris trutina ad expendendum relictis, quæ hic obiter summatimque dumtaxat recensuimus. Qui profecto annulus opportune quidem præmemorati viri dono ad nostras tunc manus venit, cum supremam jam primo hujus Operis volumini manum admoveremus: at hic consulto inserendum, apponendumque servavimus, ut nobili Christianæ pietatis, ac recolendæ jugiter antiquitatis signo ac sigillo unà cum altero pariter anulo (cujus supra mentio incidit) novissimas Subterraneæ Romæ elucubrationes, sacrorumque Cœmeteriorum paginas obsignantes, ipsique met posteritati, ne quid ulla unquam temporum injuria ac oblivione intercidat consignantes, locupletissimo orthodoxæ, illibatæque fidei testimonio Opus, quod in præsens absolvimus, valide communiamus.

63 En igitur, pie ac studiose Lector, triplici recensito circulari annulo, aptis, opportunisque ad fidem candidè sincereque obfirmandam acceptis ab antiquorum manu sigillis, sacrum totius Subterraneæ Romæ, quam curiosis hactenus oculis perlustravimus, iter ac recolendorum Cœmeteriorum post longas viarum ambages, & post multiplicium semitarum diverticula peregrinationem, Deo votis feliciter aspirante, concludimus, atque obfirmamus, nostrasque elucubrationes (quod iis potissimum, qui incerto huc illuc tramite vagantur, obtingere consuevit) non absque ingenti labore, utinam pari proventus uberi spe, absolvimus.

64 Illud unum nobis denique superest, ut beneficiorum memores, condignas immortali Deo gratiarum actiones post diutinum suscepti itineris pensum, ac multiplices difficultatum ambages, è quibus, subterranea loca perscrutando, tandem feliciter emersimus, persolventes dicamus: *Ipse duxit, & reduxit nos.* Eo quippe viam errantibus præmonstrante, ut Ioannes ait, *fuerunt prava in directa, & aspera in vias planas.* Festivis igitur cum Psalmista vocibus personemus: *Prosperum iter fecit nobis Deus salutarium nostrorum.* Si quid vero in his Subterraneæ Romæ paginis minus apte, compteque minus, vel forte parum consone prolatum videatur, quod certe nobis invitis, nolentibusque calamo obrepsit, illud nunc cassum, irritumque volumus: totum enim, quidquid laborum atque elucubrationum nostrarum est, totum, inquam, quo par est, devoti, submissique animi obsequio, sanctæ Romanæ, Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ judicio tanquam Lydio lapidi discutiendum, examinandum, dijudicandumque remittimus.

Luc. c. 3.

Psal. 67. n. 20.

F I N I S.

APPEN-

APPENDIX
AD ROMAM SUBTERRANEAM.



Um ea dumtaxat, quæ mira Deus sapientia condidit, suis veluti numeris absoluta, omnimoda perfectione gaudeant haud iisdem addi quidquam, vel demi ab humani ingenii perspicacitate potest; quapropter illud in rem præsentem sapientis oraculum satis decantatum est: *Didici* (inquit) *quod cuncta, quæ fecit Deus perseverent in perpetuum, non possumus eis quidquam addere, nec auferre quæ fecit Deus, ut timeretur.* Verum quoniam Dei seclusis operibus cuncta, quæ hominum sunt, se ipsis mutila, ac imperfecta censeantur, in iis aliquid ultra desiderari semper contingit, ut quid perfectum, absolutumque esse convincantur. Hoc plane nostris hisce elucubrationibus, ac Subterraneæ Romæ paginis accidit, quibus non nulla, quæ suo minus apte loco edisseruisse videbamur, hic ad operis calcem in studiosi gratiam Lectoris dilucidasse, & additionum instar subtexere opportunum visum est.

Ecclef. cap. 3. num. 14.

Post absolutum igitur totius Subterraneæ Romæ iter, nonnulla, quæ inter excurrendum antiqua Martyrum Cœmeteria, scribendumque, vel prætermisimus, vel certe minus congrue, quam par est, explicuimus, ut nostro satis muneri, ac Lectoris desiderio fiat, congestis hactenus, enarratisque subjicimus. Interim vero, amice Lector, illius Euangelici memor oraculi: *Quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo*; Haud inique feras, si post completum jam itineris pensum, ad pauca isthæc ulterius revisenda, percurrendaque pedem jam fessum defatigando revocamus.

Matth. cap. 5. num. 41.

Illud igitur in primis, & consulto quidem præmittimus, quod lib. 4. cap. 37. pag. 335. hujus nostri operis, cum de invictissimo martyre Sebastiano, vel obiter sermo recurreret, ac de Urbani Papæ VIII. fel. recor. pietate, lateritiam quamdam martyris ejusdem tabulam, in Priscillæ Cœmeterio adinventam recolentes, in hæc plane verba suggessimus: *Qui & locum insuper in Vrbe ad Cloacam maximam, in quem venerandum corpus sub Diocletiano projectum, & inde à Lucina Matrona honorifice sublatum fuerat, in nobili gentilium suorum sacello intra Ecclesiam S. Andreæ (ut vulgo dicunt) de Valle, singulari pietate excoluit, & hoc specioso titulo, ad augendum loci cultum illustravit.* Inscriptus igitur lapis, qui apud præmemoratam B. Andreæ, ut præfertur, Ecclesiam in Barberinæ gentis sacello extat, & velut recolendus sacræ antiquitatis index pariter, ac monimentum legitur, martyris ejusdem corpus ibidem intra Cloacam Maximam, pia lectissimæ matronæ manu adinventum, exceptumque fuisse legentibus indicare videtur; quod ut clarius innotescat, titulum ipsum his plane conceptum, exaratumque notis ibidem subjecimus.

Rom. Subte. tom. 2 lib. 4. c. 37. pag. 335.

Sanctus Sebastianus miles Christi fortissimus, sagittis Diocletiani jussu configitur, virgis cæditur, in cloacam dejicitur: inde à Lucina matrona Romana, ejus in somnis monitu eximitur & in Calisti cœmeterio conditur, facti indicem plebs olim venerabunda ædiculam excitavit, cujus hic nuper altare majus cum apside stetit. Hanc Sixtus Quintus Pont. Max. ea lege æquari solo permisit, ut illius pars novæ ædis ambitu includeretur. Ad restituendam loci religionem reique memoriam Maphæus S. R. E. Presbyter Card. Barberinus, Signaturæ justitiæ Præfectus hic voluit extare monimentum ann. sal. 1616.

Hæc sunt, quæ in recensito lapide prænotata legentibus occurrunt, & quæ nos, ut venerandæ antiquitati consultum sit, retulimus, haud quid tamen certi hac super re statuere, & firmam, constantemque sententiam definire voluimus, quod & quampluribus item locis servatum est, nobis enim antiquæ duntaxat rei monimenta, in medium proferre satis fuerit, rerum tamen rationes, altiori subinde perscrutandas indagine, & severiori expendendas, librandasque trutina relinquere propositum fuit, nam cuncta, quæ cœmeterialibus in paginis vel obiter dicenda se offerunt discutere, elucidare, definire, ac confirmare nobis, cœmeteria ex professo percurrentibus, facultas neutiquam suppetit. Verum quoniam opportune hic sermo incidit quid in præsens de præmemorato Cloacæ loco, in qua martyris Sebastiani corpus quod Lucinæ cælitus patefactum est, delituit, quem videlicet juxta Circum extitisse describitur; quid, inquam, asserendum, pronunciandumque sit, pii ac prudentis, cui id remittimus Lectoris judicium esto.

Verum si quis interim sacræ insistens antiquitati, locum hunc ipsummet, qui in martyris ejusdem Actis designatur, esse contendat, haud à recto longius tramite aberrare convincitur; id enim, ut antiqua fert traditio; (quod in rebus ad sacram spectantibus antiquitatem maximi momenti est) sacra ibidem in ejus honorem exædificata pia fidelium manu ædicula valide confirmat, quæ peculiarem sibi in Urbe cultum promeruit. Hæc autem sub Sixto V. Pont. Max. ut supra enarratum est, hac lege solo æquata fuit, ut in novo, ac splendido B. Andrææ Apostoli, quod tunc ab Alexandro Cardinali Montalto S. R. E. Vicecancellario, regii sumptus ac magnificentia exstruebatur, rei memoria subsisteret. Probe autem jam novimus, nonnullos huic, quam paulo ante recensuimus, sententiæ haud inhærere, qui locum hunc neutiquam ipsummet, qui in actis innuitur, agnoscentes, asserunt subinde Cloacam, quæ in actis velut digito indicari videtur, ante Septisolium, aut Septizonium, id est juxta D. Gregorii Ecclesiam, & Circum prope Maximum antiquis temporibus extitisse. Verum enim vero licet prolata in medium opinio probabilibus rationibus fulciatur, haud probabilioribus tamen, quam primo loco recensita quorumdam assertio, cui sacra insuper traditio favet, argumentis innititur. Quippe, ut diserte Severanus noster in libro septem præcipuarum, urbis Ecclesiarum edisserit, etsi martyr Sebastianus cum se per visum Lucinæ Matronæ videndum obtulit, eidem de suo corpore in Cloaca, quæ juxta Circum sita erat, adinveniendo enunciaverit, nullatenus tamen verbum quo apte, expresseque Cloacæ locus deprehendi, ac dignosci posset, perquirenti subjecit, videlicet

Acta S. Sebast. apud Bar. t. 2. an. 228. num. 26.

Severanus l. de septem Eccles. in Eccl. S. Sebast. fol. 448.

licet

licet *juxta Circum maximum*. Sed nudis re, intercisisque verbis obvoluta, atque ambiguæ significationi relicta, illis plane notis usus est: *In Cloaca, quæ est juxta Circum &c.* Sed integra ipsorummet actuum verba hic proferamus: *Tunc S. Sebastianus apparens noctu in somno S. Lucina cuidam matronæ religiosissimæ dicens: In Cloaca illa, quæ ut juxta Circum, invenies corpus meum pendens in unco.* Quapropter cum locus, qui à nobis hactenus memoratus est, juxta Agonalem (ut patet explorantibus) Circum, itemque haud procul à Circo Flaminio, qui à D. Catharinæ templo, vulgo *Funalium*, ad D. Helenæ Ecclesiam olim protendebatur, situs fuisse comprobetur, commode ad locum hunc ipsamet martyris Sebastiani verba referri posse videntur. In actis enim Cloacæ maximæ illis verbis mentio incurrit: *Tulerunt ergo corpus ejus noctu, & in Cloacam miserunt &c.* Extructaque ibidem, pia fidelium manu in rei gestæ memoriam, quæ diu perstitit ædicula, omnem prorsus, qui alicujus menti subrepere possit, ambigentibus adimere scrupulum videtur. Prætereo, quod etiam si adversariis ultro, Sebastiani martyris corpus ad Septizonii Cloacam, utpote Campo, in quo sagittis confossus est, propinquiorem subinde, projectum fuisse concedatur ut quid tandem martyris ibidem corpus inter aquarum vortices immobiliter fixum perstitisse convincitur? cum præsertim aquarum, quæ in Cloacam maximam uberrime influebant, (enavigari enim poterant) impetu projectum circumferri corpus & eo loco, in quo pia fidelium traditio adinventum recolit, destitui protuerit. Huic autem sententiæ Baronius ipse vel tacite adstipulari videtur, dum in suis ad Mart. Rom. notis sub die 26. Augusti hæc habet: *Hac de Vrbis Cloacis, sepulchris SS. Martyrum, quorum sæpe corpora in eas projecta reperiuntur, ut etiam factum constat de corpore S. Sebastiani clarissimi mart. quod (ut ejus acta testantur) in Cloacam maximam projectum fuit.* Hæc ibi Baronius. Hæc autem nos haud nostram lectori in re admodum dubia sententiam propinantes, obsirmantesque, sed vel obiter pro sacræ, ac venerandæ; nec non mordicus retinendæ antiquitatis cultu, iis tamen qui rem ex professo edisserunt, maturius expendendam relinquentes, isthæc pauca subjicere voluimus.

Acta S. Sebast. mart. Cod. Lat. Vat. 8.9 10. S. Petr. Vallic. 1. 3,6.

Acta S. Seb-st. mart. apud Baronium tom. 2. an. 228. nu. 26.

Baron in not. ad Mart. Rom. die 29 Aug.

Nunc vero, ut à cloacis ad Thermas oculos pariter ac pedem convertamus, nos supra lib. 4. cap. 44. pag. 178. hujus Subterraneæ Romæ, cum de Thermis, intra quas à D. Sylvestro Papa ecclesiam erectam, dicatamque & Romanum insuper primum Concilium celebratum fuisse asseruimus, easdem Thermas in titulo, quem præfiximus, *Domitianas* appellavimus, quod certe quibusdam, ubi volumen ad manus veniet & rem oculis explorabunt, admirationem vocabuli novitas ingeret, secum enim quispiam & forte stomachabundus dicet, ut quid titulus iste? *De Subterraneis* (videlicet) *Domitianis, sive Trajanis Thermis & de antiqua B. Sylvestri Papæ intra easdem Thermas Ecclesia, quæ non multis abhinc annis innotuit.* Quippe asserti rationem tituli nullam videns, mendum profecto irrepsisse titulo existimabit, dum pro Titianis, Domitianas, sive Trajanas à nobis easdem inscribi Thermas comperit, sed paucis hic nostri consilii rationem pio, ac studioso lectori suggerere haud ab re visum est.

Et quidem hoc plane loco) ut veritati locus sit) suas à Tito Imperatore Thermas magnificentissimo quondam opere excitatas fuisse, profanis id passim scriptoribus asserentibus quis nescit? quod nos nec temere nunc in controversiam adducere, aut certe negare antiquis ultro scriptorum paginis convincendi, nulla ratione audemus, neque intendimus. Probe enim ex Suetonio, juxta amphitheatrum Thermas quoque à Tito Imperatore constructas his plane verbis didicimus: *Amphitheatro* (inquit) *dedicato Thermisque juxta celeriter exstructis, munus apparatissimum, largissimumque dedit.* Marlianus vero, ubi de Carinis, ac de Titi Imperatoris domo, & de Exquiliis agit Thermas Titi prope ejusdem domum ad locum, qui nunc vulgo, dicitur *Septem Salæ* ab omnibus haud longe videlicet ab Ecclesia D. Petri ad vincula sitas olim fuisse describit: sed ejus hic verba si libet excipiantur: *Thermarum autem Titi Imper. vestigia extant in eisdem Carinis juxta Amphitheatrum, ut in superiori cap. ex Suet. apparet. Quas maxima celeritate perfecisse ostendit etiam Martialis his versibus:*

Suet. in vita Titi.

Bartholomeus Marlian. de urbis typogr. lib. 4. cap. 14.

Hic ubi miramur velocia munera Thermas
Abstulerat miseris tecta superbus ager.

Quod autem Titianæ ibidem Thermæ olim exstiterint, tum probatorum scriptorum auctorirate, tum antiquis, quæ extant, marmoribus, velut certis indicibus ultro convincitur, nam inscripti ibidem, ut Marlianus ait, lapides ejuscemodi velut digito rem notis præmonstrantes adinventi sunt. *In his autem* (inquit ille) *duo marmoris frusta inventa sunt, in quorum altero erat flamma sculpta cum titulo hoc: Iovi; in altero vero hæc verba: Vespasianus Aug. per collegium Pontificum fecit. Domum ejusdem Titi fuisse prope Thermas, eumque locum, quem* Septem Salas *vulgus vocitat ex eo constat, quod ibi Lacoontis statua est reperta: quam in eadem domo collocatam esse asserit Plinius his verbis: Lacoon in Titi Imperatoris domo opus omnibus & picturæ & statuariæ artis præferendum: ex uno lapide eum, & liberos, draconumque mirabiles nexus de consilii sententia fecere summi artifices Agesilander & Polyodorus, & Anthenodorus Rhodii. &c.* Cum ex antiquis igitur scriptoribus Titi Thermas in Exquiliis, prope ejusdem domum sitas fuisse compertum, indubitatumque omnino sit, quæ causa ad alium Thermis eisdem titulum præfigendum concinnandumque scribenti suppetere potuit.

Marlian ubi supra.

Verum nos, ut animi consilium aperiamus, Domitianas, haud Titianas easdem consulto nuncupavimus, ea potissimum ratione, ut rem sincere fateamur, adducti, quoniam sub ejuscemodi plane titulo hæ in sacris fastis Thermæ describuntur, Domitianæ etenim, vel Trajanæ haud alio passim titulo recensentur; quapropter dum in sacro hoc Subterraneæ Romæ opere antiqua monumenta congessimus, ut sacris potissimum, à quibus investigandi lucem accipimus, & quos itineris duces sequimur, scriptoribus inhæreamus, eo planè titulo quo ab eis indicantur, nos quoque prænotare voluimus. Probe autem, Damasi, ac ipsius Bibliothecarii verba recolentes, nostris ejuscemodi titulum paginis inscribere non dubitavimus. Bibliothecarius quippe, ut ejus auctoritate titulum præmuniamus, Thermas istas, ubi de Silvestro Papa sermonem ingerit, Domitianas his plane verbis appellat: *Hic fecit in Vrbe Roma* (inquit ille) *Ecclesiam in prædio cujusdam presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius juxta Thermas Domitianas, quem titulum Romanum constituit, & usque in hodiernum diem appellatur titulus Equitii.* Damasus quoque, ut ex M. S qui apud Vaticanam Bibliothecam extant, Codicibus recensito

paribus verbis Bibliothecario, subscribens, hæc ait: *Eisdem temporibus constituit B. Silvester in Urbe Roma titulum suum in regione tertia juxta Thermas Domitianas, quæ cognominantur Trajanæ, titulum scilicet S. Silvestri.* Ex quibus, ut palam videre est Thermæ, quæ à Tito primum erectæ sunt, Domitianæ immutato titulo, nobis palam velut digito præmonstrantur, quod & in primo Conciliorum canone, ubi de Silvestro mentio incurrit, in hæc plane verba de iisdem Thermis disseritur, videlicet: *Et quoniam Mater Ecclesia genuerat filium charissimum Constantinum, Silvester Episcopus Urbis Romæ collegit universam Synodum episcoporum cum consilio Augusti, vel matris ejus, & fecit parari in Urbe Roma juxta Thermas Domitianas, quæ nunc cognominantur Trajanæ. Collegit autem in gremio sedis suæ.* De hoc item loco Baronius tom. 3. Annalium Ecclesiasticorum agens, isthæc apte in rem præsentem subjicit: *Collectum autem fuisse* (inquit ille) *concilium præmemoratum in Thermis Trajani in gremio sedis suæ, in primo capite reperitur expressum. Erat locus ille titulus à Silvestro nuper erectus quem Constantinus Imp. donis pluribus exornavit atque redditibus locupletavit.*

Damasus lib. de Rom. Pont. ex M. S. Bibl. Vatic.

tom. 1. Conc. Gener. p. 1.

Baron. to. 3. an. 324. num. 122.

Ex his igitur omnibus præmemoratus Thermarum locus, ubi à Silvestro titulus erectus est, & primum, Rom. Concilium celebrari contigit suppresso Titi nomine sub Domitiani potissimum, quo nos plane inscripsimus, titulo innotescit; Thermas autem, quarum mentio incidit à Tito Imperatore, ut profani passim scriptores edocent, extructas fuisse, sed à Domitiano postmodum, qui eidem in Imperio successit, & à Trajano, quippe qui uberrimis easdem aquarum venis multiplicique ornamentorum genere conspicuas reddidere, inscripti derivationem nominis mutuatas fuisse compertum fit. Nil mirum igitur lectori videatur, si nos sacros interim scriptores in rebus, quæ ad sacram antiquitatem pertinent, haud profanos sectati, loca eisdem plane nominibus, ac titulis quibus ab eis consignata sunt nullam antiquitati injuriam inferentes, sed probe utrisque consulentes prænotemus. Et hæc sunt quæ tibi in rem præsentem, amice lector, expendenda suggerere volumus.

Iam vero à Thermis Tilianis expediti ad Basillæ, seu potius SS. Matt. Hermetis, Proti, & Hyacinthi Cœmeterium, quod in Monte Pincio, ut diximus situm est, revocamur, cum enim de hoc sup. lib. 4. cap. 37. p. 149. prolixiori sermone nobis agendum fuit, nonnulla quidem, quæ obscuritatem pariunt, & veritati quid detrahunt, verba irrepsere, quæ nunc re melius perspecta demi, atque expungi volumus. Vbi igitur de præmemorato Basillæ Cœmeterio sermo incidit, hæc plane suggessimus: *In præmemorati Cœmeterii ambitu, quod in Pincio Monte situm, vulgato titulo Cœmeterium, ut supra diximus Basillæ, seu potius Sanctorum Martyrum Hermetis, Proti, & Hyacinthi nuncupatur, quod per vineam Patrum Societ. Iesu, seu alumnorum Collegi Germanici, atque Vngarici transeundo aditus patet.* Porro alternativa illa verba: *seu alumnorum Collegii, &c.* expungenda omnino videntur; haud enim, ut probe didicimus, ex eorumdem alumnorum Collegii Germanici, & Vngarici vinea in præmemoratum Basillæ, & Sanctorum Martyrum Hermetis, &c. Cœmeterium aditus patet, sed ex vinea dumtaxat Patrum Societatis Iesu, domus enim eorundem supra ejuscemodi Cœmeterium sita est, & inde per secretiores ad meatus Cœmeterialem loci faciem perscrutandam aditus panditur, & congrue quidem in Religiosorum hominum sortem locutus omni religione excolendus, & præcipua veneratione dignissimus Deo adspirante cessisse videtur.

Rom. Subter to. 2. lib. 4 cap. 37. num. 41.

Nunc vero ut à Cœmeteris ad sacras Cœmeteriales imagines sermo recurrat to. 2. pag. 228. ubi de imaginibus agitur, addendum quid supplendumque nobis est; una enim adverbiali, particula, quam ipsius Typographi incuria dempsit, immane quidem totius periodi sensus invertitur, ac sanæ illibatæque fidei dissonus omnino redditur, ita enim ibidem legitur: *Antiquæ potissimum imagines, quæ tum à Christi fidelibus, tum ab ipsismet Ethnicis promiscue olim usu, receptæ, futiles idololatrarum errores quodammodo sapiunt, & quæ insuper ut in sacris Cœmeteriis passim videre est, sanæ, illibataque fidei, ac orthodoxæ religionis ritum pariter, & cultum in suspicionis umbram vel leviter saltem revocarent, ut nonnulli perperam arbitrati sunt, omnes fere recolendi arcanorum mysteriorum ritus, &c. profana utique futilia, ac nullius momenti censenda, ac pronuncianda essent.* Quibus plane verbis ita dispositis, genuinus eorundem verborum sensus quam immane distorqueatur quis non videt? Manifestum enim errorem, haud sanam Catholicorum dogmatum doctrinam, imo potius adulterinam sapere verba ista videntur. At facili negotio res tota componitur, sola quippe conditionali dumtaxat particula addita bene suisque principiis consonans, atque ab omni pariter erroris periculo recensita hactenus propositio vindicatur. Addatur igitur conditionalis ista particula hunc in modum: *Si antiquæ potissimum imagines, quæ tum à Christi fidelibus tum ab ipsismet ethnicis &c.* Alia item conditionalis particula ad verba, quæ immediate sequuntur addatur verb. 8. *Si quæ insuper occurrunt, ut in sacris Cœmeteriis passim videre est &c.* tunc enim genuinus, haud adulterinus sensus, & sana verbo rumillatio redditur.

Rom. Subter. tom. 2. lib. 5. cap. 3.

Interim vero ad Callisti Cœmeterium quod Via Appia situm est, Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum vestigia iterum inspecturi revocamur, ibi enim tom. 1. c. 11. pag. 270. n. 11. cum de martyris Sebastiani corpore ad Catacumbas deposito sermo incidit, hæc quidem verba ex ejusdem Martyris beatissimi actis excerpta quæ sepulturam eidem ipsius, Lucinæ Matronæ manu exhibendam indicant, legenda occurrunt, videlicet: *In Cloaca illa, quæ est juxta Circum invenies corpus meum pendens in unco: sordes illud non tetigerunt; hoc tu cum lavaveris, perduces ad Catacumbas, inter ora cryptæ juxta vestigia Apostolorum.* Ibidem verò infra p. 455. hæc ad rei propositum verba subtexuntur: *Si enim hoc utique scriptor subintelligere voluisset, ut congrue quidem loqueretur, haud Apostoli vestigia, imo potius Apostolorum dixisset.* Mendum utique, ut vides, in dictione illa *Apostoli* irrepsit. Typographus enim singulare primo quidem loco, pro plurali posuit, & plurale pro singulari, ubi non oportebat, inscripsit, quo sensus omnino subvertitur, ac plana verborum intelligentia deficit: sic igitur legendum est: *Haud Apostoli vestigia, imò potius Apostolorum dixisset.* Quo plurali numero in singularem, & singulari in pluralem immutato, actuum eorundem, ac totius historici contextus veritas suo nitori, ac veritati redditur.

Præ sepulchralibus autem Cœmeteriorum titulis, quibus Subterranea Roma illustratur, & sacra passim Cœmeteria prænotantur, ut dicendi nunc initium faciamus, in D. Pauli Apostoli basilica, quæ Ostiensi

Ostiensi via sita est, lapis è celebri Lucinæ Cœmeterio erutus, his quidem notis insculptus legitur.

HIC REQVIESCIT IN PACE FL.
CELERINVS VD
SCRINIARIVS IN L. PATRICIÆ SEDIS DEP.
DIE IIII. ID. NOVEMB.
QVI VIXIT ANN. XXXIII. FL. M. DN.
FL. VALENTINIANO VII. ET
AVIENO. VCS.

Quæ quidem verba VD. Bosius in sua Roma, & nos eum secuti tom. 1. lib. 3. cap. 3. pag. 349. *Vir Doctus* legendo exposuimus, at re melius perspecta *Vir Devotus* interpretanda esse, doctorum & antiquorum præsertim auctoritate suffulti haud temere arbitramur, prout Pancirolus in notitia Imp. Orient. cap. 72. pag. 112. disertis verbis affirmat; Idem plane Valerius Probus in libro de notis Romanorum & Petrus Diaconus de notis litterarum. Porrò frequens est sepulchralibus in lapidibus titulus iste *Devotus*; & nos supra lib. 4. cap. 37. pag. 142. sepulchralem virgini his notis inscriptum lapidem, & ex Christianorum Cœmeteriis erutum meminimus: videlicet.





FVRIA HELPIS.
VIRGO DEVOTA.

Æque igitur viris, ac mulieribus, devoti titulus antiquos apud Christianos consonabat.

Alter nunc eodem insuper to. 2. cap. 3. n. 15. sepulchralis iste lapis, qui apud Divi Pauli Basilicam Ostiensi via in præsens extat, his plane notis exaratus se nobis offert:

HIC IACET NOMINE MATRONA
CF. IN PACE
VXOR CORNELII PRIMICERI
CENARIORVM. &c.

At vero verbum illud *Cœnariorum*, Bosio in sua Roma interpretante, *Scenariorum* legendum esse pronunciavimus, eo quod videlicet vir iste eorum Collegii primicerius extiterit, qui scenas, & tabernacula tam castrensia quam theatralia consueto artis opificio construebant; neque enim minus à veritate alienum censeri potest, quod vir iste in sepulcro sibi deligendo id serio præstiterit, dum apud Beatissimum Christi Apostolum, qui scenofactoriæ arti addictus fuerat pari ipse quoque tum pietatis studio scenarum fabricator se post mortem ex condicto tumulandum præoptavit. Sed re maturiori præhabito consilio, ac virorum sapientum judicio discussa pro *Cenariorum*, *Ducenariorum* legendum forte esse nobis videretur: de his etenim tanquam notissimis Pancirolus in Notit. Imper. Orient. cap. 72. pag. 124. Bulenger. cap. 50 lib. 6. in Not. Imp Rom. & cap. 24. lib. 9. Salmanasar in Not. ad Capitol. Pertinacem pag. 124. & 430. Vt enim aptè vocabuli etymologiam in præsens edisseramus, *Ducenarius* is dicebatur, qui ducentos milites regebat, & Lacerda cap. 76. Sacr. adversus exactor tributorum est ducenarius. Qua item super re S Cyprianus lib. 1. epist. 4. consulendus est, ubi de Paulo Samosateno agens, eundem verbis pro merito acute perstringit, quippe qui non tam episcopus, quam *ducenarius* videri malebat. Vt Eusebius item ait lib. 3. c. 30. Hist. Ecclesiasticarum, male scenariorum, & Sinnichio, quasi σκηνίδιον cum dictum videatur, quasi σιγνῦχον, id est conopeum, seu lectus nocturnus, atque Papilio, aut potius σιγνίκιον, derivato, desumptóque à victoria vocabulo, Supparum labari χαμαίτον λυτήελον crucis signum ἐν τούτῳ νικᾶ. (Cyprian lib. 1. Epist. 4.)

Porrò duobus hisce sepulchralibus titulis ad D. Pauli Basilicam hactenus recensitus, alterum his plane notis in eadem Basilica insculptum de quo nos supra tom. 1. lib. 3. cap. 3. pag. 247. lectori contemplandum subteximus In quo quidem elucidando, etsi Bosii, ac Severani sententiam secuti sumus, aliter tamen nonnulla præmemorati tituli verba nunc legenda, ac interpretanda videntur, videlicet.

HIC REQVIESCIT IN PACE
SABINVS
VS PREF. ANN. QVI VISSIT
ANNVS. &c.

Verba quippe illa compendiose descripta VS quæ *Vir Sapiens* citatis inhærendo scriptoribus jam reddimus, dum lynceis rem oculis inspicimus, haud *Vir sapiens*, imo potius *Vir spectabilis* inscribenda; atque reddenda à nobis sunt, unus enim hic ac præcipuus Senatorum secundi generis titulus antiquis temporibus extitisse comprobatur, Isidoro teste, Cassiodoro lib. 7. Var. Epist. 37. Formula spectabilitatis ante clarissimarum. Panciroil. in Notit. rerum Imp. cap. 2. (Cassiod lib. 7. Var. Ep. 37. Pancirol. hoc Imp. c. 2.)

Hic vero, ubi opportuna de sepulchralibus titulis mentio incurrit, quibus quondam veneranda Christianorum Cœmeteria, seu nobiliores Vrbis Ecclesiæ, solaribus veluti radiis illustrabantur, & ex quibus recolenda sacræ antiquitatis vestigia exploranti quoquo modo suppetunt, illud quoque nostris hisce additionibus attexere visum est, quod & alibi etsi perobscure innueramus: sepulchralem videlicet Eugenii Not. lapidem, quo plures laudatissimi anteactorum temporum, & Ecclesiasticorum præcipue rituum mores nobis digito præmonstrantur; (piarum quippe ob'ationum, quæ devota fidelium manu in Dei cultu exhiberi consueverant, ac luminarium præsertim, quibus anniversaria defunctorum dies de more peragebatur, quorum omnium laudabilis adhuc apud nos consuetudo in dies perseverat, vel unus hic lapis index testatissimus est) lapidem, inquam, à nobis hactenus memoratum, cujus item exemplar in nostra Subterranea Roma tom. 1. lib. 3. pag. 204. num. 23. legentibus patet, novissime in Vaticanam Basilicam, ex qua jam pridem inofficiosa manu temere amotus fuerat, & ex neglecto, ubi in præsens inter rudera jacebat, loco juxta ipsam S. Michaëlis Archang. in Civitate Leonina Ecclesiam, Illustriss. D. Iacobo Franzonio Cam. Apost. Clerico, & Vaticanæ Fabricæ Præfecto curante restitutum, atque in subterraneis ejusdem Basilicæ cryptis, à Paulo Quinto Pontifice Maximo eleganter instructis, exornatisque qua ad Longini martyris sacellum ab Urbano

Octavo erectum aditus patet, locatum fuiſſe, ut etſi mutus per ſe lapis, ſatis tamen pro rebus ac tempore loquax, venerandæ antiquitatis index, loci ejuſdem ſplendidiſſimi ornamento, atque perenni apud poſteros, ab omni temporum injuria vindicatus, priſtinoque ſuo decori redditus, monumento ſuperſit, quinimmo, ut quiſquis hæc noſtra perlegit, videat, quantum meritiſſimo, ac vigilantiſſimo, Præſuli, pro ſacra illibata jugiter antiquitate ſervanda enixius adnitenti, nec pro vili quidem & contemptibili, ſed pro pretioſo vindicando, ac Baſilicæ auguſtiſſimæ reſtituendo lapide, laboranti debeat.

Nunc vero, ut à Vaticano templo ad Calliſti Cœmeterium, recolendæ antiquitatis monimenta perſcrutando tranſeamus, nos quidem to. 1. lib. 3. c. 22. pag. 331. hujus Subterraneæ Romæ, in ſepulchri cujuſdam, quod ibidem extat, deſcriptione, imaginem parieti coloribus adumbratam ſuſpeximus, quæ ſanctum Ioſephum Virginis Deiparæ ſponſum, unà cum Deo Infante, ac Deipara ad Herodianam crudelitatem evitandam angelico monitu in Ægyptum fugientem repræſentat, etſi autem Severanus præmemoratas ſepulchri imagines apud Boſium in ſua edita olim Roma recenſendo, alia prorſus ratione interpretatus, patrem, matrem, ac filium, uno, eodemque ſepulcro reconditos pennicillo exprimi affirmaverit; nos tamen, ne quid ſtudioſum lectorem prætereat hanc quoque, veluti magis veritati conſonam earundem imaginum elucidationem, prudentis utique lectoris judicio librandam ſubjicere, & ſacram, venerandamque in in Chriſtianorum ſepulchro exhiberi hiſtoriam, aſſerere non dubitamus.

Dum unicam inſuper nos tom. 2. lib. 4. cap. 14. pag. 105. cubiculi duodecimi tabulam, quæ ad Sanctorum Petri, & Marcellini inter duas lauros Cœmeterium, via Latina cernitur, ſtudioſo contemplandam lectori propoſuimus, quatuor, quæ in ſingulis cubiculi ejuſdem angulis exiſtunt imagines, inſcripto itidem nomine, haud hominum, quorum ibi tumulata ſint corpora, ſed quatuor potius ventorum, una cum eorundem nominibus, imagines præſeferre aſſerendum videtur, quantumvis Severanus noſter aliud eo loco affirmaverit. In quatuor igitur cubiculi angulis, quatuor in futuræ typum reſurrectionis, ut Ezechiel Propheta deſcripſit, *Ezech cap.*
venti adumbrantur. Cum enim propheta divino im- *37. n. 9.*
butus lumine in medio campi, qui mortuorum oſſibus refertus erat, ad vaticinandum ſubſtitiſſet, ut apte futuræ ſacramentum reſurrectionis audientium auribus animiſque ſuggereret, iſthæc prolocutus eſt: *Vaticinare* (inquit) *ad ſpiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad ſpiritum: Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reviviſcent.* Idem plane apud Matthæ- *Matth. c.*
um de reſurrectionis myſterio ediſſerentem his ver- *24.*
bis legitur: *Et mittet Angelos ſuos, cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cælorum, uſque ad terminos eorum.* Quod vero res ita interpretanda ſit, ex inferiorum figurarum, atque imaginum epigraphe palam fit, ubi verba iſthæc legenda occurrunt: ηλιο pro Απηλιώτης BOPA pro BOPAΣ prænotata autem in ſuperiori parte nomina jam præ nimia vetuſtate, ut videre eſt, exolevere. Myſtica igitur in reſurrectionis ad futuræ typum ventorum adumbratio, in ſepulchri iſtius deſcriptione inſinuatur. Ex quibus, & quæ ibidem dicta ſunt, merito corrigenda videntur, & hic vel ſero palinodiam cantare, ut veritati locus ſit, congruum arbitrati ſumus.

Demum ut ſupremam Cœmeterialibus paginis manum imponamus, to. 1. lib. 3. c. 22. pag. 335. corrigendus eſt Titulus ſepulchralis noviſſimus ejuſdem paginæ verſ. penultimo, ubi legitur *Filio Megethii, & Hippolyta, &c.* mendum ſatis patens in nomine obrepſit, nam legendum eſt *Filio Megethio benemerenti, &c.* Et hæc ſunt, quæ ad operis calcem appendicis inſtar in ſtudioſi lectoris gratiam addenda, ſuggerendaque viſa ſunt.



I N D E X

RERUM MEMORABILIUM, QUÆ SECUNDO ROMÆ SUBTERRANEÆ VOLUMINE CONTINENTUR.

In quo prior numerus paginam, alter verò columnæ numerum ſignat.

A.

B.

C.

F.

Ptolemæus

Q.

R.

S.

Ab exiliore



